CODEX
THEODOSIANVS
IACOBI
GOTHOFREDI
TOMVS TERTIVS.

CODEX THEODOSIANVS

CVM

PERPETVIS COMMENTARIIS

IACOBI GOTHOFREDI

VIRI SENATORII ET IVRIS CONSVLTI SVPERIORIS SECVLI EXIMII.

PRAEMITTVNTVR

CHRONOLOGIA ACCVRATIOR

CHRONICON HISTORICVM ET PROLEGOMENA

SVBIICIVNTVR

NOTITIA DIGNITATVM, PROSOPOGRAPHIA, TOPOGRAPHIA

INDEX RERVM ET GLOSSARIVM NOMICVM.

OPVS POSTHVMVM

DIV IN FORO ET SCHOLA DESIDERATVM

RECOGNITVM ET ORDINATVM AD VSVM

CODICIS IVSTINIANEI

OPERA ET STVDIO

ANTONII MARVILLII

ANTECESSORIS PRIMICERII IN VNIVERSITATE VALENTINA

EDITIO NOVA

IN VI. TOMOS DIGESTA

COLLATA CVM

CODICIBVS MSS. ANTIQVISSIMO WVRCEBVRGENSI

GOTHANO ET LIBRIS EDITIS

ITERVM RECOGNITA EMENDATA

VARIORVMQVE OBSERVATIONIBVS

AVCTA

QVIBVS ADIECIT SVAS

IOAN. DAN. RITTER, P.P.

TOMVS TERTIVS.





LIPSIÆ

SVMPTIBVS MAVR. GEORGII WEIDMANNI.

MDCCXXXVIII.

IN HOC TOMO
LIBRI DVO CONTINENTVR.

Libro Nono agitur de Criminibus, & de Processu Criminali.

Libro Decimo agitur de Iure Fisci, & de Rebus Fiscalibus.



REVERENDISSIMO
ILLVSTRISSIMOQVE
DOMINO
HENRICO
S. R. I.
COMITI
DE
BRVEHL
SAC. POL. REG. MAIEST.
AC
ELECT. SAXONIAE
MINISTRO STATVS
PRIMO
CONSILIARIO INTIMO

MAGNO CVBICVLARIO
CAMERAE REDITVVM
STEVRARVM AC ACCISARVM
PRAESIDI
CATHEDR. ECCLES. MISNENSIS
CANONICO
CAPITVLI S. PETRI BVDISSINENSIS
PRAEPOSITO
ORDINVM
AQVILAE ALBAE
S. ANDREAE, AQVILAE NIGRAE
AC
S. ALEXANDRI NEVSKI
EQVITI

DOMINO MEO GRATIOSO



REVERENDISSIME ILLVSTRISSIMEQVE COMES

DOMINE GRATIOSE



Obilissimi operis volumen EXCELLENTIAE TVAE COMES ILLVSTRISSIME, dum dico, non habeo certum, si velut libro splendidissimi nominis tutelam, sic nomini TVO summeque dignitati munus non aspernandum feram. Depromta principum virorum e pectoribus decreta, iurisque imperatoria maiestate statuendi monumenta, notata non immerito putantur quibusdam quasi

 vesti-

vestigiis sapientiae illius, quae moribus & armis res humanas ad summum olim euexit, vrbisque pulcherrimae imperium longe maximum fecit. Ea sincera, atque, quam potuit, integerrima, in his libris vt proponerentur, laboraui, operisque sum permotus auctoritate, ne aliud magis crederem perfectissimae pietatis in TE meae pignus futurum. Argumenti sanctitate igitur, quoniam nihil est sanctius iustitia, & eorum fastigio, a quibus ea scita profecta sunt, commendari primo donum patieris. Deinde, quod rei non inest pretium, ex TE sine dubio petetur, benigno mansuetudinis TVAE lumine collustrandae, quando facis virtutibus TVIS, vt TE dignum satis munus TIBI vix a quoquam, nedum a me, possit praestari. Enimuero id, quod conferri potest, si quid tamen potest his chartaceis ingeniorum honoribus, exiguum esse facile fatemur. Cum enim appareat, COMES ILLVSTRISSIME, TE, TVIque simillimum quemque, altioris animi iudicio fretum, eam satis per se veram gloriam putare, qua ductus scribenda feceris, neque laborare de praeconio scriptorum: quid est, cur decora TIBI aut grata magnopere haec rei librariae munuscula videantur? Ad debetur hoc tamen praeclaris summorum virorum meritis, vt eorum memoria perpetuitate litterarum posteris prodatur, & est aliqua librorum, qui rerum vtilium caussas artificio & via tradunt, aeternitas, ex qua verae laudis nonnihil redundare in honestatem recte factorum possit. Quid, quod etiam diuturnior tutiorque est memoria litteris consignata, quam quae alius generis operum e pulcritudine, maiore in praesens specie, amplioreque impendio, sed minus fere feliciter exsistit. Id autem vsuuenit ac

spera-

speratur, non dicam ob TVAM quoque de litteris sententiam; qui enim tot bonis instructus illas non adames? sed praeterea sapientissimi ferme cuiusque per industriam, qui, siue negotio fessus, siue in otio vacuus, monumentis litterarum, earumque dulcedine, plurimum ducitur, easque, tanquam religiosas ingenii bonaeque mentis reliquias, in musei sacrario dedicat studioseque colit. Quamobrem, dum iustum & aequum hominibus curae erit, dum iurisprudentiae veteris volumina legentur, TVVM felicissimum nomen, praeterquam quod aliis maioribus dignioribusque monumentis, his etiam officinae meae, victuris tamen, vt spero, chartis consecratum durabit. Admittatur in hanc desiderii communis vsuram posteritas, vti, quemadmodum TE nos, quia nouimus, non amare non possumus, sic illi, qui futuri sunt, simul per nos norint, nunquam desinant amare. Id autem fore, benefacta iam nunc TVA TIBI, quibus cotidie plurimi fruuntur, non grauate promittunt. Per ea consecutus es, vt, quanquam vetusti generis in TE splendor praefulgeat, quanquam summi numinis prouidentia coeptis ex merito adspiret TVIS, nihil tamen videaris, neque maiorum dignitati, neque fortunae debuisse. Tanta enim cum sint, quae in TE sunt bona, atque illa quidem propria & perpetua, ab his nimirum multo rectius, quidquid accedit decoris, potest repeti, quam ab illis fluxis & communibus, eo TIBI modestius, quo es ipse maior atque clarior, aestimandis. Religiose pieque agnoscendae sunt, quas in TE ornando de TE sententias tulerunt, & olim, cuius nobis sancta est memoria, AVGVSTVS PATER, & nunc, POTENTISSIMVS REX NOSTER, quod ful-

gentis-

gentissimum prosperrimumque sidus quam diutissime Saxoniam Germaniamque totam, votis omnium petitum, & valebunt vota, illustrabit. Regios inter amicos cum eximio, cum priore loco esses, adquiesceretque in prudentia TVA exquisita sapientissimorum consiliorum ratio, quis perspecta bonitate ac liberalitate TVA non est gauisus? cuius felicitatis fructum interea non percepit Saxonia?

Multos enim, cum in tutela TVA spes reponerent suas, fides TVA, & in ornanda virtute diligentia, recreauit. Multos, ne abs TE tristes recederent, ipsa vultus TVI singularis comitas liberalitasque erexit. Bonitate autem atque humanitate quando nihil est in terris praestantius, quando tot mala, quibus mortales a natura exercentur, leuari his maxime artibus possunt: nullum ad beneuolentiam vinculum eo vitae TVAE perpetuo instituto inter omnes arctius habebatur. Eorum e numero, qui plurimum obstricti sunt TIBI, si me non eximam, nec peculiari quodam clientelae in loco putem, mihi ipse quidem, & grati animi iudicio, non videor satis fecisse. Contra, si me eximam, vt qui vnus prae ceteris maxima debeam, sane vereor, ne amplitudini meritorum in tot alios TVORVM hoc ipso detraham. Siue igitur multorum quasi publica vota, quae sunt multorum, siue mea concipi, pro perpetuanda salute TVA, huius epistolae verbis putabis: silentio profecto premere nolui, quae dudum in pectore nuncupaui, fauore beninitate que TVA permotus.

Seruet TE deus propitius, saluumque multos in annos praestet. In eo vero bonorum omnium summa, sat scio, praestabitur. Quidquid enim addi ad salutis TVAE votum posse videbitur,

debitur, id quin virtutibus TVIS permitti poſſit, non eſt dubium, Illarum beneficio conformata moribus fortuna ſemper conſtabit. Hoc enimuero in veſtibulo voluminis huius, tanquam in publico, teſtor, abunde fortunatus, ſi ſimul libro ad bibliothecam TVAM, quam munifice, vt omnia ſoles, inſtruis, detur aditus, ſimul mihi perpetuus in parte gratiae TVAE locus.

REVERENDISSIME ILLVSTRISSIMEQVE COMES
EXCELLENTIAE TVAE

Lipſiae, d. XXV. Aug. a. C.
cIↃ IↃCCXXXVIII.

deuotiſſimus
MAVRITIVS GEORG. WEIDMANN.

C. H. J. Fehling del. Sysang sc.

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM

IOAN. DAN. RITTER

IN ACADEM. LIPSIENS. PP.



IN restituendis iis, quæ hoc Tom. III. Cod. Theodoſ. continentur, eam adhibui adcurationem, vt nihil ſupereſſe videatur, quod Lectores morari valeat. Duo tantum occurrerunt, quæ prætereunda non duxi, ne nonnullis, leges huius voluminis curatius penſitantibus, ſcrupulos ea iniicerent. Primum verſatur circa rem magni ponderis, quamque eruditiſſimus ANTON. PAGIVS inter vexatiſſimas numerauit: Alterum, quamuis momenti minoris ſit, notatu tamen dignum viſum eſt.

Sed ad rem. Decantatum dudum, omnem Romanum Orbem diuiſum Seculis mediis in quatuor Præfecturas Prætorio, quarum duæ in Occidentis, atque totidem in Orientis fuerunt imperio. Sed ſi *annum CCCLXXX*, attentius paullo conſideramus, in legum eo anno emiſſarum vulgata inſcriptione, non ſine multa admiratione in Orientis imperio, quod Theodoſius M. adminiſtrabat, eodem menſe, eodemque die, quatuor Præfectos Prætorio aduertimus. Rem ſane inauditam: hinc laudatus PAGIVS *in Critic. ad Annal. Baron. ad an. CCCLXXXX. num. 3.* ſcribit: *Mirum, eodem anno (380.) iisdem ſæpe menſibus leges a Theodoſio directas ad quatuor Præfectos Prætorio, ad* NEOTHERIVM *nempe,* EVTROPIVM, FLORVM *&* TATIANVM, *vt videre eſt in Chronologia Cod. Theodoſiani, anno CCCLXXX. quod a Gothofredo non animaduerſum, & cuius rei cauſa mihi incomperta.* Et certe GOTHOFREDVS meus id ſibi perſuadere potuit, vir alias oculatiſſimus: ita enim ille in *Chronico Hiſtor. dict. an. Præfecti Prætorio ſeptem his Conſulibus memorantur, quatuor ſub Theodoſio Imp.* EVTROPIVS, NEOTHERIVS, FLORVS *&* TATIANVS, *nam quæ leges ad eos datæ ſunt, dicuntur datæ Theſſalonicæ, Hadrianopoli & Conſtantinopoli, item PP. Antiochiæ.* Poſtremum, cum ita ſe habeat omnem coniecturam remouet, quam facere forte quis poterat, Præfectos Prætorio nimirum duo ad Orientem, duo ad Occidentem pertinuiſſe; quæ cogitatio tamen vana eſſet, cum *Gratianus* atque *Valentinianus AA.* inter ſe diuiſum Occidentis imperium, tenerent, &

occurrant præterea dicto anno tres Præfecti Prætorio in Occidentis partibus. Videamus leges, que nescio quam subitam, & a nemine veterum dictam in imperio Romano mutationem, tradere nobis debebunt. Sequentes illæ sunt: *L. 8. & 9. de bonis proscriptor. L. 2. ad Leg. Iul. Repetundar. L. 6. de Sponsal. L. vn. si prouinc. rector.* quæ omnes *datæ XV. Kal. Iul. Thessalonicæ* anno CCCLXXX. præferunt in inscriptione nomen EVTROPII PP. Succedit *L. vn. si quacunque prædit. potestat.* eodem die atque loco data, sed ad NEOTHERIVM PP. Item *L. quicunque, de iis quæ administrantib.* inscripta FLORO PP. tandemque *L. 3. Cod. Iust. de litigios.* directa ad TATIANVM PP. vtraque etiam iisdem Coss. die eodem, & in eadem quoque Thessalonicensum ciuitate data. Vltima præterea propter insignem vtilitatem quam præstare debebat, aut propter necessitatem, denuo repetita aut praelata Constantinopoli, docente id subscriptione: *Dat. XV. Kal. Iul. Thessalonicæ, it. rursus Constantinopol. XIII. Kal. Ian. Gratiano V. & Theodosio AA. Coss.*

Habemus ergo in harum legum inscriptionibus expressos vno eodemque die Præfectos Prætor. quatuor, qui ad Orientale pertinuerint Imperium. Verum id ἐκ τῶν ἀδυνάτων est, neque romani imperii forma admittit. *Neotherium* PP. Orientis fuisse, *anno CCCLXXX.* satis docet *lex 9.* huius Cod. *de Tironib.* atque quæ cum hac coniungenda est, *lex 3.* Cod. eod. *de desertoribus*, quarum prior dicitur *PP. VI Kal. Mai.* altera, *III Kal. Mai* ANTIOCHIÆ, hoc *an. 380.* Qui locus legibus additus accuratissimo est indicio, administrasse hunc Neotherium *Orientis Prouincias.* Magistratus enim, non nisi in iis, quibus præfecti erant Prouinciis *proponere* leges potuerunt. In *d. leg. 9.* Theodosius M. suppleri militares iussit numeros, *agitatis ex opportunis regionibus supplementis*, cum Gothicum immineret bellum, atque barbari antea legionibus romanis adscripti, fidem datam fefellissent, magnoque numero transfugæ facti, prodentes statum Reipubl. Rom, dedissent damna. Habes historiam huius rei apud ZOSIMVM *lib. 4. cap. 30. 31. & 32.* quam dum attentius lego, non puto per *opportunas regiones* intelligendas prouincias, quarum coeli plaga ad robur & corporum & animorum plurimum valeat, quod Gothofredo meo placet, verum mihi videtur respicere Theodosius M. eas regiones, quæ fide aduersus Rempubl. Roman. insignes erant, barbaros detestans omnes, quorum allectio in numeros tantum iam incommodum imperio creabat. Altera *l. 3.* aduersus *desertores* est, qui copiosi per Orientis tractus omni tempore fuerunt, quod nemo nescit, qui Augustæ historiæ scriptores euoluere solet.

Neotherius hic, cum *anno 380. PP. Orientis* fuerit, quod dictæ leges aperte demonstrant, vtpote *Antiochiæ* propositæ, prono fluit alveo *Eutropium* Præfecturam Prætorianam *Orientalis Illyrici* administrasse, quod Theodosio M. in imperii diuisione concessum fuerat, vti indubitatis probauit argumentis laudatus PAGIVS *in Crit. ad Annal. Baron. ad an. 380. num. 8.* Id quidem Gothofredo non visum fuit, qui in Prosopograph. Cod. Theod. expresse scribit, Eutropium fuisse anno 380. & 381. PP. Orientis. Verum præterquam, quod nihil habeat, quo suam posset stabilire sententiam, ipse sibi etiam contrarius fuit, partim in not. b. l. 10. huius Cod. de Tironib. partim in eius leg. Commentar. quæ lex aduersus murcos data est, quorum magnam fuisse in Illyrico copiam, eadem ostendit. Cum vero ab anno 380. Gothorum irruptiones in Illyrici tractus fierent, quod Zosimus habet, loco supr. citat. hac ipsa lege Theodosius M. Præfecto Illyrici in mandatis dat, quid circa hos murcos obseruari velit. Quam legem recte notat Gothofredus ad *Eutropium PP. Illyrici*, & *in Illyrico* etiam, *Datam, Non. Septembr.* HADRIANOPOL. *Eucherio & Syagr. Coss.* Eodem anno datam *leg. 1. de Censitorib.* ad eundem *Eutropium*, cuius verba hæc sunt, *Si quis sacrilega vitem falce succiderit, aut feracium ramorum fetus hebetaverit, quo declinet fidem censuum, & mentiatur callide paupertatis ingenium, mox detectus, capitale subibit exitium, & bona eius in fisci iura migrabunt &c.* nullo modo ad Orientem, sed *ad Illyrici prouincias* pertinere statuo. Duo sunt quæ mouent: primum est, quod Illyrici prouinciæ vitium essent magis feraces, magisque cultæ eæ ibi a multo iam temporis spatio fuerint, quam in Orientis partibus: alterum suppeditat ZOSIMVS *d. lib. 4. cap. 32.* narrans inter medios belli Illyrici strepitus Theodosium rigidissime tamen censum exegisse a *Macedonibus* & *Thessalis.* Αὐτὸς δὲ, ὡς οὐδενὸς λυπηροῦ ταῖς ἐν Μακεδονίᾳ πόλεσι καὶ Θεσσαλίᾳ συμβεβηκότος, ἐφίστη τοὺς τῶν δημοσίων πράκτορας φόρων, εἰσπράξοντας τὸ τελούμενον εἰς πᾶσαν ἀκρίβειαν· καὶ ἦν ἰδεῖν, ὃ διὰ τὴν τῶν βαρβάρων φιλανθρωπίαν περιλελειμμένον ἦν, ἐκφορούμενον· οὐ γὰρ χρήματα μόνον, ἀλλὰ καὶ γυναικεῖος κόσμος, καὶ ἐσθὴς πᾶσα μέχρι καὶ αὐτῆς (ὡς εἰπεῖν) τῆς τὴν αἰδῶ σκεπούσης, ὑπὲρ τῶν τεταγμένων ἐδίδοτο φόρων. Καὶ ἦν πᾶσα πόλις, καὶ πᾶς ἀγρὸς, οἰμωγῆς καὶ θρήνων ἀνάμεστος, τοὺς βαρβάρους ἁπάντων ἀνακαλούντων, καὶ τὴν

ἐξ ἐκεί-

ἐξ ἐκείνων ἐπισπωμένων βοήθειαν καὶ τὰ μὲν Θεσσαλῶν καὶ Μακεδόνων, ἐν τούτοις ἦν. *Ipse quasi nil triste Macedonicis ac Thessalicis oppidis accidisset, publicorum tributorum exactores instituit, qui omnino rigide pensiones tributarias exigerent. Eratque videre totum hoc, quod humanitate barbarorum relictum fuerat, in censum erogari. Non enim pecunia duntaxat, verum & mundus muliebris, & omnis vestitus, usque ad illam (prope dixerim) vestem, qua pudenda teguntur, indictorum nomine tributorum conferebatur: & omne oppidum, omnis villa ploratu & lamentis erat plena, barbaros inclamantibus vniuersis, & eorum opem poscentibus. Atque hoc in statu Macedonum Thessalorumque res erant.* Ex his satis est intelligere, miseros *in Illyrico Prouinciales* ab vna parte a barbaris vexatos, ab altera vero a fisci exactoribus, maluisse vites falce succidere, frugiferasque arbores perdere, & ita *declinare censum, mentirique paupertatem,* quam post tot labores impensos, bonis omnibus exui. Hinc illa seuerissima pœna *cit. leg.* 1. in censum declinantes & paupertatem fingentes. Adducit quidem Gothofredus *in Prosopograph.* duas Gregorii Nazianzeni *Epistolas, 137. et 138.* in quarum priore, Εὐτρόπιος ὁ μέγας, & Ἄρχων audit, in altera *Eutropium* ὑψηλόλατον tenuisse θρόνον, eique Gregorium in Asia fuisse obuiam factum, narratur: quæ, si quis eas oculo tantum fugitiuo inspiciat, docere videntur *Eutropium Orientis PP.* fuisse, in primis cum dicta *Epist. 138.* legamus: Ἐμὲ γοῦν πρὸς πᾶσιν οἷς τετίμηκας οὖσι τοσούτοις ἡνίκα τὸν ὑψηλότατον εἶχες θρόνον ἔχοντα τὸ ἐπίφθονον ἔτι, κατὰ τὴν Ἀσίαν περιτυχὼν, εἴ τι μέμνησαι. *Me quippe, præter eos omnes, quos cum tales essent, honore affecisti, cum sublimissimum thronum adhuc inuidia flagrantem, teneres, atque in Asia obuiam tibi factus fuissem, si memoria tenes.* Hæc Gothofredum etiam seduxerunt *in Prosopographia*, vbi scribit, *clare ostendere Gregorium, Eutropium PP. fuisse.* Verum id ex his verbis nemo elicere poterit. Scribit enim Gregorius *se Eutropio in Asia obuiam factum,* cum sublimissimum thronum teneret: cum vero Eutropius ab *anno demum 380.* & sequenti, Præfecturam Prætorianam gesserit, vti patet ex legibus vtriusque Codicis; & Gregorius tam *anno 380.* integro, quam *anno 381.* in vrbe Constantinopolitana, tanquam eius ciuitatis electus, & in Concilio *anno 381.* ibidem habito, confirmatus Episcopus degeret, Eutropio in Asia obuius fieri eo tempore nullo modo potuit. Et licet Episcopus mox finito Concilio *an. 381.* abitum ex vrbe parauerit, locumque fecerit Nectario, *Eutropium* tamen eo anno vt *priuatum* in Asia conuenire etiam non poterat, quo ille integro dignitate PP. vsus est. Priuatam autem eum vitam tum tenuisse vtraque epistola testatur, & locus mox citatus aperte demonstrat. Denique, quod maximam meretur attentionem, *Epistola 138. in fin.* Gregorius *Eutropium* altiore dignum dignitate esse, profitetur, cum virtutes eius summum attigerint iam fastigium; id vero scripsisse inane erat, si Eutropius iam tum in altissimo fuisset loco positus, & ea conspicuus dignitate, quæ ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα est. Tandem vrgeo ea, ex loco superius adducto, θρόνον ἔχοντα τὸ ἐπίφθονον ἔτι, quæ cum Præfectura Prætoriana non conueniunt. Quæ cum ita se habeant, facile patet, recte vidisse Cl. Valesium *in not. ad Marcellini lib. 29. cap. 1.* (vbi de Proconsulari Asiæ potestate, quam *Eutropius* sub Valente obtinebat, sermo est) Gregorii Epistolas Proconsulatus honorem tantum innuere.

Vidimus, qui fuerint PP. in Orientali imperio *anno 380.* Erant autem *Præfecturæ duæ* tantum, altera *Illyrici*, altera *Orientis:* & his suos magistratus adsignaui. At quid sibi volunt vno eodemque die *Florus* & *Tatianus* PP. Præfert *Florum* lex *quicunque de iis quæ administrantib.* Sed illa inscriptio aperte falsa est, quod Gothofredus etiam subodorabatur ibid. *not. b.* scribens: *mihi tamen videtur hæc lex protinus inscribenda Eutropio PP.* Dedit autem errori occasionem *lex sequens numerarii eiusd. tit.* quæ huic *Floro* inscribitur PP. sed *anno* demum *382.* quo ille in hac dignitate constitutus fuit. Anno autem *380.* erat tantum *Florus Magist. Officiorum*, quod aperte docet *lex 3. de agentib. in reb.* vno die ante *d. l. quicunque* & in eadem ciuitate, nimirum *XVI. Kal. Iul. Thessalonicæ*, data. Quod si hoc pensitauerit quis paulo curatius, is statim sibi persuadebit, vnum diem non sufficere, vt deposita quis M. O. dignitate, apice illo dignitatum, siue Præfectura Prætoriana ornari, & Edictorum imperatoriorum ei executio committi possit. Est itaque inscriptio *dict. leg. quicunque*, falsissima, & ex librariorum fœda ignorantia orta, qui cum viderent scriptum *ad Florum MO.* & lege proxime sequente *ad Florum PP.* dignitatem *M. O.* cum *PP.* commutarunt. Quod facile fieri posse Codices mei fidem faciunt, in quibus *mo*, & *ppo*, aut *po.* vbique scriptum est. Hoc autem quod asserui, veritati esse conuenientissimum, demonstrat *lex 6. de curios.* hui. Cod. sequentis *anni 381.* initio ad hunc *Florum* data, in cuius inscriptione expressis verbis audit *Magister Officiorum.* Sub finem enim *anni 381.* Florus hic Præfectus Prætorio factus est, vti probant leges eo anno datæ, quas vide in *Chronologia.*

His

His ſtabilitis, non opus eſt, quod Gothofredo meo placebat, in *d. l. quicunque*, *Flori* nomen vt expungatur. Theodoſii M. enim conſtitutio, contra eos, qui a prouincialibus, ſiue donatione ſiue emptione quid expreſſerant, ad varios fuerat emiſſa magiſtratus, ad *Neotherium* & *Eutropium PP*, ut docet *not. a. d. l.* & ad hunc etiam *Florum Mag. Off.*

Ad *Tatianum* propero, quem *lex 3. Cod. Iuſt. anno* ſæpius memorato *380. Præfectum Prætorio* nobis obtrudit. Verum & hanc legem medela indigere, vitioque laborare inſcriptionem, mox clarum fiet. Etenim *Tatianus* ante *annum 388. PP.* non fuit, verum dicto demum anno ſucceſſit Cynegio, quod adeo manifeſtum ex Zosimo, vt non poſſit non omnis concidere dubitatio. Ita autem memoratus hiſtoricus *lib. 4. cap. 45.* Διὰ τῦτο ἐπειδὴ Κυνήγιος, ὁ τῆς αὐλῆς ὕπαρχος, ἐπανιὼν ἐξ Αἰγύπτυ, κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν ἔτυχε τεθνεὼς, ὅντινα δέοι προςήσασθαι τῆς αὐλῆς ὕπαρχον, ἀνεζήτει· καὶ πολλὺς πολλάκις ἀνασκοπήσας, εὗρε τὸ τελευταῖον ἄνδρα πρὸς τῦτο ἁρμόδιον· μετακαλέσας τοίνυν ἐκ τῆς Ἀκυληΐας Τατιανὸν, ἤδη μεν ἄλλας ἐπὶ Οὐάλεντος ἐγκεχειρισμένον ἀρχὰς, ἄνδρα δὲ ἐν πᾶσι σπυδαῖον, ἀναδεικνύει τῆς αὐλῆς ὕπαρχον ἐν τῇ πατρίδι. καὶ τὰ τῆς ἀρχῆς σύμβολα πέμψας αὐτῷ, τὸν παῖδα τὸν αὐτῦ Πρόκλον τῆς πόλεως ὕπαρχον κατέςησεν. *Ob eam cauſam mortuo in itinere Cynegio Præfecto Prætorii, cum ex Ægypto reuerteretur, quemnam Præfectum Prætorii conſtitueret, diſpiciebat. Cumque multos multoties conſideraſſet, tandem virum ad hoc idoneum reperit. Arceſſitum igitur Aquileia Tatianum, qui & alios ſub Valente Magiſtratus geſſerat, & erat in omnibus virtute ſingulari præditus, Prætorii Præfectum in patria declarat, emiſſis ad eum magiſtratus inſignibus, filio ipſius Proculo Præturam Vrbanam tradit.* En ſcribit, *qui & alios magiſtratus geſſerat*, indicaturus hoc demum tempore Præfecturam Prætorianam ei delatam, quod & confirmant plures huius Codicis leges. Reſcribendum autem in *d. l.* 3. Cod. Iuſt. *Tatiano CSL.* (quam dignitatem eum geſſiſſe notum ex legibus huius Cod. quas Gothofredus adduxit in *Proſopographia*) vti ipſa legis verba euincunt; *Quicunque rem litigioſam, vel ambiguum chirographum, quodlibet denique mobile vel immobile fiſco noſtro legauerit.* Etenim Comes S. L. de omnibus cognoſcebat, quæ ad fiſcum pertinebant, quod adeo notum eſt, vt vanum eſſet hic loca cumulaſſe. Monendum denique cenſeo, *l. 16.* hoc Cod. *de accuſat.* quæ *data Honorio NB. P. & Euodio Coſſ.* i. e. iam *anno 386.* præferre quidem *Tatianum PP.* Sed & eius inſcriptio in mendo cubat, quod indicauit iam Gothofredus, qui aut *Cynegium* reponendum eſſe, aut annum ſubſcriptionis plane mutandum, ibidem ſtatuit. Et recte: niſi quis mallet ibi quoque reſcribere *Com. S. L.* Certe in prima Cuiaciana, & Editione illa, quæ in Quarto prodiit, nudum tantum *Tatiani* nomen legitur. Potuit tamen & hic, vt alibi, a librariis fieri confuſio, cum *lex antecedens 15.* eius tit. *Cynegio PP.* & *ſequens 17. Tatiano PP.* ſed vltima demum *anno 390.* inſcripta legatur. Liberrimum ego cuiuis hac de re permitto iudicium; mihi ſufficit demonſtraſſe *Tatianum* ante annum 388. Præfectum Prætor. non fuiſſe. Ita vero colliges L. B. ſolutum eſſe ſcrupulum, quem magni vir ingenii mouerat, & Orienti adſignatos *anno 380.* duos *PP.* quos tantum forma imperii requirebat.

Alterum, quod Te ignorare nolo, ſpectat *affectata Gothofredi Opera*, quorum in hoc Tomo mentionem fecit, ſed lucem nunquam viderunt, & forte cum tineis & blattis luctantur. Præteriri vero ea ſilentio hic non poterant, partim, ne Lectores confunderentur, dum ad ea prouocat Gothofredus, aut in iis latius ſe expoſiturum promittit: partim quod Clarissimvs Avctor, qui nuper vitam Gothofredi eleganter concinnauit, ea prætermiſerit. Obſeruaui autem, meditatum eum eſſe. I. *Obſeruationes in Obſeruationes Cuiacii.* II. *Francica.* III. *Statum Imperii Romani.* IV. *Orthographiam Codicis Theodoſiani.* V. *Animaduerſiones in Appendicem Codicis Theodoſiani Cl. Sirmondi.* Ad hæc ſcripta in hoc Volumine Gothofredum prouocaſſe animadvertet ſedulus Lector, quorum tamen nullum hodie exſtat. Et hactenus Te moratus ſum L. B. quid enim præſtiterim in hoc Tomo, & in ſupplendis lacunis, & locis reſtituendis lubens prætereo. Tv vero dum animum ad legendum applicas, benigne iudica, & conatibus porro faue atque Vale. Dabam Lipſiæ e Muſeo Iↄ cIↄ ccxxxviii. Idib. April.

CODICIS



CODICIS P. 1.

THEODOSIANI

LIBER NONVS.

DE CRIMINIBVS, deque PROCESSV CRIMINALI.

NONI LIBRI TITVLI.

DE ACCVSATIONIBVS ET INSCRIPTIONIBVS. *

TITVLVS I.

Huic vni *Titulo* respondent duo Codicis Iustinianei: *Lib. IX. Tit. 1. De his qui accusare non possunt. Tit. 2. De Accusationibus & Inscriptionibus.*

* *Descriptionem* quoque *criminis* dixit Apuleius *initio Apol. pag. 242. edit. Lugd. B. Iean. Maire, an. 1622.* Hic vero *Inscriptionis* mos hodie abolitus.

PARATITLON.



ACCVSATIO *Rubr.* dicitur & Criminatio, *l. 5. h. t.* Suprema actio, *d. l. 5.* Contestatio, *l. 8. inf. de famos. lib.* actio, *l. 3. in fin. h. t.* criminis, *l. 1. 10. h. t.* Criminis publici, *l. 3. h. t.* Criminalis causa, *l. 1. h. t.* Publicæ quæstionis, *l. 3. h. t.* Strepitus accusationis, *l. 1. infra de abolition.* Accusatores alii quandoque exciti & quidem præmiis, vt *l. 4. h. t.* & *l. 11. infr. de maleficiis, l. 2. 5. infr. de falsa moneta, l. 1. infr. de raptu virgin. l. 6. infr. ad leg. Iul. repetund. l. 21. inf. de pœnis, l. 3. 4. sup. de desertoribus.* Accusandi vero facultas non omnibus, neque passim permissa erat. Mulieres scil. suam, suorumque iniuriam persequi tantum possunt, *l. 3. h. t.* Item confessi de se etiam in quæstione, interrogari de sociis, vel sponte eos accusare non possunt, *l. vlt. h. t.* Liberti item patronos, eorumue hæredes deferre prohibentur, *l. 2. sup. de libertis:* Serui Dominos de quibus *suo titulo hoc eod. lib. tit. 6.*

Accusationes autem institui, seu iudicia criminum fieri, agitari, *l. 10. 16. h. t.* IBI, seu intra eius prouinciæ terminos, *d. l. 10. 16. h. t.* debent, vbi facinus admissum dicitur: etiam cum Senator accusatur: sine fori præscriptione, *l. 1. h. t.* quod ius tamen postea immutatum est, de Senatorio quippe crimine Iudex cognoscere quidem potuit, at non item animaduertere: Sed vel ad Principem referre cogebatur, vel ad Præfectum Vrbi ex suburbanis prouinciis: ex aliis ad Præfectum Prætorio, *l. 13. h. t.* Certe prouincialium querelis aduersus Iudicum, Comitum, amicorum, vel Palatinorum suorum admissa Constantinus M. audientiam suam & cognitionem pollicitus est, *l. 4. h. t.*

ORDO autem accusationis *l. vlt. h. t.* Ordo iuris, *l. 8. infr. de famosis lib.* seu solemnia, *l. 9. h. t.* hæc erant: Præsens accusator in iudicium venire, seu iudiciis adesse debebat, *l. 17. 19. h. t.* etiam potentior, *d. l. 17. h. t.* Nomen rei mox indicare debebat, *d. l. 19. seu vlt.* Tum Inscriptio in crimen sequebatur, seu exigebatur, *Rubr. l. 8. sup. de iurisdict.* & *l. 4. inf. de custod. reor. l. 2 4. ad leg. Corn. de falso: l. 2. infr. vt intra annum: l. 2. inf. ad L. Iul. de adulter.* De eadem vid. & *l. 61. de appellationib.* seu subscriptio *l. 5. h. t.* Scriptio, *l. 2. inf. de*
P. 3. *abolit.* (vnde Inscriptus pro accusato, *d. l. 2. infr. de abolition.* & inscriptione conscriptus accusator, *l. 8. h. t.*) in omni genere accusationis, *d. l. 2. infr. ad L. Iul. de adulter.* etiam seruo alieno accusato, *l. 14. h. t.* iure veteri, *l. 5. h. t.* secundum formam antiqui iuris, *l. 9. h. t.* vnde subscriptionis MOS & ORDO, *d. l. 5. h. t.* non sola professio, *l. 5. h. t.* ab omni accusatore etiam potentiore, *l. 17. h. t.* exigebatur. Hinc & solemnia, pro Inscriptione. *l. vlt. infr. ad L. Corn. de falso:* & solemnitas iuris, *l. 3. infr. ad L. Iul. de vi:* Solemni lege se vincire, *l. 3. infr. de exhib. reis,* Solemnia inscriptionis, *l. 4. inf. de cust. reor.* Inscriptionis necessitas *l. 2. infr. ad Leg. Iul. de adulter.* Neque ante subscriptionem factam, accusatus rei conditionem sustinebat, neque exhiberi à Iudice iuberi poterat, *l. 8. 9. h. t.* neque in carcerem mitti, *l. 4. infr. de custod. reor.*

Ratio subscriptionis huius redditur *l. 5. h. t.* Effectus hi erant: vt sub eadem custodia accusator, qua reus, contineretur: *l. vlt. h. t.* & *l. 3. infr. de exhib. reis:* vt si causam non teneret, non probaret, si falleret, Talionis pœnam subiret: *l. 9. 11. h. t.* in accusatorem pari forma sententiæ damnatio referretur, *l. vlt. infr. de abolition.* quæ par pœnæ conditio dicitur, *l. 14. h. t.* pœna reciproci, *d. l. 3. inf. de exhib. reis,* congrua pœna, *l. 11. h. t.* Similitudo supplicii, *l. vlt. h. t.* & breuiter alterutram partem legum austeritas tenebat, *d. l. 8. sup. de iurisdictione.* Hinc Inscriptionis vinculum, *l. 11. 14.* & *l. vlt. h. t. l. 2. ad leg. Iul. de adulter. leg. vlt. de exhibend. reis.* Legis vinculum, *l. 61. infr. de appellationib. l. 3. de exhib. reis:* Dignus & meritus horror Inscriptionis, *d. l. 8. sup. de iurisdictione.* Laqueo legis se adstringere, *l. 2. infr. de abolition.* In pœnam reciproci stilo trepidante recauere, *d. l. 3. infr. de exhib. reis,* solemnia Inscriptionis in Codice publico implere, *l. 4. infr. de custod. reorum.* Et propter hanc causam etiam suo nomine, non emendicatis suffragiis Decurionum,

rionum, Decurio suam iniuriam aduersus Rectorem prouinciæ persequi debebat, l. 15. h. t. Verum inscriptio aliquando remissa fuit: rursum aliquando posita fuit in arbitrio Iudicis, *l. 2. & vlt. ad L. Cornel. de falso, & l. 5. hoc tit.* Non omne enim semper crimen inscriptionem in Codice publico requirebat, vt in interdicto *possessionis momentariæ l. 8. de iurisdict.*

Nunc de reis. Ad probandam innocentiam eorum acta criminalia ipso iure edi debebant, neque ea impetrari à Iudice necesse fuit, *l. 6. h. t.* Contumaces absentes anni spatio post accusationem factam, innocentes licet bonis suis multabantur; nocentes vero seueriori supplicio & pœna subiugabantur, *l. 2. h. t.* Accelerari item iudicium reorum delatorum & custodia inclusorum, leges iubent, *l. 7. 18. h. t.* Memoria quoque quandoque defuncti accusari potuit, *l. 40. infr. de hæreticis.*

De FORO *Senatorum in causis Criminalibus, coram Iudice ordinario.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Octauianum (b) Com. Hispaniarum. (c)

QVICVMQVE Clarissimæ (d) dignitatis, virginem rapuerit, vel fines aliquos inuaserit, vel in aliqua (e) culpa seu crimine fuerit deprehensus, statim (f) intra Prouinciam, in qua facinus perpetrauit, publicis legibus subiugetur: (g) neque (h) super eius nomine ad Scientiam Nostram referatur; nec Fori (i) præscriptione vtatur: *Omnem enim honorem* (k) *reatus excludit* * cum criminalis causa, & non ciuilis res vel pecuniaria moueatur. (l) Dat. prid. Non. Decemb. (m) Serdicæ. (n) Accepta V. Non. Mart. Cordubæ (o) Gallicano & Basso Conss. [317.]

INTERPRETATIO. *Quicumque* (p) *damnabile, vel puniendum legibus crimen admiserit, non se dicat in foro suo, id* (q) *est, in loco vbi* (r) *habitat, debere* (s) *pulsari, sed vbi crimen admissum est, ab eius loci Iudicibus vindicetur, nec de eius persona ad Principem referatur.*

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iust. vbi Senatores vel Clarissimi ciuiliter vel criminaliter conueniantur.* Fugitiua autem est hæc *Lex* ab hoc *titulo*, meliusque posita sub *tit. de iurisdict.* GOTHOFRED.

(b) *Octauiano* huic Comiti Hispaniarum, inscribitur & hoc eodem Anno altera *Lex. 4. infr. de Decurion.* ID.

(c) *Comites Hispaniarum* duos tantum reperio *hoc Cod.* eosque sub Constantino M. præter Octauianum hunc scil. *Seuerum* A. D. 333. 334. 336. Vid. *Chronolog.* ID.

(d) Id est, Senatoriæ dignitatis. Τρίβων. hunc locum ita immutauit: *Quicumque non illustri sed clarissima dignitate tantum præditus*, propter Zenonis *l. 3. eiusd. tit.* ID.

(e) *Aliqua*, pro alia qua Vide *Glossar. Theod.* GOTHOFRED. Cod. Goth. legit, *fines aliqua culpa inuaserit, vel in aliquo crimine &c.* RITTER.

(f) *Statim*: vocem hanc induxit Τρίβων. in causa est *dicta Lex. 3.* Zenonis. GOTHOFRED.

(g) *Publicis* Legibus subiugari, est secundum publicas leges, quæ de publicis criminibus scriptæ sunt, iudicari, puniri. ID. Cod. Goth. *suppliciis legibus subiugetur.* RITTER.

(h) Tribonianus hanc sententiam, *neque super eius nomine ad scientiam nostram referatur*, induxit, in causa rursum dicta Zenonis *Lex 3.* GOTHOFRED.

(i) Vrbani, scil. ID.

(k) *Huiusmodi honorem*, Τρίβων: ex eius vero mente accipe nudum honorem Senatorium, non Illustrem. ID.

* Sequentia Tribonianus suppressit. ID.

(l) Mouetur. ID. Cod. Goth. *& non ciuiles res, vel pecunia moueatur.* Male MS. W. *peculiaria.* RITTER.

(m) Cod. Iust. *VI. Non. Decemb.* MS. G. *III. Id. Decembr.* ID.

(n) *Serdicæ* hoc Anno 317. extitit Constantinus M. Vide *l. 1. inf. ad Leg. Iul. de vi.* Et sane hoc tractu ferme paulo post Constantinus primam de Licinio victoriam obtinuit, de quo ad *Leg. 1. sup. de Veteranis.* GOTHOFR.

(o) *Corduba*, Sedes fuit Comitis Hispaniarum sub Constantino M. ID.

(p) Senatorum in *sp. h. l.* quod Interpres hic neglexit. ID.

(q) Male fori præscriptionem hic interpretatur Interpres. ID.

(r) *Loco quo*, Cod. W. RITTER.

(s) *Publicari vel pulsari*, Cod. G. glossa. ID.

COMMENTARIVS.

P. 4. CONSTANTINI M. sex ordine Constitutiones sequuntur, circa Accusationes & Inscriptiones seu Iudicia criminalia. Hæc nominatim est de SENATORIBVS criminum reis, seu de FORO competente Senatorum in causis criminalibus. Igitur SENATOR quoque quorumcunque criminum reus Prouincialem forum & Iudicem ita sortiri, vt pœnam quoque statim excipiat, iubetur hac Constantini M. constitutione: & quidem per Hispanias, in sp. *huius legis* A. D. 317. *Senator*, inquam, & vt ipse Constan-

Constantinus M. ait, *quicumque clarissimæ dignitatis*, id est, quamcumque clarissimam dignitatem præ se ferat, etiam eam quæ (post Constantinum M.) inter cæteras summa, Illustris audiit. Quod postremum, vt Zenoni displicuit *l. 3. Cod. Iust. vbi Senatores:* ita Triboniano interpolandæ *huius legis* quatuor locis occasionem præbuit.

Criminum, inquam, *reus* Senator, ac nominatim raptor virginis aut finium (id est fundorum vicinorum forte) inuasorum reus. Hæc scilicet ferme crimina in prouinciis clarissimos, & Potentes obnoxios tenebant: Raptus, inquam, virginum, & violentiæ: Potens scilicet quisque, vt plurimum agrarius est mergus, vt de Pertinace e *versu Luciliano* dictum memorat Capitolinus *in Vit. eius cap. 9.* cum oppressis fœnore possessoribus, latius suos fines tenderet (ita enim *ibi* quoque legi potest *tenderet:* Tenderet, pro *extenderet:*) & more fluminum vicinos possessores vexaret.

Igitur Senator criminum reus in ipsa Prouincia in qua crimen admisit, statim coram Iudice ordinario, seu Rectore prouinciæ, non tantum accusari, verum & ab eodem puniri potest. Quod & ipsum etiam antea D. Claudius, mox & Diocletianus siue Constantius (Constantini nostri pater) speciatim statuerat in vnica illa violentiæ specie, de qua *l. 1. C. Iust. ne liceat potentiorib. Statim*, inquam; quare neque de eo ad se Principem referri vult Constantinus: Relationibus proinde ad Principem hac parte locus non est: Quod alioquin pro priuilegio quibusdam indultum fuit, videl. vt Iudices ordinarii de iis ad Principem referre deberent: videnda est Zenonis *lex 3. Cod. Iust vbi Senatores.* Et vero Senatoribus hoc quoque postea tributum fuit, *l. 13. infr. h. t.* Sed neque *fori præscriptione* Senator hac parte vti potest, quæ Senatoribus alioquin competit: Fori inquam vrbani, quasi ad vrbem & Præfectum vrbi remittendus. Nempe hoc seculo Senatorum proprius iudex fuit Præfectus vrbi regulariter. Excepta specialiter a D. Claudio & Constantio *d. l. 1. Cod. Iust. ne liceat potent.* & a Constantino M. *h. l.* crimina, in quibus Iudicem & vltorem Rectorem Prouinciæ Principes hi esse voluere, non obstante priuilegio generali Senatorum, vt indicat *d. l. 1 C. I.* de quo dicam plene ad *d. l. 13. infr.* quæ certe lex, huic nostræ contraria est, reducto iam Relationis iure ad ipsum Principem, vel diuiso etiam Relationis iure inter Præfectum Prætorio, & Præfectum vrbi.

In criminalibus igitur causis, Prouinciale forum, ex hac Constantini M. constitutione, Senator sortitur. Secus obseruandum in Ciuilibus seu pecuniariis causis: quod hæc *lex in f.* apertissime indicat: idque etiam manifeste ostendit *lex 4. supr. de Iurisdictione.* Senator enim, si a Prouinciali conueniretur, Præfectum vrbi iudicem habebat, *d. l. 4.* Quod tamen immutatum reperio, *l. 2. Cod. Iust. vbi Senatores:* De quo dixi *ad d. l. 4.* plenius. Hæc interim *lex* ostendit, quantopere Constantino M. curæ fuerit subditorum seu Prouincialium securitas a potentiorum iniuriis: & quidem in semotioribus potissimum prouinciis, cuiusmodi erat Hispania, quo pertinet hæc *lex:* Senatoribus inquam, tum ab vrbe Roma, tum ab ipsomet Principe Constantino, Serdicæ iam in Mysia constituto. Quo scilicet ab Vrbe, vel a Principe semotiores sunt prouinciæ, eo facilius Potentiores commeatum peccandi sibi facere solent: & quo id faciunt facilius, eo Rectoribus Prouinciarum in hos præsentior maiorque potestas esse debet. Item ex *hac l.* patet inter alia, quantopere hæc duo crimina Constantino M. inuisa fuerint in potentibus: stupra scil. & violentiæ crimen. De hoc posteriore testes quoque sunt eiusdem Principis *leges* variæ, puta *lex 1. 2. 3. infr. ad Leg. Iul. de vi*, & *l. 1. supr. vnde vi.* Tandem *huic leg.* convenit Symmachi locus *lib. 10. ep. vlt. Campano & Higino Clarissimis Viris violentiæ crimen obiecit. Continuo, vt seueritas exigebat, reos custodia militaris dissimulata dignitate circumdedit.*

De ABSENTIS *rei* CONTVMACIS *sese intra annum non sistentis, pœna.*

II. (a) Idem A. ad Ianuarium. (b)

QVICVNQVE, ex eo die, quo reus fuerit in iudicio petitus, (c) intra anni spatium noluerit adesse iudicio, res eius fisco vindicentur: &, si postea repertus, nocens fuerit deprehensus, sæuiori (d) sententiæ subiugetur. Sed etsi (e) argumentis euidentibus, & probatione dilucida innocentiam suam purgare suffecerit, (f) nihilominus facultates eius penes fiscum remaneant. Dat. Id. Ianuar. (g) Acc. V. Kal. Aug. Corintho, (h) Constantino A. V. & Licinio Cæs. CONSS. [319.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. de requirendis reis.* GOTHOFRED.

(b) *Ianuarium* hunc Proconsulem Achaiæ fuisse ostendit *huius Legis* Subscriptio. Dicitur enim ea *Accepta Corinthi*, quæ vtique Metropolis Achaiæ erat: Sic quoque hoc ipso Anno *Lex 1. sup. de denunt.* quæ data est ad Symmachum V. C. dicitur *Acc. Corintho.* Vocatur *Ianuarinus in L. 1. infr. de abolition.* ID.

(c) *Petitus*, id est adpetitus, citatus. ID.

(d) *Seueriori*, Cod. Iust. sed *sæuum* & *seuerum* sæpe apud antiquos, & recentiores coniungi, advertes. RITTER.

(e) *Sed si*, Cod. Iust. male. GOTHOFRED.

(f) *Purgare suffecerit*, i. purgauerit, purgationem plenam præstare voluerit. C. Iust. *purgauerit.* ID.

(g) Malim, *Iun.* ID. Vix enim credibile est, quod etiam Noster in *Chronolog.* animaduertit, vt septimo post mense demum hæc Constitutio Corinthum venerit. Certe cum scimus Constantinum hoc anno semper in Pannonia & Dacia constitisse, vid. *Chron. histor.* (quamuis aliud velit Valesius in Gestis Francorum) & Anton. Pagi *in Crit. ad Annal. Bar. h. a.* rectius omnino hic *Id. Iun.* legendum esse quilibet iudicare poterit. RITTER.

(h) Absunt hæc *Acc. V. Kal. Aug. Corintho*, a *Cod. Iust.* Similis subscriptio *Legis 1. supr. de denunciat vel editione rescript.* & quidem hoc ipso anno, vt modo dixi. GOTHOFRED.

COMMEN-

P. 5. COMMENTARIUS.

In Absentes Contumaces reos (de quo est solemnis alioquin *lex 5. D. de pœnis*) est hæc Constantini M. Constitutio: Contumax scil. reus, in iudicio criminis delatus & petitus (id est citatus edictis) si intra annum a citatione sese iudicio non sistat, ex hac Constantini M. constitutione duas pœnas patitur.

Prima est, ratione bonorum, quod bona eius ita fisco vindicentur, vt etsi innocens postea deprehendatur, ea non recuperet. Contumaciæ hæc & absentiæ pœna est, quam nec innocens euitat. Et alioquin contumaciæ iam olim hæc pœna fuit, vt pignorum capione contumax multaretur, *l. 1. Cod. Iust. de requirendis reis.* Idque Mandatorum quoque caput fuisse testatur Modestinus in *l. vlt. D. de requirend. vel absent. damnand.* Annus porro hic computabatur a citatione, vt docet quoque *l. 4. in princ. D. dict. tit.* Verum & postea id abrogatum, *l. 29. infr. de petitionib.* restitutum rursus a Iustiniano, *l. vlt. Cod. Just. de requirend reis.* Moribus sane nostris id non obtinet.

Secunda pœna est, ratione supplicii: nempe quod nocens repertus sæuiore seu grauiore adhuc pœna afficiatur, quam si sese vltro iudicio stitisset: Contumacia pœnam suppliciumque adgrauat. Tandem ad hanc *leg.* pertinentia nonnulla repeti possunt ex iis quæ congessit Desiderius Heraldus *lib. 1. de rerum iudicatar. auctorit. cap. 13. pag. 1140. Tom. II. Thesaur. Jur.*

De Mulieribus, *an & quando iis accusandi ius sit.*

III. (a) Idem A. ad Agricolanum. (b)

Cum *Ius* euidens adque manifestum sit, vt intendendi (c) criminis publici facultatem, non nisi ex certis (d) causis, Mulieres habeant, hoc est, si suam suorumque iniuriam persequantur, (e) obseruari antiquitus statuta oportet: Neque enim fas est, vt passim mulieribus accusandi permissa facultas sit; Alioquin in publicis olim quæstionibus (f) interdum (g) aut admissa probatio (h) est, aut accusantis (i) auctoritas. Patroni etiam causarum monendi sunt, ne respectu compendii, (k) feminas, securitate forsitan sexus, (l) in actionem inlicitam proruentes, (m) temere suscipiant. (n) PP. V. Id. Feb. Probiano & Iuliano conss. [322.]

Interpretatio. *Feminis, nisi in sua suorumque causa quenquam accusare non liceat, quia susceptione* (o) *alienarum causarum legibus prohibentur. Aduocati* (p) *etiam commonendi sunt, ne contra leges suscipiant in alienis causis feminas litigare cupientes.*

NOTÆ.

(a) Abest hæc *Lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED. Ex hac tamen lege multa infarta a Triboniano, *Legi 12. Cod. Iust. de his qui accusar.* Ita enim ego malo; vix enim facere possum cum Nostro, qui in Commentar. putat, Constantinum M. *ex d. l. 12.* suam efformasse RITTER.

(b) *Agricolanus* hic Rector Prouinciæ fuisse videtur: quod nominatim colligo ex illis: *obseruari antiquitus statuta oportet.* Item ex his: *Patroni etiam causarum monendi sunt,* a te Iudice scil. GOTHOFR.

(c) *Intemtandi,* Cod. W. *Intentandi* Cod G. & Ed. Sichard. Ita Quintilianus eodem sensu, lib. 3. c. 10. in fin. *litigatores idem cri men inuicem intentant,* Et infra leg. 8. ad Leg. Iul. de adulter. *intentata depellere.* RITTER.

(d) Similiter Papinianus in *l. 2. D. de accusat.* certis ex causis concessa est mulieribus publica accusatio. Et *leg. 12. Cod. Iust. de his qui accusar. n. p.* Mulieri accusare non permittitur, nisi certis ex causis. GOTHOFR.

(e) *Exequantur,* Papinianus. *l. 2. D. de accusationib.* Similiter, *leg. 12. Cod. Iust. de his. qui accusare non possunt,* secundum antiqui iuris statuta: i. e. secundum antiquam Iurisconsultorum definitionem, quod ius *euidens & manifestum* initio *hujus legis* vocatur. ID.

(f) Vt Papinianus in *l. 8. D. ad legem Iuliam Maiestatis: In quæstionibus læsæ Majestatis etiam mulieres audiuntur.* ID.

(g) Tantum, sc. non passim. ID.

(h) i. e. Indicium, seu indicina & Testimonium Mulieris, est qui reponit, *probitas.* ID.

(i) id est, si accusaret. ID.

(k) *Compendium* Aduocatorum, ID.

(l) i. e. Sine Talionis metu. Nam mulieres accusantes non tenentur subscribere in crimen, *d. l. 12. Cod. Iust. de his qui accusare:* Neque calumniæ pœna, aut Senatusconsulto Turpilliano tenentur, *l. 4. D. ad Senatusconsultum Turpillianum.* ID.

(m) Vel etiam lacessendi alium *obtentu sexus,* atque ita suas simultates vlcisci: *l. 11. Cod. Iust. qui accus.* Vide & Apuleium *initio Apolog.* ID.

(n) *Suscipiendi* vox hac in re propria: de qua vide *Glossar.* ID.

(o) *A susceptione,* MS. W. RITTER.

(p) *Aduocatus,* Cod. G. & mox, *commouendus est.* ID.

COMMENTARIUS.

Mulierum temerariis & promiscuis hac tempestate accusationibus veteri iure repetito, occurrit hac constitutione Constantinus M. eodem Anno 325. quo & Concilium Nicænum habitum fuit

fuit. (a) Et quidem duplici ratione. Primo causarum distinctione facta secundum ius antiquum: Nempe Mulier ad publicam accusationem vt cæteroquin iure euidenti & manifesto non admittitur, nisi certis ex causis, id est, si suam videl. suorumue iniuriam persequatur, *l. 1. 2. 8. D. eod. tit.* & *l. 4. 5. 9. 12.* (ex qua hæc *lex* nostra a Constantino M. pro parte efformata videtur) & *l. 14. Cod. Iust. de his qui accusare non possunt:* & *l. 5. Cod. eod. ad leg. Fabiam de plagiariis:* Ita id hac nominatim Constantini M. constitutione confirmatur. Et ratione addita, & exemplis insuper ab antiquitate repetitis. Non oportet scil. permitti mulieribus facultatem passim accusandi, ne alioquin *securitate sexus* (id est, cum sciant sibi talionis vel calumniæ pœnam non imminere) ad accusationes temere proruant, in quibus neque sua neque suorum vertitur iniuria. Exemplis ab antiquitate quoque repetitis id confirmat Constantinus M. Nempe & in publicis olim quæstionibus (in quibus alioquin Reipublicæ salus vertitur, & de quibus populi iudicium erat) neque mulierum olim (id est sub Republica Romana) passim testimonium vel accusatio admittebatur: Sed *interdum tantum* (id est, paucissimis casibus) & prout mulieris probitas, (si recta est hic quorundam emendatio, quod non puto,) auctoritas esset. Quibus verbis indicatur inter cætera exemplum Fuluiæ, quod memorat, Papinianus *in l. 8. D. ad leg. Iul. Maiest.* & Florus *lib. 4. cap. 1.* Salustius *Catilin. cap. 23.* item & Plutarchus in *Cicerone pag. 868. edit. Wechel.* & Appianus *lib. 2. de bello ciuili.* In *dicta* porro *lege* 8. (vt id obiter moneam) proculdubio non *iudicium* sed *indicium*, legendum est. Neque enim Fuluiæ iudicio, sed *indicio* detectus est Catilina. Et ita sane habent quoque Pandectæ Florentinæ. Similiter Florus *lib. 4. cap. 1.* *Tanti*, inquit, *sceleris indicium per Fuluiam emersit.* P. 6.
Idque est quod hæc ipsa lex vult, *probationis* voce: *Probatio* non est accusatio solemnis, cui recte mox ea opponitur, sed indicium, & indicina, vel denunciatio. Et hæc de priore medio, quo Constantinus M. promiscuis mulierum accusationibus occurrit.

Singulare est & alterum illud, quod subiicit hac lege Constantinus M. Nempe Adoucatos moneri vult a Iudicibus, atque adeo ipse monet, ne lucri auiditate mulieribus ad accusationem, temere prosilientibus, patronos sese præbeant. Vix scilicet ad actiones vel accusationes mulieres erumpunt, nisi id genus rabulis & causidicorum mendicabulis, & tantum non semipaganis, vbi dolosi semel spes nummi affulserit, autoribus. Et digna isthæc profecto est Constantini M. Sanctio, quæ ad nummarios Vultures coercendos vbique locorum pendeat, & per fora conciciliabulaque proquiritetur. Addit autem Constantinus, mulieres *securitate sexus* in actiones proruere: nempe quia mulieres accusantes in crimen non subscribunt, *l. 12. Cod. Iust de his qui accusare:* neque calumniæ aut SC. Turpiliano tenentur, *l. 4. D. ad SC. Turpil.* Est autem hæc lex indicio seu argumento, quantam Constantinus Magnus prisci iuris bene fundati rationem habuerit: cui rei indicio est quoque *lex 5. inf.* simul quantum Mulierum iudiciorumque honestati consultum voluerit.

(a) Confundit Gothofredus duos consulatus, *Probiani & Iuliani*, atque *Paullini & Iuliani*. Priores Consules prodierunt *anno* 322, quo etiam hæc lex data, cuius subscriptionem confirmant MSS. & impressi omnes; Sed in annum demum 325. *Paulini & Iuliani* Consulatus incidit, quo anno Concilium Nicænum habitum est, non tamen id Mense Maio celebrari cœptum, uti noster putat in *Chronolog.* quem ideo refutat Cl. Pagius *in Crit. ad Annal. Baron. an. 325. num. 3. & 7.*

EXCIVNTVR *a Constantino M. Accusatores in Iudices, Comites, Amicos, & Palatinos suos.*

IV. *(a)* Idem A. ad Vniuersos Prouinciales.

SI quis est, cuiuscunque loci, (b) Ordinis, Dignitatis, qui se in quemcunque Iudicum, Comitum, Amicorum, vel Palatinorum meorum, aliquid veraciter, (c) & manifeste probare posse confidit, quod non integre, adque iuste gessisse videatur, intrepidus (d) & securus accedat; interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam: (e) & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo: (f) Dicat (g) securus, & bene sibi conscius dicat: Si probauerit, vt dixi, ipse me vindicabo de eo, qui me vsque ad hoc tempus simulata (h) integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit, & comprobauerit, & dignitatibus & rebus augebo. *Ita* (i) *mihi Summa Diuinitas* (k) *semper propitia sit, & me incolumem præstet, vt cupio, felicissima & florente Republica.* (l) PP. XV. (m) Kalend. Octob. Nicomed. (n) Paulino & Iuliano CONSS. (325.)

NOTÆ.

(a) Abest hæc *Lex* a *Cod. Iust.* quia temporaria. Simile & prope geminum huic Edictum est Theodosii M. in *l. 6. inf ad Leg. Iul. Repetundarum.* Istud Annalibus suis Ecclesiasticis inseruit Eminentiss. Baronius *A. D. 325. n. 202. 203.* *GOTHOFRED.*

(b) Similis formula in *l. 1. infr. ad Leg. Iul. de Ambitu.* Vide & *l. 3. infr. quibus equorum vsus. ID.*

(c) *Veraciter pro vere.* Simile edictum Hadriani de Accusatoribus Christianorum ad Minutium Fundanum Asiæ Proconsulem memorat Iustinus, & ex eo Eusebius, *lib. 4. cap.* 8. 9. quod consule. *ID.*

(d) Ita *Lege 7. infr. de famosis libellis: absque vlla trepidatione accedat. ID.*

(e) Similiter Constantius, filius Constantini, *l. 2. infr. de his qui per metum Iudicis non appellauerunt; Per me cognoscam. ID.*

(f) Seneca *1. de Clementia cap. 9. in simili: Augustus constituit se ab eo vindicare;* & *cap. 20. Princeps si aut se vindicat, aut alium. ID.*

(g) Λεγέτω

(g) Λεγέτω μετὰ παῤῥησίας ὁ βουλόμενος. Basilius, *ep.* 78. Accusatores suos ciens. ID.
(h) Ita pariter Lampridius de Amicis Alexandri Seueri *in Vit. Alexandr. cap.* 66. *Qui*, inquit, *nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, nunquam deciperent existimationem Principis sui; sed amarent. ID.*
(i) Geminum Sacramentum Augusti, de quo mox. *ID.*
(k) Christianum hoc omnino redolet. *ID.*
(l) id est, *Salua Republica.* de quo mox plura *ID.*
(m) H..ius diei characterismum mox expendam. *ID.*
(n) Nicomediæ data hæc *Lex a* Constantino. Vide *Commentarium.* ID.

COMMENTARIVS.

IN IVDICES, COMITES, AMICOS, PALATINOS suos, Accusatores euocat *hac lege* Constantinus M. Exciri scilicet elici, accusatores quandoque, & quidem per præmia, vti moris olim quoque fuit (cuius rei vt apud Tacitum, Suetonium Augustæ Historiæ scriptores, aliosque; ita vel *hoc Codice Theodosiano* exempla præbent aliæ complures *leges*: veluti *l. 1. 11. infr. de maleficiis: l. 2. infr. de falsa moneta: l. 1. infr. de raptu virginum: l. 21. infr. de pœnis: l. 6. infr. ad leg. Iul. Repetund. l. vlt. infr. ne præter crimen maiest. l. 9. infr. de hæret.*) ita & hoc Edicto nominatim à Constantino M. exciuntur Accusatores Iudicum & Aulicorum improborum, qui inuidiam Seculo suo, Principique adeo faciebant, vti ferme Iudicum & Aulicorum improbitas, in Principum inuidiam & infamiam refertur: quem locum egregie tractant *Taciti* Interpretes. Hinc itaque AVREVM istud ad veterum gloriam, imo stylum proxime accedens, Edictum Constantini M. A. D. 325. statim post Concilium Nicænum emissum. Hinc geminum postea Theodosii M. in *d. l. 6. infr. ad leg. Iuliam repetundarum*, cuius verba hic apponere iuuat: *Iubemus, hortamur, vt si quis forte Honoratorum, decurionum, possessorum, postremo etiam colonorum aut cuiuslibet ordinis a iudice fuerit aliqua ratione concussus: si quis scit venalem de iure fuisse sententiam; si quis, pœnam vel pretio remissam, vel vitio cupiditatis ingestam: si quis postremo quacunque de causa improbum iudicem potuerit adprobare; is, vel administrante eo, vel post administrationem depositam in publicum prodeat, crimen deferat, delatum adprobet, cum probauerit & victoriam reportaturus & gloriam.* At non Iudicum tantum seu Magistratuum, sed Palatinorum quoque & nominatim eorum, qui interioris vitæ & consiliorum participes, Principis Constantini M. Comites, aut amici erant, Accusatores hoc edicto exciuntur: Nempe quod hi factiosi, callidi, populum amicissimum à Principe ferme submouerent, fumos venderent, nihil non fingerent, mentirentur, & breuiter
P. 7. existimationem Principis sui fallerent. Atque hi sunt, quos Constantinus *Comites, Amicos & Palatinos suos* vocat. *Amicorum & Comitum* horum Principis (vt ad Constantini sæculum, deque eius stirpe prognatos Principes, vsque dici perstiterunt) mentio fit non vno Historiæ Augustæ loco. Præter Sueton. *in Tito, c. 7.* Spartianus *in Hadriano, cap. 18. Quum iudicaret*, inquit; *in consilio habuit non amicos suos, aut Comites solum, sed Iurisconsultos.* Vbi vides pariter *Comites* & *amicos* iungi. *Amicorum* nominatim idem meminit *in Hadrian. c. 11.* & *cap. 15. init.* & Capitolinus *in Antonino Pio cap. 11. init. Amicis suis in imperio suo non aliter vsus est, quam priuatus: quia & ipsi nunquam de eo cum libertis suis per fumum aliquid vendiderunt: siquidem libertis suis seuerissime vsus est.* Lampridius *in Alexandro cap. 32. init.* qui *Comites* & *Amicos* similiter iungit: *Iniuriam nulli vnquam Amicorum, comitumue fecit, nec Magistris quidem aut Principibus officiorum.* Idem *ibid. cap. 29. Res bellicæ & res ciuiles per amicos tractabantur, sed sanctos & fideles, & nunquam venales.* Sed & apud eundem insignis est, et si vulgata iam historia, de Turino Alexandri familiari, seu amico, *ibid. cap. 35. seq.* quem locum integrum hic adscribam, quia huic *legi* quam maxime respondet, cum Alexandri vitam hoc ipso tempore *Constantino M.* inscripserit, de quo mox rursum: *Solus post meridiem, vel matutinis horis, idcirco nunquam aliquos videbat, quod ementitos de se multa cognouerat: speciatim Vetronium Turinum: quem cum* FAMILIAREM *habuisset, ille omnia vel fingendo sic vendiderat, vt Alexandri quasi stulti hominis, & quem ille in potestate haberet, & cui multa persuaderet,* INFAMARET IMPERIVM: *sicque omnibus persuaserat, quod ad nutum suum omnia faceret. Denique hac illum arte deprehendit, vt quendam, immitteret, qui à se quiddam publice peteret, ab illo autem occulte quasi præsidium postularet, vt pro eo Alexandro secreto suggereret. Quod cum factum esset, & Turinus suffragium promisisset, dixissetque se quædam Imperatori dixisse, cum nihil dixisset, sed in eo pendere, vt adhuc impetraret, euentum vendens: cumque iterum iussisset Alexander interpellari, & Turinus quasi aliud agens nutibus annuisset, neque tamen interim quidquam dixisset, impetratum autem esset quod petebatur, Turinusque ab illo qui meruerat, fumi venditor ingentia præmia percepisset:* ACCVSARI *eum Alexander iussit probansque per testes omnibus, & quibus præsentibus quid accepisset, & quibus audientibus quid promisisset, in foro Transitorio ad stipitem illum ligari præcepit, & fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat, necauit, præcone dicente, Fumo punitur qui vendidit fumum. Ac ne in vna tantum causa videretur crudelior fuisse, quæsiuit diligentissime antequam eum damnaret, & inuenit Turinum sæpe & in causis ab vtraque parte accepisse, cum euentus venderet; & ab omnibus qui aut Præposituras, aut Prouincias acceperant.* De iisdem amicis Vopiscus in *Aureliano, cap. 45. Amicos suos honeste ditauit & modice, vt miserias paupertatis effugerent, & diuitiarum* INVIDIAM *patrimonii moderatione vitarent.* De horum improbitatibus est insignis Lampridii locus *sub. fin. Alex. Seueri cap. 66.* & *67.* cuius partem postea apponam, eique geminus Vopisci in *V. Aureliani cap. 43.* Xiphilinus *in Epit. Dionis in Adriano pag. 354. edit. Sylburg.* οὐ μέντοι οὔτ' ἐξύβρισέ τις αὐτῶν τῶν φίλων) οὔτ' ἀπέδοτό τι οὔθ' ὧν ἔλεγεν οὔθ' ὧν ἔπραττεν, οἷα οἵτε Καισάρειοι, καὶ οἱ ἄλλοι οἱ περὶ τοὺς αὐτοκράτορας ἔχοντες, ποιεῖν εἰώθασι, i.e. *Nemo ex Amicis eius iniuriosus in alios fuit, neq; vendidit dicta aut facta eius, quod palatini, aliique qui circa Principem sunt facere solent* v. & locum Lampridii *in Heliogabalo cap. 11.* De his quoque Comitibus & consortio Comitum est Am. Marcellini locus, *lib. 26. cap. 6.*

Vel ex his iam potest colligi, primum, *Amicos Principum* fuisse, quos Princeps in deliciis haberet iunctissime: de quibus est etiam Suetonii locus in *Tito, c. 7* & *l. 1. Cod. Iust. de sentent. pass*is. quem tamen Cuiacius male sollicitat. In quibus fiere & Medici: quod ex Taciti *Annal. lib. 4. c. 3.* Seneca *6. de benef. c. 16.* Suetonio, *in Octau. c. 91. Plutarcho in Bruto*, probauit Causaubonus *in not. ad Sueton. Iul. cap. 5.* Hi sunt quos Marcellinus non vno loco *Proximos* vocat; Continuos Principis, & proximos Amicorum, Tacitus *Annal. 6. cap. 26.* Græc. συνόντας, παραδυναστεύοντας. *Proximos* quoque Regis vocat Sulp. Seuerus *lib. 2. histor. sacr. cap. 1. 2. 13. Comites* vero peregrinationum, expeditionum Comites; Negotiorum adiutores; consiliorum & laborum participes: *Amici* vero iunctissimi & familiares

liares. Et vtrique tamen consiliis adhibiti & Consiliarii, quos posterior ætas *Consistorianos* dixit. Quanquam idem quandoque *Amicus* & *Comes*. Vetus Lapis apud Gruterum MC. 5.

C. SENTIO.
SEVERO
QVADRATO
C. V. COS.
AMICO. ET
COMIT. AVG. N.
IVLI FRATRES
MAXIMVS. ET
VICTOR.

Comitibus in castrametatione & stationibus, primam pedaturam, seu primo loco adsignatam ante Prætorium testatur Hyginus *Gromatico pag. 1015. col. 2. lin. 53. item pag. 1022. Tom. X. Thes. Antiquit. Cl. Græuii.* (a) Ammianus quoque Marcellinus. *lib. 16. cap. 12.* cum de Chnodomario Alamannorum R. sese dedente agit, *Amicos & Comites* bene separat: *solus*, inquit, *egressus, comitesque eius ducenti numero & tres Amici iunctissimi, flagitium arbitrati post Regem viuere, vel pro Rege non mori si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos.* Ac vt Comitum aliquando tres classes institutas a Tiberio Suetonius refert *c. 46.* ita etiam Lampridius *in Alexandro cap. 20. Amicos primi, secundi loci, & inferioris*, fuisse ostendit: de quo plene dixi *ad l. vn. sup. de Comitibus & Tribunis Scholar.*

Secundo (quod ad *legem* nostram maxime pertinet,) ex superioribus patescit, *Amicos* hos Principum improbitate famosos ferme fuisse. In quibus sane præter Eunuchos, & Libertos quoque fuisse sub nonnullis principibus notum est: Vt omittam retrosiora, vid. Spartianum *Adriano cap. 21.* Capitolinum, *in Marco, cap. 15.* & *Vero cap. 9.* Lampridium *Heliogabalo c. 10.* Aduersus hos igitur variæ subinde querelæ exortæ: quibus Principes boni quantum in se, semper obuiam iuere: Hadrianus, teste *Spartiano, cap. 15.* Constantinus *hoc Edicto*: de quo Principe Victor alter *in Epitom. cap. 41.* alioquin inter cetera laudum eius refert, *Audire Legationes & QVERIMONIAS prouinciarum.* Vt paulo ante *eodem capit.* de Licinio (Constantini aliquando in Imperio consorte) *Spadonum & AVLICORVM omnium vehemens domitor, tineas, Soricesque Palatii eos appellans.* Neque temere ad hoc dictum Constantinus M. prosiliit, sub eo quippe frequentes de Iudicibus querelas excitas ostendit quoque insignis *lex 1. sup. de off. Rectoris prouinciæ* & *l. 3. Cod. Iust. eod. tit.* Sed & ipsius imperium aliquando infame fuit ob Iudices improbos, quodque ipse Comitibus, Amicis suis plus æquo obnoxius esset: Sext. Aurelius Victor Schotti de Constantino nostro *cap. 41. Cunctaque* [sub eo] *diuino ritui paria viderentur, ni parum dignis ad publica aditum concessisset: Quæ quamquam sæpius accideret, tamen in summo ingenio atque optimis Reip. moribus, quamuis parua vitia elucent magis: eoque notantur facile: quin etiam acrius sæpe officiunt, cum ob Auctoris decus in virtutem potissimum accipiuntur, atque ad imitandum inuitamento sunt.* Sed & Lampridius, *extremo Alexandri Seueri, cap. 66. 67.* vbi de horum Amicorum, Eunuchorum improbitatibus multa dixit & eleganter, subiicit magna παῤῥησία, quam quidam mirantur: *Scio, Imperator CONSTANTINE, quo periculo ista dicantur apud Imperatorem, qui talibus seruit. Sed, SALVA REPUBLICA, posteaquam intellexisti, quid mali clades istæ habeant, & quemodmodum Principes circumueniant, & tu eos eo loci habes, vt nec chlamyde vti iusseris, sed necessitatibus domesticis delegaris.* Quorum verborum, quæ nec quicquam sollicitanda, neque aliter interpungenda sunt omnino p. 8. sensus hic est: remotos a Constantino M. huiuscemodi Amicos, Eunuchos a publicis negotiis & administrationibus omnibus, & breuiter a *Militia*, omni scilicet Ciuili, Armata, Palatina, (id enim CHLAMYDIS appellatione accipiendum est, haud aliter quam Cinguli appellatione omnis Administratio, omne negotium, omnis executio indicatur: de quo dixi ad *l. vlt. sup. lib. 2. tit. 10. de postul.*) & iussos esse curare non aliud, quam necessitates domesticas, atque adeo Principi soli seruire, ministrare, procul a publicis negotiis iussos, inter ministeria vitæ secretioris, vt loquitur de his ipsis Spadonibus sub Constantio, Amm. Marcellinus *lib. 14. cap. 11.* Proinde non sine periculo adhuc quodam in hos, & aduersus hos scribi: nam etsi à publicis remoti sint, qui paulo ante in Republica τὰ πάντα erant, nihilominus adhuc circa Principem versari, atque vel eo metuendos: Idque est quod ait, (*scio quo periculo ista dicantur apud Imperatorem, qui talibus seruit.* Quibus verbis sunt, qui id velle aiunt Lampridium, Constantinum his adhuc obnoxium fuisse, amara suggillatione huiusmodi illa Ammiani Marcellini *lib. 18. cap. 4.* de Eunucho Eusebio *apud quem* (*si vere dici debeat*) *multa Constantius potuit.* Quibus verbis facit Constantium mancipium seu seruum Eusebii serui sui. Plinius quoque *panegyrico cap. 117. Plerique principes cum essent ciuium domini, libertorum erant serui, horum consiliis, horum nutu regebantur*, &c. omitto alia huius præposterati ordinis testimonia. Verum possit locus hic ita accipi, Constantinum eorum seruitio domestico adhuc vti, vt sit tale quale nostrum: *qui se sert de telles gens*: id est, qui talibus vtitur: vbi si quid immutandum, reponendum, *qui talibus seruitur.* Nam quod tentant viri docti *talibus seruiit*, minus probo: frustra enim alioquin periculum sibi metuendum diceret Lampridius: cum boni Principes, qui querelis subditorum exciti, malo alicui obuiam iuere, sublati mali memoria tantum abest asperentur, vt contra vel hanc potissimam sibi gratiam rependi optent velintque. Igitur recte Lampridius metuendum sibi putat, non ab ipsomet Imperatore, verum ab ipsismet illis domesticis, qui etsi ab officiis publicis remoti essent, plurimum tamen adhuc vel eo ipso possent, quod circa Principem versarentur familiarius, quique alios facile traducere possent, aliisque nocere plurimum: Etsi Principi hi seruirent, *Salua Republica* (quam *formulam* etiam hic vsurpat Constantinus, de qua mox.) (b).

Vt ad Edictum nostrum reuertamur, scilicet cum variis & multiplicibus totius ferme populi QVERELIS Constantinus M. exanimaretur: Iudices passim, Comites & Amicos suos ad supplicium deposcentis, & vero iniquum foret ad populi querelas inconditas, quidquam in hos illico statui, quo tamen populo satisfaciendi animum testaretur, Prouinciales & singulos quidem, ad accusandum inuitandos sibi duxit: Eadem plane ratione neque absimilibus verbis, atque Hadrianus Imperator cum Christianos ad supplicium deposcentium querelis exanimaretur, accusatores exciendos duxit, vt memorat Iustinus Matyr, & ex eo Eusebius *Histor. Ecc. 4. cap. 8.* & *9.* Nempe vt Reipublicæ exitiosæ sunt calumniandi occasiones; ita contra, nihil adeo Reipublicæ salutare & ad pacem tranquillitatemque publicam tuentam facit, quam vbi libera iustaque accusandi quos criminosos putes, facultas patet: de quo Machiauellus I. *disput. 7.* & *8.*

Cæterum hanc ad rem Constantinus enixi plane studii & Voluntatis suæ argumenta haud leuia addidit

(a) Vide ad hunc locum obseruationem *RATB. HERM. SCHELII, pag. 1063 Tom: X. Greu. Thes.*
(b) Vide si placet ad hunc Lampridii locum CLAVD. SALMASIVM, qui legendum esse existimat, *talibus seruiit*
Vereor, ne GOTHOFREDVS locum nimis violenter tractauerit, dum legit *qui talibus seruitur.* Scio Senecam
de Tranquillit cap. .. ita scribere: *assuescamus seruis paucioribus seruiri*; Sed nil iuuat Gothofredum, qui absque li-
bris antiquis medelam tentat. Mirari autem satis non possum, magnos viros in hoc loco illustrando ingenii ex-
ercere voluisse vires, qui ab omni parte recte se habet, atque merum Encomium continet Constantini, quod qui figu-
ras Rhetorum (qualem hic agit Lampridius) noverunt, non possunt non facili indagare via.

dit, & quidem sex numero. Nam 1. Suam ipse eam in rem cognitionem spondet. 2. Compellandi sese fiduciam omnibus facit. 3. *Præmium* accusatori probanti pollicetur: præmium inquam, & dignitatum & facultatum: vt Theodosius M. *l. 6. infr. ad leg. Iul. repetund.* Gloriæ; *cum probauerit*, inquit, *& victoriam reportaturus, & gloriam*, vbi vide quæ dixi. 4. vice versa leuissimam pœnam Iudicibus & Palatinis interminatur. 5. Quin & geminatis verbis & sententiis, quantum ea res sibi curæ, cordique foret, ostendit, pariter vt *in dict. lege 1. sup. de officio Rectoris Prouinciæ: Cessent iam nunc rapaces Officialium manus, cessent, inquam; nam si moniti non cessauerint, gladiis præcidentur.* 6. Tandem religiosissima obtestatione & iureiurando per vota sua Edictum obsignat: *Ita mihi &c.* Cui geminum Sacramentum videre est Augusti apud Suetonium, *cap. 28.* quod & ipse Edicto pariter complexus fuerat. *Ita mihi saluam ac sospitem Remp. sistere in sua sede liceat, atque eius rei fructum percipere, quam peto, vt optimi status auctor dicar: & moriens, vt feram mecum spem mansura in vestigio suo fundamenta Reipub. quæ jecero.* Idem Augustus quoque ad Caium Nepotem, apud Gellium, *lib. 15. c. 7. Deos autem oro, vt quantumcunque mihi superest temporis, id saluis vobis traducere liceat in statu Reipublicæ felicissimo, ἀνδραγαθούντων ὑμῶν, καὶ διαδεχομένων.* Traiani item iusiurandum apud Marcellinum *lib. 24. cap. 3. Sic in Prouinciarum Speciem Reductam videam Daciam: Sic pontibus Istrum & Euphratem superem.* Simileque Iuliani, quod *ibidem* memorat Marcellinus. Porro quod particulam iurandi per ITA, attinet, vt ea alibi passim occurrit, & à Cicerone vsurpata, *Lib. 5. in Verrem. c. 14. & ad famil. lib. 16. ep. 16.* Ελλενολεξίας istud quoque est Aristoph. *in Nub. Parabas. Chori, Actu I. Scen. 6. v. 523.*

Οὕτω νικήσαιμ᾽ ἔγω καὶ νομιζοίμην σοφός,
Ὡς ὑμᾶς ἡγούμενος εἶναι θεατὰς δεξιὸυς,
Καὶ ταύτην σοφώτατ᾽ ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν,
Πρώτους ἠξίωσ᾽ ἀναγεῦσ᾽ ὑμᾶς:

Sic ego vincam & æstimer sapiens, vt vos æstimo
Spectatores candidos esse, & hanc Comœdiam
Præ aliis, quas scripsi, omnibus ducere sapientissimam,
Vtque vos primum rogaui, vt gustetis hanc.

Ait vero Constantinus, *Felicissima & florente Republica*, quæ εὐφημοῦντες formula fuit in deierationibus. Qualis illa quoque Cæcilii, *Salua Vrbe atque Arce*, apud Gellium *lib. 2. cap. 23.* Quæ formula etiam in verbis conceptis Fecialium, apud Liuium, *Salua Vrbe atque Arce.* Sed & in vniuersum hac formula vsi olim, vbi priuatas rationes a publica vtilitate separare vellent, indicareque potiorem sibi salutis publicæ, quam suæ, rationem esse. Sic & Probus apud Vopiscum, ad Capitonem Præfectum Prætorio scribens *c. 10. Imperium nunquam optaui, & inuitus accepi: deponere mihi rem inuidiosissimam non licet. Agenda est persona, quam mihi miles imposuit. Te quæso, Capito, ita mecum Salua Republica perfruaris.* Et Lampridius quoque ad hunc ipsum Constantinum nostrum scribens, & quidem in hoc ipso argumento, *in Vit. Alexandr. Sever. c. 67.* vt iam dixi: *Scio Imperator Constantine, quo periculo ista dicantur apud Imperatorem, qui talibus* (loquitur de prauis ministris Amicis, & Comitibus) *seruit: sed Salua Republica*, [*vel saluâ Republicâ*] *posteaquam intellexisti, quid mali istæ clades habeant, & quemadmodum Principes circumueniant, & eos eo tu loci habes, vt nec &c.* Vnde patet iam in Lampridii verbis nil mutandum, & quonam sensu ea accipienda sint. Nempe id vult Lampridius, Constantinum Eunuchis vsum, sed Salua Republica.

Quod *formulam* illam nominatim attinet *florente Republica*, Principibus peculiaris vsus huius formulæ. Traianus ad Plinium *lib. 10. ep. 90. Agnosco vota tua, quibus precaris, vt plurimos & felicissimos natales* FLORENTE STATV REIPVBLICÆ *nostræ agam.* Macrinus & Diadumenus *oratione ad Senatum* apud Capitolium in *V. Opilii Macrini, c. 6. Tunc demum* FLORENTE REPVBLICA *& omnes felices essemus.*

Quod ipsam in commune, Sacramenti religionem spectat; Sane & alibi Sacramenti religione *leges* suas Constantinus M. sancire solitus: veluti *l. 6. inf. de appellat.* Vide quæ dixi. Quod in memoriam mihi reuocat Sanctissimum aliquando HENRICI M. iusiurandum, quo post tot μονομα- P. 9.
χίας, atque effusum per duella generosissimum sanguinem, veniam sese nemini deinceps ad duellum siue prouocanti, siue prouocato daturum pœnæque gratiam facturum, sub Sacramenti obtestatione Edicto deierauit.

Illud omittere non possum, hoc ipso tempore CRISPVM apud Patrem Constantinum accusatum, mox & interfectum memorari, de quo dixi plene ad *Philostorgium lib. 2. cap. 4.* de quo dicam quoque *inf. leg. 1. de indulg. crim.* (a) Quin imo & Eutropius *lib. 10. cap. 4.* auctor est, eo ipso tempore, quo Crispus interfectus fuit, innumeros quoque AMICOS interfectos. Vt cui haud omnino absurde videri possit, eo quoque spectare hoc Constantini M. Edictum, exulceratum eius animum maxime spirans: Quod ego tamen non temere adseruerim. Certe huic Edicto egregie conuenit superior ille Lampridii *in vita Alexandri Seueri* locus, eo magis, quod hoc ipso tempore Lampridius ea scripsit post Licinium deuictum (A. D. 323.) vt videre est ex *vita Heliogabali*; neque re ipsa tantum conuenit, verum & verbis & formulis, quale illud quod modo expendi, SALVA REPVBLICA, vt rursum, non adeo improbabiliter dici dici possit, Constantinum, vt aliorum ita & Lampridii, siue vocibus siue scriptis motum, excitatumque ad hoc Edictum descendisse.

Postremo quoque subscriptum *Nicomediæ* nomen in *hac l.* obseruandum. *Nicomedia* scil. (quod semel monendum) vrbium Bithyniæ mater erat, vt nominatim testantur Ammianus Marcellinus *lib. 17. c. 7.* & Leo Imperator *in Nouellis*: de qua videnda est insignis Libanii Monodia, siue Lamentatio super ea terræ motu subuersa *pag. 202. edit. Morell.* Sed & Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 9.* eam vocat *Vrbem inclytam, ita magnis Principum amplificatam impensis, vt ædium multitudine priuatarum & publicarum, recte noscentibus, regio quædam vrbis æstimaretur æterna.* Ideo igitur Edictum hoc velut in vrbium Bithyniæ matre propositum fuit, imo vt videtur Orientalis Imperii hoc adhuc tempore ante excitatam Constantinopolim Metropoli & sede Præfecti Prætorio, vt suadere quoque videtur Anno sequ. *lex 2. infr. ad leg. Iul. de adult.* Iam inde a Diocletiani temporibus, cui, cum in diuisione Imperii Oriens cessisset, Nicomediam ipse maxime ornauit, vt testatur Victor Schotti *cap. 39.* Palatio ibi condito, de quo vide Auctorem *vitæ Constantini in oratione Constantini ad Sanctor. cæt. cap. 25.* ibidemque substitit etiam, vt testatur constitutio ex *Codice Hermogeniano* apud Auctorem *collat. legum Mosaic. t. 10. num. 6.* & aliæ plures *leges Cod. Iust.* inter alias, *l. 13. 14. Cod. Iust. de iure deliber.* & infinitæ aliæ. Ibidemque tandem Diocletianus imperium abdicauit. Quin & hoc ipso Anno in ea vrbe Vicennalia Constantini celebrata testantur Hieronym. *in Chronico*, & Auctor *Vit. Constantin. lib. 3. cap. 15. & 22.* his ipsis Coss. & quidem mense Nouembri, id est duobus mensibus post hanc *legem*: vt testis est Auctor *Chronici Alexandrini pag. 660. edit. Rader.* Sed & hoc ipso An-

(a) Consule hic Cl. PAGIVM *in Crit. ad Annal. Baron. an.* 321. *num.* 3. qui accurate probat, *Crispum* demum anno 326. occisum fuisse *Polæ* in Istria, & quidem prioribus illius anni mensibus.

no & tempore post Concilium Nicænum Constantinum Nicomediæ substitisse docent ea, quæ narrat Epiphanius *heresi 48. siue 68. num. 5. & 6. pag. 721. edit. Coloniens.* agens de Legatione a Meletianis missa ad Constantinum Nicomediam. Tandem de Nicomedia sub Constantino plura dixi, ad *Philostorgii lib. 1. c. 7. & lib. 2. c. 7.*

INSCRIPTIONIS *in crimen mos reducitur, seu stabilitur.*

V. (a) Idem A. ad Maximum P. V. (b)

QVODAM tempore + admissum est, vt non subscribtio, sed professio criminis vno (c) sermone ex ore fugiens, (d) tam accusatorem, quam reum, sub experiendi periculo, de (e) patria, de liberis, de fortunis, de vita denique, dimicare cogeret: Ideoque volumus, vt remota professionis (f) licentia (g) ac temeritate, ad subscribtionis morem, ordinemque criminatio (h) referatur, (i) vt *Iure veteri* (k) in criminibus deferendis omnes vtantur, id est, vt sopita ira, (l) & per hæc (m) spacia mentis tranquillitate recepta, ad supremam (n) actionem cum ratione veniant, adque consilio. Dat. XI. Kalend. Iun. Sirmio, Acc. Romæ, (o) Constantino A. VII. (p) & Constantio C. CONSS.

INTERPRETATIO. (q) *Si quis iratus crimen aliquod temere cuilibet obiecerit, conuicium* (r) *non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi* (s) *spatio, id quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur.* (t) *Quod si fortasse resipiscens post iracundiam, quod dixit iterare, aut fortasse scribere noluerit, non vt reus criminis teneatur.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* quia plures eam in rem extant, neque tempori adstrictæ. GOTHOFRED.

(b) Al. *Maximinum.* Sed male. Porro cum Notitia, seu Consularia de Præfectis Vrbi, Anno 326. Maximum Præfectum Vrbi non faciant, verum anno 320. 321. 322. emendata *huius legis* subscriptione, eam ad annum 320. referendam censeo: pariter vt *l. 2. infr. ad leg. Cornel. de falso: l. vn. sup. de heredit. petit.* ID.

† Antonini rescripto, *l. vlt. infr. ad leg. Cornel. de fals.* Imo & Constantini *l. 2. d. t.* ID.

(c) Nudo & solo: vt *nuda pollicitatio* apud Paullum *V. Sent. 12. l. 9.* ID.

(d) Fugiens ex ore verbum, significanter. *h. l.* ID.

(e) Similis locus *l. 11. infr. h. t. & l. 3. infr. ne præter crim.* ID.

(f) Sic *accusationem professus* apud Symmachum *l. 10. ep. vlt.* vbi de Inscriptione agit. ID.

(g) Licentia, id est, libertas & leuitas: Vt Testamentorum licentia apud Sueton. *Octau. c. 56.* & id genus alia: & sane mox subiicitur *ac temeritate*, quod ἑρμηνευτικὸν est. ID.

(h) Accusatio. ID.

(i) Reuertatur, reducatur. ID.

(k) Quod ante Antonini rescriptum. ID. *Aut iure*, MS. W. *iure*, Cod. Goth. RITTER.

(l) Qua sæpe venitur ad accusationem. GOTHOFRED.

(m) Huiusmodi sopiendæ interim hæc sunt: quia quod ratio nequit, sæpe mora lenire valet: vide *legem 13. infr. de pœnis.* IDEM.

(n) *Suprema actio*, id est criminalis, seu accusatio, & quam premit suprema pœna, seu vltimum ferme supplicium. IDEM.

(o) *Romæ* Accepta lex, quæ Præfecto Vrbi inscripta. ID.

(p) *vt.* VI. *& Constantino Cæs.* i. e. A. D. 320. de quibus vide quæ ad Inscriptionem dixi. ID.

(q) Recta hæc interpretatio est. Quæ infarta, nonnullis additis & immutatis, Fabiani *ep. 3. cap. 4. pag. 129. Tom. I. Concilior. ed. Harduin. can. 5. caus. 2. Qu. 3. & can. 22. de Pœnitent. distinct. 1.* & exinde Decreto vbi tanquam ex *Canonibus* iam citatur. ID.

(r) Vide locum Ciceronis *pro Cælio*, quem postea laudabo. ID.

(s) *Tractandi* vox hac in re propria. ID.

(t) Profiteatur. ID.

COMMENTARIVS.

P. 10.

LEVITATI seu temeritati accusationum & iudiciorum criminalium occurrit hac Constitutione Constantinus M. aduersus nudæ professionis licentiam, subscriptionis in crimen more & vinculo, veterique adeo iure aduersus prauum, qui contra inoleuerat morem in vsum reducto. SVBSCRIPTIO Scilicet siue *Inscriptio* in crimen (quo præter hanc *legem* pertinent quinque præterea *huius tituli leges*, puta *lex 8. 9. 11. 14. vltima infr. h. t.* aliæque *huius Codicis* leges, quas in *Paratitlo* videre est, cuius exemplum quoque extat in *l. 3. D. eod. tit.* & apud Lucianum, ἐν δίκῃ φωνηέντων, & quæ memoratur *canone 6. Concilii Constantinop. I. Tom. I. Concil. pag. 811. 812. edit. Harduin.* ibi: Καὶ μὴ πρότερον ἐνίστασθαι τὴν κατηγορίαν, πρὶν ἢ ἐγγράφως αὐτοὺς τὸν ἴσον αὐτοῖς ὑποτιμήσασθαι κίνδυνον: *Et accusationem non prius intendere, quam in scriptis æquale periculum sibi statuant*: vide & Symmachum *l. 10. ep. vlt.*) in omnibus criminibus iure veteri exigebatur, *h. l. l. 9.* seu (vt dicitur *l. 2. infr. ad leg. Iuliam de adulter.*) omne genus accusationis necessitas Inscriptionis adstringebat: quo videlicet proposito Talionis seu Reciproci metu (de quo vide *l. 9. 11. vlt. inf. h. t. & l. 3. infr. de exhib. reis: & leg. vlt. inf. de abolitionib.*) non temere quis

re quis ad accusandum prosiliret, verum pœnæ Talionis se inuolueret & obiiceret. Quam quidem rationem præter hanc *legem* & *l. 7. in princ. D. eodem tit.* Symmachus quoque *lib. 10. ep. vlt.* consignat. *Quid habeat conditionis Inscriptio, nostis præ cæteris, iuris publici conditores, DDD. Imperatores. Prouisum est enim, ne quis* TEMERE *in alieni capitis discrimen* IRRVERET, *ni se idem prius pœnæ sponsione vinciret.* Et post: *Supererat vt crimine non probato, in accusatorem formidata reis pœna transiret.* Itaque & Criminantis seu accusantis & Accusati contemplatu Inscriptio inducta. Illius scilicet, vt cum ratione & consilio, non cum impetu, vel ira, in supremam vel capitalem actionem irrueret, sed *stilo* TREPIDANTE *recaueret*, vt loquitur eleganter *lex 3. infra de exhibend. reis. Stilo trepidante*; id est cum metu & trepidatione futuri iudicii seu euentus: & sic vt *h. l.* dicitur, *cum ratione atque consilio:* mentis tranquillitate recepta per hæc spatia: vt cæteroquin spatio temporis multa leniuntur & sanantur, eleganter Seneca *Agamemnon. Act. II. Scen. 1. v. 22.*

- - - - *Da tempus ac spatium tibi,*
Quod ratio nequiit, sæpe sanauit mora.

Eodemque pertinet prouida cautio *legis 13. inf. de pœnis.* Alter Seneca *II. de Ira, 28. maximum remedium est iræ, mora.*

Huius, ne lacessenti caput suum impune foret. Verum contempto hoc iure, Rescripto D. Antonini postea inductum fuit, vt docet *lex vlt. infr. ad leg. Cornel. de falso*: (quod & Gratiano postea tandem placuit *d. l. vlt. inf. ad L. Cornel. de falso*) vt in arbitrio Iudicis foret, admittere accusatorem falsi, etiam sine Inscriptione & nihilominus tamen accusator, etsi non subscripsisset, si causam non teneret, si non vinceret, Talionis pœnam subiret. Imo post rescriptum D. Antonini [vt *lex* hæc loquitur] SOLA, siue nuda, criminis professio seu obiectio (forte per iniuriam, vt Interpres quoque recte vidit) in IVRGIO, actorem illico ad probandi onus, reum ad subeundum iudicium COGEBAT, seu adstringebat. Itaque hoc Constantini M. rescripto ius vetus & subscriptionis vinculum reducitur (quo nemo accusare cogitur, *l. vn. Cod. Iust. vt nemo inuitus*, & *Nouella 112.*) sublata *Professionis* licentia, leuitate, seu temeritate; Sola nudaque scil. irati forte hominis obiectio, pro legitima accusatione accipienda non est; neque exinde aliquod alterutri præiudicium inferri debet. Cicero, *pro Cælio cap. 3. Aliud est maledicere, aliud accusare: Accusatio crimen desiderat, rem vt definiat, hominem vt notet, argumento probet, teste confirmet: maledictio autem nihil habet propositi, præter contumeliam; quæ si petulantius iactatur, conuicium, si facetius, vrbanitas nominatur.* Ita cum quæsitum esset, an is qui libello Principi dato crimen se obiecturum minatus esset, postea non obiecerit, Turpilliano SC.[to] teneretur, Paulus respondit, eum verbis SC.[ti] Turpilliani non contineri, *l. 5. D. ad SC.tum Turpill.* Accusasse non videtur neque accusationis legibus subiiciendus venit, qui solummodo minatus est, se accusaturum, quacunque tandem ratione, etiam libello Principi oblato, vel Præsidi, *l. 11. §. 3. D. ad L. Iul. de adulteriis:* vide aliquid etiam ad *l. 17. C. Iust. ad leg. Iul. de Adult.* & *l. 15. D. de in ius vocando.* Professio nuda ex ORE FVGIENS (vt hæc *lex* eleganter loquitur,) capitali maxime accusationi neminem inuoluere debet. Vbi scil. de patria, liberis, fortunis, vita, agitur, cunctatione & consilio opus est: cum & alioquin nulla de morte hominis cunctatio longa est. Proinde dati hi velut freni procurrenti iratorum leuitati, subscriptio inquam in crimen: vt dati Iudicibus vel Principibus quoque ipsis, *l. 13. inf. de pœnis:* Similiter nuda faciendi alicuius hæredis professio, pro hæredis institutione non est: *l. vlt. D. qui testam. facer.* Paulus V. *sentent. 12. §. 9.* Pertinax *Oratione quoque* sua expressit, *se non ex nuda voce hæredis nomen admissurum.* §. *vlt. Inst. quibus modis test. infirm.* vide & quæ noto ad *l. 2. sup. de testam.* Sed nec frigusculum aut iurgium pro legitimo diuortio haberi debet: *l. 48. D. de R. I.* & generaliter quidquid calore iracundiæ fit, vel DICITVR, non prius ratum esse debet, quam si perseuerentia apparuerit animi iudicium fuisse. Ad rem. Nuda igitur professio ex ore fugiens hic admittenda non est; verum *professio Delationis*, ac per hoc Inscriptionis. Quomodo Ambrosius *ep. 64. professorem delationis* dixit; *vt puellam post tot annos sine auctore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis, in periculum reatus deducendum arbitrarere.* Et mox: *quæ prima fronte sua Professionis prætenderent.* Item *verbo deferre, sermone suo accusationem deferre:* Cui mox opponit *delationis nexu se obligare*, & *accusatorem* quem *leges* publicæ exigunt, accusatorem qui in medium procedat. Sic & Symmachus *d. ep. vlt.* post superiora de Inscriptionis conditione, seu vi: *Secundum hæc scita legum Agens in rebus Africanus, accusationem* PROFESSVS. Sic sane in lege nouiter reperta, quam adduco *leg. 3. infr. de abolitionibus, professionis* vox accipitur.

Certe in vsum iam venit Sapientia nostrorum Doctorum, qui posse aliquem alicuius criminis imo & debiti insimulatum, implorare officium magistratus, qui cogat insimulatorem, vel vt loquuntur, *diffamantem*, vltro agere & probare obiecta, vel in perpetuum silere; tracta eo constitutione Diocletiani, *l. Diffamari 5. Cod. Iust. de ingen. manum.* qua nihil hodie nobilius. Sed & tamen *l. 7. infr. de fide testium*, idem continere videtur.

Illud notandum, hanc *legem* de earum Constantini M. Constitutionum numero esse, quibus is populi Romani *mores* regere, vitiaque frangere per hosce annos instituit, quarum meminit Nazarius *panegyrico cap. 38.* quem is Anno proximo 321. habuit. Et quidem in spec. *huius leg.* veteri iure reducto.

P. 11. *De* EDITIONE *actorum criminalium.*

VI. (a) Idem A. Secundo (b) P. P.

EDI criminalia Acta, (c) vt Ciuilia, iubemus, his videlicet quorum salus ad discrimen (d) vocatur: neque expectari deprecationem (e) Actorum, neque arte Accusatoris differri, vt de innocentia iudicantis (f) atque æquitate consistat. (g) Dat. Kalend. Decemb. Ianuarino & Iusto CONSS. [328.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *Lex* a *Cod. Iust.* Sed ei concordat *lex 2. Cod. Iust. de Edendo.* Sed quatenus? mox dicam. GOTHOFRED.

(b) *Secundus* PP. sub Constantino M. *ID.*
(c) Id est, Gesta. *ID.*
(d) *Discriminis* vox hic propria: vt Symmachi *lib. 2. Ep. 1. Discrimen mouere.* Et alias *discrimen salutis*, eidem. *ID.*
(e) *Deprecatio* est desiderium, libellus supplex, preces, ἀξίωσις, *l. 9. D. ad Leg. Rhod.* & quidem Principi oblatæ preces. *IDEM.*
(f) Recte: erraret enim, qui *iudicandi* reponeret. *Iudicantis* autem, i. Iudicis qui iudicauit, & iudicandi munere functus est. *IDEM.*
(g) Constet in iudicio scil. appellationis, v. & *l. 1. de calumniat. ID.*

COMMENTARIVS.

De Actorvm criminalium *editione* est hæc Constantini M. constitutio: Scilicet, Acta [id est gesta in iudicio] pariter vt ciuilia, ita & criminalia, his quorum salus in discrimen venit: [id est reis criminum factis] officio iudicis edi seu exhiberi iubet h. l. Constantinus M. A. D. 328. *Officio* inquam, *Iudicis.* Ita quidem vt Iudex deprecationem Actorum expectare non debeat, id est, non debeat Iudex expectare, vt id reus petat, vel etiam a Principe impetret. Supplicare Principi nil necesse est ad impetrandam Actorum editionem; neque hanc Iudex necessitatem litigatori imponere debet supplicandi Principi. Quæ ipsa sententia est *legis 2. Cod. Iust. vt lite pendente:* vt adhuc clarius ostendit *lex 6. infr. de appellationibus:* ex qua Tribonianus *dictam legem* 2. interpolauit. Verba *legis 6.* sunt: *Supplicare causa pendente non licet, nisi forte ei cui opinionis exemplum negatum est, vel Instructionis vniuersæ subpressa transmissio. Quo facto crimen Iudici sacrilegii imminebit, qui hoc commisso, litigatori supplicandi necessitatem imponit.* Et vero non minus hæc *lex* nostra, quam *d. l. 6.* siue *secunda Cod. Iust.* ad appellationes, & reum iudicatum appellantem spectat. Vt proinde genuina hæc sententia *legis* sit: Reo, siue condemnato iudicato, a *sententia appellanti ad maiorem Iudicem vel Principem*, Iudicem a quo appellatum, acta omnia reo exhibere debere, neque hanc necessitatem imponere appellanti, vt Principi eam ob rem supplicet. Acta *h. l.* nil aliud sunt, quam quæ *Instructio* vocatur, seu Instructiones necessariæ, *d. l. 6.* & *l. 9. infr. de appellationibus:* seu cuncta quæ litigatores instructionis probationisque causa in iudicio recitarunt, *d. l. 9.* quæque ad instructionem causæ pertinent, *l. 8. d. tit.* Denique vniuersa quæ in negotio siue causa gesta sunt, *l. 29. d. Tit. de Appellation.* de quo plenius *illo Titulo.* Tertullianus *Prolationem* vocat *lib. 1. ad Nationes c. 3.* At cum hac specie non congruit (quod tamen Cuiacius putabat) species *l. 2. Cod. Iust. de edendo:* Pertinet enim ea *lex* ad primæ quoque instantiæ iudicium, & ad Acta seu Gesta, non communia actori & reo (vt hæc *lex* nostra, & *d. l. 2. Cod. Iust. vt lite pendente*, seu *d. l. 6. infr. de appellationib.*) Verum ad Acta extranea & publica, & quæ translata sunt in publica monumenta, & archiua, seu instrumenta publica, ad quorum fidem prouocatur, ad inuestigandam veritatis fidem, vt loquitur *d. lex 2. C. I. de edendo*, id est ad probationem. Hæc postrema nempe Acta publica edi postulantur, vt his inspectis iudicaturum nil lateat aut occupet improuidum & incautum. Illa vero Acta communia (de quibus *h. l.* nostra agitur) vt *de innocentia iudicantis*, id est eius qui iam iudicandi munere functus est, *atque æquitate* eiusdem *constet*, vt *h. l.* dicitur, id est vt in iudicio secundæ instantiæ appareat, an & quam recte secundum acta & probata iudex iudicauerit. Quare caute distinguenda sunt hæc duo actorum genera. Vtrisque sane Actis illud commune fateor, vt officio Iudicis exhiberi debeant. Huc vero spectant quoque, quæ vulgo *Compulsoriales* dicuntur. Cæterum in veteri exemplari Codicis Theodosiani ad finem eius inter alia habetur *lex* in eandem sententiam, quæ Iuliano tamen adscribitur.

IMP. IVLIANVS *ad Mamertinum.*

Conuentis Rectoribus ad sublimitatem tuendi non minus criminalia acta quam ciuilia iubemus, his videlicet quorum salus ad discrimen vocatur.*

Dat. XII. Kal. Dec. Antiochiæ, Iuliano A. IV. & Sallustio Coss.

* γρ. *a Sublimitate tua, edi* &c. Et quid si hæc ipsa lex sit? quæ proinde Iuliano tribuenda videatur, emendatis Coss. *Iuliano & Sallustio*, pro *Ianuarino* & *Iusto.* Verum, nil incertius illis legibus, quæ extra hunc Cod. euagantur.

De AVDIENDIS *reis intra mensem.*

VII. (a) Imp. CONSTANTIVS A Dometio Leontio P. P. (b)

HI, quos custodia delatæ (c) criminationis includit, intra vnius mensis spatium audiantur inquisitione completa; ne si delati criminis causam segnius Iudicantis lenitudo (d) distulerit, reciprocos (e) pœnæ sortiatur incursus. Dat. XV. Kal. Nouemb. Burso (f) & Polemio Conss. [338.]

P. 12.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.
(b) *Dometius Leontius* sub Constantio PP. Orientis: vide *Prosopograph. ID.*
(c) Notoriis Apparitorum, &c. *ID.*
(d) *Lenitudo* hic est inertia & ignauia: quo ipso sensu effertur & *l. vn. infr. de mendicantibus non inualidis*, vt *l. 18. infr. h. t.* desidia Iudicum, vel quadam *Lenitatis* ambitione: vbi vide quæ dicam: alio sensu *leg. 6. infr. de custodia reorum:* Negligentia Iudicum, & Iudex deses. Quare non mutanda hæc vox *h. l.* & *d. l. vn.* voce *lentitudinis:* quod fecit nuper Heraldus I. *Quotidian. 9. in vlt.* Et certe quod idem agnoscit, ita quoque *lenitudo* hoc sensu dicta etiam Tacito *lib. 15. Annal. cap. 51.* vbi de coniuratione contra Neronem. *ID.*
(e) De his verbis mox in *Commentario. ID.*
(f) γρ. *Vrso. ID.*

COMMENTARIVS.

De Accelerando Iudicio criminali est hæc Constantii Imp. constitutio. A. D. 338. aduersus diuturnos carceres. Scilicet Audire custodias, (id est custodia inclusos) ob crimen cuius delati sunt, inquisitione completa, intra vnius mensis spatium, Iudices a Constantio iubentur. Diuturna nempe custodia & carcere macerari reos non oportet, alioquin ea res ad inuidiam & ad pœnam iudicum pertinet, quod iuxta *l. 18. infr. h. t.* & *l. 1.* & *6. infr. de custodia reorum*: (vbi quoque amplior dicendi, etiam ex *Libanio*, locus erit) hac quoque eleganter his verbis exprimitur: *ne si delati criminis causam segnius Iudicantis lenitudo* (de hoc lenitudinis obtentu dico ad *d. l. 18. infr.*) *distulerit*, *reciprocos pœna sortiatur incursus*: vbi obscurum est, quod de *reciprocis pœnæ incursibus* additur. An igitur *Reciprocos pœnæ incursus* vocat, pœnam Talionis, quomodo & *Pœna Reciproci* vocatur *l. 3. infr. de exhibendis reis*: Similitudo supplicii, *l. vlt. h. tit.* Par pœnæ conditio, *l. 14. h. t.* Vicarium pœnæ genus, Valeriano *Homil. 1. de bono discipl. p. 346. Tom. I. Operum Sirmond.* ἀμοιβαία ἀποκλήρωσις in Eccles. hist. ἀντιπεπονθὸς Pythagoræ. Barbaris *contrapassum*, vel *repassio*, hodie *mutua perpessio* vertitur? Verum de hac Reciproci & Talionis pœna vide Interpretem Inst. Imberti *lib. 3. c. 1. in fin.* vbi & *hanc l.* allegat. Forte his verbis id tantum indicatur, conuertendam pœnam in Iudicem, non ideo tamen eundem modum pœnæ quæ *Talionis* lex est.

Ait lex, *Intra vnius mensis spatium*: Ideo quoque Commentariensis intra trigesimum diem, seu singulis mensibus, debebat numerum, crimen, ordinem, ætatem vinctorum, Iudici insinuare, *d. l. 6. infr. de custodia reorum*.

Ait lex, *inquisitione completa*, quod obscurum est. Tentaret quis reponi oportere, *inscriptione completa*. Verum retineri istud oportet: siue quia hæc lex pertinet ad reos, non a priuatis accusatos, sed inquisitione Officialium Apparitorum Curiosorum elogiis siue Notoriis delatos, de quo dicetur *ad l. 1. infr. de custodia reorum* & *ad l. 31. infr. de Episcopis*: siue quia inquisitio completa ad plenam Iudicis cognitionem pertineat, *completa*, pro plena: vel *completa*, pro absoluta. Sed illud verius. Pertinet scil. hoc proculdubio ad reos delatos Notoriis Apparitorum, & ad ἀνάκρισιν, cuius mentio *l. 6. D. de custod. reorum.*

Neque adeo inepte hanc *legem* referre possis ad Castrenses illos tumultus, & Armeniorum sociorum defectionem, latrocinia, quæ Constantino M. mortuo, & Constantio in Pannonia, diuidendo Imperio consistente oborta, mox autem Constantio ex Pannonia in Syriam promoto, (vbi sane hoc mense iam constitisse eum docet subscriptio *legis 23. infr. de Decurionibus*) consederunt: quod Iulianus *orat. 1. ad Constantium* exequitur, *pag. 20. edit. Lips. Spanhemii.*

De Inscriptionis *necessitate, antequam reus tormentis subiiciatur.*

VIII. (a) Impp. Valentinianvs & Valens AA. ad Maximinum (b) Correctorem Tusciæ.

Non sinendum est, vt quisque (c) negotii criminalis strepitu (d) terreatur, (e) nisi inscriptione conscriptus (f) & exhibitionis iniuriam, (g) & rei conditionem sustineat. Dat. XV. Kalend. Decemb. Remis, (h) Acc. Florentiæ, (i) Gratiano Nob. Cæs. (k) & Dagaleifio (l) Conss. [366.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *Lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) *Maximini* huius, Tusciæ Rectoris, meminit quoque Ammianus Marcellinus, *initio lib.* 28. de quo mox. IDEM.

(c) *Quisque*, pro *quisquam*: Reus scil. ID.

(d) Strepitus negotii criminalis, *h. l.* vt *infr. leg. 1. de abolition.* dicitur, *strepitus accusationis exortæ*. Et strepitum inferre, *l. 2. ad l. Corn. de falso*, & mox *ibid. vltimus finis strepitus criminalis*. In commune alioquin fori strepitus, vt apud Symmach. *lib. 5. ep. 16. castra forensia.* ID.

(e) Vt omni terrore calumniæ careat *d. l. 1. infr. de exhibend. reis.* ID.

(f) Legitimum istud est, *inscriptione conscriptus* de quo mox: accusator scil. neque muto in *Constrictus*. ID.

(g) Vide *dictam leg. 1. infr. de exhibendis reis.* ID.

(h) *Remis* data hæc *lex*: vbi tum Valentinianus erat: vid. *Chronol.* & Ammianum Marcellinum, *lib. 26, cap. 5.* ID.

(i) *Florentiæ* accepta hæc *lex*: de quo mox. ID.

(k) Alias Consulatus hic ita designatur: *Nobilissimo Puero*, & melius. Vid. *leg. prox. sequent.* ID.

(l) Alias, Dagalaifo. ID.

P. 13. COMMENTARIVS.

Inscriptione (de qua dictum ad *l. 5. sup.*) non nisi ab accusatore peracta, nemo vel Iudicio exhiberi, vel ad iudicium adduci, & velut reus custodiæ tradi, multo minus (qui huiusce legis finis est) criminalis negotii strepitu terreri, id est tormentis subiici debet, ex hac Valentiniani Sen. Constitutione, scilicet vt accusatus rei conditionem sustineat, accusatorem prius in crimen subscripsisse oportet. Quæ ipsa Sententia est *legis 9. prox.* & *l. 11. 14. vlt. inf. h. t.* vt & *legis 3. in pr. infr. de exhib. reis.* Cuius etiam definitionis siue æquitas siue præcisa necessitas *h. l.* indicatur his verbis: *Non sinendum est.* Ac si diceret, minime id æquitatem ferre: verum ab eo temperare Iudices oportere,

tere, vt alia conditione iudicium criminale instituant.

Ait vero lex, *negotii criminalis strepitu terreatur*, pariter vt *strepitus accusationis exorta*, dicitur *l. 1. infr. de abolitionib.* cum videl. iam processus criminalis instituitur, cum tormenta iam intentantur, cum verbera, cum catenæ: de quibus *l. 2. d. t. de abolitionibus.*

Porro in postremis *huius legis* verbis, quædam vel male habere videantur, vel nonnulla saltem desiderari: Incertum enim videri possit, de quonam ea accipienda sint, num de Reo, an vero de Accusatore? Cuiacius certe ea recte de Accusatore accipienda putauit, indicarique adeo Accusatorem exhibitionis iniuriam, & rei conditionem sustinere. Notum enim, Accusatorem & custodiæ similitudinem, & pœnam eandem cum reo olim sustinuisse: quod etiam exprimitur *l. vlt. h. t.* Sensus igitur hic est, non ante exhibendum reum, non ante Rei conditionem sustinere eum oportere, multo minus negotium criminale obstrepere aduersus eum posse, id est, tormenta ei intentari, *quam inscriptione conscriptus*, id est, quam Accusator in crimen inscripserit: Sic & retro *inscriptus*, pro Reo: *l. 2. inf. de Abolition.*

Cæterum hanc constitutionem inscribi notandum est Maximino Correctori Tusciæ: nempe Maximinus ille est, de cuius supra plantam euagantis sæuitia, Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1.* agit: Et inter alia *Maximinus*, inquit, *post mediocre studium liberalium doctrinarum, defensionémque causarum ignobilem, & administratas Corsicam itidemque Sardiniam, rexit deinde Tusciam. Vnde moratо in itinere diutius successore, progressus ad procurandam vrbis annonam, etiam prouinciæ moderamina retinebat.* De huius Maximini Præfectura annonæ, Vicaria dein Vrbis, mox & Præfectura Prætoriana, in *Prosopographia.*

Tandem de Vrbe *Florentia*, vbi hæc *lex* accepta dicitur, notandum, eam Tusciæ Metropolim fuisse exinde colligi; (id quod iam alibi a me notatum Censoribus placere non potest.) Nam etsi quaqua in vrbe res tulerat, & Prouinciam suam Rector obiens in ea consistebat, ibi quoque *legem* aliquam acceptam annotare mos esset; attamen ex temporis ratione & diuturnitate aliquando constare potest, ea vrbs in qua *lex* accepta dicitur Metropolisne fuerit, an alia. Nisi enim summa æstate *lex* in vrbe aliqua accepta dicatur, siue rescriptum; omnino vbi ea accepta dicitur, ibi & Metropolim ferme fuisse oportet. Non nisi æstate quippe summa Rectores Prouinciarum Prouincias suas obibant, reliquo anni tempore in Metropoli hærebant; de quo iam dixi *sup. tit. de officio Rectoris Prouinciæ l. 4.* & 5. Sed & *l. 1. 2. sup. ne quis in Palatiis maneat.* Igitur toto hoc tempore Vrbes, in quibus acceptæ *leges* dicuntur, Metropoles fuere. Sane in *Itinerario Peutingeriano* vocatur ea *Florentia Tuscorum*, non magis ad differentiam alterius Florentiæ, quam ad indicandum hoc quod dixi ipsum.

De INSCRIPTIONIS *necessitate, antequam reus examinetur.*

IX. (a) Idem AA. ad Valerianum (b) P. V. (c)

NON prius quemquam Sinceritas Tua ad Tuæ Sedis examen iubebit adduci, quam sollemnibus (d) satisfecerit, qui nititur fidem doloris adserere: cum iuxta formam *iuris antiqui*, (e) ei qui cœperit vrguere; (f) aut vindicta (g) proposita sit, si vera (h) detulerit: aut supplicium, (i) si fefellerit. Dat. VII. Kal. Decemb. Remis, Gratiano NB. P. & Dagaleifo (k) CONSS. [366.]

INTERPRETATIO. (l) *Tam ciuile negotium quam criminale, accusationem* (m) *professio manu accusatoris conscripta præcedat.*

NOTAE.

(a) *Lex 7. Cod. Iust. de Calumniatoribus.* GOTHOFRED.

(b) Al. *Valentinianum.* ID. Hanc lectionem habet Cod. W. RITTER.

(c) Vide Commentarium. GOTHOFR.

(d) Id est Inscriptioni in crimen: *Solemnia*, pro Inscriptione *h. l. & l. vlt. infr. ad Leg. Cornel. de falso & l. 11. §. 5. D. ad l. Iul. de adult.* & solemnitas iuris *l. 3. ad Leg. Iuliam de vi*: solemni lege se vincire, *l. 3. infr. de exhibend. reis.* laqueus legis, *l. 2. infr. de abolitionib.* Eodemque sensu subscriptionis mos ordoque, *l. 5. supr. h. tit.* ID.

(e) Vt iure veteri, *d. l. 5. sup.* secundum iuris præscriptum *l. 11. infr.* secundum ordinem legibus institutum, *l. vlt. infr.* IDEM.

(f) *Vrguere* recte: quomodo etiam *Manuscripti* Codicis Iustinianei habent: alioquin in *editis* eodem sensu *arguere*: In eodem hoc Inscriptionum argumento *l. vlt. infr. ad leg. Corneliam de falso*: spatium vt habeat, qui perurgueat profitendi, vtrum de falso criminaliter, an de scripturæ fide statuat ciuiliter experiri. Eodem sensu vox hæc sæpe apud Symmachum: v. & *Gloss. Th.* ID. *Arguere*, Cod. W. & Edit. Sichard. RITTER.

(g) De reo, seu accusato vindicta; de alio *supplicium* sumitur. GOTHOFR.

(h) *Verum*, Cod. Goth. RITTER.

(i) De accusatore si falsa detulerit. GOTHOFRED.

(k) Alias *Dagalaifo.* ID.

(l) Inepta interpretatio. ID.

(m) Cod. Goth. *criminalem accusationem*, impressi vero priores, *criminale, accusationis*, RITTER.

COMMEN-

P. 14.

COMMENTARIVS.

INSCRIPTIONE non nisi prius facta, Reum Iudiciario examini sisti a Praefecto vrbis iuberi, vetat *h. l.* Valentinianus Sen. A. D. 366. Quae & ipsa fuit superioris *legis* sententia & quatuor aliarum insuper *hoc titulo*, puta *l. 5. sup. l. 11. 14. & vlt. inf.* erit & *legis 3. in princ. inf. de exhibendis reis:* Idque iuxta formam Iuris antiqui, quae notissima; quae & ipsa arcessitur *d. l. 5. sup. & l. 11. & vlt. inf.*

Species tantum *huius legis* peculiare id habere mihi videtur, quod proprie ad *accusationem Adulterii* pertineat: id quod ex nonnullis eius vocibus colligere mihi videor; ex voce inquam *doloris & vindictae*. Propriae enim hae voces & solennes hoc in crimine; vt docet *l. 2. §. 8. & l. 15. §. 6. D. ad leg. Iuliam de Adulteriis*, & *lex 4. & 15. Cod. Iust. eod. tit.* sed & *lex 2. inf. ad leg. Iuliam de Adulteriis:* & Iuuenalis *Satyra X. vers. 314.*

- - - - Exigit autem
Interdum ille dolor plus, quam lex vlla dolori
Concessit.

Et Phaedrus in eadem re *Lib. III. fab. 11. v. 28. Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.* Etsi non negem, DOLORIS vocem ad omnem accusationem pertinere: Apuleius *Apologia init. pag. 243. edit. Lugd. B. Ioan. Maire. Iam concesso quodam more rabulis id genus, quo ferme solent linguae suae virus alieno* DOLORI *locare*. Item id peculiare habet haec *lex*, quod ad Praefectum vrbis directa sit, cui haec velut fibula imponi videtur, accusatoribus & accusationibus nimium deferenti: pariter vt *lege superiore*, Maximino. Habet & illud notandum, quod *fine l.* inscriptionis conditionem seu vim refert, nempe supplicium accusatoris, si fefellerit, de quo praeter *leges* alias, quae in *Paratitlon* congestae sunt, Symmachi quoque locus extat insignis, *lib. 10. ep. vlt.* cuius verba quaedam iam retuli ad *l. 5. sup.*

EXTRA *Prouinciam accusari quem, iudiciumque criminale agitari non posse.*

X. (a) Idem A. & Gratianus A. ad Florianum Com. (b) Post alia.

VLTRA (c) Prouinciae terminos accusandi (d) licentia non progrediatur: Oportet enim illic criminum iudicia agitari, (e) vbi facinus dicatur (f) admissum: Peregrina (g) autem iudicia praesentibus legibus coercemus. Dat. Id. (h) Nou. Marcianop. Valentiniano & Valente IV. AA. Coss. [373.]

INTERPRETATIO. (i) *Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est, nam alibi criminum reus prohibetur audiri.*

NOTAE.

(a) Abest haec *Lex* a Cod. Iust. Concordat huic, *lex 15. infr. hoc eodem tit.* quae ex *hac* totidem pene verbis descripta est. Et coniungenda huic, *lex 11. infr.* proxime sequens, & *l. 8. infr. de famosis libellis*, si modo restituatur huius *legis* dies. GOTHOFRED.

(b) An Comitem rerum priuatarum: vt *l. 20. supr. de cursu publico*: & *l. 11. infra de exactionibus?* An Consularem prouinciae? vide quae dicam ad *d. l. 8. infr. de famosis libellis*. ID.

(c) Extra *l. 16. infr.* Inserta autem haec sententia Stephani *I. Ep. 2. cap. 8. pag. 144. Tom. I. Concil. Harduin.* & inde relata in Decretum *can. 4. C. 3. quaest. 6.* vbi exceptio illa additur, *Nisi tantum ad Apostolicam Sedem fuerit appellatum.* IDEM.

(d) Accusatori non erit licentia progredi: *d. l. 16.* ID.

(e) Fieri, *d. l. 16.* IDEM.

(f) Dicitur, vt *d. l. 16.* ID. Hanc lectionem habet MS. G. RITTER.

(g) Inserta haec sententia variis Pontificum Epistolis: Anacleti *Ep. 1. cap. 3. pag. 67. Tom. I. Concil. Hard.* Hygini *Ep. 1. cap. 4. pag. 94. Tom. eod.* Iulii I. *Ep. 2. cap. 16. pag. 564. Tom. eod.* Felicis I. *Ep. 2. pag. 202. Tom. eod.* Eusebii *Ep. 3. pag. 241. Tom. eod.* Fabiani *Ep. 3. cap. 2. pag. 129. Tom. eod.* Citatur etiam *can. 12. C. 3. Q. 6. & can. 1. C. 25. qu. 2.* GOTHOFRED.

(h) *V. Id. Nou. d. l. 11. & d. l. 8.* ID. Cod. W. *Dat. Prid. Id. Nouembr.* RITTER.

(i) Inserta haec interpretatio, tanquam Imperiale statutum, Damasi *Ep. 4. cap. 9. pag. 766. Tom. I. Concil. ed. Harduin.* GOTHOFRED.

COMMENTARIVS.

APVD ALTERIVS PROVINCIAE Iudicem, quam vbi crimen admissum est, & reus qui dicitur, consistit, (nam id ita intelligendum est) accusari, iudiciumque criminale agitari, atque adeo reum *Euocari:* seque sistere cogi vetat *hac l.* Valens Imp. A. D. 373. pariter vt vetatur a Theodosio M. *l. 16. inf.* quae ex *hac lege* repetita est; de quo videndus est plenius *Titulus Codicis Iust. Vbi de criminibus agi oporteat.* Dixi, *& reus qui dicitur consistit:* eo namque pertinet haec *lex*, & *altera lex 16.* Nam alioquin ibi quisque reus peragi potest, vbi reperitur: *l. 1. Cod. Iust. d. tit. vbi de criminibus.* Et hoc quidem sensu Peregrina iudicia *h. l.* prohibentur: Peregrinum scil. iudicium *h. l.* non est, quod alibi agitatur, quam vbi crimen admissum est, verum quod de iis agitur, qui in alia Prouincia commorantur: & sic apud Iudicem non naturalem. Symmachus sane quoque *ea lib. 10. ep. 62.* ad *Peregrina transferri* vocat, ad alium Iudicem quam naturalem; puta si Senatoriae controuersiae a foro Praefecti Vrbis, qui proprius est Senatorum Iudex, ad Rationalem & Palatinos Comitum R. P. transferantur.

tur. *A quibus* [Senatoribus] *pleraque seruitia Palatinus Eusebius iussas eruere, vt bonorum Catuli clarissimæ memoriæ Viri quæstio iudicationibus sacrisque Responsis consummata ripetatur, querimonias Optimatum, qui dudum partis fruuntur, exciuit. Ventum est igitur ad leges, executore cupiente, quem contradictio repellebat; implorataque Vestri Numinis sanctiones, quæ Senatorum controuersias transferre ab Vrbano foro ad Peregrina vetuerunt.* Sed & in Politia Ecclesiastica, *Peregrina Iudicia* similiter prohibentur. Eodem sensu *Peregrini Episcopi, & clerici*, alterius ciuitatis, vel prouinciæ dicuntur *l. 37. inf. de Episcopis.* Et pariter ciuitatis prouinciæ suæ finibus peregrinos expetere commeatus, *l. 161. inf. de Decurionib.* Et proprie peregrinus, alterius Prouinciæ ciuis, qui ideo ciui Prouinciæ opponitur in *l. 1. sup. de Assessorib.* ibi quædam dixi: vide & *leg. 9. sup. de Numerariis.* Ita Basilius qui sub Valente *huius leg.* Authore scripsit, *epist. ad Demosthenem prouinciæ Rectorem, 385.* causam Gregorii εἰς τὴν ὑπερορίαν non trahi; verum in patria iudicium fieri postulat. Præses igitur siue Rector prouinciæ, extra terminos prouinciæ suæ, admissi criminis ab eo, qui in alia versatur, cognitionem sibi vindicare non potest, non magis quam Duumuir extra territorium, seu metas propriæ ciuitatis, potestatem fascium extollere, *l. 174. inf. de Decurion.* & *l. vlt. D. de iurisdictione.* Breuiter, suos quisque Magistratus fines & terminos excedere prohibetur.

P. 15.

Sed quænam huius *legis* species fingi potest? An quod cum de criminum reis quæstiones in aliqua prouincia agitarentur, alii ceu conscii, vel eodem crimine impliciti & implicati in aliis prouinciis, apud eundem Iudicem accusarentur, atque adeo excirentur, euocarentur: & forte coloni rei priuatæ ad alterius Prouinciæ Rationalem (si modo Florianum, cui hæc *lex* inscribitur, Comitem Rerum Priuatarum accipimus.) Quod quia ad iurisdictionum etiam confusionem pertinebat, ideo Valenti *h. l.* prohibere visum fuerit: vide & similem *l. 2. supr. de offic. Iudicum omnium.* Species hæc minus placet. *Commissionibus* certe *Rogatoriis*, vt vocant, & literis ad alterius Prouinciæ Magistratum datis, Rei in aliena Prouincia perquiri, atque adeo reos ad se remitti desiderari quandoque potest, quas literas nos *Rogatorias*; Germani, *Mutui compassus* appellant: cuius moris exemplum extat in *l. 1. §. 2. D. de fugitiuis*, & *in l. 7. D. de custodia & exhibitione reorum: l. 7. D. de incendio, ruina: Nouell. 134. c. 5.* (vnde desumpta est *Authent. si vero, Cod. Iust. ad leg. Iul. de adult. 15.*) & sic Remissionibus locus est. Id vero illarum hactenus Prouinciarum Iudicibus indulgetur, vbi crimen admissum est, vt ex dictis *legibus* apparet. Neque his adeo absimile est, quod cauetur in *l. 24. D. de Tutorib. & curatorib. datis.*

Tandem obseruandum, hanc *legem* esse portiunculam e tribus *hoc Codice* vnius eiusdemque Valentis Constitutionis, qua in vniuersum prouidit, vt *Criminalia* Iudicia iustis accusationibus & iudiciis agitarentur; de quo paulo plura ad *legem proximam.* Nempe vt ne vltra prouinciæ terminos agitarentur *h. l.* Ne temere vel calumniose, sed post legitimam Inscriptionem: *l. prox. 11.* Ne per nudam contestationem, aut famosos libellos, *l. 8. infr. de famosis libellis.*

De INSCRIPTIONIS *necessitate, antequam accusatio admittatur.*

XI. (a) Idem AAA. ad Florianum Com. Post alia.

NVLLVS, secundum *iuris* + perscribtum, (b) crimen quod intendere proposuerit, exsequatur, nisi subeat inscribtionis vinculum: (c) Etenim, qui alterius famam, (d) fortunas, caput denique, & sanguinem in iudicium deuocauerit, (e) sciat, sibi impendere congruam (f) pœnam, si quod (g) intenderit, non probauerit: &c. Dat. V. Idib. Nou. Constantinop. (h) Valentiniano & Valente IV. (i) AA. Coss.

INTERPRETATIO. *Nisi inscribtione* (k) *celebrata per ordinem* (l) *reum quenquam non fieri, nec ad iudicium exhiberi, quia sicut conuictum pœna constringit, ita & accusatorem, si non probauerit quod obiecit.*

N O T A E.

(a) Iungenda *huic*, vt dixi, *l. 10. sup.* & *l. 8. inf. de famosis libellis.* GOTHOFRED.
+ Antiqui *l. 9. supr.* Veteris, *l. 5. supr.* quinimo & moris, *d. l. 5.* ID.
(b) *γρ.* Inuerse *prescriptum*, vt etiam habet *Codex Tilianus.* IDEM. *Præscriptum*, edidit Sichard. *proscriptum* scripsit librarius W. RITTER.
(c) Vinculum inscriptionis, *h. l.* & *l. 2. infr. de adult.* vt, vinculum legis, eodem sensu, *l. 14. infr.* & laqueus legis, *l. 2. infr. de abolitionibus.* GOTHOFR. *Scriptionis vinculum*, MSS. W. & G. RITTER.
(d) Similis locus *l. 3. sup.* & *l. 1. inf. ne præt. crim. maiest.* GOTHOFRED.
(e) *Euocauerit*, Cod. W. RITTER.
(f) Similem, parem, Talionis, Reciprocã. Vide dicta *ad l. 5. sup.* GOTHOFRED.
(g) *Si sicut*, Ed. Sichard. RITTER.
(h) Error manifestus: *γρ.* (*vt super l.*) *Martianop.* GOTHOFRED.
(i) Pariter vt *l. superior.* Malit quis *II.* vt ita referatur hæc *lex* ad Annum 368. Sane Anianus Andegauensis habet *III.* Vide, quæ dico *infr.* ad *d. l. 8. de fam. libell.* ID.
(k) *Scriptione*, Cod. W. RITTER.
(l) *Per ordinem*, hæc absunt a MSS. & impressis. ID.

COMMENTARIVS.

DE INSCRIPTIONIS necessitate, est hæc pariter Valentis Imp. secundum ius vetus *lex*, quæ Valentis Constitutionis (vt iam *ad leg. superior.* dixi) portiuncula est, e tribus quæ hoc *Codice* continentur

eodem semper sensu, quo aliæ, quæ de eadem re sunt, *l. 8. 9. supr.* & *l. 14.* & *l. vlt. infr.* Imo *l. 8. infr. de famos. libell.* quæ huic iungenda est, vna cum *l. 10. prox. sup.* Nempe, vt ex his tribus *legibus* colligere licet, Valens Imp. ea constitutione, vt iustis accusationibus & iudiciis, criminalia iudicia agitarentur, enixe prouidendum credidit: Tribus in id constitutis. Nam agitari voluit Inscriptione præuia *h. l. 11.* non calumniis, non famosis libellis, *d. l. 8. infr. de famos. libell.* tandem in suo foro, non peregrino: *l. 10. prox. sup.* Et ita quidem *hæ tres leges* inter se coassandæ veniunt, & coassatæ Valentis propositum, singularumque adeo legum rationes egregie ingerunt.

Ex his interim quoque tot legibus *hoc Codice*, quibus Inscriptionis in crimen necessitas requiritur, colligere licet, quam prauus contra passim hoc æuo mos subinde inoleuerit, vt spreta veteris Inscriptionis necessitate, accusationes admitterentur; proculdubio Iudicum seu Rectorum prouinciæ, siue lenitate siue contra acerbitate; vt necesse fuerit, iuris veteris præscriptum hac parte subinde reuehere, quod vt *l. 5. sup.* ita & *h. l.* diserte fit, secundum IVRIS, inquit, *præscriptum*, vt & *l. vlt. inf.* Tandem ratio siue Sanctio quæ *h. l.* subiicitur elegans notetur: cui similis occurrit *l. 5. sup.* & *l. 3. infr. ne prat. crim. maiest.*

P. 16.

De RECRIMINATIONE. *Quando ei locus sit.*

XII. (a) Idem AAA. Laodicio (b) Præsidi Sardiniæ.

NEGANDA est accusatis (c) licentia criminandi, (d) priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint: (e) Nam (f) sanctionum veterum Conditores *adimendam licentiam omnibus* censuerunt *in accusatores suos inuidiosam dicendi vocem.* Nullam itaque obtineat in Iudiciis auctoritatem periclitantium furor: qui si latius euagetur, (g) ne ipse quidem *Cognitor* (h) tutus erit, aut quæstionem (i) securus agitabit, qui *exsequendo iuris seueritatem, non potest illorum quos punit, odium euitare.* Dat. Prid. (k) Id. August. Carnunti, (l) Gratiano (m) A. III. & Equitio V. C. Coss.

INTERPRETATIO. *Non credendum est contra alios eorum confessioni,* (n) *qui in criminibus accusantur, nisi se prius probauerint innocentes: quia* (o) *periculosa est, & admitti non debet rei aduersus quemcunque professio.* (p)

NOTAE.

(a) *Lex 19. Cod. Iust. de his qui accusare non possunt.* Inserta hæc sententia Stephani *I. Epist. 2. cap. 8. pag. 14c. Tom. I. Concil. Harduin. Edit.* vnde desumpta ea primo loco, sed & mox ex *Cod. Iustin. d. l. 19.* relataque in Decretum, *can. 1. & 2. caus. 3. Qu. XI.* GOTHOFR.

(b) *Laodicius* Præses Sardiniæ sub Valentiniano Iun. *ID.* *Laodiceo*, Cod. Iust. *Laudicio*, C. W. *RITTER.*

(c) *Neganda est accusatio, qui non suas suorumque iniurias exsequuntur*: hoc inseruit Tribonianus; vnde habet & *d. can. 2.* GOTHOFRED.

(d) Accusatores scil. suos, vt infra: Cæterum etiam addidit Tribonianus, *in pari, vel minori crimine,* vnde etiam habet *d. can. 2.* *ID.*

(e) *Exuendi* vox hic propria: v. *Gloss. IDEM.* Cod. W. ita legit: *Neganda est accusatori licentia criminandi priusquam crimine quo obstrixit exuerit.* Cod. Goth. *neganda est accusandi licentia criminosis non prius detur quam se a crimine quo premuntur exuerint.* *RITTER.*

(f) Cætera vt resecta vel imminuta fuerint a Triboniano, vide ipsammet *legem.* GOTHOFRED.

(g) Euagari finatur. *ID.* *Euagentur*, Cod. W. *vagetur*, Ed. Sich. *RITTER.*

(h) *Cognitor*, id est, Iudex, qui de crimine cognoscit, & Iudex quæstionis. GOTHOFRED.

(i) *Questionis* vox propria criminali Iudicio, ita *l. 3. supr. in publicis quæstionibus.* *ID.*

(k) *III. Id.* *ID.* Hanc lectionem seruant MSS. W. & G. Sichard. habet *Prid. Cal. Aug.* *RITTER.*

(l) Vide *Commentarium.* GOTHOFRED.

(m) *P. C. Gratiani*: & ita rescribendum: V. *Comment.* *ID.*

(n) Professio, *infr.* *ID.*

(o) Hæc interpretationis verba inserta Dionysii *Epist. 2. pag. 184. Tom. I. Concil. Ed. Harduin.* Iulii I. Epist. 2. *cap. 18. pag. 564. 566. Tom eod.* & Hadriani Papæ I. *Capitul. 33. pag. 2068. Tom. III. Concil. ed. cit.* & exinde Decreto, *can. 1. & 3. caus. 3. Qu. XI.* etiam *can. 5. caus. 15 Qu. III.* Et sic in Decreto, *in eadem questione*, hæc sententia tribus capitibus proponitur, ex Codicis Anianei transcripto, ex Codice Iustinianeo, & ex interpretatione. *ID.*

(p) *Confessio*, Cod. W. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

DE RECRIMINATIONE seu ἀντικατηγορίᾳ & Relatione criminis, est hæc elegans admodum Valentiniani Senioris Constitutio, ad Præsidem Sardiniæ data, quam Tribonianus miro flagitio interpolauit, de quo postea. Nempe accusatus quicunque tandem, quamdiu in reatu est, accusatorem suum accusare abscise *h. l.* prohibetur, & recriminantis vox omnino repelli iubetur; vocibus peremptoriis puta, *omnibus*, & *Nullam.* Cum proculdubio in quadam facti specie Laodicius Præses Sardiniæ (cui hæc *lex* inscribitur) hæsitasset. Id quod *sanctionum* quoque *veterum Conditores censuisse*, hac *lege* dicitur: & vero id constituitur *initio l. 1. C. Iust. de his qui accusare non possunt:*

sunt: & *l. 5. D, de publicis Iudiciis:* vbi eleganter quoque Vlpianus: *Constitutionibus obseruari, vt non relatione criminum, sed innocentia reus purgetur.* Sane eodem respexit & Gregorius Nazianzenus, *in Epistolis:* ἵνα νόμον φυλάξω, καὶ μὲ πρῶτον ἀπολογίσομαι, &c. id est, *vt legem seruem, meque prius purgem.* Quo pertinet quoque forensis apud Gallos Regula, *Reconuention n'a point de lieu en Cour laye.* Et rationem ingerit Valentinianus, cum & *inuidiosam vocem* recriminantium, & *periclitantium furorem* vocat: ac si diceret, Reum furore potius, & vt inuidiam tantum accusatori suo concitet, præsumi recriminari, propriæ salutis desperatione: quod si semel liceret, ecquis non semper accusatori suo crimen referret? Imo, quæ altera ratio a consequenti & absurdo hic adsignatur, latius euagante iam licentia, id est, hocque semel indulto, ecquis reus non etiam ipsimet iam Iudici crimen inferret? *Ne ipse quidem*, vt eleganter *hac lege* dicitur, *Cognitor tutus erit, aut quæstionem securus agitabit, qui exequendo Iuris seueritatem, non potest illorum quos punit odium euitare.* Nempe ita ferme euenit, vt quem quis criminis Quæsitorem & Iudicem habet, eundem pro inimico habeat, vel habere gestiat: non minus quam aduersarium, quo agente & instante ad pœnam deposcitur. Hæc denique ferme constantis Iudicis messis est, vt non possit non illorum, quos punit odium incurrere.

His ita expensis, simul apparet, sub qua limitatione hæc *lex* accipienda sit: Nempe de eo *Recriminationis* genere *hac lege* agi, quod a periclitantium furore tantum proficisci potest, & inuidiæ tantum conflandæ, neque cum instituto iudicio quicquam commune habet, sed extra causam & extrinsecum est. Quare non excluditur hac *lege*, vel expellitur ea recriminatio, quæ causam spectat, quæque reum releuat, & *crimine* quo *premitur exuit*, vt hæc lex alioquin loquitur, & accusatorem onerat: de quo est *l. 14. §. 6. D. de bonis libert. l. 2. §. 1. D. ad Leg. Iul. de adult. lex 28. Cod. Iust. ad L. Iul. de adulter. l. 1. 3. C. eod. de calumniat.* Quæ ita cum hac *lege* concilianda veniunt.

Rursum, quæ secunda limitatio ad hanc *legem* adhibenda est, neque huius *legis* præiudicio excluditur iustissima illa recriminationis in Iudices species, quam exercuere olim Christiani aduersus gentiles, & in his Tertullianus *lib. 1. ad Nationes*, iam inde a *decimo* eius *capite*, vbi dixi.

Alia vero nunc Quæstio est, & ab *hac lege* aliena, vtrum confessus iam conuictus socios arguere, & indicare possit, de quo erit *l. 19. infr. h. t.*

Tandem obseruandum, Tribonianum tribus limitationibus abscissam *huius legis* definitionem interpellatione sua perfregisse. Nam 1. & maius crimen, quam cuius quis reus factus est, recriminatione obiici, & defini posse indicat: quod etiam *l. 1. Cod. Iust. de his qui accusare non possunt*, definitur eo emblemate, quod Tribonianus sub *finem* addidit. 2. Sed & in pari quoque vel minori crimine, recriminationem hactenus admittit, vt reus aduersarium deferre quidem possit, & inscriptionem aduersus eum deponere seu edere, id est libellum accusationis scripto comprehendere; sed nondum litem cum eo contestari, & postulare, vt inter reos nomen eius recipiatur. Sic vt recriminationis cognitio tantisper differatur, donec prima & principalis accusatio definita fuerit. 3. Postremo recriminationem admittit, si suas suorumque iniurias quis exequatur. P. 17.

Tandem ne breuis commentarii modum excedam, de *Reconuentionis* materia in causis criminalibus, videri cupio Socin. *in cap. 1. de mut. petit.* & Gisebertum *tractatu de Reconuentione, cap. 16.*

Vltimum neque prætereunda huius *legis* subscriptio, cuius ope Consulatus emendandus venit. Clare enim docet Ammianus Marcellinus, *lib. 30. cap. 5.* A. D. 375. Valentinianum *Carnunti* Illyriorum oppido versatum per continuos tres menses, armis parandis & alimentis, aduersus Quados moturum. Itaque referenda hæc *lex* est omnino ad illum annum. Superiore enim Anno Valentinianus in Gallia versabatur. Quare hi Consules omnino subscribendi, *post Consulatum Gratiani Augusti III. & Equitii.* Quod etiam Doctiss. Valesium probare postea deprehendi ad Ammianum Marcellin. *loc. citat.* Neque omittendum, quod idem Marcellinus addit, eundem apud *Ancincum* moratum Autumno præcipiti, cum *Carnunti*, per continuos tres menses æstiuos substitisset. Hinc est igitur, quod Augusto mense hæc lex *Carnunti* data dicatur.

De SENATORVM *criminis reorum foro: deque* QVINQVEVIRALI *Iudicio Præfecti Vrbis.*

XIII. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS, & Valentinianus AAA. ad Senatum (b) Post alia.

PROVINCIALIS Iudex, vel intra Italiam, (c) cum in eius disceptationem criminalis causæ dictio aduersum *Senatorem* inciderit, intendendi (d) quidem examinis & cognoscendi causas habeat potestatem, verum, nihil de animaduersione decernens, (integro (e) non causæ, sed capitis statu,) referat ad Scientiam (f) Nostram, vel ad Inclytas (g) potestates: Referent igitur Præsides (h) & Correctores, item Consulares, Vicarii quoque, Proconsules, (i) de capite, vt diximus Senatorio, negotio (k) examine habito. Referant autem de Suburbanis prouinciis Iudices, ad Præfecturam Sedis Vrbanæ; de ceteris, ad Præfecturam Prætorio. Sed (l) Præfecto Vrbis cognoscente de capite Senatorum, Spectatorum maxime virorum iudicium Quinqueuirale sociabitur, & de Præsentibus & Administratorum honore functis licebit adiungere sorte ductos, non sponte delectos: &c. Lecta (m) in Senatu III. Id. Feb. (n) Valente V. & Valentiniano AA. CONSS. [376.]

N O T Æ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Non dubito, quin huic *legi* coniungenda sit *lex 2. Cod. Iust. vbi Senatores*: de quo mox plura, vt & *lex 8. infr. de metallis, lex 19. de operibus publicis.* GOTHOFR.

(b) Vrbis

(b) Vrbis Romæ. Et quidem Oratio hæc Senatui inscribitur, quia est de foro Senatorum in causis criminalibus. *ID.*

(c) *Italia* a *Prouinciis* separatur, quandoque tamen connumeratur, de quo alibi. Interim generali *Italiæ* appellatione, hic comprehendi obserua suburbicarias quoque prouincias, cum alias ab Italia specialiter accepta separentur. *ID.*

(d) Id est, examinis habendi, cognoscendi. Huc interim facit *l. 2. circa med. infr. ad leg. Corneliam de falso.* ibi: *ad imitationem Relationis, quæ solum audiendi mandat officium, præeat notionem. ID.*

(e) Nihil hic immutandum est, neque addenda vox *de*: Neque enim hæc verba connectenda sunt cum voce *referat* Verum duabus virgulis includenda sunt ista, *integro non causæ, sed capitis statu.* Integer scil. causæ status non est, quia Iudex iam de crimine & causa cognouit. Est autem integer capitis status, quia Iudex de animaduersione nihil decreuit. *ID.*

(f) Vide *legem* 10. *infr. de pœnis. ID.*

(g) *Inclytæ potestates*, Præfectus vrbi, & Præfectus Prætorio. *ID.*

(h) Enumerantur hic omnes Prouinciarum singularum & Diœceseon Magistratus, Spectabiles videlicet & Clarissimi. Et quidem sic: vt inuerso ordine honoratiores sint, qui posteriore loco nominantur, facto a minoribus ad maiores progressu cum alias ordine literæ maiores præponi soleant. *ID.*

(i) Fuit hoc tempore in Occidente, non vnus Proconsul Africæ, verum & alter Hispaniarum scil. de quo mox ad leg. sequ. *ID.*

(k) *γρ.* negotii. *ID.*

(l) Hanc *huius legis* Sententiam indicat & confirmat. *l. 12. seu vlt. sup. de iurisdictione. ID.*

(m) *Lectæ in Senatu* Principum Orationes: vide hoc ipso Anno *legem* 8. *infr. de metallis*: & *l.* 19. *infr. de operibus publicis*: Quæ *lex* etiam agit de Præfecto vrbis. Et forte huic legi sociandæ sunt. *ID.*

(n) Error in mense. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE SENATORVM Criminis reorum foro est hæc Gratiani Constitutio: quæ pars est prolixioris Orationis Gratiani ad Senatum emissæ; cuius partem fuisse quoque censeo *legem 2. Cod. Iust. vbi Senatores*, quod suadent omnino inscripti *Imppp. iidem* scil. qui & huic legi, etsi subscriptio discrepet. Sane vt hæc pars nostra est de Senatorum foro in criminibus, ita illa in causis ciuilibus. Ex qua vtraque inter se collata, hæc differentia consurgit: Nempe in ciuilibus causis Senatorem, in vrbe, & in suburbanis, in iudicio P.V. conueniendum: in cæteris prouinciis coram Rectore prouinciæ, quæ sententia est *d. legis 2.* At enim criminalium causarum alia ratio est, quod hac *lege* constituitur: Nempe de Senatore
P. 18. criminis reo, vt ordinarius iudex, ita etiam Spectabilis de causa cognoscere quidem a Gratiano permittitur: & vt *hac l.* dicitur, *intendere examen, & cognoscere causas.* Quod & ipsum Cassiodorus voluit *VI. Var. 21.* in formula Rectoris prouinciæ. *Constat esse tuæ fidei commissum Principi renunciare, quod in Prouinciis probatur emergere: Tu etiam Senatorem ibidem residentem iuberis audire:* at non etiam quidquam statuere: verum referre super eo etiam Spectabilis iubetur (de quo Relationis genere vide etiam *l. 2. infr. ad L. Corn. de falso:*) vel enim ad Principem referre ea de re debet, vel ad Præfectum Vrbi, ex suburbanis videl. Prouinciis: vel ad Præfectum Prætorio, ex cæteris. (Ad aliquid respondet, *l. 2. infr. de exhib. reis:*) Atque ita hæc Gratianus: & a Constantino M. & a patre Valentiniano diuersus. Nempe contraria hæc *lex* est *legi 1. sup. h. t.* qua scil. statutum a *Constantino* M. fuerat, vt Senator criminis reus Prouinciale forum ita sortiretur, vt ibi etiam pœnam statim exciperet, sine vlla ad Principem relatione, sine vlla fori præscriptione. Rursum & vice versa contraria hæc *lex* est *legi 2. infr. de exhib. reis:* qua contra Valentinianus Sen. de Senatoribus ordinarios Iudices ne cognouisse quidem indicat. Sed & *legi 10. infr. de pœnis*: qua idem Valentinianus etiam Præfecto Vrbis ius austerioris vltionis promendæ in Senatorem adimit, & rationis necessitatem imponit.

Cæterum, si quid video, lata hæc a Gratiano *lex* videtur (de quo dicam adhuc aliquid *fine legis*) Spectabilium Iudicum potissimum occasione: qui exemplo Illustrium Iudicum (Præfecti vrbis) de capite Senatorio statuere volebant, nempe quod & ipsi sacra vice iudicarent: Id quod eis Gratianus *hac l.* denegat: atque adeo discrimen inter Illustres & Spectabiles hac parte constituit, rursum Spectabiles & Clarissimos exæquat. Obseruandum porro, ad Præfectum Vrbi vel Præfectum Prætorio de capite Senatorio referri iuberi, pro modo Iurisdictionis & diœceseos cuiusque: Ex suburbanis scil. Prouinciis ad Præfectum Vrbis referri iubet Gratianus, quia scil. propria hæc eius administratio siue diœcesis erat, Ex cæteris vero Prouinciis, ad Præfectum Prætorio, quia cæteræ Prouinciæ Præfecti Prætorio diœcesim seu diœceses constituebant. Fingamus igitur, in Sicilia, Sardinia, vel etiam Illyrici Occidentalis Prouincia, imo fingamus intra *Italiam* (specialiter sic dictam) veluti in Piceno Annonario scil. de capite Senatorio iudicium agitari: Ex his sane ad Præfectum Prætorio Italiæ referendum erit: quod etiam expresse ostendit *d. lex 2. infr. de exhib. reis.* At fingamus, de capite Senatoris quæri in Tuscia Suburbicaria, vel simili: Ad Præfectum Vrbi referendum erit: Vt ex his luce meridiana clarius constet Suburbicarias Prouincias peculiarem Præfecti Vrbis diœcesim constituisse, seu centesimum vrbis miliarium, quod eodem recidit: de quo alias dicendi locus fuit. Et hæc quidem ita hac Gratiani Oratione constituuntur.

Sane Præfectum Prætorio de Senatoribus iudicasse iam olim, Lampridii locus *in Alexandro Seuero cap. 21.* ostendere vulgo creditur: sed non ita est. Neque enim *eo* Lampridii *loco* indicatur ad Præfecti Prætorio notionem id pertinuisse, verum Præfectum Prætorio sententiam dixisse in Senatu cum cæteris Senatoribus: *Alexander*, inquit, *idcirco Senatores esse voluit Præfectos Prætorii*, NE QVIS *non Senator de Romano Senatore iudicaret.* Quo eodem pertinet, quod Spartianus *in Vit. Adrian. cap. 8.* Adrianum memorat, *Equites Romanos de Senatoribus iudicare non permisisse:* & Capitolinus de Marco, *in Vit. cap. 10. eum non passum in causis, quibus de capite Senatoris esset iudicandum, Equites Romanos interesse.* Nempe Senatorem Principes, non nisi ex Senatus & Senatorum arbitrio puniebant, vel etiam puniri volebant; de quo locus est etiam apud Spartianum *in Hadriano cap. 7.* in tantum, vt Spartianus memoret, *in Seuero cap. 7.* Senatus Consultum, quod Seuerus ipse tandem fieri coëgerit, *ne liceret Imperatori, inconsulto Senatu occidere Senatorem.* At certe, quæ

quæ Senatui primum de capite Senatoris cognitio tributa fuit (quod etiam Dio sub Mecænatis nomine proponit) ea ad Præfectum vrbi peruenit: Sic vt Senator vbicunque criminis reus, forum (Vrbani scilicet) præscriptionem haberet: vt satis indicat *l. 1. sup. h. tit.* & *l. vnic. Cod. Iust. ne liceat potentior.* Verum euecta Præfecti Prætorio authoritate, inuicem depressa Præfecti vrbi, tandem inter Præfectum Prætorio, & Præfectum Vrbi notio de capite Senatorio diuisa fuit, & quidem ita, vt breuibus (licet angustissimæ) diœceseos terminis Præfecti vrbi notio includeretur. Cui geminum prorsus circa appellationum iura factum: atque imminutæ Præfecti vrbi Iurisdictionis exemplum suppeditabit *Titulus infr. de Appellationibus.*

Quinimo, vt ad *legem* nostram redeamus; Gratianus hac ipsa Oratione, Præfectum vrbi, quo casu de capite Senatorio cognosceret, non solum cognoscere voluit, verum ei sociari iudicium *Quinqueuirale*, id est quinque Senatores Magistratum in præsenti gerentes (id enim *præsentium* appellatione innui puto) vel etiam administratione functos; Et quidem hac insuper limitatione addita, vt Senatores illi forte ducantur, non sponte deligantur. Quæ omnia & singula postea oratione sua confirmauit Honorius Imperator *in l. vlt. sup. de iurisdictione:* vnde repeti possunt, quæ ad eam quoque nonnulla notaui. Denique videtur mihi omnino & ipsa temporum ratione suadente, & illis *huius l.* verbis, VICARII QVOQVE, item illis, INTRA ITALIAM, Oratio hæc prima quidem omnium constitutionum Gratiani, quæ *hoc Codice* occurrit, a Gratiano ad Senatum deleniendum missa: qui a Maximino Vicario vrbis, mox Præfecto Prætorio, variis iniuriis attritus fuerat, quique ideo Valentiniano mortuo ad Gratianum legationem, deflendis malis suis proculdubio miserat. Quam Maximini Historiam require apud Ammianum *lib. 28. cap. 1. lib. 29. cap. 2.* & *lib. 30. cap. 2.* Ad eundem finem conscripta quoque proculdubio *l. 3. infr. de quæstionibus.* Itemque *l. 1. 2. infr. ne præter crim. maiest.* Idem *lex 7. infr. de fide testium.* Tandem ex his colligitur, *h. l.* quorundam Iudicum licentiam refrænari, qui de capite Senatorio statuebant temere: quo pertinet *legis* illa Magistratuum etiam Spectabilium expressio.

Cæterum & id notandum plures huiusmodi Orationes ad Senatum a Gratiano missas, atque in Senatu lectas, cum magno Senatus assensu & hilaritate. Cuiusmodi est quoque illa quam memorat Symmachus *lib. 1. ep. 7.* & quam memorat *lib. 10. ep. 2.* quamque Symmachus ipse in Senatu recitauit, quo nomine eidem Gratiano gratias agit, quæ forte eadem est cum hac ipsa *lege*, seu *Oratione.*

P. 19. *De* INSCRIPTIONIS *necessitate: etiam seruis accusatis, antequam tormentis subiiciantur.*

XIV. (a) Imppp. Grat. (b) VALENTIN. & Theod. AAA. ad Marinianum (c) Vic. Hispaniarum.

QVI vel Interneciui (d) exerit actionem, vel crimen suspectæ mortis intendit, non prius cuiuscunque (e) caput accusatione pulset, quam vinculo (f) legis adstrictus pari (g) cœperit pœnæ condicione iurgare: Ita vt etiam seruos * si quis crediderit accusandos, non prius ad miserorum (h) tormenta veniatur, quam se accusator vinculo inscribtionis adstrinxerit: adpetendorum enim causa seruorum aut dispendium facultatum est, aut pœna dominorum. Dat. VI. Kal. Ian. Pataui (i) Merobaude iterum & Saturnino Coss. [383.]

INTERPRETATIO. (k) *Quicunque alium de homicidii crimine periculosa vel capitali obiectione pulsauerit, non prius a Iudicibus audiatur, quam se similem pœnam, quam reo intendit, conscripserit subiturum: & si seruos* (l) *alienos accusandos esse crediderit, se simili inscriptione* (m) *constringat, futurum vt supplicia innocentum seruorum aut pœna capitis sui, aut facultatum amissione compenset.*

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Huius *legis* meminit Papianus *libro Responsorum. Tit. VII.* GOTHOFR.

(b) *Gratiani* nomen perperam additum: vide *Consularia. ID.*

(c) Ita quoque recte habet Papianus: al. male *Marinum. Marinianus* hic ille est omnino, ad quem extant septem Symmachi *Epistolæ, lib.* 3. puta, 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. In quarum 25. pro *Galatia*, legendum *Galæcia*, vt habet editio Veneta, Hispaniæ scil. ibi: *quod remunerandum me de Galæcia polliceris, vbi ad patrium larem veneris. Hispanos* scilicet *ex Galæcia equos* ibi indicare videtur, quos Symmacho pollicetur: (de quibus equis dictum eos vento concipi.) vel etiam aurum callaicum. Certe idem Symmachus *ep.* 24. interuallo MARIS atque terrarum, seque & Marinianum distineri ait. *ID.* *Marianum* legunt Codd. MSS. & in Goth. *Comes Hispaniarum*, audit. RITTER.

(d) Alias, *qui vel ciuilem internecini.* Hotomannus XIII. *obs.* 2. legit internecidii: de quo mox. GOTHOFR.

(e) *Cuiusquam* MSS. & Sich. RITTER.

(f) Vide legem 11. *supr.* GOTHOFR.

(g) Par pœnæ conditio, id est Talionis & reciproci. Symmachus quoque dixit, *pœnæ sponsionem; & in accusatorem formidatam reis pœnam transire: lib.* 10. *ep. vlt. ID.* *Pari cœperit pœna & conditione.* Cod. G. RITTER

* *Lex.* 13. *Cod. Iust. de accusationib.* hinc desumpta est. GOTHOFR.

(h) *Ad corporum*: ita T[illegible] Miseri hic sunt vel *serui*, vel *rei.* Manilius *Astronom. Lib. V. v.* 621.

Carceris & duri custos, quo stante superbe
Prostratæ iaceant Miserorum in limine matres. *ID.* *Ad seruorum*, Cod. Goth. al. man. *miserorum.* RITTER.

(i) Et

(i) Et hæc subscriptio docet, Gratiano hanc *leg.* non tribuendam, eiusque nomen illi perperam inscribi, verum Valentinianum Iun. Auctorem habere, nisi dies emendandus videatur ita; VI. *Kal. Iun.* Vt quod sentio dicam. Maximo basic *leg.* tribuere malim, cui tamen Valentinianus Iun. postea nomen suum inscripserit. GOTHOFRED. MS. Goth. legit: *V. Kal. Ian.* RITTER.

(k) Interpretatio hæc inserta *formulæ* 29. secundum *Legem Romanam, pag.* 199. *edit. Bignon.* GOTHOFR.

(l) *Seruum alienum accusandum,* dict. form. 29. RITTER.

(m) *Scriptione,* Cod. W. ID.

COMMENTARIVS.

INSCRIPTIO in crimen (de qua fuerunt iam *supra, lex* 5. 8. 9. 11. erit adhuc *lex vlt. infr.* aliæque plures *hoc Codice*: Sed & Symmachi locus *lib.* 10. *ep. vlt.* Anno post *hanc leg.* proximo 384.) etiam SERVO accusato, in duobus nominatim criminibus *h. l.* expressis, hac Constitutione ad Vicarium Hispaniarum data A. D. 383. requiritur. Etiam seruo, inquam, accusato: nam etsi regulariter inscriptio, quæ libero homine criminis accusato necessaria est, seruo alieno accusato, necessaria non sit, attamen alieno seruo accusato, non prius ad quæstionem seu tormenta eius deuenitur, quam accusator sese inscripserit.

Ratio *huius legis* hunc sensum habet, quod scil. serui non aliter accusantur, aut quæstioni subiiciuntur, quam cum dominorum dispendio: vel enim ipsi nocentes reperti domino eripiuntur, vel innocentes torti domino deteriores facti redduntur; quæ ipsa ratio redditur *l. vlt. D. de Calumniatorib.* Similiter quoque Symmachus *lib.* 10. *ep.* 62. *Sed cum,* inquit, *assererem, non eandem prærogatiuam esse* SERVORVM, *quibus supplicantibus certum Perennitas vestra detulit Cognitorem; responsum est, quod fortunas clarissimarum personarum precatio subtilis incesserit,* [forte *incesseret.*] Seruorum igitur hic quoque ratio habetur, at non etiam in abolitionibus impediendis: *l. vlt infr. de abolitionib.* Antea quoque dupli pœna domino consulebatur, torto per calumniam seruo *l.* 6. *Cod. Iust. de Calumniatorib. l. vlt. D. de Calumniatorib.* Sed & de calumnia quoque quærebatur: separatum est etenim calumniæ crimen a damno quod in seruo propter quæstionem domino datum est, *d. l. vlt.* In duobus porro nominatim criminibus *h. l.* expressis etiam seruo accusato, Inscriptio requiritur. Crimina duo hæc sunt: *Internecini* actio, & crimen *suspectæ mortis.* Vnde satis apparet, *Internecini* actionem crimini *suspectæ mortis,* atque adeo homicidii, etsi diuersam ab eo, proximam tamen esse. Interpres sane in *huius legis* interpretatione, homicidii appellatione vtramque criminis speciem complexus est. Neque tamen id satis est ad intelligendum, quid sit *internecini* actio. Sane (quod Cuiacius iam notauit I. *Obseru. cap.* 2.) *Internecinum testamentum* dicebatur, falsum testamentum, propter quod (vt videlicet ex eo adquiri hæreditas posset,) dominus fuerat occisus, atque adeo *Internecini* actio, quæ in eum dabatur, qui falsum testamentum fecerat, & ob id hominem occiderat, vt notant Festus *in voce, Interneciuum*: Et Isidorus *lib.* 5. *cap.* 26. & *lib.* 10. *lit.* I. Neque alibi quod sciam, huiusce rei mentio occurrit. Ciceronis quippe locus *Philippica* 14. *c.* 3. quem Cuiacius laudat, non est de hoc crimine, sed *de bello internecino*; ita enim locus legendus est, *Non iniustæ belli internecini notæ. Testamenta credo subiiciunt*: Hæc sane interpretatio, si hic admittitur, *Internecini* crimen fuerit crimen suppositi
P.20. testamenti, & ob hoc internecti siue interfecti alicuius. Atque ita pertineat hæc *lex* ad speciem *l.* 6. *§.* 1. *D. de Quæstion.* Cæterum nil interest; legatur hic *Interneciui*, quomodo etiam Iustini editio correctissima A. D. 1581. *lib.* 6. *cap.* 6. habet, *bellorum interneciuis odiis*: & *lib.* 11. *cap.* 9. *Interneciuique cum Persis odii*: & Festus, *interneciuum testamentum* habet, non *internecinum*, ut quidam edidere. Etiam Amm. Marcellinus passim *interneciua certamina* dicit, *fine lib.* 22. & initio *lib.* 23. An vero *Interneciei*, vt Isidorus nominatim scribit *lib.* 5. *cap.* 26. (Nam & in *Glossis veteribus* extat, *internecies mors, iactura*:) an vero *Internecini*, vt apud Festum, Cuiacius quoque legit, & Glossarium vetus, *internecinus πανολεθρος*: an *Internecii*? (Nam & *internecium* dicitur, vt *intergerium* ab intergerio, non minus quam *intergeries*, a quo *intergerinus paries*, pariter vt *internecinus*) Nullibi autem *internecidium* vocatur, quod Hotomannus putauit, vox enim hæc non a cedendo, verum a *nece* deriuatur, vel a necando. Quanquam *interneciuum* testamentum forte non male dixeris, in quo testator sibi mortem intentatam professus est, vt in *sp. l.* 2. *Cod. Iust. de Calumniat.* Verum in hæc tempora propius inspicienti, & *legis* huius inscriptionem simul attendenti, succurrit, hanc *legem* pertinere ad *Priscillianistarum* in Hispania facinora & motus, quæ in hunc ipsum Annum incidunt, de quibus alioquin consulendus est Seuerus Sulpitius, *libr.* 2. *Sacræ Historiæ cap.* 49. Quo quidem ipso loco Vicarii Hispaniarum meminit, vt proinde omnino existimem, *internecini* vel *interneciui* appellatione hic intelligendum esse crimen Maleficii seu *Veneficii*, cuius Priscillianum ipsum quoque conuictum nominatim scribit idem Seuerus Sulpitius *lib.* 2. *cap.* 50. Certe *Maleficiis* dicuntur *Vitas insontium labefactare*, & *homines conficere malis artibus* vel *defigere*, *l.* 3. 5. *infr. de Maleficis.* Dicuntur & communis salutis hostes, *l.* 11. *d. t.* & contra hominum salutem quædam moliri, *d. l.* 3. Vt proinde nihil aliud sit *Internecium*, quam Veneficium, incantatio, & defixio Magica; qua vel vitis hominum, vel eorum saluti, vel aliter, *πανολεθρία*, & *internecio* alicubi inuehitur; id enim *internecii*, vel *internecionis* vox significat.

Tandem ita omnino existimo, pertinere hanc *legem*, seu duorum criminum accusationem, *interneciui* inquam, & *suspectæ mortis*, ad hæredes qui testatoris vel defuncti necem veneficio vel aliter intentatam vindicare nolunt, aduersus seruos quoque huius domestici facinoris reos, vel conscios: Vt proinde sensus hic sit, hæredem quemcunque, etsi pietate quam defuncto debet motus, ad alicuius accusationem descendat, tanquam defuncto mortis quomodocunque intentatæ suspecti, nihilominus in crimen inscribere cogi, & quidem indistincte. Qua tamen parte veteris iuris distinctio placet: Pater enim vt & mater sine calumniæ timo citra periculum calumniæ, filii vel filiæ necem veneficio vel aliter intentatam, non modo aduersus seruum, verum etiam aduersus liberam personam vindicare potest: *l. vlt D. de publicis iudiciis*: & *l.* 2. *Cod. Iust. de Calumniatorib.* Item calumniæ pœna in paternæ mortis accusationem cessat: *l.* 4. *Cod. eod. de Calumniatoribus*: Quorum hæc ratio est, *quia inconsultus calor calumniæ vitio caret*, vt eleganter ait *l.* 1. *§.* 5. *D. ad SC. Turpill.* Quinimo hæres quoque extranæus, qui exequitur suspicionem, quam defunctus testamento suo cauit se de morte sua habuisse, vel etiam qui iussu defuncti veneficum accusauit eum, quem sibi venenum infudisse defunctus existimabat, hoc nomine a calumnia excusatus est, quia inter voluntariam accusationem, & officii necessitatem heredis multum interest: *l.* 2. *Cod. Iust. de calumniat.* Quæ cum ita sint, *Interneciui* crimen, hic fuerit crimen *Veneficii*, quod hæres vltro ad necem defuncti vindicandam intentat; citra iussum defuncti:

Crimen

Crimen vero suspectæ mortis, vbi (vt loquitur *d. l. 2.*) hæres necem defuncti vindicat, propterea quod defunctus SVSPICIONEM DE MORTE sua habuisse se testamento cauit: Vel certe; *Interneciui* crimen, veneficii crimen: *suspectæ mortis* accusatio ex alio facto.

Vnde duo iam singularia notentur. *Primo*, etiam veneficii crimine hæredem accusatorem in crimen inscribere cogi: *Secundo*, hæredem ab inscriptione & calumnia non excusari ob mandatum defuncti. Illud satis mirari non possum, Cuiacium existimantem *Recit. ad tit. Cod. de falsis*, *Internecini* actionem esse actionem ciuilem de homicidio. Quem aperte refutat tum *huius l.* situs sub *hoc titulo*, tum *lex* ipsa: nam & *Accusatio* dicitur, & crimini suspectæ mortis iungitur, denique in ea Inscriptio requiritur: quod criminalem vtique actionem omnino arguit. Et vero Interpres quoque recte vidit, hic videl. agi *de periculosa & capitali obiectione*.

Ad *huius l.* Inscriptionem, quæ inscripta est Vicario Hispaniarum, simul & ad aliarum *legum* cognitionem, notare libet semel, a Constantini M. temporibus, in hæc vsque tempora, totius Hispaniæ administrationem quater variasse. Primum scil. sub *Comitibus* ea fuit, non ad Annum tantum vsque Dom. 332. vt docet *lex 6. Cod. Iust. de seruis fugit.* vel ad A. D. 334. vsque, vt docet *lex 3. sup. de maternis bonis:* verum ad Annum vsque 336. *l. 8. de Nauiculariis.* Secundo: Mox *Vicariis* ea paruit, iam ab An. 336. ad An. 370. vsque: vt ostendit *lex 5. sup. de sponsalibus: & lex 2. sup. de Tabulariis.* Tertio: Post annum 370. Proconsules habere cœpit: Itaque & *lex 11. infr. de Medicis*, quæ data est A. D. 376. docet, vnam tantum Galliarum diœcesim, tum sub Præfecto Prætorio fuisse: Et eiusdem Gratiani & Valentiniani Iun. A. D. 382. constitutio exstat ad PROCONSVLES, *Vicarios, omnesque Rectores: l. vn. infr. de Superindicto*, cum alias in Occidente vnus tantum Africæ Proconsul esset. Quarto: Mox (post decennium circiter ab An. D. 383.) ad *Vicarios* reditum est: vt hæc *lex* collata cum insigni Seueri Sulpitii loco *Hist. Sacr. lib. 2. cap. 49.* neque dum intellecto, ostendit: Quo sane loco & de Priscillianistis agit (quo *hanc legem* pertinere modo ostendi,) & huius ipsius Anni 383. historiam exequitur: *Hæretici*, inquit, *suis artibus grandi pecunia Macedonio* [Magistro officiorum] *data, obtinent, vt Imperiali authoritate Præfecti* [Prætorio Galliarum] *erepta cognitio, Hispaniarum Vicario traderetur (nam iam Proconsulem habere desierant) missique a Magistro Officiales, qui Ithacium, tum in Treueris agentem, ad Hispanias retraherent.* Sed & idem nominatim *Voluentii Proconsulis Hispaniarum* paulo ante, initio scil. *capit. cit.* meminit. Itaque fallitur vir doctus, qui putat, Sulpicium hoc velle, a Gratiano primum institutum Vicarium, qui dicere debuit, *restitutum*. Proconsulis Hispaniarum Tiberiani quoque mentionem fieri volunt in veteri quadam Inscriptione apud Ambrosium Morales *lib. 10. hist. Hispan. c. 44.* vt ii tamen subnotatus Consulatus Valentiniani A. II I. & Eutropii, id est A. D. 387. PRO C. TIBERIANO FACTVM EST HORREVM ET DN. VALENTINIANO AVG. TER ET EVTROPIO V. C. CONS. SCITIB. ELEFANTO. Ibi scilicet Proc. compulsis literis interpretantur *Proconsulem*: verum hac Inscriptione nil incertius, Vide & quæ iam notaui ad *l. 7. sup. de diuers. rescrip.* Huius immutationis causam hanc coniicio, quod Principes quandoque Hispanias sub Præfecti Prætorio Galliarum dispositione esse voluerunt, quandoque noluerunt. Gratianus cum noluit, Proconsulem instituit: cum voluit Vicarium restituit. Neque enim Vicarius dicitur, nisi Præfecti Vicarius. Itaque idem Seuerus Sulpitius mox subiicit, *Maximum Imperatorem Treuericum datis ad Præfectum Galliarum, atque ad Vicarium Hispaniarum literis, omnes omnino quos Priscilliani labes inuoluerat, deduci ad Synodum Burdegalensem iussisse.* Certe Hispanias, atque adeo Vicarium per eas, sub dispositione Præfecti Prætorio Galliarum fuisse, docet *lex 10. sup. de Senatoribus*, & *lex vn. supr. de Burgariis:* & *l. 61. supr. de cursu publico:* collata cum *lege 15. infr. de paganis.* sed & Claudianus in *Consulatum Manlii Theodori v. 50. seqq.* & Zosimus *lib. 2. cap. 33.* Ammianus Marcellinus *lib. 26. c. 5.* circa Valentiniani initia, *Notitia* denique *Imperii* sub Theodosio Iun. & Valentiniano III. Placidiæ filio conscripta *fol. 117.* P. 21.

SVIS nominibus, non emendicatis decretis & suffragiis, accusationes instituendas, veluti a Decurionibus aduersus Iudices.

XV. (a) Idem (b) AAA. Cynegio P. P. (c)

CONCESSVM singuli (d) vniuersique (e) cognoscant, (f) non emendicatis (g) suffragiis decretorum, (h) sed lite (i) suis nominibus instituta, Inlustris (k) & Magnificæ Celsitudinis Tuæ adeundam potestatem: Quoniam accusari vnumquemque (l) per alterum non oportet: videlicet, vt iustitia & æquitate, qua notus (m) es, in Iudice punias, si innoxios (n) verberauit: (o) in Officio, (p) si fortasse conticuit, (q) quod cædi (r) Decuriones innoxios non liceret. Dat. Prid. Kalend. Maii, Constantinop. Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

INTERPRETATIO. *In criminalibus caussis vel obiectionibus, per mandatum, nullus accuset; nec si per rescriptum Principis hoc potuerit impetrare. Sed ipse qui crimen intendit, præsens* (s) *per se accuset, inscriptione præmissa. Iudices vero puniendi sunt, & damnandum Officium, si fortasse tacuerint, si innocentem* (t) *nisi præmissa inscriptione subdendum crediderint quæstioni.*

NOTAE.

(a) *Lex 14. Cod. Iust. de accusationibus*, hinc interpolata est. GOTHOFR.

(b) Reponendi sunt hi Imperatores: *Valentinianus* THEODOSIVS *& Arcadius.* Quod etiam in partem fit in Cod. Iustinian. *ID.*

(c) *Cynegio* PP. Orientis scil. sub Theodosio M. de quo mox, & in *Prosopogr.* *ID.*

(d) Simi-

(d) Similiter *l. 2. infr. de calumniatoribus*, in eodem fere argumento, *singuli vniuersique cognoscant*. v. plura in *Gloss.* *IDEM*.
(e) *Iudices*: hanc vocem habent *quidam Codices Iustinianei* male. *ID.*
(f) *In publicis criminibus*, add. C. Iust. extra speciem *huius leg. ID.*
(g) Pariter ita *l. 75. inf. de Decurionibus*. Hic vero *Cod. Iustin.* addita vox, *vti*: quam tollendam censet Cuiacius I. *Obseruat.* 33. & vero deest in *quibusdam Manuscriptis. ID.*
(h) *Decurionum*, Hotomannus 13. *obseruat.* seu *Amicabilium* a. 33. infeliciter. Porro in *Cod. Iust.* hæc a Triboniano subiiciuntur, *aut relationibus a publicis personis destinandis credere, sed veritatem inquirere*, de quibus mox. Sequentia omnia resecata a Triboniano. *ID.*
(i) Aduersus Iudices seu Rectores Prouinciarum: vt docent mox sequentia. *ID.*
(k) *Illustrissime*, edidit Sichard. *RITTER.*
(l) Veluti Iudicem, in sp. *huius legis. GOTHOFR.*
(m) Obserua elogium quod Cynegio Præfecto Prætorio tribuitur: de quo vide Zosimum *lib. 4. cap. 37.* & 45. & nos mox. *ID.* MS. W. legit: *qua notus es in iudiciis.* MS. G. vero: *Vt iustitiam & æquitatem, qua natus es iudice teneas.* Vulgatam lectionem adscripsit manus recens. *RITTER.*
(n) Decuriones scil. vt mox. *GOTHOFR.*
(o) Plumbatis. *ID. Verberabit*, legit MS. W. & Edit. Sich. *RITTER.*
(p) Officialibus: qui Iudicibus obsistere debebant, legum præscripta egredientibus. Nempe quod infinitæ leges ostendunt, officium, Iudici leges & iura suggerere debebat: hæc & eiusmodi suggestio eis incumbebat, *l. 46. inf. de hæreticis. GOTHOFR.*
(q) *Sic fortasse constituet.* edidit Sichard. *RITTER.*
(r) Plumbatis. *GOTHOFR.*
* Nugatoria, maximam partem. *ID.*
(s) Huc allusit Hyginus Papa *Ep. 1. cap. 3. pag. 94. Tom. I. Concil. Harduin.* & Damasus *Ep. 7. pag. 778. Tom. cit.* ex qua verba translata vides in Decretum *can. 8. C. III. qu. 9.* Adde etiam Calixti I. *Epist. 2. cap. 5. pag. 112. Tom. eod.* & Lucii I. *Epist. vnic. cap. 1. pag. 137. Tom. eod. ID.*
(t) Nugatorium hoc: debuit dicere, *Innocentem Decurionem*. *ID.*

COMMENTARIVS.

SVO, seu PROPRIO quisque NOMINE, ac nominatim DECVRIO, in specie *huius legis*, in accusando *Iudice*, seu Rectore Prouinciæ (apud Præfectum Prætorio) querelam siue accusationem instituere, a Theodosio M. *hac lege* iubetur, A. D. 385. non vero emendicatis suffragiis decretorum. *Emendicata suffragia decretorum*, hic sunt corrogata suffragia, & extorta a communi Curiæ, vel Ciuitatis alicuius consilio: Quo ipso sensu *emendicata suffragia* dicuntur *l. 75. inf. de Decurion.* Decreta quippe, *h. l.* & *l. 11. de Legat.* sunt ea quæ in communi consilio ciuitatis, Curiæ, vel Prouinciæ, decernebantur, Græcis ψηφίσματα, vt sæpe a Cicerone *in Verrinis* vocantur, quibus scil. instructi legati emittebantur: de quo plene *infr. tit. de legatis, & decretis legationum.* Idque etiam satis hæc ipsa *lex* ostendit.

Species porro *huius legis* hæc est: Fingamus Decurionem aliquem innocentem a Præside cæsum, verberatum plumbatis (atque ita Decurioni iniuriam factam: de quo dicendi locus erit *inf. tit. de Decurion.* & *l. 2.* & *l. 6. infr. de Quæstionibus*, quæ huic argumento respondent.) Hac sane iniuria, toti quoque Curiæ seu Ordini iniuria quodammodo fit, & vt exerte dicitur *d. l. 2. infr. de Quæstionibus: in contumeliam Ordinis exitiumque id temptatur.* Et suo tamen tantum proprioque nomine, Decurio, qui cæsus fuit, Iudicem siue Rectorem Prouinciæ accusare debet; & si Interpreti credimus, Inscriptione præmissa, ac non etiam decreto Ordinis emendicato. Quod quidam Decuriones facere soliti, eo fine, vt eo maiorem iudici inuidiam conciliarent: & si Interpretationi ad *hanc l.* rursum stamus, vt Inscriptionis etiam necessitati sese subducerent, quasi non tam suo, quam Ordi-
P. 22. nis totius nomine, cui iniuria facta erat, dum vni ex Decurionibus ea fit, accusationem instituentes. A qua sane sententia alia est *lex 2. infr. de calumniatoribus*: qua statuitur, eum qui alieno nomine accusationem instituit, delatorum & calumniatorum numero nihilominus, si falsa detulerit, duci oportere: vbi etiam plura dicam, & specialius, & distinctius.

Et hæc quidem *huiusce legis* sententia est; quam Interpres huius Codicis, vt veteres *Codicis Iustin.* Interpretes (vtpote in *Codice Iustinianeo* interpolatam) intelligere non potuerunt. Alciatus ad eam primus allusit, Contius & Cuiacius tandem in eius mentem penetrarunt: hic I. *Obseruat.* 33. etsi hic alicubi non ita bene *decreta emendicata* interpretetur, quæ ad commendationem alicuius emittuntur, quibus aliquis laudatur. Denique horum adhuc nemo explicauit, quonam fine, qua specie, seu quo colore huiusmodi decreta totius Curiæ facta fuerint. Causa scilicet hæc erat, quod vni Decurionum iniuria facta, ad totius Curiæ iniuriam pertinere videbatur. Sic Decurione immodice cæso, tota Curia decreto misso accusationem instituebat: *Prenoit le faict & cause en main.* Verum quia hac ratione Decurio in accusationem temere irruebat, nullis solemnibus expletis; atque ita rei, quos huiusmodi decreta accusarent, pro conuictis ferme haberentur, quæ tamen sæpe *gratiosa* esse poterant, visum Theodosio M. satius, non communi Curiæ nomine Iudicem eiusque Officium accusari, verum ipsummet illum Decurionem, qui iniuria affectum sese dicebat, suo nomine accusationem instituere. Neque eo minus tamen Præfectus Prætorio iniuriam hanc, velut in Curiæ iniuriam redundantem, pro iustitia & æquitate sua punire vult. Quod Sententiæ Theodosianæ *h. l.* filum est. Laxare quidem vela visum Decurionum innoxiorum querelis a *Iudicibus* cæsorum, sed ita laxare visum, vti iuris ordo obseruaretur: Rursum ita iuris ordinem obseruari, vti seuere res illa vindicaretur.

Ex his iam apparet, quod Duarenus sibi persuaderi passus non est, *disp. 2. c. 26.* hanc *leg.* de Decurionibus proprie intelligendam, & quidem iniuriam suam persequentibus; cuius in totum vt & Alciati error hic est, quod *suffragia* de quibus *hac l.* agitur, accipit de testimonio publico ciuitatum vel Municipiorum, quæ olim quoque recipi solita in causis, de quibus passim Cicero. Est enim hæc *lex* non de Testimonio, sed de Accusatione, quam decreto suo iuuabant Decuriones.

At obseruandum, *Codice* Iustinianeo, *legis* huius principium, vt ibi id interpolatum extat hodie, abdicata etiam potissima eius parte, & infartis aliis longe aliud sonare: Scilicet Iudices non illico emendicatis decretis credere debere, sed in eorum nihilominus veritatem inquirere oportere, exemplo addito Notoriarum seu elogiorum, quibus pariter non illico fides adhibenda est. Hæc inquam legis huius;

huius, vti posita est *Codice Iustinianeo*, sententia est, plane alia ab hac nostra, tam multiplici mutatione a Triboniano facta, vt vel inde æstimari possit, quanto veritatis & historiæ præiudicio, huiusmodi interpolatæ sententiæ sub Imperatorum, velut authorum, nominibus supponantur: de quibus tamen ne per somnium quidem in mentem quidquam eis venit: imo contrarium. Nempe *Primo*, Iudicis Officium ibi in cognitione publicorum iudiciorum instruitur: hic vero, in natiua scil. sua sede & origine, Accusatoris. *Secundo*, ibi sententia de *publicis* criminibus in genere concepta est, hæc *lex* nostra, de iniuria tantum Decurionis, iniusteque cæso Decurione agit, cuius iniuriam Curia tota ad animum reuocat. *Tertio*, Sententia quæ ibi interpolata extat, pertinet ad fidem probationum: hæc nostra modum accusationis faciendæ præscribit, damnato minus legitimo. *Postremo*, ibi non tantum de emendicatis decretorum suffragiis agitur, vt hic, sed & de relationibus quæ a publicis personis destinantur: id est de Notoriis, de quibus & *l. 7. Cod. Iust. eod. tit.* vt recte Cuiacius, contra quam Hotomannus, qui id male interpretatur de Relationibus Deputatorum a Curia ad PP. vt quid ei exponant. Et ita quidem comparatio inter vtramque *legem*, instituenda venit, non quomodo idem Hotomannus 13. *obseruat. 33.* Vt maxime vero hæc ita sese habeant, atque a nobis dicta sint ad historiæ veritatem, Triboniani tamen sententia iustissima est.

Notanda interim obiter tria *hac leg.* Primo, quod Theodosius M. *hac l.* querelas Decurionum cæsorum a Iudicibus admittat, si innoxii cæsi fuerint. Alio quippe tempore, aliisque legibus anterioribus, ne cædi quidem Decuriones vllo modo voluit, etsi noxios, *l. 80. 85. infr. de Decurionibus.* Contra, noxios iam cædi a Iudicibus posse definiuit, vt *hac l.* ita & *l. 117. 126. 127. d. tit.*

Secundo obseruandum testimonium, quod Theodosius *Cynegio PP.* hac *leg.* reddit superstiti, atque in os: *iustitia*, inquit, *& æquitate qua notus es.* Cui concinit & *lex 19. infr. de petitionibus.* Libanius quoque *Orat. ad* Theodosium κατὰ τῶν εἰσιόντων, *pag. 434. edit. Opuscul. Gothofr. Trotzian.* diserte testatur, quam magno in honore Cynegium hunc habuerit Theodosius M. τετελευτηκὼς, inquit, ὁ τοῖς παρὰ σοῦ στεφανούμενος ἐπαίνοις Κυνήγιος, *defunctus, atque a te laudibus coronatus Cynegius.* &c. vbi plura iam notaui.

Tandem obseruandum, querelas de Iudicibus seu Rectoribus prouinciarum ad Præfectos Prætorio perlatas, vtpote sub quorum dispositione essent, de quo alibi passim.

EXTRA *Prouinciam iudicium criminale haberi non oportere.*

XVI. (a) Idem AAA. Tatiano. PF. P. (b)

EXTRA prouinciæ terminos accusatori non erit licentia progredi: quia oportet illic criminum iudicia fieri, vbi facinus dicitur admissum. Dat. III. Kal. April. Honorio NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.
(b) *Tatianus* PP. Orientis scil. sub Theodosio M. vid. *Prosopogr.* ID.

P. 23. COMMENTARIVS.

SENTENTIA huius *legis* eadem est, quæ *legis 10. sup.* Nam & hæc ex illa totidem pene verbis repetita & transcripta est. Porro vel *Cynegio* hæc lex inscribenda est, qui vtique hoc tempore PP. erat: vel in Consulatu *huic legi* subscripto vitium hæreat.

PRÆSENTIA *accusatorum & reorum, etiam* POTENTIORVM *quando requiratur.*

XVII. (a) Idem AAA. Tatiano PP. (b) Post alia.

TVNC conuenit Potentiores viros adesse iudiciis, cum eorum præsentiam criminalis (c) per inscribtionem causa deposcat. (d) Dat. XV. Kal. Mart. Med. Valentiniano A. V. & Neother. Coss. [390.]

NOTAE.

(a) *Lex 15. Cod. Iust. eod. Tit.* GOTHOFRED.
(b) *Tatianus* PP. Orientis scil. sub Theodosio M. Vid. *Prosopogr.* ID.
(c) *In criminibus publicis*: ita Tribonianus *d. l. 15.* ID.
(d) Ita quoque *Cod. Iustinianeus*: Sed melius *deposcit*, vel *deposcet.* Sed & Tribonianus hæc subiicit, maioris elucidationis causa, etsi vi ipsa *h. l.* contineantur: *Licet in pecuniariis causis per procuratores litem sustineant.* ID.
(e) *ye. A. IV.* Vid. *Chronolog.* RITTER.

COMMENTARIVS.

QVEMADMODVM in commune PRÆSENTES accusatores in criminibus, vbi Inscriptionis necessitas requiritur, esse oportet, neque procuratores pro ipsis admittuntur, *h. l.* & *l. vlt. infr.* de quo Mono-

Menochius *lib. 1. de arbitr. q. 79.* ita *Potentiores* quoque, id est in Dignitate positi, Illustres, Spectabiles, accusatores præsentes iudicio esse, *h. l.* aliis & inferioribus hac parte æquantur. Nempe vt his inscriptio non remittitur, ita neque præsentia. Nam vbi subscriptio requiritur, ibi & præsentia desideratur, & vtrumque concurrat necesse est. Excepto tantum Iniuriarum crimine, ex *l. vlt. C. Iust. de iniuriis:* & *Nouell. 71. c. 1.* Nam Illustres iure singulari crimen iniuriarum per Procuratorem mouere possunt; etsi absentes in crimen inscribere teneantur. Ergo contra, vbi subscriptio non requiritur, neque præsentia potentiorum desideratur, quod *hac l.* per ἀντιδιαστολὴν satis indicatur. Regulariter scil. nemo criminalem causam agit per procuratorem. *Act. 25. v. 16.* Οὐκ ἔστιν ἔθος Ῥωμαίοις χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν, πρὶν ἢ ὁ κατηγορούμενος κατὰ πρόσωπον ἔχοι τοὺς κατηγόρους. Et ita quidem in *Accusatore* ponenda *huius leg.* species est: Sed tamen & de accusato seu de reo ipsomet potentiore accipi posset, quomodo id etiam definitur *l. vlt. Cod. Iust. vbi Senator.* Quare ita definiendum, & Accusatorem & Accusatum potentiorem, etiam vbi Inscriptio in crimen requiritur, iudicio adesse ipsum oportere, non procuratores: ad cuius *leg.* praxin vide Scholiastem *Instit.* Imberti *lib. 3. c. 2. ad num. 1.* & Menochium *d. q. 79. & 80.* vbi hanc *leg.* allegat. Et hæc quidem ῥητῶς in criminalibus causis obtinent, quod *hac leg.* dicitur καὶ ἀντιδιαστολὴν quoque causarum pecuniariarum. Vbi indistincte procuratores admittuntur, & in his per procuratores litem sustinere licet, quod expressim additum a Triboniano *l. 15. Cod. Iust. eod. tit.* quæ hinc alioquin desumpta est. Imo potentiores quidam, si quod ab iis inferatur iurgium vel referatur seu excipiatur, non ipsi per se, verum per procuratoris personam agere tenebantur, ex eiusdem Imp. constitutione ad eundem Tatianum PP. data, biennio post hanc *legem*: puta *l. 25. Cod. Iust. de procuratoribus*, quam pro parte secutus Iustin. *Nouell. 71. cap. 1.* Vnde desumpta est *Auth. hoc ius*, quæ *dictæ l. 25.* subiecta est.

XVIII. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. Maximo PF. P. (b)

NE diuersorum (c) criminum rei, vel desidia Iudicum, vel quadam lenitatis (d) ambitione, per prouincias detenti, in carcere (e) crudelius differantur, (f) moneantur omnes Iudices, (g) productos e custodiis reos disceptationi (h) debitæ (i) subdere, (k) & quod Leges suaserint, definire. Dat. III. Non. Aug. Constantinop. Arcad. IV. & Honor. III. AA. Coss. [396.]

INTERPRETATIO. *Rei non multo tempore in carcere, vel in custodia teneantur, sed celeriter aut innocentes absoluantur, aut si conuicti fuerint criminosi, sententia puniantur.*

NOTAE.

(a) Refert *huius leg.* Verba veteris *Consultationis* Auctor c. 8. Iungenda huic, *lex 15. infr. de bonis proscript.* quanquam inscriptio variat: inscribitur enim ea Cæsario PFP. GOTHOFRED.

(b) *Maximo PF. P.* Hæc absunt a MSS. & impressis, in vltima tantum Cuiaciana addita vides. Neque etiam vetus ICtus *in Consultat.* Maximi nomen expressit, neque satis constat de huius *Maximi* Præfectura, & dict. *l. 15.* eodem die data, *Cæsarium* præfert. RITTER.

(c) Diuersorum, id est, quorumcunque. vid. *Gloss. Theod.* GOTHOFRED.

(d) *Lenitatis*, auct. veter. consultat. RITTER.

(e) *In carcerem*, MS. W. & Consultat. vet. ID.

(f) A te Præfecto P. GOTHOFRED.

(g) *Iudices*, id est, Rectores prouinciarum. ID.

(h) In *vet. consult. discussioni.* ID.

(i) *Debite.* ID.

(k) Statim, vt *l. 1. infr. de custod. reor.* vetus *Consultatio* habet, *Subiicere*, quomodo etiam *d. l. 1. capitali pœna subiicere.* IDEM.

COMMENTARIVS.

P. 24.

ACCELERARI reorum, custodia inclusorum, iudicium, neque protelari diu Arcadius *h. l.* iubet; de quo fuit quoque *supra* iam *lex 7.* & suo mox titulo *l. 1. & 6. de custodia reorum:* quarum eadem est sententia. Deque eo Iudices moneri iubentur, vel ab ipsomet Præfecto Prætorio (sub cuius dispositione Iudices erant, quod *h. l.* indicari puto) vel a Commentariensibus, *d. l. 6. de custodia reorum.*

Porro differendi iudicii duæ causæ *h. l.* adsignantur: puta Negligentia seu segnities iudicum, quæ & ipsa causa indicatur *l. 7. sup.* vbi *segnius iudicantis lenitudo* pariter vocatur. Item lenitatis (id est clementiæ φιλανθρωπίας) ambitio, dum scilicet lenes, iudicium differendo videri volunt, cum tamen contrarium eueniat. Nam (vt eleganter *lex* ait) *criminum rei detenti, in carcere crudelius differuntur.* Cassiodorus in eam sententiam, *XI. Variar. 40. Non est vnum clausis exitium: multifaria morte perimitur, qui carceris squalore torquetur.* Et longior vita sæpe supplicio est; *l. 3. vlt. infr. ad leg. Corneliam de sicariis.* Hæc vero ipsa res est & Lenitatis seu φιλανθρωπίας ambitio ipsa, quæ diserte perstringitur quoque *l. 7. sup.* quamque Libanius traducit *orat.* quam habuit decem ante *hanc l.* annis περὶ τῶν δεσμωτῶν §. 12. *p. 410. edit. Trotz.* (qua Magistratuum seu Iudicum negligentiam circa vinctos & carcere inclusos insequitur, cuiusque obtentu Iudices diuturno carcere reos cruciabant: vbi inter alia, ita Iudices lenitatis hanc speciem præferentes inducit: οὐ τῆς αὐτῶν εἶναι φύσεως φασὶν, οὔτε βασανίζειν ἄνθρωπον τὴν διὰ τῶν πλευρῶν βάσανον, οὔτε ἐπὶ ξίφος παραδιδόναι τῷ δημίῳ. *Non esse naturæ suæ, neque torquere hominem eo quæstionis genere, quæ fit per laterum fodicationem, neque carnificis gladio subiicere.* &c. Et post alia: Εἶτα δεινὸν νομίζων εἰ σοῦ φθεγξαμένου τὶς ἀποθάνοι δικαίως, οὐχ ἡγῇ δεινὸν εἰ σοῦ σιωπῶντος, πολλοί τινες ἀποθάνοιεν οὐ δικαίως. *Rursum cum graue existimes*

ſtimes, ſi te loquente quisquam iuſte moriatur; non putas graue, ſi te tacente multi iniuſte moriantur? Tandem *in fin.* §. 12. Ἐπ' ἄλλοις διατρίβωσιν ὡς δὴ φιλάνθρωποι δόξοντες εἶναι. *In aliis morantur tanquam humani viſi.*

Cæterum *arg. l. 15. infr. de bonis proſcriptorum,* quæ *huic* coniungenda eſt, videri poſſit, ad Rufini ſocios, participes, proprie hæc *lex* pertinere: qui ſuperioris anni fine ante octo menſes, cæſus, proſcriptus, fuerat: de quo vide quæ dixi ad *l. 14. d. t. de bonis proſcript.*

XIX. (a) Impp. Honor. & Theod. AA. (b) Coſſ. Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui, (c) ſalutem dicunt.

ACCVSATIONIS Ordinem iamdudum Legibus inſtitutum (d) ſeruari iubemus: vt quicumque in diſcrimen capitis (e) arceſſitur, non ſtatim reus qui accuſari potuit, æſtimetur, (f) ne ſubiectam (g) innocentiam faciamus; (h) ſed quisquis * ille eſt qui crimen intendit, in iudicium veniat; nomen rei indicet; vinculum (i) inſcriptionis accipiat; (k) cuſtodiæ ſimilitudinem, habita tamen dignitatis æſtimatione, patiatur: nec impunitam fore nouerit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii. Nemo ſibi tamen obiectu cuiuslibet criminis blandiatur, de ſe in *quæſtione* confeſſus, veniam propter flagitia ſperans adiuncti, vel communione (l) criminis conſortium perſonæ ſuperioris optans, aut inimici ſupplicio in ipſa ſupremorum ſuorum ſorte ſociandus, (m) aut eripi ſe poſſe confidens ſtudio, (n) aut priuilegio nominati: cum *veteris iuris* auctoritas de ſe confeſſos, (o) ne *interrogari* quidem de aliorum conſcientia ſinat: Nemo igitur de proprio crimine confitentem, ſuper conſcientia ſcrutetur aliena: ** Nemo credat ſponte fingenti: Commonitoriis, ſecretiſque mandatis fidem penitus abnegamus, &c. Dat. VIII. Id. Aug. Rauennæ, Aſclepiodoto, & Mariniano Coss. [423.]

INTERPRETATIO. (p) *Ante Inſcriptionem nemo efficitur* (q) *criminoſus: Nam inſcriptione per ordinem facta, tunc a Iudice* (r) *ſuſcipiendus eſt reus, & cuſtodiæ cum accuſatore tradendus eſt, ea tamen ratione, vt tam accuſati, quam accuſatoris dignitas æſtimetur, & vnumquemque ante diſcuſſionem ita Iudex faciat cuſtodiri, vt eorum natales aut dignitas patiuntur. Sane his qui crimina ſua in quæſtione confeſſi ſunt, de aliis ſi dicere voluerint, a Iudice non credatur: quia iure & legibus conſtitutum eſt, vt ſpontanea* (s) *profeſſione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui ſe criminoſum eſſe confeſſus eſt.*

NOTAE.

(a) *Lex 17. Cod. Iuſt. de accuſationibus:* & *Lex vlt. Cod. eod. de Calumniatoribus.* Et iungenda huic, *Lex 12. ſeu vlt. ſup. de iuriſdictione: l. 2. ſup. de libertis:* & *lex 4. ſiue vlt. inf. ne præter crimen Maieſtatis.* Hanc *legem* allegat Papian. *Reſp. tit. 7.* eam imitatus eſt Eutychianus Papa *Ep. 2. cap. 1. pag. 208. Tom. I. Concilior. Harduin.* & exinde in Decretum relata *c. 3. C. 2. Qu. 8.* GOTHOFR.

(b) Similis inſcriptio *Legis 1. inf. de maternis bonis.* ID.

(c) *Senatui, ſuis.* Ita habent prior. Cuiacian. Scribe *ſuo*, vt habet *lex vlt. de Iurisdict.* & *d. l. 2. de libert.* RITTER.

(d) *Statutum,* MS. W. ID.

(e) *In diſcrimine capitis,* MS. G. *in diſcrimine capitis accerſitur,* MS. W. Vid. Cl. Torrentium ad Sueton. c. 2. ID.

(f) *Exiſtimetur,* Cod. Iuſt. ID.

(g) *Subiectam,* i. ſuppoſitam & obnoxiam calumniis & temeritati accuſatorum nullo vinculo coërcitorum. Erraret qui reponeret, *ſuſpectam.* ſic *ſubiici iniuriæ, liuori,* ſæpe apud Symmachum. GOTHOFRED.

(h) In *Cod.* Iuſtin. *feriamus:* Nullo ſenſu. ID.

* *L. vlt. Cod. Iuſt. de Calumniatoribus,* hinc deſumpta eſt: & hanc *huius l.* partem indicat Papianus *tit. 7. Reſponſ.* Deſumptus etiam hinc *can. 3. cauſ. 2. Qu. 8.* IDEM.

(i) Vide *l. 14. ſupra.* ID. *Et vinculum.* MS. W. & prior. Cuiac. RITTER.

(k) Id eſt, & ſeſe vinciat, neque opus, vt cum voce, *arripiat,* mutemus, quod tamen Tribonianus prætulit. GOTHOFRED. *Arripiat,* legunt MSS. W. & G. & edit. Sichard. RITTER.

(l) *Pro communione, Cod. Iuſtinian.* Sic & *l. 40. de hæreticis,* communione criminis implicari. GOTHOFRED.

(m) *Satiandus,* Cod. Iuſt. ID.

(n) *Aut ſtudio,* Cod. Iuſt. RITTER.

(o) Huc alluſit Iulius I. Papa *ep. 2. cap. 18. pag. 564. 565. Tom. I. Concil. Harduin.* GOTHOFRED.

** Reliqua Tribonianus reſecauit. ID.

(p) Iuo *parte 16. c. 286.* ID.

(q) *Efficiatur,* Cod. Goth. RITTER.

(r) *Iudicibus,* Cod. Goth. ID.

(s) Prior. Cuiac. & Sichard. *vt ſi ſpontan.* MS. G. *quod ex ſpontanea.* ID.

P. 25. COMMENTARIVS.

ORDO accusationis vetus, seu legibus, veterisque Iuris auctoritate, iamdudum institutus, seu forma iamdudum statuta, ab Honorio, hac Oratione ad Senatum emissa (cuius hæc nostra partem constituit, vt & *lex vlt. sup. de Iurisdictione*, & *lex 2. sup. de libertis*, & *lex vlt. infr. ne præter Crimen Maiestatis*) firmatur, seruarique iubetur. Ac vt omittam cætera capita quæ tribus illis *legibus*, quas *huic* coniungendas dixi, continentur, duo capita de veteri accusationum ordine & forma, *h.l.* continentur.

Primum caput est de *Accusatore* deque iis quæ ab accusatore exiguntur, quæque adeo eidem denunciantur, antequam is qui accusatur rei conditionem sustineat, aut recte damnari possit. Quorum verborum sensus hic est: Non illico eum, qui accusatus fuit in reos recipiendum, custodiæ tradendum: de quo *vide l. 8. sup.* ac multo minus reum peragendum, seu damnandum. Quo modo etiam Accursius recte accepit. Eoque sensu prope Iulianus olim dixisse memoratur apud Ammianum Marcellinum, *lib. 18. cap. 1. in fin. Ecquis* INNOCENS *esse poterit, si accusasse sufficiet?* Accusatori proinde hæc denunciantur. Primum vt ipse accusator præsens (*v. l. 17. sup.*) apud Iudicem libellum Inscriptionis offerat, cuius alioquin formula continetur *in l. 3. D. de accusationib.* quo scilicet & reum designet, & in crimen subscribat, de qua inscriptione fuerunt iam *l. 5. 8. 9. 11. 14. sup. hoc tit.* Item custodiæ similitudo ei denunciatur, quod & ipsum cauetur *l. 8. sup.* id est eum sub eadem custodia qua reum, interea dum iudicium peragitur, continendum, habita tamen dignitatis ratione. Reos quippe etiam dignitate conspicuos, veluti Senatores, honestiore custodia habitos, libera inquam & honesta, apud Magistratum aliquem, satis liquet, præter Salustium *in Catilina cap. 47.* e Dione *lib. 58.* vbi de Asinio Gallo agit: qui hanc custodiam *φυλακὴν ἄδεσμον* vocat, id est, liberam & sine vinclis: additque, *πρός τε γὰρ τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἐτηρεῖτο, ἔξω τῆς τȣ̃ Τιβερίȣ ἀρχῆς. Τότε γὰρ πρὸς τῶν ϛρατηγῶν ἐφυλάχθη, ἵνα μὴ φύγῃ, ȣ̓ μὰ Δί, ἀλλ᾽ ἵνα μὴ τελευτήσῃ.* i. e. *custodiebaturque semper a consulibus, nisi cum Tiberius Consul esset. Tunc enim a Prætoribus obseruabatur, non hercle, ne effugere, sed ne mori posset.* Allusit ad hunc morem Hieronymus *aduersus Vigilantium ep. 60.* vbi agit de animabus Sanctorum post obitum *pag. 84. Tom. II. Oper. edit. Francf. ap. Gensch. Senatoriæ* (inquit) *videlicet dignitatis sunt, & non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia. in Fortunatorum insulis, & in campis Elisiis recluduntur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincla iniicies, vt vsque ad diem iudicii teneantur custodia?* &c. Eodem pertinet & quod Symmachus, *Epist. vlt. lib. 10.* habet: *Secundum hæc scita legum, Agens in rebus Africanus, accusationem professus, Campano & Higino clarissimis viris violentiæ crimen obiecit. Continuo, vt seueritas exigebat, reos custodia militaris, dissimulata dignitate, circumdedit.* (a) Eodem pertinet *l. 3. in fi. infr. de exhibendis reis:* & *l. 1. infr. de custodia reorum.* Comperto demum crimine dignitate conspicui, publico carceri addicti, vt docet præter *legem 5. D. de custodia reorum:* Sidonius Appollinaris *lib. 1. Ep. 7.* vbi de Aruando Præfecto Prætorio Galliarum agit: *In Capitolio,* inquit, *custodiebatur ab hospite Flauio Asello Comite S. L.* Et post: *conclamatur a Iudicibus reum læsæ Maiestatis sententem teneri: confestim priuilegiis Præfectura exauctoratus publico carceri adiudicatus est.* Sed & inscriptionis effectus accusatori *h. l.* denunciatur. Similitudo inquam supplicii, de quo superioribus *legibus* actum fuit. Et hæc de primo capite.

Secundum caput est, & ipsum ad ordinem accusationis spectans, & ipsum iuris veteris authoritati consonum, verum ad *Reum* pertinens. Est autem tale: Confessum de se siue suo crimine in quæstione, seu tormentis, in aliorum capita interrogari non posse: vel etiam sponte, post confessionem de se factam in quæstione, alium ad societatem criminis vocare non posse; id est quasi socium criminis non recte profiteri, atque adeo fidem ei non adhiberi. Qui de se confessus est in quæstione, ei postea neque sponte socium profitenti credendum est, neque in alium is amplius torqueri potest: *h. l.* & *l. 16. §. 1. D. de quæstionibus:* Et Paulus *lib. I. sent. Tit. 12. §. 7.* (b) Cuius rei ratio hæc a Paulo redditur, *ne alienam salutem in dubium deducat qui de sua desperauit.* Et clarius adhuc ratio *h. l.* hæc insinuatur, quia scilicet plerique post confessionem criminis in tormentis factam desperati, alios ad societatem seu communionem criminis vocant, vel vt potentiore nominato, de se sententiam euitent, atque destinato iudicio eripiantur; & publicæ vindictæ subtrahantur, *eripi se posse confidentes studio,* id est gratia, *aut priuilegio nominati,* vt *hac l.* dicitur: vel vt inimicos suos ad supplicium socient; vel (vt *Codex Iustinianeus* præfert) *eorum supplicio in ipsa supremorum suorum sorte se satient.* Libenter scilicet ferme perit, qui cum inimico perit. Quo pertinet elegans locus Pacuuii *Ilione* apud Nonium *c. 2. v. danunt, num. 220.* & *v. expetunt n. 276. Dii me etsi perdunt, tamen esse adiutam expetunt, quod priusquam intereo spatium vlciscendi danunt.* Igitur neque de se confessus in quæstione interrogari de sociis potest: excepto casu *legis 17. D. de Senatusconsulto Silaniano:* & Pauli *V. sent. 14. §. 1.* neque sponte denunciare vel profiteri potest. Quod vltimum iure veteri secus fuisse videtur: spontaneæ enim huiusmodi professioni etsi non facile credi oporteret, tamen non semper fides derogabatur: Et licet plenam probationem non faceret, ad vlteriorem tamen inquisitionem faciebat, seu ad maiorem inquisitionem, *l. 4. Cod. Iust. de Quæstionibus.* Cæterum de tota hac quæstione videndus est Clarus, *lib. V. sent. §. vlt. Quæst. 21. versic. dictum socii.* Itaque concoquere non possum differentiam, quam Cuiacius statuit, inter Conuictum & Confessum hoc sensu; Conuictum, de sociis recte interrogari: Confessum, non item. Eamque differentiæ rationem adsignat, quia cum Confessus habeatur pro damnato, facile vt desperatus ad delationem aliorum confugere posset, vt loquitur *lex 18. §. 3. D. de iure fisci.* Verum & hæc ipsa ratio Conuicto communis est. Quid enim? an non & hic pro damnato habetur? Quinimo maior est desperatio in Conuicto, quam Confesso. Sed & Confessus in quæstione, Conuicto propior est. Denique quid responderet Cuiacius *ad d. l. 4. Cod. Iust. de Quæstionibus,* vbi Conuicti & Confessi clare coniunguntur & de vtrisque idem prædicatur, Nempe Conuictis Confessisque ad societatem scelerum alios vocantibus, facile credi non oportere? Additur *h. l. fine; Commonitoriis secretisque mandatis fidem penitus abnegandum.* Quorum verborum hic sensus est: Confessis de se in quæstione, posteaque etiam sponte alios deferentibus, fidem derogandam esse, etiamsi commonitoria & secreta mandata socio-

(a) Has Obseruationes debet Noster, partim CL. IVRETO, qui in *not. ad d. loc. Symmach.* de custodiis disseruit, partim CL. LIPSIO, qui ad *Taciti Annal. V.* 3. e Dione & aliis rem illustrauit. Tu, si placet, adi etiam CL. SAVARONEM *not. ad Sidon. lib. 1. ep. 7.*

(b) Ad hunc locum vide, quæ animaduertit CL. SCHVLTINGIVS.

sociorum habere se dicant, & producant. Ad hæc ipsa commonitoria & secreta mandata pertinet hic Ammiani Marcellini locus, *lib. 28. cap. 1. Amantius,* inquit, *Aruspex, ea tempestate præ ceteris notus, occultiore iudicio proditus, quod ob praua quadam implenda, ad sacrificandum ab eodem esset adscitus Hymetio, inductusque in iudicium, quanquam incuruus sub equuleo staret, pertinaci negabat instantia. Quo inficiante,* SECRETIORIBVS *chartis ab eius domo* P. 26. *prolatis,* COMMONITORIVM *repertum est, manu scriptum Hymetii, petentis vt obsecrata ritu sacrorum solemnium numina, erga se Imperatores delinirent: cuius extima parte quaedam inuectiua legebantur in Principem, vt & auarum & truculentum.* Commonitoria & secreta mandata similia indicari puto *l. 2. infr. ne præter crim. maiest.* ibi *cum omni* SCRIPTVRARVM *& meditati criminis apparatu;* item *l. 7. infr. de fide test.* De his porro *Commonitoriis* plene dixi, ad *l. 2. si certum petat. de suffragiis. Tom. I. pag. 258.*

DE EXHIBENDIS, VEL TRANSMITTENDIS REIS.

TITVLVS II.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. III.

PARATITLON.

EXHIBERI reum accusatum, Inscriptione prius facta, neque ante oportebat: *l. 3. & 6. h. tit. & l. 8. 9. sup. de accusationibus.* Exhiberi, inquam, *Rubr.* & *l. 3. & 4. h. tit.* id est, comprehendi, *l. 2. h. t.* iudicio exhiberi, *d. l. 4. h. t.* vnde exhibitionis iniuria, *d. l. 8. sup. de accus.* Sed etsi in longinquo esset, comprehensum TRANSMITTI *Rubr.* adduci, *l. 9. sup. de accusat.* ex longinquo acciri, *l. 3. h. t.* deduci, *l. 3. h. t.* & *l. vlt. infr. de Nauicul.* dirigi, *l. vlt. sup. de Curiosis,* oportuit. Id vero fiebat solo Iudicis seu Rectoris Prouinciæ præcepto, *l. 4. & 6. seu vlt. h. t.* cura Iudicum, *d. l. vlt. supr. de curios.* Mittebatur aliquis ad reum exhibendum, *l. 3. h. t.* veluti Domesticus, Protector, aut Agens in rebus, vid. *titulos illos.* Executor, *d. l. vlt. infr. de Nauicular.* Apparitor, vid. Symmachum *lib. 2. ep. 44.* quo casu ferreis interdum vinculis (seu nexibus ligati Rei exhibebantur, transmittebantur, *l. 9. sup. de Executoribus: l. 2. de Gladiatoribus:* ferro vincti ad sacratissimum Comitatum dirigebantur, *l. vlt. sup. de Curiosis.* Sub idonea denique prosecutione mittebantur, vid. *l. 3. infr. de pœnis:* sub custode, Symmachus *lib. 2. ep. 75.* & sub elogio, *d. l. 9. sup. de Execut.* (vid. & *l. 6. infr. de custodia reorum.*) De hac vero reorum accusatorum exhibitorum Prosecutione, seu Transmissione, agitur præterea, *l. 15. de Agentibus in reb. l. 1. de cursu public. l. 9. de executorib. l. vlt. de Nauicular. l. 175. 181. de Decurionibus: l. 2. de Gladiatoribus.* Quomodo & damnati sub prosecutione missi ad locum pœnæ, *l. vlt. de mensis oleariis: l. 52. 53. de hæreticis: l. 3. 6. 16. de pœnis,* etiam ferreis vinculis constricti: *d. l. vn. de mensis oleariis.*

Reis inquirendis & Iudici nunciandis vacabant Curiosi, Stationarii, aliique *l. 1. & 8. de Curiosis: l. 2. de Veteranis: l. 2. de Cohortalibus; l. 1. de cursu publ. l. 31. de Episcopis:* qui carcerem habere vetiti, seu personam pro manifesto crimine apud se habere in custodia, *l. 2. de Cohortalibus.* Edicto quandoque Rei euocabantur, *l. 15. de Cohortalibus.* Tradebantur Rei Magistratibus Municipalibus, si Iudex præsto non esset: eorumque obsequio postea ad Iudices transmittebantur, *l. 1. de Cursu publico.* Exhibitio personarum Officialibus mandari absque Principis [officii] auctoritate non poterat, *l. 3. de Princip. agent.* Reus comprehensus (non tamen Senator, *l. 1. h. t.*) sub custodia constituebatur, *l. 2. 3. h. t. l. 2. de Executor.* tradebatur obseruandus, *d. l. 2. de Executoribus,* Apparitoribus, *d. l. 2. de executoribus;* sub custodia Protectoris, *l. 3. ad l. Iul. repet.* moderata & diligenti residebat, *l. vlt. h. t.* non etiam in carcerem coniiciebatur, *l. 3. h. t.* (id enim nisi conuicto reo fieri oportebat, *d. l. 3.*) Et tamen laxamentum 30. dierum dabatur reo volenti, ad componendos mœstos suos penates, & parandos sibi sumptus, si e longinquo ducendus esset, *l. 3. & vlt. h. t.* Cæterum quisquis Apparitori alicui traditus fuerat, ab eodem vsque ad negotii terminum obseruari debebat; *l. 2. de Executoribus.*

P. 27. **I. (a) Imp. Iulianus A. Sallustio PP. (b)**

IVs Senatorum, & auctoritatem eius Ordinis, (c) in quo nos quoque ipsos esse (d) numeramus, necesse est ab omni iniuria (e) defendere. Si * quis ergo Senator socius criminis insimulatus fuerit, ante causæ cognitionem (f) omni terrore calumniæ, omni suspicionis (g) molestia careat, vacuus sit prorsus & liber, (h) antequam re conuicta crimen agnoscat, & exuat (i) dignitatem. Dat. Non. Febr. Constantinop. Mamertino, & Neuita COSS. [362.]

NOTAE.

(a) *Lex 8. Cod. Iust. de dignitatibus*, hinc desumpta est. GOTHOFR.

(b) *Salustius PP.* sub Iuliano. Vide Ammianum Marcellinum *lib. 21. cap. 8.* in Gestis A. D. 361. & *lib. 22. cap. 3.* fine anni superioris, & *lib. 23. cap. 1.* in Gestis A. 363. *ID.*

(c) Senatorii scilicet. *ID.*

(d) Abest hæc vox a *Cod. Iustin.* & sane superflua ea est, nisi vocem, *numeramus*, accipias pro *gratulamur*, lætamur, gaudemus, & pro magno ducimus. *ID.*

(e) Exhibitionis custodiæ. *ID.*

* Sequentia omnia absunt a *Cod. Iustinian.* propter *leg. 3. Cod. eod. vbi Senator.* *ID.*

(f) Brobationem *l. 3. Cod. Iust. vbi Senatores*: antequam re conuicta crimen agnoscat, *mox infr.* *ID.*

(g) Tanquam suspectus. *ID.*

(h) A custodia. *ID.*

(i) Deponat. *ID.*

COMMENTARIVS.

SENATOREM criminis accusatum, antequam causa cognita conuictus criminis fuerit, & dignitatem retinere, & vacuum prorsus liberumque esse iubet *h. l.* Iulianus Imperator: dignitatem, inquam, pristinam interim retinere. Nominati scilicet capitalium criminum, vt ad nouos honores ante causam finitam non admittuntur, ita pristinam interim dignitatem retinent; *l. 17. §. 12. D. ad Municipalem.* Quod vt in Senatoribus Municipiorum (de quibus *infr. tit. de Decurionibus*:) Papinianus *d. l. 17. §. 12.* rescripsit; similiter *h. l.* de Senatoribus a Iuliano constituitur, & a Zenone *l. 3. Cod. Iust. vbi Senatores.* Conuictus scilicet demum Senator, aut Confessus, dignitatem exuit. Atque eo pertinet querela Aruandi PP. apud Sidonium *lib. 1. ep. 7. quod se prius quam discuterent, vlciscerentur.* Quod iure quoque Gallico tralatitium est, Officiarium quippe, id est, in officio publico constitutum, ante condemnationem, id est, antequam reus criminis peractus sit, deponi siue degradari non posse, frequentibus Curiæ Parisiensis Senatus consultis constitutum, reperio. Videnda est collectio Placitorum Lucii *lib. 8. tit. 5. arresto 3.* & *lib. 9. tit. 7. Arresto 6.* & Chanucius *in Collectione sua des Reglemens, tit. 33. cap. 207.* & Louetius *Lit. O. Num. 1.* Facit huc etiam Aruandi Præfecti Prætorio Galliarum exemplum apud Sidonium *lib. 1. ep. 7. Conclamatur*, inquit, *a Iudicibus* [id est definitur seu pronunciatur] *reum se læsæ Maiestatis confitentem teneri* &c. *Confestim priuilegiis geminæ Præfecturæ, quam per Quinquennium repetitis fascibus rexerat exauctoratus, & pleveiæ familiæ, non vt additus, sed vt redditus, publico carceri adiudicatus est.* Quod exemplum, illud ipsum ostendit, quod *h. l.* dicitur, Senatorem posteaquam re conuicta, crimen agnouerit, dignitatem exuere, id est amittere. Eadem ratione Episcopatus ante causæ exitum, antequam Episcopus fuerit reus criminis peractus, nemini adimi debet, *cap. 1. X. de iudiciis*: & Epistola 2. Felicis I. ad Galliæ Episcopos, quæ extat *primo Tomo Conciliorum pag. 201. 202. Edit. Harduin.* Alexius Aristinus, Græcus Canonum Interpres, *ad can. 90. Concilii Carthaginiens. pag. 624. Tom. I. Pandect. Canon. Guil. Beveregii*, id quoque sic interpretatur: καθαιρεθῆναι γὰρ πρὸ δίκης, οὐ δίκαιον: *Ut enim, ante sententiam latam deponatur, non est iustum.* Καθαίρεσις scil. est *Regradatio*, depositio Episcopi siue Clerici.

Ac vt dignitatem ipsam retinet Senator, pendente Iudicio criminali, ita & nullam interim iniuriam pati debet, nullam calumniam, nullam molestiam, quasi criminis suspectus, nullam exhibitionis, atque adeo custodiæ iniuriam: id enim *h. l.* omnino indicari necesse est, alioquin *huic titulo* ea nequicquam responderet. Et sane cum ab omni iniuria Senatorium Ordinem defendi Iulianus velit, & Senatorem criminis reum, ante iudicium peractum, *vacuum & liberum esse*, omnino exhibitionis, atque adeo custodiæ iniuriam ei remittit: nam & exhibitionis iniuria dicitur *l. 8. sup. de accusationibus*: Cæteri alioquin rei criminum pendente iudicio, etsi hoc iure nostro aliquando in carcerem non coniicerentur, attamen vacui prorsus & liberi non erant: sub custodia enim apparitoris alicuius constituebantur, *l. 2. 3. vlt. h. tit.* & *l. 2. supr. de executoribus.* Hinc & apud Symmachum *lib. 2. epist. 41. Nicagoram Clarissimum virum Siciliæ fascibus functum, sub CVSTODIAM adesse iussit.* Mox fine Epistol. vocat hanc, *Exhibitionem.*

Ab hac igitur custodia liberantur *hac* Iuliani *lege* Senatores, quod tamen priuilegium eis postea abrogatum est. Nam vt docebit *l. prox. infr.* & *ad leg. vlt. superioris tituli* iam ex Sidonio expendi, Senatores quoque pendente iudicio libera & honesta custodia continebantur. Quinimo & hoc detrimentum Senatores rei criminum patiebantur, vt etsi stare illis in secretario siue iudicio necesse non foret, dum causa ipsorum tractatur, tamen inferiore sede sederent, *l. 3. Cod. Iust. vbi Senatores*: iudicibus inferiore. Ideo quoque Sidonius *dicto lib. 1. Ep. 7.* Aruandum Præfectum Prætorio Galliarum reum læsæ maiestatis impudentiæ notat, quod se mediis prope Iudicum finibus ingessisset: de quo iam aliquid notaui *ad l. vn. sup. de officio Iudicum ciuilium.* Porro cur Senatoriæ Dignitati & Ordini, tot & tanta priuilegia Iulianus contulerit, hanc quoque rationem reddit, quia scilicet ipsi quoque Principes Senatorum numero erant; *in quo*, ait Iulianus, *Nos quoque ipsos numeramus*, vt Theodosius Iunior *l. 180. infr. de Decurionibus*; *Cœtum amplissimum, cuius consortio gratulamur.* Arcadius in *l. vlt. infr. ad leg. Cornel. de sicariis*: *Senatorum etiam, nam & ipsi pars corporis nostri sunt.* Et Valentinianus in *leg. 32. sup. de cursu publico*: *Senatores* inquit, *quos Collegii merito videre frequentius cupimus.* Ante hos omnes Alexander Seuerus ad Senatum, referente Lampridio *in Vit. cap. 11. Quiescite venerandi Patres, & vos ipsi Magnifici, vnum me de vobis esse censete potius, quam Magni nomen ingerite.* Et hæc quidem ita alii quoque Principes: p. 28. tum & Iulianus: de cuius peculiari erga Senatum cultu, & ad Senatum accessu (quem Constantius neglexerat) vide quæ Libanius *in eius necem, pag. 297. 298. 299. edit. Morell.* & Ammianus Marcellinus, *lib. 22. cap. 7.* habet, cuius verba corruptissima alibi restituo. Et hac quidem ipsa ratione, domus Principis glebale onus, quod Senatorium est, agnoscebat, *l. 11. sup. de Senatoribus.* Eadem ratione filia Senatoris libertino nubere non poterat, si Græcis Interpretibus stamus; ὕβριν γὰρ τοῦτο κρίνει τῆς τε βασιλείας καὶ τῆς συγκλήτου: ἡ βασιλεία γὰρ τῇ συγκλήτῳ συναριθμεῖται. Qui ipsi Græci ad *l. 8. Cod. Iust. de Dignit.* hinc *desumptam, in Eclog. Basil. lib. 6. tit. 1. cap. 24.* hæc notant: καλῶς εἶπεν ὁ βασιλεὺς συναριθμεῖται τοῖς συγκλητικοῖς, ἐπειδὴ καὶ ὑπατεύειν ἀνέχεται. *Præclare dixit Imperator, se quoque Senatoribus adnumerari, cum etiam Consulatus administrationem sustineat.* Quibus postremis verbis respondet hic Libanii locus in *Panegyrico*, quem dixit Iuliano Consuli, *pag. 231. edit. Morell.* Μόνη γὰρ ἥδε τιμῶν, καὶ βασιλέως ἥρμοσε τύχῃ. *Etenim vnus hic solus inter honores, Regis etiam fortunæ congruit.* Loca vide alia *ad leg. vn. supr. de Consul.*

Porro obseruandum qua ratione reis factis, nec-

dum peractis, sua stat Dignitas, pari ratione reliqua iura stare *l. 41. 45. §. 1. D. de solutionibus. l. 46. §. 6. D. de iure fisci: l. 15. D. de donationibus*, excepto Maiestatis crimine, de quo ad *l. vlt. infr. ad leg. Cornel. de sicariis.*

Tandem non inani coniectura ducor, *huic legi* occasionem dedisse iudicia criminalia, quæ tum agitata Iuliano auctore, per eundem Secundum Salustium PP. cui hæc *lex* inscribitur, vt testatur Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 3.*

II. (a) Impp. Valentinianus & Valens AA. Valentino (b) Consular. Piceni. (c)

QVISQVIS (d) fuerit, quem crimen (e) pulsat (f) quem negotium tangit, (g) comprehensum eum Iudex sub custodia constituat: atque ita vel causæ meritum, vel personæ qualitatem ad Nos (h) Referat: Vel, si (i) longius fuerimus, ad Inlustres Viros Præfectos Prætorio siue ad Magistros Militum * si militaris fuerit persona; ne sub specie vel veræ vel ementitæ dignitatis (k) facinora dilabantur: Dabimus enim formam, quam vnusquisque Iudex sequetur in eo, qui reus fuerit inuentus. Interim ille qui in suspicionem venerit negotii criminalis, cuiuscunque honoris esse dicatur, comprehensus ex officio non recedat. Dat. XI. Kal. Feb. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* ex *h. l.* descripta est. *GOTHOFR.*

(b) Ita quoque *lex. 4. inf. quibus equorum vsus.* At *Valentinianus* habent quædam exemplaria *Cod. Iust. in d. leg. 1. h. t.* & ita dicitur etiam *l. 5. supr. de pactis.* & *l. 17. infr de operibus publ.* Valentini alioquin ducis in Illyrico, meminit Ammianus Marcellinus *lib. 18. cap. 4.* in Gestis Anni 359. *ID.*

(c) Annonarii; de quo mox: non etiam Suburbicarii, vt ostendi ad *l. 4. infr. quibus equorum vsus*: Idem Consularis aliquando Piceno simul & Flaminiæ præerat: vid. quæ obseruo ad *l. 1. inf. quibus equorum vsus.* *ID.*

(d) Cuiuscunque honoris, in *fin. leg.* dignitatis, *hac ead. leg. vers. ne sub Specie.* *ID.*

(e) Crimen aliquod nominatim perstringi videtur: quod huic *legi* occasionem dederit, idque adhuc magis confirmant hæc verba, *in fin. Interim ille qui in suspicionem venerit negotii criminalis.* *ID.*

(f) Alias & communius, *qui crimine pulsatur.* Claudianus quoque *de bello Gildon. v. 170. Crimine pulsatur falso*; vt pulsari accusatione, *l. 4. sup. de accusat.* plura vid. *in Gloss.* & apud *Symmachum.* *ID.*

(g) Id est, qui crimini adfinis est, qui socius & particeps. *ID.*

(h) Mediolanum, vt ex subscriptione *leg.* apparet. *ID.*

(i) Vt hic annus & hæc tempora ferme deposcebant. Sane Mediolani hoc anno Valentinianus Imp. substitit vsque ad mensem Septembrem, postea in *Galliam*, ac nominatim PARISIOS profectus. *ID.*

* *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* hinc nominatim desumpta seu efformata, cuius hæc verba sunt; *Si miles in prouincia repertus crimen publicum commiserit, eum Rector sub custodia constituat, atque ita vel causæ meritum, vel etiam personæ qualitatem ad Magistrum Militum referat.* *ID.*

(k) Senatoriæ, vel Militaris. *ID.*

COMMENTARIVS.

INCOMPETENS alioquin in causa criminali, Iudex eius, qui fori præscriptionem aliquam habet, *qui demande son Renuoy*, nihilominus interea, dum vel ad Principem, vel ad competentes Iudices refert, comprehensum Reum criminisque suspectum cuiuscunque dignitatis, honoris, sub custodia Officii sui (id est Officialium seu Apparitorum) constituere ex *hac* Valentiniani *leg.* seu *constitut.* potest. Vt ecce, *Miles* fori militaris præscriptionem habet, id est ad Magistri Militum, Ducum militarium, iudicium prouocare potest, *l. 2. sup. de Iurisdict.* Item Senator Præfectorii fori præscriptionem habet, id est, ad Præfectum Vrbi olim, postea & ad Præfectum Prætorio prouocare potuit, & quidem ad Præfectum Prætorio ex omnibus prouinciis (præter Suburbicarias, vt docuit *l. 13. sup. de accusat.* veluti ex Piceno (annonario scilicet) quod docebo plenius ad *l. 4. infr. quibus equorum vsus.* Et his tamen nil obstantibus, potest Rector Prouinciæ interim Senatorem vel militem comprehensum sub custodia continere. Vt cæteroquin delati Rei statim custodia cincti, siue transmittendi Rei essent, siue noti; vt præter *banc leg.* docet *lex. vlt. infr.* & *l. 2. de Executionibus*, Sidonius Apollin. *lib. 1. ep. 7.* de Aruando PP. *prius cinctus custodia, quam potestate discinctus, captus destinatusque peruenit Romam.* De hac quoque officii custodia est Basilii locus *ep. 366.* (*siv. 137. edit. Benedict.*) *in fin.* δέομαι οὖν, τοῦ προσώπου ἐν ἀσφαλείᾳ ὄντος, καὶ κατεχομένου παρὰ τῆς τάξεως ἀνεπαχθῆ ταύτην χάριν, καὶ ἀνεπίφθονον ἡμῖν καταθέσθαι. *Rogo igitur, ut cum personna in tuto posita sit atque a coborte detineatur, hanc gratiam molestia & inuidia carentem nobis non deneges.* Fori præscriptio non impedit capturam, vel custodiam & de quo cognosci, vel in quem animaduerti non potest, nihilominus capi & custodiri interea potest: vid. & *l. 27. §. 2. D. de pœnis.* Ac præsertim in abruptis criminibus veluti in sp. *huius leg.* (quod mox ostendam) latrocinii, abigeatus, ne alioquin specie dignitatis, vt hæc *lex* ait, facinora dilabantur. In abruptis ordinariæ viæ, ordinariisque præscriptionibus non vsque quaque deferendum est.

Interim ex hac *lege* vt militaris, fori militaris, ita p. 29. Senator Præfectorii præscriptionem habet. Etsi circa vtrosque ius sæpe variauit. Senatores prouinciales ante Constantinum M. fori præscriptionem habuere: hanc eis Constantinus ademit, *l. 1. sup. de Accusation.* In Militibus haud dispar varietas, de communi delicto loquor, (non de militari, quod proculdubio ad Iudicem militarem pertinuit, *l. 3. D. de re militari: l. 9. D. de custod. reorum*) scilicet Seuerus & Antoninus militibus fori præscriptionem ademerunt, *l. vlt. D. de accusationib. d. l. 3. in pr. D. de re militari.* reddiderunt constitutiones Principum sequentes, *leg. 1. Cod. Iust. ad leg. Cornel. de sicariis: h. l.* & *l. 2. sup. de Iurisdictione*: Excepto adulterii crimine, *l. vlt. ad leg. Iul. de Adulteriis.* Ademta rursum illis a Theodosio Iuniore, *Nouell. 14. de amota milit. fori præscriptione, l. 2.* Et ita quidem hæc quæstio expedienda est, non vt Cuiacius fecit. Igitur vt ad *leg.*

nostram redeamus, Captura & custodia militis & Senatoris tantum Rectori prouinciæ conceditur: ne alioquin (vt hæc *lex* ait) sub specie dignitatis facinora dilabantur, id est, rei elabantur, vt Suetonius in *Octauio, c.32.* dixit, *maleficium negotiumue elabi.* Custodia autem *h.l.* est, non carceri sed custodia Officii, vt vocatur *in fin. l.* & *l. 4. infr. de abolitionib.* & *l. 1. Cod. Iust. ad SC. Turpil.* quoties videlicet Iudex officialibus seu Apparitoribus suis reum custodiendum tradidit. Manente vero interim sub custodia reo, qui fori præscriptionem allegat, iubet Valentinianus Rectorem prouinciæ de reo ad se referre, de causæ (inquam) eius merito, deque personæ qualitate, si non longe positus erat: Mediolani, inquam, respectu Piceni: cuius Consulari hæc *lex* inscribitur. Si vero longe positus sit, vel ad Præfectum Prætorio, vel ad Magistrum Militum, si militaris sit persona. Et addit, *daturum se formam, quam sequetur Iudex in eo qui reus fuerit inuentus.* Vnde colligunt nonnulli, solius esse Imperatoris, seu Regis, formam dare processibus criminalibus. Quod etsi verum sit, quandoquidem legis condendæ potestas penes eum vnum est, attamen non hic sensus est huius loci: verum est hæc *lex* de forma speciali, quam quadam occasione, de qua mox, daturus erat Imperator, in quadam flagrantis feruentisque criminis specie. Nempe pertinere hanc *legem* ad latrocinia & vasturas, quæ per Picenum, fiebant, suadere videtur omnino *lex. 4. infr. quibus equorum vsus*: Quorum criminum Rei ne elaberentur sub specie dignitatis, hanc extraordinariam constitutionem Valentinianus emisit. Denique ab *hac leg.* non abducit *lex 27. §. 2. D. de pœnis.*

III. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Eutropio P.P.

Nullus in carcerem, prius quam conuincatur, omnino vinciatur: (b) ex longinquo si quis est acciendus, non prius adsimulanti (c) accommodetur adsensus (d) quam sollemni (e) lege se vinxerit & in pœnam reciproci (f) stilo trepidante (g) recauerit. (h) Eique (i) qui deducendus (k) erit, ad disponendas res suas, componendosque mæstos (l) penates, spatium coram loci Iudice, aut etiam Magistratibus, dierum XXX. (m) tribuatur: nulla remanente apud eum qui ad exhibendum (n) missus est copia nundinandi: Qui posteaquam ad Iudicem venerit, adhibita aduocatione, (o) ius (p) debebit explorare (q) quæsitum: ac tam diu pari cum accusatore fortuna retineri, donec repperit (r) cognitio celebrata discrimen. (s) Dat. III. Kal. Ian. Constantinop. Gratiano V. & Theod. AA. Coss. [380.]

NOTÆ.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* Meminit huius legis, *lex vlt. h. t.* & iungenda huic *L. lex 6. infr. de custod. reorum.* GOTH.

(b) Græci, *iniiciatur*, legisse videntur, cum ἐμβάλλεσθαι verbo vtantur. Et tamen κατὰ πόδας *vinciatur* quoque legit *Cod. Iust.* Quod tamen eodem recidit, quicquid dicat Thalelæus, aut Accursius. *ID.*

(c) *Adsimulanti*, pro insimulanti, id est, accusatori, quomodo *Cod. Iust.* hic additum. *ID.*

(d) Id est, non ante acciri iubeatur. *ID.*

(e) Solemnia, *l. vlt. infr. de falso*: Solemnitatem iuris, *l. 3. infr. de vi*: Solemnibus satisfecerit, *l. 9. sup. de accusat.* id est, inscripserit. *ID.*

(f) *Reciprocos pœnæ* pariter *incursus*, vocat *Lex 7. sup. de accusat.* vbi dixi plura. *Similitudo supplicii, Talio*: Vid. Augustini *ep. 228. 229. 238.* & Interpr. Imberti *Instit. lib. 3. fine cap. 1.* *ID.*

(g) *Recepta mentis tranquillitate*, cum ratione & consilio, *l. 5. sup. de accusat.* *ID.*

(h) *Recauere*, hic, voce propria; id est inuicem cauere. *ID.*

(i) *Ei vero.* C. Iust. *ID.*

(k) *Reducendus*, C. Inst. male. Supr. *acciendus.* *ID.*

(l) Ordinationem domus propriæ *l. vlt. inf.* *ID.*

(m) *Sufficientium dierum, non minus tamen* 30. Ita Tribon. *ID.*

(n) Id est, Apparitorem. *ID.*

(o) Id est, *Aduocato.* *ID.*

(p) an, *eius*, id est, Iudicis? *ID.*

(q) Pro *explorare*, reponendum *explicare*, explanare. *ID.*

(r) *Repererit*, C. Iust recte. Editum forte fuit *reppERit*, quod est *reppererit.* *ID.* Miror hanc notam, habent enim impressi priores *reppererit*, & in Cuiaciana ultima τὸ *repperit*, typographorum errore factum, nullus dubito. RITTER.

(s) Accusatoris & rei. GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

In Exhibitorum partim, partim vero Exhibendorum (& quidem e longinquo) reorum fauorem, Theodosius M. *h. l.* sequentia constituit. Exhibitorum inquam, in Carcerem scil. neminem nisi conuictum vinciri (id est *coniici*, vt Græci recte vertunt,) vult: Quod quidem ius variasse sæpe, ostendet *Titulus prox. sequens, de custod. reorum*, & *l. 2. sup. h. tit.* & *l. 7. 18. sup. tit. prox. de Accusat.* quin & id ostendere nominatim videtur, *L. 6. infr. de custod. reor.* quæ huic nostræ coniungenda est. Exhibendorum vero e longinquo fauore hæc Theodosius constituit. Primum Inscriptionem ab accusatore impleri oportere, antequam reus e longinquo accersatur; quæ in commune sane ante exhibitionem Rei desideratur: vt docuit *lex 5. 8. 9. 11. 14. vlt. sup. de Accusation.* idque etiam euincit huius & superioris *Tituli* ordo. Sed peculiare id habet hoc casu Inscriptio, vt cum Inscriptio tantum exhibitionem præcedere debeat, si præsens sit reus, id est, antequam accusationem excipiat: hoc sane casu, si in longinquo moretur accusatus; nam etsi præsens sit, & propius constitu-

stitutus, requiritur; sed hoc discrimen est, quod illa longe ante fieri debeat: ne scil. alioquin procacia accusatorum absentes e longinquo vel temere vel calumniose euocentur, adducantur, cum magnis ipsorum impendiis magnoque incommodo.

Alterum beneficium exhibendis e longinquo tribuit Theodosius M. (quod & ipsum confirmatur *l. vlt. infr. b. t.* vbi & Augustinum adducam) *h. t.* videlicet: LAXAMENTVM triginta dierum reo post decretum insinuatum tribuendum πρὸς περίθαλψιν, ad componendam videlicet & ordinandam domum suam remque familiarem, seu vt *lex* ait, *ad componendos mæstos penates*, & ad parandos sibi ad iter litemque sumptus. Idque spatium 30. dierum, vel coram loci Iudice, vel etiam coram Magistratibus municipalibus sc. (vt docet *d. l. vlt.*) tribui oportere. Quo ita copia nundinandi ei, qui ad Reum adducendum missus fuit adimatur: *Nundinandi*, prædandi: vt in alia re sed simili loquitur *lex 6. infr. de custod. reor.* quæ *huic* iungenda est, a reo aliquid extorquendi, lucrandi κερδαίνειν ἐξ αὐτῶ, non, vt Græci putarunt, pro reo liberando, verum laxamenti alicuius vel prolixioris tribuendi causa, quod omnino facere solebant, nullo legitimo antea laxamento hanc in rem constituto. *Nundinare* nil aliud est quam emolumentum & compendium aliquod & ferme furtiuum (vt vocatur *l. 2. sup. de liberali causa*) quærere: quo sensu pariter accipienda *nundinandi* vox, *l. 10. supr. de cohortalib.* & *nundinatio*, *l. vlt. infr. de his qui cum disp. contrax.* Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1. Hymetius cum Africam Proconsule regeret, Carthaginiensibus victus inopia iam lassatis, ex horreis Romano populo destinatis frumentum dedit: pauloque postea cum prouenisset segetum copia, integre sine vlla restituit mora. Verum quoniam denis modiis singulis solidis indigentibus venumdatis, emerat ipse tricenos, interpretii compendium ad Principis ærarium misit. Ideoque Valentinianus per* NVNDINATIONEM *suspicatus parum quam oportuerat missum, eum bonorum parte mulctauit.* Nundinatio alioquin πᾶσα πραγματεία· καὶ πᾶν κέρδος, Gloss. Cyrilli, Glossar. Nom. Νυνδινάτιο. κυρίως μὲν τῶν λαμβανομένων προφάσει ἐμπορίας, ἐνίοτε δὲ τὸ καθόλυ κέρδος. Commercium, *l. 10. Cod. Iust. de accusationib.* Ita quoque administrator turpibus nundinis abstinere iubetur *l. 5. sup. de iis quæ administr.* eaque voce sæpe vtitur Cassiodorus, de quo in *Gloss.* plene.

Interea obseruandum, Theodosio reorum fauore & contemplatu 30. dierum laxamentum placuisse non hac tantum parte, verum & solemni *leg. 13. infr. de pœnis.* In vniuersum de 30. dierum præscriptione, vid. Eustathium, & Cuiacium.

Tandem *fine leg.* Tertium beneficium Reis exhibitis tribuit Theodosius M. idque in duobus. Primo circa *Aduocationem*, vt ea vti possit reus, & adhibita aduocatione *ius explorare quæsitum*, vbi repono, *Qui posteaquam ad Iudicem venerit, adhibita aduocationE ius DEbebit explanare quæsitum*, id est, Aduocatione eiusdem [Iudicis scil.] debebit explanare quæsitum. *Explanare quæsitum Iudicis*, est ad Iudicis quæsita respondere, eius religionem instruere. *Explanare*, est elucidare: *Quæsitum Iudicis*, est interrogatio *Quæsitoris* criminis, qui a *quærendo* dictus. *Quæsitum*, pro eo quod est rogatum, interrogatum, postulatum, Inquisitio. Ouid. 4. *Metamorph. v. 793.*

Accipe Quæsiti causam - -

& *Fast. 1. v. 278.*

Nec mora, Quæsiti reddita causa mihi est.

Denique Iudicis est, *Quæsitum* Rei *explanare.* Post hæc *cognitio* Iudicis celebratur, vnde *Cognitio celebrata* mox: vt tamdiu pari cum accusatore fortuna seu custodia teneatur, vsquequo cognitione habita de re indicatum fuerit.

IV. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. Drepanio (b) Procons. Africæ.

NEMINEM Iudicio (c) exhibendum esse præcipimus, nisi de cuius exhibitione Iudex pronunciauerit. Dat. Prid. Non. Febr. Med. Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.]

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) Hiccine est Latinus Depranius Pacatus Proconsul, cui *ludum septem Sapientum* inscripsit Ausonius, & *Technopægnion*? ID.

(c) *In Iudicio.* C. Iust. ID.

COMMENTARIVS.

NON nisi speciali IVDICIS præcepto quem comprehendi posse, seu exhiberi, & deduci, definit Valentinianus Iun. *h. l.* pariter vt definitur, *l. vlt. infr.* & *l. 9. sup. de accusationibus.* Apparitori scilicet non est manus iniectio nisi Iudex iusserit. Recte enim Græci *ad hanc legem* notarunt, huic *legi* occasionem dedisse Apparitores, quod sæpe Officiales existerent, qui volebant reos sine scripto Iudicis exhibere. *Il faut que le Iuge decerne prinse de corps, ou Adiournement personel selon l' exigence du cas: Sans decret, cela ne se peust.* Excipiendus est hac parte reus falsæ monetæ, *l. 2. infr. de falsa moneta* &c. vid. etiam Glossam *ad d. l. Cod. Iust.* & *ibidem* exceptiones plures.

P. 31. ## V. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Cæciliano P. P. (b)

DEFENSORES (c) ciuitatum, Curatores, (d) Magistratus, (e) & Ordines (f) oblatos (g) sibi reos in (h) carcerem non mittant: sed in ipso Latrocinio, vel congressu violentiæ, aut perpetrato homicidio, stupro, (i) vel raptu vel adulterio deprehensos, & actis Municipalibus (k) sibi traditos, expresso crimine prosecutionibus (l) arguentium cum (m) his a quibus fuerint accusati, mox sub idonea prosecutione ad Iudicium (n) dirigant, &c. Dat. XII. Kal. Feb. Rau. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) *Lex 7. Cod. Iust. de defensoribus ciuitatum.* Iungenda huic est *l. 6. seu vlt. prox. l. 2. inf. vt intra annum: l. vn. inf. ne pastoribus dentur: l. vlt. inf. de fide testium; lex 3. inf. de superexact.* Et non improbabiliter, *lex vlt. inf. de cust. reor. l. vlt. inf. de maleficiis, l. vlt. inf. de abolition.* GOTHOFRED. Inscriptionem hanc præfert L. 7. C. I. *Imppp. Arcad. Honor. & Theodos.* & recte secundum Coss. subscriptos, *Stilichonem II. & Anthemium*, qui prodierunt *anno D.* 405. Etenim *anno* demum 408. Arcadius vitam cum morte commutauit. Sed absque dubio male ita habet Cod. Iust. quod testantur tot constitutiones, quas Noster cum hac coniungendas monuit. Etiam *Rauennæ* constitit *anno* 405. Honorius, non *Mediolani*, quam vrbem præfert idem Codex. RITTER.

(b) PP. Italiæ: v. Zosimum *lib. 5. cap. 44.* GOTHOFR.

(c) De *defensoribus ciuitatum* fuit *sup. lib. 1. titul. 11.* ID.

(d) *Curatores, Magistratus & Ordines*, hæc verba sustulit Tribonianus: de *Curatoribus ciuitatum, seu vrbium singularum.* vid. & *l. vlt. inf. de superexactionibus: l. 31. inf. de Episcopis: l. 5. omnis §. præterea Official. de iis quæ administr. l. 2. inf. de Canone frum. V. R. l. 1. inf. de Scenicis: l. 3. 8. de Donationib. l. 20. inf. de Decurionib.* vbi dicam plenius. IDEM.

(e) Duumuiri intelliguntur, de quibus *inf. Tit. de Decurionibus.* ID.

(f) Curiæ ciuitatum intelliguntur. ID.

(g) a Stationariis, vt *l. 1. sup. de cursu publico*, vel Curiosis, *d. l. 1. & l. 1. & 8. sup. de Curiosis.* ID.

(h) *In carcerem non mittant, sed.* Hæc verba recidit Tribonianus. IDEM.

(i) *Aut stupro*, Cod. Iust. RITTER.

(k) *Publicis*, Cod. Iustinian. de actis municipalibus alibi dictum: & agetur, *l. 3. seu vlt. de superexactionibus*, quæ huic nostræ inter alias iungenda est. GOTHOFRED.

(l) *Prosecutionibus arguentium.* Hæc verba sustulit Tribonianus. Porro hic intelliguntur Notoriæ Curiosorum & Stationariorum, vel etiam priuatorum accusatorii libelli, qualitatem criminis continentes. Prosecutio est instructio *l. 4. de re militari:* eodem sensu, *prosequi, l. 175. de Decur.* ID.

(m) V. & *l. prox. inf. in fine.* ID.

(n) Id est, Iudicem seu Præsidem & Rectorem prouinciæ. ID.

COMMENTARIVS.

MVNICIPALES MAGISTRATVS reos criminum sibi oblatos, traditos, pariter vt in ipso crimine deprehensos, in carcerem conicere ab Honorio *h. l.* vetantur (quod & ipsum de Curiosis statuitur, *l. 8. supra de Curiosis*) verum reos vna cum accusatoribus ad Iudices seu Rectores Prouinciarum illico sub fida prosecutione mittere iubentur: pariter vt a Constantino M. in specie *l. 1. sup. de Cursu publico.* *Sub fida prosecutione* seu idonea, id est, sub fida & idonea custodia; de qua prosecutione reorum vid. & *d. legem 1. sup. de Cursu publico: l. 3. 16. de pœnis: l. 175. 181. infr. de Decurionibus:* & Symmachum *l. 10. ep. 49.* *Faire conduire le criminel auec bonne & seure guarde.* Cum accusatoribus, inquam, imo & cum publicis personis, id est Stationariis, si reus ab his denunciatus fuerit: Nam & hi, etsi in crimen non subscribant, Notoriis tamen adsistere debent, id est probare veras esse suas Notorias, sua elogia & relationes: *l. 6. §. 3. D. ad Senatusconsultum Turpillianum:* vid. & *legem 17. vlt. Cod. Iust. de accusationib.* & cum Iudex ἀνάκρισιν seu inquisitionem facit, iuberi oportet venire Irenarchen & quod scripserit exequi, *l. 6. D. de custod. reorum.*

Hac interim *leg.* notantur Magistratuum Municipalium nomina, seu species. Quemadmodum scil. Vrbs Roma suos habuit Tribunos plebis, suos Regionum *Curatores*, suos Consules, suum Senatum; ita quoque & Municipia pro Tribunis plebis habuere *Defensores*, de quibus *suo Titulo lib. 1. sup.* actum est: habuere & suos *Curatores:* Item pro Consulibus *Magistratus*, id est Duumuiros: pro Senatu *Ordines*, siue Curias, de quibus plerisque dicendi locus erit *infr. de Decurionibus.* Similis sane horum Magistratuum Municipalium coniunctio occurrit in *l. vlt. infr. de superexactionibus*, quæ huic nostræ inter alias iungenda est. *Prouincialibus*, inquit, *nostris contestari iniurias suas cupientibus, actorum confectio a Defensoribus, Ordinibus, Curatore & Magistratibus denegetur.* Et in *l. 31. infr. de Episcopis: Literis Ordinum, Magistratuum & Curatorum, & Notoriis Apparitorum, quos stationarios appellant, deferatur in Notitiam potestatum.*

Sed & illud ex hac *lege*, & dictis *legibus* apparet, apud hos Magistratus Prouinciales suas iniurias contestari solitos, iisdem reos denunciatos, traditos, de quo alibi plenius, puta *tit. de Defensoribus ciuitatum:* & *tit. de Decurionibus.* Et hæc de Magistratibus.

Illud secundo obseruandum, hanc *legem* prolixioris Honorii constitutionis portiunculam esse *de processu criminali*, de reis comprehendendis, prosequendis, custodiendis, interrogandis, humaniter tractandis, eorum iudicio accelerando, sed & testibus exhibendis, & id genus aliis; vt ex omnibus illis *legibus* constat, quas *huic* nostræ coniungendas esse dixi.

Postremo obseruandum, cum generaliter hæc constitutio Honoriana pertineat ad quoscumque ferme criminum Reos, speciatim tamen ad *Latrones* pertinere: quo sane spectat præter hanc legem, *l. vn. infr. ne pastoribus.* De latronibus alioquin vide & *l. 2. inf. de his qui latrones:* & *l. 2. inf. ad leg. Cornel. de sicariis.*

P. 32. VI. (a) Impp. (b) HONOR. & THEOD. AA. Cæciliano PP. (c)

SI quos, præcepto (d) Iudicum, præmisso (e) inscribtionis vinculo reos factos, adminiculum (f) Curiæ propriæ (g) dirigere iussum fuerit, Municipalibus actis (h) interrogentur, *An velint iuxta præceptum* (i) *Triumphalis Patris* (k) *nostri* XXX. *diebus sibi concessis sub moderata & diligenti custodia propter ordinationem* (l) *domus propriæ, parandosque sibi sumptus,* (m) *in ciuitate residere:* Quod si fieri voluerint, hoc genus beneficii cupientibus non negetur. Si vero dirigi velint, mox reos cum (n) suis accusatoribus mittant, (o) nec

ad arbitrium aduersariorum in Ciuitatibus retineri patiantur, &c. Dat. XII. Kal. Feb. Rau. Honor. VIII. & Theodos. (p) AA. Coss. [409.]

NOTAE.

(a) Quaenam *leges* huic nostrae coniungendae sint? ex superiore liquet, quae & ipsa *huic* coniungenda est. Huius *legis* meminit B. Augustinus locis quae mox laudabo. *Huic* vero concordat *lex* 3. *sup.* GOTHOFRED.

(b) Idem AA. *ID.*

(c) Caecilianus PP. sub Honorio. v. *Prosop. ID.*

(d) Vide *legem* 4. *sup. IDEM.*

(e) Vide *legem* 3. *sup.* quam haec nostra indicat. *IDEM.*

(f) Recte: neque mutandum in, *ad iudicium:* id est, Curia sub adminiculo & prosecutione mittere iussa fuerit. *ID.*

(g) γρ. *propriae.* Curiam propriam vocat eius ciuitatis, in qua reus factus, & sub prosecutione mittendus est, seu exhibendus *ID.*

(h) Vide *legem* 5. *sup.* Gesta Municipalia. Augustinus *ep* 228. acta Municipalia, *ep.* 229. 230. *ID.*

(i) Intelligit *legem* 3. *sup. ID.*

(k) Theodosium patrem suum Honorius intelligit, vide *Glossarium*, de voce, *Triumphali. ID.*

(l) Ad disponendas res suas, componendosque moestos penates *d. l.* 3. *sup. ID.*

(m) Itineris & litis fructus, August. *ep.* 228. Alibi, vt *h. l. sumptus* voce utitur hac ipsa in re Augustinus *fin. ep.* 229: Sumptusque prouideat. *Ep.* 230. Sumptus praeparet. *ID.*

(n) Vide *legem* 5. *in fine supr. ID.*

(o) Curia *ID.*

(p) III. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

LAXAMENTVM triginta dierum reis e longinquo deducendis a Theodosio M. indultum, *l.* 3. *sup.* Hac Honorii filii ipsius Constitutione ita confirmatur; vt beneficium hoc reo, at non etiam accusatori tribui velit. Et ideo si reus coram Magistratu municipali interrogatus (interrogari enim debet) an velit hoc laxamento & beneficio vti? respondit, sese paratum esse illico proficisci, non poterit accusator hoc laxamento vti: Beneficio pro se introducto reus renunciare potest, neque ea est hac parte accusatoris & rei ratio eadem. Laxamentum scilicet hoc, siue dilatio haec ideo reo tribuitur, ne reus inopinato & nequicquam cogitans rebus suis domi non ordinatis, quo forte reuersurus nunquam, proficisci cogatur. De accusatore nil tale dici potest, qui vbi semel in animum induxit alterum reum peragere, ad accusandum paratus accedere creditur, & esse debet. Ad quam rationem collimat quoque *lex* 1. *sup. de dilationibus*, seu *lex* 2. *Cod. Iust. eod. tit.* Nam si quis rescriptum ad extraordinarium Iudicem reportauerit, dilatio ei penitus est deneganda, illi autem qui in iudicium vocatur danda est; quoniam (vt illa *lex* ait) instructus esse non potuit qui praeter spem ad alienum iudicem trahitur: Eademque ratione nititur *lex* 2. *d. Tit. sup. de dilationibus:* eidemque respondet illa quam Gaius tradit in *l.* 42. *D. de Regulis iuris.* Haecque ipsa ratio facit, vt actori non tot dari debeant dilationes, quot reo, ac nominatim in capitalibus *l. vlt. D. de feriis & dilationib.* de quibus dilationibus alioquin agitur in *l.* 2. siue *vlt. infr. vt intra annum criminalis quaestio terminetur*, quae huic nostrae inter alias coniungenda est. Haec ipsa ratio rursum efficit, vt actio de dolo certo tempore finiatur, exceptio autem de dolo perpetua sit, *l.* 5. *in fine D. de doli exceptione.*

Ceterum huius *legis* meminit B. Augustinus epistolis tribus puta *ep.* 228. 229. 230. quarum verba apponenda sunt, vt liqueat eum de *hac l.* sensisse, non de *l.* 3. *sup.* & quam fideliter B. Augustinus *hanc l.* laudet: eiusque verba etiam sequatur, Epistola 228. (siue 114. *Tom. II. Oper. edit. Benedict. pag.* 325.) ad Florentinum: *Cuius* POTESTATIS *iussione Fauentium rapueris, ipse videris: Hoc autem scio, quod omnis potestas, sub Imperio constituta Imperatoris sui legibus seruit. Quamuis ergo iam miserim legem, quam quidem & antequam mitterem, ignorare vtique non deberes, qua concessum est eis, qui* PRAECIPIVNTVR *ab aliqua* POTESTATE *iudiciis exhiberi, vt ad* GESTA MVNICIPALIA *perducantur, atque illic* INTERROGENTVR, *vtrum velint triginta dies* IN EA CIVITATE, *vbi tenentur, agere* SVB MODERATA CVSTODIA, AD PARANDOS SIBI FRVCTVS, VEL REM SVAM, SICVT NECESSE FVERIT ORDINANDAM. *Quae lex* &c. Epistola 229. (siue 113. *Tom. eod. Operum edit. cit. pag. cit.*) ad Cresconium: *Hoc interim apud Apparitorem qui eum tenet, petitionem meam adiuuare digneris, vt faciat quod Imperatoris Lege praecipitur,* VT EVM APVD ACTA MVNICIPALIA INTERROGARI FACIAT, VTRVM SIBI VELIT DIES TRIGINTA CONCEDI, QVIBVS AGAT SVB MODERATA CVSTODIA IN EA CIVITATE, IN QVA DETENTVS EST, VT SVA ORDINET SVMPTVSQVE *prouideat* &c. Epistola 230. (siue 115. *Tom. eod. Oper. edit. cit. pag.* 326.) ad Fortunatum: *Alio die misi literas, petens, vt ei concederetur, quod iussit in causis talibus Imperator, id est,* VT ACTIS MVNICIPALIBVS INTERROGARENTVR, QVI PRAECEPTI FVERINT EXHIBENDI, *vtrum velint in ea Ciuitate sub* CVSTODIA MODERATA *triginta dies agere, vt rem suam ordinent vel praeparent* SVMPTVS. Et in fin. *Et quod circa eundem Leges non seruatae sunt, vt sic raperetur, neque vt ab Imperatore praeceptum est, ad Acta municipalia perduceretur interrogandus,* BENEFICIVM DILATIONIS *vellet accipere, non contemnant.* Eodemque etiam pertinet Epistola 231. (siue 116. *Tom. eod. Oper. edit. cit. pag.* 327.) etsi *legis* non meminerit.

P. 33. # DE CVSTODIA REORVM.

TITVLVS III.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. IV.

Exstat & Libanii *Oratio*, quam nos edidimus περὶ τῶν δεσμωτῶν *de vinctis*, seu *de custodia reorum*, quæ cum *huius tituli legibus* componenda est. *GOTHOFRED.* Orationem recusam vide, inter *Opera Iuridica minora* I. Gothofredi, *pag. 398. edit. Trotz. Lugd. B. RITTER.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Florentium (b) Rationalem. (c)

IN quacumque causa reo exhibito, siue (d) accusator exsistat, siue eum publicæ sollicitudinis cura perduxerit, (e) statim debet quæstio fieri, vt noxius puniatur, innocens absoluatur. Quod si accusator aberit ad tempus, aut sociorum præsentia necessaria videatur, id quidem debet quam celerrime procurari. Interea viro (f) exhibito non ferreas manicas & inhærentes ossibus mitti oportet, sed prolixiores catenas, (g) vt & cruciatio desit, & permaneat fida (h) custodia. Nec vero Sedis intimæ tenebras pati debebit inclusus, sed vsurpata (i) luce vegetari: (k) & vbi nox (l) geminauerit custodiam, vestibulis (m) carcerum & salubribus locis recipi, ac reuertente iterum die ad primum solis ortum ilico ad publicum (n) lumen educi, ne (o) pœnis *carceris* perimatur, *quod innocentibus miserum, noxiis non satis seuerum esse cognoscitur.* (p) Illud etiam obseruabitur, vt neque his qui Stratorum funguntur officio, neque ministris eorum liceat crudelitatem suam accusatoribus vendere, & innocentes intra carcerum septa (q) leto dare, aut subtractos audientiæ longa tabe consumere. Non enim existimationis tantum, sed etiam periculi metus Iudicii (r) imminebit, si aliquem vltra debitum tempus inedia, aut quocumque modo aliquis Stratorum exhauserit: & non statim eum, penes quem Officii (s) custodiæ est, adque eius ministros capitali pœna (t) subiecerit. Dat. Prid. Kal. Iul. Serdicæ, Constantino A. VI. & Constantio Cæs. Coss. [320.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) Hic idem forte cum eo, cui inscribitur A. 323. *l. 12. de appellation. l. 8. de Decurionib. ID.*

(c) Quid Rationali cum reis criminum? nisi putemus eundem Præsidis vice functum. *ID.*

(d) Reos vel priuati accusatores denunciant, vel publicæ ii solicitudinis cura perducuntur, id est, a publicis officiis eruuntur, veluti Curiosis, Stationariis, Irenarchis, Officialibus Iudicum, v. Ræuardum *IV. Var. 11. ID.*

(e) *Produxerit*, Cod. Iustin. *IDEM.*

(f) *Interea vero reum exhibitum non per ferreas manicas & inhærentes ossibus mitti oportet.* Ita Tribonianus, satis incondite. Græci in *Basil. lib. 60. tit. 35. cap. 18.* ita verterunt, μὴ ἐν μέσῳ ἐπαγέσθω αὐτῷ βάσανος, μηδὲ τὰ σίδηρα αὐτῷ ἔστωσαν στενότερα. *IDEM.*

(g) *Si criminis qualitas etiam catenarum acerbitatem postulauerit.* Hoc Tribonianus addidit. *ID.*

(h) *Sub fida.* Cod. Iust. quo nil necesse erat. *ID.*

(i) Id est, vsurpando lucem: neque enim *vsurpata lux* dicitur hic, vt tentabat Accursius: quomodo mox dicitur, *lumen publicum. ID.* Huc pertinent illa Ciceronis *lib. 5. in Verrem cap. 9. Tenebræ, vincula, carcer, inclusum supplicium, atque a conspectu parentum ac liberum, denique a libero spiritu,* ET COMMVNI LVCE *seclusum. RITTER.*

(k) *Ac subleuari*: additum a Triboniano. *GOTHOFRED.*

(l) *Nocte* custodia geminabatur. *ID.*

(m) *In vestibulis*, Cod. Iustin. *ID.*

(n) Publicum lumen quod omnibus patet. Itaque & Seneca. *Ingratis*, inquit, *Sol exoritur, ID.*

(o) Græci hunc locum ita expresserunt, ἵνα μὴ πολλάκις καὶ ἀναίτιος ὢν, ἐν ταύταις ταῖς βασάνοις φονευθῇ. *ID.*

(p) *Dignoscitur*, in Cod. Iustin. *ID.*

(q) Ita *Tenebrica sepes* dicitur a Pacuuio apud Nonium, pro carcere, *cap. 2. num. 849. Torto pro tormento. Pacuuius Dulorestе:*

Nam te in tenebrica sepe lacerabo fame
Clusum & fatigans artus torto distraham. ID.

(r) γρ. *Iudici, vt Cod. Iustin. ID.*

(s) *Officium custodiæ est.* Cod. Iust. Possis & ita, *penes quem officii custodia est*, id est, penes quem Officialium seu ex officio. In officio quippe Magistratuum fuerunt Stratores, de quo mox. *ID.*

(t) *Pœna*, Cod. Iustin. *ID.*

COMMENTARIVS.

DIVTINA vel CRVDELI custodia claustrisque pœnalibus consumi, vt loquitur Ammianus Marcellinus, reos pendente iudicio CRVCIARI, Constantinus M. hac humanissima & christianissima *lege* vetat: Constantinianeæ in reos nominatim humanitatis plura alia sunt argumenta. 1. *Diuturno* igitur primum carcere ne rei crucientur, constituit Constantinus (cui etiam adfine admodum est quod a Theodosio M. ab humanitate non minus commendato constituitur *l. 6. infr.*) atque adeo P. 34. vult, vt reo exhibito & carcere incluso, statim de eo quæstio habeatur, vt ita si noxius sit, puniatur; si innocens, absoluatur: cui proposito concinit *l. 7. 18. sup. de accusat. Statim*, id est quamprimum Iudici vacauerit, & quamprimum fieri poterit. Nam & ita quoque Theodosius *l. 6. infr. De his quos tenet carcer, id aperta definitione sancimus, vt aut conuictum velox pœna subducat, aut liberandum custodia diuturna non maceret.* Itaque hanc ad rem postea vnius mensis spatium a Constantino præstitutum *d. l. 7. sup. de accusation.* Sed & eum in finem quoque Theodosius *d. l. 6.* iussit intra tricesimum quemque diem semper Commentariensem Iudici significare clausorum siue reorum nomina. Eum in finem pariter, hac ipsa *lege* constituitur, vt si vel accusator, vel aliæ personæ, veluti socii criminum, e longinquo euocandi sint, vel expectandi, id quam celerrime procuretur.

Ex quo interim notandum est, pendente iudicio criminali, accusatori iustis de causis quandoque commeatum dari posse. Et hæc de accelerando reorum iudicio, ne scilicet diuturna custodia macerentur.

II. *Crudeli* vero custodia rei ne excrucientur, hæc constituuntur. *Primum*, vt in catena seu vinculis prolixioribus reus detineatur, non etiam manicæ ferreæ & arctiores, seu inhærentes ossibus, ei immittantur; non numellæ, quales Christianis Gentiles adhibuisse discere licet ex *Actis cap. 16. vers. 24.* Harum catenarum meminit quoque Chrysostomus *homil. 14. in Matth. in fin. pag. 184. Tom. VII. Oper. Edit. Benedict.* vbi reos non tantum in ipso carcere catenatos fuisse ait, sed & cum his ad iudicia productos. Catenæ proinde reorum prolixiores esse debent, vt cruciatio desit (id est, vt ambulare, incedere non incommode possint) & nihilominus fida custodia permaneat, Athenæus *lib. 5. cap. 11.* Μάνλιος δὲ Ακύλλιος συνδέτην ἔχων ἀλύσει μακρᾷ Βασάρνην πενταπήχην πεζὸς ὑπὸ ἱππέως ἕλκεται. id est, *Manlius autem Aquilius colligatum secum habens prolixa catena Bastarnam quendam, quinque cubitorum pedes ab Equite trahitur.* De Catena, qua plerumque miles (custodiendo reo præpositus) vna cum reo alligabatur, non hic est dicendi locus.

Secundo reus *sedis intimæ tenebras* pati non debet. *Sedis intimæ tenebræ* dicuntur *hac l.* in quibus vsurpata luce vegetari non licet. *Antrum carcereum* a Prudentio vocatur *l. 2. contra Symmachum, versu* 468.

Antrum carcereum dissoluite, corpora sub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis.

Atrum limen, Eidem, *vers.* 310. *hymn. 5. Peri Stephan.*

Obsessor Atri Liminis
Quem cura pernox manserat,
Seruare feralem domum:

Idem mox *vers.* 350. *densæ specum caliginis vocat.* ἐσωτέρα φυλακὴ dicitur *Actorum cap. 16. vers. 24.* ἐνδοτέρα φυλακὴ Chrysostomus *hom. 14. in Matth. circa fin. pag. cit.* Imam custodiam appellant *Acta Chrysantii. Erat*, inquiunt, *ima Custodia in Carcere Tulliano, vnde putor horribilis ascendebat.* Et mox: *In hoc erat ima & lutea & ita tenebricosa custodia, vt penitus lucifluus aer nec vestigium aliquod lucis ostenderet.* Hanc ita describit eleganter Prudentius *laudat. Hymno 5. a versu* 238.

Lugubre in antrum truditur.
Ne liber vsus luminis
Animaret altum spiritum.
Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant:
Æterna nox illic latet,
Expers diurni sideris:
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.

Omitto locum Salustii in *Catilin. cap. 55.* & Calpurnii Flacci *Declamatione 4. pag. 485.* ad calcem Quintilian. *edit. Dan. Parei.* Similis certe carcer ille, vel carceris locus, in quem coniectus Perseus cum liberis, de quo vide Diodorum *in Excerpt. lib. 31.* Nos vocamus *Cachot, ou Croton.* Non absimile edictum est Caroli Noni, quo prohibitum est, *faire des prisons plus basses que le rez de chaussée.* Et in consuetudine Melodunensi *Articulo 4 Prisons basties à rez de chaussées.* Augustinus sane *comment. in Ioannem scribit: In carcere non omnes sed pro meritis causarum in Ima carceris detrudi.* Quid igitur fieri iubet Constantinus, Iubet scil. de nocte reos *vestibulis carcerum & salubribus locis recipi; reuertente vero die, ad primum Solis ortum ilico ad publicum lumen educi:* id est in aream carceris! Nos vocamus *Preau: Vestibula* carcerum hoc loco non eo sensu accipienda sunt, quo alioquin vestibulum accipi solet, pro loco qui vel ante ædes, vel ante ianuam; verum pro conclauibus ipsis & cellulis, vt vocantur *l. 3. infr.*

Tertio seu postremo, a stratorum, & iisdem ministrantium crudelitate, custodia inclusos vindicat *h. l.* Constantinus. *Stratores* fuerunt vt ex *hac lege* apertissime constat, quibus reorum custodia commissa erat, *penes quos officium custodiæ erat*, vt postrema *huius legis* verba leguntur in *Codice Iustinianeo.* Illud ipsum quoque docet *lex 10. D. ex quibus causis maiores: In eadem causa*, inquit, *sunt, vt restituantur qui a militibus, stratoribusque vel a municipalibus ministeriis adseruantur*, vbi tamen *statoribus* legitur: & *lex vlt. D. de iure immunitatis. Adiutores*, inquit, *Cornicularioram & stratores inter immunes habentur.* In Actis Cypriani *pag. 12. Oper. Cypr. edit. Ioann. Oxoniens. Venerunt ad eum Principes duo, vnus strator: Strator officii Galeni Maximi Proconsulis, qui Aspasio Paterno successerat, & alius Equistrator a custodiis eiusdem officii, qui & in curriculum eum leuauerunt.* vbi tamen ex veteri Codice est qui emendet *æque strator.* Et paulo post: *Et eo tempore Cyprianus ductus ad Principem & stratorem eiusdem officii.* Ex his interim apparet Stratores ex Officio seu Officialibus Rectoris prouinciæ fuisse: & ideo defendi posse lectionem *huius leg. penes quem Officii:* id est ex Officio & Officialium numero. Et hæc quidem de Stratoribus, qui Reis custodiendis operam, officium seu ministerium præstabant: de stratoribus enim equorum iam suo *titulo* superius actum fuit *lib. 6.*

Superest vt videamus, de quo *Stratorum* genere accipiendus sit *§. 1. legis 4. D. de offic. Proconsulis:* quandoquidem de eo ambigi non parum video: verba sunt hæc; *Nemo Proconsulum* STRATORES SVOS *habere potest: sed vice eorum Milites Ministerio* in

in prouinciis funguntur. Ex hoc §. duo hæc aperte colliguntur de his Stratoribus. Primum, ministerio functos illos, seu ministerii & quidem in prouincia genus fuisse. *Ministeria* porro sunt ministri, per quos Magistratuum iussa complentur, qui imperiis Magistratuum ministrant: ita omnino, *Prouinciarum* MINISTERIA *feralia* vocat *lex 6. infr. h. t.* Ministros, qui circa custodiam reorum erant occupati: quod certe Stratoribus competere superius ostendi.

Secundo ex *d. §. 1.* colligitur, Stratores *Militibus* (id est Officialibus v. *l. 2. infr. de falsa moneta*) respondisse, vel potius Stratorum munere & ministerio milites (id est Officiales) functos. Itaque & dicta *lex 10. D. ex quib. caus. maiores* cuius paulo ante verba consignaui, *Milites Stratoresque* & *municipalia ministeria* coniungit, & adseruandis, vti dixi, reis occupata fuisse ostendit. Neque dum tamen hæc ad veri inquisitionem sufficiunt. De equorum certe Stratoribus, §. *illum* neutiquam accipi posse cum aliis P. 35 rationibus, tum vel hac maxime liquere potest: quod alioquin si de his intelligendus foret, nullum commodum sensum acciperet. Quis enim induci possit vt credat, prohibitum Proconsulem aliquos vel saltem aliquem habere, qui conscensuro sibi dextram substerneret, qui equi seu veredi sustinendi curam gereret: qui sicubi opus, frenum teneret? Nulla certe huius rei prohibendæ ratio esse potuit aut debuit, cum eius copia etiam mediocri cuiuis patuerit.

Igitur non improbabiliter adeo tentabat Vir Doctus de *Stratoribus viarum*, §. *1.* quo de nunc agitur, accipiendum esse: idque argumento contextus *totius legis 4. de Officio Proconsulis.* Duo quippe in vniuersum *ea lege* Capita continentur. Primum caput (quod *legis initio*, & §. §. *quatuor sequentibus* continetur) est de Proconsulis officio in profectione *&* *itinere suo* ab vrbe Roma in Prouinciam sibi destinatam. Postremi duo §§. sunt de officio eiusdem Proconsulis, vbi Prouinciam sibi destinatam iam ingressus est. Initio igitur *legis* statuitur, Ne Proconsul *Metatis* in transitu oneret Prouinciam, (per quam scilicet transit) *§. 2.* Ne *vxorem* sibi adsciscat, *§. 3. & 4.* Vt *Edictum* de aduentu suo priusquam Prouinciam sibi commissam ingrediatur, mittat. Proinde §. quoque 1. ad eandem Proconsulis profectionem pertinebit, atque adeo ad viarum stratores, idque suadere videatur *legis* initium, in quo de *Metatis* agitur: Vt ita Metatis Metatores, (id est Stratores, vt volunt) proxime illi §. *1.* cohæreant.

Nihilominus tamen ad *Reorum Stratores* (seu custodes) locum illum referendum omnino iudico. Et inter cætera quidem, argumento sequentis proxime *§. 2.* quo videlicet prohibetur Proconsul *vxorem* in Prouinciam sibi destinatam deducendam adsciscere. Vlpianus scil. id hoc loco tractandum suscepit, quosnam sibi Proconsul Comites, quosnam Domesticos (horum ministerio vel opera in Prouincia sibi destinata deinceps vsurus) adsciscere posset. Horum igitur numero nominatim exclusit duo hæc; *Vxorem* & *Stratores.* Prohibitionis autem huius seu interdictionis circa *Stratores* quænam sit ratio, diligentius perpendere iuuat. Putauit Goueanus I. *Variar. c. 42.* in *hoc* §. pro Svos legendum esse *seruos.* Item pro STRATORES, *Statores:* hoc sensu, Proconsulem Statores seruos habere non posse, quia scil. serui admitti non debeant ad hoc Statorum ministerium. Verum illo nomine reprehensus est a Cuiacio XI. *Obseruat. 1.* Et recte. SVOS dixit Vlpianus, proprios & domesticos, atque a se in id ministerium constitutos: quos ideo Militibus opponit, qui sane exteri sunt, non sui, Proconsulibus. Sui sunt, domestici: Quo ferme sensu Iudex *sibi suisque ius dicere probibetur:* Milites vero, extranea apparitio est. Verum vt hæc recte dicantur, tamen res nondum in bono lumine collocatur. Neque enim §. nostri sententia aut eius ratio adhuc elucescit. Igitur prohibitionis huius rationem hanc reddo: Ideo prohiberi Proconsulem Stratores habere ex suis & domesticis, ne forte ad obsequium Proconsulis, tanquam domestici, Stratores huiusmodi reos vel facile elabi sinerent, vel etiam excruciarent, vel pecunias a miseris extorquerent. Quæ ratio etsi verissima sit, interpretationis tamen adhuc vlterioris eget, & nominatim propter ambiguitatem vocis *Suorum* siue *Domesticorum.* Igitur tenendum est Proconsules, adeoque Prouinciarum Rectores laborum suorum participes & imperiorum executores sibi quosdam adsciscere potuisse: alios vero non item, ob publicam aliquam rationem & vtilitatem. Adsessores scilicet consiliorumque participes sibi ipsis adsciscere Iudices seu Rectores Prouinciarum arbitrio suo potuere: quod ostendit *lex 1. sup. de Assessoribus,* & Dio *lib. 53.* ab Augusto ita constitutum testatur, & Macarius *Homilia 15. §. 42.* ὅταν γένηται ἄρχων, λαμβάνει ἑαυτῷ βοηθὸν τὸν συγκάθεδρον, *Si principatum adeptus fuerit, adiutorem sibi sumit assessorem.* Idque vel iam inde ex vrbe in Prouinciam profecturos, vel ex aliis Prouinciis euocatos. Idque ita permissum fuit, quia Adsessores Iuris tantum peritiam præstabant, neque quidquam admittere poterant in Prouinciales, cum non alii rei vacarent, quam consilio dando circa lites & controuersias. At neque *Domesticos* neque *Milites* (seu Officiales) Magistratus sibi delegere, verum vel e publico accepere, vel publice constitutis vsi sunt. *Domestici* Iudicum erant, qui non publicis actibus seu necessitatibus a Iudice explendis se immiscebant, verum priuatis hactenus Magistratus actibus. *l. 4. Cod. Iust. de Assessoribus.* Hi igitur Iudicibus publice dabantur, quotidiani mox & adsidui speculatores, & curiosi seu ἐπόπται eorum, quæ a Iudicibus gererentur, futuri, vt ostendit *lex 3. sup. de Assessoribus,* seu *lex 8. Cod. Iust. eod. tit. Nullus Iudicum ad Prouinciam sibi commissam quemquam* SECVM DVCERE *audeat* (respondet hoc iis quæ paulo ante dixi de Vlpiani mente, *in d. §. 1. & 2.*) *cui Domestici vel cancellarii nomen imponat: nec prefectum ad se vndecunque suscipiat, ne famæ nota cum bonorum publicatione plectatur. Periculo enim Primatum officii Cancellarios sub fide gestorum electos Iudicibus* APPLICARI *iubemus, ita vt post depositam administrationem per continuum triennium nec militiam deserant, & Prouincialibus præsentiam sui exhibeant, quo volentibus sit accusandi eos facultas. Si enim idonea causa exegerit ad detegenda Iudicis flagitia, & quæstioni eos subdi oportet.* Et hæc de Domesticis. *Officiales* pariter Magistratus ad obsequia sua non adsciuere, neque Officiales eos habuere. Nam Officiales in Prouincia perpetuos fuisse, res nota est: vid. *l. 34. D. de rebus creditis:* & *l. 59. infr. de appellationibus. Teneat Apparitio veterum disciplinam nec a suggestionibus necessariis metu eius* [Iudicis] *cui ad tempus parent, retrahatur.*

Denique vt ad Stratores nostros descendamus. Stratores pariter Proconsules non ex Svis habuere, sed Milites (id est, Officiales) Stratorum ministerio in Prouinciis sunt functi. *Milites* omnino sunt (vt bonus Accursius quoque interpretatur) *Officiales* in IC. scriptis, & apud illius æui scriptores omnes, & Historicos. Eodemque sensu Tertullianus *Apolog. c. 2. In reos Maiestatis & publicos hostes omnis homo* MILES *est:* (id est, Officialis iure & ministerio fungitur:) Paulus V. *Sentent. Tit. 31. §. 1. Si pecunia accepta* MILES (a) *custodiam dimiserit, capite puniendus est.* Quanquam nescius non sim militum custodiam a carcere separari, vel *l. 1. D. de custod. reor.*

(a) Intelligit *milites* proprie sic dictos CL. SCHVLTINGIVS. Et certe nil mouet, vt intelligamus hic *Officiales.* Rectius huc transferri potest locus *Tertulliani de coron. cap.* 11. qui de milite ita: *Et vincula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit.*

reor. Iam igitur liquido puto constabit, cur Proconsul Stratores Svos, id est, de suis, habere non potuerit: sed Militum, id est, Officialium publice constitutorum, ministerio ad id Stratorum vice vti debuerit: Ne videlicet aut prædarum inde occasio nasceretur, dum miseri rei potentiam eorum perhorrescunt, aut vicissim elaberentur ipsi rei, custodiæ eorum commissi, per Stratores huiusmodi domesticos auro corruptos, emendicato apud Iudices suffragio. Sunt igitur Stratores in Prouinciis, Prouinciarum ministeria feralia, *l. 6. inf. h. t.* quos *Commentarienses* postea dictos plane existimo: sicut eorum ministri dicuntur Adiutores, *vid. l. 5. 6. vlt. infr. h. t.* Et sane nulla quod sciam amplius post Constantini M. tempora, nulla in *Notitia Imperii*, quæ scripta fuit circa annum 427. horum stratorum mentio fit: sed eorum vice & loco in officio (id est inter officiales) Magistratuum *Commentarienses* nominantur. Denique Stratores, quorum mentio fit *l. 1. §. 8. Cod. Iust. de officio PP. Afr.* alii sunt ab istis.

Cum hæc tractarem incidi postea in Ræuardum. P. 36. Is I. *Variorum 12.* §. illum de quo nunc agimus, explicat ex Lampridii loco, *in Alexandro Seuero c. 52.* quo Alexander refertur, *non passus Apparitores vllos Tribunis aut Ducibus esse, milites anteire voluisse, iussisseque vt ante Tribunum quatuor milites ambularent, ante Ducem sex, ante Legatum decem, hique ad domos suas reciperentur.* Itaque sic §. de quo agimus accipit; nempe vt Iudicibus militaribus, ita & Proconsulibus domesticos apparitores habere prohibitum fuisse: Atque adeo, si quo Proconsuli exeundum foret, milites ante eum ambulare tantum potuisse. Verum longe fallitur & diuersa comparat. Apparitoribus in procedendo, Militares Iudices, vti noluit Alexander, sed eorum loco militibus. At quis denegatos Apparitores Proconsulibus nisi summa ignorantia asseret? Item quis Milites (Armatæ scil. militiæ) Proconsulibus apparuisse putabit? Denique fallitur Ræuardus, cum *Statores* siue *Stratores*, omnes Apparitores vel Officiales Iudicum dictos putat. In hoc certe milites illi Iudicum militarium, & Stratores Proconsulum pares erant: quod vt illi, ita & hi in ministerio domestico non hærerent. Cæterum *Statores* an *Stratores* potius legendum sit, necdum mihi liquet: adeo vtriusque exempla suppetunt. Et hæc quidem de Stratoribus. Cum hac tandem humanissima Constantini *lege* componi velim & Constantii *l. 7. sup. de accusat.* Theodosii M. *l. 6. infr. h. t.* Arcadii *l. 18. sup. de accusat.* Honorii *l. 7. infr. h. t.* & præter hæc, insignem Libanii Orationem περὶ τῶν δεσμωτῶν ad Theodosium M. Quibus omnibus *legibus*, & *oratione* etiam, incarceratis consulitur aduersus socordiam Iudicum, Commentariensium crudelitatem, & carcerum pœdorem & angustias, & diuturnitatem: vide quæ ad Libanii *Orationem* illam plura notaui.

(a) Cum hoc Commentario iunge ea, quæ Noster scripsit *supr. ad Leg. vn. de Stratoribus*, & quæ obseruat de Stratoribus CL. HENNINIUS *in not. ad Bergier. de publ. & militar. imper. rom. viis Lib. IV. 13. pag. 750. 751. Tom. X. Thesaur. Antiquit.*

II. (a) Idem A. (b) ad Euagrium. (c)

SI quis in ea culpa vel crimine fuerit deprehensus, quod (d) dignum claustris carceris & custodiæ squalore (e) videtur, auditus apud Acta cum de admisso constiterit, (f) pœnam carceris sustineat, atque ita postmodum (g) eductus apud Acta audiatur: Ita enim quasi sub publico testimonio commemoratio admissi criminis fiet; vt Iudicibus inmodice sæuientibus freni quædam adtemperies (h) adhibita videatur. Dat. III. (i) Non. Feb. Heracleæ, Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. (k) [326.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* Fugitiua hæc *Lex* est. GOTHOFRED.

(b) *Id. A. & C.* Cod. Iust. quod vix admitto. Primis enim anni huius mensibus *Crispus* interfectus est, & forte iam ante mensem Martium. Vid. ANT. PAGI *Crit. ad Annal. Baron. h. a. & Chronolog. h. a.* RITTER.

(c) Præfectum Prætorio. *Cod. Iustin.* Quomodo hoc ipso anno *l. 2 inf. ad leg. Iuliam de adulteris l. 13. inf. de Decurionib. l. 11. Cod Iust. de his quæ vi, metusue causa.* An forte hic intelligendus PPP. id est, *Propræfectis Pretorio*? Non puto: vide quæ dicam *ad l. 15. inf. de paganis.* GOTHOFRED.

(d) *Quo dignus videatur*: Ita Codex Iustinianeus. *ID.*

(e) *Squalor* custodiæ. *ID.*

(f) Eius confessione vel conuictione. *ID.*

(g) Rursum, seu iterum. *ID.*

(h) *Temperies*: Cod. Iustin. *Adtemperies*, vt adsimulare, *l. 3. sup. de exhibendis reis.* Adtaminare, *l. 5. sup. de contrahenda emptione.* Adtineri, *l. 5. infr. de conlatione donatarum.* *ID.* Ego *temperies* mallem, cum *adtemperies* forte factum librariorum incuria, quos decepit vox sequens. RITTER.

(i) Eodem die data *lex 1. infr. ad leg. Iuliam de adulteriis.* GOTHOFRED.

(k) *Constantio Cæs. II.* Cod. Iust. male. Sed multa circa hunc Consulatum confusio. Vid. *Chronolog. h. a.* Recte *h. l.* subscriptionem se habere, docere te poterit ANT. PAGIUS *in dissert. Hypat. & in Annal. ad h. a.* & Fasti Florent. minor. a Dodwello publicati, & in *Chronolog.* citati. RITTER.

COMMENTARIUS.

ITERARI criminale iudicium publice, id est iterato de eo cognosci Constantinus M. *h. l.* iubet: vt ita quasi sub publico testimonio facta commissi criminis commemoratione (id est secunda iterata inquisitione) Iudicibus immodice sæpe sæuientibus (vt eleganter hæc *lex* loquitur) quædam quasi freni temperies adhibeatur: cum alioquin nulla vnquam de morte hominis & capite cunctatio longa sit: αὕτη γὰρ ἡ ὑπέρθεσις σύμμετρον ποιεῖ τὴν τῶν ἀρχόντων ὀργήν, *nam hæc dilatio iram iudicum moderatiorem reddit.* vt Græca Basilica hic *lib. 60. tit. 35. cap. 19.* Vult igitur

reum

reum delatum vel accusatum, primum audiri apud Acta, mox vbi de crimine constiterit, (id est vbi conuictus vel confessus fuerit) eum in vincula seu carcerem coniici: postea vero iterum eductum carcere apud acta publice audiri, atque ita ἀνάκρισιν fieri seu iudicium iterari. De quo ἀνακρίσεως genere locus est insignis in *Actis Cap. 25. vers 26.* vbi Festus. Et apud Xiphilinum in *Marco Antonino pag. 365. ed. Sylburg.* Τάς τε πίστεις καὶ τὰς ἀνακρίσεις ἐπὶ μακρότερον ἐποιεῖτο ὥστε πανταχόθεν τό δίκαιον ἀκριβοῦν: καὶ κατὰ τοῦτο καὶ ἕνδεκα πολλάκις καὶ δώδεκα ἡμέρους τὴν αὐτὴν δίκην, καίπερ νυκτὸς ἔστιν ὅτε, δικάζων ἔκρινεν. *In caussis autem diligenter cognoscendis atque examinandis paulo longior esse, vt vndecunque ius inuestigaret. Nam de eadem caussa dies vndecim, & sæpe duodecim, aliquando etiam noctu cognouit.* Et eiusdem mentio in *l. 6. D. de custod. reorum:* vbi agitur de ἀνακρίσει illa, quæ fit cum præses ad se missos cum elogiis & Notoriis ab Irenarchis, atque ita criminis sic vt dicam conuictos, rursum examinat, & in veritatem nihilominus inquirit, vt loquitur *lex 14. Cod. Iust. de accusat.* Et vero hæc ipsa *inquisitio completa* dici videtur in *l. 7. sup. d. t. de accusation.* Græcorum porro Basilicorum error est, cum *hac l.* id constitui putant, vt reus bis e custodia eductus audiatur, etenim audiri quidem vult, sed prius antequam in in carcerem coniiciatur, postea e carcere eductum.

PROMISCVA custodia vtriusque sexus, ἀνδρόγυνα a Constantio prohibetur.

III. (a) Imp. Constantius A Acyndino P. P. (b)

QVONIAM vnum carceris conclaue (c) permixtos secum (d) criminosos includit: hac lege sancimus, vt etiam si pœnæ qualitas permixtione iungenda est, sexum (e) tamen disparem diuersa claustrorum habere tutamina iubeatur. (f) Dat. Non. April. Acyndino & Procul. Coss. [340.]

INTERPRETATIO. *Viri & mulieres, etiam si criminis æqualitate iungantur, non tamen in* P. 37. *vnius carceris custodia teneantur.*

NOTÆ.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. eod. Tit.* GOTHOFR.

(b) Orientis, vt probat *Lex vlt. sup. de temporum cursu.* Et Symmachus *lib. 1. epist. 1.* de hoc Acindino:

Auror: in populis Regum Pretoria rexi.

B. Augustinus *lib. 1. de Sermone Domini in monte* §. 50. *cap. 16. pag. 186. Tom. III. Part. 2. edit. Benedict.* eius meminit, eumque Præfectum & Consulem vocat, quod sane huic anno conuenit, & eius iudicium in caussa adulterii prolixe refert. *ID.*

(c) mox claustrum vocatur: vestibulum, *leg. 1. supr.* *ID.*

(d) Est qui tentat *sexus.* Male: si quid mutandum, potius rescribendum secuum. Notum iam enim, *secus* dici pro *sexus.* (quomodo habet hic *Cod. Iust.*) Virile, inquam & muliebre *secus*, vt dicam quoque *ad leg. 6. infr. de adulter.* Nil tamen mutandum est. *Permixtos secum,* id est, permixtos inter se, μετ' ἀλλήλων. *ID.* Veteres *secus* dixisse loco *sexus*, ad *d. l.* 6. noster non probauit. Testes autem habemus huius rei Grammaticos veteres, SOSIP. CHARISIVM *lib. 1. Instit. Grammat. pag 61. ed. Putsch.* & VALER. PROBVM. *in Cathol. pag. 1463. ed. cit.* Neque loca desunt. SALVSTIVS *fragm. lib. 2. pag. 960. edit. Cort. Magna gloria concurrentium vndique virile & muliebre secus.* LIVIVS *lib. 26. cap. 47. init. Liberorum capitum virile secus,* vbi tamen, editiones variant. Vide quæ ibidem I. FR. GRONOVIVS monet, & CORTIVS *ad loc. Sallust.* Adde etiam Poetam AVSONIVM *in Grypho Edyl. XI. v. 8.*

Vesta, Ceres Iuno, secus muliebre sorores.

Et Epigrammat. 69. ad Pythagoram *v. 6.*

Corrupit totum qui puerile secus.

quo loco tamen legunt multi *puerile decus.* Adi etiam CL. STEWECHIVM *in Eelct. ad Arnob. lib. V. pag. 114. edit. Lugd. B. Ioan. Maire. 1641. in 4.* RITTER.

(e) *Sexu tamen dispares.* Ita *Cod. Iustinian.* GOTHOFR. *Sexu tamen dispari,* Cod. W. RITTER.

(f) *Iubeantur. Cod. Iust.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

HONESTATIS & verecundiæ etiam in *carceribus* sua constare debet ratio: Et ideo Constantius *h. l.* ἀνδρόγυνα claustra inhibet, id est disparem sexum diuersis carceribus, conclauibus & claustris (vel vt loquitur *l. 1.* vestibulis) contineri, & includi iubet: Sublata illecebrarum occasione, castitati & pudicitiæ consulens: Victor *lib. 3. de persecut. Vandal. Cum ipsa & maritus licet seorsum, carceris tamen custodia tenerentur, vt se penitus non viderent.* Qua ipsa ratione & *Monasteria* virorum & mulierum distincta semper fuere, vel etiam cœnacula, iam inde a septennio ex Platonis instituto *lib. 7. de legibus.* (quo etiam referri possunt decreta & constitutiones de mulieribus, quas συνεισάκτους vocabant, expellendis factæ; de quo dicendi locus erit *infr. titulo de Episcopis:*) Item *Balnea* in quibus ἀνδρόγυνα seu ἀνδρογύνως (vt loquitur Epiphanius *hæresi Ebionitarum 30. n. 7. pag. 131. Edit. Coloniens.*) viros mulieribus mixtos promiscue lauare ἀνδρόγυνον λούεσθαι vetitum & probrosum habitum. (a) Sic & in Ecclesia tandem, & quidem Antiochiæ σανίσιν (*ligneis tabulis*)

(a) Adde hic DIONYSII PETAVII Animaduersion. ad hunc locum, *pag. 56. Edit. Colon.* cuius obseruationes omnes Gothofredus hic repetit. Adi etiam CL. CASAVBONVM in not. *ad Spartian. Hadr. c. 18.* nam & ab hoc Noster profecit.

tabulis) viros a mulieribus διατειχίσαι (separari) solitos, etsi ab initio non ita esset; testatur Chrysostomus *Homil. 73. Sauil. 74. Paris.* in *Matth. p. 814.* & *Tom. VII. Oper. edit. Benedict. pag. 712.* Ita *Constit. Apost. lib. 1. cap. 9.* ἀνδρόγυνον γυνὴ πιστὴ μὴ λουέσθω. De *Hadriano* memorat Spartianus *in Vit. c. 18. lauacra eum pro Sexibus separasse*, seu vt dicit Dio *apud Xiphilinum in Epitom. pag. 354. edit. Sylburg.* λούεσθαι χωρὶς ἀλλήλων αὐτοῖς προσέταξεν, quæ antea obtinuisse querebatur Plutarchus *in Catone Maior. pag. 348. edit. Wechel.* de *Marco Antonino* Capitolinus *in Vit. cap. 23. Lauacra eum mixta sustulisse.* De *Alexandro Seuero* Lampridius *in Vit. cap. 24. Balnea eum mixta Romæ exhiberi prohibuisse: quod quidem iam ante prohibitum Heliogabalus fieri permiserat.* Sed & Patribus huiusce rei deproperæ inhibendæ, cura fuit: Concilii Laodiceni *Canone 30. pag. 785. Tom. I. Concil. ed. Harduin.* Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς, ἢ κληρικοὺς, ἢ ἀσκητὰς, ἐν βαλανείῳ μετὰ γυναικῶν ἀπολούεσθαι, μηδὲ πάντα χριστιανὸν ἢ λαϊκόν. Αὕτη γὰρ πρώτη κατάγνωσις παρὰ τοῖς ἔθνεσιν. *Quod non oporteat sacris Officiis deditos, aut Clericos, aut continentes se, aut omnem omnino Christianum, cum mulieribus habere lauacra communia. Hæc est enim prima apud gentiles reprehensio.* quod iisdem verbis repetitum in Concilii Quinisexti siue Trullani *can. 77. Tom. III. ed. cit. pag. 1689.* adeo vicerat morbus omnem medicinam, vt frequentibus adeo constitutionibus & Decretis subinde huic rei obuiam iretur. Exemplum quoque illustre apud Gellium *lib. 10. cap. 3.* & Hesiodi dictum *Oper. & dier. vers. 751.*

Μηδὲ γυναικείῳ λουτρῷ χρόα φαιδρύνεσθαι
Ἀνέρα.
Neque muliebri in balneo corpus abluito
Vir. - - - -

Et prudenter Veteres illi Romani, quorum institutum, vt filii cum parentibus non lauarentur puberes, vel generi, ne paternæ reuerentiæ auctoritas minueretur; vt ait Cicero *1. de offic. cap. 35.* & Ambrosius *lib. 1. off. cap. 18.* Vlterius itum, sic vt fuerit aliquando tractatum apud Quintilianum *lib. 5. cap. 9. de signis*, An idoneum esset adulteræ signum, *lauare cum viris*. Tandem etiam iustis diuertendi causis hanc Iustinianus addidit, si mulier lauacrum cum viris commune habere audeat, *l. 11. §. 2. Cod. Iust. de repudiis*, & *Nouella 22. cap. 16.* & *Nouella 117. cap. 8. §. 4.*

In tantum vero mixti sexuum carceres *hac lege* abolentur, etiamsi par crimen disparis sexus sit. Porro criminis scilicet & pœnæ qualitate distincti erant carceres. Cur autem Græci hanc legem a Basilicis suis abesse voluerint? docere potest *Authentica, Hodie*, quæ huic *legi* subdita est in *Codice Iustinianeo.* Denique hanc *legem* pertinere ad adulterii crimen, ex vtriusque sexus & criminis pœnæque æqualitate (cuius *h. l.* mentio fit) colligo. Certe Augustinus, *de Sermone Domini in monte lib. 1. §. 50. cap. 16. pag. 186. Tom. III. part. 2. Edit. Benedictin.* huius Acindini Præfecti & Consulis (vt etiam hæc lex testatur) iudicium in causa ADVLTERII refert, (vt præmonui in *Notis*, quod vtrique sexui commune crimen est.

INSCRIPTIO *Accusatoris, Rei incarcerationem præcedere debet.*

IV. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. ad Valerianum (b) Vic. Hispaniar. Post alia.

NVLLVS ante carceris custodiæ mancipetur, quam ab eo qui in accusationem eius erupit, in codice (c) publico solemnia inscribtionis impleta sint. Prælata (d) litteris V. C. Vicarii. VI. (e) Id Sept. Veronæ, (f) Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic *lex 3. sup. de Offic. Rectoris prouinciæ.* Concordat huic *lex 8. 9. 11. 14. sup. de accusat. l. 3. vlt. sup. de exhib. reis.* GOTHOFR.

(b) *Valerianus* Vicarius Hispaniarum sub Valentiniano, *d. l. 3. supr. de off. Rect. prou.* ID.

(c) In Codice publico solemnia Inscriptionis peragebantur, implebantur. ID.

(d) De hac subscriptione Vid. *Paratitlon de Constit. Princip.* & quæ noto ad *l. vn. inf. si per obreptionem.* ID.

(e) *VII. dict. l. 3. de off. Rect. prou.* ID.

(f) *Verona* hic an Italiæ? an vere in Hispania? Certe non hoc anno, sed superiore Valentinianus *Veronæ* fuit, & quidem mense Octobr. *Vid. leg. 1. infr. de reparat. appellat.* Vt proinde, si ad Valentinianum hoc referimus, & *legem* datam, reponendum foret *VI. ID. Octobr.* Quid si *Vettones* huc Hispaniæ trahamus? *ID.* Hanc notam non capio. Verum est superiore anno *Veronæ* constitisse Valentinianum, quod docere potest *d. l. 1. de reparat. appellat.* quæ *mense Octobri* data est. Sed & hoc anno Veronæ eundem Augustum fuisse oportet, quia præter *hanc leg.* & *d. l. 3. de off. Rect. prou.* datam in ea vrbe scimus *leg. 68. infr. de Decur.* & quidem hanc postremam, *Prid. Non. Octobr.* Quid ergo sibi volunt illa Nostri, *reponendum foret VI. Id. Octobr.*? Dies huic legi subscriptus pertinet ad diem quo lex *lata*, siue *data*, non quo *prælata* est a Vicario, quod & *ad leg. 3. de off. R. P. not. g.* recte monuit noster, & nulla hic mutatione opus. Sed & si diem Noster vellet intelligi, quo lex *prælata* est, & *Verona* præterea, quædam Hispaniæ, non vero Italiæ civitas, in subscriptione indigitaretur, nihil tamen mutandum esset. Potuit enim, vel *Mediolano*, quam vrbem ante mensem iam ingressus est Valentinianus, docentibus id legum subscriptionibus *in Chronolog.* vel ex alia vrbe, quæcunque illa fuerit, in Hispaniam, lex nostra perferri, & publicari a Vicario *VI. aut VII.* (vt habet *lex. 3. de off. R. P.*) *Id. Septembr.* RITTER.

P. 38.

COMMENTARIVS.

INSCRIPTIO accusatoris, custodiam seu carcerem rei & in vniuersum exhibitionem eius præcedere debet, *h. l.* & *l. 8. 9. 11. 14.* & *vlt. de accusat. l. 3.* & *vlt. sup. de exhib. reis.* Symmachus *lib. 10. ep. vlt.* Hæc apertissima est *huius l.* Sententia, in qua id tantum, quod CODICIS publici in ea mentio fit, in quo solemnia Inscriptionis implebantur: qui *Codex* nihil aliud est quam Regesta publica seu Commentarii

publici

publici, quibus conficiendis Commentarienses præerant, vt ad *leg. sequ.* ostendetur, in quibus scil. nomina reorum, quæque ad eorum accusationem pertinebant, adnotabantur. Quæ Acta olim ad Ærarium, seu ædem Saturni deferebantur, vt docet Suetonii locus in *Vit. Domitiani, c. 9.* recte expensus a *Ranchin.*

De FIDELI *Custodia.*

V. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens, & Gratianus AAA. ad Probum P.P. (b)

AD Commentariensem receptarum (c) personarum custodia obseruatioque pertineat: nec putet hominem abiectum atque vilem, obiiciendum esse Iudiciis, (d) si reus condicione (e) aliqua fuerit elabsus. Nam ipsum volumus eius (f) pœna consumi, cui obnoxius docebitur fuisse, qui fugerit. Si vero Commentariensis necessitate aliqua procul ab officio egerit, Adiutorem eius pari iubemus inuigilare cura, & eadem statuimus legis seueritate constringi. Dat. III. Kal. Iul. Contionaci, (g) Gratiano A. V. (h) & Probo Coss. [371.]

INTERPRETATIO. *Si de carcere* (i) *reus fugerit, ab eo cui est traditus requiratur, qui si eum non potuerit præsentare, nouerit* (k) *negligens custos, illius se aut damnum aut pœnam qui fugerit subiturum.*

NOTAE.

(a) *Lex 4. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *P. V.* al. *ID.* Hanc lectionem firmant MSS. W. & G. & alter Codex, quo vsus est Sichardus. At eum *Præfecturam vrbanam* gessisse nusquam inuenio. *RITTER.*

(c) Personam SVSCEPTAM vocat pariter *l. 2. infr. de falsa mon.* vbi male Codex Iust. *suspectam.* GOTHOFR.

(d) *Iudici, Cod. Iust.* non ita bene hic. *ID.* Cum Codice Iust. legit MS. Goth. *RITTER.*

(e) *Modo aliquo.* Cod Iust. GOTHOFR.

(f) *Huiusmodi, Cod. Iustin. ID. Eiusmodi*, edidit Sichardus. *RITTER.*

(g) Contionaci pariter data hoc Anno *lex 17. infr. de annona & tributis: l. 3. sup. de denunciatione: lex 1. sup. de Naturalibus filiis.* Fuisse autem oportet, inter Treuerim & Moguntiacum, vel circumcirca. *Vid. Chronolog.* GOTHOFR.

(h) *γρ.* II. Vt iam quoque notauit Iuretus *in Symm. lib. 1. ep. 53.* Error natus ex *prox leg. ID.*

(i) *Carceribus*, MS. Goth. *RITTER.*

(k) *Nouerit se negligens custos, illius aut*, &c. Sichard. legit. *ID.*

COMMENTARIVS.

COMMENTARIENSIS: cuius *h. l.* fit mentio, & *l. omnis, 5. sup. de iis quæ administrantibus:* & *l. 6. 7. infr. h. tit.* & *l. 6. D. de bonis damnatorum:* & *l. 5. infr. d. pœnis:* est Officialis Iudicis, ad quem pertinebat inter cætera custodia reorum & carceris; Itaque *d. l. 5. sup de iis quæ administrantibus*, scriptum: *& qui Principatum officiorum gerunt seu Corniculum, quique Commentariensium nomine exosa miseris claustra custodiunt.* Hac vero *lege* dicitur ad Commentariensem receptarum personarum custodia obseruatioque pertinere: Firmicus *lib. 3. Matheseon, cap. 6. Erunt*, inquit, *Cornicularii aut Commentarienses, quibus damnatorum cura committatur, seu clauicularii, vel carcerum custodes, & quibus publicarum catenarum cura mandatur.* vid. & Cassiodorum XI. *ep. 28.* Extat & Basilii *ep. 417.* ad Commentariensem, Κομμενταρησίῳ, & Comitis quidem (vt mihi videtur Orientis, de quo & *Not. Imp. fol. 71.*) vbi quoque quidnam eius muneris fuerit satis ostendit, nempe reorum, veluti furum, rerumque ab his direptatum custodia & ratio ἀντιγραφή. Eos *Etymologici* Autor ita describit: Κομενταρίσιοι τοὺς ἐπὶ τῶν ὑπομνηματογράφων πράττοντας ὁ νόμος καλεῖ, καὶ ὑπηρετοῦντας ταῖς ἐγκληματικαῖς δίκαις, ὑπασπιζόντων αὐτῶν ἀπληκταρίων καὶ κλαβικουλαρίων [ita rescribo loco κουβικουλαρίων] μετὰ πλήθους ῥαβδούχων σιδηρέων δεσμῶν καὶ ποινικῶν ὀργάνων σαλευόντων τῷ φόβῳ τὸ δικαστήριον. εἰσὶ δὲ καὶ νῦν οἱ λεγόμενοι χαρτουλάριοι. Eorundem fit quoq; mentio in Nouella Iustiniani *13. c. 1.* & in *Edicto 13 c. 17.* Frequens quoque eorum mentio in *Actis Martyrum.* (a) Eadem ferme, quæ *Etymol.* Author habet, & vetus *Glossar. Nomic. voc.* Κομενταρίσιοι, vbi idem error insidet, Κουβικουλαρίων, pro Κλαβικουλαρίων. (b) Commentariensis igitur stratoris munere functus, de quo ad *l. 1. sup.* sic dictus autem, quod *Commentarios*, id est rationes custodiarum & damnatorum conficeret: Item Inscriptiones criminum reciperet: præter *Etymologici* & *Glossarii Nomici* Authores, Hesychius, Κομμενταρίσιος, τὰς ἐγγραφὰς τῶν ἐγκλημάτων δεχόμενος. Codicem igitur publicum, siue Commentarium, in quo solemnia inscriptionum implebantur, penes suam curam habebat, nomina adnotabat. Quem quidem antea ad Ærarium vna cum cæteris actis delatum docet insignis locus Sueton. *Domitiano, cap. 9.* Neque temere est, quod in *l. 6. D. de bon. damnator.* Commentarienses Optionibus iungantur: *Optiones* enim erant carceris Præpositi, vt eadem *lex* docet. Sed & *lex 21. inf. de appellationibus*, Commentarios pro *Commentariensibus* dixit. *Legis istius*, inquit *Contemptores ad Præfectorum Prætorio Commentarios destinentur.* (vt Corni-

(a) Vide loca magno numero ex *Actis Martyrum* producta, apud CL. DV FRESNE *Glossar.* voc. Κομμενταρήσιος. Adi etiam MEVRSIVM *in Glossar.*

(b) Nihil tamen in Glossis Nomic. mutandum censuit. CL. SCHVLTINGIVS, quem vide in not. subiect. *pag. 1753. Tom. III. Thesaur. Iur.*

Corniculum alibi pro *Corniculario*) Et Athanasius *Apologia prima* pariter *ad Constantium p. 693. Tom. I. Oper. edit. Lips. siu. Colon. Weidmann.* εἰς τὰ λεγόμενα κομενταρια τῶν ἐπάρχων παραπέμπεσθαι. *Et ad custodias Praefectorum, quae Commentarii nominantur, deportari.* Idem *Apolog. 2. pag. 728. edit. cit.* Καὶ Κομεντάριος ἡμᾶς εἰσῆγεν ἀντὶ Διακόνων τῆς Ἐκκλησίας; *Et Commentarius (siue Carcerarius) pro Diaconis ecclesiae aduentantes introducebat.* vid. & *l. 2. sup. de Numerariis.* Sane ideo iubetur *l. 6. infr. prox.* Commentariensis intra tricesimum quemque diem numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordinem, aetatem vinctorum Iudici insinuare. Idem vt apparet ex *l. 7.* seu *vlt. huius tit.* alimoniae custodiarum curam gerebat, eiusque adeo rei simul & custodiarum rationes & commentarios conficiebat.

De eius igitur officio nominisque ratione iam constat: de eius officio inquam, nempe eum non tantum custodiarum & carcerum curam gessisse, iisque custodes praeposuisse, incarceratorum
P. 39. alimoniae solicitudinem gessisse: Verum criminalia Acta tractasse. Nos ita interpretaremur, *qui tient le papier des Escrouës.* Hic suos ministros habebat, quos custodiendis reis & carceri praeponeret, vt ex *b. l.* apparet: Homines ferme viles, abiectos, *b. l.* qui Clauicarii, vel Clauicularii dicebantur a clauibus carceris. Nos *Clauendiers* vocamus: idque etiam recte Graeci Basilicorum Interpretes *ad hanc l.* viderunt, qui abiectum & vilem hominem interpretantur Clauicarium, cui scilicet Commentariensis custodiam commisit. Iidem Graeci etiam ad *l. 8. D. de custodia reorum*, Carceri praepositum recte Clauicarium interpretantur *ad lib. 60. tit. 35.* ὁ δεσμοφύλαξ ὃν λέγομεν νῦν καὶ Κλαβικάριον. Male enim nonnulli in *ea l.* Commentariensem interpretantur. Horum Clauiculariorum vel carcerum custodum mentio fit quoque *superiore loco* Firmici. De iisdem accipiendus est, & hic Manilii locus *lib. 5. Astronom. v. 621.*

Carceris & duri custos quo stante superbe
Prostratae iaceant miserorum in limine matres.

Carcerum custodes pariter vocat *l. vlt. infr.* Καπικλάριον sequior aetas vocauit. Cum autem Commentariensis administratio, non vrbis esset, vt docet quoque *l. 2. sup. de Numerariis*: Clauicularii certe, & ii, quos ipsi custodes carcerum praeponebant, abiecti & viles ferme homines erant, vt haec *lex* nostra docet. Vnde Graeci inferunt, posse dici Clauicarium a testimonii dictione prohibendum tanquam vilem personam. Hos carcerum custodes vocamus, *Geoliers, Gardes des prisons. Geauliers* quasi *Ianicularii.* Et haec de Commentariensibus & Clauiculariis.

Habebant & Commentarienses officii sui *Adiutores*, qui scilicet Commentariensem subleuarent, adiuuarent: veluti si Commentariensis necessitate aliqua procul ab officio ageret: veluti publici negotii causa: Missi quippe non raro Commentarienses, vt sontes comprehenderent; quod etiam docet *Edictum* Iustiniani 13. *cap. 17. 23.* Sane idem Commentariensis, cum Rei interrogandi essent, eos ad Tribunal adducebat, Acta delinquentium & eorum responsa scribebat, & in Commentarios referebat, vt discimus ex epistola Asterii Episcopi Amasiae, de Euphemia martyre, in Concilii Oecumen. VII. siue Nicaen. II. *Act. 4. pag. 170. Tom. IV. Concil. Edit. Harduin.* (a) De *Adiutoribus officiorum*, in genere dixi semel ad *l. 10. sup. de Cohortalibus.*

Sententia huius *legis* haec est: Commentariensem praestare fugam incarcerati: neque posse culpam reiicere in eum, quem carceri praeposuit. Eius, quem quis rei alicui praeposuit factum, & negligentiam aut etiam dolum praestare quisque tenetur: neque poenam euitare potest, vilem forte hominem & abiectum Iudiciis obiiciendo: id est in eum culpam coniiciendo, vel eum cui carceris custodiam commisisset, puniendum dicendo. Igitur Valentinianus *b. l.* Commentariensem, id est Principem, sic vt dicam, carceris custodem, si sub custodis, id est ab eo carceri praepositi, culpa aut dolo reus custodiam euaserit, eadem poena puniri, qua ipsummet reum qui fugit. Quod in praxi non obtinet. Neque enim poena capitis punitur custos, si sub custodis negligentia etiam capitis reus euaserit. Et ita iudicatum refert in Curia Neapolitana Grammaticus *voto 29.* adde & Boëtium *decisione 216.* Vide & Clarum *lib. 5. sentent. §. vlt. quaest. 66. Num. 8.* Et sane iure Visigothico, *septimo legum Visigothicarum Tit. 4. l. 3. Si Carcerarius aut Custos quos compeditos habuit, sine Iudicis iussione aliqua fraude custodiam laxare praesumpserit, eandem poenam & damnum, quod ipsi rei fuerunt excepturi, sustinere iubentur.* Itemque iure nostro, *Le Geolier est tenu de representer le prisonnier, ou de payer tous despens dommages & interests.*

Verum haec ad ipsos carcerum custodes pertinent, vt & quae tractantur in *l. 8. 12. & vlt. D. de custodia reorum*: & *l. 2. infr. de falsa moneta.* Casus enim legis nostrae est de substituti seu praepositi culpa in Praeponentem referenda. Quo pertinet etiam principium *dictae leg. vlt. D. eod. tit. Non est facile,* inquit, *tironi custodia credenda, nam ea prodita, is culpae reus est, qui eam ei commisit.* Mirum certe amissa custodia culpa custodis, Commentariensem sufferre eam ipsam poenam, quam reus sustinuisset: Neque huic simile est, quod tamen quasi simile hic Basilicorum Interpretes aptant, quod qui reum sisti promittit, nec sistit, eam poenam sustineat, quam reus sufferret, *l. 13 Cod. Iust. de fideiussorib.* Item quod Iudex aliquando pro reo poenam sufferat, cuius crimen dissimulat: *l. penult. in fin. infr. de haereticis:* vt & quod Iudex si delati criminis causam segnius distulerit, Reciproci poena teneatur *l. 7. sup. de Accusationib.* Haec enim omnia propriae negligentiae imponuntur. Porro de nequitia & gratia venali horum Commentariensium, vid. & *l. 5. infr. de poenis.*

(a) Episcopus *l. c.* narrat Euphemiae martyrium, in tabula depictum magno artificio, inuenisse se in obscuro porticus, quam tabulam describens, ait: Ἔχει δὲ ὧδε τὸ φιλοτέχνημα. ὑψηλὸς ἐπὶ θρόνου καθέζεται δικαστὴς, πικρὸν καὶ δυσμενὲς βλέπων εἰς τὴν παρθένον. ὀργίζεται γὰρ ὅταν ἐθέλῃ κἂν ταῖς ἀψύχοις ὕλαις ἡ τέχνη. δορυφόροι δὲ τῆς ἀρχῆς καὶ στρατιῶται πολλοί. οἱ μὲν τῶν ὑπομνημάτων ὑπογραφεῖς δέλτους φέροντες καὶ γραφίδας. ὧν ἅτερος ἀναρτήσας ἀπὸ τοῦ κηροῦ τὴν χεῖρα, βλέπει πρὸς τὴν κρινομένην σφοδρῶς, ὅλον ἐκκλίνας τὸ πρόσωπον, ὥσπερ παρακελευόμενος γεγωνότερον λαλεῖν, ἵνα μὴ κάμνων περὶ τὴν ἀκοὴν ἐσφαλμένα γράφῃ καὶ ἐπιλήψιμα. *Habet autem ita se illud amabile artificium. Excelsus super thronum stabilis est iudex, amare & maligne aspiciens in virginem. Irascitur enim quando vult ars, etiam in inanimatis materiis. Adsunt autem satellites principatus, & milites multi: quorum alii quidem monumentorum descriptores libros ferunt & codicillos: quorum alter a cera manu suspensa aspicit ad eam, quae iudicabatur, totam inclinans faciem, veluti iubens magis loquendum, ne laborans circa auditum mendosa scribat ac reprehensibilia.* De *Commentariensium* officio ex Actis Martyrum latius exposuit CL. PANCIROLLVS in Comment. ad Notit. vtramqu. *c. 13. fol. 12.* Adde etiam BARONIVM in Annal. ad an. 285. *num 4 seqq* vbi in Actis Proconsularibus martyrum, videbis *Eulalium Commentariensem*, adduxisse ad tribunal Proconsulis *Lysiae*, Christianos: & *num.* 8. obseruabis, *Commentariensem*, damnatos puniri curasse. En Acta: *Lysias introgressus obduxit velum: & post exiens ex tabella recitauit sententiam, dicens: Claudius, Asterius, Neon, fratres Christiani, Deos blasphemantes, & sacrificare renuentes, ante atrium cruci affigantur, & corpora eorum auibus laceranda relinquantur. Et subiecit: Curent haec Claudius Commentariensis: & Archelaus spiculator. Antequam autem ducerentur recepti sunt in custodiam.*

De

De Tempore, *seu aduersus diuturnos carceres, Theodosii M. constitutio. A.D. 380.*

VI. (a) Imppp. Gratianus, Valentin. & Theod. AAA. Eutropio P.P.

De his quos tenet carcer, (b) id aperta definitione sancimus, Vt aut conuictum (c) velox pœna subducat, aut liberandum custodia diuturna non maceret. Temperari (d) autem ab innoxiis austera præceptione sancimus; Et prædandi omnem segetem, de negligentia Iudicum prouinciarum ministris (e) feralibus (f) amputamus; nam nisi intra tricensimum diem semper Commentariensis ingesserit numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordinem, (g) ætatemque vinctorum. (h) officium viginti auri libras ærario nostro iubemus inferre: Iudicem desidem, ac resupina (i) ceruice tantum titulum gerentem, extorrem, (k) impetrata fortuna, (l) decem auri libris multandum esse censemus. Dat. III. Kalend. Ian. Constantinop. Gratiano v. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. eod. Tit.* Et iungenda huic *lex 3. sup. de exhib. reis.* GOTHOFR.

(b) *Inclusos* additum in *Cod. Iustin.* Quo nil opus erat. *ID.*

P. 39. (c) *Conuictos & mox liberandos*, Cod. Iust. *ID.*

(d) Hæc sententia a Triboniano recisa est. *ID.*

(e) *Ministri ferales* (de quibus dixi ad *l. 1. sup.*) non alii sunt quam carcerum custodes & Clauicularii. *ID.*

(f) De voce *feralis*, vide Gloss. Ita *ferales carcerum tenebræ leg. 1. sup. de Curiosis.* Feralis Ianitor, in constitutione quam edidit Sirmondus, ex *Cod. Lugd. & Anitiens. in app. Cod. Th. n. 13. ID.*

(g) *Ordines, Cod. Iustin.* non ita bene. Ordinem clausorum vo at rationem, quo quisque die in carcerem coniectus est, cuius mentio apud Ciceronem in *Verrina* 5. de suppliciis *cap. 57. Rationem*, inquit, *carceris diligentissime confici, quo quisque die datus sit in custodia.* IDEM.

(h) *Quod si hæc prætermiserit officium quidem*, Cod. Iust. RITTER.

(i) *Resupina ceruice titulum tantum gerere*, Iudices dicuntur ὑψαύχενες, vt hoc Persii loco *Satyra 1. vers. 129.*

Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.

Seneca *Epistola* 80. Elatus & resupinus. Prudentius περὶ Στεφαν. *Hymn. 10. v. 172. Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens: & l. 2. inf. de Episcopali iudicio: Sacerdotes*, inquit, *qui resupinos spiritus aduersum definita retulerint.* Hinc & vox *supinare*, apud Senecam *lib. 2. de beneficiis cap. 13. O superbia magnæ fortunæ? o stultissimum malum: vt a te nihil accipere iuuat. &c. libet interrogare, quid tantopere te supinet, quid vultum habitumque oris peruertat, vt malis habere personam quam faciem.* Resupina igitur ceruice Iudex tantum titulum gerens est arrogans & animi vitium ipso gestu corporis palam faciens. De quo vitio videndus Epictetus *apud Arrianum lib. 1. cap. 21.* Huc facit Chrysostomi locus *in oratione illa*, qua Apostolatum cum Magistratibus comparat siu. *de vtilitat. Lect. Scriptur. & in princip. Actor. 3. Tom. VIII. Sauilian. pag. 117. & Tom. III. Edit. Benedictin. num. 6. pag. 80. circa orat. fin.* Καὶ γὰρ καὶ τοῦτο ἀρχόντων, τὸ μὴ τιμῆς ἀπολαύειν μόνον, ἀλλὰ καὶ πολλὴν ἐνδείκνυσθαι πρὸς τοὺς ἀρχομένους τὴν πρόνοιαν καὶ τὴν προστασίαν. *Nam & hoc magistratuum est, vt non honore tantum fruantur, sed & multam sollicitudinem & curam erga subditos præ se ferant.* GOTHOFR.

(k) *Extorrem* id est, exulem & relegatum. *Extorris*, qui extra torrem, id est, limitem pulsatus est, vt exsul, qui extra solum. *Torrem* Veteres dixerunt, *Terminum*, in fragmentis *de limitibus, Torrem quoque limitem inuenias.* Græci locum hunc ita expresserunt, ἐκβάττων τῆς ἀξίας, id est, *dignitate priuatus. ID.* Mira hic noster comminiscitur. Vnde enim probabit, *torrem* esse *terminum*? Sed & antea IOS. SCALIGER *ad Varron. de LL. IV. pag.* 28. ingenio indulgebat, cum a *torre* seu *titione* descendere vocem *extorris* scribebat, respiciens ad *interdictionem ignis.* Fragmentum sane quo Gothofredus sententiam stabilire vult, nullius est momenti, sed deprauatum & mutilum. Legitur id *in expositione Terminorum per diuersas prouincias positorum*, inter Script. Rei Agr. W. Goesii pag. 267. hoc modo: *Limitem torrem hoc est torum sine dubio inuenies.* Vel verba sic posita satis indicare possunt, *torrem* hic de *termino* non intelligi posse: præterea RIGALTIVS in Codd. inuenit: *Limitem secundum sui nominis auctoritatem tortuosum sine dubio inuenies*, quæ sana sunt, atque conueniunt cum illis quæ leguntur in *altera terminorum expositione* in lit. G. pag. 271. edit. cit. Longe melius profecto dixit de *extorris* voce Nonius Marcellus *cap. 1. num. 48. Extorris dicitur extra terram, vel extra terminos*, quod vltimum forte Nostrum decepit. Alia vide apud GORTIVM *in not. ad Sallust. Iugurth. cap. 14. num. 11.* RITTER.

(l) Id est, saluis bonis. GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

Adversvs Divtvrnos reorum Carceres est hæc Theodosii M. constitutio A. D. 380. cui iungenda est *lex 3. sup. de exhibend. reis*: quæ vna cum *hac*, pars est Theodosianæ constitutionis, qua tum exhibendorum, tum exhibitorum reorum fauore complurima, humana admodum constitutione complecti voluit: Exhibitorum, inquam, idque partim antequam in carcerem coniiciantur, quo spectat *d. l. 3.* partim postquam in carcerem coniecti, *hac* scil. *lege* diuturni carceres damnantur, tribus in id constitutis.

Primum generaliter præcipitur & præmittitur, acce-

accelerandum esse, neque diu protelandum incarceratorum Iudicium: de quo in genere actum fuit *l. 1. sup. hoc tit.* & *l. 7. 18. sup. de accusation.*

Secundo (quod a Triboniano omissum est *in l. 5. Cod. Iust. eod. tit.*) custodibus carcerum miseros reos deprædandi segetem & occasionem omnem præcidendam: quo pertinet pariter vltimum caput *l. 1. sup.* Nempe soliti carcerum & incarceratorum custodes vendere miseris reis suam operam ad accelerandam liberationem. Quam deprædationis speciem sublatam vult Theodosius M. *hac l.* & simili alteri deprædationi seu nundinationi occurrit *d. l. 3.* quæ huic coniungenda est.

Post præmissa vti dixi duo superiora, tandem ad vtrumque finem assequendum, ad accelerandum inquam, carceratorum Iudicium, & aduersus carcerum diuturnitatem, & ad deprædationem illorum tollendam, id constituit Theodosius M. hac humanissima lege, Commentariensem trigesimo quoquo die Iudici insinuare debere numerum, varietatem, ordinem, ætatem incarceratorum: Vnde claret (quod ad *leg. superiorem* ostendi) *Commentariensem* confecisse rationem siue commentarium carceris & reorum, quis videlicet, cuius criminis reus, quo quisque die, cuius ætatis in carcerem coniectus fuerit. De simili alioquin triginta dierum præscriptione ad alium finem agitur in *ea leg. 3. sup. de exhibendis reis*, quam *huic* nostræ coniungendam dixi. Sed intra hoc idem vnius mensis spatium custodias audiri inquisitione completa iusserat iam Constantius in *l. 7. supr. de accusation.*

Sane Græci huius *legis* sententiam minus complexi videntur, cum hæc verba ita reddunt καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἕως λ. ἡμερῶν. Neque enim singulis diebus id fieri Theodosius *hac lege* iubet, verum intra trigesimum quemque diem semper. Et hæc est illa proculdubio Theodosii M. constitutio *de Tempore*, seu lex iuuans vinctos, quod ad Tempus attinet, cuius meminit Libanius *orat.* περὶ τῶν δεσμωτῶν *§. 14. in fin. orat. pag. 410. edit. Trotzian.* qua præterea Imperatorem hortatur ad sanciendam *legem*, quo incarcerati humaniter & suauius habeantur.

VII. (a) Impp. HONORIVS, & Theod. AA. Cæciliano (b) PP. (c) Post alia.

IVDICES omnibus (d) Dominicis diebus productos reos e custodia (e) carcerali videant, interrogent, (f) ne (g) his humanitas (h) clausis, per corruptos (i) carcerum (k) custodes, denegetur; (l) Victualem substantiam (m) non habentibus faciant ministrari, libellis duobus (n) aut tribus diurnis, vel quod (o) æstimauerint (p) Commentariensi decretis, quorum sumptibus proficiant (q) alimoniæ pauperum, quos (r) ad lauacrum sub fida custodia duci oportet: multa Iudicibus viginti librarum auri: & Officiis eorum, eiusdem ponderis constituta; Ordinibus quoque, trium librarum auri multa proposita, si saluberrime (s) statuta contempserint. Nec deerit Antistitum Christianæ religionis cura laudabilis, quæ ad obseruationem constituti Iudicis (t) hanc ingerat monitionem. Dat. VIII. (v) Kal. Feb. Rau. HONOR. VIII. & Theod. VI. (x) AA. Coss. [409.]

INTERPRETATIO. *Omnibus Dominicis diebus Iudices sub fida custodia de carceribus reos educant, vt eis a Christianis vel a Sacerdotibus substantia vel alimonia præbeatur, & ad balneum prædictis diebus sub fida* (y) *custodia religionis contemplatione ducantur. Si qui Iudices hoc implere neglexerint, pœnam quam lex ipsa* (z) *constituit, cogantur implere.*

P. 41. NOTAE.

(a) *Lex 9. Cod. Iust. de Episcop. aud.* Iungenda huic *lex 12. seu vlt. infr. de maleficiis*: *l. vlt. inf. de abolit.* imo & *lex 5. & vlt. sup. de exhib. reis*, aliæque *leges*, quas ad *dictam legem 5.* congessi. GOTHOFRED.

(b) *Cecilianus* hic Præfectus Prætorio fuit sub Honorio, A. 409 cui plures aliæ Constitutiones inscribuntur. Mentio fit eius *l. 33. sup. de erog. mil. an.* apud Zosimum *lib. 5. cap. 44* ad eundem extat Augustini *ep. 259. siv. 151. in edit. Benedict.* vid. *Prosopogr.* ID.

(c) Italiæ. ID.

(d) Abest hæc vox a *Cod. Iustin.* ID.

(e) *De Custodia*, Cod. Iust. & MS. G. RITTER.

(f) *Et interrogent.* Cod. Iust. & MS. G. ID.

(g) Al. *num.* Verum illud non ideo immutandum. GOTHOFRED.

(h) *Humanitas*, quicquid humanis necessitatibus necessarium præstatur. *Substantia*, Aniano, ac nominatim *victus*. Hoc sensu apud Ambrosium *de Tobia c. 14.* Leg. Visigoth. *libr. 9. t. 1. l. 4. 5. 6.* apud Cassiodorum *lib. VII. ep. 33.* Martyrolog. vetus in *Passione Pantaleonis V. Kal. Aug.* ID.

(i) Vide *legem 1. circa finem supra.* ID.

(k) *Carceris*, MS. G. & Ed. Sich. RITTER.

(l) *Negetur*, Cod. I. & Ed. Sichard. ID.

(m) Substantia pro Annona seu victu, *h. l.* & *l. 2. infr. de alimentis quæ inopes parentes.* Victualis substantia nil aliud est, quam exhibitio; vt eam alicubi vocat Tertullianus. Græci & quidem Attici ἀφορμὴν βιωτικήν. vide Artemidorum *lib. 5. cap. 89.* & Scholiastem *Euripidis.* Alimenta carceris vocat Seneca *Ep. 18. Liberaliora*, inquit, *sunt alimenta Carceris: sepositos ad capitale supplicium non tam anguste, qui occisurus est, pascit.* GOTHOFRED. Adi Harpocrationem *in Lex. voc.* ἀφορμή, & ibi *Maussacum* & *Valesium*, & inuenies integra Scholiastis Euripid. verba, atque loca alia. Ex Harpocratione sua habet Suidas *in Lexico voc.* ἀφορμή. RITTER.

(n) *Libellis duobus aut tribus.* Ita quoque *Codex Iustin.* de quo mox plura; & tamen rescribendum *duabus*: quod & Alciatus recte vidit. GOTHOFR.

(o) Ma-

(o) Malim. *quot*, vt in aliis *edit.* & in *Cod. Iust.* quanquam & hoc sustineri potest, *quod*, id est, *quodcumque. ID.*

(p) *Existimauerint*, MS. W. *Existimauerint Commentarienses*, MS. G. & Cod. Iust. Male ita. Vid. *Commentar.* RITTER.

(q) *Proficiant*, id est, procedant, commodum sentiant, & incrementum, id enim *proficiendi* vox hic significat, neque quicquam hic immutandum: Neque reponendum, *quae proficiant alimoniae & sumptibus pauperum.* GOTHOFRED. In MS. W. legitur: *proficiat alimonia & pauperum*, & ita quoque legit Sichardus; hinc in margine notat, videri hic aliquid legi deesse. Sed sana est nostra lectio. RITTER.

(r) *Quos &.* GOTHOFR.

(s) *Saluberrima*, MS. G. Cod. I. & Ed. Sichard. RITTER.

(t) An *Iudici*? illud sustineo. GOTHOFRED. *Constituti iudicii*, Cod. Goth. RITTER.

(v) Al. *XII.* GOTHOFRED. *VII. Id. Febr.* Cod. Iust. RITTER.

(x) *γρ. III.* vt *l. vlt. inf. de Mathemat.* & vt etiam *Cod. Iust.* habet. GOTHOFRED. *Theodos. III.* legit MS. W. & Edit. Sichard. RITTER.

(y) *Fida*, haec vox abest a MS. G. & Sichard. & prior. Cuiac. IDEM.

(z) *Ista* Sichard. & prior Cuiac. ID.

COMMENTARIVS.

HVMANITER vt incarcerati habeantur, Honorius Imp. tribus rationibus hac humanissima constitutione prouidet. *Primum* constituit, vt Iudices singulis Dominicis diebus reos e carcere eductos videant, interrogent, quomodo a custodibus carcerum tractentur: ne alioquin his crudelitatem suam accusatori forte vendentibus atque adeo corruptis, incarcerati crudeliter habeantur, vel inedia longaque tabe consumantur, vt habetur quoque *l. 1. in fin. sup.* Et haec de Iudicibus. Idque diebus Dominicis: quod notandum, consecrato videl. hoc potissimum die humanitatis officiis & operibus charitatis exercendis. Cui omnino conuenit, quod Concilio Aurelianensi *V. can. 20. pag. 1447. Tom. II. Concil. edit. Harduin.* cautum, vt *qui in carceribus deputantur ab Archidiacono seu a praeposito Ecclesiae, diebus Dominicis requirantur, vt necessitas vinctorum secundum praeceptum diuinum misericorditer subleuetur, atque a Pontifice instituta fideli & diligenti persona, quae necessaria prouideat, competens eis victus de domo Ecclesiae praebeatur.* At Episcopis postea iniunctum, vt κατὰ τετράδα & παρασκευὴν custodias inuisant, id est, vt Ecclesia loquitur *Feria quarta*, qui dies est Mercurii, & *Feria sexta*, qui dies est Veneris, & *Parasceue* dicitur. Vterque scil. dies, seu vtraque feria, in veteri Ecclesiae ritu, fuit conuentuum in Ecclesia dies: simul & *Esurialis*, vt Plautus loquitur *Captiu. Act. 3. scen. 1. v. 8.* id est castui & semiieiunio ad Nonam vsque horam dicata, & omni pietati. Quapropter vult *lex 22. Cod. Iust. de Episcopal. audient.* Episcopos illis diebus carceres & custodias visitare. Certe hos dies in hebdomade olim dicatos fuisse semiieiunio illi & castui, constat ex Tertulliano *Lib. de Ieiuniis aduersus Psychicos, c. 1. 2. 10. 14.* Epiphanio in *compendio doctr. Christ. siu. in Exposition. Cathol. & Apostol. fidei cap. 22. pag. 1104. Tom. I. Oper. Edit. Coloniens.* (a) & Clemente Alexandrino *Stromat. lib. VII. p. 744. Edit. Sylburg. Paris 1629. fol.* Socrate *lib. 5. c. 22.* Prudentio *in Agone Fructuosi περὶ Στεφαν. Hymn. VI. v. 54. seqq. Can. ieiunia*, de *Consecration. Distinct. 3.* & Petri Alexandrini *can. 15. siu. vlt. pag. 235. Tom. I. Concil. edit. Harduin.*

Secundo statuitur, vt si custodiae, id est Rei de suo viuere non possint de publica alimonia his praebeatur. Haud paulo aliter ac in XII. tabulis, *tab. 3. Si volet, suo viuito: ni suo viuit, qui em vinctum habebit, libras farris endo dies dato: si volet, plus dato.* In eum finem duas, tres, pluresue pro rei necessitate, & quod iudex aestimauerit, *libellas* diurnas, vno singulis pauperibus incarceratis Commentariensi decerni iubet, ex quarum pretio pauperibus alimoniae praebeantur: ita enim hic locus est legendus & interpretandus, *libellis*, inquam, duabus aut tribus diurnis &c. vt legebat quoque Forcatulus. *Libellae* hic (non *libelli*) sunt, non pondus aliquod panis, sed nummus argenteus & *decima sestertii* siue denarii pars, vt Volusius Metianus *de Assis distribut. pag. 14. ad calcem Cod. Theodos. edit. Cuiac. vltim.* & *pag. 123. edit. quae in 4. prod.* Plinius *lib. 33. cap. 3. Libralis, vnde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur assis.* Indeque *ad libellam debere*, apud Ciceronem *pro Roscio Comoedo cap. 4.* idem, vt alibi; *sumptum reddere ad assem*, quasi dicas vsque ad teruncium: *Teruncius* erat tricesima sestertii pars, *libella* decima. Igitur idem cum denario. Plautus quoque *in Pseudolo Act. II. sc. 2. v. 33.* meminit:

Si quidem hercle etiam supremi promptas thesauros Iouis,
Tibi libellam argenti nunquam credam.

Et rursum *Act. IV. scen. 7. v. 46.*

Sed tu bone vir flagitare saepe clamore in foro,
Cum libella nusquam est.

(b) Itaque frustra sunt quae de modo diaetae, seu diarii vinctorum, ad hanc *legem* plerique disputant. Neque enim de eo *h. l.* agitur, verum de modo *pecuniae*, vnde alimonia pauperibus praeberi debeat, adeo vt ne quidem modus ille definiatur, sed pro pauperum numero, pro aestimatione Iudicis praeberi iubeatur: *Libellis*, inquit, *duabus aut tribus diurnis, vel quod* [id est, *quodcumque:* nisi malimus eodem sensu, vt *Cod. Iustin.* & in nonnullis *huius Codicis* Editionibus] *aestimauerint* [Iudices scilicet] *Commentariensi decretis.* Iam olim quoque pauperibus incarceratis diarium siue panem e publico praebitum insigni loco fidem facit Seneca IV. *Controuers. 27.* Sed & mulctas quasdam, puta de Ecclesiasticis exactas, in pauperum vsus destinatas a Valentiniano Sen. docebit *lex 20. infr. quorum appellat.* vbi ea de re dicam plenius.

Tertio hac *lege* iubentur incarcerati ad balneum sub fida custodia duci, ad eluendum scil. squalorem, vt loquitur *lex 2. sup.* seu sordes in carcere contractas, quod & ipsum humanitatis est plenissimum. Denique iubentur *Episcopi* iudices identidem monere, vt hanc constitutionem effectui tradere velint. Scilicet Episcoporum haec neque vltima cura esse debet circa miseros custodia carcereque inclusos. Similis constitutio, quam sub eiusdem Honorii & Theodosii nomine edidit Sirmondus ex *Cod. Lugd. & Anitiens. in app. Cod. Theod. n. 13.* qua Episcopo carcerem

(a) Plura ad hunc locum notauit Doctissimus PETAVIVS *in Animaduers. pag. 356. ed. cit.* cui adde VALESIVM in annotat. ad Socratis loc. citatum, & BARONIVM in Annal. ad A. D. 57. *num.* 94. DAN. HEINSIVM in not. ad Clement. Alexandr.

(b) Adde de *Libella*, locum vexatissimum Ciceronis *ad Attic. VII. 2.* ibi enim heres ex *libella & teruncio* occurrit. Vide *ibidem* Viros doctos, & mirare venustam Ciceronis vrbanitatem. Sed in primis consule CL. GRONOVIVM *de Pecun. veter. III. 12.*

rem visitanti liber aditus patere iubetur, mox apud Iudicem interuenturo. Denique inhumanitati & sæuitiæ intercedere. Et similis Episcopalis intercessionis exemplum in *l. 2. seu vlt. infr. de lenonib.* vt & gemina germana *Christianis*, id est Episcopis, Clericis, ab eodem Honorio intercessio iniungitur, constitutione paulo ante hanc data ad Theodorum P. P. huius Cœciliani decessorem, *l. 2. seu vlt. supr.*
P. 42. *de postliminio.* Similis quarta Honorii ad Militium triennio post, *l. 2. seu vlt. supr. de Expositis.* Adde his & *l. 5. sup. de contrah. empt.* Tandem huius seculi propria hæc calamitas fuit, vt Romanis inuicem sæuientibus, nullus amplius ferme obex, nulla iuris reuerentia, nulla Christianæ charitatis cura esset: atque vnicum ferme remedium ab Episcopis foret; quibus erant adhuc qui deferrent. Quare hunc Episcoporum interuentum malis moribus subinde Principes apposuere: ac quidem Honorius Imp. nominatim, de quo dixi *ad l. vlt. infr. de lenonibus.* Maiora sunt iam, quæ Iustinianus his detulit *Nouell. 8. c. 8. 14.* & *Nouell. 51. c. 1.* & *Nouell. 86. cap. 1.* vnde desumpta est *Authen. si vero Cod. Iust. de Iudiciis.* Tandem ad querelas *Senatus Romani* per ipsummet Cœcilianum, cui hæc *lex* inscribitur, hanc constitutionis prolixioris partem additam ab Honorio, argumento eorum quæ Zosimus prodit, probo ad *leg. vlt. inf. de abolitionib.* & *l. vlt. infr. de malefic. & mathematicis.*

SI QVIS IMPERATORI MALEDIXERIT.

TITVLVS IV.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. VII.

THEODOSII M. *constitutio, de* MALEDICTIS *in Principem, eiusue Tempora, iactatis.*

I. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & Honor. AAA. Rufino PP. (b)

SI quis, modestiæ nescius, & pudoris ignarus, inprobo petulantique maledicto, Nomina Nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum (c) fuerit, eum pœnæ nolumus subiugari, (d) neque durum aliquid nec asperum (e) sustinere: quoniam, si id (f) ex leuitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab iniuria, remittendum. Vnde integris omnibus, (g) ad Nostram Scientiam referatur, vt ex personis (h) hominum dicta pensemus, & vtrum prætermitti, an exquiri (i) debeat, (k)enseamus. (l) Dat. V. (m) Id. Aug. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio V. C. Coss. [393.]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendaque huic, *lex 137. infr. de Decurionibus.* Meminit eius Zonaras, & Balsamo, *Commentar. in Canonem Apostolorum 84. apud Beuereg. in Pandect. Canon. pag. 55. Tom. I.* Et idem Balsamo *in Photii Nomocan. tit. 9. c. 36. apud Iustellum Tom. II. Bibl. Iur. Can. pag.* 1021. vt & Harmenopulus, *lib. 6. tit. 14.* Attaliates *in Synopsi Iuris t. 69. pag. 59 Tom. II Iur. Græc. Rom. Marq. Freheri,* Blastares *in suis Collectaneis Lit. B. cap. 7. pag. 44. Tom. II. Pandect. Can. Guil. Beuereg.* Ioannes Sarisberiensis, *nugarum Curialium lib. 3. cap. 14.* Tandem Baronius quoque recte eam inseruit Annalibus suis Ecclesiasticis, A. D. 393. *num.* 42. GOTHOFR.

(b) *Rufinus* PP. Orientis scil. sub Theodosio M. An D. 392. 393. 394. & aliquandiu adhuc sub Arcadio filio eius An. 395. quo tandem anno occisus proscriptusque fuit: de quo plene ad *l. 14. inf. de bonis proscriptorum,* & in *Prosopogr.* ID.

(c) *Nostrorum,* add. *C. Iust.* Quo nil opus erat. ID.

(d) a Iudicibus scilicet, seu Rectoribus prouinciarum, qui sub dispositione Præfecti Prætrio erant: vel etiam a te ipso PP. ID.

(e) *Volumus,* add. *C. Iust.* Quo nil opus erat. ID.

(f) *Maledictum,* scil. ID.

(g) *Hoc ad nostram Scientiam*: ita *C. Iust.* addita voce, *hoc.* ID.

(h) Ἐκ τῆς ποιότητος τοῦ προσώπου, *ex qualitate personæ,* Balsamon ad *Photii Nomocan. tit. 9. cap 36.* & Blastares *l. c.* ID.

(i) Meo iussu, a Iudice, vel a te: *Exquirendi* porro vox hic propria in criminum & veritatis inquisitione. ID.

(k) *Debeant Cod. Iust.* dicta scil. *Te debeat,* in *Tiliana & Cuiac. edit. in fol.* vitiose: In *edit. Lugdun.* in 4. *re debeat.* Forte hic ita legendum, & *vtrum prætermitti, an exquiri debeat res, censeamus*: vel potius *exquiri a te debeant*: vel denique quod omnium maxime placet, *debeat,* maledictum scil. de quo *initio legis.* ID.

(l) *Censeamus,* iubeamus, ordinemus. vid. *Gl. Th.* ID.

(m) VI. Cod. Iust. male: vt patet quoque ex *d. l. 137. de Decurionibus.* vbi idem dies notatus extat. IDEM.

COMMENTARIVS.

MALEDICTA, in se Principem, inue Tempora sua, in sui notitiam perlata, Iudices seu Rectores prouinciarum non vindicare ipsi, seu punire; verum integris omnibus de iis ad se Principem referre

referre

referre ab Imperatore iubentur *hac constitutione:* vt ita ipse Iudicii arbitriique sui faciat, num contemni ea, an exquiri vindicarique adeo debeant; habita scil. *personarum ratione.* Præmissa egregia clementiæque & indulgentiæ plenissima sententia, qua veniam seu gratiam maledicti ferme pollicetur, Si aut leuitate, aut infamia, aut iniuria conuitium Principi, vel temporibus eius, seu sæculo, factum fuerit.

Hæc breuis *huiusce legis* coniectio seu summa & sententia est: quæ, quod *secundo* loco tenendum est, *Theodosium M.* Imperatorem Auctorem habet, cui sociati tum ab ipso in Imperio, duo Augusti filii eius fuerant, Arcadius & Honorius, ille iam inde
P. 43. A. D. 383. hic hoc ipso anno 393. IV. Id. Ianuarias quorum ideo nomina in Inscriptione quoque *huius l.* sociata pro more tum recepto: Theodosium M. inquam hæc *lex* Authorem habet; quod ad *huius leg.* intellectum adsumi oportet; Principem Christiana Iurisprudentia, moremque comitate seu clementia, hoc quoque inter alia argumento commendatissimum: Cuius alioquin Principis plura extant alia in reos, etiam Maiestatis (vt in specie *huius leg.*) clementiæ argumenta, & quidem apud Libanium, *Oratione*, quam nos edidimus, περὶ τῶν δεσμωτῶν, & altera *orat. ad Theodosium ipsum post conciliationem cum Antiochenis 13. edit. Morell.* Themistium *orat. 5. edit. Petau.* in id peculiari, quam habuit ante decennium, An. D. 383. Quem & cæteroquin velut a cæde abhorrentem commendant Veteres, eiusque summam φιλανθρωπίαν deprædicant præter iam dictos, alii passim Scriptores; sic vt nemo Principum Christianorum magis ab humanitate, lenitate, & clementia commendatus fuerit; eo etiam, vt nimia ferme eius lenitas, seu ad delinquendum illex, a nonnullis vitio vertatur. Tandem, cum hanc eius indolem spirent complures aliæ eius Constitutiones, hæc certe nostra ad eum quoque characterem tota facta & concinnata est.

Quo nomine ea iam inter Theodosianas *solemnis* maxime euasit in foro atque in Aulis, neque eo tantum nomine, verum etiam (quod tertio loco obseruandum est) quod variis argumentis ea vsui esse aptarique potest, imo iam & solet: in argumento, inquam, 1. *de Pœnis vel differendis, vel temperandis:* 2. In tractatu Politico, *Num satius sit Principi huiusmodi verborum & dictorum licentiam prætermittere, an vero vindicare?* de quo extat elegans Oratio Scipionis Gentilis huius *legis* occasione. 3. de *Cognitionibus item Principi reseruatis:* 4. eumque in finem, *de Iudicum ad eum Relationibus:* 5. vt & *de pœnis reorum maiestatis*: 6. Tandem *huius leg.* vsus est, & cum *virtutum Principalium corona* texitur, clementia, seu lenitas, & Ciuilitas ἡμερότης, πραότης, φιλανθρωπία, inter potissimas Principibus inculcatur.

His ita præmissis, notandum quatuor partibus hanc legem absolui; totidemque adeo tractatibus hæc *lex* ipsa illustranda nobis erit. Primo quidem *subiectum* eius spectandum venit: Maledicta, inquam, in Principem, eaque duum generum: Post hæc legis *dispositio*: vbi secundo loco dispiciendum erit, quid Theodosius fieri *vetet?* Quid tertio contra fieri *iubeat?* Quam denique *formam* secuturum se hac in re, seu cognitione prædicet. Post quæ omnia historicam huius *legis* occasionem attexere seu eruere conabimur.

Quod primum, seu *subiectam* materiam attinet; sunt ea *Maledicta* in Principem: qui quidem alter *titulus* est, vt cum Tertulliano loquar, seu altera species criminis Maiestatis. Crimen scil. Maiestatis duplici ratione contrahitur, vel factis, vel dictis seu maledictis, Paulus V. *sentent. 29. §. 1. in fin. Crimen*, inquit, *maiestatis, non solum facto, sed verbis impiis, & maledictis maxime exacerbatur* (quem locum quomodo refinxerit Tribonianus, vide in *l. 7. §. vlt. D. ad l. Iul. Maiest.*) Quorum hoc semper minus habitum: quod etiam Libanius (Theodosii nostri clementiam præferens clementiæ Constantini M.) *orat. 13. post concil. cum Antioch.* scribit *p. 413. edit. Morell.* Οὐκοῦν ἐνταῦθα μὲν καὶ ῥήματα καὶ ἔργα. Ἐκεῖ δὲ τοὔλαττον μόνον τὰ ῥήματα. *Igitur hic* (Theodosii tempore) *& verba contumeliosa, & acta scelerata fuerunt: illic autem* (Constantini M. temp.) *dicta tantum liberiora, quod leuius ac minus est.* Vnde etiam distincti, etsi contigui, *hoc Codice*, & *Iustinianeo*, tituli, *si quis Imperatori maledixerit:* & *ad leg. Iuliam maiestatis:* quæ vel sola *Titulorum* diuersitas satis arguit, iuris quoque hac in re aliquam diuersitatem fuisse, & haberi oportere; quod magis adhuc comprobat integer huius *legis* contextus, etsi fatendum, quidquid contra sentiat Cuiacius, ad Paullum *Sentent. V. 29. §. 1.* maledicto maiestatis crimen semper contrahi. (a) Nam vt recte quoque Tertullianus *ad Nation. lib. 1. c. 17. si non armis, saltem lingua hi rebelles sunt.*

Duum porro generum Maledicta hic proponuntur; vnum in *Principem* ipsum; alterum, etsi eodem recidat, in *tempora* eius scil.: Vt omittam iustissimas Christianorum querelas persecutionum tempore, cuiusmodi Iuliani temporum atque Imperii obtrectatores fuere, vt discere est vel ex Chrysostomo *Homilia in Iuuentinum & Maximinum martyres §. 2. pag. 580. Tom. II. oper. Edit. Benedict.* οὗτοι, inquit, τὰ παρόντα ἐθρήνουν κακὰ, καὶ τὸν ἔμπροσθεν ἐμακάριζον χρόνον, *hi mala sui temporis deplorabant, longe feliciora fuisse superiora asserentes.* & ex Libanii epistolarum *lib. 1. ep. 6. & 80.* Certe huiusmodi maledicta & obtrectatores temporum ad turbas sæpe excitandas, Imperiique securitatem feruntur: quod his verbis *h. l.* indicatur, *ac temulentia* TVRBVLENTVS *temporum obtrectator fuerit.* Quod quidem (non vt plerique Interpretum alii, qui hæc verba transilire solent) τὸ πλάτος Græcorum recte accepit: ad horum enim verborum interpretationem hæc notat: *Sæpe quosdam dicere, se malis annis natos*, atque adeo tempora obtrectando, ipsummet Principem infamare videri: Huiusmodi temporum, in quæ nati obtrectatores subinde emergebant, exemplum illustre extat quoque apud Ammianum Marcellinum *lib. 15.* in Gestis Anni 355. *cap. 5* & apud Sidonium *lib. 1. ep. 7.*

Ac vt in commune Principum & *Temporum* obtrectatores quæque ætas tulit, ita vel maxime Imperatorum Christianorum tempora tulere. Solemne quippe & tum Gentilibus siue paganis inter cætera criminandi genus fuit, clades, quibus humana negotia incursarentur, CHRISTIANIS TEMPORIBVS imputare: quasi ad impietatis vindictam (vt quidam ait) lege sua naturæ decretum transiret. Nam quod incendium oriretur, in inuidiam illico Christianorum *Tempora* vocari: Si bellum infeliciter gestum, si deletus exercitus, si annonæ defectus aut publica fames timeretur, vel etiam vrgeret, Christianorum temporum sacrilegio id omne Gentiles deputare: si piger Nilus (qui apud Aegyptios agricolæ cœlique vicem præstabat) cunctanter sese ac languide alueo efferret, neque ad iustam ascenderet mensuram, turbulenti statim temporum

(a) Simpliciter tali maledicto contrahi crimen læsæ Maiestatis, id quidem nimis large hic a Nostro dicitur; licet id verum sit, Imperatores voluisse totam illam rem suo permitti arbitratui, quomodo *legem hanc* recte interpretatur MARQV. FREHERVS *Parerg. Lib. II. cap. 9.* cui adde CL. SCHVLTINGIVM *ad Iul. Paull. loc. cit.* Imo ita interpretantur Græci legem, apud Photium *Nomocan. tit. 9. c. 36. pag. 1021. apud Iustellum.* ὅτι ὁ τὸν βασιλέα ὑβρίζων οὐ τιμωρεῖται, οὔτε τι σκληρὸν ἢ τραχὺ ὑπομένει. *quod qui Imperatorem conuitiis incesserit, non puniatur, neque durum aliquid nec asperum sustineat.*

porum Christianorum obtrectatores emergere: Postremo cum Romanas deinceps Barbari prouincias peruaderent, resque publica paulatim pessum iret, atque Vrbs etiam, Orbis domina sæpius obsessa, non semel quoque caperetur, totiens Pagani Christianis temporibus δυσκληρίαν hanc omnem, & Reipublic. Romanæ inclinationem tribuere soliti sunt. Iam quis effrænem, ipsorum IMPERATORVM NOMINA, seu Imperatores ipsos, maledictis lacessendi, atque in eos etiam scribendi, qui proscribere poterant, proteruiam in Gentilibus abunde miretur? Tantam etiam, vt vel hanc vnam, vix aliam scribendi causam & rationem Scriptorum nonnulli haberent. Quod de Eunapii *Chronicis*, qui viderunt, vt Photio referenti *Cod. 77.* sic & aliorum eiusdem Scriptorum, quæ supersunt collatione, credere fas est: & de Zosimi pariter Historia cuiuis legenti constare potest. Enim vero, vt de multis in *Constantinum M.* Christianæ non nisi Religionis odio iactatis, pauca nunc delibem: Principem hunc Imperio Romano, quæ secuta postea fuit, ruinam conciliasse, non vnus Scriptorum calumniatur: Profusionem item & auaritiam ab eiusdem temporibus in Imperium Rom. conuectas criminantur alii. Alius (puta Libanius, *Orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν pro *Templis Gentilium non exscindendis*, quam ipse edidi) Constantinum M. ob reditus templis detractos, satis magnas sacrilegii pœnas dedisse, quod qui de
P.44. genere ipsius erant, mutuo sese confecerint, stirpsque tandem eius omnis defecerit, cum satius fuisset, superstites ex se prognatos relinquere, quam Constantinopolim tot impensis aliarumque ciuitatum nuditate atque imprecatione excitare. Et hæc quidem de Constantino M. inque eum iactatis maledictis §. *9. d. orat. pag. 485. edit. Lugd. B. Cl. Trotz.* Idem Libanius *eadem ratione pag. ead.* scribit *Constantium* ob templa diruta, donoque data instar rerum vilissimarum, in perpetuo belli Persici metu ideo egisse, donatarios vero infelicem exitum sortitos. *Constantem* pariter non conuitiis modo Zosimus *lib. 2. cap. 42.* proscindit, verum & Symmachus *lib. 10. ep. 54.* merita eum per Magnenti factionem morte occubuisse, haud obscuris verbis apud Christianum Principem verba faciens, innuere veritus non est. *Iouianum* item Principem pietate insignem Gentiles ægre ferentes, nedum carminibus famosisque libellis appetendum sibi duxere, sed etiam tanquam imperii proditi reum, facta conspiratione Scriptores complures, immerentem fecere. De *Gratiano* memorat quoque Sozomenus *lib. 7. c. 25. sub f.* eum a Pagano quodam illustri viro in officio constituto, conuitiis proscissum, & patre suo (Valentiniano scil. sub quo magna fuit religionum libertas) indignum vocatum, eiusque rei nomine capitis damnatum: verum intercedente Ambrosio imminenti illum supplicio ereptum; quibus adde & quæ Am. Marcellinus *lib. 31. cap. 10.* & Zosimus *lib. 4. cap. 35. 36.* & quæ nos ipsi ad *Philostorgium* notabamus. *Theodosium* M. denique, vt ad hunc tandem descendam huiusce *legis* authorem, Traiano quoque Imperatore meliorem, & a potissimis Gentilium Scriptoribus, Themistio, Libanio, Latino Pacato, Symmacho, Claudiano, supra omnes retro Principes commendatum, Zosimus quoque acerbius insectandum sibi proposuit: Posteaquam enim denegatos ab eo ad sacrificia, de publico sumtus scripsit, *extremo libro quarto*, hæc verba subiicere non veretur: Διὰ τοῦτό τε τοῦ δημοτελοῦς θεσμοῦ λήξαντος, καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τῆς πατρίου παραδόσεως ἦν, ἐν ἀμελείᾳ κειμένων, ἡ Ρομαίων ἐπικράτεια κατὰ μέρος ΕΛΑΤΤΩΘΕΙΣΑ βαρβάρων οἰκητήριον γέγονε. *Nihiloque minus ob hæc sacrorum lex abolita cessarit, aliaque neglecta iaceant, quæcunque a maioribus tradita fuerunt: deminutum particulatim romanum Imperium, barbarorum domicilium factum est.* Eundem consule & *lib. 5. cap. 38.* Certe hoc ipso tempore ampla admodum criminationibus, maledictis, obtrectatoribus huiuscemodi fenestra seu occasio præbita videtur, postea videl. quam Theodosius Anno proxime superiore 392. lege ad eundem Rufinum Præfectum prætorio emissa, cui hæc constitutio inscribitur, puta *lege 12. infr. de paganis* &c. gentilitio cultu omni, personis omnibus & locis, per vniuersum Orientem seuerissime interdixit. Vnde iam in Imperatorem eiusque tempora maledicta. Quod quidem atrox semper in Principes conuicium habitum, si qui tempora, si qui sæculum eorum incusarent, hac vel simili formula, *O tempora! o mores!* vti contra, Principes ipsi suorum *Temporum*, suique sæculi felicitate sese efferre gestiebant, quæque suis temporibus aliena essent, iisque labem afferre poterant, solemnibus formulis detestari solebant, quas collegit Brissonius. Quibus adde illud elegantissimum eiusdem Theodosii & Valentiniani apud Auctorem *collat. leg. Mosaic. tit. 5. §. 3. Non patiamur agreste illud ab priscis conditoribus robur, fracta molliter pube* (plebe) *tenuatum, conuicium sæculis vel conditorum irrogare, vel Principum.* Istud igitur Temporum Theodosii M. obtrectatorum genus fuit. Potuerunt & eius, vt aliorum quoque tempora culpari ob καχεξίαν Imperii. Multæ enim sub eo querelæ exortæ de oneribus Tributorum, de Potentiorum oppressione, de Militia corrupta, de Barbaris in militiam & ad dignitates subuectis: de eorum item qui potiore apud Principem loco erant, οἱ ἐν τιμῇ κατ' ἐξαίρετον ἦγοντο, veluti Rufini ipsius, cui hæc *lex* inscribitur, tyrannide, flagitiis, cædibus intentatis, etiam recenter anno superiore 392. de grauibus tandem muneribus ciuilibus & publicis, de quo in historica causa mox. Neque intra nudas res hæc querela stetit, verum post eam, iam maledicta & obtrectationes: Hic enim ad ea gradus esse solet: sicuti & post querimonias maledictaque, factiones iisdem de causis enascuntur, cuiusmodi hac ipsa tempestate plures fuere: de quibus dixi plene ad *l. 3. ad leg. Corn. de Sicar.* Et hæc de subiecta *huius leg.* materia.

Sequitur secundo loco ipsa legis *Dispositio*: vnde in summam apparet, non hanc Theodosii M. mentem esse, quasi promiscue in se suaue tempora iactata maledicta, seu conuitia multa, spreta voluerit & prætermissa: etsi id ex initio mediaque *huius l.* sententia multi colligant; etsi similia etiam innumera clementiæ Principalis hanc in partem exempla passim occurrant, apud Tacitum, Suetonium & cæteros deinceps Historiæ Augustæ Scriptores: eorum, inquam, Principum qui in se iactata verba impia & maledicta conuitiaque, cæteroquin periculosa, probrososque adeo sermones, ad cognitionem vocari noluere. Quem clementiæ campum nunc non ingredior. Quid igitur? Theodosius obtrectatorem seu Maledicum *pœna subiugari* a Iudicibus scil. vetuit, *neque durum aliquid nec asperum sustinere.* Sed *integris omnibus ad suam* Principis *scientiam referri* iubet, *vt ex personis, hominum dicta pensaret, & vtrum prætermitti, an exquiri* res *deberet*, ipse *censeret.* Vetat scil. Theodosius *h. l.* Iudices hac in re ad pœnam properare. Hæc, inquam, Theodosii mens est apertissima, non vt plenariam maledictorum indulgentiam seu veniam συγγνώμην tribuat, quasi nullam ad animum suum reuocaturus iniuriam, nullum conuicium aut maledictum, quod multi censent; verum vt Iudicibus μικροψύχοις καὶ σκαιοῖς, Principalis maiestatis vindicandæ obtentu, immodice sæpe sæuientibus, hanc freni adtemperiem adhiberet, vt eleganter alioquin alia in re loquitur Constantinus M. *l. 2. sup. tit. prox. de custod. reor.* Iudicum scil. multi in adulationem Principum versi, & ad captandam diligentiæ vel deuotionis laudem, nullo satis personarum discrimine, nulla maledicentis habita ratione, duri asperique, ad pœnam facile properabant, & *sub vno*, sic vt dicam *proloquio*, vt

hac

hac in re loquitur Ammianus Marcellinus *lib. 28. c. 1.* seu elogio, deposcere linguæ lubricum soliti, & Iudicum quisque, quo adulanti propior est, eo quoque sæuior & seuerior, durus atque asper hanc in partem esse solet. Quo omnino pertinet geminum illud, quod exstat in *l. 7. §. 3. D. ad leg. Iul. maiest. Quanquam enim* TEMERARII *digni pœna sint, tamen vt* INSANIS *illis* PARCENDVM *est:* quod & ideo Balsamon in *Nomocanonem Photii* huic legi nostræ subiecit *Tit. 9. cap. 36. pag. 1021. 1022. Bibl. Iur. Can. Hen. Iustell.* ὅτι ἐ χρὴ τὲς δικαςὰς ἀποκεχρῆσθαι τῇ βασιλικῇ τιμῇ, ἀλλὰ τὸ ἀληθὲς σκοπεῖν, καὶ εἰ δυνατὸν ἦν τὸ πρόσωπον ποιῆσαι, καὶ εἰ πρὸ τέτε ἐποίησασε, καὶ εἰ ἐνεθυμήθη, καὶ εἰ ἔνηφεν. καὶ ἔτε γὰρ εὐχερῶς ὁ φλύαρος ἐφείλει τιμωρεῖσθαι, εἰ μὴ τοιἔτό ἐςι τὸ ἁμάρτημα ὅπερ νόμος ῥητῶς εἰ ἐξ ὁμοίε τιμωρεῖται. *Hoc tamen crimen a Iudicibus non in occasionem ob Principalis Maiestatis venerationem habendum est, sed in veritate: Nam &* PERSONAM *spectandam esse, an potuerit facere, & an ante quid fecerit, & an* COGITAVERIT, *& an* SANÆ MENTIS *fuerit: nec* LVBRICVM LINGVÆ *ad pœnam facile trahendum est, si non tale sit delictum, quod vel ex scriptura legis descendit, vel ad exemplum legis vindicandum est.* Vbi vides etiam nonnulla quæ proxime accedunt ad rationem quæ hic additur, *Quoniam si id ex leuitate* &c. de qua ratione postea.

Ergo a Theodosio M. Iudicibus modus hic iniectus ne ad pœnam ilico & protinus properarent, verum quod tertium *huius l.* caput est, vt *integris omnibus ad scientiam suam referrent.* Quod quidem *Relationis*, & quidem hac in specie imperatæ & necessariæ, genus, aliis Relationum speciebus ad-
P. 45. dendum est: non quidem ob *iuris* dubietatem, quæ aliarum ferme Relationum causa est, de quibus *suo titulo de Relationibus*: verum eo fine, vt Princeps ipse de negotii merito integris omnibus cognoscat, & vtrum prætermitti, an vero exquiri id debeat, censeat, cuiusmodi Relationis ad Principem eadem in re sub Constantio Imperatore exemplum habes apud Am. Marcellinum *lib. 15. cap. 2.* & sub Valentiniano, *l. 28. c. 1.*

In hac autem Cognitione (quod Quartum *huius l.* caput est) Theodosius *formam* quam secuturus ipse sit, declarat, nempe, *se ex personis hominum dicta pensaturum*, & vtrum prætermitti, an exquiri debeat, censiturum, arbitraturum. Quod & ipsum alioquin Iudicibus inculcari modo vidimus in hoc ipso crimine, in *l. 7. §. 3. D. ad leg. Iul. maiestatis:* Egregioque exemplo illustrari solet Dionysii Senioris, quod memorat Plutarchus, *in Apophtegmatis.* Denique monitum hoc in praxi foroque & alias tenendum, & iam solemne euasit: *Ex personis hominum dicta pensari oportere*, ἐκ ποιότητος τἒ προσώπε, vt Græci, *ex qualitate personæ.* Et vero summæ moderationis hoc totum negotium est, & prudentiæ politicæ: nam prout persona est, ita maior hac parte licentia & facilior gratia esse debet, vti contra maior & acrior vindicta. Quo pertinet illud Dionysii exemplum. Quare iam omnibus his inspectis apparet, priora illa, quibus obtrectatores Principum pœnæ subiici vetantur, neque durum aut asperum aliquid sustinere, a posterioribus interpretationem expetere & accipere: atque adeo non impunitatem, aut indulgentiam promiscuam *hac leg.* promitti; verum Iudicum tantum respectu, quo ipsi videl. non ilico ad iudicium pœnamque properarent, verum integris omnibus ad Principem referrent: qui pro suo mox arbitrio statueret quid facto opus esset. Ac proinde etiam ratio & sententia illa elegans, *Quoniam si id ex leuitate* &c. non eo pertinet, quasi Theodosius rem hanc promiscue Iudices prætermittere aut dissimulare velit, cui certe illa *Referendi* seu Relationis necessitas, & quidem *integris omnibus* renititur; verum, vt vel ipsi Iudices, antequam ad Principem, *velut rem seriam*, vt loquitur Am. Marcellinus, referrent, pensitarent, vel etiam ad se remisso a Principe negotio, huc potius, ad contemptum, inquam, miserationem, & veniam seu indulgentiam, (nam hæc tria hic proponuntur totidem maledictorum fontibus) inclinarent, idque præ oculis seu pro cynosura haberent, vel, vt suum ipse Theodosius ea sententia humanissima characterem, φύσιν & indolem suam exhiberet, indulgentiæque & veniæ spem ferme faceret. Atque ita postrema prioribus optime cohærent, ne dissidere alioquin cui videantur. Quo enim alioquin *referendi ad Principem necessitas?* quo Principis arbitrium ex personis hominum, dicta pensantis, censentisque, vtrum scil. res prætermitti, vel exquiri debeat? si ab omni pœna, metu omni maledicta ista vacua & immunia Theodosius M. esse, impunitaque adeo ἁμαρτήματα καὶ ἀδικήματα voluisset.

Neque contra admittendum adeo videtur Marquardi Freheri viri alioquin docti iudicium *lib. II. παρεργ. cap. 9.* si Theodosium M. spectes, qui censet, hanc ipsam constitutionem, quantamcunque præ se ferat lenitatem, implicite tamen seuerius iudicium continere, cum ad scientiam suam Theodosius referri iubeat, illaque mox addat, quæ *fine l.* subiiciuntur. Id enim à Theodosii moribus indoleque alienum prorsus est, cuius characterem *supra* expressimus. Quanquam si Rufini P. P. cui hæc *lex* inscribitur, cuiq; hoc tempore rerum summa commissa erat in Oriente ingenium spectemus, id haud disconueniat: Nota esse possunt quæ de eo Claudianus scribit *lib. 1. in Rufin. v. 98. sqq.*

Et didicit simulare fidem, sensusque minaces
Protegere, & blando fraudem prætexere risu
Plenus seuitiæ.

Item *lib. 1. v. 181.*

Ingeminat crimen, commoti pectoris ignem
Nutrit, & exiguum stimulando vulnus acerbat.

Mox *v. 238.*

- - - *Causis fallacibus instat:*
Arguit attonitos se Iudice. - -

Tandem *v. 244.*

Effugeret ne quis gladios, nen perderet vllum
Augusto miserante nefas, non flectitur annis,
Non ætate labat: Iuuenum &c.

Idemque Claudianus aperte Rufinum hunc *legum venditorem* vocat: vnde & Alciati Sententia fuit, *Legem 8. hoc Codice, & 41. Cod. Iustin. tit. de Transactionibus* atrocitate pœnarum famosam, ab hoc ipso Rufino extortam: vt cæteroquin eorum, qui apud Imperatores παραδυναςεύοντες erant, arbitrio sæpe Leges fixæ, & *refixæ*: quod de Eutropio plene ostendi ad *l. 3. infr. ad Leg. Cornel. de Sicar.* & quidem cum enixiore sæpe clementiæ ostentatione, vt *ibidem* quoque ostendi: vt proinde tum valeat illud: *Nullam esse crudeliorem Sententiam ea, quæ est, cum parcere videtur, asperior*; Et vt ille ait, *quanto mollior, tanto vehementius mordet.* Quidquid huius sit, nunquam satis deprædicari possunt Principes, si ea lenitate & clementia quæ hic proponitur, bona fide agant, Iudicesque suos ea moderatione agere velint. Atque hæc de *huius leg.* sententia sufficiant.

Perspecta ea, sequitur nunc in *historiam* seu historicam eius causam inquiramus. Sunt igitur, & in his Balduinus *de legibus Constantini lib. 2. pag. 227. edit. Halens.* qui hanc ipsam Theodosii M. indulgentiam putant, qua suam Antiochenis iniuriam, ob deiectas videl. ob noui tributi indictionem, statuas, probrosaque in se dicta, donauit, post varias eo nomine ad eum legationes: Libanio vltimum à Curia Antiochena misso, & Flauiano Episcopo Antiocheno, cuius vtriusque *Orationes* ea de re extant: illius nempe duæ, (quas etiam Zosimus memorat *lib. 4. cap. 41.*) Oratio 12. περὶ τῆς ςάσεως *pag. 389. edit. Morell.* & orat. 13. ad Theodosium post conciliationem cum Antiochenis ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς

γεῦς pag. 406. edit. cit. huius vero orationem refert Chrysost. *Orat. ad populum hortatoria 20. edit. Sauil.* seu *21. edit. Benedict. Tom. II. Oper. pag.* 213. & 217. *num.* 3. Cuius alioquin rei historiam exequuntur Zosimus *lib. 4. cap. 41.* Theodoretus *lib. 5. cap. 19.* Sozomenus *lib. 7. cap. 23.* Meminit & Ambrosius *fine epistolæ 29.* Eo pertinent Chrysostomi ἀνδριάντες quas vocant, siue *de Statuis Homiliæ 21. Tom. VI. Sauilian. Tom. II. Benedictin.* & duæ illæ Libanii *Orationes.* Ex quibus duabus Libanii *Orationibus* liquet, Libanium ipsum huiusce tumultus tempore Antiochiæ constitisse, mox apud Theodosium pro Antiochenis legatione functum, quod etiam Zosimus prodidit, quem tamen Baronio *Annal. an. 388. Tom. IV.* cum has Libanii *Orationes* non vidisset, mendacii arguere visum est.

Sane de motu isto Antiocheno, in quem videlicet annum is conueniat, nondum res confecta est inter Scriptores. Baronius *ad an. cit.* asserit, Ambrosium aperte *Epist. 28.* [29.] id referre in tempus prioris in Maximum Tyrannum expeditionis, additque eo tempore etiam scriptam illam ab Ambrosio epistolam, quod postremum erroneum plane est: Nam imo scriptam eam epistolam A. D. 393. docet *lex 9. infr. de Iudæis*, quam sane *legem* ea epistola Ambrosius exagitat. Obscuritatem auget veterum Scriptorum varietas. Zosimus enim inter alia, quæ tempori expeditionis in Maximum Tyrannum congruunt, etiam hunc tumultum Antiochenum memorat. At Theodoretus & Sozomenus sub tempus
P. 46 posterioris Theodosii in Italiam aduersus Eugenium id ῥητῶς referunt: quod postremum verius cui videri possit, referendum videl. tumultum illum ad Annum 393. Atque adeo hanc quoque *leg.* seu indulgentiam Theodosii eo pertinere. Cuius rei argumenta hæc colligat quis. *Primo* Theodoretus, tumultum illum obortum memorat, post latam *legem 13. infr. de pœnis:* Atquin ea lata fuit, quod *ad eam* ostendam pluribus, An. D. 390. *Secundo*, argumentum quoque *legis* concinit: nempe maledicta in Principem in tumultu illo Antiocheno varia & petulantia, congesta memorant Scriptores: Libanius scil. nominatim *Orat. 13. pag. 407. edit. Morell.* Κατέχεαν μὲν τῶν ἑαυτῶν κεφαλῶν ὕβρεις. οὕτω γὰρ ἄμεινον εἰπεῖν. ἃς οὐδὲ ἐν καπηλείῳ τῶν τις ἀγοραίων ἐφ᾽ ἕτερον τῶν ἴσων. *In capita sua crapulam & contumelias effuderunt, (sic enim loqui præstat) cuiusmodi ne in caupona quidem vllus e triuio in alium parem effudisset:* & *pag. 408.* βλασφημίας, *conuitia*, tandem *pag. 413.* ῥήματα, *verba contumeliosa.* Sozomenus *lib. 7. cap. 23.* ὑβριστικὰς φωνὰς, *verba contumeliosa*, ut & Zosimus pro more ciuitatis in Theodosium voces cum dicacitate coniunctas, iactatas fuisse tradit, *lib. 4. cap. 41.* φωνὰς ἀφῆκαν, τῶν μὲν πραττομένων οὐκ ἀναξίας, οὐκ ἔξω μέντοι σωμυλίας, καὶ τῆς συνήθους αὐτοῖς ἀστειότητος. *Voces iactarunt, non illas quidem iis indignas, quæ gerebantur, sed cum dicacitate tamen, & ipsis familiari vrbanitate coniunctas. Tertio, hac leg.* Theodosius Iudicibus extra plantam, vt dicitur, euagantibus, & in maledicos promiscue acerbitatem exercentibus, frenos imposuit: quod eius verba aperte arguunt, ibi: *eum pœnæ nolumus subiugari, neque durum aliquid, nec asperum sustinere.* Atquin Libanius *Oration 12. pag. 397. edit. Morell.* narrat; τὸν ἄρχοντα τῶν ἐθνῶν, id est, vt quidem accipio, *Comitem Orientis*, post hunc tumultum aliquam multos supplicio affecisse, aliis alios accusantibus, nulla etiam ætatis, aut personarum habita ratione; ἔσωζε δὲ οὐδὲ τοὺς κωμιδῇ παῖδας τοῦτ᾽ αὐτὸ. ἀλλ᾽ ἦν αὐτοῖς ἀνωφελὴς, ὡς ἐν τηλικούτοις, ὁ τῶν ἐτῶν ἀριθμός: *ac ne pueros quidem paruulos hæc ærumna seruauit: quin plane inutilis in tantis casibus annorum numerus fuit.* Et quæ sequuntur. (a) Qui Libanii locus *quarto loco* etiam illis *huius l.* verbis congruere videatur, *Vt ex* PERSONIS *hominum dicta pensemus*, &c. Nempe in iuuenes ferme omnem huius tumultus inuidiam retulit idem Libanius.

Quinto quas clementiæ suæ & indulgentiæ rationes Theodosius *h. l.* obtendit, eæ ipsæ sunt, quas Legati Antiocheni, Libanius & Flauianus, ad commouendum ad indulgentiam Antiochenis tribuendam Principem, ei ingesserunt; ac nominatim Libanii *orat. 12.* περὶ τῆς στάσεως, *pag. 390. edit. Morell.* quæ illius *huius legis* verbis respondent, *Si ex insania miseratione dignissimum:* καὶ ὡς μὲν οὐ δεινὰ τὰ περὶ τὰς ὑμετέρας εἰκόνας, τίς ἀντείποι. τίς δ᾽ οὐκ ἂν σκοτεινὴν ἐκείνην προσείποι τὴν ἡμέραν. ἦν δὲ ὦ βασιλεῦ μαινομένης πόλεως. τὸ δ᾽ ἐκβάλλειν τοῦ φρονεῖν ἦν τι ἰσχυρότερον· ὥστε εἰ καὶ συγχωρῆσαι δεῖ τῆς πόλεως ἁπάσης εἶναι τὸ ἀδίκημα, τὴν ἀπολογίαν ἐκ τοῦ κινοῦντος ἔχει. ἃ γὰρ οὐκ ἂν ἔδρασε φρονοῦσα. ταῦτα ἐτόλμα παραφρονοῦσα· τὸν δὲ τοῦτο πεπονθότα ἄνθρωπον, οὐ κολάζειν νόμος, ἀλλ᾽ ἐλεεῖν καὶ πειρᾶσθαι τέχνῃ τῇ τῶν ἰατρῶν ἐπανορθοῦν· οὐδεὶς δὲ τύπτει τὸν μαινόμενον, οὐδὲ ἔγκλημα νόσου ποιούμενος, τὴν νόσον κατηγορεῖ· νοσοῦσι καὶ πόλεις, βασιλεῦ. τὰ δὲ νοσήματα τούτων ταραχαὶ, θόρυβος. ὀργῆς ἡττηθῆναι, τὰ τῶν ἡττημένων ἁμαρτεῖν. *Ecquisnam inficiaretur, quæ circa imagines vestras commissa sunt, esse grauissima? Ecquis vero non tenebrosum diem illum nominauerit? Fuit sane, Imperator, ciuitatis insanientis opus: vbi potentius erat, quod mentes a recto statu suo dimouebat. Quocirca etiam si totius ciuitatis facinus concedendum sit, ea tamen causæ defensionem, ex eo, qui impellebat, habet. Nam, quod prudens non egisset, ea desipiens ausa est, atqui lege non punitur cui hoc vsu venit quin mos est illius misereri, & medicorum arte tentare ei mederi. Sed furentem nemo percutit, neque crimine morbi obiecto morbum accusat. Iam vero vrbes etiam, Imperator, morbo laborant; atque earum morbi sunt turba, tumultus, ab ira superari, ea quæ propria sunt ita æstuantum peccata committere.* Neque dubium, exoratum tandem magna vi Theodosium, tum a Gentilibus, tum a Christianis. Nam istud verissimum puto, etsi neque Christiani Scriptores Libanii meminerint, neque Zosimus Flauiani: hanc pacati a se Principis gloriam vtrisque sibi vindicantibus. At quod Balduinus primum *Comm. ad leges Maiest.* putauit consilio Ambrosii Episc. Mediolanensis hanc constitutionem a Theodosio promulgatam erroneum plane est. Eorum igitur, quos dixi legatorum dictata & suggesta, pro clementia & ciuilitate in hanc *leg.* suam & indulgentiam, in paucissima verba contracta, in suam sententiam transfuderit Theodosius. *Quoniam*, inquit, *Si ex lenitate processerit, contemnendum est; Si ex insania, miseratione dignissimum; Si ab iniuria, remittendum.*

Sexto,

(a) Hanc LIBANII narrationem confirmant ea, quæ habentur apud CHRYSOSTOMVM *Homil. III. ad popul. Antioch. pag. 45. Tom. II. Oper. Edit Benedict.* Καὶ οἱ μὲν σιδήρῳ, οἱ δὲ πυρὶ, οἱ δὲ θηρίοις παραδοθέντες ἀπώλοντο, οὐκ ἄνδρες δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ παῖδες, καὶ οὐ τὸ τῆς ἡλικίας ἄωρον, οὐχ ἡ τοῦ δήμου ῥύμη, οὐ τὸ μανίᾳ δαιμόνων ἐμπλησθέντας ταῦτα ποιῆσαι. *Nam hi quidem ferro, illi vero igni, quidam autem bestiis traditi perierunt: non viri tantum, sed & pueri: nec ætatis immaturitas, nec populi tumultus, nec quod furore diabolico perciti quidam hæc fecerint*, &c. Et mox: Καὶ παρηκολούθουν μητέρες πόρρωθεν μὲν ὁρῶσαι τοὺς παῖδας ἀποτεμνομένους, ὀδύρεσθαι δὲ τὴν συμφορὰν οὐ τολμῶσαι. Ἐνίκα γὰρ τὸ πάθος ὁ φόβος, καὶ τῆς φύσεως ἐκράτει τὸ δέος. *Et sequebantur matres, procul quidem filios conspicientes abstractos, calamitatem autem conqueri non audentes. Affectum enim vincebat formido & naturam superabat metus.* Vide etiam THEODORETVM *lib. 5. cap. 19.* & eiusdem Chrysostom. *Homil. XIII. num. 1. pag. 133. 134. ed cit.* quo loco scribit; plurimos in cœlum respicientes Deum orasse, vt fortitudinem & tolerantiam daret flagellandis, ne necessariorum salus proderetur, per aliorum, acrem verborum dolorem ferre non valentium, infirmitatem. Adde *num. 2. p. 135.*

Sextos ipsa vel maxime legis sanctio hanc coniecturam firmare videatur, cum referri ad se de maledictis, seu ad scientiam suam integris omnibus iubet. Nam & Chrysostomus *homilia 17. ad populum Antioch. num. 2. pag. 174. Tom. II. edit. Benedict.* refert, cum iam Antiochenis vltima calamitas immineret, eos à Iudicibus & Cognitoribus seu quæsitoribus, (puta Cæsario & Ellebicho, in id missis) in spem erectos, posteaquam per Monachos & Sacerdotes ab his impetrassent, vt *Relatio ad Principem* mitteretur, quo nomine etiam gratiæ Deo dietim actæ; Quo spectant quamplures Chrysostomi homiliæ; & hæc omnia tempore quadragesimali, Flauiano eo nomine etiam ad Theodosium profecto, exindeque cum bona fiducia ante Pascha reuerso. Quin etiam Libanius *Orat. ad Theodosium*, post conciliationem cum Antiochenis *pag. 407. edit. Morell.* excite accepto nuncio huius tumultus, inquisitionem tantum à Theodosio in id missis datam scribit, seruata sibi de eo cognoscendi potestate. Ἐπὶ δὲ τὴν ἐνίων κρίσιν, πέμπει μὲν οἷς συνῄδει δικαιοσύνην. ἐλέγχου δὲ ποιήσας κυρίους, ὡς αὐτῷ τὸ λοιπὸν ἐφύλαξεν, ὅπως ὁπόσον ἀφήσει ἅπασιν, εἴη καταφανές. *Ad iudicium vero de quibusdam statuendum mittit eos, quorum iustitiæ conscius & certus erat: illis autem inquirendi & arguendi potestate concessa, sibi reliquum ius & arbitrium conseruauit, vt quantum omnibus condonaret, perspicuum foret.* Theodoretus quoque *lib. 5. cap. 19.* exerte prodit, post ea quæ narrat de Macedonio Monacho, *Quæsitores* ad Principem retulisse, atque ita restinctam Theodosii flammam & iram: Ταῦτα ἀκούσαντες οἱ θαυμαστοὶ ἄνδρες ἐκεῖνοι, διεπόρθμευσαν τὰ εἰρημένα τῷ βασιλεῖ· καὶ τὴν τοῦ θυμοῦ κατέσβεσαν φλόγα, καὶ ἀντὶ τῶν ἀπειλῶν ἐκείνων ἀπολογίαν ἔγραψε, καὶ τῆς ὀργῆς τὴν αἰτίαν ἐδήλωσεν. *Hæc egregii illi viri cum audiuissent, ad Imperatorem singula retulerunt, & iræ flammam exstinxerunt, ita vt pro minis apologiam scriberet, iræque causam exponeret.* Addit in ea defensione Theodosium inseruisse, *se acerbe tulisse, & animi valde discruciatum, cum intellexisset, quosdam a Magistratibus trucidatos fuisse:* προσέθεικε δὲ ὡς ἀλύει, καὶ ἀνιᾶται, τινὰς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἀνῃρῆσθαι μαθών. Et vero & hoc *huic l.* apprime conuenit. Diserte enim Theodosius; *Eum pœnæ*, inquit, *nolumus subiugari, neque durum aliquid nec asperum sustinere: vnde* INTEGRIS *omnibus ad scientiam nostram referatur.* Igitur tandem hæc illa Apologia videri possit: hæc illa indulgentia, quam vt plenis velis commendat Libanius, in illa ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς *pag. 416. edit. Morell.* ita eius sententiam exprimit: Καὶ νῦν τοίνυν ἐβόων, ὅτι ταῦτα βασιλεὺς εἴσεται μὲν οὕτως ἀκριβῶς, ὡς μηδὲ εἶναι πλέον τοῖς αὐτόπταις γεγενημένοις ἡμῖν. αὐχένα δὲ οὐδένα ὑποθήσει σιδήρῳ. καὶ εἵπετο δὴ τούτοις ἐξέτασις πονηρῶν ἔργων (δεῖ γὰρ τόγε ἀληθὲς ὁμολογεῖν) καὶ δικασαὶ τοῦτ' ὄντες, ὃ δὴ καὶ κέκληντο, καὶ ΓΡΑΜΜΑΤΩΝ. λύσιν ἔχοντα τῶν προτέρων: ἐν οἷς ἔνεστιν ὁρᾶν λάμπουσαν τῷ βασιλεῖ τὴν φύσιν· ὅταν ἀπολογῆται μὲν ἐκ τοῖς τῶν ἠδικηκότων κακίας· φάσκῃ δὲ αὐτοῦ τὴν ὀργὴν ἀλλοτρίαν τε εἶναι, καὶ διὰ τοῦτο ταχέως μεταπηδᾶν ἐπὶ τὰ πρᾳότερα, καὶ τούτου πλείω λόγον ἔχειν, ἢ τοῦ τιμωρίαν λαμβάνειν. Χρηστὸς δὲ ὢν καὶ φιλόδωρος χαρίζεται καὶ τῷ μεγάλῳ συνεδρίῳ, καὶ τῷ μεγάλῳ δήμῳ, τὸ καὶ ταῖς ἐκείνων ἱκεσίαις πεπρᾶχθαι τι τῶν ἐπιεικεστέρων. *Igitur nunc etiam enunciabam hæc Imperatorem effecturum, adeo accurate, ut nihil amplius fuerit nobis oculatis testibus effectis: proinde nullam ceruicem securi percussurum: his porro consequens erat examen improborum actorum (verum enim plane fatendum est) cum iudices essent, & hoc nomine digni, & literarum priorum solutione promulgata: in quibus illustrem, quæ in Rege insiti, naturam & indolem videre licet; cum causam agit suam ex eorum qui iniurii fuerant malitia: atque iram suam quasi alienam esse ait, ideoque extemplo ad mitiora transire: cuius rei maiorem habebat rationem, quam vltionis sumendæ. Porro cum lenis, benignus ac munificus sit, magno consessui magnoque populo gratificatur, vt illorum etiam supplicationibus moderatius atque æquius aliquid actum fuerit.* Vbi quod sub finem adiicit, de indulgentia Theodosii erga μέγα συνέδριον, id est, Curiam Antiochenam, hanc ipsam pariter coniecturam octauo loco iuuare videatur. Intelligere enim videtur *legem 137. infr. de Decurionib.* quæ *huic legi* coniungenda, velut eiusdem constitutionis pars est: Aperte enim ea *lex* ad vtilitatem Curiæ Antiochenæ pertinet, abrogata quamlibet *leg. 51. eod. tit.* qua alioquin velut singularis in Curiam Antiochenam beneuolentiæ argumento Iulianus Imp. se iactabat, de quo *ad eam leg.* Tandem & subscriptio *huius leg.* in id facere videatur; dicitur enim ea data *Constantinopoli*, vbi sane Libanius & Flauianus Theodosium adiere. Quare historia ista aptari non posse videatur Anno Domini 387. 388. Certe tribui non potest anno 388. quo vtique Theodosius Constantinopoli non consistebat.

Et hæc quidem ita pro ea sententia dicta sint: At enim hanc *leg.* non eo pertinere censeo. Tumultus enim ille Antiochenus ortus est A. D. 387. ante Se-
ptennium ferme, vt sequentia ostendunt. Nempe P.47.
enim primo loco Libanius diserte testatur *Orat. in Ellebichum p. 526. edit. Morell* (quod etiam Valesius *in Marcellinum lib. 26. cap. 3.* recte indicauit) factum id decennalibus Theodosii, & quinquennalibus Arcadii. Atqui hoc Anno 387. ea celebrata, testes sunt Marcellinus & Idacius: Sed & diserte tumultum illum accidisse A. D. 387 non 388. non 393. ex variis circumstantiis a Libanio & Chrysostomo notatis discimus. I. Eo scil. tempore Theodosium indicant non Antiochiæ, verum Constantinopoli constitisse: quod etiam Libanius indicat *orat. ad Theodosium 12. in pr. pag. 389. edit. Morell.* ad *Cæsarium, 20. pag. 519.* Orat. *ad Ellebichum 21. p. 535.* & Chrysostomus *orat. ad popul. Antioch. 3. p. 41, 49. tomo. 1. Paris. Tom II. edit. Benedict. num. 1. pag. 35. num. 3. pag. 39 num. 6. p. 45.* & *Orat. 6. Tom. II. Benedict. num. 2. pag. 75.* & *Orat. 20. edit. Paris. pag. 225. 234.* seu *orat. 21. edit. Benedict. num. 1. pag. 214. num. 2. pag. 216. num. 4. pag. 223.* Atqui ibi tum eum constitisse docent variæ *leges*. II. Item post Barbaros (Grothingos videl.) deuictos, quod factum A. D. 386. testis Chrysostomus *homilia 6. ad populum, num. 3. edit. Benedict. pag. 76.* & Libanius ad Theodosium *orat. 12. p. 392.* & *404. in f.* III. Post Placillæ iam obitum, idem Chrysostomus testis *homilia 20. ad popul. edit. Paris.* siu. *21. ed. Benedict. num. 2. pag. 217.* & Theodoretus *lib. 5. cap. 19.* IV. Cum vnus tantum eo tempore Theodosii filius Arcadius, Augustus esset, Libanius *Orat. 13. p. 418.* Et sic nihil tumultus ille ad *hanc leg.* facit: cui Honorii quoque Augusti nomen inscribitur: ergo ante A. 393. cuius anni mense Ianuario Honorius alter filius Augustus factus est. V. Tumultum hunc obortum eo tempore quo sese Theodosius aduersus Maximum Tyrannum apparabat, testatur Chrysost. *d. homilia 20. p. 234. edit. Par.* siu. *orat. 21. num. 4. pag. 223. edit. Benedict.* cui concinit & series *narrationis* Zosimi. VI. Hyberno tempore ante Quadragesimam & Pascha, testis Chrysostomus *Homil. 3. ad popul. num. 1. pag. 35. 36.* (& confirmat ideo *Homilia* etiam 2. quæ ante *3. homil.* est habita, septem post cœptam seditionem, diebus, vt ait St. Pater, *num. 1. p. 20.* adde *n. 3. p. 24.*) & *Homil. 4. num. 6. pag. 58. edit. Benedict.* & *orat. 20. pag. 228. edit. Paris. Morell.* seu *orat. 21. num. 1. pag. 214. edit. Benedictin.* quas habuit in Quadragesima. VII. Missus in hoc negotio Antiochia a

Theodosio Cæsarius Magister officiorum (cui alioquin inscribitur A. 389. vel 386. *lex 49. de cursu publ.*) Theodoretus *lib. 5. c. 19.* Chrysostomus *ἀνδριάντων 17. p. 574. Parif. edit. pag. 170. edit. Ben. in orat. titulo.* Ad quem eundem Cæsarium Magistrum super hac ipsa re extat Libanii *orat. 20. pag. 515. ed. Morell.* vt & Ellebichus Magister militum, vt testatur Chrysost. *cit. orat. 17. edit. Benedict. in orat. titul.* Theodoretus *lib. 5. cap. 19.* Oratio Libanii 21. *ad hunc Ellebichum pag. 525. ed. Morell,* qui sane Magister militum erat iam Anno D. 383. vt docet *lex 1. de calumniatoribus.* Eodemque pertinere existimo eiusdem Libanii *ep. 764.* Tandem etiam ante Pascha indulgentia huius criminis missa a Theodosio teste Chrysostomo *homil. 20. ad popul. p. 229. ed. Parif. Morell.* siu. *orat. 21. num. 1. pag. 214. edit. Benedict.* de qua indulgentia Ambrosius quoque *ep. ad ipsum Theodosium 29. in f.* (a) Atquin hæc *lex* lata est mense Augusto. Addo quod hæc *lex Rufino P.P.* inscribitur, cuius nullæ partes in hoc tumultu compescendo, vel indulgentia tribuenda fuisse leguntur. Ergo non pertinet hæc lex, quæ data est tam multo post A. D. 393. ad tumultum illum Antiochenum.

Altera coniectura est, eorum qui putant hanc constitutionem pertinere ad id quod Sozomenus narrat, *lib. 7. cap. 25.* de Illustris dignitatis Viro quodam, qui Gratianum conuitiis prosciderat, capitis damnato, mox & ab eodem Gratiano Ambrosii interuentu liberato. Quæ quidem sententia aliquando fuit eiusdem Balduini *ad leges Maiestatis*, & probauit Lindebrogius. Pessime: est enim hæc *lex* non Gratiani, qui iam diu etiam obierat, sed Theodosii M. Quid igitur? Etsi multa habeat hæc *lex* congruentia cum Theodosii facto & indulgentia Antiochena, attamen alia historica causa quærenda est. Et quidem quantum ipsemet existimo non iam a tumultu aliquo populari, & indulgentia generali: verum ex priuata obtrectatione Curialium: argumento *l. 137. inf. de Decurion.* quæ cum *hac l.* coassanda est. Qui vt alias, quod docet vel *lex. 21. d. tit.* ita & sub Theodosio Imp. grauiter questi de grauibus Curiæ muneribus: sic vt querimoniæ illæ etiam in maledicta & obtrectationes erumperent. Certe ex quinquaginta Theodosii M. constitutionibus, quæ occurrunt infra *titulo de Decurionibus* apparet, quam grauis Curialium & Curiæ debitorum ratio, nexusque tum fuerit, quod & ipsum discimus ex Libanio. E quo constitutionum etiam numero sex occurrunt, quæ ad hunc ipsum *Rufinum P.P.* datæ sunt, puta *lex 129. 134. 135. 136. 137. 139.* Discimus & ex iisdem constitutionibus quam *Iudices tunc temporis graues & asperi* fuerint in Curiales, quos & ideo coërceri subinde oportuit: quomodo & *h. l.* coërcentur, ne maiestatis crimen in occasionem haberent, obtentu principalis maiestatis & venerationis, & quidem *in pœnis* his imponendis: vti contra plenum ius iis tributum, in Curialibus, qui sese Curiæ subtraxerant, ad Curiam reuocandis: quo pertinet inter alias ea ipsa *lex 137. quæ huic nostræ coniungenda est*, ceu eiusdem constitutionis pars.

Hæc igitur maledictorum in *sp. huius leg.* causa esse potuit, vel alia certe similis, veluti ea quam *supra* memorauimus a Gentilium, seu Paganorum odio, siue ob Imperii tum κακεξίαν multiplicem, quam superius exhibui. Quibus addendi & varii tum animorum motus & tumultus oborti, cuiusmodi fuit ille *inter epulas*, & sic inter temulentos, hoc ipso Anno 393. enatus, Rufino tum summam rerum administrante, inter Barbaros Priulphum & Frauittam, de quo Zosimus *lib. 4. cap. 56.* vel etiam Tatiani P.P. & Proculi filii eius occasione, qui Rufino PP. inimico ceciderant *Zosim. lib. cit. cap. 52.* Siue cædis & proscriptionis eorum, de quo alioquin vid. *Chronol. nostram Theod.* A. 392. 393. & *tit. infr. de bonis proscriptorum:* siue cædium & proscriptionum ab eodem Tatiano factarum, de quibus *l. 13. infr. de bon. proscript.* sic vt videri possit, cum sub Tatiano ob maledicta vel lubricum aliquod linguæ aliqui cecidissent, forte etiam Curiales, bonaque eorum proscripta fuissent, huic rei *h. l.* Rufino instante, modum deinceps impositum: vel etiam Senatores, qui questi de oneribus sibi a Tatiano impositis, Principe Theodosio tum nequicquam vetante quæ mox rescissa arg. *leg. 131. infr. de Decurionib.* & *l. 1. sup. de prædiis Senatorum.*

Tandem etiam arg. *d. l. 137. infr. de decurionib.* quæ *huic* coniungenda est, colligat quis, casum *huius l.* ad Antiochiam pertinere, iuncta etiam *d. l. 131.*

Superest, ad verborum quorundam, quæ *hac l.* occurrunt Interpretationem accedamus: quod & ipsum ad *legis* intellectum faciet, & ad castigandos varios errores ad hanc *leg.* admissos.

Ait lex *improbo petulantique maledicto.* Vbi *petulans* dicitur non leuis iniuriæ respectu: quomodo Arnobius *lib. 4. aduersus Gentes pag. 151. edit. Lugd. B. apud I. Maire 1651. 4. Ac ne vestras aures conuitio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis iniuriis:* verum effuso per petulantiam & signate quidem in Maiestatis crimine. Ammianus Marcellinus in eodem argumento versans, *lib. 15. cap. 3.* vbi dixit, *licenter Imperium præsens vt molestissimum incusabant:* subiicit, *Excruciati tormentis, & confessi vi quæstionis, inter epulas* PETVLANTER *se quædam locutos.*

Ait lex, *Nomina nostra*: vbi tentat Lindebrogius *ad h. leg. p. 354. Tom. IV. Thes. Jur. Nomina nostra,* quomodo sæpe alioquin locuti Imperatores: verum nihil hic immutandum: nam ita constanter MSS. habent, & *Codex Iustinianeus.* Sic quoque *l. 1. inf. de conductorib. & homin. dom. Aug. Ne sacro Nomini nostræ*

(a) Viderat iam in *Chronologia* Noster ad an. 387. pertinere seditionem Antiochenam, cuius argumenta postea a CL. PAGIO, *in Crit. ad Annal. Baron. an.* 388 magis corroborata sunt, vti vides in *eadem Chronolog.* CL. TILLEMONTIVS etiam *in not. 27. ad Vitam Theodos.* erudite probauit, Antiochenos seditionem mouisse ante bellum, quod cum Maximo fuit Theodosio. Alia addidit tandem argumenta CL. BERNARD DE MONTFAVCON *in Præfat. ad XXI. homil. Chrysostom. ad popul. Antiochen. Tom. II. Oper.* quæ hic sibi locum vindicant. „Missa, inquit, Sozomeni & Theodoreti narratione, ex quibus post bellum contra Maximum hæ seditio & conciones, „secundum illam habitæ statuendæ essent, ex notis temporis longe certioribus, ante bellum contra Maximum „hæc accidisse, iam probarunt viri docti, & pluribus asseruit Tillemontius in not. 27. ad Vitam Theo„dosii Imperatoris. Validissimum porro aduersus priorem illam sententiam eruitur argumentum ex ipsis Chry„sostomi verbis, qui homilia XVI. numero 2. testificatur, hunc annum secundum esse, ex quo concionari cœperat: „cœpit autem, cum primum Presbyter ordinatus fuit anno vertente 385. vel ineunte 386. Quamobrem vel in an„num 388. hæ conciones conferendæ sunt, aut potius in 387. Pro priore sententia stat Baronius, & post eum Peta„uius & Henricus Valesius, qui ideo in annum 388 eas coniiciunt, quia illo anno incipiebat decimus imperii „Theodosii, ad cuius celebritatem inductum fuit tributum memoratum: quod autem ex Libanio affertur ad illam „tuendam sententiam, intricatum omnino est, & ad vtramuis sententiam potest detorqueri. Certiorem porro „his omnibus notam eruimus ex eo, quod Theodosius Imperator certissime Constantinopoli esset per hiemem & „quadragesimam anni 387. quo etiam anno seditionem contigisse oportet: nam tempore seditionis etiam Con„stantinopoli certissime degebat; contra autem anno sequenti hac ipsa tempestate Thessalonicæ Imperator ver„sabatur. Quod vero contra affertur ex celebratione anni decimi Theodosii, qui anno 388. incipiebat, illud, in„quam, nihili est: cum certum sit ex Fastis Idatii & Marcellini, ipsum anni decimi Imperii sui celebritatem vno „anno præuenisse, vt cum filio suo Arcadio, qui annum quintum imperii in 387. inibat, una decimum celebraret, „quemadmodum & Maximianus Herculius, cum annum decimum octauum tantum Imperii ageret, vna cum Dio„cletiano, qui vigesimum agebat, vigesimum celebrauit.„ Hæc coniuncta cum obseruatis CL. PAGII, omnem remouere dubitationem poterunt. Potuisset etiam GOTHOFREDVS tuto negligere, Cæsarium Magistr. Offic. & Ellebichum Mag. Mil. ex quorum legatione Antiochiam nihil certi desinire possumus.

P. 48. *nostræ pietatis oriatur inuidia.* Et *l. 2. sup. de testam.* quæ & ipsa est Theodosii M. *Testamenti vero scripturam legitimam vel nuncupationem, quæ in Nomen nostrum forte processerit, iure capiemus.* Nomen Principis; pro ipso Principe: Ita Amm. Marcellinus *lib. 28. cap. 1. Cum magnis clamoribus appellaret Nomina Principum.* Et cæteroquin *nomen* pro re ipsa apud Latinos & Græcos. vid. Canterum 2. *Nouarum 10. inf.* & Scaligerum *in Catalect.*

Ait lex, *lacessenda*: In qua voce nihil aliud quærendum est mysterii; *lacessere* maledicto, nil aliud est, quam appetere, insectari, suggillare.

Ait lex, *temulentia*: Temulentia hic non est tantum, vt hactenus omnes interpretantur (etiam ii qui hanc *legem* diligentius retractarunt) ebrietas, cuius occasione ad hanc *legem* nugas agunt, multaque de *ebrietate* hic deblaterant Interpretes, & aliud omnino quam quod oportet agunt: Verum præceps mens & stoliditas omnis παροινία. Quomodo Libanius *ep. 632.* ad Hesychium, de Templis excisis, ὕβρει καὶ παροινίᾳ διέπεσε τὸ ἱερόν. Eodemque sensu passim Græci μεθύειν, μεθύσκειν & μέθυσον efferunt metaphorice de prauis affectibus, quibus non minus atque temeto mens commouetur & turbatur. Neque minus Latini, *Ebrii* vocem eodem sensu vsurpant. Sic & Chrysostomus *homilia 6. ad Philipp. p. 1245. edit. Commelin.* de auaritia Iudæ: οὕτως ἐμέθυε τῷ πάθει, *ita illum morbus iste ebrium reddiderat.* Et mox, ἀλλ' οὕτως τὶς ὑπὸ τῆς μέθης παραπλὴξ γίνεται ὡς ὑπὸ φιλαργυρίας: *non proinde quis ex ebrietate demens redditur atque ex auaritia. Temulentus* est emotæ mentis quilibet: siue id ex animi leuitate fiat, siue ex insania & animi desperatione quadam, siue ex iniuria, id est, malo proposito. Hæc enim tria temulentos & elucos faciunt: leuitas, desperatio, malus animus. Et maledictum harum trium caussarum vnam habet. Quanquam non nescius sim, *inter pocula* ferme epulasque, cum cerebrum vino incaluit, linguæ habenas laxari sæpe in tempora & Principes: vide Senecam *1. de Clement. 26.* & exemplum quod *supra* ex Ammiano Marcellino attulimus: vide & alterum apud Libanium *orat. 13. post Conciliat. p. 411. edit. Morell.*

Ait lex, *Turbulentus*: Hoc verbum satis indicat in specie *huius legis* appetitam huiusmodi maledictis ipsam Imperii securitatem.

Ait lex, *si ex leuitate* vel innata scil. vel Gentis & ciuitatis, vt Alexandrini, Antiocheni, & Asiatici ferme erant, & Asiaticis moribus ferme coaliti vel maledicentes: in quem censum venit & iuuentus, & sequior sexus.

Ait lex, *si ex insania*: Insaniæ appellatione non hic exaudiri oportet tantum furorem, verum omnem omnino animi impotentiam, ἄνοιαν, & omnino illam insaniam, quam Cicero a furore recte distinxit, id est, inconstantiam sanitate vacantem, quæ tamen possit alioquin tueri mediocritatem officiorum & vitæ communem cultum atque vsitatum. Nos diceremus huiusmodi hominem *un desesperé, enragé*, Græci recte παράβολον dicerent, desperatæ huiusmodi mentis hominem. Vnde *Parabolanorum* vox: Audaces eodem sensu alibi vocari video. Neque furiosi tantum miseratione digni, verum & Paraboli desperatique huiusmodi. Itaque quæ de veris furiosis ad hanc *legem* interpretes notant, vix alicuius sunt momenti. De his enim dubitari non potuit, vtpote cum iniuriæ faciendæ capaces non sint. Et certe *leuitati* hoc loco *insania* recte opponitur. Denique & ἀνοίας, vt Græci vertunt, vox id ipsum quoque significat. Harmenopulus *lib. 6. tit. 14.* ἀπὸ μανίας καὶ παραφροσύνης: mallem ἀπονοίας, qualem describit Theophrastus *Charactere 6. pag. 19. ed. Casaub.* quæ penitus τοῦ νοῦ ἐξέπεσε. Audacia, *audacia perdita.* Sane, a vere furioso, ad hanc qua de hac agitur Insaniæ speciem, arguit Libanius in hoc ipso argumento *oratione ad Theodosium M.* huius *legis* authorem περὶ τῆς στάσεως, verbis quæ supra expressimus, de Tumultu Antiocheno & violatione statuarum Theodosii, plane ad huius *legis* mentem.

Ait lex, *si ab iniuria*, ὡς ἀδικούμενος: Ita Blastares vertit *Syntagm. Alphabet. lit. B. cap. 7. p. 44. edit. Bevereg.* & in Photii *Nomocanone tit. 9. cap. 36. pag. 1021 apud Iustell.* id est, excogitantia & certa animi deliberatione. Itaque apud Harmenopulum, legendum ἐκ κακίας, vel ἐξ ἀδικίας.

Ait lex, remittendum, condonandum, vt Blastares *l. c.* & Photii Nomocan. *l. c.* συγχωρεῖται, vel ἄξιος ἐστὶ συγχωρήσεως. Errant enim qui hanc vocem aliter interpretantur, quasi dicatur remittendos ad Principem reos. Et ita quidem *huius leg.* interpretatione defunctus mihi abunde videor, nouo tum intellectu allato, tum variis obseruationibus interspersis; præsertim cum ad eam peculiarem Commentarium scripserit Doctissimus Lindebrogius quem vide *Tom. IV. Thesauri Iuris pag. 350. seqq.* peculiarique eandem oratione adornauit, de Maledictis in Principem, Scipio Gentilis, *lib. 2. de concur. p. 287.* vbi in eam sese Quæstionem diffundit, satiusne sit Principi ab huiusmodi maledictis sese vindicare, an vero libertatem loquendi de se aliis permittere.

AD LEGEM IVLIAM MAIESTATIS.

TITVLVS V.

LIB. IX. COD. IVSTINIAN. TIT. VIII.

Iungatur *huic Titulo*, Titulus superior 4. vt & proxime sequens *infr. 6.* item Titulus, *de bonis proscriptorum*, & Titulus *de indulgentiis criminum.*

PARATITLON.

MAIESTATIS crimen primum & maximum dici putant nonnulli in *leg. 7 infr. de indulgentiis criminum.* atrox sane facinus vocatur in *leg. 8. in fin. infr. de bon. proscript.* Sacrilegii etiam crimen id dicitur *leg. 1. Si quis pecun. conft. l. 6. infr. de indulg.*

indulg. crim. De Quæstione in crimine Maiestatis, vide *infr. tit. de Quæstionibus*, de Accusatoribus; *l. 2. & 4. infr. tit. prox.* Atrocitatem huius criminis ostendunt sequentia: Indulgentia Paschalis ad huius criminis reos non pertinet; *l. 3. 4. 6. 7. 8. infr. de indulg. crim.* Abolitio non datur, *l. 2. infr. de abolitionib.* In criminibus Maiestatis memoriam defuncti accusare licet. *l. 40. infr. de hæreticis.* Bona punitorum ex hoc crimine, peti vetita: *l. 15. de petitionib.* Eaque etiam liberis extantibus, ad fiscum pertinent, *l. 2. 4. 6. 10. 23. de bonis proscriptorum:* Sextans tamen his relictus, *l. 8. in fin. eodem titulo.* Et hæc de proprio Maiestatis crimine.

Sunt enim & aliæ species, alia delicta seu crimina, quæ Maiestatis crimini deputantur: *l. vlt. de vestibus oloueris:* seu ad exemplum Maiestatis, *l. 12. de paganis:* quæ non sine læsæ Maiestatis crimine admittuntur, *l. vlt. de murilegulis:* seu vbi maiestatis obnoxii tenentur, *l. 31. de oper. publ.* Rei Maiestatis haberi iubentur, *l. vn. de priu. carc. custod.* Maiestatis crimini obnoxii, *l. 8. de falsa mon.* vtpote Maiestatis Rei; *l. 3. ad leg. Cornel. de sicariis*, veluti I. Si quis Maiestatis Principis partem aliquam sibi vindicaret: v. g. Si speciem quis conficeret, possideret, quæ soli Principi eiusque domui debetur, *l. vlt. de vestib. oloueris. l. vlt. de murilegulis.* II. Si quis Iudicum perfecto operi publico, suum potius nomen quam Principis inscriberet, *d. l. 31. de operib. publ.* III. Falsæ item monetæ Rei, *l. 8. de falsa moneta.* Item si factio de nece inita sit in eos qui pars corporis Principis habentur, puta viros Illustres consistorianos, Senatores, &c. *l. 3. ad l. Corn. de sicar.* Si quis reum priuato carceri includeret, *l. vn. de priuat. carc. custod.* Aptatum & hoc Maiestatis crimen Cœlicolis, *l. 19. de Iudæis*: vt & sacrificantibus, *l. 12. de paganis.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Maximum P. V. (b)

SI quis alicui Maiestatis crimen intenderit, cum in huiuscemodi (c) re conuictus minime quisquam, priuilegio dignitatis alicuius, adstrictiore (d) inquisitione defendatur, (e) sciat se (f) quoque Tormentis esse subdendum, (si aliis manifestis indiciis (g) accusationem suam non potuerit comprobare,) cum eo, qui huius esse temeritatis (h) deprehenditur. (i) Illum quoque Tormentis subdi oportet, cuius (k) consilio, atque instinctu ad accusationem accessisse videbitur, vt ab omnibus commissi (l) consciis statuta (m) vindicta (n) possit reportari. In (o) Seruis quoque vel Libertis, qui dominos aut patronos accusare, aut deferre temptauerint, professio tam atrocis audaciæ statim in admissi ipsius exordio per sententiam Iudicis comprimatur, ac denegata audientia patibulo (p) adfigatur. PP. Kal. Ianuar. Volusiano & Anniano Coss. [314.]

P. 50.

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Maximus* P. V. sub Constantino M. dicitur *h. l.* A. D. 314. Sed reponendum videtur PP. neque enim *Maximus* hoc Anno Præfectus Vrbi memoratur in *veteri Notitia Præfectorum Vrbis*, verum Rufinus Volusianus. *ID.*

(c) Crimine, seu reatu. *ID.*

(d) *Astrictiore* Cod. Iust. Neque enim istud adeo defendam, quasi *Adstrictior quæstio* dicatur, *Quæstio cruenta*, vt loquitur Amm. Marcellinus in eadem re, *lib. 28 c.* & *l. 2. inf. de Quæstionib.* *ID.*

(e) *Defendatur*, id est, excusetur, immunis habeatur. *ID.*

(f) Qui scil. crimen intendit, quique alium accusat. *ID.*

(g) *Indiciis*, argumento, loco quem mox laudabo, id est, probationibus: vide *l. 1. infr. tit. prox.* *ID.*

(h) *Temeritas*, reo Maiestatis tribuitur. Cuiacius tamen *in Commentar. ad Cod. Iust. hunc versiculum* ad ipsum accusatorem refert, atque ita hunc locum interpungendum, putat: *Comprobare: Cum eo qui huiusmodi esse temeritatis reus deprehenditur, illum quoque tormentis subdi oportet, &c.* Quod non probo. *Cum eo*, non est vna & simili pœna, verum hic vult accusatorem torqueri deficientibus probationibus: PARITER vt reus, si huius temeritatis esse DEPREHENDATVR, id est, conuictus fuerit. *IDEM.*

(i) *Reus deprehenditur*, Cod. Iust. Quid si reponamus *reprehenditur*, id est, accusatur. Nam si deprehenditur huius esse temeritatis, iam manifesta indicia sunt, iam accusator tormentis subiiciendus non est. *ID.*

(k) *Cuius is.* *ID.*

(l) Id est, falsæ accusationis, vt infra, *admissi*. *ID.*

(m) *Instituta.* Cod. Iust. *IDEM.*

(n) In Maiestatis reos statuta. *ID.*

(o) Reliqua absunt a Cod. Iust. *ID.*

(p) Locutio hæc insolens, *professio* (audientia) *patibulo adfigatur*: nisi legas, *adfigantur.* *ID.*

COMMENTARIVS.

TEMERARIÆ & CALVMNIOSÆ ACCVSATIONI Maiestatis, ne aut temere, aut omnes, passim in eam irruerent, Constantinus M. *h. l.* occurrit: Ne temere, inquam. Scilicet qui hoc crimen intentaturus est, manifestis indiciis, id est probationibus, accusationem suam comprobare debet: alioquin & ipse quoque accusator, quinimo & accusationis instigator, defectu indiciorum, quæstioni-

stioni siue tormentis subiicietur, ad detegendam videlicet temere susceptæ accusationis calumniam: non minus quam maiestatis accusatus, siue reus ipse conuictus cuiuscumque dignitatis fuerit; scilicet Maiestatis crimen singularia hæc inter cætera habet.

Primum, vt Maiestatis conuicti rei cuiuscumque dignitatis torqueantur, quod non *hac* tantum *lege* verum etiam *l. 1. 2. infr. de Quæstionibus*, & *l. 6. infr. de maleficiis* ostenditur, & *l. 3. 4. Cod. Iust. hoc eod. tit.* & *l. 16. Cod. eod. de Quæstionibus:* imo & cuiuscunque ætatis si ad testimonium prouocantur in Maiestatis crimine torquentur, *l. 10. §. 1. D. de Quæstionibus*. Ammianus quoque Marcellinus *lib. 19. cap. 12. Nec enim abnuimus*, inquit, *salutem legitimi Principis, propugnatoris bonorum & defensoris, vnde salus quæritur aliis, consociato studio muniri debere cunctorum: cuius redimendæ causa validius, vbi maiestas pulsata defenditur a quæstionibus vel cruentis, nullam Corneliæ leges exemere fortunam.* Quæstiones vel cruentæ idem sunt cum striciore inquisitione, vt hæc *lex* vocat, & sunt fidiculæ & tormenta, quo sensu etiam, *cruentam conditionem*, vocat *d. lex 2. infr. de Quæstionibus*, seu *l. 16. Cod. Iust. eod. tit.* Ammianus rursum *lib. 28. cap. 1. Vno proloquio*, inquit, *in huiusmodi causas, quas arroganter proposito Maiestatis imminutæ miscebat, omnes quos iuris prisci iustitia Diuorumque arbitria*, [id est Principum constitutiones] *Quæstionibus exemere cruentis, si postulasset negotium, statuit tormentis affligi.* Chrysostomus quoque *Homilia 13. ad popul. Antioch. num. 4. in fin. pag. 139. Tom. II. Oper. edit. Benedictin.* Ἔνθα ἂν ἡ καθοσίωσις, ἀξίωμα οὐδὲν ὠφελεῖ. id est, *vbi est crimen læsæ Maiestatis dignitas nil prodest.*

Secundum singulare est, quod Accusatores si manifestissimis indiciis non conuicerint reos, vt & ii, quorum opera vel consilio ad accusationem prosilierunt, etiam tormentis subiiciantur. Necesse est scilicet reos læsæ Maiestatis conuinci manifestis indiciis priusquam torqueantur, aut torquebuntur potius accusatores ipsi: Denique conuictum in hoc crimine accipere debemus manifestissimis conuictum iudiciis. Sed an conuictum vno teste? Glossa id putauit: Nam etsi in cæteris criminibus nemo vno teste conuincitur, neque vnicus testis torquendo reo sufficit, vt probat *l. 20. D. de quæstionibus*, recte tamen excipi hodie videtur, ad hunc finem, Maiestatis crimen. Et sane quis negabit vnicum testem, etsi sufficientem probationem non faciat, indicium non facere ad torturam? idque etiam Ioannes Faber probauit, referente Paponio 28. *Arestorum 9. arrest. 2.* quicquid contra sentiat Cuiacius *in Commentar. ad hunc tit. Cod. Iust.* Quanquam hac in re distinguendum puto inter clementem Constantini animum *hac lege*, & receptam alioquin Iuris prudentiam, vt scil. noluerit is vno teste oppressum reum Maiestatis tormentis subiici, cum id alioquin & antea & postea admissum fuerit. Nam & ita mox vt dicam, eodem clementiæ genere legis huius fine a recepto iure recedit. Et sane idem Constantinus *in l. 9. §. 1. Cod. Iust. de testibus:* seu *l. 3. infr. de fide testium*, apertissime sanxisse se ait, *vt vnius testimonium nemo Iudicum in* QVACVNQVE CAVSA *facile*, id est temere *pateretur admitti.* Additum *facile*, non ad excipiendum aliquod causarum genus quod volunt, qui *fiscale* legunt, verum propter Senatores testes, vt ex *fin. l.* patet. Et sic exceptio ex persona, illa voce indicatur, non exceptio causæ. De hac quoque quæstione v. Contium ad *d. l. 3.* quæ hinc desumpta est.

Dixi initio *legis*, prouidere quoque *h. l.* voluisse Constantinum, ne omnes passim in accusationem maiestatis irruerent: Et ideo seruos, vel libertos, ad dominorum seu patronorum accusationem vel delationem admitti prohibet, & quidem sub supplicii *patibularis* pœna: Verum insecutis Principibus aliter postea visum fuit, vt fidem faciet titulus proximus.

Cæterum proculdubio hanc *legem* Constantinus promulgauit, propter reliquias Maxentianæ Tyrannidis, quibus eruendis acrius incubuisse tum Iudices videntur & delatores. Interim, *Patibuli*, id est crucis, supplicium a Constantino M. inter hæc susceptæ Religionis Christianæ initia nondum sublatum fuisse ex *h. l.* discere licet: quod & ipsum recte obseruauit Baronius, A. D. 325. *num. 205.* Verum sublatum id anno proximo 315. videtur: vid. *l. vnic. infr. ad leg. Fabiam:* vbi dicam plenius. Quanquam & hic iam nominis Crucis inuidiam euitasse, *patibuli* voce eius loco vsurpata, cuipiam videatur: etsi hæc alioquin synonyma sint: Firmicus certe *lib. 6. c. 31. Patibulo*, inquit, *suffixus in crucem crudeliter erigitur.* Sed & illud hinc patet, seruile hoc Crucis supplicium fuisse, quin & libertorum, ac nominatim ob suspectam Domini vel Patroni delationem; quod & ipsum ex Capitolino *in Pertinace c. 9.* liquet. *Eos*, inquit, *qui calumniis appetiti per seruos fuerant, damnatis seruis delatoribus, liberauit; in crucem sublatis talibus seruis.* Et Herodianus, *lib. 5. c. 2.* συκοφάνται τε ἢ δοῦλοι ὅσοι δεσπότας κατήγγελον, p. 51. ἀνεσκολοπίσθησαν. *Delatores autem & serui omnes quicunque Dominos detulerant, patibulo suffixi.* Et in vniuersum omnis machinatio contra Domini salutem hoc supplicio affecta. Paulus 5. *sentent. tit. 21. §. 4. Si serui de salute Dominorum consuluerint*, [id est, consuluerint Mathematicos] *summo supplicio, id est cruce, afficiuntur.*

NE PRÆTER CRIMEN MAIESTATIS * SERVVS DOMINVM, VEL PATRONVM LIBERTVS SEV FAMILIARIS ACCVSET

TITVLVS VI.

Abest hic *Tit.* a *Cod. Iust. Lex tantum 3. huius Tit.* coniecta est in *legem penult. Cod. eod. de his qui accusare non possunt.* Paratitlo autem hic non opus est, quandoquidem ipse *Titulus* siue *Rubrica* ipsa plenam eius sententiam exhibet. Addatur Theodosii M. *lex 17. inf. de petitionib.*

* Similiter in hæreseos crimine, in sp. *l. 40. infr. de hæreticis.*

De

De LIBERTIS *Gratiani prohibitio.*

I. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Maximum PP. (b)

CESSENT (c) *Liberti* capitalium criminum tumultu, (d) & nefariæ (e) delationis indiciis (f) auctores libertatis inceſſere, ita vt tam nefandos conatus ferri aut ignium pœna conpeſcat. PP. (g) Id. Mart. Valente V. & Valentiniano AA. Coss. [376.]

De SERVIS *Gratiani prohibitio.*

II. Idem AAA. ad Maximum PP.

CVM accuſatores *Serui* dominis intonent, (h) nemo iudiciorum expectet euentum, (i) nihil quæri, nihil diſcuti placet, ſet (k) cum ipſis delationum libellis, (l) cum omni ſcribturarum (m) & meditati criminis apparatu, nefandarum accuſationum crementur auctores: Excepto tamen *adpetitæ* Maieſtatis crimine, in quo etiam ſeruis honeſta proditio eſt. Nam & hoc facinus tendit in Dominos. (n) Dat. Id. Mart. Valente V. & Valentiniano AA. Coss. [376.]

INTERPRETATIO. *Seruus dominum accuſans non ſolum audiendus non eſt, verum etiam puniendus, niſi forte dominum de crimine Maieſtatis tractaſſe probauerit.*

NOTAE.

(a) Iungendæ ſunt hæ duæ *leges* inter ſe. *GOTHOFRED.*

(b) *P. V.* in vtraque *lege* in Aniano Puteanorum fratrum. Sed nihil hac parte mutandum. *Maximinum* enim Præfectum Prætorio hic accipi oportet, de quo Ammianus Marcellinus *lib.* 28. *cap.* 1. & *lib.* 29. *cap.* 2. 3. & 6. & *lib.* 30. *cap.* 2. in Geſtis Anni 373. 374. 375. Itaque vtrobique legendum *ad Maximinum*, & *l. vlt. infr. de raptu Virg.* vt & *l. vlt. ad leg. Cornel. de falſo*, vti & recte legunt prior Cuiac. & edit. in 4. De hoc Maximino Symmachus quoque *lib.* 10. *ep.* 2. *ID.*

(c) *Ceſſent*: vox hæc, vt & illa initio *legis ſeq. Cum accuſatores ſerui Dominis intonent*; factum id hactenus arguit: vide & *legem vn. ſupr. de offic. Rector Prouinciæ* ab init. *ceſſent iam nunc rapaces manus. ID.*

(d) *Tumultum* vocat: Recte; cum ſerui in dominos, aut liberti in patronos inſurgunt. *Tumultus* eſt, qui a domeſticis pene exeitatur. vid. Liuius *lib.* 3. *cap,* 15. Florus *lib.* 3. *cap.* 19. Hinc & tumultus Italicus. *ID.*

(e) *Nefaria delatio*; vide quæ dico ad *l. 7. infr. de fide teſtium. ID.*

(f) *Indicia* ſuntne probationes *hac lege*, & *l. vn. ſup. tit. prox.*? Imo ſunt delationes. *ID.*

(g) Dat. *l.* 2. *IDEM.*

(h) In præſenti ergo factum. *ID. Intonant.* Cod. G. *RITTER.*

(i) *Aduentum*, Cod. Goth. ita infr. *l. 3. h. t. ante examinatum iudicium.* Prior. Cuiacianæ legunt: *ſpectet euentus. ID.*

(k) *Sed. GOTHOFR.*

(l) *Libelli* accuſationum, *l. 17. Cod. Iuſt. ad Iul. de adulter. leg.* 17. §. 1. & *leg.* 29. §. 8. *D. eod. tit. GOTHOFR.*

(m) Commonitoria & ſecreta mandata indicari videntur, quorum mentio *l. vlt. in fin. ſupr. de accuſat.* nefariæ ſcripturæ vocantur, *d. l. 7. infr. de fide teſtium.* vbi vide quæ dico prolixe. *ID.*

(n) *Domini*, Imperatores. cuius loquutionis exempla alibi paſſim occurrunt: alterum vide *l. 8. inf. de indulgentiis criminum*: vide & Interpretationem ad *l. 13. infr. de pœnis*: *l. 1. infr. ne ſine iuſſu Princip. l. 20. infr. de Decur. ID.*

P. 52.

COMMENTARIVS.

LIBERTOS vt & SERVOS a delatione ſeu accuſatione Patronorum vel dominorum eadem conſtitutione vnde hæ duæ *leges* deſumptæ ſunt, inter ſe proinde ſociandæ, Gratianus (non Valentinianus Iun.) omnino prohibet, ſic vt ne quidem audiri eos velit ſub pœna gladii, vel etiam ignis, ſolo Maieſtatis crimine excepto. Quod & ipſum conſtituitur *l. 3. prox.* contra mentem Conſtantini M. *lege vn. ſupr. tit. prox.* In hoc ſcilicet crimine honeſta etiam ſeruorum proditio eſt; hac eleganti ratione, quod & *hoc facinus tendat in Dominos.* In *Dominos*, rerum ſcil. & Principes, qui communes ſunt omnium Domini. Cuius rationis hæc eſt ſententia, hic color: Quemadmodum ſerui pro Dominis ſuis aduerſum alium communem Dominum, audiri, torqueri poſſunt, vt docet *l. 13. Cod. Iuſt. de quæſtionibus: lex 17. D. de Quæſtionibus*, *lex 6. §. 2. D. de Senatuſc. Sylaniano. Quia*, vt eleganter ſcribit Paulus in illa lege, *magis de ſalute aut vltione domini, non comparentis, quam in caput præſentis* (alterius communis domini) *torquentur.* Simili igitur colore, ſiue prætextu, in crimine perduellionis, quod ad ſalutem Principis pertinet, ſerui audiuntur contra dominum proprium: quia (hæc eſt colorata ratio) pro ſalute Domini rerum interuenire videntur, pro communi omnium domino, & maiore, aduerſus peculiarem dominum ſed minorem.

Ex his interim *legibus* apparet, Libertos & ſeruos in hoc tractatu pœnis etiam exæquari: vt etiam exæquantur *l. 2. ſup. de libertis* (quæ iungenda eſt cum *l. vlt. huius tit.*) Item illud: vtriſque non iam crucis pœnam, vt antea *l. vn. ſup. tit. prox.* (vtpote ſublatam a Conſtantino M.) verum aut gladii, aut ignis imponi: verum gladii tantum poſtea impoſita ab Arcadio, *l. 3. prox.* Tertio notetur; ſeruos *h. l.* aduerſus dominos ne audiri quidem atque ilico puniri, denegata omni audientia, quæ & ipſa Conſtantini

mens

mens fuit, *l. vn. sup. tit. prox.* & Arcadii *l. 3. inf. prox.* & Honorii *l. 4. infr.* Theodosio mens alia fuit: seruos enim ad probationem admisit, & nihilominus tamen post probationem, eos velut proditores seuerissimæ sententiæ subiugari voluit, *l. 17. infr. de petitionib.* Proditionem scil. amplexus est, proditores ipsos & odio & pœna prosecutus. Anteriores Principes vna cum proditoribus proditionem hanc seruorum abhorruerunt. In tantum etiam: vt etsi scripturas & meditati criminis apparatum proferrent, fides tamen & audientia penitus his abnegaretur: cuiusmodi sunt commonitoria & secreta mandata, quorum mentio fit in *fine legis vlt. sup. de accusationib.* vbi de his *Commonitoriis* dixi. Mihi denique omnibus perspectis, videntur hæ *leges* a Gratiano latæ, cohibendæ *Maximini* (cui *leges* hæ inscribuntur) sæuitiæ, quem paulo ante sub Valentiniano, Gratiani patre, in illa vrbis Romæ, sic vt dicam, laniena ab eo exercita, quamque Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1.* pluribus describit, seruos in dominorum caput audiuisse, torsisse, idem Ammianus Marcellinus nominatim testatur, in Gestis anni superioris 374. Eius verba sunt hæc: *Apaudulus nomine* SERVVS *Anepsiæ, verberatæ coniugis dolore perculsus negotium ad Simplicium* [vicarius vrbis hic erat A. D. 374.] *detulit nocte progressus: missique apparitores* INDICATOS *e latebris abstraxerunt. Et Abienus quidem exaggerato crimine stupri, quod intulisse dicebatur Anepsiæ, morte mulctatus est. Mulier vero vt continendæ vitæ spem firmam dilato posset habere supplicio, adpetitam se nefariis artibus, vim in domo Aginatii perpessam asseuerauit.* Et mox: *Et quoniam Iudex* [vicarius Doriphorianus] *quinimo prædo nefandus ad id solum quod promisit* [Maximino] *intentus, cuncta extollebat in maius, iusso Aginatio statui, agmina fecit introire carnificum: catenisque sonantibus triste,* MANCIPIA *squalore diuturno marcentia* IN DOMINI CAPVT *ad vsque vltimum* LACERABAT *exitium: quod in stupri quæstione fieri petuere clementissimæ leges. Denique cum iam contigua morti,* TORMENTA *ancillæ voces expressissent obliquas,* INDICII *fide parum plene discussa, Aginatius ad supplicium duci pronuntiatus abrupte, nec auditus cum magnis clamoribus appellaret nomina Principum, sublimis raptus occiditur, pari sententia Anepsia interfecta.* Hactenus Ammianus Marcellinus de his quæ sub Valentiniano a Maximino PP. per emissarios & Vicarios vrbis Romæ gesta sunt. Verum mortuo Valentiniano, cuius aures & animum Maximinus obsederat, Gratianus mox Maximini sæuitiæ modum imposuit, & quidem inter cætera his duobus capitibus: Adeo etiam, vt idem Ammianus Marcellinus memoret *d. libro 28. cap. 1.* Maximinum hunc sub Gratiano *intolleranter se* [adhuc] *efferentem damnatorio ferro iugulatum.* Quo omnino pertinet Symmachi *ep. 2. lib. 10.* Quod quidem huius ipsius anni fine gestum credo, vtpote Graccho iam tum Præfecturam Prætorianam occupante, vt docet *l. vn. sup. ne in sua causa quis iudic.* idque magis adhuc confirmat *l. 3. infr. de Quæstionibus*, quæ Maximini huius actis seu gestis aduersissima est, vt eius collatio cum iis quæ scribit Ammianus ostendit *lib. 28. c. 1.* Cæterum & hoc superioribus argumentum accedat, quod de scripturis & meditati criminis apparatu *l. 2.* agatur: Id quod ad maleficii crimen omnino pertinet, quod hoc tempore maxime intentatum. Nefariam scripturam vocat *l. 7. infr. de fide test.* quam & huc omnino pertinere *ibi* ostendam. (a) Porro Maximini ferocis huius meminit, vti dixi, & Symmachus, *lib. 10. ep. 2.* Hieronymus *in Chronico sub An. D. 375.* Rufinus *hist. Eccles. lib. 2. cap. 10.* Socrates *lib. 4. c. 29. Tripart. lib. 8. c. 10.* Protulerunt quoque Antiquarii e Codice Vaticano duas constitutiones Valentis Gratiani & Valentiniani ad *Maximinum vicarium V. R.* circa A. D. 371. Item alteram ad *Ampelium P. V.* quæ eiusdem meminit.

(a) Sequentia omnia exscripta sunt ex obseruatione CL. IVRETI ad cit. Epist. Symmach. qui multa ibidem de Maximino collegit auctorum testimonia.

De FAMILIARIBVS *&* SERVIS *Arcadii prohibitio.*

III. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. Eutychiano PP. (b)

SI quis ex familiaribus, (c) vel ex seruis, in (d) quemlibet dominum cuiuscunque criminis delator adque accusator emerserit, eius existimationem, caput, adque fortunas petiturus, (e) cuius familiaritati vel dominio inhæserit; ante exhibitionem testium, ante (f) examinatum iudicium, in ipsa expositione criminum adque accusationis exordio, vltore gladio feriatur: *Vocem* (g) enim *funestam intercidi* (h) *oportet potius quam audiri.* P. 53. Maiestatis (i) crimen excipimus. Dat. VI. Id. (k) Nou. Constantinop. Cæsario & Attico Coss. [397.]

INTERPRETATIO. *Si seruus dominum, aut amicus, vel domesticus, siue libertus patronum accusauerit, vel detulerit cuiuslibet criminis reum, statim in ipso initio accusationis gladio puniatur: quia uocem talem extingui* (l) *volumus, non audiri, nisi forte dominum aut patronum de crimine maiestatis tractasse probauerit.* (m)

NOTAE.

(a) *Lex penult. Cod. Iust. qui accusare non possunt.* Et exinde, *can. 4. §. 3. caus. 3. Qu. 11.* GOTHOFRED.

(b) *Eutychianus* hic sub Arcadio PP. fuit A. 396. 397. 398. 399. Meminit eius Socrates *lib. 6. c. 2.* Anno 398. Fuit idem iterum PP. A. 404. quo tres constitutiones ei inscribuntur. vid. *Prosopogr.* ID.

(c) Vt Titulo ipso indicatur: *Ne præter crimen Maiestatis seruus dominum, vel Patronum libertus seu* FAMILIARIS *accuset.* ID.

(d) *Cuiuslibet domus*; Hæc verba subicit Tribonianus, loco istorum *in quemlibet dominum.* ID. Codicis Iust. lectionem habet MS. G. Edit. in 4. & Sichard. RITTER.

(e) Hæc scil. tria criminalibus accusationibus appetuntur. *Fama,* seu existimatio: *Caput,* seu vita, *Fortunæ,* seu patrimonium. Similiter *l. 11. sup. de accusationib. Qui alterius famam, fortunas, caput, denique & sanguinem in*

iudicium deuocauerit. & *l.* 5. *eod. Tit.* *Sub experiendi periculo de patria, de liberis, de fortunis, de vita denique dimicare.* GOTHOFRED.

(f) *Atque examinationem iudicii.* Ita Tribonianus. *ID.* Ed. Sichard. *aut examinatum iudicium.* Glossa in MS. G. *examinationem iudicum.* RITTER.

(g) Hæc sententia infarta Eusebii Papæ *Epist.* 3. *pag.* 241. *Tom. I. Concil. Harduin.* & Siluerii *Epist.* 2. *pag.* 1422. *Tom. II. Concil. edit. cit.* inserta etiam *can.* 53. *cauf.* 2 *qu.* 7. Vide vnde eam Gratianus habuerit. GOTHOFRED.

(h) *Amputari*, Tribonianus: satis dilute. *Vox intercidi*, dicitur, quæ in ipso conatu comprimitur, vt loquitur *lex vn. in fin. sup. tit. prox.* cuius conatus compescuntur, *l.* 1. *sup.* quæ præcluditur, *l.* 4. *inf.* *ID.* Barbarus Langobardus in MS. G scripsit, *interfici.* In Epistol. Eusebii Papæ atque Siluerii est, *interdici.* Quo modo & apud Gratianum *loc. not. g. cit.* RITTER.

(i) MS. W. & Sichard. *Maiestatis autem crimen*, Cod. Iust. *maiestatis autem crimen tantum*, MS. G. *maiestatis autem crimina.* *ID.*

(k) *Kal. Nou.* MS. W. *ID.*

(l) Huc allusit Stephanus I. Papa *Epist.* 2. *cap.* 4 *pag.* 144. *Tom. I. Concil. Hard.* GOTHOFRED.

(m) *Probauerint*, Cod. G. RITTER.

COMMENTARIVS.

SENTENTIA huius *legis* Arcadianæ eadem est quæ *legum* superiorum. Hoc tamen amplius complectitur quod de *familiaribus* idem, quod de seruis constituit (qui & ideo in Rubrica huius tituli coniunguntur seruis & libertis) vt videlicet hi quoque ab accusandis iis quorum familiaritati inhæserunt, arceantur, non minus quam serui: serui scilicet in dominio alterius sunt, familiares vero in familiaritate tantum: Illi, mancipia sunt; hi vero ingenui. Et recte Interpres qui familiarem, domesticum interpretatur. Familiaris fit pariter mentio, eodemque modo describitur in *l.* 6. §. 5. *Cod. Iust. de his qui ad Ecclesiam: Sane*, inquit, *si seruus aut colonus, vel adscriptitius, familiaris, siue libertus, & huiusmodi aliqua persona domestica, vel conditioni subdita.* Familiares igitur sunt, qui in domo nostra versantur & agunt, etsi familiares interdum accipiantur pro seruis, vt apud Senecam *ep.* 47. & Ammianum Marcellinum *lib.* 28. *cap.* 3. *circa fin.* Horum numero proculdubio est alumnus, qui in alicuius domo licet ingenuus a prima tamen ætate fuit: Nam & hunc ab accusando prohiberi testatur sententia *in l.* 17. *Cod. Iust. de his qui accusare non possunt.* *Iniquum*, inquit, *& longe a seculi nostri beatitudine esse credimus, vt Thaumasius accusandi eius habeat facultatem, in cuius domo eum (licet ingenuum) a prima ætate tamen fuisse constabat.* Eodem familiarium numero habendi sunt suscepti seu clientes, quos paterfamilias in fidem suam ita suscepit, vt pars quodammodo familiæ censeantur, quam ob rem libertis fere coniungi solent vt *l.* 3. *D. de vsu & habitatione:* & *l.* 5. §. 1. *D. de his qui effuderint vel deiecerint*, *l.* 7. §. 1. *D. de Captiuis l.* 89. *D. de furtis: l.* 3. *Cod. Iust. de nouationibus.* Itaque & eorundem testimonium, vt domesticum, non admittitur, *l.* 24. *D. de testibus.* Hoc quoque discriminis habet hæc *lex* a superioribus, quod mitior gladii pœna imponatur, superioribus vero etiam ignis. Denique proculdubio quod de Maiestatis crimine subiicitur, ei occasionem præbuit Gainæ tumultus siue tyrannis, de quo videndus est Socrates *lib.* 6. *c.* 6. Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 4. (a)

(a) Sed hæc Coniectura locum habere non potest; *Tribigildus* enim, quocum *Gainas* conspirauerat, *anno* demum *sequenti* turbas dedit, & *anno* 399. *Gainas* ipse contra Arcadium insurrexit, & eius anni fine, aut 400. sequentis initio hostis publicus declaratus est. Vide CL. PAGIVM *in Critic. ad Annal. Baron. an. cit.* & GOTHOFREDVM nostrum *in Chronolog.*

De LIBERTIS *Honorii probibitio.*

IV. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. ad Senatum. (b) Post alia.

LIBERTORVM aduersus patronos inlicitas adque improbas voces pœnæ obiectione præcludimus; (c) adque (d) ita, vt non modo sponte prodere (e) non audeant, sed ne vocati quidem in iudicium venire cogantur, &c. Dat. VII. (f) Id. Aug. Rau. Asclepiodoto & Mariniano Coss. [423]

INTERPRETATIO. *Liberti accusatores patronorum vbi primum in accusationis vocem proruperint, puniantur.*

NOTAE.

(a) *Lex* 12 *Cod. Iust. de testibus.* Iungenda huic est *lex vlt. supr. de iurisdictione:* *lex vlt. sup. de accusationibus:* & *lex* 2. *sup. de libertis & eorum liberis.* GOTHOFR.

(b) Plenius reliquæ leges *huic* coniungendæ ita habent, *Consulibus, Pretoribus, Tribunis plebis, Senatui suo salutem dicunt.* Male *Codex Iustin.* habet *Georgie.* *ID.* A MS. Goth. & prior. Cuiac. & quæ in 4. prodiit, absunt illa, *ad Senatum.* RITTER.

(c) Intercidimus *l.* 3. *supr.* Comprimimus, *l. vn. supr. tit. prox.* compescimus, *l.* 1. *h. t.* GOTHOFR.

(d) Et quidem adeo. *ID.*

(e) *Prodire*, Cod. Iustin. *ID.* *Prodire* legunt Cuiac. pr. & illa in 4. *prædicti*, Sichard. RITTER.

(f) *vt. VIII.* vt dictis legibus omnibus: *Cod. Iust. IV.* GOTHOFR. Accurate MS. W. *VIII. Id.* RITTER.

COMMENTARIVS.

HONORII hæc constitutio est, qua is LIBERTOS NON ACCVSARE tantum aut deferre patronos vltro, sed neque TESTES in eos exciri posse definit. Quæ quidem *lex* prolixæ Honorii Imp.

Imp. ad Senatum orationis de criminalium iudiciorum & accusationum ordine & forma pars est; pariter vt tres præterea aliæ *hoc Codice* puta *lex vlt. supr. de Iurisdictione : l. vlt. supr. de accusat. l. 2. supr. de libertis*, quæ omnes adeo *huic* coniungendæ sunt.

P. 54.

Est igitur hæc *Constitutio* plenior quam *lex 1. hoc tit.* & *lex vn. supr. tit. prox.* Primum scilicet liberti sponte Patronos prodere prohibentur, *Prodere*, id est, accusare, deferre: quod vt Interpres recte vidit, ita *Titulus* hic, sub quo posita hæc *lex* est, arguit: ad quem alioquin nihil pertineret. Tandem illud ipsum quoque euincunt omnes illæ *leges*, quas *huic* coniungendas dixi, quæ in argumento accusationis versantur. Neque aliter Cod. Iustin. *in l. 12. de testibus* vox, *prodire*, quæ loco prodere ibi posita, accipienda.

Secundo (quod speciale est in hac constitutione) constituitur, libertos aduersus Patronos ne vocatos quidem in iudicium venire cogendos, *h. l.* id est, si publice euocentur ad testimonium dicendum. Ne quidem igitur testimonium dicere coguntur. Cuius posterioris sententiæ contemplatu hæc *lex* posita est in *Cod. Iust.* sub *tit. de testib.* Perperam enim DD. communiter hanc totam *legem* ad testimonii dictionem pertinere putant, quasi hoc dicatur, libertum nec sponte, nec vocatum, per se testem esse contra Patronum. Quorum sententiam superius dicta refutant: Quibus ostensum est, verba illa, *sponte prodere*, ad accusationem pertinere: vocatum vero in iudicium venire, ad testimonii dictionem spectare. Et vero ipsa quoque iuris ratio illam sententiam refellit. Nunquam enim Testimonium sponte dicitur, imo non nisi citati, vocati testimonium dicunt. Quod & DD. fatentur, & consuetudo obseruat. Denique sponte accusamus, vocati testimonium dicimus.

Vt ad ipsam *huius legis* dispositionem redeamus: Ante hanc *legem*, libertos aduersus Patronos euocatos, exhibitos, docet quoque locus Symmachi *lib. 10. ep. 41.* Quod *hac l.* Honorius abrogauit. In tantum vt de hæredibus quoque Patroni idem statuat *d. l. 2. sup. de libertis*, quod etiam Valentiniano III. placuit, *Nouell. 6. de libertis & successionibus eorum.*

Cæterum tractant & ad hanc *legem* DD. vtrum ad hæredem Patroni etiam extraneum hæc *lex* producenda sit? Qua parte eos securos deinceps esse iubeo: id enim disertis verbis definitur in *d. l. 2. supr. de libertis, & eorum liberis :* quam inter cæteras *huic* coniungendam esse docui; quamque Placentinus ad omnes hæredes etiam extraneos recte retulit, vt ad eam *legem* prolixius ostendi.



AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIS.

TITVLVS VII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. IX.

In Cod. Iust. Titulus ita conceptus: *Ad legem Iuliam de adulteriis & stupro.* MS. etiam G. & Sichard. legunt, *de adulteriis*, & ita Digesta, Institut. *de Publ. Iud.* §. *4.* Paullus *Lib. II. Sentent. tit. 26.* §. *1.* Suetonius *August cap. 34. Sanxit de adulteriis*, Tacitus *Annal. II. 50.* Noster quoque ita legi voluit, quod vides initio Paratitl. *adulterium*, inquit, *Rubr.* scribendum ergo antiquo more, *de adulterIs. RITTER.*

PARATITLON.

ADVLTERIVM *Rubr.* & *l. 1. 2.* (a quo adulteri, *l. 3. 8. infr. de indulgentiis criminum:* qui & *sacrilegi nuptiarum* dicuntur, *l. 4. inf. Quorum appellationes*, genialis tori & lectuli alieni inuasores, *l. 6. infr. de indulgentiis criminum:*) inter scelera sæuiora sub Christianis Impp. (& inter alios sub Constantini M. liberis) computatum, *l. 7. inf. de indulgentiis criminum :* inter atrocissima facinora, *l. 1. inf. Quorum appellationes :* scelera immania, *d. l. 4. quor. appellat.* Vnde & adulterii fœditas, *l. 4. inf. de indulgentiis criminum.* Quam ob rem adulteri non fruebantur indulgentia criminum, quæ ob festum Paschæ dari solebat, *l. 3. 4. 6. 7. 8. inf. de indulg. criminum.* His item legitime conuictis, confessis, appellare non licuit, *l. 47. infr. quorum appellat.* Adulterii speciebus connumeratur & defœda illa, de qua agitur *l. 3* & *6. h. t.* Item si Iudæam Christianus, vel Iudæus Christianam in matrimonium accepisset, *l. 5. h. t.* Publicum hoc crimen erat, *l. 2. h tit.* & tamen accusatio eius, siue delatio non omnibus in commune; *l. ead.* seu publicis vocibus, *l. 5. h. t.* concessa erat, (excepto tantum casu *dictæ legis 5.*) sed proximis & necessariis tantum personis maxime marito & fratri, *l. 2. h. t.* & quidem marito etiam ex sola suspicione, & sine inscriptionis vinculo, *d. l. 2. h. t* Accusatio huius criminis item nulla præscriptione ciuili tardari potest, *l. 7. h. t.* sed neque fori præscriptione, veluti militaris, *l. vlt. h. t.* Sed & quæstio in hoc crimine habenda de omni familia, seu de omnibus seruis, tam mariti, quam vxoris, qui scilicet tunc temporis domi fuerunt, quo adulterium admissum dicitur,

tur, *l. 4. h. t.* Sunt tamen mulieres quædam, a quibus pudicitiæ ratio non requirebatur, atque adeo quæ adulterii accusari non poterant, veluti ministra cauponæ, *l. 1. h. t.* Tandem immanis quoque *pœna*, atque eadem quæ parricidis imposita a Constantini liberis culei vel ignis *l. 4. infr. quorum Appellat.*

P. 58.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. Africano V. C. (b)

QVÆ adulterium commisit, vtrum domina cauponæ, (c) an ministra fuerit requiri (d) debebit, & ita obsequio famulata seruili, vt plerumque ipsa (e) intemperantiæ vina (f) præbuerit: Vt si domina tabernæ fuerit, non sit a vinculis (g) iuris excepta: Si vero potantibus ministerium præbuit, pro vtilitate (h) eius quæ in reatum deducitur, accusatione exclusa, liberi qui accusantur, abscedant: *cum ab his feminis pudicitiæ ratio requiratur, quæ iuris nexibus detinentur,* (i) *hæ autem immunes a iudiciaria seueritate* (k) *præstentur, quas vilitas vitæ dignas Legum obseruatione non credidit.* (l) Dat. III. (m) Non. Feb. Heracleæ, Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. [326.]

INTERPRETATIO. *Tabernæ domina (hoc est vxor tabernarii) si inuenta fuerit in adulterio, accusari potest: Si vero eius ancilla, vel quæ ministerium tabernæ præbuit in adulterio fuerit deprehensa, pro vilitate dimittetur. Sed* (n) *& ipsa tabernarii vxor si tam vilis ministerii officium egerit, in adulterio fuerit deprehensa, accusari non potest a marito.*

NOTAE.

(a) *Lex 29. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) De hoc *Africano* mox. *ID. V. C.* abest a MSS. Cod. Iust. Sichard. Cuiac. prior. & illa in 4. RITTER.

(c) Ita quoque *Cod. Iustin.* Editiones *Cuiac. prior. & illa in 4.* habent *domina cauponia*, vt *l. 43. in pr. D. de ritu nupt.* taberna cauponia. Certe quæ hic *caupona* infr. mox *taberna* dicitur. GOTHOFRED. Et *tabernæ* vox magis placebat glossatori Cod. Goth. qui delebat, *cauponæ.* RITTER.

(d) *Inquiri* a Iudice. GOTHOFRED.

(e) Scilicet ministra. *ID. Plura ipsa*, Cod. Goth. RITTER.

(f) Audacius tentet quis, *intemperantiæ viam præbuerit*: vel *aperuerit.* Sed nil mutandum: *Vinum intemperantiæ* dicitur vinum ἀκρασίας, quod ad intemperantiam inuitat, vel quod intemperanter sumitur. Atque adeo versata fuerit ministra inter hæc intemperantiæ vina, illecebris per omnes ferme sensus corporis obnoxia: libido intemperatæ cupiditatis, in eodem argumento, *l. 25. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED. Imo loco *vina*, scripsit librarius Goth. *humane*, & mox: *& in domina tabernæ fuerint.* Nemo hic diuinabit. RITTER.

(g) Id est, crimine & pœna adulterii, vt *inf.* a Iudiciaria seueritate. GOTHOFRED.

(h) γρ. *Vilitate*: vt mox, *quas vilitas vitæ*, & Interpres, *ipsa Tabernarii vxor si tam vilis ministerii officium egerit.* Et ita quoque habet *Cod. Iust.* Passim hæ voces inter se commutantur. IDEM. *Vilitate* MS. Goth. & Edit. Sichard. RITTER.

(i) *Et matrisfamilias nomen obtinent.* Hoc a Triboniano additum. Non male, vid. Cuiacium III. *Obseruat.* 18. Matrisfamilias nomen obtinebant σεμναὶ γυναῖκες *Synops. Basilic. lib. 2. tit. 2. cap.* 46. at non & aliæ: vide *l. 46. §. 1. D. de V. S.* GOTHOFRED.

(k) Id est Adulterii crimine & pœna, vt supra, *a vinculis iuris*: & sane Tribonianus quoque hæc verba hoc loco inseruit, *& stupri & adulterii.* ID.

(l) *Suprascripta*, vox hæc in *C. Iust.* addita, quæ non ad subscriptionem legis referri debet, vt vulgo excusum est, verum ad *ipsius l.* contextum pertinet, & referenda ad vocem *obseruatione.* ID.

(m) Eodem anno & die data *lex 2. sup. de custod. reorum.* ID.

(n) Hoc de suo Interpres: de quo mox. ID.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. duæ *hoc titulo* Constitutiones de *Adulteriis* occurrunt. Et exstant tamen quatuor aliæ præterea eiusdem Imperatoris Constitutiones *hoc Codice*, quæ ad adulterii crimen pertinent: puta I. *lex 1. sup. de repudiis:* vbi agitur de repudio vxoris ob adulterium. II. *lex 1. inf. de pœnis*, qua modum & temperamentum Iudici proponit, quidque adeo requiratur, quæ reprobationes desiderentur, vt capitalis in eos qui adulteri, homicidæ, aut malefici dicuntur, pœna statuatur. Item III. *l. 1. infr. de indulgent. criminum:* qua definit, a generali criminum indulgentia excipi veneficos, homicidas, & adulteros. Tandem & IV. *lex 1. inf. quorum appellat.* qua adulterii, homicidii, veneficii, maleficii legitime conuictorum frustratorias appellationes admitti vetat. Memoratur & V. eiusdem constitutio a Iustiniano *Nouella 134. c. 10.* de pœna videl. adulterii. Nisi Iustiniani *ibi* error est, Constantino tribuentis, quod filiis eius potius tribuendum erat. De quo dico ad *l. 4. inf. quorum appellat. non recip.* Ex his vero omnibus apparet, quo quantoque odio adulterii fœditatem Imperator hic prosecutus fuerit, & sic matrimoniorum sanctitati consultum voluerit, honesti amantissimus Princeps: ex præscripto scil. diuinæ legis, pariter vt sub eo Patres hanc in partem scriptis suis consuluerunt: e quorum numero solus ferme superest Lactantius, *lib. 6. c. 23.* Inde quanto, quamque maturo consilio iudicioque in cognitione huius criminis Iudici procedendum sit; Quo atrocius scilicet crimen est, eo pensiore quoque consilio circa id procedi oportet: Nos ad *legem* accedamus.

Hæc

Hæc igitur *lex*, quæ data est A. D. 326. paulo post Concilium Nicænum, ad locum, QVÆNAM mulieres adulterii TENERI, seu accusari possint pertinet, ac nominatim ad TABERNARIAS, *καπηλίδας* mulieres, vtrum, videl. hæ adulterii teneantur? Et vero hæc distinctio, seu differentia proponitur: Tabernæ videl. Cauponiæ dominam adulterii accusari posse, cum ministra vero siue ancilla tabernæ, potantibus ministerium præbente, adulterium commissum non vindicari. Hæc Constantinianæ huius *legis* sententia est. In qua duo notari oportet, & in antecessum tamen ad eam notandum, cum meretricibus licuisse olim impune lupari, seu libidinem explere, *l. 22. Cod. Iust. de adulter.* quam in rem vide & alios Scriptores, quos Fabrotus memorat *in Theophilum, p. 840.*

Primo igitur loco notandum, dominam cauponæ & ministram hac parte separari a Constantino M. cum tamen olim (vt hæc *lex* quoque satis indicat) sine distinctione, etiam cum his quoque quæ tabernas cauponias publice exercebant, id est cum domina cauponæ adulterium non committeretur: Quod certe testatur Paulus, *lib. 2. sentent. tit. de adulteriis 26. §. 11. pag. 320. edit. Schulting.* vt ex Codice Visuntino extulit Cuiacius III. *obseru. 18. Cum his*, inquit, *quæ publice mercibus vel tabernis exercendis procurant, adulterium non fieri placuit.* Hoc scilicet ius vetus fuit, quod gentilis siue pagana Iurisprudentia admisit: Neque Romana tantum, verum & Attica, Romanæ mater. Memorat scilicet Demosthenes *orat. κατὰ νεάιρας. pag. 871. edit. Wolff. Francf. 1604. in fol.* Νόμος ὐκ ἐᾶ ἐπὶ ταύταις μοιχὸν λαβεῖν, ὁπόσαι ἂν ἐπ' ἐργαςηρίυ κάθωνται, ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως. *Lex vetat apud eas pro mœcho arripi quenquam, quæ in taberna meritoria sedeant, aut in foro aliquid ma-*
P. 56. *nifeste vendant.* Quibus locis duobus notandum, idem statui *de Propola*, περὶ τῆς μεταβολέως, quod de tabernaria, quæ scilicet mercimoniis publice præest, vt loquitur eiusdem Constantini *lex 1. C. Iust. de naturalib. lib.* & Martiani, *Nouella 4. de matrim. Senatorum.* quæ quid palam vendit in foro, (in eo toto die consistens) veluti olera, vestimenta trita, & alia. Ἐργαςήριον postremo loco, nil aliud est, quam Taberna quæuis, non tantum cauponia. Sane Thalæleus *ad hanc legem* quoque notat, id quod de taberna cauponia *h. l.* cauetur, exempli tantum gratia additum: Idem enim dicendum esse de qualibet taberna. Quanquam & idem Constantinus *d. l. 1. Cod. Iust. de naturalib. lib.* quam & Martianus refert, *d. Nouella 4.* tabernariam & eam, quæ mercimoniis publice præest, exæquat. Eoque etiam pertinet Artemidori locus *lib. 1. c. 80.* de meretricibus, καὶ ἐπὶ ἐργαςηρίων καθιζόμεναι, καὶ πιπράσκυσαί τι, καὶ δεχόμεναι ἐμπολάς. *Et in officinis desidentes, vendentesque aliquid, & mercimonia suscipientes.*

Tabernæ igitur, vt dixi, cauponiæ, non tantum ministrans, sed & quæ tabernæ ipsi præerat, Lege Iulia de adulteriis soluta erat: itaque indistincte Iurisconsultus in *l. 43. in princ. D. de ritu nuptiarum*, scribit; *Palam quæstum facere dicemus non tantum eam, quæ in lupanario se prostituit, verum etiam si qua (vt adsolet) in taberna cauponia, vel qua alia, pudori suo non parcit.* Et Imp. in *l. vlt. Cod. Iust. si mancipium ita ven. Eam, quæ ita venit, ne corpore quæstum faceret, nec in caupona sub specie ministrandi prostitui, ne fraus legi dicta fiat, oportet.* Et certe tabernarii & tabernariæ ferme lenocinium vel meretricium exercent, iidemque sunt vel lenones vel meretrices, & tabernæ ipsæ lupanaria sunt. Hinc famosarum ministri tabernarum, *l. 8. sup. de Tironibus.* De tabernariis lenocinium ferme exercentibus fidem præstat *l. 4. §. 2. D. de his qui notantur infamia: d. l. vlt. Cod. Iust. si mancipium ita venierit: d. lex 43. §. 1. D. de ritu nuptiarum:* In *Copa* initio quoque (quod carmen nonnulli Virgilio adscripserunt) *in Corpor. Poetar. Latin. Tom. II. pag. 1589. edit. Londin.*

Copa Syrisca caput Graia redimita mitella,
Crispum sub Crotalo docta mouere latus:
Ebria famosa saltat lasciua Taberna:
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Sed & Tertullianus, *lib. de fuga in persecutione cap. 13.* furibus & aleonibus eos coniungit. *Nescio*, inquit, *dolendum, an erubescendum sit, cum in matricibus beneficiariorum, & Curiosorum, inter Tabernarios, & Lanios, & fures balnearum, & Aleones, & Lenones, Christiani quoque vectigales continentur.* Et vtique Tabernarii inter viles personas & infames prope habiti, vt docebit quoque *lex vn. infr. de vsu sellarum:* vbi vna cum scenicis, iisque qui spectaculo sui præbent populo materiam voluptatis, vsu sellarum, & sedendi & conueniendi in publicum facultate his interdicitur: vide quæ *ad eam legem* notaui. Similiter scænicis, humilibus, abiectis personis, lenonibus &c. exæquantur eiusdem Constantini M. constitutione, *l. 1. Cod. Iust. de naturalibus liber.* quam & memorat Martianus *Nouell. 4.* Et eleganter Philostratus *in Epist. 23. pag. 891. edit. Morell. ad mulierem cauponiam*, quam γυναῖκα καπηλίδα vocat, ostendit, καπηλεῖα ferme fuisse ἀφροδίσια: sic apud Suetonium in *V. Neronis cap. 27. Insignes ganeæ, & matronarum institoria, copas imitantium.* Xiphilinus *in Epitome Dionis, pag. 446. edit. Sylburg.* describit Auitum, τὰ τῶν καπηλίδων ἐργαζόμενον, copas imitantem. (a) Et apud Græcos olim sicut etiam hodie in quibusdam Italiæ locis, non multo erat honestior locus πανδοχεῖον, id est, *taberna cauponia, popina*, quam οἴκημα, id est *lenonis*, aut *meretricis domus.* Et apud Hebræos eadem vox *Zonah*, & meretricem significat, & cauponam: vnde de Rachab, quam sacra Scriptura *Hebr. 11. v. 31.* & *Iacob. 2. v. 25.* πόρνην diserte vocat, & Syrus quoque Interpres probat; ita quidem sentire ausi sunt, neque tantum Iudæi, veluti Paraphrasis Chaldaica, Rabbi Schelomo, Rabbi Kimchi eam non nisi nomine tenus πόρνην, reuera autem Tabernariam fuisse. Nec multo aliter apud Latinos, qui τὸ πανδοχεῖον, *stabulum*, & τὸν πανδοχέα *stabularium*, dixerunt: Mereticem autem *prostibulum.* Eo factum quoque iure Romano, vt viri quibus honestas curæ erat, æque in cauponis ædibus, seu propina conspici erubescerent, ac in lenonis: *l. 21. §. 11. D. de receptis qui arbitr.* Sed & Græco more: Quod vel ex iis patet, quæ de Stratonico Cytharædo refert Ælianus 14. *Variarum, cap. 14.* Eoque honesti homines, imo & honestiora mancipia, raro intrabant Athenis: Isocrates *in Areopagitico pag. 355. edit. Wolffii Basil. 1571. 8. apud Oporinum.* Ἐν καπηλείῳ δὲ φαγεῖν, ἢ πιεῖν, ὐδεὶς ὐδ' ἂν οἰκέτης ἐπιεικὴς ἐτόλμησε, id est, *in caupona edere aut bibere, nemo ne frugi quidem seruus audebat.* vide & Athenæum *lib. 13. Δειπν. pag. 237. edit. Aldin. 1514. in fol.* hunc ipsum locum referentem. Quin & Theophrastus, *characterem hominis desperati & famæ suæ securi pag. 19. edit. Casaub.* cauponam exercere, lenonem, ac publicanum esse, & in nullo turpi opificio se abstinere, constituit: Δεινὸς δὲ καὶ πανδοχεῦσαι, καὶ πορνοβοσκῆσαι, καὶ μηδεμίαν αἰσχρὰν ἐργασίαν ἀποδοκιμάσαι. *Cauponam quoque exercere, & leno esse solet, ac qui a nullo*

(a) Sequentia omnia, quæ de *tabernis* atque *de tabernariis blanditiis* hic leguntur, excerpta sunt vix verbis mutatis, ex CL. CASAVBONI *Commentar. ad Theophrast. capit.* περὶ ἀπονοίας, *pag. 184.* & ex eiusdem *not. ad cap.* περὶ κακολογίας, *pag. 365.*

a nullo turpi artificio se abstineat Tabernariarum blanditias ad se prætereuntes allicientium perstringit Theophrastus *Charactere 28. pag. 73. edit. citat.* Suetonius, *Nerone, cap. 27.* Xiphilinus ex Dione de Auiti gestis, *pag. 446. edit. Sylburg.* & venustissime carmen quod Copa inscribitur *supra excitatum*; vt *tabernarias blanditias* recte dixerit *Apuleius Apolog. pag. 316. edit. Lugd. B. apud. Jean. Maire.*

Verum huic veteri, quod dixi iuri, morique, quo domina tabernaria a ministra non distinguebatur, adhibita saltem distinctione a Constantino *h. l.* derogatum fuit. Sub specie ministrandi scilicet, sub prætextu instrumenti cauponii, ancillæ vt prostitui (*l. vlt. Cod. Iust. si mancipium ita venierit*: quæ Alex. Seueri est: & *d. l. 43. §. 3. D. de ritu nuptiarum*:) ita prostituere se ipsas solent, & veluti flagitium profiteri. Et vero professio hæc, honore matronæ & stolæ, mulierem exuit, & adulterio liberat, vt iam notum est, & vulgare de illis mulieribus, quæ stupri licentiam apud Ædiles profitebantur, quæ alibi sunt requirenda.

Illud obseruandum superest, ipsammet Constantini matrem Helenam memorari, *Tabernariam*, siue *stabulariam* fuisse, quod etiam D. Ambrosius *in Orat. de obitu Theodosii* memorat. Vnde & Eutropius Constantinum natum ex obscuriori matrimonio scripsit *lib. 10. cap. 2.* Zosimus vero *lib. 2 cap. 8.* natum, ἐξ ὁμιλίας γυναικὸς ἐ σεμνῆς ἐδὲ κατὰ νόμον συνελθέσης Κωνςαντίῳ τῷ βασιλεῖ. id est, *Ex consuetudine mulieris, quæ non esset materfamilias*, vt non male vertit Interpres, seu vt idem ait *lib. cit. cap. 9.* ἐξ ἀσέμνε μητρὸς. *Stabularia* scil. matronali iure, & matronarum nexu soluta erat ex Iurisprudentia Romana Gentilitia: At non & castigatione Christiana, quam Constantinus secutus, ex qua, vt Apostolus disertis verbis scribebat, τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. Christiana scil. disciplina matronas omnes esse cupit, & nullum statum matronali iure soluit. In hac schola itaque iam edoctus Constantinus (& quis scit etiam, an non ex parte natali suæ maculæ eluendæ) hanc *legem ferre* voluerit, adhibita saltem illa, quam dixi distinctione, cum abolendæ prorsus veteri turpitudini, inter hæc initia, impar esset. Distinctione, inquam, inter dominam cauponæ, & ministram inuecta; Neque enim adeo probandum quod tam interpres *huius l.* quam interpretes Basilicon, & Guiacius, & cæteri hanc huius legis sententiam esse putant, in domina cauponæ distinguendum esse, an *ipsa* per se, αὐτὴ δι' ἑαυτῆ in caupona ministrauerit, an non: quod & a verbis, & a sententia *legis* alienum est. Domina enim & Ministra simpliciter opponuntur: Domina cauponæ indistincte matronalibus legibus subiicitur: ministra soluitur. Denique verba illa, *& ita obsequio famulata seruili* &c. explicant quid per *ministram cauponæ* hic accipiendum sit. Quare mox æquipollentia hæc subiiciuntur: Si *vero potantibus ministerium præbuit.* Ergo dominas tabernarum matronali honore non soluit Constantinus M. Qui idem tamen indignita- P. 57. tis saltem & honoris alicuius viris nuptias seu consuetudinem cum tabernariis auersatus est A. D. 336. *d. l. 1. Cod. Iust. de natural. liberis*: *& Nouella Martiani 4.* In tantum quidem, vt liberos exinde susceptos, ne Rescripto quidem Principis legitimos fieri, aut his quidquam donari voluerit. Quam constitutionem abrogauit postea Iustinianus *Nouell. 89. c. vlt.* & iterum *Nou. 117. c. 6.* Et hactenus quidem *hac l.* processit Constantinus M. vt dominas ab ancillis distingueret. At enim Christiana *lex* in totum non distinguit: de quo v. Chrysostomum *homil. 5. in 1. ad Thessal. pag. 1441. edit. Commelin.*

De huiusce *legis* æra, deque eius Authore, & Africano, ad quem hæc *lex* data est, aliquid *sub finem* adiiciendum est: *Africani* huius sub Constantino M. nulla alibi, quod sciam, mentio occurrit. Ex eo tamen quod V. C. dicitur, vt & ex ipso legis argumento colligo, eum Rectorem Prouinciæ alicuius fuisse: sub Constantio equidem An. 354. *Constantino A. VII. & Constante Cæs. III. Coss.* vel 355. memoratur Africanus Rector Pannoniæ secundæ, apud Amm. Marcellinum, *lib. 15. cap. 3.* (de quo & Iulianus *ad S. P. Q. Atheniensem pag. 273. edit. Lips. Spanhem.*) Item sub Valentiniano Africanus ex Aduocato Vrbis Romæ Rector prouinciæ apud eundem *lib. 29. cap. 13.* Coniiciebam aliquando hanc legem *Constantio* adscribendam, & referendam eam ad *Constantium A. VII. & Constantem Cæs. III. Coss.* id est eum ipsum Annum 354. vt ita hic idem ille *Africanus* sit Pannoniæ secundæ Rector, de quo Marcellinus: Et in subscriptione huius legis, *Heraclea* accipienda sit in prouincia *Viennensi* secunda Gallia Narbonensi, quæ & *Caccabaria* cognominata, de qua Plinius *H. N. lib. 3. cap. 4.* & Antoninus *Itinerar. pag. 505. edit. Wesseling.* vbi hoc tempore Constantius extitit, & quidem etiam Arelate, mox Valentiæ. Vide *Chronologiam.* Verum nil temere mutandum.

II. (a) Idem A. ad Euagrium (b) PF. P. (c)

QVAMVIS adulterii crimen inter publica (d) referatur, quorum delatio in commune omnibus sine aliqua Legis interpretatione (e) conceditur, tamen ne volentibus temere (f) liceat fœdare (g) connubia, proximis necessariisque personis solummodo placet deferri copiam accusandi: hoc est, (h) patrueli, consobrino, & consanguineo maxime fratri, quos verus dolor (i) ad accusationem impellit. (k) Sed & (l) his personis legem imponimus, vt crimen abolitione (m) CONpescant. In primis maritum genialis (n) tori vindicem esse oportet: cui quidem (o) ex suspicione etiam ream coniugem facere, (p) nec intra (q) certa tempora inscriptionis vinculo contineri, (r) Veteres retro Principes adnuerunt. Extraneos autem procul arceri ab hac accusatione censemus. Nam etsi omne genus accusationis necessitas inscriptionis adstringat; nonnulli tamen proterue (s) id faciunt, & falsis contumeliis matrimonia deformant. (t) PP. Nicomediæ, (v) III. Kalend. Maii. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. [326.]

INTERPRETATIO. *In adulterio extraneam mulierem nullus accuset, sed propinqui ad quorum notam pertinet, hoc est, frater germanus, frater patruelis, patruus & consobrinus, qui tamen ante inscriptionem, si accusata adquieuerit, possunt per satisfactionem veniam promereri: reliqui vero ab accusatione prohibentur. Maritis sane etiam ex suspicione accusare permissum est.*

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Lex 30. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.
(b) Eidem Euagrio P.P. inscribitur hoc ipso anno *lex 2. supr. de custodia reorum: & lex 13. infr. de Decurionib. lex 11. Cod. Iust. de his quæ vi metusue causa.* ID.
(c) P. P. abest a MS. W. Cod. Iust. Cuiac. prim & in 4. it. Sichard. MS. autem Gothan. habet, *Euagrium PFO. Nicomediæ.* Forte hoc stabilire potest coniectura n quam vid. *not. v.* RITTER.
(d) *L. 1. D. de public. iudic.* §. 4. *Instit. de Publ. iud.* GOTHOFR.
(e) *Interpretatione*, id est, exceptione, limitatione. ID.
(f) *Temere*, προπετῶς infr. Proterue. ID.
(g) Turbare bene concordans matrimonium, *l. 1. §. vlt D. de liber exhib.* Paulus 5. *sent.* 6. §. 15. vid. & Africanii locum *Diuort.* apud Nonium *cap. 4. num.* 425. vide & quæ notabo ad *l. vlt. infr. de raptu virginum.* Falsis contumeliis matrimonia deformare, *infr. h. l.* ID.
(h) *Hoc est patri, fratri, nec non patruo & auunculo* Cod. Iust. ID. *Hoc est Patruo consobrino*, &c. MS. G. RITTER.
(i) Vide quæ notaui ad *l. 5. supr. de accusat.* Proprie familiæ dedecus, *de l. vlt, infr. de raptu virg.* GOTHOFR.
(k) *Compellit* MS. G. RITTER.
(l) *Etiam*, C. Iust. GOTHOFR.
(m) *Si voluerint, compescant.* Tribonianus. *vid. l. 1. infr. de abolit.* ID.
(n) vide *Glossarium.* ID.
(o) *Et ex suspicione*, &c. Cod. Iust. A Cod. Wurceb. illa: *ex suspicione*, absunt. RITTER.
(p) *Licet, vel eam, si tantum suspicatur, penes se retinere non prohibetur:* hoc add. a *Trib.* GOTH. Sichard. etiam, *facere licet*, edidit. RITTER.
(q) *Intra certa tempora*, hæc absunt a *Cod. Iust.* GOTHOFR.
(r) *Teneri.* Edit. Sich. *Contineri, cum iure mariti accusaret*, hoc additum *Cod. Iust.* RITTER.
(s) *Temere.* sup. GOTHOFR.
(t) *Fœdant*, supra. *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* hoc subiicitur *Cod. Iust.* quod a Tribon. ex parte *ex l. 4. infr. quorum appellat.* desumptum seu assutum, notarunt iam Cuiacius, & P. Faber: de quo *ad d. l.* Quod hic ab Interprete omissum perperam credidit Goldastus *in omisis notarum ad Valerianum p.* 484. ID.
(v) *Nicomediæ* proposita lex, quæ data est ad P. P. Orientis, de quo dixi *ad l. 4. sup. de accusationib.* vt videatur hæc eius sedes hoc tempore fuisse. ID.

COMMENTARIVS.

ACCVSATIONEM adulterii qui nam instituere seu Quinam adulterii accusare possint, quibusque conditionibus, hac Constantini M. constitutione definitur, A. D. 326. Nicomediæ proposita sanciendæ Matrimoniorum sanctitati. Ex *lege Iulia* accusatio adulterii publica erat, id est, patebat omnibus, non tantum propinquis, affinibus, verum & extraneis quibuscunque (qui modo alias accusandi ius haberent) & quidem constante quoque matrimonio, *l. 39. §. 1. D. ad leg. Iuliam de adulteriis*, tam adulterum, quam adulteram accusandi potestas erat: Adulterum, inquam, tametsi lenocinii virum prius non accusaret accusator, *d. §. 1.* adulteram vero ipsam, non nisi marito prius lenocinii accusato, adulterii accusare extraneus, constante matrimonio, poterat; *l. 26. D. ad leg. Iuliam de adulteriis.* Scilicet propter pudorem viri constante matrimonio noluit Iurisprudentia temere traduci mulierem, quam maritus probat & retinet. Igitur adulteræ, quæ in matrimonio manet, propter virum pepercit. Rata igitur hæc fit differentia; ab extraneo, constante matrimonio & adulterum & adulteram accusari potuisse, hoc posteriore tamen casu lenocinii marito prius peracto. Verum ex hac Constantini M. constitutione hæc differentia procul dubio inter adulterum & adulteram sublata est: Quandoquidem constante matrimonio ab extraneo quolibet adulterii accusationem omnino institui vetat. Nam, vt fateri oportet, vtroque casu bene concordans matrimonium turbatur, siquidem & cum adulter ac non etiam adultera accusatur, per eius latus tamen alienum matrimonium concutitur & fœdatur; cum vero lenocinii maritus peragitur, multo magis. Igitur ne volentibus temere liceat fœdare connubia, accusandi ius extraneis adimit Constantinus *h. l.* his tantum accusandi iure relicto: proximis, inquam, & necessariis personis, præter maritum scilicet ipsum, patrueli, consobrino & consanguineo fratri: hac ratione, quoniam has personas iustus & verus dolor, & (vt loquitur *lex vlt. infr. de raptu virginum*) familiæ suæ dedecus ad accusationem impellit: extraneum autem, id est, cæteros audacia & proteruia plerumque, quæ vtique cohibenda est, ne falsis contumeliis matrimonia deforment, maxime bene concordi coniugio. Præsumuntur scil. extranei non tam odio criminis, quam calumniandi animo & temere accusationem hanc instituere, in tantum (quam dubitandi rationem *lex in fine remouet*) vt non satis efficax sit, aut videri possit, ad cohibendam horum temeritatem seu proteruiam Inscriptionis remedium; quo aliquin accusantium temeritas refrenari solet, vt plenius ostensum est *Titulo 1. huius lib.* Vbi de matrimonio turbando agitur, obtentu inscriptionis, extranei proteruiæ aut calumniæ velificari non oportet. Tantum matrimonii sanctitati Christianus Princeps delatum voluit; Sanctitati, inquam, nam & ita eam vocat *lex vlt. sup. de legitimis hæreditatibus.* Qua causa & Adulteri, sacrilegi nuptiarum dicuntur, *l. 30. §. 1. Cod. Iust. ad leg. Iul. de adult.* & *l. 4. inf. Quorum appellat.* Atque hoc sic ut dicam, matrimonium honore Constantinus M. extulit, quem auxerunt postea magis magisque Christiani Principes.

P. 58.

Ex his iam apparet adulterii crimen a Constantino M. publicorum criminum numero non ideo expunctum fuisse, quod censent nonnulli temere; verum publicam tantum eius accusationem sublatam. Aliud enim est publicum crimen, aliud publica accusatio. Nam & popularis actio publicam accusationem admittit: At publicum erat, quod ex legibus iudiciorum publicorum veniebat, id est, de quibus publice, id est, coram populo iudicabatur: breuiter quorum iudicium publicum erat, vnde *publicorum iudiciorum* nomen meruerunt. Item ex his constat, ius accusandi extraneis *h. l.* ademptum penitus fuisse, atque adeo iuri veteri hac parte derogatum: quod & recte olim sensit Ricardus, & *Ratio*, lege comprehensa manifestissime ostendit, & apertissima legis *verba*, quibus plane taxatiuis, & aduersatiuis, extraneis accusandi facultas adimitur, his inter cætera, *proximisque necessariisque personis* SOLVMMODO. Et mox, *Extraneos* AVTEM PROCVL *arceri ab hac accusatione censemus*, [id est, iubemus:] Denique & contrarii remotio id in *fine legis* euincit. Vt proinde fallantur plerique Doctorum, qui *h. l.* ius prælationis tantum proximis & necessariis personis tributum scribunt, non autem extraneos penitus exclusos

clusos censent: De iure quippe accusandi *h. l.* agitur, non autem de iure prælationis.

Difficilior illa quæstio succedit; An soluto saltem matrimonio extraneis accusandi ius *h.l.* relictum fuerit? Cuiacius certe in ea est sententia, soluto matrimonio a quolibet extraneo adulterii accusationem institui posse. Cui sententiæ fauere videatur huius constitutionis ratio quæ hoc casu cessat. At constante matrimonio, præter maritum non admittuntur alii, *h. l.* quam fratres, quos scilicet familiæ decus proxime tangit: Fratres inquam consanguinei, & præter hos patrueles & consobrini. Quanquam in quibusdam *huius Codicis* editionibus, loco huius vocis, *patrueli*, editum reperio, *patri vel filio.* Sed & Tribonianus præter patrem & fratrem, *patruum & auunculum* inseruit. Vt ex his proinde iam confecta sit quæstio illa: An præter personas *h. l.* enumeratas, etiam alii coniuncti admittantur? Certe Constantini mentem attendenti, facile est videre, nullos alios admittendos. Neque est quod dicat quis, extraneos tantum *h. l.* arceri (quam rationem Salicetus vrget:) verum quid *Extranei* appellatione intelligendum hac in re sit, ex toto *legis* contextu liquido apparet: *Extraneus* dicitur, qui inter enumeratas specialiter personas non est. Nam & ita *in lege Iulia de adulteriis*, ipsa *extranei* appellatione, alii omnes præter patrem & maritum intelliguntur: *l. 4. §. 1. D. h. tit.* Sed & *l. 13. §. 4. D. eod. tit.* hæc inter se opponuntur, *iure mariti*, & *iure extranei accusare*: Pro subiecta scilicet materia verbum *extranei* diuersimode accipitur.

Et hæc quidem de *huius legis* sententia, vbi Tria tamen adhuc obseruare oportet, quibus proximorum hac in re iusto dolori consulitur. Primum est; proximis personis *supra* enumeratis licere crimen abolitione compescere, id est, licere impune pœnitere, & ab accusatione desistere, impetrata a Iudice illico venia, cum alioquin abolitio causæ cognitionem requirat; de quo dicetur, *infr. tit. de abolitionibus.* & nominatim *leg. 1. eius tituli.* Ratio huius rei hæc est, quia scilicet hoc ipsum quod inquiri solet, & quod requiritur ad abolitionem impetrandam, in propinquis ipso iure præsumitur: Eos scilicet non deceptione aliqua aut pecunia corruptos, verum iusto ob dedecus familiæ opinatum dolore siue sensu ad accusationem prosiluisse. Est hæc iuris præsumptio, huiusce modi personas coniunctas in sanguinem suum non sæuire voluisse: de qua præsumptione videndus est Menochius *lib. 5. Præsumptionum.* In tantum vero crimen hoc abolitione compesci posse definit Constantinus M. vt etiam verbis imperatiuis id imperet. *Sed & his personis legem imponimus, vt crimen abolitione compescant.* Quod miror.; Ideo Tribonianus hæc addenda credidit, *si voluerint* quæ tamen contraria videntur illis, *legem imponimus.* Verum nullam necessitatem hæc important: dixit enim Constantinus *compescant*, pro compescere possint & *legem imponimus*, id est, *hanc concedimus licentiam.*

Secundum singulare istud est, vt maritus vxorem adulterii accusare possit etiam ex nuda suspicione: nempe quod matronam, vt in hoc eodem argumento loquebatur Cæsar, scribente Suetonio, *non tantum crimine, sed & criminis suspicione vacare oportere, cap. 74.* sicut non ex leui causa siue culpa matrimonia diuelli Constantinus permisit, *l. 1. sup. de repudiis*; sed tantum, si vel adultera, vel venefica, vel lena conuicta fuerit: ita vicissim vel hoc marito relinquendum credidit, vt quanquam ex nuda adulterii suspicione matrimonii sanctitas distrahi non posset, saltem ex suspicione accusationem adulterii posset constituere. P. 59.

Postremum e tribus est singulare: Marito vxorem adulterii accusanti inscriptionis vinculum remitti; quamdiu iure mariti accusat, seu vt loquitur lex, *intra certa tempora*, id est intra sexaginta dies vtiles, qui *lege Iulia de Adulteriis* marito dabantur, ad accusandum iure mariti, *l. 6. 21. Cod. Iust. eod. tit.* & *l. 4. 14. §. 2. D. eod. tit. l. 37. §. 1. D. de minoribus:* & *l. 12. §. 6. D. qui & a quibus*; deque eo extat locus apud Tacitum *lib. 2. Annalium cap. 85.* Idque est quod iure dicitur *iure mariti accusare.* Post hoc enim sexaginta dierum tempus maritus non iam vt maritus, sed vt extraneus ad accusationem admittebatur. (a) At si intra eos dies accusaret, multa singularia seu præcipua habebat: inter cætera, quod sine metu calumniæ accusaret, *l. 6. Cod. Iust. eod. tit. l. 37. §. 1. D. de minoribus.* atque adeo ab Inscriptione liberaretur. Ideo quoque Constantinus *h. l.* ait, *Veteres id retro Principes adnuisse:* Proinde in Turpilianum maritus accusans non incidit, *l. 15. §. 2. D. ad SC. Turpill.* quanquam sunt, qui *eius* §. aliam esse sententiam volunt. Vice versa, post sexaginta dies maritum accusantem, velut extraneum inscribere cogi; atque adeo calumniæ iudicium subire hinc colligitur. Sublatam proinde a Constantino & ademptam extraneis adulterii accusationem, non tamen sublatam accusationem marito iure extranei. Alioquin & hoc singulare habet maritus intra prædicta tempora iure mariti accusans: vt etsi duos reos ex alio crimine habeat, iure viri tamen tertium accusare posit, *leg. 6. §. vlt. D. ad leg. Iul. de adulter.*

Singularium vero horum duorum potentiorum, quæ in marito iure mariti accusante, inducta notaui, ratio hæc vna est, quod maritum cumprimis genialis tori vindicem esse oporteat, iustoque eius dolori hac parte multum tribuendum sit, suam iniuriam & genialis tori seu matrimonii sanctitatem vindicanti *l. 12. Cod. Iust. de his qui accusare non poss. l. 11. D. de accusationibus.* Sane quammultum Constantinus ipse (paulo ante *hanc l.*) in occidenda *Fausta* coniuge sibi licere putauerit, memorant Historici.

(a) Addendus hic venit elegantissimus locus EVSTATHII περὶ χρονικῶν διαστημάτων, *pag. 216. apud Freher. Tom. II. Iur. Græc. Rom.* quo & antiquum & recentius ius traditum obseruabis. Ita vero ille: Ἄχρι ξ ἡμερῶν συνάπτων ἐκίνει ὁ ἀνὴρ δικαίῳ ἀνδρὸς κατὰ τῆς γυναικὸς τὸ μοιχικόν, ὡς βιβλ. θ. τοῦ Κώδ. τίτ. θ. διάτ. ϛ. καὶ βιβλ. μη. τῶν διγ. τιτ. δ. διγ. ια. τῶν δὲ βασιλ. βιβλ. ξ. τιτ. λζ. κεφ. μϛ. καὶ βιβλ. ι. τιτ. δ. κεφ. κθ. σήμερον δὲ, ὡς φησὶ νεαρὰ ριζ, τῶν δὲ βασιλικῶν βιβ. κη. τιτ. ζ. κεφ. α. ἐγγράφως (ἀπαιτούμενος) ἀπαγγελλόμενος. ἀνῄρηται γὰρ αὐτῷ ἡ διαφορὰ τῷ δικαίῳ ἀνδρὸς, καὶ οὐκέτι δύναται μεταμεληθῆναι μετὰ τὴν ἐγγραφὴν, μὴ συγχωρούσης τῆς γυναικός. πλὴν δοκεῖ τισιν ἀνῃρῆσθαι. οὐ γὰρ λέγει τοῦτο ῥητῶς ἡ νεαρὰ, ἀλλ' ἁπλῶς φησὶ προσήκειν τὸν ἄνδρα ἐγγράφως δηλαδὴ μετὰ τὰς ξ ἡμέρας .... *Maritus accusationem adulterii aduersus vxorem iure mariti, usque ad 60. dies continos instituebat.* *Cod. lib. 9. tit. 9. constit. 6. & Dig. lib. 48. tit. 4. dig. 11. Basilic. lib. 60. tit. 37. cap. 46. & lib. 10. tit. 4. cap. 29. Hodie vero ceu Nouella 117. tradit, & Basilic. lib. 28. tit. 7. cap. 1. inscriptiones ab eo petuntur. Etenim ademptum est ei discrimen hoc, iure mariti: nec amplius pænitere post inscriptionem potest, ipsa muliere non permittente. Verum hoc sublatum aliquibus esse videtur. Non enim hoc expresse Nouella dicit, sed simpliciter ait, conuenire marito, vt in scriptis scilicet post Sexaginta dies ...* Videnda etiam *Collatio Leg. Mos. & Roman. Tit. 4. §. 4.* & quæ *ibidem* a viris doctis notata sunt.

III. (a) Impp. CONSTANTIVS (b) & CONSTANS AA. ad Populum. (c)

CVM vir nubit (d) in femina, (e) viros proiectura, (f) quid cupiat, (g) vbi sexus perdidit locum? vbi scelus est id, quod non proficit scire: (h) vbi Venus (i) mutatur in alteram formam: vbi amor quæritur, (k) nec videtur; (l) iubemus insurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquisitis pœnis subdantur infames (m) qui sunt, vel qui futuri sunt rei. Dat. Prid.

Prid. (n) Non. Decemb. Med. PP. Romæ. (o) XVII. Kal. Ianuar. Constantio IX. (p) & Constante AA. coss.

NOTÆ.

(a) Lex 31. *Cod. Iust. eod. tit.* Concordat *lex 6. infr.* Abest hæc a Basilicis. *GOTHOFR.*

(b) *Constantinus & Constans*, Cod. Iust. *RITTER.*

(c) Vrbis Romæ. *GOTHOFR.*

(d) De hac *Nubendi* voce notum, quicquid dici potest. *ID.*

(e) *In fœmina*: Malim, *in fœminam*: vide *Commentarium*. *ID.*

(f) *Viros proiectura*: de his verbis, vide quoque *Commentarium*. *ID.* *In fœminam viris porrecturam*, Cod. Iust. *RITTER.*

(g) *Quid cupiat*: & de his verbis consule *Commentarium* *GOTH.*

(h) Forte, *serere*. Huc illud Maximi Tyrii *dissert.* 10. ἐπὶ πετρῶν σπείρειν. *ID.* *Serere* in eadem re dixit Minutius *in Octau. cap.* 31. & Tertullianus *lib.* 1. *ad uxor. cap.* 5. Vid. GRONOVIVM *ad loc. cit. Minut.* *RITTER.*

(i) Κοινὴ δὲ αὐτοῖς Ἀφροδίτη δημεύεται. *Iam vero eis quoque communis venus publicatur.* Clemens Alexandr. *Pædagog. lib.* 3. *cap.* 3. *IDEM.*

(k) De his quoque mox. *ID.*

(l) Videndus Commentarius. *ID.*

(m) *Infamis* vox hac in re propria. *IDEM.*

(n) Eodem die data *lex* 5. *infr. de maleficiis.* *ID.* *Dat. Prid. &c.* absunt a Cod. Iust. *RITTER.*

(o) *Romæ proposita*, hæc *lex* pariter vt *l.* 6. *infr.* eiusdem argumenti: de quo mox. *GOTHOFR.*

(p) *Constantio VIII. & Constant. Cæs. IV.* Cod. Iust. Putarem referendam hanc *legem* ad *Constantium VII. & Constantem III. AA.* Coss. id est ad A. D. 354. Nisi, quod suadere videtur dies subscriptus, eam referas ad A. D. 357. eamque coniungas cum *d. l.* 5. *inf. de maleficiis.* *ID.*

COMMENTARIVS.

SCANTINIÆ legis crimen, seu ἀρσενοκοιτίας, παιδεραστίας flagitium, & portentum contra naturam, hoc Edicto (quod verbis elegans, re seu materia turpe, & ideo quorundam sententia, sed falso affectata obscuritate, ad tegendam rei obscœnitatem, sententia tamen iustissima, in scholis non legitur) Constantius Romæ persequitur: pariter vt Romæ itidem Valentinianus iunior & Theodosius M. *l.* 6. *inf.* Iustinianus Constantinopoli, *Nouella* 77. & 141. Nempe hoc illud monstrum criminis est, sexus sui transfugarum, quod superioribus seculis, etiam a Traiano (de quo vide Dionem *in Epitom. Xiphilin. pag.* 340. *edit. Sylburg.* & Spartianum *in Adriano cap.* 2. & Iulianum *in Cæsaribus pag.* 333. *edit. Lips. Spanhem.*) Romæ publicis etiam locis inualuit. Adeo vt οἱ σοφοὶ quoque τῶν νόμων portenta hæc inulta finerent: quod vt D. Paulus *ad Romanos cap.* 1. *v.* 27. collato cum *v.* 22. & 24. indicat, & Philo *de specialibus legibus*, *pag.* 782. 783. *seqq. edit. Francfurt.* ita & Clemens Alexandrinus testatur *lib.* 3. *Pædagog. cap.* 3. Et quousque hæc processerint, memorat (neque enim ego memorare sustineo) Iustinus, haud procul *initio Orat.* 2. item *Apol.* 2. & Tatianus *in Apol. pag.* 287. Minutius Felix *Octauio cap.* 28. Cyprianus *ad Donatum pag.* 6. *edit. Ioan. Oxoniens. Bremæ* 1690. Itaque & Lampridius *duobus locis*, *in vit. Heliogabali cap.* 5. & 10. 12. & *in vita Alexandri Seueri cap.* 24. testatur, etiam sub Alexandro Seuero in vsu, atque impunita hæc fuisse. Quare Scantiniam iam nemo metuebat, vt Tertullianus diserte scribit *libr. de monogamia*, *c.* 12. videndum & quod idem memorat 1. *ad Nationes*, *cap.* 16. Qua causa etiam (quod non fine horrore memoria repeto) pœnam capitalem absolute in illius seculi *legibus*, in Pandectas vel alios *Iuris veteris* libros relatis, huic portento & flagitio impositam minus videmus: Verum hoc solum, quod qui masculum liberum *in-*
P.60. *uitum* stuprasset, capite puniebatur: Et is qui voluntate sua stuprum flagitiumque impurum passus fuerat, dimidia parte bonorum suorum multabatur, nec testamentum ei ex maiore parte facere licebat: vt ex Pauli *sent.* refertur apud *coll. legum Mosaic. tit.* 5. §. 2. Imo Alexander Seuerus huic maculæ eluendæ manum admouere veritus, quod Lampridius *in Vit. Alexandri cap.* 24. testatur. At enim Philippum tandem id vetuisse: quod etiam Sext. Aurelius Victor prodit *de Cæsarib. c.* 28. *Philippus*, inquit, *quia forte prateriens filii similem pro meritorio ephebum conspexerat, vsum virilis scorti remouendum honestissime consultauit.* *Consulto vetauit* vel *confutauit.* Manum igitur portento huic eradicando Romæ admouit Philippus, sed reductum: subiicit enim idem Victor, *Verum tamen manet: quippe conditione* LOCI [puta meritorii] *mutata, peioribus flagitiis agitatur: dum auidius periculosa, quibusque mortales prohibentur, petunt.* Qui Victor circa hæc ferme ipsa tempora scripsit. Sane & Lactantius sub Constantino M. scelus istud stetisse testis, & quidem inter vsitata crimina, *lib.* 5. *c.* 9. & deinceps fidem facit hæc *lex*, & *lex* 6. abhinc altera. Quare subinde Christiani Principes, puta Constantius *h. l.* & Valentinianus Iun. cum Theodosio M. postea *l.* 6. quantum in se obuiam iuere portento, Romæ inter Romulidas præualenti. Neque eo secius posthæc Romæ mansit iam ruente Imperio, vt ex Saluiano liquet, cuius verba reddam ad *l.* 6.

Cæterum quod pœnam huius flagitii attinet: Mortis equidem pœnam infligit sacra Scriptura & quidem vtrique, crimen admittenti, & passo: *Leuit.* 20. sed mortis genere non expresso: Constantius quoque *h. l. exquisitis pœnis* hoc scelus expiari iubet, id est summo supplicii genere, & sic ignis pœna: quomodo & Valentinianus Iun. cum Theodosio diserte ignis supplicium imponit *l.* 6. Non gladii pœna *h. l.* imponitur, quod quidam volunt: Verbis enim illis, *iubemus armari iura gladio vltore*, non gladii pœna indicatur, verum seueritas pœnæ; *gladii ius*, & *gladius vltor*, pro meri & sæuissimi Imperii exercitio. Libanius quoque *pro saltatoribus*, *p.* 501. *edit. Morell. mortis supplicium lege irrogatum* θηλυδρίαις, diserte scribit. Illam porro nonnullorum, veluti Glossæ *in c. cum secundum leges, de hæreticis in* 6. in *cathol. instit. t.* 66. *n.* 76. & Ræuardi 4. *var.* 20. coniecturam non admitto, quasi hæc *lex* sit proprie de iis viris qui habitum & gradum muliebrem fingentes, viris nubebant tanquam fœminæ, Suetonii *Neron. cap.* 29. Iuuenalis *Satyr.* 2. *v.* 134. *seqq.* Saluiani *de gubernat. lib.* 7. *cap.* 19. locis eo tractis: *Nubendi* enim *voce hac lege*, non nuptiæ solemnes & publicæ designantur, verum flagitiosum

gitiosum istud stuprum: quo sensu & Martialis, & Iuuenalis, cum scil. vt ait Valentinianus, nihil discretum habetur cum fœminis.

Ad alia nunc *huius l.* verba & sententias recurramus, vti liqueat etiam in *ἀῤῥενοκοιτίαν* hanc *legem* scriptam, & quia multis ea negotium facessunt.

Ait lex; *cum vir nubit in fœmina*, pro quo *in fœminam*, Cod. Iust. & recte; dictum enim Attice, pro *tanquam fœmina*, instar fœminæ, seu *in modum fœminæ*. Quo modo dixit Sulpitius Seuerus *lib. 2. hist. Sacræ cap. 28.* de Nerone, vt *Pythagoræ cuidam in modum solemnium coniugiorum nuberet.* Hieronymus *ep. 9. ad Saluinam, de viduitate seruanda pag. 50. Tom. I. Oper. edit. Francf. apud Gensfchium. Histrio fractus in fœminam.* Ante eum Cyprianus *lib. 1. ep. 10.* (*siue Ep. 2. edit. Ioan. Felli Oxoniens.*) *ad Eucratium*, de histrione quodam agens dixit, *quemadmodum masculus frangatur in fœminam, & sexus arte mutetur. πρὸς τὸ θῆλυ*, Clemens Alexandrin. *Pædagog. lib. 3. cap. 3.* & *τὰ γυναικῶν οἱ ἄνδρες πεπόνθασιν. Viri muliebria patiuntur.* Ita quoque *in seruilem conditionem*, dicitur *l. 1. sup. de fugitiuis:* Vt Æneid. *6. v. 42. in antrum*, pro in modum, seu instar antri: & *Geörg. 2. v. 448. Ityræos taxi torquentur in arcus*, id est, inquit Seruius, *in similitudinem arcuum Ityræorum.* Æneid. *3. v. 533. Curuatur in arcum*, & Æneid. 2. *vers. 771. in plumam squammis auro conserta tegebat*, id est, in similitudinem, siue speciem arcus & plumæ, vt idem Seruius explicat: & Æneid. 8. *v. 260. Corripere in nodum.* Propertius *lib. 4. eleg. 6. v. 25.*

Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus.

Sunt & alia alibi similia. In *fœminam* igitur est, muliebri ritu, vt Rutilius Lupus, *inter Rhetores Pithœi*, de figuris sententiarum ex Hyperide, *in mulierem conuertendo se.*

Ait lex; *viros proiectura*, pro quo Cod. Iust. *viris porrecturam*, id est, cum vir nubit instar fœminæ, quæ se viris porrigere solet. Non adeo male. Etsi sui initio *hanc l.* aliter habuisse coniicio: Nam hunc locum ita constituo; *Cum vir nubit in fœminam viro, porrectura*, id est, cum vir viro instar fœminæ nubit, sese porrigendo: nisi malis, *in fœmineam viro porrecturam*, Porrectura substantiuo. *Porrigere* ait Donatus *in Andriam*, fœminarum est. Et occurrit hoc sensu sæpe apud Martialem & alios. Παρέχειν est Græcis & *χαρίζεσθαι*. Hesychius vnus sufficiat, *χαρίσασθαι, παρασχεῖν. λέγονται καὶ αἱ γυναῖκες χαρίζεσθαι πρὸς συνουσίαν ἑαυτὰς ἐκδιδοῦσαι.* (a) Neque admitto Ræuardi restitutionem 4. *var. vlt. vt fœmina viris paritura:* vt neque probandi, qui emendant; *Cum vir nubit fœminæ in viros arrecturæ:* quasi istud sit, quod Seneca dicit: *ep. 95. fœminæ viros ineunt:* quodque Polybius *lib. 12. pag. 659. edit. Casaubon. Paris. 1609. in fol.* & ex eo Suidas, *in Agathocle* narrat.

Ait lex, *Quid cupiat, vbi sexus perdidit locum?* pro quo in Cod. Iust. *quid cupiatur.* Hoc tamen rectum est, *quid cupiat, vir sc.* id est, iam fœminam vir non cupiet, si in fœminam vir viro nubere potest?

Ait lex: *vbi amor quæritur nec videtur:* sic in eadem re Petronius *pag. 64. edit. Lugd. B. 1623. apud Maire.* QVÆRIT *se natura, nec inuenit.* Iulius Firmicus Maternus *de errore profanarum religionum, pag. 412. edit. Gronouii. Effœminatis eum sacerdotum vocibus prosequuntur, quod* IN VIRO FÆMINAM QVÆRVNT, *cui aliter seruire sacerdotum suorum chorus non potest, nisi effœminent vultum, cutem poliant, & virilem sexum ornatu muliebri dedecorent.* &c.

Ait lex: *nec videtur:* Ita quoque Codex Iustinian. est tamen Casellius 1. *var. 2.* qui monet in veteri membrana, legi, *nec inuenitur:* quod sane respondet superiori illi Petronii loco: Clementis quoque Alexandrini locus *lib. 3. Pædagog. cap. 3.* huc facit. *πάντα μετακεκίνηκεν ἡ τρυφὴ, κατῄσχυνε τὸν ἄνθρωπον· ἀθροδίαιτος περιεργία πάντα ζητεῖ, πάντα ἐπιχειρεῖ, βιάζεται πάντα*, &c. *Omnia immutauit luxus: hominem probro ac dedecore affecit: mollis & luxuriosa & superflua curiositas quærit omnia, omnia aggreditur, omnia violenter vrget.*

Illud vltimo loco notandum, & *hac l.* & *l. 6. infr. flagitium passo* nominatim pœnam sæuissimam imponi: eo enim *porrecturæ* vox *hac l.* vt & *patientiæ, d. l. 6.* pertinet, sic & diuina lege *Leuitici 20.* ambo morte affici iubentur.

(a) Vide CL. MAVSSACVM in obseruat. ad Harpocrat. Lexicon. *voc. ἀγυίνεσθαι, pag. 34. edit. Blancard.* qui ex Græcis huic legi iam olim lucem attulit. Et ex hoc fonte sua Noster hausit. Adde CL. VALESII notas in Maussacum, ibid. *pag. 89.* & GATAKERI *dissertat. de Stil. Nou. Test. cap. 11.* & Suidam voc. *χαρίζεσθαι. χαρίζεσθαι*, inquit, *ἰδίως δὲ ἐπὶ ἀφροδισίων.* quod vertit interpres: *peculiariter vero de muliere dicitur, quæ viro porrigit, & sui copiam illi facit.*

P. 61. IV. (a) Imppp. Gratianus, Valentinian. & THEOD. (b) AAA. Cynegio (c) PP.

IN adulterii quæstione (d) ab omni familia, non solum mariti, sed etiam vxoris quæ tamen tunc temporis domi fuerit, (quo adulterium dicatur admissum) quærendum est, sine defensione (e) cuiusquam. Idem * volumus, & si forte mulier marito mortis parasse insidias, vel quolibet alio genere voluntatem (f) occidendi habuisse, inueniatur. (g) Parem (h) etiam conditionem in interrogatione (i) mancipiorum seruari volumus, si forte maritus eo (k) modo insectetur vxorem. Dat. III. Id. Decemb. Constantinop. Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

INTERPRETATIO. *De adulterio vxorum, mariti per tormenta familiæ vtriusque, hoc est, suæ & vxoris, quærere permittuntur: si tamen illo tempore quo admissum dicitur, hæc ipsa mancipia præsentia,* (l) *aut in eadem domo fuisse probantur. Similiter & si mortem sibi ab vxore adultera* (m) *maritus paratam fuisse conqueratur, vtriusque familiæ discussione quæri licet. Similiter etiam familiæ vtriusque pœna* (n) *quærendum est, si maritus mortem vxoris* (o) *qualibet ratione parauerit.*

NOTAE.

NOTAE.

(a) *Lex 32. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) In Cod. Iuſtin. additum eſt *Arcadii* nomen. Recte. *Gratiani* certe nomen in huius *legis* inſcriptione expungendum eſt. Vide *Chronologiam.* . *ID.*

(c) De hoc *Cynegio*, PP. iam ad *l. 4. ſupr. de proxim. Comit.* & ad *leg. 5. prox.* & plene in *Proſopograph.* *ID.*

(d) Cum de adulterio commiſſo quæritur, ſeu agitur. *ID.*

(e) *Defenſione*, id eſt exceptione: vide *Gl. Th.* *ID.*

* *Lex vlt. Cod. Iuſt. ad leg. Cornel. de ſicariis*, hinc deſumpta eſt, atque in eum titulum recte coniecta. Eſt enim hæc pars ab *hoc titulo* fugitiua.. *ID.*

(f) Quæ ad extra proceſſerit, ſeu ad actum aliquem. *ID.*

(g) *Vel ſi forte maritus eodem modo inſectetur vxorem*: ita Tribonianus in *Cod. Iuſtin.* *ID.*

(h) *Dicta lex vlt.* ſequentia recidit. *ID.* MS. G. *Pari etiam conditione interrogationem.* RITTER.

(i) *Interrogatione*, id eſt Quæſtione. GOTHOFRED.

(k) Id eſt, *eodem*: quomodo Tribonianus ſubſtituit. *IDEM.*

(l) *In præſenti*, Cod. W. RITTER.

(m) Perperam omnino hoc additum. GOTHOFRED.

(n) Quæſtione. *ID.*

(o) *Vxori*, MSS. W. & G. RITTER.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. Matrimoniorum ſanctitati, concordiæque ſanciendæ ſex ſequuntur Conſtitutiones, quæ caſtiſſimos Theodoſii M. mores & characterem in ſancienda Matrimoniorum caſtitate & ſanctimonia exhibent. Hæc *lex* eſt de SERVIS in adulterii, & intentatæ mortis inter coniuges, crimine torquendis. *Nempe* SERVI in dominos etſi torqueri regulariter non poſſint (quod notum eſt) in duobus tamen criminibus torqueri eos poſſe definit hac Conſtitutione Theodoſius M. quæ in duas a Triboniano diuulſa eſt. Primum, in *adulterii* crimine. Nam ſi vxor adulterii accuſetur, de *familia*, id eſt, de ſeruis, nullo excepto, quæſtio haberi poteſt. Quod & ipſum iam olim *lege Iulia de adulteriis*, nominatim cautum fuerat, vt oſtendit *lex 4. 5. D. de quæſtionibus*, ante quam *legem*, non niſi in Inceſtus crimine id admittebatur; at non etiam in adulterii, vt teſtatur Cicero *pro Milone cap. 22. De ſeruis nulla lege quæſtio eſt in dominos, niſi de inceſtu*, & in *Partitione Orator. cap. 34. Homines noſtri cum de ſeruis in dominos quæri noluiſſent, de inceſtu tamen & coniuratione quærendum putauerunt.* & Valerius Maximus, *lib. 6. cap. 8. num. 1.* Et Liuius *lib. 8. cap. 15.* cum de Minutiæ Veſtalis inceſtu agit. Poſt illam *legem* non in Inceſtu tantum, verum in adulterii quoque crimine tormenta ſeruorum locum habuere.

Cæterum Tria hac in re ſpeciatim a Theodoſio M. conſtituuntur, quorum Duo, Ampliationes ſunt: Tertium vero, Taxatio ſeu Limitatio quædam eſt.

Prima Ampliatio hæc eſt, non tantum mariti vxorem adulterii accuſantis ſeruos, ſed etiam *vxoris*, in adulterii crimine quæſtioni ſubiiciendos. Non tantum inquam mariti, & ſic pro domino ſeu marito: ſed etiam *vxoris*, & ſic aduerſus dominam. Altera Ampliatio eſt: nullum hac in re ſeruum excipi, *ſine defenſione cuiusquam*, ait lex.

Sequitur Limitatio: de iis tantum ſeruis quæſtionem haberi debere, qui tum temporis cum adulterium admiſſum dicitur præſentes & domi fuerunt, non qui peregre (quod etiam Thalelæus recte addit.) Mitigatur proinde hac parte durities *legis antiquæ*, legis inquam *Iuliæ* de adulteriis, ex qua videlicet ſerui, etiam qui in agro, vel Prouincia fuerant, in adulterii crimine quæſtioni ſubiiciebantur, vt oſtendit *lex 12. §. 1. D. Qui & a quibus manumiſſi:* quæ lex proinde *hac noſtra* abrogatur.

Ad ipſam huius legis definitionem redeamus. In adulterii igitur crimine tantum quæſtio de ſeruis habetur, vel etiam cum Inceſtus cum ſtupro coniunctus eſt, *l. 5. D. de quæſtionib.* at non in ſtupro, vt diſerte Papinianus *l. 17. §. 1. D. de quæſtion.* quo pertinet & Ammiani Marcellini locus, *lib. 28. cap. 1.* vbi de ſtupro Anepſiæ viduæ illato ſimplici, *Mancipia*, inquit, *ſqualore diuturno marcentia in domini caput adusque vltimum lacerabat exitium, quod in ſtupri quæſtione fieri vetuerunt clementiſſimæ leges.* Quem Ammiani Marcellini locum non omnes æque intellexerunt, dum diſtinguere neſcierunt inter ſtuprum & Adulterium. Stuprum eſt quod Viduæ vel Virgini infertur: Adulterium quod vxori, vt Iure decantatum eſt: vide ſaltem *l. 101. D. de verb. ſignif.* Ex qua differentia iam quoque apparet, matrimonii integritati p. 62.
magno ſtudio conſuluiſſe *leges*, & ſanctiſſimæ huius ſocietatis temeratores etiam grauiori pœnæ addixiſſe.

Alterum crimen quod hac Theodoſii M. conſtitutione excipitur, eſt crimen Mortis intentatæ coniugi. Nam ſiue vxor marito, ſiue maritus vxori mortem intentaſſe dicatur, vtriuſque ſerui, qui tum domi fuerant, quæſtioni ſubiiciuntur.

Cæterum, vt eo redeam, hæc duo crimina tantum excipiuntur: non etiam Inceſti, vel ſtupri, hac quoque inter alias ratione, quod etſi in alterum ex dominis ſerui torqueantur, pro altero tamen domino, vel quaſi domino, torquentur. Cui ſimile eſt quod notabam ad *tit. ſupr. Ne præter crimen maieſtatis.* Dixi, *quaſi domino:* Nam & vxoris ſerui, mariti ſerui quodammodo ſunt; & vice verſa. Quod ſingulare interim eſt, vt ſerui pro fictitio domino aduerſus verum torqueri poſſint. At in ſtupri, vel Inceſti crimine, non poſſunt in dominum ſerui torqueri, quia vnus eſt tantum dominus, cuius ſerui ad quæſtionem depoſcuntur. Maneat igitur hæc regula: Duobus dominis concurrentibus in his duobus criminibus, pro vno aduerſus alterum ſeruos torqueri poſſe: quotiens vnus eſt dominus, non poſſe. Plura hanc ad rem pertinentia repeti oportet *ex tit. Ne præter crimen maieſtatis.*

Illud cum maxime in *h. l.* ſpectari cupio. In poſteriore tantum ῥητῶς, criminis, quod inter coniuges contrahitur, ſpecie, puta intentatæ ſeu cogitatæ mortis, æquum ius vtrique coniugi ſtatui, puta vt par conditio in quæſtione mancipiorum ſeruetur, ſi forte maritus eodem modo inſectetur vxorem: id eſt, vxori mortis parauerit inſidias, vel quolibet alio genere voluntatem occidendi habuiſſe inueniretur: At non etiam in priori ſpecie, puta Adulterii, de qua *initio legis*; nempe non æqua hac parte Adulterii a marito admiſſi conditio fuit: de quo plene *ad l. tit. ſup. de Repudiis.* Hæc interim, inter alias, *Lex* exemplum præbet capitis quiusdam einſerti, quod ad hunc *Titulum* non facit.

V. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Cynegio PP. (b)

NE quis Christianam mulierem in matrimonium Iudæus accipiat, neque Iudææ (c) Christianus coniugium sortiatur. Nam si quis (d) aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vicem commissi huius (e) crimen obtinebit: libertate in accusandum publicis quoque vocibus (f) relaxata. Dat. Prid. Id. Mart. Thessal. Theod. A. II. (g) & Cynegio Coss. [388.]

INTERPRETATIO. *Nec Iudæus Christianam, nec Christianus Iudæam ducat vxorem: quod si fecerit, cuiuslibet accusatione, velut in adulteros, vindicetur.*

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. de Iudæis*, & repetitur hæc *lex* totidem verbis *l. 2. supr. de nuptiis*. Forte huic *legi* iungenda *l. 5. Cod. Iust. de incest. nupt.* Quod non temere assero. Hanc *leg.* memorat Papianus *respons. t. 20.* GOTHOFR.

(c) *Cynegius* hic PP. fuit Orientis sub Theodosio M. A. D. 384. 385. 386. 387. 388. 389. Vide *Prosopographiam*. De eo Zosimus *lib. 4. cap. 37. & 45.* Idacius *Chron.* A. D. 388. Libanius *Orat. κατὰ τῶν εἰσιόντων.* §. 14. & 15. *pag.* 434. 435. *edit. Lugd. B. inter Opuscul. Gothofred. ID.*

(c) Ita quoque *d. l. 6. Cod. Iust.* at *d. l. 2.* supr. *Iudæam coniugio. ID.*

(d) *Si quid aliquis*, Cod. W. RITTER.

(e) Ita quoque *d. l. 2. d. l. 6. huiusmodi.* GOTHOFRED.

(f) Vide *Gloss. & not f. d. l. 2.* IDEM.

(g) XII. *d. l. 2.* sed male. *ID.* Et hac lege Cod. G. legit, *XII.* RITTER.

DICTA ad *l. 2. supr. de nuptiis*, quæ cum *hac* eadem est, huc transcribi possunt.

VI. Idem AAA. Orientio (a) Vic. Vrb. Romæ. (b)

OMNES, (c) quibus flagitii (d) vsus est, virile (e) corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare (f) patientia (g) (nihil enim (h) discretum videntur habere cum feminis) huiusmodi scelus expectante (i) populo flammis (k) vindicibus expiabunt. (l)

PP. in Foro (m) Traiani, VIII. Id. August. Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.]

Hæc lex interpretatione non indiget.

NOTAE.

(a) *Origenio*, MS. W. *Orontio* Cuiac. prim. & illa in quarto. RITTER.

(b) Ad vrbem Romam pertinuit quoque quæ de eadem re est, *lex 3. supr.* vt & locus Saluiani, aliique quos ad eam laudaui. GOTHOFRED.

(c) *Omnibus*, Cod. W. RITTER.

(d) *Flagitiosus luxus*, ita apud Auctorem *coll. legum Mosaic. flagitiosum est*, in *Aniano Puteanorum fratrum*. GOTHOFRED. *Flagitiosum est.* legit Cod. Goth. *Flagitii usu*, Ed. Sichard. RITTER.

(e) *Viri corpus* apud Coll. Auctorem. GOTHOFR.

(f) *Damnandi* vox propria. *ID.* *Damnata patientia*, Edit. Sich. RITTER.

(g) *Patientiæ* vox hac in re propria: de quo mox. GOTHOFRED. *Patientiam* MS. G. RITTER.

(h) *Nihilque discretum habere:* Ita apud Authorem *Collat.* Cæterum eodem modo *l. 3. supr. quid cupiat vbi sexus perdidit locum.* GOTHOFRED.

(i) Pro, *spectante*, vt habet Author *Collat.* & Editio *in Quarto. ID.* *Spectante*, MSS. W. G. Cuiac. prim. & Sichard. errore typographi puto *expectante* in vltima Cuiacian. admissum, quod miror a Nostro receptum in textum. RITTER.

P. 63. (k) Ita habet quoque Author. *Collat.* At Editio *Quartana*, & *Cuiaciana prima* habent *flammæ vindices*. Sane & summum supplicium impositum *lex 3. supr.* At speciatim *h. l.* Viuicomburium. De pœna Viuicomburii, *alibi* dixi. GOTHOFRED.

(l) *Rei* scil. vt hæc *lex* hic habet: Atenim in integriore *lege*, vox *expiandi* refertur ad Iudicem Orientium Vicarium Vrbis. Ergo *expiare* dicitur & Iudex & reus. *ID.*

(m) De *subscriptione* hac vide *Commentarium*. IDEM.

(a) Imppp. VALENTINIANVS Theodosius & Arcadius AAA. ad Orientium Vicarium vrbis Romæ.

NON patiamur, (b) vrbem (c) Romam (virtutum (d) omnium matrem) diutius effeminati in viros (e) pudoris contaminatione fœdare (f) & agreste (g) illud, ab (h) priscis

priscis Conditoribus, robur, fracta (i) molliter (k) plebe (l) tenuatum, (m) conuicium seculis (n) vel Conditorum irrogare, (o) vel Principum, (p) Orienti Vic. K. Nobis. (q) Laudanda igitur experientia tua

Omnes, quibus flagitiosus luxus est viri corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare patientia, nihilque discretum habere cum feminis, occupatos (r) vt flagitii poscit (s) immanitas, atque omnibus eductos, (t) (pudet dicere) virorum lupanaribus, (v) spectante populo, flammis vindicibus expiabit: (x) Vt vniuersi intelligant, *Sacrosanctum cunctis esse debere hospitium virilis animæ:* nec sine summo supplicio alienum expetisse sexum, qui suum turpiter perdidisset. (y)

Prop. prid. Id. Maias, Romæ, in Atrio Mineruæ.

NOTAE.

(a) Ita hæc *lex* extat Præfatione & Epilogo plenior, quæ hinc recisa sunt, & ex hoc quidem ipso *Cod. Theodosiano* desumpta, ab Authore *Collat. leg. Mosaic. tit. 5. de stupratoribus*, næuis, vt existimo, ita sublatis. *GOTHOFR.*

(b) *Non patiamur*: vel *Non patimur. ID. Non patimur* edidit EM. BARONIVS *Annal. ad an. 390. RITTER.*

(c) *Vrbis Romæ. GOTHOFR.* Ita legunt pleræque Editiones, quomodo & edidit BARONIVS; *vrbem Romam*, est in margin. *edit. Paris. 1586.* & in *Cuiacian. vlt. Cod. Theodos.* Paris. 1607. *RITTER.*

(d) *Roma Virtutum omnium mater*, de quo mox. *GOTHOFR.*

(e) γρ. *inuiros*, id est, *qui se negant viros*, vt loquitur Iulius Firmicus *de error. profanar. relig. pag. 412. edit. Gronou.* vel *Euiros.* Euirandi & Euiratio vox huic vicina. Editiones habent diuulsim, *in viros. ID. Inuiros* neque latinum est, neque cum constructione vulgatæ lectionis *fædari*, conuenit, quod iam obseruauit Cl. Schultingius. *RITTER.*

(f) *Fædari*, ita Editiones, male. *Viros contactu fædare. GOTHOFR.*

(g) *Et ageste illud*, habet Cuiacian. vlt. Cod. Theodos. & pleræque antiquæ editiones. Recte autem noster hic restituit. *RITTER.*

(h) Editiones habent, *ad*: male. *Ab priscis conditoribus*, id est, iam inde a priscis. *GOTHOFR.*

(i) Sic *fractæ vires*, Virgil. v. in *Comment. ID.*

(k) Per Mollitiem: *Mollium* vox his portentis propria. *ID.*

(l) γρ. *pube*: vid. in *Comment. ID.*

(m) *Tenuatum*, pro *extenuatum*, vt apud Symmachum non *vno loco. IDEM.*

(n) *Saculi*: ita Edit. male. *IDEM.*

(o) *Irrogare conuitium*: sic irrogare iniuriam. vid. in *Comm. ID.*

(p) *Principium*: ita Edit. male. *ID.*

(q) AGVC *nouis*, veteres Codices. In margine Cuiac. vlt. Cod. Theodos. est, *Amant. atque Kariss. nobis.* Noster vero Pithœi restitutionem in textum recepit. *RITTER.*

(r) *Occupatos*, id est captos, prehensos. *GOTHOFR.*

(s) Male in Edit. *possit. ID.*

(t) *Seductos*: in Edit. *ID.*

(v) *Lupanaria* hæc flagitiosa nota. *ID.*

(x) *Laudabilis* scil. *Experientia tua*, supr. *ID.*

(y) Dubito, an non sit rectius *prodidisset.* Ita oratio erit vehementior: nec sexus proprie perdi potest: at a talibus naturæ monstris prodi bene dicitur, quomodo a Chrysostomo dicitur φύσεως προδότης. *naturæ proditor*, Epist. ad Rom. cap. 1. v. 27. SCHVLTING. *Prodidisset* edidit Card. BARON. *l. c. RITTER.*

COMMENTARIVS.

SCANTINIÆ *legis* crimen; & quidem in vrbe Roma, vti Constantius persecutus iam fuerat *l. 3. sup.* ita & Valentinianus Iunior cum Theodosio M. Romæ pariter, *h. l.* persequitur A. D. 390. Et vt ille, exquisitis pœnis, ita hi viuicomburii nominatim pœna. Idque eo tempore quo Siricius Papa Episcopatum vrbis Romæ gerebat: ipsi vero Theodosius & Valentinianus Mediolani versabantur, vt ex Chronologia *huius Codicis* patet: non sine Consilio proculdubio Ambrosii Episcopi.

Extat autem hæc *lex* præfatione & Epilogo integrior apud Authorem *collat. ll. Mosaicarum, tit. 5. de stupratoribus*, quam & ideo hic exprimendam curaui, mendis quoque repurgatam. Quo argumento liquet, vt multas alias constitutiones, ita & hanc quoque *legem* nostram ab Alaricianis decurtatam: Id enim verius est, quam vt credamus (quod suspicabatur V. C. Pithœus) ex Præfecturæ Vrbanæ scriniis a collectore illo, vel ab alio, hanc legem ita plenius relatam. Aperte enim ex *Codice Theodos.* eam allegat Author seu Pariator ille. *Item*, inquit, *Theodosianus: Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius Augusti, &c.* atque adeo integriorem in integro Codice Theodosiano fuisse testatur.

Nunc de ipsa *lege*. Præfatione eius elegantissima, cuius verba mox pene singula illustrabimus, continetur exprobratio huius fœditatis Romæ inolitæ: contra, continetur ratio, cur nominatim Roma scelus id vsurpare non deberet; quaque etiam paganos moueri posse, imo debere, Principes isti credidere: Nempe aiunt, Vrbem *Romam* iam ab antiquo *Virtutum omnium matrem* audiuisse, omnis boni exempli feracem, continentiæ nominatim ac pudoris. Quod alioquin vrbis Romæ elogium Constantio Imperatori acceptum fert Iulianus nondum Apostata, *Orat. 1. Petau. p. 14. & 15.* sed *Edit. Spanhem. Lips. pag. 6.* vbi de Roma ad Constantium ipsum agens. ἐχέτω μὲν οὖν τὸ γέρας, ἣν αὐτὸς ἐθέλεις, καὶ ἣν ἀρετῶν μητέρα καὶ διδάσκαλον πολλάκις ἐπαινῶν εἴρηκας. *Verum habeat hoc illa sibi decus, quam habere ipse mauis, quamque virtutum parentem, ac magistram sæpe prædicando dixisti.* & rursum: τῆς Ῥώμης δὲ τὸ κεφάλαιον τῶν ἐπαίνων αὐτὸς, ὦ βασιλεῦ, συλλαβὼν ἐν βραχεῖ, καὶ διδάσκαλον ἀρετῆς προσειπὼν, τῷ δεῖναι τὸ κάλλιστον τῶν ἐγκωμίων τοὺς παρὰ τῶν ἄλλων λόγους ἀφαιρήσει. *Quod vero ad Romam ipsam attinet, cum illius laudum caput ac summam paucis, Imperator, complexus sis, ac virtutis magistram appellaueris; hoc ipso quod præconium*

conium ei omnium præstantissimum tribuisti, cæteris orationem omnem ademisti. (a) Ita quoque Amm. Marcellinus *lib. 14.* in rebus Constantii *cap. 6. Illud autem non dubitatur, quod cum esset aliquando Vir-*
P. 64. *tutum omnium domicilium Roma.* Et *lib. 16. cap. 10. Proinde Romam ingressus Imperii virtutumque omnium larem.* Cassiodorus quoque I. *Variarum 39.* de Roma: *Illa eloquentiæ fœcunda mater, illa* VIRTVTVM OMNIVM *latissimum Templum*, & iterum iisdem verbis *IV. Var. 6.* Ergo Roma virtutum omnium mater, domicilium, Templum, Magistra dicta. Itemque *patria virtutum*, Cassidorus II. *Var. 1.* Eodem pertinet quod mox hic eleganter additur, fortitudinis ac roboris masculi veteres Romanos fuisse, & agresti robore, iam inde a sui initio, priscisque eius conditoribus, extitisse. Quare non sine priorum tum Conditorum, tum Principum & seculorum conuitio, a veteri illo, qua pudore qua robore, eos recedere, qui non iam viri, sed *inuiri*, effœminati pudoris contaminatione, & ipsam vrbem defœdarent, & agreste illud robur.

Cæterum, quia tota hæc *lex* tam σημαντικῶς vbique vocibus scatet, eas vna fidelia illustrare omnes iuuat; quomodo pariter fecimus ad *l. 3. sup.*

Ait lex, *effœminati pudoris*, γυναικίζοντας, θηλυδρίας, ἀνδρογύνους, Græci ideo vocant.

Ait lex *Inuiros*, nam ita compulsis literis loco *in viros*, restituo: Nempe virorum nomine indignos censent Impp. & ideo *inuiros*, qui se negant viros, vt loquitur Firmicus *de error. profanar. religion. pag. 412. edit. Gronou.* Euirandi & euiratorum vox huic vicina: ἀνάνδρους Græci, καὶ ἀνανδροῦσθαι *de euiratis:* Ἄνανδροι scil. qui se non præstant viros mollitie vel ignauia. Hinc Plutarcho *in Solone pag. 90. edit. Xylandr. apud Wechel.* ἀνάνδροις καὶ γυναικώδεσι πάθεσι, *perturbationibus effeminatis atque eneruibus*, τὸν ἄνδρα ἀρνούμενοι, *virum abnegantes* Clementi Alexandrino *Pædagog. lib. 3. cap. 3.* Idem ibidem: μᾶλλον δὲ οὐκ ἄνδρας, βατάλους δὲ καὶ γυννίδας καλεῖν τούτους χρή. *Imo vero ii non viri, sed Batali & femicelli dicendi sunt.* Amphilochius *in Iambo ad Seleucum:*

Ἄνδρες γυναῖκες ἄῤῥενες θηλυδρίαι
Οὐκ ἄνδρες, οὐ γυναῖκες ἀψευδεῖ λόγῳ.

Ait lex, *contaminatione fœdare*; vt Virgilius *Æn. 3. v. 227.*

. . . . *contactuque omnia fœdant.*

Sequitur, *& agreste illud ab priscis Conditoribus robur:* haud absimile illud Virgilii *8. Æn. v. 313.*

Tum Rex Euandrus, Romanæ conditor Arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,
Gensque virum truncis & duro robore nata:

Et *vers. 318.*

Sed rami atque asper victu venatus alebat.

Ait lex, *ab priscis Conditoribus*: nam ita repono, (cum editiones habeant *ad*) id est, iam inde a priscis Conditoribus. *Conditoribus*, vt in illo superiore: *Tum Rex Euandrus Romanæ conditor arcis.* Clementis Alexandrini 3. *Pædag. 3.* illud vicinum. ἄγαμαι τοὺς παλαιοὺς Ῥωμαίων νομοθέτας· ἀνδρόγυνον ἐμίσησαν ἐπιτήδευσιν οὗτοι· καὶ τοῦ σώματος τὴν πρὸς τὸ θῆλυ κοινωνίαν παρὰ τὸν τῆς φύσεως νόμον, ὀρύγματος κατηξίωσαν, κατὰ τὸν τῆς δικαιοσύνης νόμον. *Suspicio autem & admiror veteres Romanorum legislatores: ii muliebre & effœminatum vitæ studium, odio habuerunt, & corporis cum fœmina consuetudinem præter naturæ legem, terra infodi ex lege iustitiæ æquum existimarunt.*

Ait lex, *fracta plebe*: vox *frangendi* hac in re propria: *frangere*, est mollire; deiicere: siue de toto homine agatur, siue de parte, eiusque habitu. Prudentius *Psychomach. v. 315.*

- - - - *Petulanter amœnas*
Haurire illecebras & fractos soluere sensus.

Cyprianus *libr. ad Donatum de grat. Dei, pag. 6. ed. Ioan. Felli Oxon. Episcop. Plusque illic placet, quisquis Virum in fœminam magis fregerit.* Petronius, *de bello ciuili pag. 64. edit. Lugd. B. 1623. apud Ioan. Maire.*

- - - *Male pubescentibus annis*
Surripuere viros, exsectaque viscera ferro,
In Venerem fregere viros.

Et mox *pag. ead.*

Scorta placent, fractique enerui in corpore gressus.

Molliculus & Infractus, Ambrosio I. *offic. 19.* ibidem, *vox non remissa, non fracta, nihil fœmineum sonans.* Statius *Syluar. III. 4. v. 74.*

- - *Nunc frangere sexum*
Atque hominem mutare nefas - -

Hieronymus *ep. 9. ad Saluinam de viduit. seruand. pag. 50. Tom. I. Oper. edit. Francf. apud Gensch.* Histrio *fractus in fœminam.* Græcis hoc sensu κατεαγότες ἄνθρωποι, *fracti homines*, Clementi Alexandrino 3. *Pædag. 3.* sic gradum frangere. Saluianus *lib. 7. cap. 19. cum muliebrem habitum viri sumerent, & magis quam mulieres gradum frangerent.* Denique *frangere*, est ad muliebrem modum quid fingere: sic *vox infracta*, Gellio, *lib. 3. cap. 5.* sic *verba fracta*, Claudiano I. *in Eutrop. v. 261.*

- - *Verbisque sonat plorabile quiddam*
Vltra nequitiam fractis.

Verba refringere, apud Statium *Syluar. II. 1. v. 123.*

- - *illa genas & adultum comere crinem,*
Et monstrare artes, & verba REFRINGERE, &c.

Idem est, quod Senecæ Patri in *præfat. controuers. lib. 1. vocem ad muliebres blanditias extenuare*, vbi mores sui seculi adolescentium carpit, his verbis: *Capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollicie corporis certare cum fœminis, & immundissimis se excolere mundiciis, nostrorum adolescentium specimen est.* Veteres omnem *vocem* quæ non naturaliter, sed muliebribus quibusdam blanditiis, velut modulata proferebatur, *fractam* appellabant, quod scilicet genuinus & masculus sonus in ea infringeretur. Ecce, Lucretius *Lib. 5. v. 230.*

- - - - *nec cuiquam adhibenda est*
Almæ nutricis blanda atque INFRACTA *loquela.*

Ita Philo Iudæus *lib. de agricultur. pag. 192. edit. Francf. apud Ierem. Schrey*, *Musicam Theatralem*, κεκλασμένην, id est, *infractam*, vocat. Καὶ κιθαριστὰς inquit, καὶ κιθαρῳδοὺς, καὶ πᾶσαν τὴν κεκλασμένην καὶ ἄνανδρον Μουσικὴν περιέποντες. *Citharistas, citharædosque & omnem infractam & effeminatam Musicam consectantes.* Et sic Demonax, dissertationes Fauorini, vt *fractas* & minime viriles calumniatus est. Lucianus *in Vita Demonactis pag. 549. edit. Bourdelot. Paris. 1615.* Ἐπεὶ γὰρ ὁ Φαβωρῖνος ἀκούσας τινὸς, ὡς ἐν γέλωτι ποιοῖτο τὰς ὁμιλίας αὐτοῦ, καὶ μάλιστα τῶν ἐν αὐταῖς μελῶν τὸ ἐπικεκλασμένον σφόδρα, ὡς ἀγεννὲς καὶ γυναικεῖον. *Postquam Phauorinus a quodam audisset suas dissertationes a Demonacte haberi ludibrio, maxime vero membrorum in illis nimium fractas delicias, & ingenerosam & muliebrem mollitiem.* Sed de verbis voce, loquela, infractis aliquam multa notauit Cl. Caspar Gewartius *Electorum lib. III. cap. vlt. a pag. 148.* qui libellus elegantissimus prodiit *Parisiis 1619. in 4.*

Ait

(a) Ad hunc locum vide, quæ collegit Illustr. Ez. SPANHEMIVS *in not. pag. 42.* Cui adde CL. VALESIVM *not. ad Marcellin. lib. 16. cap. 10.*

Ait lex, *molliter:* Mollitiei vox, in hac re obscœna, propria: quod notissimum. Claudian. *I. in Eutrop. v. 251.*

- - - *Quid enim seruum mollemque pudebit.*

Petronius *p. 14. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire 1623.*

Huc huc conuenite nunc spatalocinædi,
Pede tendite, cursum addite, conuolate planta,
Femore facili, clune agili, & manu procaces,
MOLLES, *veteres, Deliaci manu recisi.*

Vibius sequester in libello *de fluminib. Salmacis Cariæ, ex quo qui bibit mollescit, id est, obscænus fit.* Cælius Aurelianus de morb. chron. *lib. 4. cap. 9. Molles siue subactos, quos Græci μαλακὺς vocauerunt.* Et in commune *molle*, obscœnum: inde & μαλακὸν βλέμμα Aristophani *in Plut. v. 1023.*

Ait lex, *plebe:* reponendum *pube. Robur fracta molliter pube tenuatum:* id est populo Romano, Genteque Romana robusta, infracta, emollita, effœminata. *Pubes*, pro populo, genteque, & quidem Romana robusta. Virgil. 1. *Georg. v. 343.*

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.

& *Æneid. 8. v. 518.*

Arcadas huic Equites bis centum, robora pubis
- - *Lecta dabo* - -

Festus Auienus horum ipsorum temporum scriptor, *in Orbis terræ descriptione. vers. 114. 115.*

- - - *Indomito tellus iacet Itala regno.*
Ausonis hæc Regio est; PVBI Genus ab Ioue summo.

& *vers. 147. 148.*

- - *Hic longo cespite tellus*
Funditur, & varia populorum PVBE *domantur*
Arua soli. - -

Ait lex, *tenuatum*, id est exhaustum, extenuatum: sic non vno loco Symmachus, vt iam *sup. in Notis.*

Ait lex, *conuitium seculis* (nam ita repono) *vel Conditorum irrogare, vel Principum.* Sic *iniuriam irrogare*, apud Paulum V. *sentent. 4. §. 10.* & *infamiam irrogare*, passim *in Iure.* Vult his verbis Imp. posteritatem corruptam, conuicium facere Maioribus male viuendo. Quomodo Lactantius, sed contrario sensu *lib. 5. cap. 9. Bonus corruptis conuitium bene viuendo facit.* Conuicium facit seu irrogat Maioribus, qui ab institutis eorum diuersis moribus agit. Duos porro, quibus ea re conuicium fit, nominat, *Conditores* & *Principes.* Conditores sunt prisci qui Romam condiderunt, Romanique Imperii magnitudinem. Principes, sunt Imperatores, quorum sæculo infamiam seu conuicium faciunt scelesti homines. Contra
P. 65. enim, sæculi sui beatitudinem & felicitatem efferunt Principes, ipsique se eo efferunt. vid. quæ dico ad *leg. vn. si quis Imper. maledix.* supra.

Ait lex, *quibus flagitii vsus est*, in Anianeis quibusdam, *flagitiosum est*, vel vt apud Authorem *collat. leg. Mosaic.* quibus flagitiosus luxus est, *luxus* est τρυφὴ, vt in eadem re, *Clemens Alexandr. Pædag. Lib. 3. cap. 3.*

Ait lex, *alieni sexus damnare patientia;* damnare: sexum suum damnat qui alienum appetit. Ita Iulius Firmicus *de errore profan. religion. pag. 412. edit. Gronou. ad calcem Minutii*, in eadem re: *Nolite corpus, quod Deus fecit, scelerata Diaboli lege damnare.* Patientiæ vox hac in re propria, vt apud *Saluianum lib. 7. cap. 18.* in eadem re, *muliebris tolerantia:* & Lactantius *lib. 5. cap. 9. cum fœminis patientia certent:* & Cyprianus *libro ad Donatum de gratia Dei, pag. 6. edit. Ioannis Felli Episc. Oxon. Bremæ recus. Videre*, inquit, *contra fœdus iusque nascendi Patientiam incestæ turpitudinis elaboratam.* Vide & Senecam 1. *Natural. Quæst. cap. 16.* vbi ter, imo quinquies hac voce vtitur. Et his quidem formulis ferme & exprobrationibus Impp. *hac leg.* etiam Paganos ad pristinæ pudicitiæ, continentiæ, exemplar inuitant.

Eodem pertinet in *Epilogo* ratio iam ex ipsa Theologia petita: *vt vniuersi intelligant Sacrosanctum cunctis esse debere hospitium virilis animæ, nec sine summo supplicio alienum expetisse sexum, qui suum turpiter perdidisset.* Quæ sententia non dubito, quin ad Paulinas efficta fuerit, veluti *ad Romanos 1. vers. 24.* & *27. 1. Cor. 3. vers. 16. 17.* & *cap. 6. vers. 19.* & *2. Cor. 6. vers. 16.* quibus locis Christiani, Sacrosanctum Dei Templum dicuntur, esseque iubentur ἅγιος ναὸς τȣ̃ Θεȣ̃: atque ea ratione fœdis cupiditatibus corpora sua ἀτιμάζεσθαι ἐν ἑαυτοῖς, Apostolus dehortatur, Romanos nominatim eo nomine perstringens, in quos est hæc ipsa constitutio, de quo dixi plura *ad legem 3. supr.* Quicquid tandem repetitis subinde constitutionibus Principes, etiam Christiani, portentum hoc eradicare conati, pertinaciter ibi stetit, etiam in medio ruentis Imperii: de quo est Saluiani Massiliensis querela scribentis, circa A. D. 440. *Lib. 7. de gubernat. Dei cap. 19. Atque hoc publice*, inquit, *in ciuitate Romana, vrbe illic summa & celeberrima, quid aliud quam Romani Imperii dedecus erat, vt in medio Reipubl. sinu execrandissimum nefas palam liceret admitti.* Illud omittere non possum, quod Socrates scribit, *lib. 5. c. 18.* Theodosium hoc tempore inter alia praua, quæ Romæ sustulit, leges quoque quasdam *de mulieribus adulteris coercendis* tulisse: Quare putet quis, hanc *legem* ad quam scribimus, illis cohæsisse. Quanquam, id quod Socrates ibi memorat de mancipibus, ad A. D. 389. superiorem potius spectare arguit *lex 1. infr. de mancipib.*

Notanda postremum *huius l.* subscriptio: *PP. in foro Traiani:* quæ & in aliis præterea decem constitutionibus *huius Codicis* occurrit: puta *l. 2. de petitionib. l. 2. ad leg. Corn. de falso: l. 2. de iure fisci: l. 3. de sepulchr. viol. l. 4. ad SC. Claud. l. 1 de priuil. corpor. V. R. l. 31. de petitionib. l. 4. de conlat. donatar. l. 2. de habitu quo vti: l. vn. de Campo Martio.* Propositæ scil. in eo foro *leges* quæ totius populi Romani vrbisque securitatem, vtilitatem & honestatem respicerent. (non vt in aliis foris, quæ Corpora tantum certa quædam spectarent) Velut in foro, quod Romæ omnium spectatissimum, quoque populus maxime conueniebat: quod quidem erat *Octaua Regione*, vt fidem faciunt *veteres* vrbis Romæ *descriptiones.* (a) In qua ipsa Regione & Foro Traiani,

(a) Descriptiones Vrbis *Victoris* atque *Rufi*, publicauit ONVPHRIVS PANVINIVS in sua vrbis descriptione. Etiam videbis eas in Compendio Antiquitatum Rom. ROSINI, elegantissimo Commentario a CL. DEMPSTERO instructas. Omnia ibi inuentu facillima, vt superfluum fuisset, paginas addidisse. De *atriis* autem, de quibus hic ex instituto Noster late exponere constituit, multa dixit FAM. NARDINVS *Rom. Veter. Lib. III. cap. 12.* qui partem fuisse domus priorem, & eam quidem tectam, asserit, quam quoque sententiam fouet CL. DEMPSTERVS. *Gothofredum* meum obseruaui facere cum CASAVBONO, qui de atriis dixit *ad loc. cit. Sueton.* ex cuius obseruatione, quæ male in Commentario cohærebant, restituta sunt *Atrium* aliud *Libertatis*, & longe diuersum ab illo in monte Auentino, in ipso foro romano fuisse, pertigisseque partim ad Basilicam Æmilii Paulli, partim ad Cæsaris forum, docuit CL. BELLORIVS *in fragm. vestig. Veter. Rom. Tom. IV. Thesaur. Antiquit Græc. tab. 6.* ex antiqua lapidea tabula, in qua pars fori romani delineata est, quam æri quoque incisam dedit, & de atrio hoc, post Bellorium dixit CL. RICHTERVS Lipsiensis *dissertat. de tabulariis vrb. Rom. cap. 5.*

ni, proximum erat, & ipsius fori Traiani pars *Atrium Mineruae*, vbi haec *lex* proposita dicitur apud Auctorem *collationis Legum Mosaicarum*. Memoratur hoc Atrium Mineruae in Veteribus vrbis Romanae descriptionibus *Victoris*: & altera quae praefixa *Notitiae Imperii*: in tertia quippe Sexti Rufi, hactenus *Delubrum Mineruae in foro*, & *Templum Mineruae* tantum memorantur, in caeteris mutila: quae & ipsa alioquin duo memorantur in *Victoris* descriptione: non in ea quae *Notitiae* praefixa. Erat & in Decima Regione, quae Palatium dicebatur, *Delubrum Mineruae*. Meminit & Claudianus *lib. 2. in laud. Stilichonis v. 227. seqq.* Mineruae tectorum, inducens Legatos prouinciarum Romam venientes, ad petendum Stilichoni Consulatum.

Conueniunt ad tecta Deae (quae candida lucent
Monte Palatino) glaucis tum prima, Minerua
Nexa comam foliis, fuluaque intexta micantem
Veste Tagum, tales profert Hispania voces.

Nisi forte hoc ipsum Atrium Mineruae est, de quo nunc agimus, quo conuenire soliti fuerint Legati prouinciales Romam: nam & in eadem Regione Octaua erat *Senatus*, erant & *Stationes municipiorum*: item *Vmbilicus vrbis Romae*: erant & *Iani duo celebris mercatorum locus*. De *Atriis* in commune res nota est, fuisse ea, Areas (a quibus tamen areae in genere sumptae diuersae erant, quae & notantur. in *descript V. R. reg. 1. 4. 6. &c.*) ante aedes peristylio & porticibus circumdatas, & dictas ab *αἴθριον*, quod *sub aethere* seu *sub dio* essent, & *subdiualia*. Vid. Festum *voc. atrium*, Vitruuium *lib. 6. cap. 3.* & Sueton. in Octauio, *cap. 29.* *αὐλαὶ* Graecis; *Gloss. Atrium, περίςωον, μέσαυλον*: cuiusmodi Atria frequentissima Romae fuere. Atrium fori Traiani (de quo modo) memorat Amm. Marcellinus *lib. 16. cap. 10.* vbi Traiani equus locatus erat. Idemque *lib. 22. cap. 16.* Atria columnaria amplissima Templi Serapidis Alexandriae, Atrium Capitolii, Liuius *lib. 24. cap. 10.* Atrium Vestae, Ouidius *Fastorum VI. v. 263.* & Gellius *lib. 1. cap. 12.* Atrium libertatis in Auentino *reg. 13. Victor in descript. Vrb.* Ouidius *Fastor. IV. v. 623. 624* Liuius *lib. 43. cap. 16.* Suetonius, *Augusto. cap 29.* Festus in *voce probrum:* & Tacitus *lib. 1. histor. cap. 31.* In his igitur Atriis, & quidem Templorum, velut locis patentibus, & illustribus, seu solemnibus maxime, *leges* propositae: veluti haec lex, *in Atrio Mineruae:* quomodo & in Atrio libertatis *legem* fixam memorat Festus *in V. Probrum*. Sic & postea Romae *leges*, & *Senatusconsulta* ante ATRIVM B. PETRI fixa, collocata. Sic Athalaricus Rex apud Cassiodorum *lib. IX. Variarum*, 16. Sanctionem suam & Senatusconsultum de Electione Papae, *vt scilicet ab honestate sanctae Ecclesiae prophanus ambitus auferatur, vt praesentibus & futuris seculis haererent, tam definita sua quam Senatusconsulta tabulis marmoreis praecepit decenter incidi, & ante Atrium B. Petri Apostoli in testimonium publicum collocari*, Addito; *Dignus enim locus est, qui & gloriosam mercedem nostram & Senatus amplissimi laudabilia decreta contineat. In quam rem illum direximus* &c.

P. 66. VII. (a) Imppp. THEOD. Arcad. Honor. AAA. Rufino PP. (b)

ADVLTERII accusatione proposita, praescribtiones ciuiles, (c) quibus aut dos repeti fingitur, aut ex ratione aliqua debitum flagitatur, quae occurrere adque perstrepere (d) examini consuerunt, iussimus sequestrari, nec earum obice aliquid negotio tarditatis adferri: sed accusatione fundata, hoc est, cum (e) quo iure, (f) quoue tempore actio fuerit intromissa, constiterit, discutiatur crimen, facti qualitas publicetur; cum, & iurgia quae magnitudine superant, (g) praeponantur; cum (h) & ciuilis actio criminali (i) iure postponitur: (k) Idem tamen cum competere coeperit, (l) habitura momenti, dummodo non obsit (m) examini. (n) Dat. VII. Id. Decemb. Constantinop. Arcadio A. II. & Rufino Coss. [392.]

INTERPRETATIO. *Cum adulterium maritus accusator obiecerit, dotis aut donacionis repetitio conquiescat: quia ciuilem repetionem misceri (o) criminali accusationi non oportet.*

NOTAE.

(a) *Lex 33. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Rufinus* PP. Orientis sub Theodosio M. v. *Prosopogr.* ID.

(c) *Ciuilis legis*, MS. Goth. RITTER.

(d) *Obstrepere*. Ita tamen etiam in *C. Iust.* Neque mutandum in *praescribere*. GOTHOFR. MS. Goth. etiam *perstrepere* habet, quomodo & editi omnes, sed MS. W. legit, *repetere per examine*. RITTER.

(e) *Cum constiterit, quo iure*: ita apertius C. Iust. GOTHOFRED.

(f) Id est, *mariti ne, an extranei*, vt add. *C. Iust.* ID.

(g) *Superantur & ciuilis actio* &c. ita *C. Iust.* quod eodem recidit. ID.

(h) *Cum*, abest a MS. G. Cod. Iust. & Sichard. RITTER.

(i) *Crimini soli iure*, prima Cuiac. & illa in quarto, Sichard. *criminali iuri*. ID.

(k) *Postponatur*, C. Iust. GOTHOFR. Hanc lectionem seruat Sichardina. RITTER.

(l) Ciuilis actio. GOTHOFR.

(m) *Huic examini*, C. Iust. ID.

(n) *Examen* absolute de criminali. ID.

(o) Praeferri. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

DIFFERRI accusationem adulterii ciuili actione vel præscriptione vetat hac constit. Theodosius M. Præscriptiones scil. quædam & hodie sunt Peremptoriæ, quibus accusator ab adulterii accusatione recte repellitur: veluti duæ illæ de quibus agitur *l. 1* & *2. sup. h.t.* a persona accusatoris vel accusati desumptæ. Aliæque de quibus *l. 26. 28. Cod. Iust. eod. tit.* & *l. 2. D. eod. tit.* & *locis aliis*. Quarum multæ sublatæ *d. l. 28.* quia vt ea *lege* eleganter dicitur, *indignum est, vt vltionem pudoris* PRÆSTIGIA, *versuti iuris excludant*. At aliæ præstigiæ erant olim, seu præscriptiones dilatoriæ, quæ non quidem opponebantur, vt accusatorem omnino repellerent, sed vt accusationem interim morarentur & differrent: *quarum obice*, vt *h. l.* eleganter dicitur, *aliquid tarditatis negotio adferebatur*, quæ *examini oberant*: quæ *occurrebant & perstrepebant examini*: Præscriptiones, inquam, ciuiles, quibus ea quæ adulterii accusabatur, quid petebat. Huiusmodi erat olim *Actio rerum amotarum*: Rerum amotarum actio quippe, etsi crimine adulterii moto, recte prius scribebatur & iudicabatur. *l. 27. D. rerum amotar. Rerum amotarum*, inquit, *actio ob adulterii crimen, quo mulier postulata est, non differtur*. Quia scilicet ea actio ciuilis rerum amotarum nihil præiudicaret criminali. Erat & *actio de dote*, (quod *hac l.* indicatur:) Verum hac Theodosii M. constitutione id tollitur: sic vt neque dotis actio, neque rerum amotarum, neque alia quæcunque, qua ex ratione aliqua debitum flagitarur, vt *hac l.* dicitur, morari possit accusationem adulterii. Non potest itaque mulier adulterii accusata dicere viro: *interea redde mihi res quas amouisti*: *redde debitum ex hac, vel ille ratione*: *redde dotem*; sed iudicatur prius crimen adulterii, & sic postea de dote debitoque quæritur: vt Græci *hic* recte. Et ratio adsignatur, quia & cæteroquin iurgia quæ magnitudine superant, maioris ue sunt momenti, ac nominatim *criminales actiones ciuilibus præponi* debent, vt *hac l.* dicitur, de qua Regula dicemus ad *l. 3. inf. ad leg. Iul. de vi*: & ad *l. 2. inf. ad leg. Cornel. de falso*. Propter quas rationes generales, item propter illa verba *initio leg. Aut* ex RATIONE ALIQVA *debitum flagitatur*, sic existimo dictam *leg. 27. D. rer. amotar.* quæ alioquin Papiniani est, *hac l.* abrogatam: id enim hæc verba clare ostendunt: *Præscriptiones ciuiles, quæ occurrere atque perstrepere* seu obstrepere *examini consuerant, sequestrari oportere*.

Stet igitur hæc sententia, nulla prorsus PRÆSCRIPTIONE ciuili opposita mulierem adulterii accusationem morari posse; nequidem rerum amotarum: Nam etsi rerum amotarum actione præiudicium non fiat adulterii quæstioni; tamen cum magnitudine superetur, & ciuilis proculdubio sit actio, adulterii crimini postponi debet. Interpres non satis vere aut plene *huius leg.* sententiam extulit: ita ciuilem repetitionem misceri criminali accusationi non oportet. Neque Cuiacio adsentiendum, qui post *hanc leg.* adhuc discrimen statuit inter actionem de dote, & actionem rerum amotarum: vt huius videlicet obice differri posit mota adulterii quæstio.

P. 67. *Ex* MATRIMONIO *subsequente quandoque adulterii* PROBATIO *nascitur & exinde Pœna.*

VIII. (a) Idem AAA. Rufino (b) P.P.

SI qui adulterii (c) fuerint accusati, & *obtentu proximitatis* intentata depulerint, *per commemorationem necessitudinis* fidem crimini derogando, dum existimatur, non debere (d) credi, quod allegatur (e) non potuisse committi, hi, si postmodum in nuptias suas consortiumque conuenerint, facinus illud (f) quo fuerint accusati, manifesta fide, atque indiciis euidentibus publicabunt. (g) Vnde, si qui eiusmodi reperti fuerint, iussimus in eosdem seuerissime vindicari, & veluti conuictum facinus confessumque puniri. Dat. Prid. (h) Non. Decemb. Constantinopoli, Theod. A. III. & Abundantio coss. [393.]

INTERPRETATIO. *Qui in adulterio accusantur, & se propinquitatis aut amicitiarum* (i) *excusatione defenderint, si fortasse quolibet tempore secretum crimen publica coniunctione prodiderint, eos velut manifestos adulteros puniri placet.*

NOTAE.

(a) *Lex 34. Cod. Iust. eod. tit.* Abest a *Basilicis*. GOTHOFR.
(b) *Rufinus* PP. Orientis scil. sub Theodosio M. v. *Prosopogr.* ID.
(c) *Adulteri*, Cod. Iust. & Ed. Sich. *de adulterio*, MS. W. *in adulterium*, MS. G. RITTER.
(d) Non posse. GOTHOFR.
(e) *Vel non*, Codice Iustin. ID.
(f) *In quo* Cod. Iust. ID. Ita legit Edit. Sichard. & forte ex eo factum *in quod*, vt habet MS. G. RITTER.
(g) De hac voce, quæ hic est propria, vid. *Commentar.* ID.
(h) *II. Non.* Cod. Iust. ID.
(i) Erroneum hoc est, vid. *Comment.* ID.

COMMENTARIVS.

SVBSEQVENS MATRIMONIVM inter eos ipsos, qui antea adulterii accusati, *proximitatis obtentu*, velut suspicione eluta, liberati fuerant, plenam adulterii probationem facere, atque adeo pœnæ subiacere eos vult *hac l.* Theodosius M. quæ verbis quoque & sententiis elegantissima est. Et sic in summam, pertinet ea ad *Titulum* & *Tractatum de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*: de quo *Decretales* & *Canonistæ*.

Species *huius legis* hæc est: Titius adulterii cum aliena

aliena vxore admisſi accuſatus fuerat, ipſaque adeo vxor: ſed abſoluti ſunt OBTENTV PROXIMITATIS, & per *commemorationem Neceſſitudinis*; id eſt, cum plenæ probationes adulterii admiſsi deficerent, hac valida, & ſecundum naturam, ſeu ex ipſa Natura petita præſumptione, abſoluti fuerant: quod genere propinqui ſeu proximi eſſent: nempe Neceſsitudo fidem crimini derogat, vt eleganter hic dicitur; nemoque præſumitur cum proximo adulterium committere: & vt *hac* quoque *leg.* dicitur, *exiſtimatur non debere credi* [&] *quod allegatur non potuiſſe committi*: in his enim (vt non minus eleganter quoque in argumento περὶ ἐπεισάκτων ait *l. 44. infr. de Epiſcopis:*) *nihil ſaui criminis æſtimari* [id eſt præſumi] *fœdus naturale permittit.* Similiter omnino eadem in re, & in eodem argumento Patres *Concilii Nicæni. Can. 3. pag. 323. Tom. I. Concil. ed. Harduin.* αὐτὰ πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγε, *illæ perſonæ omnem ſuſpicionem effugerunt.* Et ſic quidem perſpicue tenemus, quid ſit in hoc caſu, *obtentu proximitatis*: id eſt *propinquitatis*, vt recte Interpres: nam quod idem addit, *amicitiarum*, erroneum eſt.

Ad rem: ponamus igitur, inſtituta accuſatione, quam dixi, hoc propinquitatis obtentu, & exinde præſumptione, eos, qui adulterii accuſati fuerant, liberatos; poſtea vero eoſdem (ſoluto iam priore matrimonio) inter ſe matrimonium contraxiſſe; ſeu *poſtmodum*, vt hic dicitur, *in nuptias ſuas conſortiumque conueniſſe*; ſane ſubſequens matrimonium, *veluti confiſtum facinus confeſſumque punietur, velut manifeſta fide* (id eſt, probatione) *atque indiciis euidentibus*, id eſt, pro confeſsis & conuictis illi habebuntur, velut actu publico iam præſumptioni illi naturali contrario. Proximitas nempe copulationem inter proximos præſumi non patitur: igitur vbi copulatio re ipſa ſecuta eſt, plena iam probatio adulterii præcedentis inde naſcitur: quia hoc facto, vt *hac l.* eleganter dicitur, *facinus illud, de quo fuerunt accuſati, manifeſta fide atque indiciis euidentibus* PVBLICANT, vbi *publicandi* vox propria eſt: publicare enim eſt δημοσιεύειν, *deuulgare*, vt in *Gloſſ. Philox.* & ſic crimen publice fateri; *prodere*: quomodo recte hic Interpres, *ſecretum crimen publica coniunctione prodere:* & Iuriſconſultus in *l. 41. D. ad leg. Aquil.* dixit, *ſecreta Iudiciorum publicare.* Et ſic, ſingularis hæc præſumptionis ſeu coniecturæ a lege receptæ & probatæ (quam Noſtri, *Iuris & de iure* appellant, & huic ſpeciei aptant) ſpecies notetur: de quo vide & Menoch. *lib. 5. præſumpt. 41. num. 7.* Ante hanc quidem *legem*, hæc non tantum præſumptio, ſed & confeſsio quibuſdam iam credebatur: quo pertinent arguta hæc Martialis Epigrammata *lib. 1. ep. 55.*

Mœchus erat, poteras tamen hoc tu, Paulla, negare:
Ecce vir eſt. numquid, Paulla, NEGARE *potes?* P. 68.

Rurſum *lib. 6. Epigram. 22.*

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Iulia te notare poſſit.
Non nubis Proculina, ſed FATERIS.

Hæc inquam iam olim indicebantur; ſed nondum ideo in eos velut in confeſſos aut conuictos in foro pœnæ publice ſancitæ erant; id quod Theodoſius M. nunc primum *hac l.* effecit: Quod quidem caſtiſsimi Principis moribus conueniens, characterem eius exhibet.

Hæc cum ita ſint, apparet iam, errare omnino illos, qui huc referunt *legem 27. C. I. eod. tit.* cuius alia prorſus ſpecies eſt: Nempe enim in ea, nulla antea adulterii accuſatione inſtituta, adulter cum adultera matrimonium contraxerat: & cum adultera adulterii accuſaretur, in eius *legis* ſpecie quærebatur, an velamento matrimonii, quod adulterium quidem, ſed non adulterii accuſationem ſecutum fuerat, commiſſum antea adulterium extingueretur? quæ ſpecies & quæſtio nihil commune habet cum *hac lege*, vt nec commune quidquam habet cum ſpecie *huius leg.* ſpecies *leg. 11. §. 11. D. ad leg. Iul. de adulter.* vt & Nouellæ *134. cap. 12.* ibi enim nuda ſuſpicio adulterii inciderat, non accuſatio: multo minus accuſatio eluſa proximitatis obtentu.

De FORO *competente in Adulterii accuſatione.*

IX. (a) Idem AAA. Gildoni (b) Com. & Magiſtro vtriuſque mil. per Africam.

SI quis (c) adulterii reus factus, accuſatoris mariti forum declinare temptauerit, in hoc non poſſit eludere, nec prærogatiua militari defenſetur, ibi confeſtim audiendus, vbi fuerit accuſatus. Dat. III. (d) Kal. Ian. Conſtantinop. Theodoſio A. III. & Abundantio coss. [393.]

N O T A E.

(a) Abeſt a *Cod. Iuſt.* Concordat huic legi, *lex 14. Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) De *Gildone* hoc, dixi ſemel plene ad *l. 3. ad leg. Cornel. de ſicar. num. 10.* ID.

(c) Miles ID.

(d) Eodem die data *lex 7. Cod. Iuſt. de Iudæis & Cælicol.* ad Infantium Com. Orientis; vbi tamen deeſt nomen vrbis *Conſtantinopoleos.* ID.

COMMENTARIVS.

FORI MILITARIS præſcriptionem in adulterii crimine militi, ſi in eodem loco conſiſtat, vbi maritus adulterii accuſationem inſtituit, adimit hac Conſtitutione Theodoſius M. ac nominatim, per Africam A. D. 393. Nempe, quæ *dubitandi ratio* erat, etſi milites per hæc tempora in criminalibus fori præſcriptionem haberent (quæ *prærogatiua militaris* hic dicitur) vt oſtendit *lex 2. ſup. de Iuriſdictione*, de quo plene dixi ad *l. 2. ſup. de exhibendis reis*: IN HOC tamen (vt *lex* nominatim excipit) adulterii videl. crimine, præſcriptionem hanc non habent: atque ideo in accuſantis mariti foro accuſationem excipere coguntur, ex hac Theodoſii M. Conſtitutione: quæ ideo *ad Comitem & Magiſtrum vtriuſque militiæ data eſt*, quod hic alioquin proprius & competens Iudex eſſet militum: iſque de eo ad Imp. forte retuliſſet, tanquam *prærogatiuæ militaris* adſertor.

Verum, quæ *decidendi ratio* eſt, id ita a Theodoſio M. conſtitutum, propter frequentes de adulteriis *militum* per prouincias querelas, quibus militares

litares famosi ferme sunt. Ideoque etiam qui disciplinæ militaris maximi adsertores fuere, istud quam maxime crimen in militaribus persecuti sunt. Exemplum luculentum apud Vopiscum, *in Aureliano cap. 7. Solus*, inquit, *omnium, militem, qui adulterium cum hospitis vxore commiserat, ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, ad pedes militis deligaret, eademque subito demitteret, vt scissus ille vtrinque penderet, quæ res ingentem timorem omnibus fecit.* Nempe cingulo militari, alioue quo succincti, peccandi sibi commeatum hac parte facilius faciunt: ideoque fori præscriptione non gaudent: pariter (vt *exemplis* similibus id iuuem) Senatorii fori præscriptioni hac parte seu in hoc ipso crimine locus non est, *l. 1. sup. de accusat.* vt & Palatini *l. 3. sup. de Iurisdictione.* Hac igitur inter alias ratione Theodosius M. coniugiorum iam contractorum sanctitatem sancitum iuit, vti hoc ipso die, alia ratione coniugiorum contrahendorum sanctitatem sanciuit aduersus Iudæorum morem, *l. 7. Cod. Iust. de Iudæis*, quæ ita huic argumenti paritate quoque coniungenda est, ad alium quippe data ea est: prohibitis videl. Iudæis morem suum in coniunctionibus retinere, & iuxta legem suam nuptias sortiri, vt & in diuersa sub vno tempore coniugia conuenire. De qua alioquin *lege* vide Contium, *lib. 2. subcesiu. 1.* De foro tandem competente in hoc crimine, vid. *l. 13. & 14. Cod. Iust. eod. tit.*



P.69. # SI QVIS EAM, CVIVS TVTOR FVERIT, CORRVPERIT.

TITVLVS VIII.

LIB. IX. COD. IVSTINIAN. TIT. X.

I. (a) Imp. Constantinus A. ad Bassum (b) Vic. Ital. Post alia. (c)

VBI puella (d) ad annos adultæ ætatis accesserit, & adspirare ad nuptias cœperit, (e) Tutores (f) necesse habeant comprobare, *Quod puellæ sit intemerata* (g) *virginitas, cuius coniunctio postulatur.* Quod ne (h) latius porrigatur, hic solus debet Tutorem nexus adstringere, vt se ipsum probet, ab iniuria læsi pudoris immunem: Quod vbi constiterit, omni metu liber (i) optata coniunctione frui debebit: Officio (k) seruaturo, vt si * violatæ castitatis apud ipsum (l) facinus hæreat, deportatione plectatur, (m) adque vniuersæ eius facultates fisci viribus (n) vindicentur: quamuis eam pœnam debuerit sustinere, quam raptori (o) Leges inponunt. Dat. (p) Prid. Non April. Aquil. Constantino (q) A. VII. & Constantio Cæs. Coss. [326.]

INTERPRETATIO. *Vbi primum puellæ sub Tutore viuentes ad annos peruenerint nuptiales, & quicunque petitor accesserit, non prius puella* (r) *iungatur, nisi virginitas illius quod a Tutore seruata sit, fuerit approbata:* (s) *nam si ab ipso Tutore conuincitur esse* (t) *violata virginitas, statim exilio deputetur, & res illius omnes fiscus vsurpet.*

NOTÆ.

(a) *Lex vnica Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est, resecta priore eius parte. Huiusque *legis* meminit Leo *in Nouell.* 34. eamque ex parte abrogat. *GOTHOFR.*

(b) *Bassus* Vicarius Italiæ sub Constantino M. *ID.*

(c) *Post alia*, hæc absunt a MSS. W. & G. Cod. Iust. Edit. Sichard. prim. Cuiac. & illa in 4. *RITTER.*

(d) *Puellæ*, & mox: *accesserint*, MSS. W. & G. & Edit Sichard. *ID.*

(e) *Cœperint*, MSS. W. & G. & Sichard. *ID.*

(f) An locus hic ita legendus? *& adspirare ad nuptias cœperit tutor, is necesse habeat comprobare. GOTHOFR.* Nihil hic mutandum, sed accuratus est sensus, *habeant necesse tutores*, id est, *oportet tutores. RITTER.*

(g) vide *Gloss. GOTHOFR.*

(h) *Et ne*, Cod. G. *RITTER.*

(i) Quis? An quicunque tandem (vt accepit Interpres) qui coniunctionem puellæ postulat? An vero tutor? Dicam mox. *GOTHOFR.*

(k) Tuo, siue Iudicis. *ID.*

* *Lex vnica Cod. Iust. eod. tit.* hinc nominatim desumpta est. *ID.*

(l) Tutorem *ID.*

(m) *Deportationi subiugetur*, Cod. Iust. *RITTER.*

(n) *Iuribus*, Cod. Iust. *ID.*

(o) *Raptoribus* Cod. Goth. *ID.*

(p) An *Data*, hic pro *proposita*? vide *Commentarium. GOTHOFR.*

(q) *Constantio A. II. & Constantino Coss.* MS. W. *Constantino A. I. & Constantino Coss.* MS. G. *Constantino VI.* in margin. Sichard. Qui Consulatus incidit in annum 320, ad quem etiam Noster maluit hanc referre legem, Vid. *Comment. RITTER.*

(r) *Puellæ*, MS. G. *ID.*
(s) *Approbatum*, MSS. W. & G. *ID.*
(t) *Eius violata*, MSS. W. & G. *ID.*

COMMENTARIVS.

PVPILLIS seu PVELLIS sua vt castitas constet per Tutores intemerata, duo hac Constantini M. Constitutione ad Vicarium Italiæ emissa A. D. 326. constituuntur. Primo (quod in *Codicem Iustinianeum* relatum non est) vt nuptura puella Tutor prius comprobet seu probet, Puellæ per se intemeratam fuisse virginitatem: Comprobet, inquam, siue probet, vel proximorum scil. puellæ parentum testimonio, vel Contutorum aliorum, vel seruorum; (pariter vt in specie *leg. 1. infr. de raptu virginum*:) His enim rationibus comprobari seu probari, denique de pudicitia Virginis CONSTARE potest, tandem his modis tribus, vix aliis virginitas illæsa probatur. Dixi *per se*: id enim hactenus a Tutore *hac lege* Constantinus M. exigit, vt ipse scil. testimonium habeat inuiolatæ pupillæ suæ. Alieni facti probatio ab eo exigi non debet, neque potest. Etsi mille Argos quippe admoueas, quamlibet pectori affixam teneas, muliebris castitatis approbator vel assertor idoneus esse nunquam possis.

Secundo, *hac eadem lege* constituitur (quod Tribonianus solum seruauit) vt tutor violatæ pupillæ suæ reus seu corruptor deportetur, eiusque bona omnia publicentur seu fisco adquirantur. Maiore proinde pœna Tutoris stuprum in puella admissum plectitur, quam alterius: quod certe *lege Iulia* rele-
P.70. gatione, & partis dimidiæ bonorum publicatione plectitur, *Instit.* §. *4. de public. Iudic.* Crescit enim perfidiæ crimen officii suscepti ratione: cui rationi vicina est illa quam reddit Leo *initio Nouellæ 34.*

Quod bonorum confiscationem attinet id Leo quoque mutauit, *d. Nou. 34.* voluit enim is, bona tutoris qui vitium puellæ intulit, ei adquiri, *κελεύομεν δὲ ἐκεῖ ταύτην [ὕπαρξιν] ἀπιέναι, ἧς τὴν ἀδικίαν καὶ τὸ δυςύχημα ὁ τῆς ὑπάρξεως κύριος κατεβάλετο. Iubemus autem, vt eo concedant,* (bona,) *quo ipsorum dominus iniuriam & infortunium proiecerit.* Et tamen quamuis Raptoris pœnam debuerit Tutor sustinere (vt hic interpretes Basilic.) minor pœna a Constantino M. *hac leg.* imponitur quam raptori, vt *fine legis* ostenditur: qua vtique si summo iure ageretur Tutor plectendus esset tam nefandi stupri author, quia insidiæ, quæ huic ætati fiunt, vi comparantur: sed contentus est Constantinus M. pœna media: quæ raptus pœna citerior est, sed stupri pœna seuerior. Et his quidem rationibus *hac lege* Constantinus M. castissimus Principum (de quo vide *Panegyricum* auctoris incerti Constantino Augusto dictum, qui inter Panegyricos veteres ordine quintus est *cap. 4.*) puellarum castitati consultum iuit, sub Tutoribus agentium, aduersus ipsorum Tutorum insidias. Qui aliis pariter rationibus earundem sub parentibus agentium castitati consultum iuit, *l. 1. inf. de raptu virgin.* quæ & ipsa Aquileiæ ab eo data pariter, vt hæc dicitur, & forte ad eundem annum referenda est.

Cæterum putet quis hanc *legem* accipiendam de matrimonio puellæ adultæ cum Tutore olim suo. Ait enim Constantinus M. *Quod vbi constiterit, omni metu liber, optata coniunctione frui debebit.* Neque enim de alio adhuc *hac l.* loquutus erat Constantinus M. quam de Tutore. Certe post Diocletianum & Maximianum (cuius est *lex 7. Cod. Iust de interdicto matrim. inter pup. & tutor.*) nulla Imperatorum *lex* ad Leonem & Anthemium vsque (quorum est *lex. vlt. d. t.*) occurrit, quo hoc matrimonium interdictum fuerit. Quod si ita est, tum dicendum fuerit, Constantinum hoc matrimonium ita indistincte, etiam rationibus additis, vel anno 26. nondum expleto, permisisse, vt saltem castitati puellæ consultum esset, id est, dummodo tutor, qui eam ambiret, non eam corrupisset cum sub se ageret, atque adeo ne fœditatis suæ & Raptus præmium ferret: contra si castitatem seruasset, omni metu liber, seu non obstante veteri interdicto, optata coniunctione frueretur. Alioquin & singulari Principis beneficio hoc matrimonium sæpe concessum ostendit *d. l. 7.* Et vero vix est vt credat quis, Constantinum M. alio puellam in matrimonium petente, Tutorem de virginitate puellæ fidem facere voluisse. Quare & Interpres hanc *legem* non ceperit, & Tribonianus hanc priorem sententiam a Codice suo abesse voluerit. Certe Philo agens *de Specialibus legibus* Moysis *p. 789. edit. Francf. apud Ierem. Schrey.* in alio casu pudicitiæ non custoditæ periculum ad ἐπιμελητὰς pertinere vult. Verum his omnibus non obstantibus priori sententiæ adhuc adhæreo.

Tandem quod temporum rationem siue Æram huic *legi* subscriptam attinet, videndum an *data* hic, pro *proposita* accipiendum? Quandoquidem Constantinus M. per hæc tempora in Pannonia versabatur: Quod si ita est, tum dicendum fuerit, AQVILEIÆ constitisse Vicarium Italiæ: Verum non ita est. Constantinus scil. Aquileiæ sæpe intra hoc octennium constitit, vel ex Pannonia rediens, vel in Pannoniam pergens: Hinc adeo Datæ ab eo Aquileiæ *Constantino A. V. & Licinio Cæs.* Coss. id est, A. D. 319. *lex 9. infr. de appellat. lex 6. inf. de Decurionibus. lex 1. de maternis bonis* (quanquam hæc *lex* ad alium annum referenda videtur) *lex 1. de Tutoribus* (quæ & ipsa ad Bassum P. P. data est) Item *Constantino A. VI. & Constantino Cæs.* Coss. id est A. D. 320. *lex 1. de raptu virginum* (quæ data est ad populum) Rursum, *Crispo II. & Constantino II. Cæs. Coss.* id est, A. D. 321. *lex 3. de maleficis*, quæ & ipsa ad Bassum data est. Tandem, *Constantino A. VII. & Constantio Cæs.* Coss. id est An. D. 326. non tantum hæc *lex*, verum etiam *lex 2. supr. de fil. mil. app.* Forte hæc *lex* referenda ad *An. D. 320.* quo ipso Anno & mense ibidem Data *lex 1. de raptu virginum.*

Illud omittere non possum, quod Auctor incertus *Panegyrici* 4. (qui habitus ante viginti annos, id est A. D. 307.) memorat *cap. 6.* & *7.* de Imagine in Aquileiensi Palatio, ad ipsum conuiuii posita adspectum, vbi puella Fausta Maximiani filia sustinebat & offerebat Constantino nostro, tum puero, galeam auro gemmisque radiantem & pennis pulchræ alitis eminentem.

DE MVLIERIBVS, QVÆ SE SERVIS PROPRIIS IVNXERVNT.

TITVLVS IX.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XI.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Populum.

SI qua cum seruo (b) occulte rem habere detegitur, capitali sententia (c) subiugetur, tradendo ignibus verberone. (d) Sitque omnibus facultas, crimen publicum arguendi; sit Officio (e) copia nunciandi: (f) sit etiam seruo licentia deferendi, cui probato crimine libertas dabitur: cum (g) falsæ accusationi pœna immineat; ante legem nupta (h) tali consortio segregetur, non solum domo, verum etiam prouinciæ communione priuata, amati (i) abscessum defleat relegati. Filii, (k) etiam quos ex hac coniun- P. 71. ctione habuerit, exuti omnibus dignitatis insignibus, in nuda maneant libertate, neque per se, neque per interpositam personam quolibet titulo voluntatis accepturi (l) aliquid ex facultatibus mulieris. Successio autem mulieris ab intestato, vel filiis, si erunt legitimi, vel proximis cognatisque, deferatur, vel ei quem ratio iuris admittit: ita vt & quod ille qui quondam amatus (m) est, & quod ex eo suscepti filii quolibet casu in sua videntur (n) habuisse substantia, dominio mulieris sociatum, a memoratis successoribus vindicetur. His* ita omnibus obseruandis, & si ante legem decessit mulier, vel amatus; quoniam vel vnus auctor vitii censuræ occurrit. Sin vero iam vterque decessit, (o) *suboli parcimus, ne defunctorum parentum vitiis prægrauetur;* (p) sint filii, sint potiores fratribus, proximis, adque cognatis, sint relictæ successionis heredes. Post legem enim hoc committentes morte punimus. Qui vero ex lege disiuncti clam denuo conuenerint, congressus vetitos renouantes, hii, seruorum indicio, vel speculantis Officii, vel etiam proximorum delatione conuicti, pœnam similem sustinebunt. Dat. IV. Kal. Iul. (q) Serdicæ, Constantino A. VII. (r) & Constantio Cæs. Coss. [326.]

INTERPRETATIO. *Si qua ingenua mulier seruo proprio se occulte miscuerit, capitaliter puniatur. Seruus etiam qui in adulterio dominæ conuictus fuerit, ignibus exuratur.* (s) *In potestate habeat huiusmodi crimen quicunque voluerit accusare. Serui etiam aut ancillæ, si de hoc crimine accusationem detulerint, audiantur: ea tamen ratione vt si probauerint, libertatem consequantur, si se fefellerint, puniantur. Hereditas mulieris quæ se tali crimine maculauerit, vel filiis si sunt ex marito suscepti, vel propinquis ex lege venientibus tribuatur.*

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. h. t.* huius *legis* mentio fit in *Nouella* Imp. Anthemii 1. *de mulieribus, quæ se seruis propriis vel libertis iunxerunt.* GOTHOFRED.

(b) Deinceps scil. *Suo* additum in *Cod. Iust.* Quod sane comprobat *Rubrica*: comprobat Anthemius *Nouella* 1. *Venerabilis,* inquit, *sanctio Constantini, dominam seruorum* SVORVM *complexibus inflammari districtissimo rigore non patitur.* ID.

(c) *Sententie,* C. Iust. ID. Sichard. *sententie.* RITTER.

(d) *Verberonem* vocat seruum, pariter vt *l. 6. Cod. Iust. de seruis fugit.* vt Veteres etiam *triuerberonem*, & *flagrionem.* GOTHOFRED.

(e) Tria hæc κυρίως. Omnes promiscue *arguere,* Officium *nunciare,* serui *deferre,* dicuntur. ID.

(f) Vt *l. 4. infr. de sepulchr. viol. vel Officium nunciauerit.* Pro quo male in C. Iust. *ad Officium nunciauerit.* ID.

(g) Absunt hæc a *Cod. Iust.* IDEM.

(h) *Nuptam* vocari obserua: de quo mox. ID.

(i) *Amatum* ter vocat, cuius amore domina exarsit. IDEM.

(k) Hæc iam Tribonianus retinuit. ID.

(l) *Acceptaturi,* MS. W. RITTER.

(m) *Id autem & quod ille, qui Condemnatus,* in *Cod. Iust.* Male. GOTHOFR. Sichard. legit: *vt & quod ille qui condemnatus est.* RITTER.

(n) *Videantur,* Cod. Iust. ID.

* Reliqua desunt a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(o) *Discesserit,* & mox, *iam soboli parcemus,* MS. G. RITTER.

(p) *Prægrauentur,* MS. G. & Cod. Sich. ID.

(q) *Iun.* in aliis Editionibus, & in optimæ notæ Aniano; quin & in *C. Iust.* GOTHOFR. *Iun.* MSS. W. & G. RITTER.

(r) *vt. VI.* Id est A. D. 320. GOTHOFRED. Confirmat Gothofredi coniecturam MS. W. in quo legitur *Constantino A. VII. & Constantino Cas.* qui Cæsar anno 320. Consul prodiit. Sed non video, cur hæc lex ad dictum annum retrahenda sit, cum subscriptio euidentissime *annum* 326. præferat, & accuratissima præterea sit; nam & BARONIVS *in Annal.* & GOTHOFREDVS *in Chronol.* male *Constantinum A. VII. & Constantinum Cæs. Coss.* hoc anno fingunt, quem errorem confutauit ANTON. PAGIVS *in Dissert. Hypat. & in Critica ad Annal. Baron. an. cit.* Imo *anno* 326. etiam Constantinum, in Macedonia & in Pannonia in confinio Daciæ, sed & in ipsa Dacia fuisse, scimus ex *legg.* hoc anno datis, & hac in primis nostra, quæ *Serdicæ* data est. Sed decepit Nostrum Nazarius *in Panegyrico.* Videbat enim *ex cap.* 1. hunc dictum fuisse in *Quinquennalibus* Cæsarum, *Crispi & Constantini,* quæ festiuitas incidit in annum 321. vt recte in fine Commentarii statuit, & post Nostrum contra Baronium asseruit CL. PAGIVS *in Crit. ad Annal. Baron. ad an.* 320. *num.* 3. Cumque in fine eiusdem Panegyrici legisset, *nouæ leges regendis moribus & frangendis vitiis constitutæ. Veterum calumniosæ ambages recisæ, captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt.* PVDOR TVTVS, MVNITA CONIVGIA &c. vltima verba putauit respicere legem nostram, & inde non potuit non concludere, eam datam *anno* 320. cum Nazarius eius *in Panegyrico,* sequente anno dicto, meminisset. Sed fallax hoc est argumentum, & cum subscriptio, quod supra dictum est, nullo laboret vitio, nihil mutandum. Nazarius certe respicere potuit Constantini M. *legem* 1. *de raptu virgin.* in qua *pudori* atque *castitati* virginum succurrit Imperator, & *legem vn. Cod. Iust. de concubin.* in qua *coniugia munita* sunt, prohibitumque expressissimis verbis, *ne quis constante matrimonio concubinam penes se habeat.* Vtraque autem lex data anno 320. antequam Nazarius perorauit. Recte etiam nostram legem ad annum 326. retulit PETRVS RELANDVS *in Fast. Consular.* RITTER.

(s) Sequentia in Sichard. ita leguntur. *In potestate habent criminis accusationem serui, vt si detulerint audiantur.* ID.

COMMENTARIVS.


SERVIS PROPRIIS, mulieres, eorum amore correptæ, venenisque infectæ (vt in simili re loquitur Idem Constantinus M. *l.* 1. *Cod. Iust. de natur. liber.*) aduersus familiarum splendorem & dignitatem, quia sæpe miscebantur, cumque his rem habebant occulte, Constantinus M. hanc stupri licentiam & speciem hoc Edicto, (quod memorat & confirmat Anthemius *Nou.* 1.) variis & seuerissimis pœnis persequandam credidit A. D. 326. *districtissimo rigore*, vt de eo Anthemius diserte ait *d. Nouella* 1. Ne insignium familiarum clara nobilitas indigni consortii fœditate vilesceret, & quod splendore forsitan Senatoriæ generositatis obtinuit, contactu vilissimæ societatis amitteret, aut nudæ tantum ingenuæ libertatis fulgore conspicuum genus in femina imprudentior complexus imminueret, quam *huius l.* rationem in hoc eodem argumento versans, profert Anthemius *d. Nou.* 1. vbi & hanc ipsam constitutionem memorat & confirmat.

Primum igitur capitis pœnam (id est mortis vt *fine legis* dicitur) ipsimet *mulieri* indicit; cum mitiore longe pœna puniatur, quæ se alieno seruo iunxit, ex sententia SCti Claudiani, de quo *lib.* 4. *tit.* 9. actum fuit. *Secundo, seruo* ignis pœnam comminatur, de quo ignis supplicio alibi plene dixi. *Tertio*, publicam accusationem huius criminis facit: neque tantum proximis vel etiam Officialibus, sed & seruis relaxat: cum idem Constantinus M. diuersum in adulterii crimine eodem hoc anno constituat *in l.* 2. *supr. de adult.* Ratio differentiæ in aperto est. Bene concordans scil. matrimonium non cuiuis turbare concedendum est: At nullo existente legitimo matrimonio, publicam familiarum honestatem, publicum decus a quouis vindicari publice interest. *Quarto*, libertas pro præmio seruo crimen hoc probanti datur, vt viceuersa falso accusanti pœna imminet. Qua parte notandus hic casus est, addendusque quo serui publice pro præmio libertate donantur. *Quinto*, consortium tale ante *hanc l.* contractum distrahi iubetur, ipseque seruus non tantum domo mulieris, verum etiam Prouincia tota relegari. Quod ipsum singulare quibusdam videtur: Relegationis, inquam pœnam in seruum cadere; quod & ipsum ostendi putant *l.* 1. *inf. de sep. viol.* & *l.* 2. *D. qui & a quibus manum.* Itaque verba hæc *in l.* 12. *§.* 4. *D. de accusat. sicuti relegatio*, ita accipiunt; Sicut relegatio in seruum cadit, quod etiam Accursius vidit. Similemque locutionem & interpretationem adhibendam in *leg.* 19. *§. vlt. D. de hereditat. petit.* & *l.* 3. *D. pro solut.* & *l.* 48. *D. vsurpat. & vsucap.* Verum de hac quæstione tota dicam *ad l.* 1. *infr. de sepulc. viol.* Sexto, *Filii*, etsi ex hac coniunctione nati, liberi quidem sint; (quia matris conditionem liberi sequuntur, & qui ex seruo nascitur & libera, liber est:) attamen in nuda libertate eos manere iubet Constantinus, omni dignitate exutos: Atque ideo maternorum bonorum incapaces sunt, tam ex testamento, quam ab intestato: sed ad mulieris successores legitimos matris bona deferuntur: Quæ duo singularia sunt. Primum vt liberi matri non succedant. Deinde, vt capitali crimine damnati bona fisco non addicantur, quod alioquin capitali pœnæ consequens est; verum legitimis liberis, vel proximis addicantur: Imo & non ipsa tantum matris bona, verum & serui ipsius peculium, vt & liberorum ex huiusmodi stupro susceptorum iisdem *hac l.* defert Constantinus M. Atque hoc etiam imposterum quoque caueri *hac l.* censeo; non tantum in præteritum. Nouo enim hoc iure passim iam noua Iurisprudentia inuehitur. Atque hoc casu satis visum Constantino M. si in stupri huius conscios, quique exinde nati, seueritatem exereret; nimis visum, si & in legitimos filios, cognatos proximos sæuiret: quibus bona huiusmodi mulieris, vtpote ex familia seu γενεαρχικὰ, ferme omni iure debentur, præsertim hac iniuria læsis. Quare videri non debent, vt Cuiacio visa, hæc contraria, aut secum pugnare, vt capitali quis pœna afficiatur, & tamen bona non confiscentur. Illud verum, id quod sequitur, præteritum tantum spectare: puta, vt si iam vterque tam Pater quam Mater ante *hanc l.* decessit: soboli parcatur, *ne defunctorum*, inquit, *vitiis prægrauetur;* id est liberi ad successionem Matris admittuntur: Viceuersa, si alteruter adhuc superstes sit, excluduntur. Quamdiu scil. alteruter criminis huius auctor superstes est, & vt eleganter dicitur, quamdiu vel vnus anthor vitii censuræ occurrit, liberi quoque hæreditate multantur, non si vterque e medio sublatus. *Septimo* distractum huiusmodi contubernium si postea repetatur, morte pariter multari iubet Constantinus: Repetiti scil. eadem post *hanc l.* etsi antea contracti, mox distracti, pœna esse debet, quæ post *hanc* primum *legem* contracti. Quod rursum singulare est: facilius enim alioquin indulgendum videbatur, pristinum amatum & consuetudinem repetenti mulieri, quam post *huius l.* denunciationem seruum sibi de nouo amatum concilianti. Non tam facile quippe amor admissus deseritur, & difficilius eiicitur quam non admittitur. Verum turpitudini mulierum & hac ratione Constantinus M. occursum voluit, quæ quondam amatos, etsi ab oculis iuris auctoritate longe semotos, iterato delicto repetere sustinuerat.

p. 72.

Denique quod *hac l.* potissimum, illud mihi spectari cupio, *hac l.* OCCVLTIS hac tempestate mulie-

mulierum stupris cum seruis suis Amatis a Constantino M. occurri, sobolem familiis ingenuis & nobilibus ex seruili contubernio inserentibus, & cœco amore huiusmodi verberonum correptis: OCCVLTE ait *lex* diserte, & non sine mysterio. At quo? Nempe cum aperte his nubere non posse se scirent, occulte rem habebant, haud aliter ac nuptæ: vnde & *Nuptæ* etiam *hac l.* vocantur: *verberones* autem hi, tribus locis, *Amati*, ἀγαπητοί. Etsi quod ad interdictum pertinet, eadem ratio, si palam: Vt non male Accursius dixerit, quod hic occulte dicitur, *curialiter* potius dici, & *hanc l.* obtinere etiamsi manifeste id admissum foret. Sed tamen *huius l.* ferendæ occasio & causa vera, fuerant occulta & clancularia huiusmodi consortia, manifestariis iam cessantibus: quibus vt seueriter & abunde occursum, ita neque nunc vsurpata ea, ex *hac l.* liquet: sed clancularia tantum, pœnis euitandis. Quare hac parte peccatum a Viglio, *ad proœm. Inst. de hered. instit.* & ab Ario Pinello *selectar. lib. 1. cap. 9.* Ac nominatim in eo, quasi nubere palam mulieri seruo suo etiam ex *hac l.* liceat impune; atque hoc facto libertas seruo competat. Ratio enim *huius l.* aperte refragatur, quam & Anthemius *Nou. 1.* tradit: Imo & illa *huius l.* verba, *Ante legem* NVPTA *tali consortio segregetur* &c. Et nihili est argumentum, a domino permittente, vt ancilla nubat libero: item a domino ancillam manumittente matrimonii causa: Illa enim iure licito fiunt, neque vlla ratio ei rei intercedit: Atenim in femina & quidem nobili ferme, familiæ dignitas & sobolis ratio. Cæterum & hæc Constantini M. *lex* de earum numero est de quibus Nazarius in *panegyr. ad Constantinum M. cap. vlt.* Anno proximo 321. *Nouæ leges regendis moribus, frangendis vitiis constitutæ &c. pudor tutus, munita coniugia.* Porro cum dubitatum postea in aliqua facti specie fuisset, num hæc Constantini *lex* extra suum casum, ad eas quoque mulieres pertineret, seu porrigi posset, quæ se libertis coniunxissent, eam dubitationem decidit Anthemius *Nouella sua 1.*



P. 73.

AD LEGEM IVLIAM DE VI PVBLICA ET PRIVATA.

TITVLVS X.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XII.

PARATITLON.

VIS, *Rubr. l. 1. 2. 3. h. t.* violentia, *l. 1. 2. 3. 4. h t.* alia publica, *Rubr.* & *l. 8. de Iurisdict.* alia priuata, *Rubr.* & *d. l. 8.* committitur ea, *l. 1. h. t.* infertur, *d. l. 1. 2. 3. h. t.* fit, *d. l. 1.* & *4. h. t.* admittitur, *d. l. 4. h. t.* perpetratur, *d. l. 4. h. t.* cum quis alterius possessionem temerare tentat, *d. l. 1 h. t.* alienum fundum per vim inuadit, *d. l 2. h. t.* vi deiicit possidentem, *d. l. 2. h. t.* vim possidenti infert, *l. 3. h. t.* Momentaneæ possessionis interdictum, ab hoc quomodo diuersum? vid. *l. 8. sup. de Iurisdict.* In hoc crimine, vt in aliis inscriptio requirebatur, *d l. 8.*

Pœna huius criminis, *Deportationis*, vel *Relegationis* est, sed capitalis facta, *d. l 1.* & *2. h. t.* Postea vero rursum Deportationis pœna constituta, *l. 3. h. t.* cum bonorum omnium confiscatione, si in negotio principali fuerit aduersus eum, qui vim admisit, iudicatum; dimidia vero eorum, de quibus litigatum est, si pro eo: *l 3. h. t.* Postea vero tota, *l. 2. 3. supr. vnde vi.* Seruorum speciatim, viliumque personarum, itemque eorum, qui bis aut sæpius vim intulerunt, item Iudicis hoc iudicium serio non exercentis, pœnam repete ex *lege vlt. h. tit.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Catullinum Proc. Africæ.

QVI, (b) in Iudicio manifestam detegitur commisisse violentiam, non iam (c) relegatione aut deportatione insulæ plectatur, sed supplicium capitale excipiat: Nec interposita (d) prouocatione sententiam, quæ in eum fuerit dicta, suspendat: Quoniam multa facinora sub vno violentiæ nomine continentur, cum aliis vim inferre temptantibus; (e) aliis cum indignatione (f) repugnantibus, (g) verbera, cædesque crebro deteguntur (h) admissæ. Vnde placuit, vt si (i) forte quis vel ex possidentis parte, vel ex eius qui possessionem temerare (k) temptauerit, interemptus sit, in eum supplicium exeri, (l) qui vim facere temptauit, (m) & alterutri parti causam malorum præbuit. (n) Dat. XV. Kal. Maii, Serdicæ, Gallicano & Basso Coss. [317.]

INTERPRETATIO. *Conuictus in iudicio de euidenti violentiæ crimine, capite puniatur; nec sententiam Iudicis qui damnatus est quali̇bet appellatione suspendat: & si fortasse homicidia ab vtraque parte commissa fuerint, in illum vindicetur, qui* (o) *vt alium per cædem expelleret, violenter ingressus est.*

NOTAE.

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est, inuersis periodis & sententiis. Sed & *Capitularibus* inserta hæc *lex lib. 6. cap. 289.* totidem verbis. *GOTHOFRED.*

(b) Hæc *huius legis* verba referuntur in *l. 14. infr. Quorum appellat. ID.*

(c) Vt antea ex *leg. Iulia. ID.*

(d) *Proposita*, edidit Sichard. *RITTER.*

(e) *Certantibus*, Cod. Iust. *GOTHOFRED.*

(f) Id est, iusta & æquissima defensionis vltione. *ID.*

(g) *Resistentibus*, Cod. *Iust.* & in *Capitularibus. ID. Resistentibus*, MSS. W. G. & Edit. Sichard. *RITTER.*

(h) *Detegantur*, Cod. Iust. *GOTHOFRED. Detegentur*, Ed. Sichard. *RITTER.*

(i) *Placuit, si forte*, MSS. W. G. Cod. Iust. & Edit. Sichard. *ID.*

P. 74. (k) *Temerare* possessionem, proprie: *Vid. Gl. Th.* Sic Symmachus *lib. 3. ep. 53. fallaciam temerati alieni iuris celeriter expurges, aut si quid te ignorante turbatum est, iubeas reformari. GOTHOFRED.*

(l) *Exerceri*. Cod. Iust. *ID. Iudicium exeri*, Ed. Sichard, *RITTER.*

(m) *Temptauerit*, MS. G. & Cod. Iust. *ID.*

(n) *Præbuerit*, Cod. Iust. *ID.*

(o) *Qui ad alium, vt per cædem pelleret, violenter ingressus est*, MS. W. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. tres constitutiones ordine sequuntur, aduersus vim, seu violentiæ crimen. Hac sane *leg.* AVGETVR violentiæ crimen supra *leg. Iuliam;* Et quidem in his tribus.

Primum *pœna* huic crimini capitis indicitur; quod & ipsum rursum statuitur eiusdem Constantini *l. 2. prox. infr.* cum antea vel Relegationis vel Deportationis pœna huic crimini immineret ex *d. l. Iulia:* quod etiam confirmat *l. 3. infr. eod. in fine, l. 10. D. eod. tit.* & § *8. Instit. de publicis Iudiciis:* & Paulus *5. sentent. 26. §. 1. 3.* Lex Iulia proinde hac parte abrogata. Verum *l. 3. infr.* ab eodem Constantino M. mitior pœna rursum reducitur; Deportationis inquam, & bonorum vel totorum vel mediæ partis proscriptionis: quam *huius l.* sententiam filius eius memorat *l. 14. infr. quorum appellat.* Eandemque pœnam imponit Gratianus in spec. *l. 2. sup. vnde vi.*

Secundo appellandi ius denegat *h. l.* Constantinus M. ei, in quem sententia de vi fuerit dicta. Quæ *legis huius* sententia memoratur in *d. l. 14. infr. Quorum appellationes.*

Tertio statuitur, vt si cædes admissa fuerit in vi admittenda, vel repellenda, is tantum luat, homicidiique teneatur, qui vim intulit; impune vero ferat, qui vim retulit, & forte cædem admisit. Quod & ipsum repetitur *l. 2. infr. prox.* quod vulgus Interpretum non vidit. Ex legitimæ videlicet & necessariæ defensionis præscripto; de qua notum est, quicquid dici potest. Videnda certe sunt ea quæ præterea ex *hac l.* ad praxim deducuntur in crimine homicidii, inter alios apud Farinacium *de homicidio q. 126.* Istud nominatim hinc axioma recte educitur, *eum qui dat operam rei illicitæ, teneri de eo, quod præter eius intentionem & cognitionem contigit:* Si scil. opera illa seu actus ille illegitimus causa sit non remota, *sed ordinata ad subsecutum delictum*, vt in sp. quoque *l. 50. §. 1. D. de furtis:* secus si non sit præordinata, vt in sp. *l. 53. in pr. D. de furtis.* Quæ ita cum *hac l.* concilianda & componenda est.

Augendi autem huius criminis causa hæc adfertur: *Quoniam multa facinora &c.* Quibus verbis non illud indicatur, quasi capitis pœna immineat cæde tantum admissa; verum illud: ideo vis pœnam augeri, quia vim plerumque sequatur cædes. Et Tribonianus tamen *huius legis* sententias ita inuertit, quasi cæde tantum admissa, capitis pœna violentiæ crimen plecti Constantinus voluerit.

II. Idem A. ad Bassum (a) P. V.

SI quis per violentiam alienum fundum inuaserit, capite puniatur. Et siue quis ex eius parte, qui violentiam inferre temptauerit, siue ex eius qui iniuriam repulsauerit, fuerit occisus, eum pœna adstringat, qui vi deiicere possidentem voluerit. Dat. (b) VI. Id Mar. (c) Rom. Gallicano & Basso Coss. [317.]

NOTAE.

(a) Septimium Bassum, vt auctor est, *Notitiæ Præfectorum V. Scriptor*, his COSS. de hoc *ad l. prox. GOTHOFRED.*

(b) Pro *Reddita* vel *Proposita*: Serdicæ enim hoc tempore ferme morabatur Constantinus. *ID.*

(c) Atqui Auctor *Notitiæ Præfectorum vrbi*, hunc Septimium Bassum Præfecturam iniisse scribit ex die XIII. Kal. Maii? *ID.* Facilis est emendatio, reponendum enim *Mai*, quod etiam monuit Noster in *Prosopographia*, quam vide. *RITTER.*

SENTENTIA *huius legis* eadem est quæ *superioris*, eundemque Auctorem habet.

III. (a) Idem A. ad Bassum (b) P. V.

SI quis ad se fundum, vel quodcumque (c) aliud adserit pertinere, (d) ac restitutionem (e) sibi competere possessionis putat, ciuiliter (f) super possidendo agat; aut, impleta solemnitate (g) iuris, crimen violentiæ obponat, non ignarus, eam (h) se sententiam subi-

subiturum, si crimen obiectum non potuerit comprobare, quam reus debet excipere. Quod si omissa interpellatione (i) vim possidenti (k) intulerit, ante omnia violentiæ (l) causam (m) examinari præcipimus, & in ea requiri, *Quis* (n) *ad quem venerit* (o) *possidentem*, vt ei quem constiterit expulsum, amissæ possessionis iura reparentur (p) eademque protinus restituta, (q) violentus pœnæ non immerito destinatus, in totius litis terminum differatur, vt agitato negotio principali, (r) si contra eum fuerit iudicatum in insulam deportetur, bonis omnibus abrogatis: (s) Quod * si pro eo, quem claruerit esse violentum, sententia proferetur, omnium rerum, de quibus litigatum est, media pars penes eum resideat, cetera fisci viribus vindicentur. PP. Prid. Non. Octob. Rom. Constantino A. V. & Licin. Cæs. Coss. [319.]

INTERPRETATIO. *Si quis aduersarium suum ita apud Iudicem crediderit accusandum, vt* p. 75 *se adserat violentiam pertulisse, ad probationem rei eum conuenit adtineri: quod si probare non potuerit, quem dixerat violentum, eandem pœnam suscipiat, quam ille quem impetit conuictus potuisset excipere. De reliquo hæc lex prætermittenda est,* (t) *quia in quarto libro, sub titulo* (v) Vnde vi, *quæ tamen temporibus posterior inuenta est, habetur exposita.* (x)

NOTAE.

(a) *Lex 7. Cod. Iust. eod. tit.* Meminit huius *legis*, eiusque postremam sententiam memorat *lex 14. infr. quorum appellat.* eique concordat. Memorat quoque hanc *legem* Papianus *Resp. tit. 8. de violentiis.* GOTHOFRED.

(b) *Bassus* hic Præfectus vrbis, integro nomine *Septimius Bassus*, Præfectus vrbis fuit, ab Idibus Maii Anni 317. ad Kal. Sept. 319. vt diserte Auctor *Notitiæ Præfectorum vrbi.* Eidem inscribitur *lex 2. sup. h. t.* A. D. 317. *lex 7. infr. de appellationibus*, & hoc ipso Anno 319. quatuor præterea aliæ *leges.* ID.

(c) Fundo simile. ID.

(d) *Pertinuisse*, MS. G. RITTER.

(e) Vel rei vindicatione, vel interdicto *Vnde vi.* GOTHOFR.

(f) *Aut ciuiliter*, Cod. Iust. & Sichard. RITTER.

(g) *Solemnitas Iuris*, est Inscriptio in crimen. GOTHOFR.

(h) *Talionis* hæc vis & descriptio est, & inscriptionis in crimen effectus, cuius in hoc ipso crimine meminit Symmachus, *lib. 10. ep. vlt.* ID.

(i) *Interpellatione*, id est actione siue ciuili, siue criminali, violentiæ nomine, auxilio nimirum Iudicis, vt Græci hic recte interpretantur *lib. 60. Basil. tit. 18.* ID.

(k) Hodie. ID.

(l) Istius postremæ: & sic, quis vltimum deiectus, vt recte Accursius & Albericus, de quo in fine *Commentar.* ID.

(m) Ciuilem, ID.

(n) *Quid*: ita nonnulli Interpretes *Cod. Iust.* quod prauis Interpretationibus locum fecit. ID.

(o) *Peruenerit*, Cod. Iust. inepte. Quod & prauis interpretationibus locum fecit: *Venisse ad alium possidentem* dicitur, qui possidentem deiecit, qui possessionem abstulit. Vox hæc *hic* propria *l. 1. §. 28. l. 3. §. 4. & seqq. D. de vi & vi arm.* ID.

(p) *Reparentur*, id est restituantur, reformentur. ID.

(q) *Si criminalis quæstio agitetur.* Hoc additum a Triboniano superflue. Fit porro mentio huius postremæ sententiæ Constantinianeæ a filio eius *d. l. 14. infr. quorum appellat. non recip.* ID.

(r) *Principale* negotium, seu causa principalis, id est proprietatis: dixi ad *l. 1. sup. vnde vi.* ID.

(s) *Abrogatis*, id est confiscatis, ademptis. ID.

* Sequentia resecauit Tribonianus. IDEM.

(t) *Prætermissa est*, Cod. W. RITTER.

(v) *L. 4. sup. vnde vi.* GOTHOFR.

(x) Est qui tentat, *explosa.* IDEM.

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc Constantini M. constitutio est, aduersus *Inuasores* seu violentos possessores: qua consilium viaque iuris proponitur ei, qui fundum aliamue quam rem ad se pertinere adserit: contra, pœna violenti possessoris continetur. Consilium inquam, seu viam Iuris hanc proponit: Nempe, eum qui POSSESSIONEM, vel aliud quid ad se pertinere intendit, sibique id restituendum adserit, ad id consequendum ciuiliter vel criminaliter agere posse & debere: ciuiliter inquam, super possidendo, id est, interdicto *Vnde vi*, recuperandæ possessionis, de quo suo *tit. sup.* dein, pro proprietate, rei vindicatione, & Publiciana: Criminaliter vero violentiæ nomine sub inscriptionis in crimen siue Talionis lege: quæ hic quoque proponitur: de qua Inscriptione dictum fuit *suo tit. supr.* eiusque exemplum in hoc ipso argumento apud Symmachum elegans, *lib. 10. ep. vlt. Quid habeat conditionis Inscriptio, nostis præ ceteris, iuris publici Conditores, DDD. Imperatores, Prouisum est enim, ne quis temere in alieni capitis discrimen irrueret, ni se idem prius pœnæ sponsione vinciret. Secundum hac scita legum, Agens in rebus Africanus, accusationem professus, Campano & Higino clarissimis viris violentiæ crimen obiecit. Continuo vt seueritas exigebat, reos custodia militaris, dissimulata dignitate circumdedit. Sed vbi partes sub examine constiterunt, multo luctamine patronorum decursa cognitio, oratione magis quam probationibus redundauit. Cum longa verborum serie causa traheretur, Summates Aricinæ vrbis, quos vt conscios accusator exciuerat, adhibuimus quæstioni, gestorum ordinem sciscitamur. Omnium conuenit* assertio,

assertio, nihil turbarum esse constatum. Tunc ad eludendum iudicium præsentia cuiusdam cœpit exposci, quem non tenebat inscriptio. Eo denique res rediit, vt a partibus Africani accusationis omissio desperatione peteretur. Supererat, vt crimine non probato in accusatorem formidata reis pœna transiret. Sed cum me Africani militia pariter atque incauta adolescentia permoueret, malui iudicium de eo Clementibus reseruare. Alia est enim conditio Magistratuum; quorum corruptæ videntur esse sententiæ, si sint legibus mitiores: alia Dominorum Principum potestas, quos decet acrimoniam seueri iuris inflectere. Relationi Gesta subtexui, partium quoque supplementa sociaui. Quæso vestram Augustissimam perennitatem, vt perpensis omnibus, sequenda iubeatis. Hactenus Symmachus. Tertiam viam suum adserenti vel repetenti Constantinus *hac l.* non patere ait. Ac nominatim sibi ipsi ius dicere neminem posse, puta, vi possessorem expellendo. Ita quidem Constantinus: Etsi ex Pauli sententia 5. *sentent. 6. §. 7.* qui vi possidebat, clam, aut precario, ab aduersario, impune deiiciebatur; de quo Cicero *pro Cæcinna cap. 31. seqq.*

Quid fiet igitur, si quis qui alioquin veterem violentiæ actionem mouere poterat, possessorem ipse vi expulerit, ex interuallo scilicet? Ait Constantinus 1. Violentiæ causam examinari oportere. 2. & in eo requiri, inuestigari, quis ad quem venerit possidentem. 3. vt ei, quem constiterit expulsum amissæ possessionis iura reparentur: vbi habes iudicii istius formam vimque omnem: Formam, inquam, puta vt id tantum quæratur, Quis alterum possessione, vltimum scilicet, deiecerit, spoliauerit. Idque est, quod vulgo dici solet, *spoliatum ante omnia restituendum:* de qua quæstione sub *finem legis* plura. Atque ITA violentiæ causa (vt hæc *lex* ait) hoc ipso definietur ad possessionem fundandam. Quo facto, iudicium mox principale agitabitur: *principale* inquam, id est proprietatis, de qua *principalis* causæ appellatione dixi *ad l. 1. sup. vnde vi:* & occurrit vox *l. 14. infr. quorum appellat.* (qua *huius l.* mentio fit) Idque est, quod Isidorus scribit *Origin. Lib. 5. cap. 25. Momentum dictum a temporis breuitate, vt tam cito, quam statim saluo negotio* (principali & vt loquitur *d. l. 1. sup. vnde vi, iudicio reseruato*) *reformetur, nec in vllam moram produci debeat, quod repetitur.* Tandem, pœna seu vigor vindictæ publicæ sequetur: & quidem varie pro varietate & exitu Iudicii principalis. Nam si proprietas eius qui vim admisit fuerit, dimidia rei per vim ereptæ fisco adquiretur. Si vero rei dominus non esse iudicatus fuerit, deportatione & sic bonorum omnium publicatione (quæ deportationis est consequens) adficietur. Quæ Constantinianeæ *huiusce l.* sententia memoratur ab eius filio, *l. 14. infr. quorum appellat.*

P. 76

Verum hæc, rem, quamlibet suam, vi præoccupantis, pœna postea aucta fuit: Tota quippe re & hoc casu excidere eum voluerunt Imperatores, *l. 2. & 3. sup. vnde vi:* Ob quam causam Tribonianus vltimum *huius legis* versiculum omisit.

At inquies, in specie *huius legis*, criminalem causam ciuili postponi, aduersus regulas iuris veteris, vt ostensum est *ad l. 7. sup. de adulteriis:* & ostendetur ad *l. 2. infr. ad leg. Corn. de falso:* Item aduersus *legem 37. D. de iudiciis:* & *leg. 5. §. 1. D. ad leg. Iul. de vi publ.* vbi aperte scribitur, ante cognoscendum esse de vi; quam de possessione? Non placet, quod Cuiacius credidit, & Hotomannus secutus est, istud quod *h. l.* statuitur & *leg. 1. C. Iust. de appellat.* iure nouo ita constitutum, aduersus Regulam Iuris veteris seu Decretum Hadriani, siue D. Pii: Imo aperte illud ipsum *h. l.* constituitur, violentiæ scil. causam principe & primore loco examinandam, ad possessionem videl. fundandam, mox de possessione (id est de proprietate rei, nam ita vox ea *possessionis* accipienda est in *d. l. 37.* vt ex *fine legis* liquet) cognoscendum: pœna tantum seu pœnæ modus ad vindicandam disciplinam publicam in vltimum locum differtur, pro exitu videl. iudicii de proprietate, in conuictum iam ab initio violentiæ crimine: Et, vt *lex 14. infr. quorum appellat.* (quæ hanc *leg.* indicat, & *huius l.* summam recte proponit) vigorem vindictæ differri, post totius negotii exitum voluit, (nam ita reponendum.)

Quare tria quodammodo Iudicia hac parte obseruentur. Primum est, de *vi* seu violentiæ crimine. Post quod illico, & per consequens, & vt loquitur *l. 1. C. Iust. de appellationibus*, ITA, sequitur possessionis reformatio. Secundum iudicium proprietatis. Tandem sequitur vindicta publica.

Vel saltem duo Iudicia; *Vnum* violentiæ; sed primum præparatorium ad proprietatis iudicium, & sic possessionis recuperandæ. *Alterum* proprietatis rursum violentiæ ad disciplinam publicam vindicandam. Vt mirari subeat, Cuiacium tantopere laborasse *lib. V. obseruat. cap. 15.* in concilianda hac *lege* cum *illis*, quas antea laudaui, *legibus*; & cum *l. vlt. Cod. Iust. de ordine Cognition.*

Quin nominatim quod scribitur in *l. 1. Cod. Iust. de appellationib.* prius de possessione pronunciandum esse, *&* ITA *crimen violentiæ excutiendum;* tantum abest huic aduersetur, vt contra plane concordet. Neque enim vox ITA in ea *lege* significat, *postea, deinde*, quod Petrum olim obseruasse testatur Salicetus in *d. l. 1. Cod. Iust. de appellat.* & amplectitur Donellus, verum consequenter: nam imo de possessione pronuntiare, & crimen violentiæ excutere, idem est, vt ex superioribus liquet: Qui de possessione scil. pronunciat eo ipso crimen violentiæ excutit, & vice versa. Quia intelligi non potest vtrum violentia facta sit possessori, nisi cognitum fuerit an possessor fuerit, nec ne; Quis ad quem venerit possidentem, & vice versa sciri non potest, cui possessio adiudicanda sit, nisi de violentia constiterit. Denique cum de possessione restituenda quæritur, & de vi quæritur, ac vice versa: Vno verbo, vt antecedens & consequens inter se hæc habent: non vt primum & secundum.

Itaque in errore quoque hæret Radulphus Fornerius *Quotidianarum, lib. 2. cap. 20.* Imo & Græci *lib. 60. Basilicorum, tit. 18.* qui putarunt in specie *huius legis*, Ciuile Iudicium violentiæ crimini præferri. Cuius contrarium verum est. Denique in *d. l. 1. Cod. Iust. de appellat.* non possessionis iudicio opponitur cognitio de violentia (quæ idem sunt effectu quoad priuatos) verum proprietatis iudicium. Quo sane prius est iudicium de possessione. Neque his absimilia tractat Fachinæus 8. *Controuers. 8.*

Ex his breuiter apparent hæc Tria, quæ non animaduersa tantos fluctus concitarunt: *Primo*, crimen violentiæ excutere, & de possessione pronunciare, idem esse. *Secundo*, *Possessionis* verbo in *l. 37. D. de iudiciis & in l. 5. §. 1. D. ad leg. Iul. de vi publica*, proprietatem rei accipiendam. Quod concordat *legi, 78. D. de V. S. Tertio*, vocem, ITA, non successiue, verum vt consequens accipiendam, in *d. l. 1. Cod. Iust. de appellat.* Idemque sensisse & Imperatores & Iurisconsultos: Nempe de vi seu possessione quæri prius semper oportere, quam de proprietate. Vide & quæ notaui ad *l. 1. supr. Finium regundorum.* Ab his etiam recedunt, quæ doctissimus & amicissimus Antecessor Bituricensis scripsit 2. *cap. 36.*

Cæterum & hæc *lex* de earum NOVARUM Constantini M. Constitutionum numero est, de quibus Nazarius *panegyrico*, quem habuit biennio post hanc *legem*, An. 321. *cap. vlt.* NOVÆ *leges regendis moribus & frangendis vitiis constitutæ. Veterum calumniosæ ambages recisæ, captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt.*

Ad hanc vero *legem* id potissimum ab interpretibus

tibus quæri solet; vtrum, vltimo & ex interuallo deiectus recuperet possessionem ante omnia, etsi ipse prius vim admisisse seu spoliasse dicatur, vt ita ipse solus habeat interdictum, primaque adeo violentia per hanc secundam ex interuallo factam, quoad hoc interdictum seu momenti beneficium, extincta sit? De qua alioquin quæstione cum *variis locis* agat Albericus, veluti ad *l.* [illegible] *Cod. Iust. vnde vi: in verbo, recte, fol. verso*; ad [illegible] *tum 7. eod. ad L. peremptorias, C. Iust. sententiam rescindi non posse*, plenissime ad *l. si quis ad se fundum, Cod. Iust. eod. tit.* omnium prolixissime idem tractat *ad hanc legem:* vbi Glossæ *Cyni, Petri, Iacobi de Rauenna* &c.

IV. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. ad Albinum P. V. (b)

SERVOS, qui fecisse violentiam confessionibus testium (c) aut propriis docebuntur, si id inscio domino commiserint, postremo supplicio deditos, luere perpetrata censemus. (d) Quod si illi metu atque exhortatione (e) dominorum violentiam admiserint, palam est, secundum legem Iuliam, dominum (f) infamem pronunciandum, (g) loci aut (h) originis propriæ dignitate non vti. Seruos vero quos furoribus (i) talium (k) paruisse constiterit, metallis (l) per (m) sententiam dedi: Viles autem infamesque personæ, & hi qui bis aut sæpius violentiam perpetrasse conuincentur, Constitutionum diua-
P. 77 lium pœna teneantur. Iudicem vero nosse oportet, quod graui infamia sit notandus, si violentiæ crimen aput se probatum distulerit, omiserit, vel impunitate (n) donauerit, aut molliore, (o) quam præstituimus, pœna perculerit. Dat. Prid. Non. Mar. Med. Valentiniano A. IV. & Neotherio V. C. Coss. [390.]

INTERPRETATIO. *Si serui inscio domino confessi, vel conuicti fuerint violentiam commisisse, addicti tormentis grauibus puniuntur.* (p) *Si vero iubentibus dominis violentiæ crimen admiserint, domini qui illicita præceperunt, notantur infamia, & nobilitatis, vel honoris sui dignitatem tenere non possunt. Serui autem qui talibus dominorum furoribus paruerunt, in metallum detruduntur. Ceterum non liceat Iudicibus discussionem violentiæ differre, vel dimittere, vel donare, qui si probauerint violentiam, & non statim vindicauerint, nouerint se periculum subituros. Viles autem personæ, quæ bis aut frequenter admisisse violentiam comprobantur, constituta legibus pœna suprascripta omnimodis feriantur.*

NOTAE.

(a) *Lex 8 Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.
(b) Romæ, vid. *Prosopograph.* ID.
(c) Paria sunt, testibus conuinci, & fateri crimen, ὁμοία ἐςὶν τῇ τῶν μαρτύρων φωνῇ, ἡ τοῦ κρινομένου ὁμολογία, Græci *hic, lib. 60. tit. 18. Basil.* de testibus in hac re vid. & Symmachum *lib. 10. ep. 41.* ID.
(d) *Censuimus*, MS. G. & Sichard. RITTER.
(e) *Ex oratione*, MS. W. *ex ordinatione*, MS. G. ID
(f) In dignitate positum. GOTHOFRED.
(g) *Pronunciatum*, Cod. Iust. ID. *Pronunciatum*, Edit. Sichard. RITTER.
(h) *Ac*, Cod. Iust. GOTHOFRED.
(i) *Furoris* vox hac in re propria: qua pariter vtitur idem Valentinianus Iunior *l. 3. sup. vnde vi:* siue *l. 7. Cod. Iust. vnde vi.* ID.
(k) *Talibus*, Cod. Iust. ID.
(l) *Metallo*, Cod. Iust. ID.
(m) *Post*, Cod. Iust. ID.
(n) *Immunitate*, Cod. W. RITTER.
(o) *Molliorem pœnam protulerit*, Cod. Iust. & Ed. Sichard. male *pertulerit*, priores Cuiac. GOTHOFR.
(p) *Grauioribus puniantur*, MS. G. RITTER.

COMMENTARIVS.

POENA violentiæ varie pro statu admittentis (vt ceteroquin discrimina pœnarum sunt pro varietate personarum, de quo vide vel *legem 9. §. 14. D. de pœnis*) exhortantis, dissimulantis, hac Valentiniani Iunioris constitutione: partim ex iure veteri, seu *lege Iulia*, partim ex constitutionibus Principum constituitur & PROPAGATVR. Igitur *seruis* vltimum supplicium imponitur, si inscio domino vim admiserint: si vero metu & dominorum instigatione, metalli. Iussus scilicet domini, etsi seruum in totum non liberet, a tanto tamen liberat, de quo alius est dicendi locus. Domini vero siue ceteræ personæ, si violentiam ipsi admiserint, vel per seruos (paris enim hæc meriti sunt,) si honestioris sint loci, infames efficiuntur ex *L. Iulia.* Quod notari oportet, *L. Iulia* infamiæ pœnam vi impositam fuisse: quod etiam docet *l. 1. in pr.* & *l. vlt. D. ad L. Iuliam de vi priuat.* quod tamen Senatusconsulto potius tribuitur, *d. l. 1. in pr.* ad illam sc. *legem* facto. Viles autem si personæ, vel etiam honestiores sæpius violentiam admiserint, (iterata namque delicta grauius puniri, liquet ex *L. 28.*

§. 3. D. de pœnis. & Paulo lib. 5. sentent. tit. 21. §. 1. in fin.) pœna constitutionibus Principum constituta tenentur, scilicet (de quo dictum ad leges superiores) Capitis. Denique Iudici crimen hoc differenti, dissimulanti, vel etiam mitiore pœna persequenti, infamiæ pœna imponitur. Valentinianus III. *Nouella inter Theodosianas* 19. de Inuasoribus *l. 1.* hanc pœnam Iudici dissimulanti vel negligenti imponit, vt statutam taxationem, cum fuerit accepto successore priuatus, exoluat. Athalaricus quoque apud Cassiodorum *IX. Var. 18.* adepti cinguli honore priuari eum iubet, & fisco in tantum obnoxium esse, in quantum præsumptor seu Inuasor potuisset addici. Cæterum notandum molliori quoque Iudici pœnam imponi. Corruptæ Magistratuum sunt sententiæ, si sint mitiores legibus, vt in hoc ipso de vi Iudicio scribit Symmachus *lib. 10. ep. vlt.* loco quem iam protuli ad *l. 3. sup.* In hanc eandem sententiam, vide *l. 8. infr. de appellationib.* Et *l. 65. inf. de Hæreticis: l. 11. D. de pœnis. l. 1. §. 4. D. ad SC. Turpillianum*, Nouell. *Iustiniani 82. cap. 10.* Quintilianum *declamat. 313. 345.* vide & *l. 15. D. ad Municipalem.* Quid est igitur quod scribit Augustinus *in Epistola ad Marcellinum 158. siu. 139. num. 2. pag. 420. edit. Benedictin. Soleo audire in potestate esse Iudicis mollire sententiam, & mitius vindicare quam iubeant leges.* Hoc scilicet ipsum quod late tractatur in *l. 11.* & in *l. 16. D. de pœn.*

Ex omnibus interim *huius tituli* legibus apparet, quam odiosum fuerit Christianis Principibus violentiæ crimen, supra quam *legibus Iuliis* fuerat: vtpote cum illi hoc crimine inuoluant, suum quoque a violento possessore repetentes: seruos item dominis audientes, Iudices pariter dissimulantes: Sed & cum seueriore longe pœna, capitis videl. hoc crimen ipsum persequantur: Quin & Appellationinum ius in hoc crimine adimant: & in eodem inscriptionem requirant.

P. 78.

DE PRIVATI CARCERIS CVSTODIA.

TITVLVS XI.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. V.

De priuatis carceribus inhibendis.

Titulus hic, Titulo *de custodia reorum* non male quoque subiicitur in *Cod. Iust.* Et recte tamen hunc in ordinem *hoc in Codice* coniectus est: Est enim & vis, seu violentiæ species, Priuatus carcer; & crimen hoc *L. Iulia de vi*, vindicabatur, mox vt ostendam.

I. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Erytrio (b) Præf. August. (c)

SI quis (d) posthac (e) reum (f) priuato carcere (g) destinarit, reus Maiestatis habeatur. Dat. Prid. Kalend. Maii, Thessal. (h) Theod. A. V. (i) & Cynegio V. C. Coss. [388.]

Ista lex interpretatione non indiget.

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Fit tamen eius mentio a Zenone *leg. 1. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Erytrius* sub Theodosio M. Præf. Ægypti, cuius nulla mihi alibi mentio occurrit. IDEM. Diuersissime etiam nomen scriptum est in Codd. W. legit *Emeterio*, Ed. Sich. *Hemeterio & Heretio*, ad marg. Gothan. *Histerio.* RITTER.

(c) Ad eandem Diœcesim Ægyptiacam pertinet Zenonis *d. l. 1.* GOTHOFR.

(d) *Potens* forte. ID.

(e) Hactenus igitur id a nonnullis per Ægyptum vsurpabatur. ID.

(f) An reum criminis an vero debitorem æris? Illud verum. ID.

(g) Pro *carceri destinarit*; id est manciparit. ID. *Carceri*, rectius legunt MS. W. Edit. Sichard, & priores Cuiac. RITTER.

(h) Vide *Chronologiam huius anni.* GOTHOFR.

(i) *ys.* II. ID. Recte MS. W. & Edit. Sichard. *Theodosio A.* II. RITTER.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc vnica hoc titulo aduersus priuatos carceres constitutio est, data A. D. 388. Qua quidem Maiestatis crimine teneri eum iubet, qui reum priuato carceri mancipauerit, Pariter vti Zeno postea *l. 1. Cod. Iust. eod. tit.* cuius etiam *legis fine* hæc nostra Theodosiana indicatur. Et vtraque etiam *lex* (quod notandum) ad Diœcesim Ægyptiacam seu Alexandrinam pertinet. Nempe vt

pe vt Alexandria seditionum cæteroquin nutricula ferme erat, ita huiuscemodi impressionum & arrogantiæ, quibus scil. potentiores infirmiores tanquam reos atterebant, proculdubio fœcunda fuit. Addatur in eandem sententiam & Iustiniani *lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* quam Basilica suppeditant.

Maiestatis porro nominatim crimini *hac l.* priuatorum carcerum vsurpatio ideo deputatur, quia scilicet Maiestatis crimen est, sese pro Magistratu gerere, *l. 3. in f. D. ad leg. Iuliam Maiest.* quod sane facit, qui priuatum carcerem exercet. Illud enim inter cætera Magistratuum insignia & symbola fuit. Chrysostomus, in *Oratione de vtilitat. Lect. Script. in princip. Actor. 3.* qua *Apostolatum* ὑπατίαν πνευματικὴν, *Spiritualem Consulatum*, vocat, & cum Magistratibus comparat, *tomo Sauiliano 8. pag. 115. Tom. III. edit. Benedict. num. 4. pag. 77.* τί ποτ' ȣ̈ν ἐςὶν ἀρχῆς σύμβολον, καὶ τινὰ ἔχειν τὸν ἄρχοντα χρή; δεσμωτηρίȣ ἐξȣσίαν, ὥςε τȣ̀ς μὲν δῆσαι, τȣ̀ς δὲ λῦσαι, τȣ̀ς μὲν ἐκβάλλειν, τȣ̀ς δὲ ἐμβάλλειν κύριός ἐςιν. *Quodnam igitur est magistratus insigne, & quænam sunt, quæ habere debet hic magistratus? Potestatem in carcerem, sic vt alios vincire compedibus, alios soluere, alios educere, alios possit conicere,* &c. Et mox: ἀπὸ τȣ̃ δεσμωτηρίȣ πρῶτον ἀριθμήσομεν. καὶ γὰρ εἰρήκαμεν, ὅτι κύριος τȣ̃ δῆσαι καὶ λῦσαί ἐςιν ὁ ἄρχων, *a carcere initium enumerationis ducemus. Diximus enim in potestate situm esse magistratus, vt vinciat & soluat.* & post: *p. 117. edit. Sauil.* & *pag. 79. edit. Benedict. num. 5.* εἶδες αὐτῶν τὸ δεσμωτήριον, ὅπερ ἀρχῆς ἐςὶ σύμβολον, *vides eorum carcerem, quod magistratus est insigne.*

Hactenus quidem *leg. Iulia de vi*, hoc priuati carceris crimen vindicabatur, vt docent *l. 5. 8. D. ad leg. Iuliam de vi publ.* Et vero hac quoque de causa hic *titulus* superiori titulo *ad leg. Iuliam de vi*, proxime subiicitur, & ad edictum quod metus causa, si quid ea occasione extortum fuisset, pertinebat; *l. 22.* & *l. vlt. §. 2. D. quod metus causa.* Paulus *1. sentent. tit. 7. de integri restitutione §. 8.* & *5. sent. 26. §. 3.* Verum *hac*, vt dixi, Theodosii M. Maiestatis *pœna* priuati carceris exercitium vindicatur: & sic capitali seu vltimo supplicio, cum cæteræ violentiæ species non nisi *Deportationis* pœna hoc tempore plecterentur: vide *l. 3. supr. ad leg. Iul. de vi:*
P. 79. vel etiam mitiore, *vide l. 2. 3. supr. vnde vi.* Idque hac ratione: quia qui vim aliam admittit, aduersus publicam equidem disciplinam peccat: at enim qui priuatos carceres vsurpat, ipsam Imperatoris Maiestatem appetere videtur: cuius est vnius, per Magistratus a se constitutos, custodiæ seu carcerum ius. Itaque *Maiestas læsa* hoc facto dicitur, idque vsurpantes, Maiestatis violatores: *d. l. 1. Cod. Iust. eod. tit.* Scelusque hoc vocatur, *nefandissimum scelus*, & *nefandissimorum hominum arrogantia.*

Verum postea capitalis huius criminis pœna, mitiore mutata est a Iustiniano, *l. 2. Cod. Iust. eod. tit.* quam vt dixi Basilica nobis suppeditant. Notandum hic interim exemplum fictitii criminis Maiestatis, de quo dico ad *l. 3. ad leg. Cornel. de Sicariis:* quomodo & alterum habes, *l. 8. infr. de falsa moneta.*

Inquies, olim debitores, qui iudicatum facere non poterant, vinciri solitos, ex *lege 12. Tabular.* quo pertinet & *lex 224. D. de V. S.* & *l. 234. §. 1. 2. D. eod. tit.* Verum id ius iamdudum exoleuerat.

Inquies rursum, *leg. Iulia de adulteriis*, permissum fuisse viro adulterum cum vxore deprehensum retinere domi suæ, aut reductum vbi prius deprehendisset, horis 20. diurnis nocturnisque continuis? Verum id non carceris specie, verum rei testandæ & probandæ tantum causa: *l. 25. D. ad leg. Iul. de adult.*

Inquies tertio, Iure Pontificio receptum esse, vt Clerici vxores suas in peccatum prolapsas in priuatis ædibus vinctas custodire ac coërcere possint, *Can. 10. caus. 33. Qu. 2.* Idque moribus etiam nostris hodie marito conceditur, causa cognita, circumstantiis personarum exploratis, si videlicet Iudex improbæ forte vel dementis vxoris custodiam probo ac prudenti viro suo committat.

Inquies quarto, furiosos per necessarios contineri posse, *l. 13. §. 1. D. de off. Præsidis.*

Inquies quinto, certo tempore retinere licere pecus alienum deprehensum, si quid in agro depastum sit, rei testandæ causa.

Inquies tandem, priuati carceris speciem quandam præ se tulisse olim seruorum & libertorum ergastula, de quibus dixi ad *l. vn. sup. de hæred. petit.* & *l. 8. inf. de Tironibus:* quæ Theodosii eiusdem est. Vera hæc omnia; verum ad carceris speciem de qua *h. l.* ea non pertinent: Nempe priuati carceris vsus hic per Ægyptum inhibetur, quem Potentiores potissimum in tenuiores exercuisse videntur & vsurpasse, & quidem nominatim fundorum possessores in Colonos. Qua de re est expressus hac ipsa tempestate Libanii Oratoris Antiocheni locus περὶ τῶν δεσμωτῶν, id est, *de vinctis, seu de custodia reorum, pagina 53. & 54. ed. Gothofred.* & *pag. 399. §. 2. edit. Cl. Trotz. inter Opera minora Gothofred.* Δεσποτῶν δὲ ὠμότης, πλείςῳ χρῆται καθ' ἑκάςην ἡμέραν. ἐπειδὴ καὶ δέον δῆσαι τὸν ἠναγκασμένον ὑπὸ τȣ̃ νόμȣ, κἂν ἀδικῆται, σιγᾶν. ἐνταῦθα πȣ̃ θετέον καὶ τȣ̀ς περὶ τὴν γῆν πονȣ̃ντας, τοῖς κεκτημένοις τὴν γῆν. ἐπεὶ καὶ τȣ́τοις τινὲς ἴσα καὶ οἰκέταις κέχρηνται, κἂν μὴ τὰς πλεονεξίας ἐπαινῶσιν ἐκείνων τὰς καθ' ἑαυτῶν ὀλίγαι συλλαβαὶ, καὶ ςρατιώτης ἅμα ἁλύσεσιν ἐπὶ τὸν ἀγρὸν; καὶ δεδεσμένȣς τὸ οἴκημα δέχεται. Id est. *Sed & dominorum crudelitate maxime quotidie vsurpantur: siquidem & decorum* INCARCERARE *eum, qui per legem necessario subest: quemque, licet iniuria afficiatur, silere oportet. Hoc loco ponendi sunt etiam ii, qui circa terram laborant, eorum respectu qui terram possident: quoniam & his quidam similiter tanquam seruis vtuntur; scilicet si eorum auaritiam in se non probent: paucæ syllabæ & miles cum catenis in agro, vinctosque* CARCER *excipit.* Ergo priuati carceris vsus *hac lege* interdicitur, quem priuati Potentiores in tenuiores exercebant: Imo & *l. 2. supr. de cohortalib.* & *l. 1. supr. de Curiosis.* Stationarii quoque (qui ad reos eruendos mittebantur) carcerem habere, & reum, quamlibet pro manifesto crimine, apud se in custodia habere vetiti: de cuius rei ratione *ad eas leges* dicetur.

DE EMENDATIONE SERVORUM.

TITVLVS XII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XIV.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Bassum. (b)

SI virgis (b) aut loris, seruum dominus adflixerit, aut custodiæ causa in vincla (c) coniecerit, dierum distinctione siue interpretatione (d) depulsa, nullum criminis metum mortuo seruo sustineat. Nec (e) vero inmoderate suo iure vtatur, sed tunc reus homicidii sit, si voluntate (f) eum, vel (g) ictu fustis, (h) aut lapidis occiderit, (i) vel certe telo (k) vsus, letale vulnus inflixerit; aut suspendi laqueo præceperit; vel iussione tætra præcipitandum esse mandauerit: aut veneni virus infuderit: vel dilaniauerit pœnis publicis (l) corpus, ferarum vestigiis (m) latera (n) persecando, vel exurendo admotis (o) ignibus (p) membra: aut tabescentes (q) artus, atro sanguine permixta sanie (r) defluentes, (s) prope in ipsis adegerit cruciatibus vitam linquere, (t) sæuitia immanium Barbarorum. Dat. (v) V. Id. Maii, Rom. Constantino A. V. (x) & Licinio Coss. [319.]

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* concordat *lex 2. prox. infr.* GOTHOFRED.

(b) *Bassus* hic P. F. V. Romæ erat: quod præfert hoc ipso Anno 319. *lex 8. infr. de appellat.* vid. & A. 317. Et certe, B[assum] hunc, (qui & integro nomine *Septimius Bassus*) Præfectum vrbi fuisse, ab Idibus Maii Anni 317. ad Kal[endas]
P. 80. Septembr. Anni 319. prodit *vetus Notitia Præfectorum vrbi.* ID.

(b) *Virgæ* sunt ferulæ, *lora*, scuticæ. His castigabantur serui. Iuuenalis *Satyra 6. v. 479.*

- - Hic frangit ferulas, rubet ille flagello,
Hic scutica: - - -

Baltea eadem cum loris. Iuuenalis *Satyra 9. v. 111. 112.*

- - Quoties rumoribus vlciscuntur
Baltea?

Vbi Scholiastes, *Baltea* inquit, *lora quibus cæsi sunt serui.* Hinc & *Lorarii*, qui hanc operam nauabant cædendis conseruis: Lora memorat & *Horat. 1. ep. 16. v. 45.*

Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Seruus, habes pretium: loris non vreris, aio.

Et *lib. 3. carmin. Ode 5. v. 35.*

Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.

Plautus iculariter his verbis describit, *Asinar. Act. 1. Scen. 1.* v. 22.

Vbi viuos homines mortui incursant boues.

Neque liber loris adflictus est. Hinc apud Terentium *Adelph. Act. 2. Scen. 1. v. 34.*

- - nam si molestus pergis esse, iam
Intro abripiere, atque ibi vsque ad necem operiere loris.
SA. *loris liber.*

Hæc igitur sunt seruilia verbera apud IC. in *l. 12. D. de* iure fisci. Flagella, *l. 1.* eiusdem Constantini *inf. de Medicis & profess.* ID.

(c) *Vincula*, C. Iust. ID.

(d) Interpretatio, est distinctio. V. *Gl. Th.* IDEM.

(e) Id est, *Sed tamen non* &c. vel, *At enim non*, &c. vel, *Nec tamen.* ID.

(f) Pariter ita *l. 2. prox. inf.* Paulus *5. sent. tit. 23. ad Leg. Cornel. de Sicar. §. 6. Seruus si plagis defecerit, nisi id* DOLO *fiat, dominus homicidii reus postulari non potest.* ID.

(g) Abest hæc vocula a *Cod. Iust.* ID.

(h) *Fustis* est, quod vocamus *vn leuier, vn baston, vne massue:* pondus clauæ vel alterius ligni crassioris. Quod *flagelli* appellatione significatur omne. Flagello occisi filii a patre, per immodicam sæuitiam, exemplum memorat Seneca *1. de Clement. cap. 14.* ID.

(i) *Ceciderit*, Cod Iust. RITTER.

(k) De *Teli* appellatione vide *leg. 233. §. 2. D. de V. S.* GOTH.

(l) Id est, solemnibus, quæ mox enumerantur. ID.

(m) *Vnguibus*, C. Iust. His vero verbis describitur cruciatus, seu quæstio per vngulas exerceri solita. *Vestigia* sunt fodica-

fodicationes, lacerationes: quibus vngulis ferratis, seu vnguibus in modum ferarum, latera noxiorum lacerabantur, πλευρὰς διαξαίνεσθαι solebant, seu τῷ πλευρῷ διαξέεσθαι. Cuius rei frequens mentio apud eos qui de Martyribus Christianis agunt. Ammianus quoque Marcellinus *lib. 29. cap. 1. vnguibus male mulcati separantur exanimes.* IDEM.

(n) Sulcata latera, Amm. Marcell. *lib. 14. cap. 9. & lib. 28. cap. 1.* Exarata latera, *lib. 15. cap. 7.* Fodicata latera, *lib. 26. cap. vlt. & lib. 29. cap. 1.* IDEM.

(o) *Oblatis*, C. Iust. *ID.*

(p) Id est, *Laminis*, vide quæ noto in Gloss. *in v. Ferrate.* *ID.* Vide Plautum *in Asinar. Act. III. Scen. 2.* ibique diuersos modos quibus antiqui seruos castigarunt, vbi *vers. 4.* ita: *Qui aduorsum stimulos,* LAMINAS, *crucesque compedesque* &c. Adde Brodæi Miscellan. *lib. 2. cap. 10.* & elegantem Ciceronis locum a Cl. Taubmanno excitatum *ad cit. vers. Plauti.* RITTER.

(q) *Equulei* cruciatum describit. *ID.*

(r) Imitatio Virgilii *Æn. VIII. v. 487.*

- - *Et sanie taboque fluentes,*

item *Æneid. II. v. 221.*

Perfusus sanie vittas, atroque veneno.

Porro Petrus Faber 3. *Sem. 16. p. 240.* delenda putabat hic illa, *atro sanguine*: quasi in contextum adscita e glossemate sequentium, quid esset τὸ *sanies* exponente: Nam quid aliud inquiebat, nisi *sanguis ater, sanies.* Quod non admitto: Ater sanguis, & sanies, longe diuersa sunt; ille idem cum tabo, sanies est purulentia. Quare Virgil. pariter vtrumque coniunxit *l. c.*

- - *sanie taboque fluentes.*

Quod atrum sanguinem attinet, ita rursum *Virgil. Æn. III. v. 28.*

- - *huic atro liquuntur sanguine guttæ.*

Et *Æn. II. v. 221.* loco mox citato.

Perfusus sanie vittas, atroque veneno.

Cornelius Tacitus *lib. 2. Annal. cap. 69. tabo oblitos cineres,* dixit, & Poëta *lib. 3. Georg. v. 481.*

- - *infecit pabula tabo.*

Lucanus lib. 6. *v. 548.*

- - *nigramque per artus*
Stillantis tabi saniem - - -

Male Seruius *ad lib. VIII. v. cit.* qui saniem mortui ait: tabum, viuentis sanguinis. Contra idem recte *ad II. Æneid. v. cit.* Sanies, corruptus sanguis. *ID.*

(s) Amm. Marcellinus *lib. 19. cap. 9. Nostrorum cadauera mox cæsorum fatiscunt &* DEFLVVNT; *adeo vt nullius mortui post quatriduum facies agnoscatur: interfectorum vero Persarum inarescunt in modum stipitum corpora: vt nec liquentibus membris nec* SANIE *perfusa madescant.* *ID.*

(t) *Relinquere*, Cod. Iust. *ID.*

(v) Id est, reddita. *ID.*

(x) *Constantino A. & Licinio Coss.* absque nota numerali *Cod. Iust.* Male, Lex enim ad alium annum referri non potest, ex ratione, quam habes *not. b.* supra. RITTER.

II. (a) Idem A. Maximiano Macrobio. (b)

QVOTIENS verbera (c) dominorum talis casus seruorum comitabitur vt moriantur, culpa nudi sunt, qui (d) dum pessima (e) corrigunt, meliora (f) suis adquirere vernaculis (g) voluerunt. Nam requiri in huiusmodi facto (h) volumus, in quo (i) interest domini incolume iuris proprii habere mancipium, vtrum voluntate occidendi hominis, (k) an vero simpliciter facta castigatio videatur; totiens etenim dominum non placet morte serui reum homicidii pronunciari, quotiens simplicibus (l) quæstionibus domesticam exerceat potestatem. Si quando igitur serui plagarum correctione, (m) imminente fatali necessitate rebus humanis excedunt, nullam metuant domini quæstionem. (n) Dat. XIV. Kalend. Mart. Sirmio Constantino A. VII. & Constante Cæs. (o) Coss. [326.]

INTERPRETATIO. *Si seruus, dum dominus culpam vindicat, mortuus fuerit, dominus non tenetur culpa homicidii: quia tunc homicidii reus est, si occidere voluisse conuincitur: nam emendatio non vocatur ad crimen.*

P. 81

NOTAE.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) Alii *Maximiliano*: V. quæ noto *ad l. 1. inf. de Aqueductu.* *ID.* Maxima circa hoc nomen diuersitas in MSS. & editis. Priores Cuiac. legunt *Maximiliano.* Sichard. *ad Maximianum & Macrobium.* Cod. W. *Maximiano Nirotio* Cod. G *ad Maximum & Macrobium.* RITTER.

(c) Virgas aut lora vt *l. 1. sup.* simplices ideo quæstiones mox vocantur: de quo postea plura. GOTHOFR.

(d) Domini qui. *ID.*

(e) Peculiare hoc seruis. IDEM.

(f) Ex-

(f) *Βελτιῶσαι* in *loco* Basilii, Vide *Commentar.* *ID.*

(g) *Vernaculès* vocat non modo vernas seruos, seu vernulas; verum omnia omnino iuris proprii mancipia, mox vt vocantur. Vernilia corpora Quintiliano, *locis*, quos mox laudabo. *ID.* *Vernulis* prior. Cuiac. Edit. Sichard. & MS. W. & G. *RITTER.*

(h) Castigatione. *GOTHOFRED.*

(i) Facto scilicet. *ID.*

(k) Allusum ad verba *legis Corneliæ de Sicariis* apud Paullum *sentent. V.* 23. §. 6. Vid. *not. f. leg. antecedent.* *ID.*

(l) *Simplices quæstiones* vocantur, simplicia dominorum verbera, Emendatio, Castigatio dominica. *ID.*

(m) *Correptione*, MS. W. *RITTER.*

(n) *Quæstionem*, intelligit criminis accusationem, pœnam. *GOTHOFR.*

(o) Male se hæc habet subscriptio, in MSS. & editis omnibus. Reponendi enim sunt, *Constantinus A. VII. & Constantius I. Cæs. Coss.* non vero *Constans* aut *Constantinus Cæsar*, vt perperam edidit Baronius in Annal. & Noster etiam *in Chronol.* Vid. Pagium *in Dissert. Hypat.* & *in Crit. ad Annal. Baron. ad an.* 326. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. duæ hæ constitutiones humanissimæ sunt: quibus ab vna parte immoderatæ seruorum tractationi seu emendationi, sæuitiæque intercedit: ab altera vero innocentiæ dominorum consulit, fundata domestica, lenique, & simplici seruorum castigatione. Notum est, iure gentilitio Romano antiquissimo seruos occidere passim & indistincte ius fuisse, citra vllius pœnæ metum: Et postea tamen maior dominorum in seruos asperitas coërceri paulatim cœpit. Quare serui prohibiti occidi, & sæuitia dominorum coërcita, Iudicibus in id quoque constitutis: teste Seneca 3. *de benef. cap.* 22. Sed & *lege Petronia* dominis potestas detracta suo arbitratu seruos ad bestias dandi, *l.* 11. *§. vlt. D. ad leg. Cornel. de sicariis.* De Hadriano Imp. quoque Spartianus *in Vit. cap.* 18. *Seruos a Dominis occidi vetuit, eosque iussit damnari per Iudices, si digni essent.* D. etiam Marcus domino seruum accusare permisit. *l.* 5. *de accus.* & de seruorum criminibus cognoscebat Romæ quidem Præfectus Vrbi, in Prouinciis Præsides: *l.* 1. *§.* 5. & 8. *D. de offic. P. V. l.* 24. *§. vlt. D. de pign. act. l.* 9. *D. de manumiss.* Similes alias Hadriani, D. Pii aduersus dominorum sæuitiam constitutiones, siue rescripta repetere licet ex Iustin. *tit. de his qui sui:* & ex Auctore *collat. legum Mosaic. t.* 3. In seruos igitur deinceps sæuire immodice non licuit, & seruorum querelis Iudex constitutus, neque eos occidere voluntate aut dolo fas fuit. Et tamen, si propter immoderatam castigationem tantum seruus aut in plagis defecisset, vel vi ægritudinis grauiter oppressus fati munus implesset, dominus homicidii accusari non poterat, si modo id dolo non fecisset, si innocentiæ fiduciam gereret: Paulus *lib.* 5. *sentent. tit.* 23. *ad leg. Cornel. de sicariis* §. 6. apud Auctorem collat. legum Mosaic. *t.* 3. *de iure & sæuit. domin. §.* 2. *Seruus si plagis defecerit, nisi id dolo fiat, dominus homicidii reus non potest postulari: modum enim castigandi & in seruorum coërcitione placuit temperari.* Et vt ad propiora Constantino tempora descendam, Diocletianus & Maximianus in *Cod. Gregoriano Lib.* 19. *tit.* 1. *de accusationib.* *Cum seruum tuum vi ægritudinis grauiter oppressum fati munus implesse proponas, propter immoderatam castigationem, calumniæ causationem emergere innocentiæ ratio, cuius fiduciam geris, non permittit.*

At Constantinus M. Christiana iam disciplina imbutus, hac constitutione distinctionem hac parte adhibendam his duabus legibus credidit; neque omnem omnino castigationem seu emendationem serui impunitam esse voluit, ob quam seruus decederet, haud magis quam occisionem: Igitur *verberum* genera, quæ antea promiscue & impune in seruis exercebantur omnia, itemque tormenta (vt apparet ex *l.* 23. *inf. D. de vsufructu & quemadmod.*) distinxit: scilicet: si seruum dominus virgis aut loris afflixerit, quæ vtique seruilis castigatio est, seu flagellis, vt eiusdem Constantini *lex* ostendit; *leg.* 1. *infr. de medicis & profess.* vel in vincula coniecerit custodiæ causa, quia scil. intellexit eum fugere, (vt hic Interpr. *Basilicon*) & seruus ex ea forte causa moriatur, dominus securus esse omnino iubetur; *Omnino* inquam, dierum etiam distinctione seu interpretatione hac parte depulsa: id est non attendi debet, vtrum ilico in plagis ipsis, atque in manibus domini seruus defecerit, an vero ex interuallo tantum, posteaquam diem vel dies aliquot superuixisset: Quibus verbis non tantum (quod Azo alioquin recte monuit) Constantinus ad legem Dei respexit *Exod.* 21. *vers.* 20. 21. qua si in ipsis plagis, & sub manu domini dum cæditur seruus defecisset, dominus puniebatur ob hanc sæuitiam: si olim, aut dies aliquot superuixisset; non puniebatur: cui *hac leg.* derogare Constantinus videatur, vel saltem adhibita distinctione eam explicare; Verum etiam ad ius Romanum, quo homicidii quis non tenebatur, *cum læsus, aut cæsus* (vt loquitur Paulus *lib.* 5. *sent. sub tit.* 23. *§.* 5. *ad leg. Cornel. de sicariis:*) *post aliquos dies officium vitæ diuturnæ retinens decessit.* Atenim ex hac Constantini constitutione, etsi in ipsis plagis seruus defecerit, dummodo virgis tantum, aut loris seruum admonuerit seu castigauerit dominus, securus esse iubetur: scilicet vt cæteroquin ex genere teli mors æstimatur; ita *hac l.* ex ipso castigationis seu admonitionis genere colligi posse putauit Constantinus M. dominum serui occidendi animum non habuisse, neque dolo fecisse, atque ideo casum mortis domino imputari non debere: sunt enim hæ *simplices* quæstiones, vt *leg.* 2. vocantur: Cuius rei *d. l.* 2. duas reddit rationes. *Prima* est, quia hoc casu *domini dum pessima corrigunt, meliora suis adquirere vernaculis voluerunt:* id est, ideo eos castigarunt, vt & emendatos redderent, & forte etiam eorum exemplo conseruos βελτιῶσαι, vt in *loco* Basilii *prox.* De his interim seruilibus verberibus *virgarum, lori, catenarum, custodiæ, carceris,* vide vel Plautum *locis plurib.* quos sub vnum conspectum dedit vtiliter Vir doctus *in Electis suis:* quidquid contra mussitent nonnulli. *Altera* ratio est, quod non præsumendus sit dominus occidendi serui voluntatem gessisse: quandoquidem *domini interest incolume iuris proprii habere mancipium:* quæ præsumptio notanda est, ducta ab interesse. Atenim, si dominus *fuste* (quod vtique grauius quam virgis: de quo dixi ad *l.* 2. *supr. de cursu publ.*) aut lapide, vel etiam telo seruum ceciderit; aut cruciatibus tormentorum obiecerit, veluti vngulis, seu vnguibus aut laminis ignitis, vel equuleo seu fidiculis; & vel in ipsis cruciatibus seruus defecerit, homicidii reum huiuscemodi dominum Constantinus esse iubet, quia dolo iam & voluntate fecisse creditur. Scilicet vt cæteroquin ex teli seu armorum genere, occidendi animus colligitur, de quo *v. l.* 1. *§.* 3. *D. ad leg. Corn. de sicariis.* & *l.* 6. *§.* 6. *D. de re militari:* & ex modernis præcipue Menochium 5. *Præsumpt.* 40. ita ex hac quoque parte colligitur: puta si dominus P. 82. non virgis aut loris (quæ seruilia sunt verbera & solemnia) seruum admonuerit, sed vel claua vel ferro

ropercusserit, vel ferratis aut laminis ignitis aut eculeo cruciauerit. Ante Constantinum hactenus cruciatus hi, seruorum proprii & verniles fuere, atque in dominis impuniti & solemnes extitere, nempe vngulæ, laminæ ignitæ, seu ignes, & eculeus, vt ostendit præter Plautum *locis pluribus*, Quintiliani declamatio *18. pag. 199. edit. Parei. At tu, prob nefas, verberibus, ignibus, & tota crudelitatis arte scrutaris rem, de qua non deberes interrogare seruos, de qua vernilium quoque corporum patientiam petulanter excuteres. Laminas accendis, equuleos moues &c.* Et *Declamat. 19. pag. 211. An tu Quæstionem illam fuisse credis qualis vernilibus corporibus adhibetur? Ideo enim equuleos mouebam, artifex senex, tenebam fidiculas ratione sæuitiæ, vt breuiter sedibus suis remota compago per singulos artus membra laxaret.* &c. Verum his, vt dixi, seruilibus quæstionibus & cruciatibus Constantinus hac constitutione, eo quo dixi modo, intercesit, vngularum inquam & laminarum & equulei: de his enim tribus tormentorum generibus postrema *hujus leg.* sententia accipienda est, de quibus sigillatim nunc aliquid. Extat enim peculiaris iam Gallonii *liber de Martyrum cruciatib.* vbi de ferreis his vngulis, laminis ignitis, & equleo, quæ quidem tria quæstionum genera passim apud Scriptores coniunguntur. Vide etiam Quintilianum *declamat. 18.* & *19. mox citatis.* Senecam *lib. 3. de ira cap. 3.* & Prudentium *in hymno Romani. Ferarum* ergo (vbi legendum quis forte putet *ferrearum*, vel *ferratarum*, ad exemplar *plumbatarum) vestigia*, vngulæ sunt, lacerationes vngularum siue vnguium ferrearum, quæ *vngues ferreæ* vocantur in *Vita Valeriani*; ferreæ vngulæ, in *vita Clementis Ancyrani.* Harum vngularum frequens mentio apud Tertullianum, Cyprianum, Prudentium *peri stephanon, hymno 1. v. 44.* & *hym. 2. v. 245.* it. *hym. 3. v. 133. hym. 4. v. 138. hym. 5. v. 120.* & alibi in hoc libello, vbi de Matyrum passionibus. Tertullianus *apolog. c. 12. vngulis deraditis latera Christianorum.* Cyprianus *libro ad Donatum de gratia Dei, pag. 7. edit. Ioan. Felli, Bremæ recus.* vbi tria hæc quæstionum genera coniungit: *Vngula effodiens (latera & derodens,) eculeus extendens, ignis exurens.* & sermone de lapsis *pag. 127. edit. cit. nunc eculeus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flamma torreret.* Erant hæ & ferreæ & bisulcæ & adinstar ferarum vestigiorum (quomodo *hic* vocantur) seu vngularum, vnguiumque: de quo multa *Prudentius.* Ἀμυντήρια Græcis apud Eusebium *lib. 8. Histor. Ecclesiast. c. 10.* vbi male interpres *flagra ferrea* vertit: Valesius melius *vngulas ferreas.* Eodem pertinent *pectines ferrei*, & *manus ferreæ*, in Vita *SS. Barbaræ, Blasii, & Clementis Ancyrani.* Ignium appellatione inteligendæ sunt laminæ ignitæ, quarum mentio quoque *superiore* Quintiliani *loco*, & apud Prudentium. Tandem his verbis; *tabescentes artus atro sanguine permixta sanie defluentes in ipsis adegerit cruciatibus vitam linquere* &c. describitur equuleus seu equulei cruciatus. Equuleo rei distendebantur, eorum artus extendebantur, atque adeo vt Prudentius *in Passion. S. Romani Martyris Hym. 10. v. 109. 110.* scribit, *crescebant: Incensus bis Asclepiades iusserat euiscerandum corpus* Ecvleo *eminus pendere, & vncis vinculisque* Crescere. Ita artus *tabesiebant*, ut hæc lex ait: id enim est *tabescere:* idque sanguine & sanie expressis. De hoc Equulei & cruciatus genere, agit quoque *supra l. 4. de numerar.* & *l. 6. inf. de Maleficiis.* Addatur his & Augustini locus *ep. 159.* siu. *133. edit. Benedict. num. 2. pag. 396. ad Marcellinum*, vbi hæc tria pariter cruciatuum genera habes. *Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione seruasti, quando tantorum scelerum confessionem, non extendente* Ecvleo, *non sulcantibus* Vngvlis, *non vrentibus*, Flammis, *sed virgarum verberibus eruisti: Qui modus coërcitionis a Magistris Artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpe etiam in iudiciis solet ab Episcopis adhiberi. V.* eundem *ep. sequ. 160.* siu. *134. num. 2. edit. Benedict. pag. 397.* Additur vero hic *sæuitia immanium Barbarorum:* vbi P. Faber *lib. 3. semestr. 16.* Persas demonstratos seu indicatos vult, apud quos membrorum corporis humani pœnaria mutilatio, lentaque supplicia & cruciatus vsurpata. Ego vero generalius id a Constantino dictum puto, de omnibus Barbaris, præsertim cum hæc *lex* pertineat ad vrbem Romam.

Ergo, vt ad harum duarum constitutionum sententiam redeamus, si verbera domini castigantis, corrigentis, emendantis, simplicesque adeo quæstiones, mors serui sequatur, Constantinus M. his duabus constitutionibus dominum securum esse iubet. *Simplices quæstiones* in *l. 2.* domesticam exercentis potestatem, seu simpliciter facta castigatio, impunita sunt. Simplices *h. l.* quæstiones quid sint quæri potest? Nam si *quæstionis* vox pro tormentis exauditur, derogatum videretur per secundam *constitutionem* priori *legi*, qua quæstiones seu tormenta istiusmodi in seruos prohibentur, quas *quæstiones Verniles* vocat Quintilianus *declamat. 19. loc. supr. citat.* atque adeo seruis inter tormenta deficientibus, domini homicidii pœna plecti iubentur. Verum & tutius & verius est, *legem secundam* cum *lege prima* hac parte concordare, idque Constantini æquanimitati conuenientius est, vt *simplices quæstiones* nil aliud sint, quam simplex, & vt paulo ante vocatur, *simpliciter facta castigatio*, puta verbera, plagæ, virgæ, lora, vincula; *l. 1. supr. emendandi animo.* Et hæc quidem impunita esse iubentur: contra, puniri Constantinus jubet, atroces quæstiones & verbera, quæ voluntatem occidendi arguere possunt: quod & priori *legi*, & veteri *Iurisprudentiæ* conuenit. His sane Constantini M. constitutionibus apprime conuenit, quod Basilius ad Amphilochium epistola *1. canonica*, siue *188. pag. 272. Edit. Benedictin.* de voluntariis & inuoluntariis agens prolixe scribit. ἀκέσιον μέν τοι, καὶ εἴ τις βȣλόμενος ἐπιςρέψαι τινά, ἱμάντι ἢ ῥάβδῳ μὴ σκληρᾷ τύπτοι, ἀποθάνη δὲ ὁ τυπτόμενος. ἡ γὰρ πρόθεσις ἐνταῦθα σκοπεῖται, ὅτι βελτιῶσαι ἐβȣλετο τὸν ἁμαρτάνοντα, ȣ̓κ ἀνελεῖν. id est; *Inuoluntarium est, si quis emendare quem volens* Loro *aut* Virga, *non dura percutiat, mortuus vero sit qui percussus est: propositum enim hic consideratur, quod peccantem emendare voluerit, non interimere:* vbi deinceps subiicit & de eo qui *ligno graui*, id est fuste, aut lapide occidit.

Tandem notari cupio hasce quoque *leges* de earum Costantini *legum* numero esse, quibus mores Romanorum in melius vertere, atque ad humanitatem traducere studuit hoc tempore, de quibus Nazarius *Panegyrico c. 38.* Novæ Leges, inquit, *regendis moribus & frangendis vitiis constitutæ.* Et Porphyrius *in panegyrico, Carm. 6.* De quo vide quæ plenius dico in *Chronico nostro.* Hæ certe de earum numero liquido sunt, vtpote quibus id agit, ne domini potestate sua in seruos abutantur: ab altera vero parte ne dominorum salus periclitaretur. Ipse sane quoque Lactantius, horum ipsorum temporum scriptor, humanitatem dominis inculcabat. Ab eadem mente est, quod Constantinus hoc ipso Anno id egit, vt seruis multiplex ad libertatem via pateret, *l. vlt. Cod. Iust. de his qui a non domino:* quæ & ipsa *ad Bassum* data est.

P. 83.

DE EMENDATIONE PROPINQVORVM.*

TITVLVS XIII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XV.

* Minorum.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Senatum. (b)

IN corrigendis minoribus, (c) pro qualitate delicti, senioribus propinquis tribuimus potestatem, *Vt quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non prouocant, saltem, correctionis medicina compellat.* Neque (d) nos in puniendis morum (e) vitiis potestatem in immensum extendi volumus, sed iure patrio (f) auctoritas corrigat propinqui iuuenis erratum, & priuata animaduersione conpescat. Quod si atrocitas facti ius domesticæ emendationis excedit, (g) placet enormis delicti reos dedi Iudicum notioni. Dat. Prid. Kal. Decemb. (h) Valentiniano & Valente. [365.]

INTERPRETATIO. *Propinquis senioribus lege permittitur, errorem vel culpas adolescentium propinquorum patria districtione corrigere, id est,* (i) *vt si verbis vel verecundia emendari non possint, priuata districtione* (k) *verberibus corrigantur. Quod si grauior culpa fuerit adolescentis, quæ priuatim emendari non possit, in notitiam* (l) *Iudicis deferatur.*

NOTÆ.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.
(b) Vrbis Romæ. *ID.*
(c) Senatoriis nominatim. *ID.*
(d) *Neque tamen,* Cod. Iust. RITTER.
(e) *Minorum,* Cod. Iustin. Etsi in Codice *Aurelian.* extet quoque *morum*; Neque istud male. *Morum vitia* scil. *hoc principio leg.* opponuntur atrocibus factis, de quibus *fine leg.* & *vitæ decora,* enormibus delictis. Quomodo & in rei vxoriæ actionibus. *v. sup. tit. de repudiis.* GOTHOFR.
(f) *Vt auctoritas corrigat,* MS. W. RITTER.
(g) *Excedat,* Cod. Iust. *excesserit,* Sichard. *ID.*
(h) *April.* Cod. Iust. GOTHOFR.
(i) *Idcirco, ut si,* MS. W. RITTER.
(k) *Discussione,* MS. G. *ID.*
(l) *Ad notitiam,* MS. G. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris hæc constitutio, orationis ad Senatum Vrbis Romæ pars est. Ea vero MINORVM Iuuenum leuiora delicta, seu (vt *lex* eleganter loquitur) *morum vitia*, errata, Senioribus propinquis iure domesticæ emendationis seu priuata emendatione corrigere, punire, compescere permittit, atque ita ad frugem & ad vitæ decora eos prouocare. Idque *iure patrio,* id est instar patris, seu (vt Interpretatio habet) *patria districtione* (quomodo maritalis & domestica districtio dicitur a Cassiodoro V. *Variar.* 32.) atque adeo moderate: Potestas enim patria in pietate non in atrocitate consistit. Atrociora vero delicta, & si res grauiorem animaduersionem desideret, non a propinquis, verum a Iudicibus plecti, ipsosque minores Iudicibus offerri iubet Valentinianus. Et id quoque iure patrio, seu exemplo Patrum. Nam & olim iam si res grauiorem animaduersionem exigeret, parentes liberos Iudici offerre iussi, non ipsimet occidere: *l. 4. C. Iust. de patria potestate. l. 2. D. ad leg. Cornel. de sicar.* pariter vt & seruos, domini: *l. 11. in fine D. ad leg. Cornel. de sicariis.* Sane olim propinquis in propinquos, etiam non minores, maius etiam emendationis ius quandoque competiisse docet Suetonii locus, *in Tiberio, cap 35. Matronas,* inquit, *prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, vt propinqui more maiorum de communi sententia coërcerent, auctor fuit.* Videndus & Valerius Maximus *lib. 6. cap. 1.* & *cap. 3. n. 7.* Liuius *lib. 39. cap. 18.* & *in Epitom. lib. 48.* Accedat & quod idem Valerius scribit *lib. 3. cap. 5. num. 1.* Propinquos Scipionis, qui superioris Africani filius erat admodum degener, cum viderent Praeturam ab eo pollui, id egisse, ne aut sellam ponere aut ius dicere auderet, insuperque e manu eius annulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxisse.

Cæterum hanc emendandorum propinquorum potestatem ad *Senatorios* minores nominatim pertinere, tum huiusce *legis* Inscriptio indicio est, (data enim ea est ad Senatum) tum illa *legis* verba ostendunt, *Quos ad vitæ* DECORA *domesticæ* LAVDIS *exempla non prouocant:* Nempe hæc verba etsi in aliis quoque locum habere videantur, ad excitandos inflammandosque homines, vbi sane ad

virtutem exempla domestica plurimum momenti habent, de quo Sauaro *ad Sidonium* 1. *ep.* 6. *pag.* 42. *edit. Paris* 1609. Attamen in Senatorum filiis, seu *Senatorii seminis hominibus*, vt loquitur Sidonius, maxime locum obtinent: & indubie Senatorios respiciunt, quibus domesticæ laudis vtique exempla suppetunt, & domestica vitæ decora prælucent. Quare ad Senatoriarum proprie familiarum decus tuendum, hanc constitutionem emisisse mihi Valentinianus omnino videtur: cuius Senatoriæ dignitatis Valentinianum studiosissimum fuisse aliunde liquet, quo scil. inculpatum ei decus constaret; vide & quæ dixi ad *l.* 10. *infr. de pœnis*: & *ad l.* 13. *supr. de accusation.* quæ & ipsa ad Senatum data est A. D. 376. Et vero emendationis istius ius propinquis Senatoriorum minorum ideo dedit Valentinianus, quo ita ad Senatorij generis decus minores adsuescerent, neque ob morum tantum vitia in ius traherentur, quod alioquin si fieret, cuiusdam olim infantiæ vice id eis cederet. Cæterum ad hanc legem coniectura trahebat Doctiss. Valesius, *in not. ad Marcellin. lib.* 28. *cap.* 1. *pag.* 560. *edit. Gronou.* seu *huic legi* occasionem forte dedisse putabat casum Lolliani, quem describit Ammianus p. 84 Marcellinus *dict. libr.* 28. *c.* 1. qui scil. primæ lanuginis adolescens Lampadii ex Præfecto filius, nondum per ætatem firmatam consilio codicem noxiarum artium descripsisset, a Principe ad quem appellauerat, cecidit funesta carnificis manu: Quod non admitto. Nam & tempora non conueniunt: refert enim id Marcellinus in gestis A. D. 372. & 373: nisi hæc lex referenda est ad A. 373. Sed & Lolliani huius patrem Lampadium cum superstitem fuisse idem testatur: Atquin *hac l.* agitur proculdubio de emendatione *minorum*, quibus propinqui tantum sunt, parens deficit.

AD LEGEM CORNELIAM DE SICARIIS.

TITVLVS XIV.

Lib. IX. Cod. Ivst. Tit. XVI.

De Infanticidii *pœna Valentiniani Sen. Lex.*

I. (a) Imppp. Valentinianvs, Valens, & Gratianus AAA. ad Probum. P. P. (b)

SI quis necandi infantis piaculum adgressus, adgressaue (c) sit, erit (d) capitale istud malum. pp. vii. Id. Febr. Rom. Gratiano a. iii. & Equitio, coss. [374.]

Interpretatio. *Siue vir siue mulier infantem necauerit, rei homicidij teneantur.*

NOTÆ.

(a) *Lex* 8. *Cod. Iust. eod. tit.* Canonizata, etiam *can.* 10. *de pœnitent. distinct.* 1. GOTHOFR.

(b) *Probus* PP. Italiæ Illyrici & Africæ, Vulcatii Rufini in ea præfectura successor. Sane de *Illyrico* fidem facit hoc & superiore Anno 373. & proximo, Ammianus Marcellinus *lib.* 27. *cap.* 11. & *lib.* 30. *c.* 5. de Italia huius ipsius *legis* subscriptio, *P. P. Romæ*, quæ notanda est. *v.* plura *in Prosopogr. ID.*

(c) *Siue vir, siue mulier.* Interpres recte. *ID.*

(d) *Sciat sese capitali supplicio esse puniendum* Cod. Iust. Interpres, *reus homicidii teneatur. ID.*

COMMENTARIVS.

INfantem quoque (*μικρὸν βρέφος*, vertunt Græci, seu νήπιον) qui occidit, capitali pœna a Valentiniano Sen. puniri *hac l.* iubetur; non minus scilicet quam qui perfectæ ætatis hominem interemit: idque siue mas, siue fœmina sit; seu vt loquitur Interpres, siue vir siue mulier qui id fecit; quod quidem hic dubitationis tollendæ causa expressum, cum alias verbo *siquis*, id satis indicaretur. De illo equidem hactenus inter Gentiles quoque, nedum Christianos, constabat, eum qui infantem occidisset, homicidii sese crimine obligare: neque illud dubium est. Quin etiam *hominis* appellatione infans semper de iure venerit: Etsi Philo *de vita Mosis p.* 604. *Edit. Francf. apud Ierem. Schrey.* de prauo vsu contra testetur; vbi Mosis parentes inducit loquentes, scribit, quod recens natos expositos, priusquam nutricis intercederet officium, vulgus vix haberet pro homine: τί γὰρ ἔφασκον, ἐυθὺς γενόμενον, ȣ̓κ ἐξεθήκαμεν. τὸν μὴ φθάσαντα τροφῆς ἡμέρȣ μεταλαχεῖν, ȣ̓δ᾽ ἄνθρωπον οἱ πολλοὶ νομίζȣσιν. id est, *debueramus recens natum exponere, quando priusquam nutricis intercedat officium, vulgus vix habet pro homine.* Ideo sane & in Edicto Publiciano aperte *hominis* appellatione Infans comprehenditur, *l.* 12. §. 5. *D de publiciana*: Imo & apud Græcos: ἀνδροκτονία & ἀνδροφόνος, infante occiso dicitur, vt ex Homeri loco relato in *l.* 16. §. 8. *D. de pœnis*, & Eustatio ad *eundem locum* constat. Videatur & elegans prædicti Philonis locus *libr. de specialibus legibus pag.* 795. *edit. cit.* ἀνδροφόνον εἶναι τὸ βρέφος ἀναιρȣ͂ντα, τȣ͂ νόμȣ μὴ ἐπὶ ταῖς ἡλικίαις, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῷ γένει παρασπονδȣμένῳ δυσχεραίνοντος, &c. *homicida est, quisquis infantem interimit, ætate non obstante, cum lex vindicet iniuriam illatam generi.* Idque adeo verum est, vt fœtus quoque in vtero, homi-

hominis appellatione, eiusque extinctio *homicidii* vocabulo censeatur, *l. 8. D. ad leg. Cornel. de sicariis.* Iuuenalis *satyra 6. v. 596.*

> *Quæ steriles facit, atque* HOMINES *in ventre necandos*
> *Conducit.*

De Christianorum sententia minus adhuc dubium. Tertullianus *Apologetici cap. 9. Homicidii*, inquit, *festinatio est prohibere nasci: Nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, & qui est futurus: Etiam fructus* (omnis) *hominis iam in semine est.* Minutius Felix *Octau. cap. 30. Sunt*, inquit, *quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequam pariant.* Hieronymus *Epistol. 22. ad Eustochium, de custodia virginit. p. 89. Tom. I. Oper. edit. Francf. Aliæ vero sterilitatem præbent, & necdum nati hominis homicidium faciunt.* Idem igitur senserunt hac parte Iurisconsulti pagani, quod Christiani (quod tamen negabat vir doctus *ad Tertull.*) in tantum, vt abacti partus pœna exilii plerumque, quandoque capitalis etiam fuerit, *l. 4.*
P. 85. *D. de extraord. criminib. l. 39. D. de pœnis. l. 8. de sicariis.* Vbi sunt igitur *homicidii* magistri, qui abacti partus gratiam faciunt virgini, quæ inuita stuprata est? in quos elegans & solidum nuper scriptum prodiit. Hæc cum ita sint, & iam olim ante Christianorum Imperatorum tempora fuerint obseruata, ecquis de infante dubitare possit, homicidio eius pœnam irrogatam fuisse? Ecce enim Tertullianus apertissimis verbis, *lib. 1. ad Nationes*, quem nos primi edidimus *cap. 15. Non aliter vos quoque*, inquit, *infanticidæ, qui infantes editos enecantes, legibus quidem prohibemini, sed nullæ magis leges tam impune, tam secure eluduntur*, ad quem locum nonnulla iam notaui: de his igitur constabat. Nisi quod, moribus iam corruptis, de facto hæc cædes dissimularetur, & in consuetudinem venerat. Sed de illo dubitatum, *Quanam pœna* infanticida teneretur? Nam & quæ visceribus suis vim infert (vt modo dicebamus) etsi homicidium proculdubio admittat, exilio tamen ferme hactenus puniebatur. Verum Valentiniano *h. l.* visum huic crimini adeo obuiare, vt capitalem infanticidio pœnam imponat, id est eandem quæ perfectæ ætatis homine occiso imponitur. Homicidium enim *lex* vltore ferro persequitur, *l. 3. §. 5. D. de sicariis.* Breuiter *hac lege* pœnæ genus constituitur & augetur. Proinde Cuiacius in errore manifestario cubat, (& post eum alii) & quidem duplici, cum infantem nondum hominem esse tradit, & dubitatum fuisse ait, an homicidium admitteret, qui infantem necaret. Nam de pœnæ tantum genere dubitatum fuit: & cum infantem Cuiacius nondum hominem esse prodit, iculariter proprietate idiomatis nostri deceptus videtur, quo nonnisi perfectæ ætatis viros, *homines* vocamus. Geminus sane huic est eiusdem Cuiacii error, fæminam *hominis* appellatione comprehensam negantis, quem alibi refuto. Quare humaniter quoque lapsus est vir doctissimus, qui Cuiacii auctoritate abreptus, etsi sui alias & summi iudicii, infantem esse potius imaginem hominis, quam hominem putauit, Varronis auctoritate 5. *de Lingua latina pag. 39. edit. Dionys. Gothofred. inter auctor. L. L.* qui non hoc ait, verum comparationem tantum eo loco instituit imaginis hominis, cum homine, & verborum infantis, cum verbis viri.

Inanior adhuc est Ræuardi coniectura, III. *Coniectaneorum, cap. 1.* existimantis, hanc *legem* non ad vulgare quoduis infanticidium pertinere, verum ad infantium immolationem & sacrificia, a Paganis vsurpari solita, & quidem in Africa, quæ Tertullianus suis temporibus in occulto perseuerasse scribit, *Apologetici cap. 9.* eamque in rem *piaculi* vocem expendit, quod infantium immolationem seu sacrificium significet. Verum frustra primum hanc vocem vrget, quandoquidem & ipse fatetur, *piaculum* pro omni scelere sacroque facinore & detestando accipi; quomodo sane hic accipitur, *locisque aliis pluribus*: de quo v. *Gloss. Theod.* & certe, mox idem vocatur *malum.* Secundo ad Valentiniani tempora perperam trahuntur ea, quæ Tertullianus de suo seculo scribebat, inter quæ tempora interuallum est 150. & amplius annorum. Sed & magnum est ipsorum temporum discrimen. Tertio nihil attinebat speciatim a Valentiniano *h. l.* infantum sacrificia prohiberi, quandoquidem & priores ante ipsum ætate Principes Christiani, & ipsemet Valentinianus in Imperii exordio, etsi Religionum libertate facta, funesta & quæcunque tandem sacrificia nominatim prohibuere, vt docebit *lex 7. infr. de maleficis.* Postremo, quod Ræuardus de Africa notat, ad hanc *legem* nihil prorsus pertinet. Nam etsi *Probum*, cui *lex* hæc inscribitur, Italiæ, Illyrici & Africæ Præfectum Prætorio fuisse fateamur, quod & ipse iam dicere anteuerti; pertinet tamen hæc *lex* ad *vrbem Romam*, vt subscriptio eius testatur; Dicitur enim *Proposita Romæ.* Sane a Iudæis quandoque tale quid tentatum sub Arcadio Imperatore, memorat Socrates, *lib. 7. cap. 16.* De quo dicam plene *ad l. 18. infr. de Iudæis.*

Maneat igitur, quod Cuiacii & Ræuardi sententiis refutandis satis est, atque ab ipsis animaduersum non est, hanc *legem*, non ideo latam, quasi hactenus infanticidium impunitum fuerit, aut *homicidii* nomine non venerit, verum ideo latam, vt *pœna* eius intenderetur seu augeretur, maloue isti & piaculo iam inolescenti noua seueritate occurreretur. Sed & in patres, liberos exponentes, aliæ sunt *leges*, quæ cum *hac l.* nihil commune habent: quæ tamen confudit Lipsius I. *Epist. 85.*

Porro non inani ipse ducor coniectura, pertinere hanc *legem* ad infantes recens natos, quos volgiuaga & illicita Venere, siue de vulgo patres, siue vulgariæ matres enecare soliti, velandæ turpitudinis causa: & quidem in ipsamet Vrbe Roma. Et sane Lactantius quoque, *lib. 6. diuin. Institut. cap. 20.* in mores corruptos ætatis suæ inuehens, vt de infantibus exponendis falsa pietate agit, ita & de infanticidio his verbis: *Ergone illud quidem concedi aliquis existimet, vt* RECENS NATOS *liceat oblidere, quæ vel maxima est impietas. Ad vitam enim Deus inspirat animas, non ad mortem. Verum homines ne quod sit facinus, quo manus suas non* POLLVANT, RVDIBVS *adhuc & simplicibus animis abnegant lucem non a se datam. Expectet vero aliquis, vt alieno sanguini parcant, qui non parcunt suo: sed hi sine vlla controuersia scelerati & iniusti* &c. Præceptum est, non occidere: quod sic accipi debet: nec licebit INFANTEM NECARE, aut exponere; aut se ipsum voluntaria morte. Iudæorum sane πατροπαραδώσει, etiam qui infantem vnum iam diem natum, siue marem, siue fœminam occidisset, capite luebat. Is vero infans intelligitur, qui post nonum mensem sit in lucem editus: nam si vel paulo ante mensem nonum peractum editus sit in lucem, tanquam abortus censetur ad 30. vsque dies: quod si quis intra illud 30. dierum interuallum eum occidisset, capitale non erat, vt tradit Maimonides tractatu רוצח *cap. 2.* Certe Tacitus quoque *l. 5. histor. c. 5.* scribit, *Iudæos augendæ multitudini consulere: nam & necare quemquam ex* AGNATIS *nefas esse.* Vbi quidam *gnatis* reponunt, alii aliter vocem illam refingunt: vt Petitus II. *Obs. 4.* quem vide: Sed nil opus; sic etiam idem Tacitus de Germanis *cap. 19. Numerum liberorum finire, aut quenquam ex* AGNATIS *necare, flagitium habetur.* Agnatos scil. dixit Tacitus, pro liberis, *Adgnascendi* vox hæc iuris: Adgnascitur, qui suus nascitur: vel vt Vlpianus *tit. 23. §. 3. Adgnascitur suus heres, aut* ADGNASCENDO, *aut adoptando.* Etsi alias specialius, *adgnasci* dicitur, qui post testamentum suus hæres nascitur, &c. Eodem plane modo & sensu ADGNATI & ADGNA-

TIO

tio pro liberis, *l. 9. sup. de veteranis*: *l. 1. de Collegiatis*: *l. 19. de diu. offic. l. vn. communi diuid.* aliisque pluribus.

Francis Saliis olim non ita visum, qui alia multa plecti voluere eum, qui infantem, & quidem infra octo noctes occidisset: vide *legem Salicam tit. 26. §. 5.*

Illud *hic* adhuc notandum, errorem esse eorum, qui hanc *legem*, & hæc verba *adgressus adgressaue erit* &c. de solo conatu intelligunt, quamuis nullum homicidium secutum fuerit.

P. 86.

Aduersus LATRONES, *armorum ius priuatis a Theodosio M. tributur.*

II. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. ad Prouinciales. (b)

LIBERAM resistendi (c) cunctis tribuimus facultatem: vt quicunque Militum, vel Priuatorum, (d) ad agros nocturnus populator (e) intrauerit, aut itinera frequentata insidiis adgressionis obsederit, permissa cuicunque (f) licentia, dignus (g) illico supplicio subiugetur, ac (h) mortem quam minabatur, excipiat, & id quod intendebat, incurrat: *Melius est enim occurrere in tempore, quam post exitum vindicari,* (i) Vestram igitur vobis permittimus vltionem, & quos (k) serum est punire iudicio, subiugamus Edicto: (l) Nullus (m) parcat militi, (n) cui obuiari (o) telo oporteat vt latroni. Dat. Kal. Iul. Tatiano & Symmacho Coss. [391.]

INTERPRETATIO. (p) *Quoties ad faciendam rapinam aliquis aut iter agentem, aut domum cuiuslibet nocturnus expoliator adgreditur, huiusmodi personis, quæ vim sustinent, damus etiam cum armis licentiam resistendi, & si pro temeritate sua occisus fuerit ille qui venerit, mors latronis ipsius a nemine requiratur.*

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. Quando liceat vnicuique se vindicare, vel publicam deuotionem.* GOTHOFRED.

(b) Macedoniæ, mox vt ostendam. *ID.*

(c) Telo, *in fin. leg.* cum armis, vt recte Interpres. *ID.*

(d) *Priuati* militibus, *h. l.* & *l. 3. prox.* vbi dicam, opponuntur: id est, pagani: vide Gloss. *Pagani* igitur, qui se militibus iunxerant. *ID.*

(e) Id est, exspoliator, vt Interpres. *ID.*

(f) *Vbicunque*, MS. G. *RITTER.*

(g) *Digno*, Cod. Iust. *Digno se*, edidit Sichard. *RITTER.*

(h) *Vt mortem*, MS. W. *ID.*

(i) *Vindicare*, Cod. Iust. *GOTHOFRED.* *Vindicare* legit MS. G. & Sichard. Edit. *RITTER.*

(k) Mira hic varietas lectionis. Cod. Iust. *& quod serum est.* Edit. Sichard. *& quod serum est puniri iudicii subiugamus,* &c. MS. W. *& quod verum est punire iudicio.* MS. G. *vt quod serum est puniri iudicis subiugamus* &c. *RITTER.*

(l) Huic scil. quo vindicta cuique priuato permittitur. *GOTHOFRED.*

(m) *Vt nullus*, Cod. Iust. *ID.*

(n) *Priuati* hic nulla mentio, vt *supr.* de eo mox. *ID.*

(o) *Obuiare*, Cod. Iust. *IDEM.*

(p) Inserta hæc interpretatio *formulæ*, secundum legem Romanam *30. pag. 199. edit. Bignon.* *ID.*

COMMENTARIVS.

LATRONIBVS & GRASSATORIBVS, siue militibus, & his potissimum in sp. *huius l.* vt docent extrema eius verba, ex Historica causa quam mox eruam; siue priuatis, noctu agros depopulantibus, vel de die itinera frequentata insidiis adgressionis obsidentibus, resistendi, cum armis scil. eosque occidendi, Prouincialibus omnibus singulari hoc EDICTO (vt ipsemet etiam vocat) ad prouinciales emisso, potestatem facit Theodosius M. A. D. 391. pariter vt desertoribus Honorius *l. 14. supr. de desertorib.* extra ordinem; cum alias Armorum vsus priuatis seu non militantibus interdictus esset, *l. vn. inf. quorum vsus*: vbi plene dicam. Cuius rei rationem, quæ hic redditur, antequam illustramus, simulque errores Interpretum ad hanc *legem* profligamus, *Historica* eius causa seu occasio eruenda venit. Quæ talis est: MILITES Barbari, Romanis legionibus immisti eo tempore, quo Theodosius M. cum exercitu in Macedonia Thessalonicæ constitutus (Anno Dommini 388.) aduersus Maximum Tyrannum moturus erat, a Theodosio defecerant, & ad lacus atque paludes in Macedonia sese contulerant. Igitur Theodosio in illa aduersus Maximum expeditione occupato & absente, milites illi, τὰ Μακεδόνων καὶ Θεσσαλῶν ἐλῄζοντο, μηδενὸς αὐτοῖς ἐναντιωθέντος, id est, *in Macedonum & Thessalorum fortunas nemine eis* RESISTENTE, ait Zosimus *lib. 4. cap. 48. grassabantur.* Verum Theodosio ex Italia reuerso, hoc A. D. 391. cautius sibi agendum rati milites illi, paludibus digressi, NOCTV grassationes suas peragere instituerunt, dieque illucescente, se rursum ad loca consueta & paludes recipiebant, Zosimus *ibid.* αὐτόθεν τε λαθραίως ἐπι-

ἐπανιςάμενοι, τὰ ἐν ποσὶ τε ἄγοντες καὶ φέροντες, ἡμέρας ἐπιφαινομένης, ἐπὶ τὰς συνήθεις τόπυς ἐχώρυν. *Et hinc clanculum egressi, quum primum dies illuxisset, obuia quæuis agebant, ferebant, atque ita deinde ad loca consueta se recipiebant.* Reuersus itaque Thessalonicam Theodosius, haud leui ea re in rebus Macedonum perturbatione reperta, tum ea ratione eos aggredi cœpit, quam Zosimus pluribus narrat *lib. 4. cap. 48. 49.* tum hac *lege*, Thessalonica Constantinopolim pergens, data videlicet edicto suo omnibus Prouincialibus Macedoniæ, his militibus aliisque, qui sese illis iunxerant, vel ad latrocinium deinceps animum essent addicturi, resistendi facultate, eosque interficiendi potestate. Proinde pertinet hæc *lex* ad populatores, desertores, latrones PVBLICOS, non ad fures priuatos: Eademque adeo prorsus huius legis sententia est, quæ *d. legis 14. sup. de desertoribus*, vbi hæc inter cætera verba notanda; *opprimendorum desertorum facultatem Prouincialibus iure permittimus: qui si resistere ausi fuerint, velox vbicunque iubemus esse supplicium. Cuncti enim aduersus latrones publicos desertoresque militiæ ius sibi sciant pro quiete communi, exercendæ publicæ vltionis indultum.* Poterant alioquin Prouinciales ante hoc Edictum hærere, num latrones istos aggredi possent: nempe quod nulli priuato armorum mouendorum potestas esset *d. l. vn. inf. quorum vsus interdictus est. Nulli prorsus*, inquit, *nobis insciis atque inconsultis, quorumlibet armorum mouendorum copia tribuatur.* Adeo vt eius rei potestatem Iudices facere non possent, *Irruentibus tantum armis externis*, vt Ammianus *lib. 23. cap. 1.* scribit, *lex vna est & perpetua, salutem omni ratione defendere*, &c. Verum *quæ h. l.* vt & *leg. 14. sup. de desertorib.* decidendi ratio est, *aduersus hostes publicos omnis homo miles est*, vt Tertull. eleganter ait *Apolog. cap. 2.* De qua ratione dicam etiam aliquid *ad l. 11. inf. de maleficis.* Rationes porro huius Edicti & licentiæ notentur. 1. Mortem quam *minabatur* excipiat, & id quod intendebat incurrat. 2. Melius est *occurrere* in tempore, quam post exitum vindicari. 3. Quos ferum est punire *iudicio*, subiugamus Edicto. Cui rationi apprime respondent hæc Catonis verba apud Sallustium *de coniuratione Catilin. cap. 52. Cætera*, inquit, *maleficia, tum persequare, vbi facta sunt; hoc, nisi prouideris, ne accidat; vbi euenit, frustra* IVDICIA *implores.* Respondet quod Lycurgus Orator *aduersus Leocratem* proditionis reum *inter Orationes Græcas Henrici Stephan. p. 165.* τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἀδικημάτων ὑςέρας δεῖ τετάχθαι τὰς τιμωρίας, προδοσίας δὲ καὶ δήμυ καταλύσεως, πρωτέρας. εἰ γὰρ ποιήσεσθε τῦτον τὸν καιρὸν, ἐν ᾧ μέλλυσιν ἐκεῖνοι κατὰ τῆς πατρίδος φαῦλόν τι πράττειν, ὑκ ἔςιν ὑμῖν μετὰ ταῦτα δίκην παρ' αὐτῶν ἀδικύντων λαβεῖν. Et illud Ciceronis pro Milone *cap. 4. silent leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei, qui expectare velit, ante iniusta pœna luenda sit, quam iusta repetenda.*

P. 87.

Et illud Ouidii *Elegia in Nucem*, v. 3. 4.

Obruere ista solet manifestos pœna nocentes,
Publica cum lentam non capit ira moram.

Ex superioribus iam liquet, ea quæ e *lege XII. Tabularum* ad hanc *legem* vulgo notari solent *de furibus nocturnis*, prorsus aliena esse. Rursum, quod de agris *h. l.* nominatim cauetur, non id efficere, (quod tamen Cuiacius putabat,) quasi lex XII. *Tabular. de furibus nocturnis*, ex hac constitutione in agris tantum locum obtineat, ac non etiam in Vrbibus, quasi qui in agris noctu furantur, odio maiore digni sint: Nam vt monui, lex hæc ad fures priuatos non pertinet: ac quod de agris, item quod de nocturno tempore *h. l.* statuitur, id pro temporis illius tum ratione cauetur, quia scilicet milites illi, quos dixi noctu in agris grassationes suas peragebant, atque albescescente rursum die in præsidia sese recipiebant. Quid enim, si medio die, si in vrbe latrocinia sua tum peregissent, an non eadem eos interficiendi potestas data fuisset?

Certe *h. l.* non tantum comprehenduntur nocturni populatores agrorum, sed & itinera frequentia insidiis aggressionis obsidentes, & sic de die. Et vero ab hac sententia quoque non abludunt Græci *lib. 60. Basil. tit. 39. comm. 21.* Illud denique monendum superest, post hoc *Edictum* horum latronum aliquas adhuc superfuisse reliquias, quibus tollendis latam existimo postea *legem vlt. supr. de defensoribus ciuitatum.*

De FACTIONIBVS *aduersus præcipua, post Principem, in Republica capita: seu de* FICTITIO *quodam Perduellionis crimine, Arcadii lex.*

III. (a) Impp. ARCAD. (b) & Honor. AA. Eutychiano PP. (c)

I. QVISQVIS, cum Militibus, (d) vel Priuatis, (e) (Barbaris (f) etiam) scelestam (g) inierit (h) FACTIONEM (i) aut factionis ipsius susceperit (k) sacramenta, (l) vel dederit: De nece etiam (m) Virorum Inlustrium qui Consiliis (n) & Consistorio nostro intersunt. (o) Senatorum (p) etiam (nam (q) & (r) *ipsi pars Corporis nostri sunt*) cuiuslibet (s) postremo qui nobis militat, cogitarit, (*eadem* enim *seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura* + *voluerunt*) ipse quidem (vtpote (t) Maiestatis reus) gladio feriatur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis. II. *Filii* vero eius, quibus vitam Imperatoria specialiter (v) lenitate (x) concedimus *paterno* enim *deberent perire supplicio, in quibus paterni* hoc est hæreditarii, *criminis exempla metuantur* (y) a materna, vel auita, omnium etiam proximorum, hereditate ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuo egentes, (z) & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos vnquam (aa) honores, nulla (bb) prorsus sacramenta perueniant: sint postremo tales, vt his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatio, (cc) & vita supplicio. III. Denique iubemus, etiam eos notabiles (dd) esse, sine venia, qui pro talibus vnquam aput nos *interuenire* (ee) temptauerint. IV. Ad *Filias* sane eorum, quoli-

quolibet (ff) numero fuerint, Falcidiam (gg) tantum ex bonis matris, siue testata, siue intestata defecerit, (hh) volumus peruenire, vt habeant ingratæ (ii) potius filiæ alimoniam, quam integre (kk) emolumentum ac nomen hæredis: *mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus.* V. Emancipatio, (ll) quæ a prædictis siue in filios, post legem duntaxat latam, siue in filias fuerit conlata, non valeat. VI. Dotes, donationes, quarumlibet postremo rerum alienationes, quas ex eo tempore, qualiber fraude, vel iure factas esse constiterit, quo primum memorati de ineunda FACTIONE ac *societate* cogitauerint, nullius statuimus esse momenti. VII. *Vxores* sane prædictorum recuperatas (mm) dotes, si in ea condicione fuerint, vt quæ a viris, titulo donationis acceperint (nn) filiis debeant reseruare, tempore quo vsusfructus absumitur, omnia (oo) fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quæ iuxta legem filiis debebantur: Falcidia (pp) etiam ex his rebus filiabus tantum, non etiam filiis, deputata. VIII. Id quod de prædictis eorum (qq) filiis cauimus, etiam de *Satellitibus*, (rr) consciis, (ss) ac ministris, (tt) filiisque eorum, simili seueritate censemus. IX. Sane, si quis ex his in exordio initæ FACTIONIS, studio veræ laudis accensus, ipse (vv) prodiderit factionem, & præmio nobis (xx) & honore donabitur: Is vero, qui vsus fuerit factione, si vel sero tamen (yy) incognita adhuc, consiliorum arcana patefecerit, absolutione tantum ac venia dignus habebitur. Dat. Prid. Non. Septemb. Ancyræ, (zz) Cæsario & Attico C oss. (aaa) [397.]

P. 88. N O T A E.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. ad l. Iul. Maiestatis.* Iungenda porro huic Legi est *Lex vlt. 4. de prædiis Senatorum*: de quo *inf. n. 2.* Notandum vero Codice Iustinianeo positam hanc Legem *sub alio titulo*, puta sub *tit. ad L. Iul. Maiestatis*: de quo *n. 3.* GOTHOFRED.

(b) ARCADIVS Orientis Imp. auctor est huius *Legis*: de quo *num.* 2. & 11. *ID.*

(c) *Eutychianus* hic, Præfectus Prætorio Orientis fuit sub Arcadio, de quo *n.* 2. & 6. *ID.*

(d) *Milites*, factionibus idonei: de quo *sectione*, seu *n.* 8. *IDEM.*

(e) *Priuati* hic dicuntur, non militantes. vid. *n.* 8. *IDEM.*

(f) *Barbaros* intelligit in orbe Romano degentes, vitamque partim priuatam, partim militarem ibi agentes. *d. num.* 8. Cæterum in nonnullis, editis ferme Codicibus Iustinianeis, editum *vel Barbaris*, etsi manuscripti habeant vt *hic. ID.*

(g) *Scelesti* voce hic facinoris magnitudo indicatur, non factio in Principem. *v. num.* 4. *ID.*

(h) *Inire* factionem dicuntur Auctores factionis *v. n.* 7. *ID.*

(i) *Factio* quid? *v. n.* 6. De harum vero factionum causis, *v. num.* 10. & 11. *ID.*

(k) His verbis indicantur, qui factioni iam initæ Duces adsciscuntur. *v. n.* 7. *ID.*

(l) *Sacramentum*, C. Iust. *ID.*

(m) Hac voce determinatur Factionis genus, cui *hac l.* occurritur. *v. n.* 4. *ID.*

(n) Vt consilium videl. præbeant, non vt nude Consistorio intersint. *v. n.* 9. *ID.*

(o) Id est, interesse solent. *v. n.* 12. *ID.*

(p) De his dico *n.* 9. *ID.*

(q) Rationem hanc, seu colorem expendo. *n.* 4. & 13. *ID.*

(r) Pariter vt Consistoriani, de quibus immediate antea, *vid. n.* 4. *ID.*

(s) *Vel cuiuslibet*, Cod. Iust. Porro his verbis indicantur omnes aliæ Palatinæ & Prouinciales dignitates. *v. n.* 9. *IDEM.*

+ *Iura* seu leges ciuiles scil. & Romanas nota allegari, quæ voluerunt eadem seueritate *voluntatem puniri sceleris, qua effectum.* Quam in rem vide vel Seruium in 6. *Æneid.* & Rhodiorum Legatorum orationem apud Liuium *lib.* 45. *c.* 24. & Gellium 7. *c.* 3. Cæterum voluntas hic est cum conatu aliquo, seu cum ad extra processum est, ad *factionem* scil. & coniurationem. *ID.*

(t) De hoc colore dico, *n.* 13. *ID.*

(v) *Specialiter*, id est, singulari lenitate; quam non omnes Principes in huiusmodi crimine exercuere, imo pauci, cuiusmodi Antonini lenitas circa Cassii liberos. *ID.*

(x) *Lenitas* Imperatoria. *ID.*

(y) *Metuuntur*, Cod. I. RITTER.

(z) Contra Antoninus de Cassii liberis ad Senatum, apud Vulcatium Gallicanum *in Vit. Cassii cap.* 12. *Sint diuites, sint securi, sint vagi & liberi, & per omnium vbique populorum ora, circumferant mea, circumferant vestræ pietatis exemplum.* GOTHOFRED.

(aa) *Prorsus*, C. Iust. *IDEM.*

(bb) *Ad nulla sacramenta.* C. Iust. *IDEM.*

(cc) *Solatium*, & mox. *supplicium*, C. Iust. male. *ID.*

(dd) *Notabiles*, id est, infames. *ID.*

(ee) *Interuenire*, intercedere. Nota casum, quo intercedere apud Principem non licet, idque sub pœna infamiæ. *IDEM.*

(ff) Quocunque numero.

(gg) Fal-

(gg) *Falcidia*, hic, & postea rursum, pro legitima. *ID.*

(hh) *Defecerit*, id est, *decesserit*, quomodo *Cod. Iust.* repositum. *ID.*

(ii) *Mediocrem potius*: ita C. Iust. Sed istud nostrum retinendum, nempe *ingratos* liberos, quos parentes exhæredare non omnino possunt, ad legitimam reducere solent: ne egere cogantur, & vt *Alimonia* saltem his suppetat, habeantque vnde vitam tolerent. *ID.*

(kk) *Integrum*, C. Iust. *ID.*

(ll) *Emancipationes*, & mox, *fuerint conlatæ, non valeant*, ita *C. Iust. ID.*

(mm) *Recuperata dote*, C. Iust. Forte etiam, post recuperatas dotes. *ID.*

(nn) *Acceperunt*, C. Iust. *ID.*

(oo) *Omnia ea*, C. Iust. *ID.*

(pp) *Et Falcidia ex his etiam*, &c. *deputata videatur.* Ita *C. Iust. ID.*

(qq) ἀσυνδέτως hæc posita, pro *filiisque eorum*: vt mox subiicitur, & habetur *C. Iust. ID.*

(rr) De *Satellitibus* his dico. *n. 7. ID.*

(ss) De *Conscii* his dico. *d. n. 7. ID.*

(tt) De *Ministris* his. *d. n. 7. ID.*

(vv) *Initam* C. Iust. *ID.*

(xx) *Et premio & honore a nobis*, C. Iust. *ID.*

(yy) *Incognita tamen adhuc*, inuerse ita *C. Iust. ID.*

(zz) Galatiæ vrbe, de qua *n. 2. ID.*

(aaa) De hoc Consulatu, & temporis istius characterismo, *V. n. 2. ID.*

COMMENTARIVS.

I. ARCADII Imp. πολυθρύλλητος, & famosa hæc si quæ alia constitutio est, de *Factionibus in præcipua post Principem seu Imperatorem in Republica Capita seu Columina.* Quam nobilem fecere varia. Iamprimum frequens eius apud Antiquiores memoria, tum ad alias subinde personas eius productio. Variis scilicet ea iam olim monumentis librisque indita probataque) præcipuam exinde famam tulit. Initio quidem, quadraginta ferme non vltra a sui promulgatione annos a Theodosio Iun. Imperatore, *hoc Codice*, inclusa fuit A. D. CDXXXVIII. Quod tamen Francisci Balduini industriam fugisse Contius iam olim obseruabat. Ego quoque obseruo, Virum alioquin politioris ingenii, cum peculiari commentario *hanc l.* illustraret, eius ceu in *Codice Theodosiano* positæ nullam omnino mentionem fecisse. Eadem constitutio, vertente mox sæculo, a Iustiniano siue Triboniano suum in *Codicem* relata probataque A. D. DXXXIV. Exinde sententia eius libris passim in Oriente de Iure conscriptis indita: Puta a Leone & Constantino Porphyrogeneta *Basilicon lib. 60. tit. 36.* Ab Attaliata *eorundem Basilicorum Synopsi* (cui titulum fecit ποίημα νομικὸν ἤτοι πραγματικὴ, circa A. D. MLXXIII. (a) quamque edidit Freherus *Tom. II. Iur. Græc. Roman.*) *tit. 69. pag. 59.* A Constantino pariter Harmenopulo Iudice Thessalonicensi, προχείρῳ suo seu ἐγχειριδίῳ *lib. 6. tit. 6. §. 9.* Quid in Occidente? Seculis equidem aliquammultis ea Constitutio ibi incognita fuit, vna cum potissima Codicis Theodosiani parte, & Codice Iustinianeo in vniuersum, causis iam notissimis. At enim, statim vt ibi libri Iustinianei efferri bona scæua cœperunt, atque vna cum his hæc Constitutio in dias luminis auras educi, certatim ea non Interpretes modo nacta est, verum etiam imitatores & Transcriptores, tum alibi, tum in Palatio: sic vt ad alios quam plurimos casus produci aptarique cœperit. Gratianus primum, monachus Bononiensis, circa A. D. MCL. cum iuris Pontificii corpus, ad exemplar & imaginem librorum Iustinianeorum, qui tum in Occidente primum efferebantur, instituisset, quod *Concordiam discordantium Canonum* inscripserat, hodie vero *Decretum Gratiani* audit, atque ab Eugenio Pontifice, vt volunt nonnulli, approbatum est, sicut alias complures Imperatorum constitutiones ita & hanc ipsam eodem contulit, per occasionem, *parte 2. causa 6. quæst. 1.* (post caput *quæra 21. 22.*) & ex parte rursum *de pœnitentia, distinct. 1. c. 9.* vbi de nuda cogitatione agitur. Sic igitur hæc constitutio, vt loquuntur, canonizata fuit. Carolus itidem IV. Imp. eandem *Aureæ Bullæ* suæ, P. 89. cuius celebris adeo inter Germanos memoria extat, quaque Serenissimorum Electorum potissimum dignitas salusque in solido locata fuit, partim Noricorum vrbe, partim Metensi (quæ *Diuodurum Mediomatricorum* vulgo creditur) editæ A. D. MCCCLVI. indidit *cap. 24.* atque ad Electores Imperii Ecclesiasticos & sæculares transtulit. Quanquam sunt, qui non a Carolo, verum a Scoto quodam exscriptore id ibi insertum & assutum volunt. Ad *hanc* quoque *l.* proxime accedit, quod Bonifacius VIII. post Honorium sanxit in fauorem Cardinalium, *c. Felicis 5. de pœnis in 6.*

Iam

(a) Ita edidi ex auctoritate Epigrammatis, quod præfixum πραγματικῇ, vbi *vers. 5. sequ.* hæc leguntur:

Ὁ νοῦς ὁ πάντα νοῦν ὑπερβάλλων φύσει,
Τὴν δέλτον αὐτὴν ὑπὲρ ἐλπίδα ξένως
Διωγράφησε, λύτρον ἠδικημένοις,
Ἔτει τρίτῳ δὲ τῆς σοφῆς μοναρχίας.
Mens illa quæ mentem omnem acumine superat,
Spem præter omnem more formauit nouo
Volumen hoc, læsis præsens solatium,
Anno imperii bene gubernati tertio.

Annus tertius autem imperii *Michaelis Ducæ* siue *Parapinacii*, in annum 1073. incidit. Capto enim *Romano* a Turcis 1070. mox occupabat thronum Michael, quod satis testantur *Annalium Scriptores* Græci, *Curopalat. Manass.* & *Zonaras.* Ex quibus patet multum errasse eos, qui crediderunt hanc Basilicor. Synopsin editam *anno* 1077. quorum in numero est BRVNQVELLVS *historiæ Iuris* scriptor. Neque audiendi sunt, qui *annum* 1070. rescribunt, quod fecerat Noster hoc loco, & *in Manual. Iur.*

Iam non quæro, quam recte eam illi acceperint, & quam apte ad suam singuli mentem, & ad eos quoque qui propriam ex se Maiestatem, non precariam seu *fictitiam*, de qua omnino, non de priore est hæc *lex*, habent, transtulerint. Illud modo liquet, Nobilem eam iam olim in Oriente primum, dein in Occidente celebratam, atque in vsus deriuatam. Et cur non? Cum si *Argumentum* eius spectes, longe id nobilissimum sit: de Maiestatis, inquam, crimine, imo, vt hactenus creditur, de Coniuratione & perduellione quoque in Principis caput: si dispositionem eius, hinc grauissima ea vndiquaque, & πολιτικωτάτη, inde vero seuerissima. Vnde quoque nonnulli eam ceu non nouam modo, verum etiam sæuam & asperam, imo velut iniquam carpere, eiusque occasione Iustinianum ipsum, qui eam in Codicem suum transcribere sustinuerit: Quod Contii iudicium erat I. *Lection.* 7. Alii contra, tum a nouitate, tum ab iniquitate eam defendere: quo in ordine stat Robertus. II. *Receptarum sentent.* 22. & Cuiacius *recitat. Codicis.* Iam si cum aliis nonnullis eiusdem Imperatoris *Arcadii* (nam huic hanc constitutionem accepto ferendam ostendetur proxime) constitutionibus committatur, pugnare ea cum his a nonnullis visa, ac nominatim cum *l. 22. Cod. Iust. de pœnis*, quæ alioquin ad eundem Eutychianum PP. data est, & cum *l. 18. inf. de pœnis*, vnde iam Enantiophanes inter has leges creditum, quod cum tollere omnes haud æque potuerint, nullo negotio postea componetur.

Si Politicos Aulicosque consulas, nulla vexatior hodie constitutio, si quando de pœnis in coniuratos Principis hostes, eiusque Consistorianos, collaterales, laterique proximos, quæritur: vnde etiam tot egregia arcana politica eruuntur: inter alia, de Acerbitate pœnarum in filios, satellites, conscios, ministros propaganda: de personis, quas Principis imo publice intersit, pro sacrosanctis & inuiolabilibus haberi, eisque Maiestatis precariæ speciem indui: de incogitato tantum scelere quandoque puniendo; de Maiestatis crimine quandoque ad terrorem propagando; de Delatoribus & Indicibus per præmia exciendis, & sic diuellendis factiosis: Atque id genus alia.

Si *Pragmaticos* vel *Iurisconsultos* spectes, nulla amplior perplexarum inter eos controuersiarum Sedes, imo seges est: nulla, vnde tot tamque grauium Decisionum, Responsorum, Consiliorum, argumenta petantur: videatur saltem Menochii *Consilium* 99. Capycii *decis.* 130. Quorum omnium opera in eo ferme desudat, vti definiant, ad quasnam personas, & ad quænam *bona* hæc *lex* produci possit.

Atque hæ etiam causæ sunt, cur non ordinarios modo *Glossarum* Scriptores & Interpretes ea constitutio nacta sit, verum iustos insuper & singulares Commentarios: in quibus extitit Stephanus Buynartus Doctor Aurelianensis, teste Boëtio de *auctor. magni Consilii n.* 2. Antonius Contius, qui cum omnes leges *ad l. Iul. maiestatis* sibi explicandas proposuisset, hanc quoque singulari interpretamento donauit. Eum secutus est Scipio Gentilis, qui cum *de Coniurationibus* libros duos, ad Henricum Magnum scriberet, priorem integrum huic constitutioni illustrandæ destinauit: Sed & Albericus Gentilis, Disputationem quartam huic *legi* impendit.

Huc accedant & qui ex professo *de Maiestatis crimine* commentantes, hanc potissimum *legem* pro fundo *Commentariorum suorum* habuere; in quibus Martinus Garratus Laudensis, & post eum statim contrarius incertus Author 12. *quæstionum*: Gigas, Clarus, Decianus, Farinacius, Albericus Gentilis, Bocerus, alii.

Et post hæc tamen omnia, atque in tanta Scriptorum atque Authorum siue nube, siue varietate, desiderari mihi hanc ad diem semper aliquid visum: Quod incompertum hactenus, non modo tot tamque variis Quæstionibus & controuersiis locum fecit, verum grauissimis erroribus ansam præbuit: Origo, inquam, seu occasio, causæque Historicæ Nobilissimæ istius constitutionis. De quo vix vnus aut alter cogitauerunt: iique ipsi qui cogitarunt, tam neglectim & per transennam in id incubuerunt, vt velut rem nihili tractare se credi vellent: Nemo certe hactenus repertus est, qui verum in hanc partem peruiderit.

Quare ipsa rei vtilitate admonente, eam prouinciam vacuam adhuc inuadere visum, eamque in rem peculiari ἐπιστάσει accuratius inquirere. Rem, vti censeo, neque insubidam, neque iniucundam facturus, siue Iuris Consultorum ordini, siue Pragmaticorum instituto, siue Politicorum iudicio, quorum scholas, fora, Aulas iamdudum hæc Nobilis constitutio, si quæ alia, personat. A quo alioquin cœpto deterrere me poterat, non illa tantum quam modo dixi, *Commentariorum* moles, verum & Inquisitionis difficultas, vt cæteroquin in hoc genere ἀπαληθεύειν seu verum inuenire difficile est: in tanta videlicet Historicorum æui illius penuria: cum præter pauca admodum, quæ ex aliis eius æui Constitutionibus peti possunt, quæque apud *Symmachum, Libanium, Chrysostomum, Synesium, Claudianum, Asterium, Zosimum, Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, Chronographos*, occurrunt, nihil ferme præterea occurrat, quod huic inquisitioni fauere nedum facere satis, possit. Et cum aliorum annorum historia, æram huius Constitutionis ambientium, diligentiores pluresque Historicos nacta sit, huius tantum Anni CCCXCVII. seu Consulatus *Cæsario & Attico Coss.* historia ferme deficiat. Quam lacunam proculdubio suppleret vel vnus Eunapius Sardianus, si historia eius, duplici ab eo πραγματείᾳ seu *repetita prælectione* edita; quamque ad A. D. CDIV. vsque perduxerat, hodie superesset.

II. AD veram nihilominus & distinctam Historicarum huiusce Constitutionis, quæ nouem capitibus seu sententiis constat, quas *sub finem* colligo, causarum cognitionem adsequendam, ipsa primum Lex κατὰ πόδα accuratius inspicienda nobis venit: Vt cæteroquin ex ipsis Legum visceribus, earumque peculio, argumenta hanc ad rem recte petuntur: Sane ea hic eo diligentius spectanda venit, quo minus opis aliunde suppetit: haud aliter, atque aiunt, *cochleas, cum illis nihil de cælo liquitur, succo proprio victitare.* Qua quidem parte nihil, vel minimum, temere transeundum est: cum & alias certis nonnulli ferme gradibus ad cuiusque veri quod in abdito est lucem eniti fas sit, & vel minimæ veri luminis stricturæ emicantes, atque inter se, P. 90. vel cum aliis commissæ, integram veri facem accendere soleant.

Primum sane iubar in constitutionibus, quarum Historicæ causæ indagantur, ex *Imperatoris*, seu *Legislatoris*, tum deinde ex *loci, temporisque notitia*, *legumque* aliarum *coniunctione* accenditur. Hæc igitur quatuor nunc siue spectanda siue eruenda nobis veniunt. Ac primum, quisnam *Auctor* huiusce constitutionis sit. Quæ quidem de Auctore seu Legislatore inspectio, non, vt vulgo creditur, nudæ tantum curiositatis est, verum eo pertinet, vt ex Auctoris postea moribus, Imperiique, cui is præfuit, statu, non inanis coniectura duci possit de causis Historicis & Politicis propositæ alicuius Constitutionis: quod faciemus postea. Contra hæc inquisitio insuper habita, grauissimos errores hactenus parere solet: cuiusmodi crassissimus est ille, quo vulgo omnes promiscue *Leges* in Codicem Iustinianeum relatæ, *Iustiniani*, si Deo placet, incondite audiunt: vel etiam quæ in hunc Theodosianum, *Theodosii*; aduersus expressum eorum institutum,

tutum, qui (vt hic quidem ait *Nouell. 1. de Theodosian. Codic. auctor*) *nulli retro Principum æternitatem suam detrahi, nullius Latoris occidere nomen voluerunt*: contra *manere voluerunt perpetuo elimatam gloriam Conditorum, & perennitatis iure memoriam remanere Auctorum.* Quod quidem ab iis factum, non euitandæ tantum fugandæque inuidiæ, ne alioquin cum his componerentur (de quibus etiam Dio Chrysostomus *Oratione peculiari*) qui alienis statuatum capitibus demptis sua imponebant, verum probabili cummaxime, imo necessario instituto, ne alioquin mutatis aut ignoratis Conditorum seu Auctorum nominibus, fides & veritas Historica nutaret. Ergo Auctorem propositæ alicuius Constitutionis teneri probe, plurimum interest. Qua quidem parte procliue est, de cuiusque constitutionis Auctore iudicium, quoties videlicet ea vnius tantum Imperatoris nomen præfert: Atenim anxius sæpe labor incurrit, vbi duorum pluriumue Impp. nomina Constitutionum inscriptionibus indita reperiuntur. Moris quippe olim erat, vt cum plures eodem tempore, diuisis quamlibet imperii partibus, imperarent, atque adeo quamlibet ab vno tantum Imperatore reuera scripta lex esset, ex æquo tamen omnium nomina præferret. Quem morem, qui siue nesciunt, siue minus attendunt, omnibus eam accepto ferre perperam solent: Quod huic ipsi constitutioni euenit, quam sub *Arcadii & Honorii* nominibus passim laudari videmus, etiam ab iis qui ex professo ad eam scripsere: cum tamen alterutri tantum ea ῥητῶς tribuenda sit. Quomodo sane olim quoque Leges nonnullas, quamlibet plurium nomina præferentes, vni deinceps ῥητῶς tribui recte videmus, *v. g. l 7. sup. de proximis, l. 9. infr. de maleficis.* Quanto denique Historicæ veritatis detrimento constet huius rei ignorantia, testes esse possunt, vel *Valentiniani Tertii* Nouellæ, *Theodosianis* immixtæ, & vtriusque nomina præferentes, quas si quis Theodosio tribueret, in Historiæ veritatem grauiter peccaturus esset; quod iam norunt notaruntque harum rerum periti.

Ergo, vt de Constitutione nostra dicamus, *Arcadio* Imperatori, cui Oriens in Imperii diuisione cesserat, eam tribuendam, aio: duplici argumento, tum *Inscriptionis*, tum & *Subscriptionis* (nam alioquin in ipso Legis contextu seu corpore nil tale omnino occurrit, quod non etiam Honorio Imperatori, & sic Imperio Occidentali conuenire possit.) Inscribitur scilicet hæc lex *Eutychiano PP*, qui quidem Præfectus Prætorio in Orientis seu Arcadii imperio fuit: vt disertis verbis testatur Socrates, *lib. 6. c. 2. in fin.* Agens scilicet Socrates, de Eutychiani huius Consulatu (qui proximo abhinc anno Domini CCCXCVIII. congruit, & de quo videndi sunt Fasti Consulares, variæque Constitutionum subscriptiones) sic scribit: ὑπατεία τῇ ἑξῆς, ἣ ἐπετέλουν ἐν μὲν τῇ Ῥώμῃ ὁ βασιλεὺς Ὀνώριος, ἐν δὲ τῇ Κωνσαντινȣπόλει Εὐτυχιανὸς, ὁ τότε τῶν βασιλέων ὕπαρχος. *Consulatu proxime insequenti, quem Romæ quidem Imperator Honorius, Constantinopoli vero Eutychianus Præfectus Prætorio editionibus ludisque celebrarunt.* Quo loco Socrates, per τῶν βασιλέων ὕπαρχον intelligit, *Præfectum Prætorio*, nil aliud: Quare Interpretatio vulgata minus recte ita habet, *Eutychianus tum Imperatorum Præfectus Rempubl. animaduertit.* Notandum interim illo Socratis loco *Præfectum* τῶν βασιλέων dici, etsi reuera is sub vno tantum Arcadio ageret, formula tum solemni, vt quis *Præfectus Augustorum* diceretur, etsi sub vno tantum Augusto ageret, vti constat ex aliis infinitis locis.

Fuit igitur Eutychianus P.P. in Imperio Orientali: quod & ipsum postea luculentius adhuc efficietur ex aliis variisque Constitutionibus, ad eundem Eutychianum PP. datis, & sic, Arcadio hæc *lex*, quæ ad eum data est, tribuenda venit.

Liquet id insuper ex subscripto huic legi *Ancyræ* nomine, vbi hæc *lex* Data dicitur. Ancyram quippe in Orientis imperio (ac nominatim in prouincia Galatia, diœceseos modo Asianæ, modo Ponticæ) & quidem Metropolin fuisse, vulgo constat. De qua tamen Ancyra non inopportunum fuerit, nonnulla ex huius æui historia adnotare. Vt omittam, quæ in Historia Ecclesiastica hoc sæculo plurima occurrunt de Ancyra, Ancyranisque Episcopis & hæresibus: sub Constantio Imp. ita de ea Vetus orbis descriptio, *c. 22.* quam extuli, scribit: *Habet* [Galatia] *ciuitatem maximam quæ dicitur Ancyra: diuinum panem & eminentissimum manducare dicitur.* Pingitur ea quoque in Itinerario (quod vulgo *Peutingerianum* audit) Turrita, more aliarum maximarum in Orbe Romano ciuitatum. Libanius item *Oratione 26. Apolog. p. 599. edit. Morell.* ἐν Ἀγκύρᾳ τῇ πρώτῃ καὶ μεγίςῃ Γαλατῶν πόλει, *in Ancyra prima & maxima Galatarum vrbe.* (a) In ea ciuitate, quod notari ad rem nostram valde cupio, huius sæculi Principes per Orientem sæpe constitisse reperio: veluti Constantium Imperatorem A. D. CCCXLVII. vt docet subscriptio *Legis 8. infr. quorum appell. non recip.* Iulianum, A. D. CCCLXII. teste Ammiano Marcellino *lib. 22. c. 9.* Iouianum A. D. CCCLXIV. teste eodem Scriptore, *lib. 25. extremo*, vbi & Valentinianus ab eo relictus est, eodem Marcellino auctore, *lib. 26. circa princip.* Valentem Imp. A. D. CCCLXV. eodem scribente *lib. 26. cap. 8.* & rursum A. D. CCCLXXI. vt fidem facit subscriptio *legis 76. infra de decurionibus.* Arcadium quoque nostrum haud semel ibi constitisse reperio: non tantum scil. hoc A. D. CCCXCVII. quod hæc *lex* docet, simul & *lex vlt. sup. de prædiis Senatorum*, quæ ei coassanda venit (de quo mox) verum etiam octennio post, A. D. CDV. quod discere est ex subscriptione *Legis 1. sup. Ne quis in Palatiis maneat: l. vn. de mensorib. l. 18. de palatinis sacr. largit.* Imo eum locum in deliciis Eutropio fuisse, qui ipse in deliciis Arcadio hoc tempore erat (de quo postea) testis Claudianus, biennio post, *lib. 2. in hunc Eutropium, a vers. 95.*

Mitior alternum Zephyri iam bruma teporem
Senserat, & primi laxabant germina flores:
Iamque iter in gremio pacis solemne parabant
Ad muros, Ancyra, tuos, auctore repertum
Eutropio, pelagi ne tædia longa subirent,
Sed vaga lasciuis flueret discursibus ætas:
Vnde tamen tanta sublimes laude redibant,
Ceu victos traherent Medos, Indumque bibissent.

Et iterum, *v. 415.*

Cum Duce mutatæ vires. Byzantia robur
Fregit luxuries, Ancyranique triumphi.

Quibus quidem locis (nisi *Amphysa* & *Amphisani* legamus, vt nonnulli volunt, ad *Amphyssam* id referentes, de qua Strabo, Plinius & Stephanus) Claudianus Eutropio exprobrat secessum solemnem vrbis Ancyranæ, quam luxui delegisset, cum alias hac in Medos, & sic Persas & Armenios iretur, atque ab his triumpho peracto rediretur. Quæ sane causa est, cur Principes Orientis subinde Ancyræ constiterint: Constantius inquam, Iulianus, Iouianus, Valens: de quibus *supra.* Ergo ex subscripto quoque huic constitutioni *Ancyræ* nomine manifestum est, eam Auctorem habere Arcadium Imp. & sic ad Imperium Orientale referendam esse. P. 91.

Et quidem, (quod secundum) ex eodem iterum Eutychiani PP. (de quo *supra*) nomine discere licet, hanc

(a) Locum simillimum habes apud CONSTANTIN. PORPH. *de Themat. lib. 1. them. 6. circa fin.* Πρώτη μὲν Ἀγκύρα μητρόπολις ἡ τῶν Γαλατῶν. *Prima Ancyra metropolis Galatarum*, cuius quoque fit mentio in medio *dicti them.*

hanc constitutionem ad eam proprie Orientalis Imperii partem spectare, quæ speciali Præfecto Prætorio Orientis parebat. Scilicet, hac tempestate, vt Occidens in duas Præfecturas Prætorianas diuisus erat, *Galliarum* videlicet & *Italiæ*: ita & Orientale Imperium in duas pariter scindebatur, nempe in Præfecturam Prætorianam *Orientis*, & alteram *Illyrici*, quarum hæc duabus diœcesibus constabat, Macedoniæ videlicet & Daciæ: illa vero quinque, puta Orientis (ita specialissime dicti) Ægypti, Asianæ, Ponticæ, Thraciæ: quarum Diœceseon notitia desumenda est ex *Breuiario* Sexti Rufi *ad Valentem Imp.* quod is scripsit A. D. CCCLXXX. item ex *Indice Schonhouiano*, qui sub Theodosio M. septennio ferme, vti ipse supputo, ante *hanc L.* scriptus est, circa A. D. CCCXC. & ex *Notitiâ Imperii*, quæ sub Theodosio Iuniore scripta est, 30. post *hanc l.* annis A. D. CDXXVII. Ergo cum duo P. P. in Imperio Orientali essent, & quidem hoc ipso tempore Anatolius PP. Illyrici foret, vt docet *lex 12. inf. de Iudæis*, *l. 3. de conditis in publ. horr.* & *l. 6. sup. ad SC. Claudianum*, Eutychianus, cui hæc *Lex* inscribitur, PP. Orientis erat; vt apparet ex quamplurimis aliis Constitutionibus, quæ ei inscribuntur: puta ex *l. 33. inf. de hæreticis*, vbi agitur de vrbe Constantinopolitana: ex *l. 8. de censitoribus*, vbi de vrbe Hierapolitana: ex *l. 25. de erogat. mil. ann.* vbi de Epiphanis ordine: ex *l. 57. de appellat. l. 16. de pœnis*, *l. 4. de patrocin. vic.* vbi de Proconsule (Asiæ scil.) Comite Orientis, & Præfecto Augustali: ex *l. 1. de nauibus non excusandis*, vbi de Ægypto. Indubie igitur Eutychianus PP. Orientis fuit: & quidem iterum A. D. CDIV. vt discere est ex *l. 42. de operib. publ.* vbi de Eudoxiopoli agitur, & ex Palladio *in dialogo*, vbi Interpres *Eutychianum Prætorem* vertit, cum debuerit, *Præfectum Prætorio.* Sic igitur liquet, cum hæc *Lex* ad Imperium Orientale pertineat, non spectare eam ad Macedoniam vel Daciam, quæ P. P. Illyrici dispositioni suberant, verum ad P. P. Orientis.

Et hæc de *Authore* huiusce Constitutionis; & ad quamnam Imperii, & quidem Orientalis, partem ea pertineat: quæ duo prima subsidia esse dixi, ex *hac ipsa lege* petenda, quibus perueniri deinceps ad Historicas verasque eius causas gradatim potest.

Tertium subsidium, ex *hac ipsa* pariter *leg.* desumptum, est *Æra temporis* seu *Consulatus* huic *l.* subscriptus. Regulariter scil. omnis Historiæ portio de temporis adnotatione fidem meretur; contra, de fide nulla non periclitari solet, quæcunque certo temporis characterismo destituitur: Denique, temporis adnotatio est, veluti λύχνος ἐπὶ λυχνίας: κἂν τȣ̃το ἀνέλῃς, ἀνεῖλες τὸ Φῶς, καὶ πάντα σκοτȣ̃ς καὶ πολλῆς ἐνέπλησας ταραχῆς, quod Chrysostomus dicebat: *id est, instar candelæ supra candelabrum: quod si tollas, & lumen sustuleris, omniaque tenebrarum & confusionis plena feceris.* Et idem rursum: Καθάπερ γὰρ ὅροι καὶ ϛῆλαι ἐν τοῖς ἀγροῖς τὰς ἀρȣ́ρας ȣ̉κ ἐῶσι συγχεῖσθαι. ȣ̔́τως οἱ χρόνοι καὶ οἱ καιροὶ τὰ πράγματα ȣ̉κ ἐῶσιν ἀλλήλοις συμπίπτειν, ἀλλὰ διείργοντες ἀπ᾽ ἀλλήλων αὐτὰ, καὶ κατὰ τὴν προσήκȣσαν ἕκαϛα διατιθέντες τάξιν, πολλῆς ἀπαλλάττȣσιν ἡμᾶς ταραχῆς. id est: *Quemadmodum termini finesque in agris fundos misceri non patiuntur: ita & Tempora res inuicem confundi non sinunt: verum ab inuicem ea separantia, & secundum debitum ordinem ea disponentia magna confusione nos liberant.* Quæ omnia apposite Chrysostomus scribit, *Homilia 2. de Ossa & verbis illis, Vidi Dominum*, *circa finem, tomo Sauiliano V. p. 137. Tom. III. edit. Francf. pag. 740. Tom. VI. edit. Bendict. num. 3. pag. 110.* quibus similia quoque occurrunt apud Libanium, eadem in re, (de Consulatus inquam adiectione) *panegyrico in Iuliani Consulatum p. 230. edit. Morell.* Atque, vt cæteroquin characterismus temporis varium vsum habet, in Constitutionibus sane plurimum confert, ad falsas earum causas, quæ afferri possunt, refutandas, vice versa ad veras eruendas. Ergo dicitur hæc Constitutio data, *Cæsario & Attico Coss.* A. D. CCCXCVII. & quidem *prid. Non. Septemb.* Quo scilicet tempore Arcadius tricesimum secundum non vltra mensem, in Imperio agebat post Theodosii M. Patris obitum, ætatis vero annum vicesimum nondum expleuerat, Eutropio Eunucho tum obnoxius. Quæ singula deinceps vsui nobis erunt, ad eruendam e cubili suo veritatem historicam huiusce Legis. Non inani igitur tantum obseruatione, quasi Consulatus ille, alias celebris (vt Occidentalia omittam) veluti Flaccilla eo Consulatu Arcadio nata; Nectarii item Ep. Constantinopolitani morte, hoc ipso mense Septembri, Iohannis Chrysostomi inuicem ad sedem Constantinopolitanam euocatione, (quod paulo post hanc *legem* factum est) hac quoque *lege* nobilissima inclaruerit.

Quartum subsidium ad *huius l.* nostræ intellectum suppeditat coniunctio *legis vlt. sup. de Prædiis Senator.* Inter cætera scilicet iuris nostri κρυφεῖα siue arcana, haud postremum est συνθέσεως καὶ σωματοποιΐας, mysterium: Quando videlicet diuersa eiusdem Constitutionis siue Legis capita, quæ initio quidem cohæserant, a se inuicem vero aliquando vel a Theodosiani Codicis Conditoribus, vel a Iustinianeorum librorum Auctoribus diuulsa, atque in diuersos *titulos* pro argumenti varietate disiecta, distracta, inter se rursum coassantur, compinguntur, & sic in vnum rursus corpus compelluntur & coalescunt. Hac enim ratione *solidum* ferme *corpus* τέλειον σύϛημα conficitur, eaque res σαφῆ γίνεσθαι τὴν διήγησιν, *perspicuam præbet rei notitiam*, vt de Historiæ alioquin membris in vnum sociatis Polybius scribebat *Hist. lib. 5. pag. 378. edit. Casaub. Paris. 1609.* cui similia videre est apud Longinum περὶ ὕψȣς: Denique hac quoque ratione de veris Constitutionum occasionibus & Rationibus, Fineque liquere sæpe potest, vt alias huius συνθέσεως vtilitates nunc omittam.

Sane cum id in aliarum complurimarum Legum coniunctione videre liceat, id ipsum quoque cernere est in coniunctione *Leg. vlt. supr. de prædiis Senator.* cum hac nostra: quæ sane cum inscriptione & subscriptione cum hac omnino pariet, id est, eundem Imperatorem auctorem habeat, & ad eundem Eutychianum PP. emissa sit, dataque eodem die & loco, Consulibus iisdem, ex eadem prolixiore Arcadii Constitutione, quæ varia capita continebat, desumpta fuit: atque adeo *huic* nostræ, cui initio cohæserat, rursum socianda est.

Eius vero sententia breuiter exploranda venit, tum deinde videbimus, quidnam ex eius coniunctione cum hac nostra effici possit. Igitur præsup- p. 92.
ponendum nobis est, collationem quandam Senatoribus & Senatoriis fundis olim incubuisse, seu ex Senatoriis fundis canonem aliquem publice collectum, quæ *Glebalis collatio* dicebatur: de quo dixi *supra lib. 6. tit. 2. de Senatoribus & Glebali collat.* de qua hoc ipso anno est altera quoque Arcadii constitutio, puta *lex 8. eod. tit. de Senatorib. & glebali collat.* Hic scilicet nouus fisco locupletando, seu ærarii perennis emolumento, sinus adinuentus olim fuit, quod & magnus Senatorum tum numerus esset, iique opimos quosque maxime fundos per prouincias ad se traxissent. Huic igitur Senatoriæ functioni seu Glebali collationi exigendæ olim Curiales (qui & ipsi βȣλευταὶ seu Senatores quidam municipiorum fuere) præpositi erant; verum id eis ademptum fuerat ab Arcadio nostro, anno superiore CCCXCVI. *l. 2.* (quæ data est ad Cæsarium PP. Orientis, Eutychiani nostri in ea Præfectura decessorem) & *l. 3. eod. tit. de præd. Senatorum*, translatu

lata videlicet ea exactione in Officiales Rectorum prouinciarum: Nempe, ne Curialibus Senatores lædendi seu superexigendi occasio præberetur; vt alioquin Curiales, (& in his Principales) superexactionis crimine laborabant, & tyrannidem quandam exercebant, de quo fidem faciunt variæ constitutiones, & Saluiani quoque Massiliensis locus insignis *lib. 5. de Gubern. Dei cap. 4.* siu. *num. 147. edit. Bremens.* Verum mox idem Arcadius, cum ab Eutychiano PP. edoctus fuisset, id in perniciem publicam cessisse (nempe, quod Officiales Rectorum Prouinciarum, quibus Senatorii canonis exactionem nuper indixerat, haud satis efficaces in exactione fuissent, sic quidem vt in nonnullis prouinciis Senatorii canonis dimidia pars in debitis seu reliquis resideret, seu adhuc deberetur) Arcadio id nunc *d. l. vlt.* reuocare seu *corrigere* visum, impacto rursum Curialibus hoc exactionis onere. *Cæteris* tamen, addit *d. leg. 4. in prioris Legis serie remanentibus*, id est, salua in cæteris Senatoria dignitate, ac nominatim ne commixtione Senatorum & Curialium, Senatoria dignitas Curialium vilitate vilesceret. Huius rei cura, speciali per ciuitates *Defensori Senatus* delegata. Quod singulare admodum est. Quomodo scilicet, miseræ plebi a potentiorum & Curialium iniuriis vindicandæ per ciuitates Defensores hac tempestate constituti erant. Item Defensores Ecclesiarum *l. 38. inf. de Episcop.* & *c. 97. Cod. Afric. Tom. I. Concilior. edit. Harduin. pag. 922.* Possidius *in Vit. August. c. 12.* Et defensores pauperum, de quibus *Canon. 75. Cod. Afr. Tom. I. Concilior. pag. 903.* ita & per ciuitates & prouincias defendendi Senatus cura nonnullis mandata erat, de quo postea rursum: defendendi, inquam, inter alia, ab impotentia & vilitate Curialium.

Hæc perspicua est *dictæ legis vlt. supra de præd. Senatorum* sententia. Quæ si iam huic *Legi* nostræ coaffetur; ex iis coniunctis, hæc conficientur. *Primo*, Arcadium de Senatoribus integra illa constitutione sua, vnde vtraque *Lex* desumpta est, egisse. *Secundo*, hanc *Legem Quisquis*, exinde desumptam, accipiendam quoque de Senatoribus per prouincias constitutis, de quo postea. *Tertio*, varias aduersus Senatores querelas ad Arcadium hac tempestate perlatas: quæ fisci partim rationes spectarent, quibus mederi voluit *d. l. vlt.* partim vero cum mederi nollet, vel certe mederi non posset, factionibus, quibus *hac l.* occurritur, occasionem præbuerint. *Quarto*, vt Senatoriæ dignitati *d. l. vlt.* ita & securitati *hac l.* prospectum iuisse Arcadium. *Quinto*, ex ea quoque *Lege* conficitur, constitutionem hanc totam, esse rescriptum ad *Relationem* Eutychiani PP. qui Arcadium super nonnullis docuerit: *Docuit*, inquit *d. l. vlt. Tua sublimitas*: Relationem, inquam, de casibus aliquam multis singularibus; quod colligere est ex illis verbis *h. leg. Post legem duntaxat latam:* cuius occasione, generale hoc Edictum Arcadius emiserit. Quare quod alias idem Arcadius ad eundem Eutychianum PP. anno proximo CCCXVCIII. scribit, *l. 9. sup. de diu. rescriptis*: *Rescripta ad Consultationem emissa vel emittenda his tantum negotiis opitulari, quibus effusa docebuntur* (cui quoque non absimile fuit Macrini Imp. institutum, quod memorat Capitolinus *in Vit. cap. 13.* concordat & *lex. 2. & 3. Cod. Iust. de Legib.*) id huc non pertinet, vbi Generalis Legis, & sic Edicti, formula occurrit: *Quisquis*, inquit, &c. etsi Relatio *Legi* occasionem præbuerit. Et sic ad similes casus producenda venit.

III. Post Auctorem huius Constitutionis cognitum, perspecta simul ea Imperii Orbis Romani parte, ad quam ea pertinet: expensa insuper temporis, quod illi subscriptum est, æra: tandem coassata ea cum altera *lege*, cui coniungenda erat: breuiter, constitutionis huius tum inscriptione tum subscriptione discussis; Nunc secundo loco *Subiectum* seu *Argumentum* eius adæquatum accurate spectandum venit. Quod ipsum vel maxime faciet, ad indagandas deinceps veras & Historicas eius causas, tum etiam ne in eius Applicatione labamur.

Vt generale igitur, ita vnicum *huiusce legis* subiectum & Argumentum est, de *Nece personis, post principem tum in administranda Republica, tum dignitate proximis, per factionem præparata seu concinnata*: Quod quidem homicidii cogitati crimen, quia Arcadio Maiestatis criminibus sociare visum, ea re effectum est, vt vna eademque *lex* in duos Constitutionum Codices hunc videl. Theodosianum primo, mox Iustinianeum relata, sub diuersis titulis collocaretur. Posita scilicet ea primum fuit ab huius Codicis Theodosiani conditoribus, sub *tit. ad L. Corn. de sicariis:* sed & postea quoque ab Harmenopulo *lib. 6. tit. 6.* sub *tit.* περὶ Φονέων. Non ea ratione, quam Antonius Contius coniicebat, quod Theodosii forte sæculo crimina maiestatis Legis Iuliæ specie non exercerentur: Cuius sententiam refutat apertissime vel titulus hoc *Codice* peculiaris, *ad L. Iul. Maiestatis*: vna cum proximo, *ne præter crimen Maiestatis:* &c. verum eo, quod inibi agatur de nece cogitata: Quod vtique crimen *Legi de sicariis* regulariter subest. At enim, quia Arcadius Imp. necem ita qualificatam, Maiestatis criminibus sociatum iuit, ideo Tribonianus *Codice suo* eam in *tit. ad L. Iul. Maiestatis* coniiciendam potius putauit: Nempe hic prædicatum seu dispositionem *Legis* potius spectando, illi vero subiectum, diuersis eam titulis indidere: Quæ causa ipsa est, tot aliarum *Legum* in *libris Iuris nostri* sub diuersis *titulis* collocatarum, repetitarumque. Exempli gratia eadem Constitutio, quæ anno proximo CCCXCVIII. ad eundem Eutychianum PP. data est, *hoc Codice* repetita extat duobus locis: puta *l. 57. de appellat.* & *l. 16. de pœnis:* Codice itidem Iustinianeo duobus locis, puta *l. 6. de Episcopali aud. l. 29. de appellationib.* Ergo vtrobique recte collocata hæc *lex* est: Neque minus recte *hoc Codice* sub *titul. ad L. Corn. de sicariis.* Maxime, quia etiam non de summo Maiestatis crimine in ea agitur, verum de improprio tantum: non de vero perduellione, sed *fictitio*, πλαςικῷ quasi perduellione.

Hic enim ille grauissimus error est, qui etiam notatur in Authore *Defensionis Regiæ*; quo hactenus ab omnibus creditur, duo summa huiusce *legis* capita esse: & prius quidem esse de vero Perduellionis crimine, quod scilicet in ipsum Principis caput & imperium attentatur: alterum vero, de eo quod in proximorum Principi capita necemque cogitatur: & ad priorem quidem speciem pertinere volunt initium *Legis*: ad posteriorem vero, versiculum *de Nece etiam.* p. 93. Adeo quidem, vt vir doctus ab his verbis, *de nece etiam*, secundum caput *huius legis* a superiori diuersum fecerit, seiunxeritque. Quæ sane diuisio seu dilaceratio totam *huius l.* sententiam turbauit; & vt alias sæpe graues errores admittuntur, ob Auctorum Legumque capita minus distincta, ita hic versa vice sæuus error admittitur, ob distractionem: Vnicum enim nonnisi caput *hac l.* continetur, *de Nece* videlicet *in Personas quasdam Principi iunctissimas proximasque, tum in Republ. administranda, tum dignitate per factionem cogitata*: Neque initium *huius legis*, vti volunt, est de Factione in Principis caput & Imperium.

Primum enim, quod modo notabam, ex ipsomet primoque *huiusce Legis* positu *hoc Codice* sub *tit. ad L. Cornel de sicariis* (id colligere satis liceret, non agi inquam in ea de proprio Maiestatis seu Perduellionis crimine, verum de Nece tantum nonnullis

aliis personis per factionem intentata: quod crimen etsi in *Legem Cornel. de sicariis* ferme caderet, attamen Maiestatis criminibus Arcadio accensere, pœnisque seuerissimis Maiestatis subiicere placuerit.

Et vero (quod *secundum* argumentum habeo) præiudiciis quoque Græcorum sententia nostra iuuatur, qui sane *huius l.* sententiam exprimentes nonnisi vnicum eius caput efferunt. Leo primum & Constantinus *Basilicorum lib. 60. titul. 36. cap. 18. Si quis* (nam Græca nondum edita habemus) *coniuratione facta cum militibus vel priuatis, vel Barbaris occiderit Illustrem; vel generaliter qualemcunque Senatorem, vel militem, maiestatis reus iudicetur, & sanguinis capitalem pœnam sustineat cum publicatione,* &c. Cui subscribit & scholium *ibidem: Factionis auctor, & insidians Senatori* VEL *militi, tenetur Iulia Maiestatis* &c. Et Attaliata *in synopsi, tit. 69. pag. 59. edit. cit.* ἐάν τις συνωμοσάμενος μετὰ στρατιωτῶν, ἢ ἰδιωτῶν, ἢ βαρβάρων, φονεύσῃ Ἰλλούστριον, &c.

Iam si (quod *tertium* est argumentum) verba ipsa Legis spectemus, nihil tale omnino illa præferunt, quale vulgo creditur: *Quisquis*, inquit Lex, *cum militibus vel priuatis, Barbaris etiam, scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit sacramenta vel dederit, de nece etiam virorum Illustrium &c. cogitarit*: Ecce indefinitam *Factionis* mentionem, sed quam in sequentibus demum Arcadius determinat; *de Nece etiam*, inquit, *Virorum Inlustrium*, &c. Est scilicet *factionis* nomen generale, quo societas omnis illegitima intelligitur: quod etiam sequentia ostendunt, vbi *factionis* nomine, eam quæ in alios quam Principem initur, significari, negare contrariæ sententiæ nemo potest. Et expresse mox Arcadius παραλλήλως *factionem & societatem* posuit: quæ *societatis* alioquin vox de factionibus propria est, vt apud Tacitum *lib. 6. Annal. cap. 19.* Contra, si de factione in Principem ipsum Arcadius cogitasset, num indefinito quæso *factionis* nomine contentum eum fuisse putaremus, ac non potius *factionem adpetitæ maiestatis*, vel *factionem coniurationis ac Tyrannidis* dixisset, quomodo sane loquitur Vopiscus *in Aureliano, cap. 39. circa fin.* vel quid simile. Fateor equidem, si non alia diserte factionis in necem aliorum personarum species *hac. l.* memoraretur, *factionis* nomine, eam quæ in Principes vel Rempubl. initur, in dubio intelligi posse, ceu frequentiorem: atenim cum alia species quam quæ in Principes initur, *hac l.* prolixe memoratur, eaque sæpius eodem sonoque *Factionis* nomine designetur, nulla certe recta sermonis ratio hanc interpretationem admittit, vt generali atque indefinita *factionis* appellatione, initio quidem *Legis* eam nominatim quæ in Principes initur, intelligamus, mox vero *eadem Lege* aliud *factionis* genus accipiamus. Et vero ipsimet illi, qui contra censent, satis id fatentur, non posse hoc *legis* initium de Principe ipso accipi, nisi quid addatur aut suppleatur? quomodo veteres & interlineares Glossulæ, quæ supplent, *contra Principem:* quomodo etiam fecit bonus Accursius. *Factionem*, inquit, *id est, conspirationem:* ET DIC *contra principem:* Imo dic potius, Aurelianensem hanc (vti loquuntur) Glossam esse.

Sed &, quod quartum, ratio illa, seu potius Color ille, VTPOTE MAIESTATIS *reus gladio feriatur*, aperte ostendit, agi tantum *hac l.* de Improprio seu Fictitio πλασικῷ Maiestatis seu Perduellionis crimine. Nam si de proprio Maiestatis crimine sensisset quoque Arcadius, ridicula hæc omnino verba de eo forent; idemque opinor sonarent, ac si diceret, *Maiestatis reum ideo gladio puniendum, quia Maiestatis reus sit.* Sed enim cum de crimine *hic* agatur, quod alias Maiestatis crimen non videbatur, ipse Arcadius videri vellet, pro ratione recte hæc verba addidit, *vtpote Maiestatis reus:* id est, ad exemplum Maiestatis reorum, aut, quasi Maiestatis reus esset: de quo prolixius *n. 13.*

Quinto, si tota hæc lex attente inspicitur, *Noui* vtique hoc æuo iuris eam introductoriam esse apparebit: qua scilicet Maiestatis crimen pœnæque nouæ cuidam speciei applicantur, atque ea de causa pœnarum genera prolixe designantur: Quod vtique factum non oportuisset, si de proprio Perduellionis crimine ageretur.

Sexto, quis in animum suum ita inducere posset, Arcadium, atrocissimum perduellionis in Principe crimen tam paucis adeo verbis, quæ initio Legis continentur, perstricturum fuisse, qui tam atrocibus & tam prolixe alterum & inproprium seu fictitium configit: Quique inter alia posteriore casu ῥητῶς pro ratione addit, *eadem seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura voluisse*: Quod alioquin propriæ perduellionis speciei conuenire maxime, nemo negassit.

Postremum & id addatur, alienum id a Principibus omnino videri, vti suis ipsimet Constitutionibus pœnarum genera, quid in caput suum molientibus, denuncient. Certe, nulla duobus Constitutionum Codicibus Lex dari potest, nullaque alibi, quod sciam, occurrit, qua huic crimini Principes pœnas speciatim indixerint, vtpote quæ vel ex arbitrio ipsorummet Principum pendeant, vel quas exprimi nil necesse sit; certe, nullo satis pœnæ genere parricidale, ac nefandissimum crimen istud, lui posse, omnia iura, diuina humanaque clamant.

IV. ET sunt tamen, quæ contra mouentur, tuendæ vulgatæ sententiæ: Et quatuor quidem, quantum equidem ipse repeto. *Primum* aiunt, *scelestæ factionis* appellatione *huius l. initio* per emphasim Principis personam appetitam significari. Ego vero putabam; *scelestam* dici, ad denotandam facinoris magnitudinem, & ad sceleris executionem: non etiam (quod Vir doctus putabat) ad differentiam factionis, quæ in bonam quoque partem sumitur, quod dilutum hic nimis est: non rursum, ad indicandam factionem in Principem, seu in vitam & caput eius initam. Sic sane pari execratione, *scelerata factione* Barbaris facultas deprædationis in Romanos dari dicitur *l. 1. sup. de re militari*, seu *l. 9. Cod. Iust. de re militari.* Etsi non negem (vt hoc addam) vt apud Q. Curtium *lib. 3. cap 7 scelestum consilium*, ita & apud Tertullianum *Apologetici cap. 35. scelestarum partium socios*, eos proprie dici, qui de nece Principis cogitauerant: verum haut ideo, quia *scelesti* vox ibi vsurpatur, verum quia ex ipsa totaque Tertulliani narratione apparet, eo id pertinere: nempe quia eo capite Tertullianus ea de re diserte agit, variis quoque exemplis in id allatis, & *parricidarum* nomine eis indito. Sic sane & Tacitus *Annalium 3. cap. 50.* de maiestatis crimine agens, diserte & aperte dixit, *vana a scelestis, dicta a maleficiis differre*, id innuens, multum interesse inter Maiestatis crimen, quod dicto, & quod facto scelesto vesanoque contrahitur. Quomodo idem Tertullianus priore e duobus *aduersus Nationes* libris, quos ipse extuli, *c. 17. vesania & vanitatis crimina*, in hac ipsa re eadem mente distinguebat. P. 94.

Secundo loco aiunt, Imperatorem ideo *initio huius l.* seipsum non nominasse; vel quia per excellentiam *Coniurationes*, de iis quæ in Principem factæ sunt, intelliguntur: vel ominis detestandi causa; quomodo *in l. 9. C. Iust. de bonis proscriptorum*, iidem Imperatores dixerunt, *si quis posthac filium,*

stylum, QVOD ABSIT, *proscriptionis exceperit*. Verum neutrum horum ad rem quidquam facit. Primum enim *coniurationis* vox, quam vrgent, *hac l.* nuspiam occurrit: neque si occurreret, ideo de coniuratione in Principem necessario ea *lex* audienda foret: etsi scio plerunque ita *coniurationis* vocem efferri, pro ea videl. quæ directo in Principem vel Rempubl. initur. *Coniuratio* enim est, qualibet societas seu factio, secretiore aliquo sacramento fœdereque nexa. Secundo, quod de *omnis* euitandi causa adferunt, neque recte huc aptatur, neque exemplum ex *d. l. 9.* desumptum quicquam huc facit. Scio equidem, non in *ea* tantum *l.* verum alibi sæpe, Principes δυσφημίαν euitasse, cuiusmodi exempla occurrunt quoque *l. 2. inf. de quæstionibus*, & *l. 1. de maleficis:* verum neque illa δυσφημίας euitandæ formula *in d. l. 9.* vsurpata, cum *hac l.* recte componitur, cum ea formula non rei ipsius seu criminis δυσφημία euitetur, vt in *hac l.* euitatam ab Imp. volunt, verum malum tantum omen casus aduersi: Neque etiam formulæ, ad δυσφημίαν rei ipsius euitandam alibi vsurpatæ, apposite huc traducuntur: Illis quippe exemplis, etsi rei δυσφημία euitetur, attamen & *formula* ipsa δυσφημίας expresse apponi solet: & aliis quoque verbis res ipsa aperte satis indicatur: In *hac* vero *lege* nil tale: vbi neque *formula* δυσφημίας occurrit, neque *aliunde* res eam, quam volunt, interpretationem accipere potest.

Præcipuum communis sententiæ fundamentum, in his verbis consistit: *de nece etiam virorum Illustrium. Quisquis*, inquit Arcadius, *cum militibus vel priuatis, Barbaris etiam, scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit Sacramenta vel dederit, de nece* ETIAM *virorum Illustrium &c. cogitarit.* Nempe aiunt, particula ista, seu dictione ETIAM, satis indicari, prius dicta ad Principem referenda esse. Istud vero est, quod Interpretes præcipue in errorem induxit: quasi scil. vox hæc ETIAM relatiua esset ad alias personas, & quidem ad Principes, de quibus Imp. *initio huius legis* senserit: atque adeo quasi initio dicta de Principis persona, nunc porrigantur ad alias ETIAM personas ibi nominatas. Fateor, particulam seu dictionem ETIAM esse extensiuam seu ampliatiuam: verum hoc loco non est ea extensiua vnius personæ ad alias, seu non stat ea ampliatiue respectu personarum, verum est ea hypotheseos seu speciei propositæ explicatio, determinatio, & circumstantiæ cuiusdam, quam *lex* insuper requirit, præter superiores in hac facti specie, index. Nempe Arcadius, cum de factione inita *initio Legis* egisset, ilico mox, non de omni factione agere se hisce verbis ostendere voluit, verum de tali, in qua ETIAM, id est *simul, quinetiam, insuper, præterea, nominatim, signate*, de nece personarum Principi proximarum cogitaretur. Similiter Honorius Arcadii Frater in famosa *l. 19. Cod. Iust. de testam. omnium testamentorum solemnitatem superare videtur, quod insertum mera Fide precibus inter tot nobiles probatasque personas* ETIAM *conscientiam Principis tenet.*

Neque firmius est quartum argumentum, quod ex sequenti αἰτιολογίᾳ desumunt: *nam* ET *ipsi pars corporis nostri sunt*, ibi: *De nece etiam Virorum Illustrium qui consiliis & consistorio nostro intersunt, Senatorum etiam (nam* ET *ipsi pars corporis nostri sunt) &c. cogitauerit.* Quam copulam seu particulam ET eo pertinere censent, quasi ea indicetur, in superioribus Imperatorem de se ipso corporeque suo egisse vel sensisse. Nam & hoc, si quod aliud, inane est: neque enim hæc verba eo pertinent, quasi Imperator *initio Legis* de se ipso senserit, verum eo, vt ostendat, cur Senatorum *quoque* necem, non Illustrium modo Consistorianorum, per factionem cogitatam, Maiestatis crimini deputet: nempe, quia ET *ipsi pars corporis sui sint*, pariter scilicet, vt Illustres Consistoriani pars corporis sui sunt. Ergo dictio ET: *nam & ipsi*, respicit Illustres Consistorianos immediate antea nominatos, & ordinem (vt loquuntur) inducit inter Consistorianos & Senatores: Quasi diceret Arcadius: Etsi Senatores illustribus ἐμπράκτοις Consistorianis, dignitate actuque & propinquitate Principis, inferiores sint, Illustresque adeo illi proprie magis loquendo, & vere magis pars corporis Principis sint, nihilominus tamen ET ipsos quoque Senatores pariter sui corporis partem censendos. De quo plenius postea. Nempe dictio ET, hoc loco implicat casum magis dubitabilem, superiore proxime & immediate antea nominato.

V. CVm igitur *hac l.* de proprio Perduellionis crimine nulla eius parte agi comprobauerimus, verum de Noua tantum specie quadam, quam Arcadio Maiestatis & quasi *Perduellionis* criminibus accensere atrocissimisque pœnis persequi libuerit. Videndum nunc est, quodnam sit illud Maiestatis genus, seu ad quamnam Maiestatis speciem referendum sit.

Id vt commodissime fiat, Maiestatis prius species hic distincte proponere iuuat, nam de ipso *Maiestatis* nomine monere superfluum puto, cum iam notissimum sit, Maiestatem verti vel in Imperio vel in dignitate Imperii: id est, in securitate & Amplitudine Imperii: vel in veneratione: quomodo & Cicero *pro Rabirio cap. 7.* & *lib. 2. de Oratore cap. 39.* & *de Partit. Orator. cap. 30.* dixit, *Maiestatem in Imperio, & dignitate pop. Romani consistere.* Et Iulius Seuerianus in præceptis artis Rhetoricæ *cap. de fine, pag. 308. inter antiquos Rhetores Latinos ex Bibl. Franc. Pithæi, Paris. 1599. in 4. Maiestatem imminuere est, de dignitate aut potestate populi Romani aliquid derogare*, vt Maiestatis proinde crimen committat, qui aduersus horum quid molitur.

Tres igitur Maiestatis criminis species constitui oportet. *Primum* & atrocissimum est perduellionis, quod Vlpianus ita describebat; *cum quis hostili animo aduersus Rempublicam vel Principem animatus est, l. vltim. D. ad L. Iul. Maiestatis:* vnde etiam Glossæ Græcæ suam Perduellionis descriptionem habent. Idem Vlpianus *lib. 7.* de Officio Proconsulis *l. 1. §. 1. D. ad L. Iul. Maiest.* ita describebat, *quod aduersus populum Romanum vel aduersus securitatem eius committitur. Aduersus Populum Romanum:* nam ita adhuc hoc tempore, quanquam sub statu Monarchico, loqui mos erat. Populi scil. Romani nomen, velut vmbra quædam pristinæ Reipublicæ & simulacrum, hoc æuo alicubi retinebatur, cum alias potestas Populi Romani EI, ET IN EVM translata fuisset. id est, (nam hic verborum istorum sensus est) penitus & abdicatiue: Hinc & *populi iura* quædam fuere, vnde titulus Legesque *de iure Fisci & populi, l. 1. D. de bonis damnatorum:* & apud Lampridium, *in Alex. Seuero cap. 16. Leges de iure populi & fisci moderatas & infinitas sanxit.* P. 95.
& Paulum *lib. V. Sentent. tit. 12.* Sed & *Legatus Pop. Romani*, apud Spartianum *Seuero cap. 2.* & alios adhuc audiebat. Ergo quisquis hostili seu perduelli animo in Rempubl. vel Principem animatus est, perduellionis crimen contrahit. Et recte, cum neque aliunde perduellis nomen, quam ab *perduellibus*, id est, hostibus dicatur, quod notissimum. Id vero fit, vt innumera eius exempla *Principio* aliquo catholico, seu vinculo constringam; cum quis statum publicum euertere, Pacem, Quietem, securitatem publicam, siue in totum, siue pro parte turbare, publicæ pacis & securitatis domi pignora, vires, subsidia tollere, labefactare, externorum vires in Rempubl. proritare, reue aliqua adiutare nititur. Quo sane pertinent ferme vetera Perduellionis iudicia: de qua specie fuit primum caput

Legis

Legis Iul. Maiestatis, vt docet *lex 2. D. ad L. Iul. Maiest.* quo denique pertinent exempla ferme quæ continentur *l. 1. 2. 3. 4. D. eod. tit.* Ex quibus apparet, errorem esse Viri docti (qui sectatores deinceps consequutus est) qui perduellionis crimen tum demum contrahi putabat, cum vniuersa Respublica offenditur, non cum pars eius tantum, quod ideo *speciale Maiestatis* crimen vocant. Imo vero, perduellionis crimen ab hostili tantum in Rempubl. animo æstimandum venit: Etsi non omnium perduellionis specierum eædem pœnæ fuerint. Translata quoque in Principes penitus Republica, atque vbi vnum hodie Reipubl. caput est, perduellionis crimen Principum quoque respectu contrahitur, puta cum quis hostili animo in eos animatus, *d. l. vlt. D. ad leg. Iul. Maiest.* vel sacra eorum capita parricidali furore & vesania appetere, vel imperium his detractum ire Tyrannide affectata sustinet: Quod genus, non *parricidas* tantum, verum & Ἀντάρτας Græci dixere, quique ab his mutuati sunt sequioris æui scriptores. De quo perduellionis crimine sensit quoque Arcadius Charisius *l. 10. §. 1. D. de quæstionib. In maiestatis crimine*, inquit, *quod ad* PERSONAS *Principum attinet.*

Secundum Maiestatis crimen voco, *læsæ Venerationis*: quotiens videlicet, non hostili quidem in Rempubl. aut Imperium ipsum animo, salus aut securitas eius appetitur, verum debita tantum Principibus veneratio facto dictoue aliquo atroci violatur, puta maledictis in eos iactatis, vel statuis eorum violatis, *l. 6. 7. D. ad L. Iul. Maiestat. & tit. Cod. Iust. Si quis Imperatori maledixerit:* videndæ & ἀνδριάντες Chrysostomi, siue *de statuis ad populum Antiochenum Homiliæ XXI. Tom. II. Oper. Edit. Benedictin.* Quomodo & apud Quintilianum *lex* illa *lib. 5. c. 10. Iniuriam fecisti, sed quia magistratui, Maiestatis actio est.*

Tertium Maiestatis crimen constituo, *Auctoritatis*, seu *Potestatis publicæ turbatæ:* quotiens quis videlicet non hostili rursum animo in Rempubl. aut Principem, verum audaci tantum facto aliquo vel Magistratui pro potestate sua quid agenti obstrigillat, eiusque Iurisdictionem interturbat, quod C. Cornelio olim obiectum; vel Maiestatis stricturam aliquam sibi indebite vsurpat: quod in monetæ reis cernitur *l. 8. infr. de falsa moneta*, & in priuati carceris vsurpatione, *l. vn. supr. de priuati carceris custodia*, id genus alijs, quæ cumulaui, *Paratitlo, ad L. Iul. Maiestatis:* Quæ etiam quarto Maiestatis crimini fictitio πλαστικῷ connumerari possunt; de quo mox.

Vt ad primum perduellionis crimen redeamus, inter alia eo crimine tenebatur *L. Iulia* is, cuius opera dolo malo consilium initum esset, quo armati homines cum telis lapidibusue in vrbe essent, conueniretur aduersus Rempubl. locaue vel Templa (veluti Ianiculum, forum) occuparentur: quoue cœtus conuentusue fieret, hominesue ad seditionem conuocarentur. Quo pertinet illud Ciceronis *de Partitione oratoria cap. 30. Maiestatem minuit is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocauit.* 2. Item is qui collegium illicitum vsurpasset, *l. 2. D. de collegiis*, collata cum *l. 1. D. ad L. Iul. Maiest.* 3. Item is cuius opera, consilio, dolo malo consilium initum esset, quo quis Magistratus populi Romani, quiue Imperium potestatemue habebat, occideretur, vti scriptum reliquit Vlpianus lib. 7. *de Officio Proconsulis d. l. 1. §. 1. D. ad L. Iul. Maiest.*

Quod postremum quidem ita constitutum, siue quod res ea ad securitatem publicam pertinere videretur, præsertim in prouinciis, quæ eorum Imperio coërcebantur: siue quia Maiestatis pop. Rom. stricturam aliquam gererent, seu Maiestatem populi Romani repræsentarent. Hæc inquam circa Magistratus populi Romani iam olim, qui consilio inito, seu per factionem occisi fuissent, constituta fuerunt. At enim nondum eo processum fuerat, vt Principes Maiestatis suæ summæque fulgorem priuatis quibusdam personis tribuerent, & sic vt summo Maiestatis crimine illigarentur, qui quid per factionem in necem personarum quamlibet Principi in administratione Reipublicæ, dignitateque proximarum, proximasque Imperii ceruices, quid molti fuissent. Atque adeo delictum istud nondum tale erat, quod aut *ex scriptura L. Iuliæ Maiestatis* descenderet, vel *ad exemplum Legis* vindicaretur; vt loquitur alioquin Modestinus *l. 7. §. 3. in fin. D. ad L. Iul. Maiestatis.* Verum Imp. Arcadio visum Maiestatis suæ fulgore eas quoque personas, quæ sibi in Republ. administranda dignitateue proximæ essent, illustrare: de quo dicam plenius postea. Quomodo & mulieres maritorum fulgore radiisque illustrari dicuntur. Et sic quartam hanc nouamque Maiestatis precariæ speciem, Fictitiam videlicet πλαστικήν, & Exemplarem, denique quasi perduellionis constituere licet.

VI. QVARTA igitur Fictitiaque, πλαστική, Læsæ Maiest. Precariæ videlicet, & *quasi Perduellionis* species est: cuius exemplum ex *hac l.* haud absurde constitui potest, cum videlicet Factio ἐπιβουλὴ in necem personarum Principi in Republ. administranda dignitateue proximarum, quibus Princeps Maiestatis suæ ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρα (huc transtulisse liceat) tribuit, initur. Cæterum tria in hoc crimine requiruntur, vt grauissimis pœna *hac l.* comprehensis locus esse possit. Factio, inquam, non nuda nex, quomodo alioquin vulgo eam accipiunt: Rursum, non factio quælibet, verum in necem inita. Tertio, neque in necem quorumlibet, verum earum personarum ῥητῶς, quæ *hac lege* designantur. Vt proinde forma huius criminis in tribus consistat: in *modo*, per factionem: in *fine*, puta in necem; in *obiecto*, puta personis Principi in administranda Republ. dignitateue proximis. Non igitur aliud factionis seu societatis genus *ad hanc l.* pertinet, non nex quælibet, non aliæ personæ: veluti, si facto ob alias causas inita fuerit, exempli gratia ad liberandum reum, de quo factionis genere mox; vel si nex personis *hac l.* comprehensis aliter quam per factionem, ab vno forte aliquo oblata fuerit. Id quod recte animaduertit Andreas de Isernia *tit. quæ sint regalia, cap. 1* Bossius *de crimine læsæ Maiestatis, num. 8. vers. est verum.* Decianus *tractatu crimin. lib. 7. c. 5. n. 6.* Capycius *decis. 130. n. 13.* Farinacius *de crimine læsæ Maiestat. quæst. 112. inspect. 1. n. 69.* Ac multo magis, si nex per factionem aliis personis intentata fuerit. Denique tria hæc in considerationem hic Arcadio venerunt, atque adeo Interpretibus venire debent, Factionum, & quidem frequentissimarum tum, odium. Nex per factiones oblata, & Personarum illarum quas dixi respectus. De singulis his videndum est: Ac primo de *Factionibus* ipsis. P. 96.

Factio, est societas occulta, seu arcana, in exitium aliquod conflata, occasionem erumpendi in tempore exspectans: vel vt breuius Nonius Marcellinus *c. 4. num. 191. Factio dicitur malorum consensus & conspiratio.* Quod vel ex *hac l.* satis conficitur. *Societatem* dixi, ideo *hac l.* factio & societas παραλλήλως coniunguntur: quomodo & Suetonius in *Augusto c. 32.* dixit, *plurimæ factiones titulo collegii noui ad nullius non facinoris societatem coibant:* ideo rursum *factionis Sacramentum* hac eadem l. dicitur. Dixi rursum, *occultam* seu *arcanam societatem:* hinc adeo fine Legis *arcana consilia* factioni tribuuntur. His de caussis *Factionis* nomen de Latronum societate vsurpatur, *l. 11. §. 2. D. de pœnis:* & apud Apuleium non semel *lib. 2. 7. 9.* & factio cruenta, seditioni præruptæ coniungitur, *l. 6. §. 9. in fi. D. de iniusto, rupto, irrito:* & duces factionum & seditionum concitatores iunguntur, *l. 16. D. de appellat.*

lat. Item factio Palmyrena, *l. 4. C. Iust. de ingenuis manumissis.* Paulo latius Festus *voc. factio. Factionis nomine seditionem & arma vocari*, ait: Laxius, inquam; *seditio* enim proprie est, cum ea iam erupit, cum iam sæuit: quæ & citra factionem præcedaneam, subito scil. & violento motu velut incendium repente conflagrat, statimque ad arma & manus tenditur: factio vero, ex certa animi destinatione certo & præmeditato arcanoque consilio concinnatur: vnde factio non tantum *iniri*, verum & *præparari*, *concinnari* dicitur: sed & *cogitationis* verbum hac in re proprium, *hac l.* vt & alias in Maiestatis crimine *cogitatio* apud Curtium *lib. 6. cap. vlt.* Suetonium *Cæsare cap. 9.* & Tertullianum *Apolog. c. 35. in fi.* Sane vt factiones istæ ad alia patranda, ita in Maiestatis crimine ferme initæ. Hinc illud Pauli V. *sent. tit. 29. §. 2. In reum Maiestatis inquiri prius conuenit, quibus opibus*, QVA FACTIONE, *quibus hoc authoribus fecerit:* Nempe atrocissima atque immanissima crimina & facinora raro suscipiuntur, nisi ab iis, qui per factiones patrato scelere euasuros sese ante cogitarunt: siue dum multitudine sese tutos fore putant, vt ferme *Quicquid multis peccatur, inultum est:* Et multos *Defendit numerus iunctæque vmbone phalanges:* siue quia auctor hac ratione in incerto esse solet. Hinc adeo *factionum* nomen aliquando de conspirationibus & coniurationibus in Principem, apud Capitolinum *Commodo cap. 15.* & *Pertinace cap. 10.* Vopiscum, *Aureliano cap. 39.* Am. Marcellinum *lib. 23. cap. 5.* Viceuersa, Factio omnis conspiratio inter quoscunque. Hinc & scelerata factio cum Barbaris ad deprædandi facultatem inita dicitur *d. l. 1. sup. de re militari:* Sed & *Factionis* olim nomen de disciplina Christiana a Gentilibus vsurpatum, teste Minutio Felice *in Octauio cap. 8.* & Tertulliano *Apologetico cap. 38.* vt etiam coniuratio superstitiosa de hæresi dicitur *l. 53. inf. de hæreticis.* Denique in sp. huius l. *factio* prædicatur de ea, quæ inibatur in necem proximorum Principi: Pariter vt seditione nonnullos hoc ipso tempore periisse innuit Claudianus *lib. 2. in Eutropium, Prologo v. 15. seqq.*

Dissimulant socii, Coniuratique recedunt.
Procumbit pariter cum Duce tota cohors.
Non acie victi, non SEDITIONE *coacti,*
Ne pereant, ritu, quo periere viri.

In Legibus Longobardicis *lib. 1. t. 18. §. 2.* hæc adunatio seu factio *Zana* dicitur, vel vt alii Codices, *Zaua.* (a) Cum igitur Factionibus his & seditionibus, a quibus summum in Republ. periculum est, tum aliis rationibus, tum & legibus in tempore occurrendum, Politicorum schola sanciat, *lib. 5. polit. c. 8. καὶ διὰ τῶν νόμων πειρᾶσθαι δεῖ φυλάττειν*, hoc exemplo Arcadius Imp. varias subinde factionum & seditionum vias, quas in perniciem publicam tendere putaret, intercludere Legibus suis fategit: Hinc adeo cohibitæ ab eo factiones, quæ religionis specie moueri poterant, *l. 30. 31. 32. 33.* (quæ hoc ipso anno CCCXCVII. data est) & *l. 34. 36. inf. de hæreticis, l. 5. 6. de his qui super relig.* (quæ tamen leges Ioannitas, seu Iohannis Chrysostomi sectatores respiciunt) & *l. 16. inf. de Paganis*, quæ & ipsa ad eundem Eutychianum PP. biennio post *hanc l.* data est. II. Cohibitæ item ab Arcadio factiones eæ, quæ leuandorum tenuiorum specie, conflagrabant, abolitis videlicet vicorum patrociniis, seu προςασίαις (in quas est quoque Libanii *oratio περὶ προςασιῶν* quam extuli) *l. 3. 4. 5. inf. de patrociniis vicorum*, quæ duæ postremæ Leges rursum datæ sunt ad eundem Eutychianum PP. biennio ferme post *hanc l.* III. Item vetitæ ab Arcadio factiones eæ, quæ humanitatis cuiusdam obtentu, per Clericos & monachos tum inibantur, belli videl. cuiusdam specie, reos imminentibus suppliciis eripere volentes, *l. 16. inf. de pœnis l. 57. de appellat.* (quæ & ipsæ rursum Leges datæ sunt ad eundem Eutychianum PP. anno proximo CCCXCVIII.) vt non pauci tum Ecclesiastici factionum & tumultuum flabella fuere, ὑπερβαλλούσῃ (quod fatendum) in Principes & Magistratus παῤῥησίᾳ, καὶ πέρα τοῦ προσήκοντος: quod vtrumque de Iohanne Chrysostomo scribit Socrates *lib. 9. cap. 5.* Vide & Theodoretum *lib. 5. cap. 28. 32.*

Ergo & *hac l.* factioni cuidam occurrit Arcadius, tendenti videl. in necem ἐπὶ ἀναιρέσεως, inquiunt Scholia *Basilicorum*, vt Basilica ipsa φόνον reipsa supponunt, personarum sibi in Republ. administranda, dignitateue proximarum, idque proposito Maiestatis metu: qui & alioquin alias de Maiestatis crimine Leges tulit: veluti, duobus post hanc *l.* mensibus *l. 3. sup. ne præter crimen Maiestatis.*

Ex illis interim tot Arcadii *Legibus*, quibus seditionibus, tumultibus & factionibus occursum iuit, ad Eutychianum PP. datis, colligi obiter satis possit, *Eutychianum* hunc paci & concordiæ publicæ sanciendæ cumprimis hoc tempore inuigilasse; atque adeo eas Leges (quod de hac nostra iam probauimus) proculdubio ad suggestionem & Relationem eius plerasque sancitas.

Et hactenus de primo & secundo requisito in specie *huius leg.* vt pœnis ea comprehensis locus esse possit, puta de Nece intentata, & quidem per factionem. Priusquam de tertia ago, puta de personis, quibus per factionem tum nex intentabatur, de factionum istarum circumstantiis, modoque videndum est: quæ & ipsæ nos ad verum *huius leg.* intellectum, & Historicarum causarum cognitionem, & paulatim & per gradus quosdam subuehent.

VII. PErsonas factionum istarum partem constituentes, Arcadius Imp. hac constitutione duorum generum facit, puta Principales & Administras. *Quisquis*, inquit, *cum militibus vel priuatis, Barbaris etiam, scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius sacramenta susceperit, vel dederit.* Et sub finem Legis: *Id quod de prædictis, eorum filiis, cauimus, etiam de Satellitibus, Consciis, ac Ministris, filiisque eorum simili seueritate censemus.* Prior scil. ex his duabus sententiis est de Personis factionum Principalibus, posterior vero de Administris. Nempe in Factionibus ita ferme euenit, vt alii P. 97. Principes Ducesque sese Factionibus præbeant, siue quia audacia maxime prompti, siue quia potiores & potentiores: Alii vero, sese satellites tantum, vel conscios, vel etiam ministros præbeant: denique factionum Administri. De prioribus prius: Prima scilicet sententia est de Ducibus seu Principibus factionum: ita quidem vt duo rursum eorum genera inibi constituantur. Prius est, eorum qui ipsi scelestam factionem ineunt: id est, Auctores factionis, iidemque Duces: qui plebem ipsi commouent: Alii vero non Auctores, verum qui initæ iam factioni Duces accedunt: Initium, inquam, *huius l.* accipi oportet de Auctore eodemque Duce Factionis στασιάρχῃ. *Quisquis*, inquit, *cum militibus scelestam* INIERIT *factionem. Inire* nempe proprie hic factionem cum aliquibus dicuntur, instinctores, turbones, qui factionem suscitant, aliosque ad factionem impellunt, flabella vera factionum, ὀχλοκόποι, φιλοθόρυβοι, κινητοί: verique Æoli, qui (vt ille ait) nocturnis forte vel clandestinis colloquiis flexoue in vesperam die, dilapsis melioribus, deterrimum quemque congregantes inserunt querelas & graues de potentioribus sermones, quæque alia turbamen-

(a) Vide hic CL. DV FRESNE *in Glossar. med. & infim. Latin.*

bamenta vulgi; sicque alios impellunt: Denique penes quos causa atque origo omnis furoris est, reliquis contagione tantum ferme insanientibus. Alii vero initæ iam factioni inter aliquos, Duces sese præbent: Quomodo ferme noua cupientibus Dux & auctor quæritur, quod Tacitus XVI. *annal. cap. 22.* dicebat. De his vero accipienda sunt hæc *huius leg.* verba, *aut factionis ipsius sacramenta susceperit, vel dederit,* (vbi obiter *vel*, pro *&*, vulgato huius æui significatu, accipiendum est:) Nempe his verbis describit Arcadius eum qui factioni iam initæ Dux adsciscitur, vbi sane Ducem huiusmodi sacramentum, vt ab aliis suscipere, ita & vicissim ipsum dare, & sic vltro citroque sese in scelus obstringere sacramento oportet: Quare error est viri docti, qui hæc verba, *aut factionis ipsius susceperit sacramenta, vel dederit*, interpretationem putabat proxime positorum verborum, *quisquis scelestam inierit factionem*, quasi id indicetur, tam esse in culpa & tam dici factionem scelestam inisse, qui alio authore coniurauit, quam qui author coniurationis fuit: Imo vero *diuersæ* Ducum species his duabus sententiis indicantur: Ducum inquam (quos *leges Longobard. lib. 1. tit. 18. in capite positos*, vocant) nam hoc initium eo pertinet, non ad alios factionis participes: de quibus demum erit altera illa sententia sub *finem Legis*.

Ergo in Duces Auctoresque factionum seueritatem primo *hac l.* intendit Arcadius, vt cæteroquin iri primum adsolet in nefarios factionum & seditionum authores, Ducesque, *l. 16. D. de appellationibus.* Imo & sæpe in eos solos, quorum ideo supplicio crimen expiatur: quam in rem vide vel Ammianum *lib. 21. cap. 12.* & plenus Liuius, aliique, id genus exemplorum. Nam quia nihil ausura ferme plebs creditur: principibus amotis, ideo prima semper Imperantibus cura est, vti factionum principibus occurrant, nouaque cupientibus Dux & auctor auferatur: quod certe facit *hac l.* Arcadius. De *Sacramentis* alioquin in factionibus & coniurationibus vnde συνωμόται dicti, res nota, nempe peculiari quadam & quidem iurisiurandi religione adhibita coniurationes & factiones iniri solitas, de quo affatim Interpretes Sallustii & Tertulliani. Et hæc de Ducibus Factionum, de quibus *initio Legis*.

Sequuntur Factionum *Administri*: de quibus fine Legis: Quorum etiam tria genera ponuntur, *Satellites, Conscii, Ministri*. Qui quomodo inter se distinguendi sint, videndum est: ac primo de Satellitibus.

Vt *Satellites* factionum, in Personarum quæ proximæ principi sunt, initarum capita, *hac l.* memorantur, ita & satellites coniurationum in Principes ipsos concinnatarum per hos ipsos annos varii memorantur: Et quidem sex Honorii constitutionibus, puta Gildonis satellites, *l. 19. de bonis proscriptorum: l. 19. de pœnis, l. 7. sup. de metatis*, (meminit & Augustinus *lib. 3. contra Cresconium Grammat. cap. 21.* vbi de Optato: *Quæ tamen*, inquit, *ita commisit, vt inter Gildonis satellites præcipuus teneretur, haberetur, moreretur.*) Stiliconis item satellites, *l. 20. 22. inf. de bonis proscript.* Heracliani, *l. 21. de pœnis.* Quibus ferme locis omnibus, pariter vt *hac l.* satellites pari seueritate, cum coniuratorum Ducibus & auctoribus habentur: Item, vt satellites dictis Legibus ferme Tyrannis ipsis iunguntur, ita primo loco hic post Duces pariter ponuntur ante conscios & ministros: Erant scil. *Satellites* hi, post Ducem factiones primores, qui sub se alios habuere, patrando sceleri ministros, de quibus postea. Sic sane & apud Curtium *lib. 6 cap. 8.* *Huic*, inquit, *decem satellites traduntur: quorum singulos deni armigeri sequebantur: ii ad alios coniuratos comprehendendos distributi sunt.* Sane & alias Satellites & post hos ministri secundum Ducem semper censentur. Lactantius *lib. 1. de falsa religion. cap. 3.* *Assertores Deorum, ita eos præesse singulis rebus ac partibus dicunt, vt tantum vnus sit Rector eximius. Iam ergo cæteri Dii non erunt, sed* SATELLITES *ac* MINISTRI, *quos ille vnus maximus & potens omnium his officiis præfecit, vt ipsi eius Imperio ac nutibus seruiant.* Idem *lib. 2. de origin. erroris cap. 14.* *Sic eos Diabolus ex Angelis Dei suos fecit Satellites ac ministros.*

Satellitum vero huius generis, de quibus hæc *lex* proprie est; non alia aut antiquior mentio in Rebus Romanis occurrit, quam ab hisce ferme temporibus. Erant hi Barbari, de valentioribus & proceribus, ἐυμήκεις (quorum plenus hac tempestate orbis erat, de quo *capite proximo*) de quibus est hic quoque Sulpitii Alexandri locus apud Gregor. Turon. *lib. 2. hist. Franc. c. 9.* vbi de Arbogastis coniuratione: *Militaris rei cura Francis Satellitibus tradita, ciuilia quoque officia transgressa in coniurationem Arbogastis.* De iisdem omnino accipio, quod Synesius scribit *de regno. pag. 18. 23. 24. edit. Petau.* Sic quoque Claudianus, *lib. 2. aduers. Rufinum*, milites, cum Rufinum interficerent, loquentes inducit. *v. 387.*

- - - patiarne audire Satelles,

Qui Leges aliis libertatemque reduxi?

Clientum voce non semel eos idem designat *lib. 2. in Rufinum. v. 76.*

Stipatus sociis, circumque armata Clientum

Agmina, priuatis ibant famulantia signis.

Et rursum *v. 296.*

Et coniuratos hortatur voce clientes.

Sed & Rutilius Claudius Numatianus, *Itinerario suo* (quod is XX. post *hanc l.* annis scripsit) de satellitibus Stiliconis sic canit *lib. 2. v. 49.*

Ipsa Satellitibus pellitis Roma parebat,

Et captiua prius, quam caperetur, erat.

Et hæc de Satellitibus, quibus *hac l.* eadem pœna quæ Ducibus Factionum iniungitur. Et tamen, vt Enantiophano cuidam occurram, Lege *19. inf. de pœnis*, Satellites Gildonis custodiæ tantum mancipari, proscriptioneque damnari iubentur. Cuius rei causa hæc est, quod iam decennium eo *legis* tempore, a Gildonis morte, elapsum fuerat, cuius satellites quidam tamdiu quæsiti nunc primum eruti, haud alia pœna post tantum temporis puniendi visi sunt. Vt proinde minus placeant viri cæteroquin docti aliter hæc conciliare conantis suffugia, P. 98.
inanesque coniecturæ de hoc facto.

Conscii factionum *hac lege* post satellites, ante ministros, & sic medii inter vtrosque quinam sint? accurate videndum est. Sunt igitur, qui etsi neque Duces factionum, neque satellites, neque Ministri sint, socii tamen, participes τῆς ἐπιβουλῆς μετασχόντες, fautores sunt: etsi nullum ministerium manu factoue præbentes, factionis tamen exitum speculantes: & factionem vel opibus sustentantes, vel iuuantes consiliis, adiuuæ: participes sceleris meditati, συμπράξοντες, qui cum coniuratis faciunt, vt loquitur Cicero pro *Sulla cap. 13.* vid. locum Zosimi *lib. 4. cap. 8.* Quo ipso sensu, præter *l. 7. D. de leg. Pompeia de parricid. l. 7. Cod Iust. de paganis: l. 1. §. 27. D. de quæstionibus*, Suetonium *Nerone, cap. 43.* Curt. *lib. 8. cap. 6.* apud Tertullianum *Apologet. c. 2.* Conscii accipiuntur: *In reos Maiestatis & publicos hostes omnis homo miles est: ad socios ad conscios vsque, inquisitio extenditur:* pro quo, ad Nationes *lib. 1. cap. 2.* habetur, *consocios*: *Quid quod eradicandi generis diffundenda erat inquisitio, porrigenda quæstio in socios, consociosque.* Quæ *consociorum* alioquin vox vsurpatur quoque *l. 3. Cod. Iust. de conuen. fisci debitor.* Ita & Iulius Firmicus *lib. 7. Mathes. c. 7.* *faciet fures aut latronum conscios & receptatores.* Nempe hoc factionis ingenium est, vt non omnes factionem exequantur, imo pauci periculum sæpe sumant, plures vero factioni fauentes adiuuæ, exitum speculentur: Qui *conscii* alioquin

vt hic, ita & in aliis Criminibus generali *sociorum* appellatione veniunt: de quibus V. *Legem 6. §. 1. D. de custod. & exhib. reorum* Apuleium, *lib. 3. Metamorph. pag. 43. edit. Lugd. Bat. Ioan. Maire.* Paulum V. *sent. 4. §. 14.* Non est igitur hic locus, seu hæc *Consciorum* vox *hac l.* quæ est de quasi perduellionis crimine, accipienda de his qui nudam seu simplicem factionis notitiam seu scientiam ex fama vel relatione habent, citra participatæ factionis crimen (de quo aliæ sunt leges.) In proprio equidem perduellionis crimine, capitali & hunc conscium pœna puniri frequentior schola recte sciscit: de quo non est hic dicendi locus: vbi certe periculosa est sententia eorum, qui censent, conscium tunc puniendum cum probare potuerit quod sciebat, quia non debet hic detegendo, se in periculum sponte coniicere. Atenim in hoc *fictitio* Maiestatis crimine, non puto *nudam scientiam* habentes ex fama forte vel relatione aliterue, nullaque re coniurationem vel factionem adiuuantes, Arcadium adeo puniri voluisse, vt in vitam eorum iretur, cæteræque pœnæ *hac l.* comprehensæ in eos exercerentur. Nam vt dixi, *Consciorum* vox hic, medio loco posita inter *Satellites*, & *Ministros*, Adiuuas omnino denotat: quam verbi significationem *aliis* Authorum *locis* confirmat Alber. Gentilis *disp. 3. de crimine læsæ Maiest.* Quare probabilior hac in re Baldi quam Bartoli & Saliceti, Alciati, aliorumque, & post hoc Alberici Gentilis *disp. 4.* opinio est, statuentis, eum, qui simpliciter *scit* hoc saltem coniurationis genus in proxima videl. Principi capita, non eadem pœna cum Adiutore, vel Authore, Duceue teneri.

Ministri tandem factionum *hac l.* sunt, qui factioni accedunt, eam executuri, occasione captata: ministri & executores sceleris: quomodo & *seditionis ministri*, itemque *rerum atrocium ministri* dicuntur apud Tacitum, *Annalibus lib. 13. c. 43.*

Ergo & hos, conscios inquam & ministros, ex æquo pœnis *hac l.* comprehensis subiici voluit Arcadius, pariter vt Duces eorumque Satellites. Qua parte tamen non omnibus Principibus vel Legumlatoribus eadem mens semper fuit, certe fuit quamplurimis. Alioquin, cæteros, quos reos sceleris societas non facit, μηδὲν συμπράξοντας, veluti propinquos tantum, notos, familiares idem Arcadius a calumnia submouit, in alia specie, duabus constitutionibus suis, quarum prior emissa est ad Cæsarium PP. Eutychiani, cui hæc *lex* inscribitur, decessorem, *l. 15. inf.* seu *l. 9. Cod. Iust. de bonis proscript.* posterior vero ad eundem Eutychianum biennio post hanc l. *l. 18. infr.* seu *leg. 22. Cod. Iust. de pœnis.* Quæ proinde huic optime conuenit: Etiam ea *huiusce l.* parte, qua alioquin pœna in filios filiasque propagatur: *Propinquorum* enim appellatione in specie *illius Legis* filios neutiquam exaudiendos, ad *eam l.* prolixius ostendam, inter alia, argumento causæ Historicæ illius Legis, *quam ibi ad hanc diem incognitam efferemus.*

VIII. TRIA hominum genera memorat *hac l.* Arcadius, VNDE factiosi coniuratique prodibant, seu cum-quibus, & *inter quos* Factiones hæ inibantur: Puta milites & priuati, & vtrique non Romani tantum sed & Barbari: *Quisquis*, inquit, CVM *militibus vel priuatis, Barbaris etiam, scelestam inierit factionem.* Quæ tria hominum genera similiter iunguntur in *ep. Iuliani ad S. P. Q. Ath. p. 285. edit. Lips. Spanhem, in illa Augusti renunciatione Lutetiæ Parisiorum,* ἄνδρες στρατιῶται, καὶ ξένοι, καὶ πολῖται, μὴ πρόδοτε τὸν αὐτοκράτορα. *Adeste milites peregrini ac ciues. Imperatorem nolite prodere.* De singulis ordine videndum est.

Ergo militibus *priuati* hic opponuntur, non quomodo priuati alias Principibus, quorum sane respectu omnes, quantauis dignitate præditi, *priuati* dicuntur, vt *l. 1. inf. de exp. ludorum: l. 3. de metatis: l. 5. de operib. publicis, l. 54. de cursu publ.* Item, non quomodo priuati, positis in dignitate opponuntur: vt *l. 44. sup. de cursu publico*: quo sensu etiam nunc accipio Libanium *fine orationis* κατὰ τῶν εἰσιόντων *§. 16. pag. 435. edit. Trotz.* Verum priuati *h. l.* sunt non milites, qui alias *pagani* dicuntur ἰδιῶται vel etiam πολῖται. Quomodo prouinciales & milites opponuntur multis locis etiam apud Marcellinum, *26. cap. 6.* Hoc scil. sensu *priuati* hoc æuo quoque passim accipiebantur, pro non militantibus: Vnde frequens eorum oppositio, non *hac* tantum *l.* verum & *l. 2. sup. h. t. l. 2. inf. de falsa moneta: l. 21. de pœnis: l. vn. sup. de officio Iudicum militar. l. 5. de testamentis: l. 3. inf. de immun. concessa. l. 2. supra de terris limitaneis.* Eodemque sensu Lampridius *Alexandro Seuero. cap. 58. Sola quæ de hostibus capta sunt, limitaneis Ducibus & militibus donauit, ita vt eorum ita essent, si hæredes illorum militarent, nec vnquam ad* PRIVATOS *pertinerent.* Sic & in Agnetis passione, *coronatur ciuitas tota, fit lætitia militantibus atque priuatis, & vniuersis audientibus*, &c. v. & Artemidorum ὀνειροκριτ. *lib. 2.* sic & apud Græcos ἰδιώτης & στρατιώτης passim opponuntur, veluti apud Iulianum *Orat. ad S. P. Q. Ath. pag. 283. edit. Spanhem. Lips.* Synesium *ep. 143.* Chrysostomum non vno loco, inter alia, *homil. 61. in Matth. num. 2. pag. 612. Tom. VII. Oper. edit. Benedictin.* Item σχῆμα στρατιωτικὸν & ἰδιωτικὸν: Ergo priuati & milites opponuntur, quomodo alias *pars armata & ciuilis*, & in iure, & apud Sidonium & Vegetium. Scilicet in hæc duo hominum genera ciuitates tum diuidi solebant, in milites, & non milites: τὸ σῶμα τῆς ἡγεμονίας διχῇ διαιρεθέντι κατὰ τὸν ὡπλισμένον καὶ ἄοπλον, ait diserte Synesius *de regno, pag. 26. edit. Petau.* Milites nempe hac tempestate variis locis per omnes ferme ciuitates sparsi erant: κατὰ τὰς πόλεις τὸ ὁπλιτικὸν ἐνίδρυτο. Quod ex Notitia Imperii omnium luculentissime discere est. Siquidem, vt in maximis quoque vrbibus orbis Romani milites forent quod patet ex loco Socratis *lib. 6. cap. 6.* veluti Antiochiæ in Syria sagittarii, & quidem Scythæ Barbari, quod docet Libanius *orat. 12. ad Theod. Magn. pag. 394. 397. edit. Morell. & orat. 13. ad eundem Theodosium, pag. 415. edit. cit.* Seleuciæ, *d. orat. 13. pag. 410.* Imo & in vrbe Constantinopolitana milites fuere, teste Zo- P. 99.
simo, *lib. 5. cap. 18.* in historica *de Gaina* narratione: & Socrates *eadem historia, lib. 6. cap. 6.* & quidem Præsentales, Principe ibi posito, vt docet experte Arcadii nostri *lex 17. sup. de re militari*, quæ data est anno proximo CCCXCVIII. vel ex prouinciis eo missi ad Principem negotii ergo *d. l. 17.* Imo & Numerus peculiaris militum ab Arcadio *huius l.* auctore institutus fuit, qui *Arcadiani* dicti, vt scribit Cedrenus *in Compend. Historiar. pag. 258. inter Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* ποιεῖ δὲ καὶ ἴδιον ἀριθμὸν ἐν Κωνσταντινουπόλει, ὃς ἐκάλεσεν Ἀρκαδιακούς.

Ergo milites & priuati hic opponuntur, & ab vtrisque Barbari separantur. Nam etsi in Imperio Romano vt priuati, ita & milites non tantum indigenæ fuerint seu Romani, verum etiam in vtroque genere Barbari: Attamen Barbari ab vtrisque separabantur, ita quidem vt *milites* proprie Romani dicerentur, quod alii iam notarunt. *Barbari*, inquam, non qui per factionem ex sedibus suis, seu Barbaria & hostico exciebantur, Tyrannidis alicuius parandæ causa, quomodo Glossa *hic* Barbaros pro *hostibus* accipit, quomodo etiam Interpretes omnes hactenus censent: verum, qui tum temporis orbem Romanum implebant. Cuius mali labes originem habuit a Valente Imp. qui Gothis agrum ad se confugientibus,

gientibus, in Thracia atque alibi, attribuit; teste Ammiano, Zosimo, Themistio & Eunapio *in Eclogis Legationum pag. 13. 14. inter Script. R. B. edit. Venet.* Socrate *lib. 4. c. 34.* eo addito, id initium fuisse calamitatum, quæ mox Imperium Romanum affixeret: τοῦτο ἀρχὴ γέγονε τῷ δυστυχῆσαι τότε πρὸς ὀλίγον Ῥωμαίων ἀρχήν. *Atque ob hanc caussam Respublica Romanorum, aliquanto temporis spatio aduersam fortunam experta est.* Sed & sub Theodosio M. defuncto Athanarico cunctus exercitus Romano sese Imperio subdidit & cum milite velut vnum corpus effectum est, teste Iornande, v. & Synesium, & Latinum Pacatum, & Eunapium *d. loco pag. 15.* Itaque & Barbari milites Constantinopoli extitere, teste Zosimo *lib. 5. c. 18.* & alibi ὑπὸ Ῥωμαίοις γενόμενοι στρατείᾳ προσομιλήσαντες, *ad Romanos fugientes militiæ nomen dederant*, vt in Arcadii rebus ait Socrates *lib. 6. c. 6.* Et in Phrygia nominatim Gothi milites locati fuere, vt constat ex iis quæ de Tribigildo, ibi hoc ipso tempore & anno cum his locato, memorant Historici, & Claudianus quoque *lib. 2. in Eutropium v. 153.*

- - *Ostrogothis colitur mixtisque Gothunnis*
Phryx ager.

Et mox *v. 170.*

- - *Phrygiæ mediis affigitur oris.*

Et *v. 176.*

Tandem Targibilum, (Getica Dux improbus ala
Hic erat) aggreditur.

Denique hoc illud sæculum est, quo Barbaræ gentes, Scythicæ, aliæque in Orbem Romanum, Orientalem nominatim, immissæ, vel priuatam vitam degebant, vel Romanis passim numeris τοῖς στρατιωτικοῖς ἀριθμοῖς adscriptæ militabant: Quin & Magistratus passim gerebant, priuatasque domos implebant: Quod vt ex variis Scriptoribus Claudiano, Zosimo, Notitia Imperii, Historia Ecclesiastica, Legibus etiam nonullis discere est; ita exerte docet Synesius *Orat. de regno, pag. 24. edit. Petau.* ad hunc ipsum Arcadium scribens: vbi addit, & tum seditiones, στάσεις iam aliquas inde exortas, imo inde tandem excidium ipse Imperio ominatur: quod superiori Socratis testimonio optime conuenit, de quo dicam *infra* plenius, *c. 11.* vbi de occasionibus & caussis harum factionum, inter quas fuit & Barbarorum istorum promotio ad Dignitates Illustres, Senatorias, Palatinas, Prouinciales, atque ad militiam. Nempe, quod Politici recte obseruant, πᾶν ἀλλόφυλον καὶ στασιάσιμον.

Eo igitur pertinet, quod de Barbaris *hac l.* adiicitur, in factionem coëuntibus: nempe spectat id ad Barbaros siue priuatam siue militarem vitam in Oriente agentes: non vero ad Barbaros, ex Barbaria, ad priuatas factiones, de quibus *hac l.* agitur, excitos. Quo alioquin more exciti quoque Barbari hac ipsa tempestate ad factiones aduersus ipsummet Principem initas: veluti, ante biennium, Gothi a Rufino exciti fuerant, quem ideo *coniuratum Getarum* vocauit Claudianus; vt & Hunni: de quo vide eundem Claudianum *in Rufinum.* Item a Stilicone postea, qui omnem (vt ait *lex 22. inf. de bonis proscriptorum)* inuitauit Barbariem.

Tandem ergo Barbari *hic* sunt Barbari in Romania, siue priuatam siue militarem vitam agentes: Vnde illa *cum militibus, vel priuatis, Barbaris etiam,* quod a Triboniano feliciter immutatum in, *vel Barbaris:* vnde sententia ibi paulo incertior reddita: neque enim Barbari priuatis aut militibus hic omnino opponuntur, imo in genere supponuntur, indicaturque, milites & Priuatos in Orbe Romano, alios indigenas ἐγχωρίους, Barbaros alios fuisse. Sic & Ambrosius *orat. in Auxentium media inter ep. 22. & 23. Aduersus arma, milites, Gothos* QVOQVE, *lacrymæ meæ arma sunt.* Et mox: *Non metuit arma, non Barbaros, qui mortem non timet.* Quo loco perstringit milites Gothos qui tum militabant: quique hæretici cum essent, apud Valentinianum Iun. authoritate pollebant, de quo ad *leg. vlt. inf. de fid. Cathol.*

His ita distinctis, iam facile cognitu est, cur factio *hac l.* inita dicatur *cum Militibus, Barbaris etiam:* Quia scilicet in eorum manu tum Imperium erat, atque ad factiones opportuni maxime forent. Sane & alias passim cum militibus factiones initæ: Sic (vt alia infinita testimonia omittam) Capitolinus *in Gordianis cap. 30. posse fieri, vt factione quandoque militum Gordiano redderetur imperium:* quanquam scio esse virum Doctum, qui locum illum aliter legi velit.

Hoc cumprimis æuo militum & barbarorum adiumento tumultus & factiones in principem aliosque concitatæ: veluti a Tribigildo in Phrygia, & Gaina, paulo post *hanc l.* de quo Claudianus *lib. 2. in Eutropium.* Socrates *lib. 6. c. 6.* Zosimus *lib. 5. c. 18.* Synesius *de regno.* Ita quoque mentio fit in *Synodo ad Quercum illegitima* apud Photium *in Biblioth. Cod. 59.* & ex eo *Tom. I. Concil. pag. 1039. edit. Harduin.* quæ aduersus Io. Chrysostomum habita fuit, sexennio post *hanc l.* A. D. CDIII. τῆς στάσεως τῶν στρατιωτῶν aduersus Iohannem Comitem, quem Chrysostomus prodiderit.

Ex his interim quæ dicta sunt, apparet satis, magno admodum molimine hasce factiones initas: vtpote cum inirentur cum militibus, priuatis, Barbaris etiam, hominibus factiosis: item, cum factionibus his Duces sui essent, satellites, conscii, ministri: Neque mirum, cum his factionibus magna capita, βασιλεῖ παραδυναστεύοντες, præcipui scil. charitate & fortuna apud Principem, peterentur, de quo deinceps.

IX. PErsonæ igitur tandem illæ nunc sub manum veniant, in quarum necem factionibus initis Arcadius *hac l.* occurrit: quarumque adeo vitam & salutem a factionibus in tuto locatam iuit: Maiestatis crimine factionariis seu factioni potius, iniecto, totque & tam atrocibus pœnis in eos propositis. Earum vero tria genera hic proponuntur. De quibus sigillatim priusquam ago, illud præmoneri operæ est, in omnibus Rebus publicis, in Romana certe, nonnullas personas sacrosanctas & pro inuiolabilibus habitas, ἀσύλους, maiestatemque eorum singulari *Tuitione* λόγῳ ἀσυλίας vallatam. Nil iam dico *de Legatis*, qui sacrosancti, communi Gentium iure habentur. Nil dico etiam de eo, quod Arnob. *lib. 4. circa fin. pag. 150. 151. edit. Lugd. B. 1651. apud Ioan. Maire.* scribebat, *Magistratum in ordinem redigere, senatorem aut conuitio prosequi, suis esse decretis periculosissimum pœnis;* id eo quippe tan- P.100
tum spectat, quod Iurisconsult. filii sciscunt, & post eos Saluianus Massiliensis *lib. 6. cap. 10.* atrocem iniuriam ex dignitate eius cui ea illata est æstimari. Quanquam & fictitia lex apud Quintilianum occurrit *lib. 5. c. 10. Iniuriam fecisti, sed quia Magistratui, maiestatis actio est.* Sed & Suecica Lege mortis pœna imponitur, falso præcipuos Regis consiliarios criminanti. Anglicanis quoque statutis, & præcipue Eduardi III. *anno eius 25.* sancitum, si quis Cancellarium, Magnum Thesaurarium, aut Iustitiarium cuiuscunque Tribunalis occiderit, dum munus suum exercent, crimen proditionis esse, & ad læsionem Regiæ Maiestatis pertinere. Hæc inquam nunc omitto, vt viciniora adhuc *huic legi* adnotem. Tribunos igitur plebis in hoc omnino censu pono, qui pro sacrosanctis olim habiti. Lege in id lata, de qua Dionysius *lib. 6. cap. 80.* & Liuius *lib. 2. c. 33.* Canuleius quoque testis apud Liuium *lib. 4. cap. 3. Quid tandem est cur negent se manibus temperaturos, violaturosque denuncient sacrosanctam potestatem?* Hinc & Rabirius perduellionis olim accu-

accusatus, quod Saturninum Trib. plebis Senatus authoritate obtenta interfecisset. Hinc (quæ magna seueritas fuit) Veturius, teste Plutarcho, morte affectus, quod Tribuno in forum venienti non cessisset. Hinc & Imperatores initio, quo sacrosancti essent, *summi fastigii vocabulum*, vt Tacitus vocat *Annal. 3. cap. 56.* id est Tribunitiam potestatem sibi adsciuere: teste Dione *in Augusto lib. 53.* Hæc ita *quidem* de Tribunis plebis olim habita: & ad Ædiles eiusdem ordinis porrecta a Catone in ea *Oratione* quam super ea re scripsit, teste Festo *in v. sacrosanctum.*

Secundo (quod & antea iam alia occasione monuimus) ita quoque *L. Iulia Maiestatis* constitutum fuerat, vt *ea l.* teneretur, cuius opera consilio dolo malo consilium initum esset, quo quis Magistratus pop. Romani, quiue Imperium potestatemue haberet, occideretur: *l. 1. §. 1. D. ad L. Iul. Maiestatis.* Hæc inquam duo postrema exempla ad hanc *Legem* propius faciunt. Atenim sub Principibus, nondum personæ Principibus in Republica administranda dignitateue proximæ, eo vallo munitæ fuerant, eaque Tuitione defensæ, vt necem eorum per factionem cogitasse, Maiestatis, immo Perduellionis quodammodo, crimini deputaretur: Certe non Senatorum: quomodo & Seneca *lib. 5. Controuers.* 34. dicebat: *Non ages mecum Reipublicæ læsæ, si Atheniensem Senatorem occidero, sed cædis.* (Quamuis de nece eorum cogitantibus grauiores proculdubio pœnæ iure imminerent. Quod vel Epagathi exemplo liquere potest, qui Vlpiani Iurisconsulti, quem Alexander Seuerus Imper. consiliarium proque tutore habuerat, cædis causa fuisse dicebatur: de quo Xiphilinus ex Dionis *libro extremo pag. 451. edit. Sylb.*) Id vero *hac l.* primum generali Edicto ab Arcadio constituitur, de triplici personarum genere, *Illustribus* puta *Consistorianis*, *Senatoribus*, *& Quibuslibet sibi militantibus*: Maiestatis seu Purpuræ suæ luce hisce perfusis: Haud aliter, atque olim idem Alexander Seuerus Vlpianum sæpe a militum ira obiectu purpuræ suæ defendisse dicitur: vt omittam alios simili togæ vel paludamenti obiectu periculo exemptos.

Harum vero personarum salutem aduersus Factiones, qua de causa Arcadius Imp. adeo ad curam suam reuocauerit, vti sciatur, de ipsis prius, & singulis quidem, ordine nobis videndum est.

Primo igitur in hoc censu ponit Arcadius *Viros Illustres qui consiliis & consistorio suo intersunt.* Hi vero erant viri dignitate Illustres, Consiliarii intimi sanctioris & arcani consessus Principis, cum quibus de rerum summa Princeps in consilium ibat, συνεδρεύοντες, καὶ βασιλεῖ τῆς ὑπὲρ ἁπάντων βουλῆς κοινωνοῦντες, vt Iulianus ait *orat. 2. pag. 91. edit. Lips. Spanhemii.* consilium Principis participantes, Latino Pacato *initio Panegyrici:* quibus consiliorum suorum arcana committit Princeps, Eidem *cap. 15.* λόγου καὶ γνώμης κοινωνοῦντες, *sermonis atque consilii participes*, Chrysostom. *Homilia I. in Theodorum lapsum Tom. VI. Sauil. pag. 71.* siue *Tom. I. num. 11. pag. 17. edit. Benedict.* Quos & ita describit Theodosius M. *l. 3. sup. de metatis*, Comites Consistorianos, qui participantes Augusti pectoris curas agendo clarebant: Valentinianus Senior ita, *l. 1. sup. de Quæstor. Magistris officiorum &c.* qui sacrario Principis explorata sedulitate obediebant. Arcadius eosdem hoc ipso anno Illustris dignitatis Palatii nomine indigitat, *l. 1. inf. ad L. Iuliam de ambitu:* οἱ στέλας τε καὶ φίλοι μεθ᾽ ὧν συνεστώτων βασιλεὺς περὶ τῶν ὅλων ἐβούλευσεν, vt loquitur Synesius *de Regno ad ipsum Arcadium p. 11. ed. Petau.* Proceres, qui arctis in rebus consulerent, vt Claudianus *lib. 2. in Eutropium v. 354.* Ad eosdem pertinet singularis hæc inscriptio *Legis 5. inf. de fide testium. Pars actorum habitorum apud Iulianum Imp. Augustum in Consistorio, adstante Iouio viro clarissimo Quæstore, Anatolio Magistro officiorum, Felice Comite sacrarum largitionum: &c.* Ex qua *lege* obiter apparet, hoc æuo Consistorianos in Consistorio stetisse (quod etiam ex Ambrosii *ep. 27.* discere est) cum aliquando etiam adsedissent, teste Acholio Magistro admissionum apud Vopiscum *in Aureliano c. 13.* Iidem & generali appellatione *Consistorii principis Comites*, seu *Comites Consistoriani* dicuntur *l. 1. & 4. sup. de Palatinis S. L. Consistoriani* absolute apud Ammianum Marcellinum *lib. 15. cap. 5. & 6.* Porro, vt omittam Patricios, quæ summa apud Principes dignitas erat, vtpote quorum Patres censebantur: itemque Præfectos Prætorio, quæ ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα erat, vt scribit Zosimus *lib. 2. cap. 32.* seu ἀπόρφυρος βασίλεια, quomodo eam vocat Eunapius *in Proæresio p. 150. edit. Commelin.* (qui & ipsi proculdubio, & quidem potissimi, inter Consistorianos fuere) vt & Magistros militum; In hoc censu erant, *Quæstores, Magistri officiorum, Comites sacrarum largitionum, & Comites rerum priuatarum*, vt de hac Illustrium virorum quadriga exerte docet, *d. lex 1. de Quæstoribus, d. l. 1. & 4. de Palatinis S. L. & R. P.* Hinc & de Quæstore Symmachus, ad Ausonium Quæstorem scribens *lib. 1. ep. 17. Quæstores*, inquit, *memini: Concilii Regalis particeps, scio.* vide & Cassiodorum I. *Var. 12. & V. Var. 3. 4. & VI. Var. 5. & VIII. Var. 13. 18.* Sic & Procopius *lib. 1. de bello Persico cap. 26.* Quæstorem πάρεδρον vocat. His addendus & *Præpositus sacri cubiculi*, cuiusmodi erat hoc tempore Eutropius (cui *hanc l.* accepto ferendam postea ostendam) teste Claudiano, Zosimo, Scriptoribus Ecclesiasticis. Nam etsi Præpositus sacri cubiculi paulo ante sub Theodosio M. a Comitibus Consistorianis adhuc separetur: *l. 3. sup. de metatis*, attamen & tum iam Comitibus Consistorianis proximus erat, vt eadem *lex* docet: & mox sub Arcadio, *huiusce Legis* authore, inter Consistorianos habitus fuit. Imo in tantum hæc dignitas augeri meruit, vt Theodosius Iun. Arcadii nostri filius *l. vn. sup. de præpositis S. Cubiculi*, & *l. vlt. de metatis*, eam prorsus Præfectis vrbis, Præfectis Prætorio & Magistris militum æquarit: & sic quamplurimis qui iam olim Consistoriani Comites erant, prætulerit.

Hi igitur illi sunt Illustres Consistoriani, de quibus *hac l.* A quibus longe diuersi sunt, neque huius Constitutionis verbis comprehenduntur (quod alioquin vir Doctus prope sibi persuaserat) *Comites Consistoriani*, dignitate inferiores: de quibus est eiusdem Arcadii *lex vn. sup. de Comitibus Consistorianis:* est & *lex vn. qui a præbit. tyronum: l. 15. 18. de extraord. mun. l. vn. qui conductores rei priu.* Hi quippe non Illustres erant, verum proximo tantum gradu Spectabiles *d. l. vn. de Comitibus Consistor.* & *Nouella 1. Theodosii in f.* neque ipsi de rerum summa in Consistorio vel intra Consistorium consulebant, verum sacri tantum Consistorii arcanis interesse poterant, *l. 28. sup. de prætoribus*, atque admitti intra Consistorii Arcana merebantur, & actibus interesse, & Principis audire responsa, *l. vltim. sup. de honor. Codicillis.* Quæ in vniuersum prærogatiua fuit Comitum primi Ordinis, teste Cassiodoro VI. *Variarum* 2. Et hactenus quidem differentiam inter *Consistorianos* admitto: non illam, qua nonnullis visum quoque, Consistorianos distinguere, in Consistorianos *in Consistorio, & intra Consistorium.* Et hæc quidem de Illustribus Consistorianis. P. 101.

Secundo loco post Illustres Consistorianos Arcadius *hac l. Senatorum* quoque vitam & salutem aduersus factiones in tuto locatam it, pariter vt Illustrium Consistorianorum Senatorum ETIAM, quæ vox *Etiam* hoc loco stat ampliatiue de persona ad personam: addita quoque ratione, *nam & ipsi pars corporis nostri sunt:* de qua postea. Sic sane & apud

Zosimum

Zosimum *lib. 5. c. 17.* ἡ γερουσία, καὶ ἡ περὶ τὴν αὐλὴν coniunguntur. Senatores porro in specie huius *l.* sunt senatores, non vrbis Romæ, neque in orbe Occidentali agentes, verum Constantinopolitanæ, & in imperio Orientali degentes: vti ex eo liquet, quod hæc *lex* Arcadium Imperatorem auctorem habet. Nempe, & vrbs Constantinopolitana γερουσίαν, βουλευτήριον μέγα, ἢ συγκλητικὸν habuit, ad exemplum vrbis Romæ: siue ex Constantini M. instituto, quod tradidit Sozomenus *lib. 2. c. 3.* & auctor Chronici Alexandrini *pag. 665. 667. edit. Raderi.* siue Iuliani, vt Zosimus *lib. 3. cap. 11.* Exinde, Senatus ille magna apud Principes dignatione habitus, eiusque Senatores. Sane, quo in honore Arcadius, *huius l.* auctor, eum habuerit, testes sunt plures eius constitutiones, puta A. D. CCCXCVI. *lex. 2. 3. sup. de prædiis Senatorum:* ex quibus etiam apparet, Defensores Senatus, per ciuitates tum peculiares fuisse, qui viderent, ne quod Senatoriæ dignitati detrimentum ingereretur: de quo iam dixi *sup.* Item fidem facit hoc ipso A. D. CCCXCVII. *lex 3. sup. de vsuris*, quæ ad eundem Eutychianum PP. data est, quæ ostendit, siue ad Senatorii ordinis dignitatem tuendam, siue ne Senatoriæ dignitatis obtentu tenuiores opprimerentur, tum prohibitum fuisse Senatoribus fœnus exercere, de quo ipso alioquin est quoque insignis Ioannis Chrysostomi locus, *homilia in Matheum 56.* (al. 57.) *sub finem Sauil. tom. II. p. 362.* siue *Tom. VII. Oper. Edit. Benedictin. pag. 574.* etsi postea sub dimidia centesimæ id idem Arcadius permiserit *l. 4. eod. tit.* vbi & *florentissimum cœtum* vocat.

Ergo & Senatorum & Senatus magna sub Arcadio dignatio atque auctoritas fuit: Adeo quidem, vt præcipua rerum prisco more tum a Senatu constituerentur, potissimaque per Senatum fierent, tanquam vetere Repub. Quod inter Imperii simulacra ponerent Politicorum filii. Nam & is *hostes publicos* renunciabat: Sic enim Stilico ab Arcadio & Senatu Constantinopolitano, hostis publicus declaratus fuit, teste Zosimo *lib. 5. cap. 11.* & Arcadius vna cum Senatu bellum aduersus Gainam decreuerunt, eodem Zosimo teste *d. lib. 5. cap. 20.* Quomodo etiam in Occidente Gildo a Senatu vrbis Romæ hostis publicus renunciatus fuit, auctore Symmacho *lib. 4. Ep. 4.* Imo & belli indicendi penes Senatum Constantinopolitanum ius tum fuisse sub eodem Arcadio idem Zosimus testatur *lib. 5. cap. 20.* A. D. CD: pariter, vt penes Romanum erat, more per Stiliconem ibi reducto: quod Claudianus scribit *panegyrico I. de laudib. Stiliconis a. vers. 327. & lib. 3. vers. 86. 100. & a v. 125.* Et *in quartum Honorii consulatum, a v. 504.* & Symmachus *d. loco.* Sed & alia quoque apud Claudianum *lib. 2. in Eutrop.* occurrunt, de Senatus Byzantini Maiestate, dignitate, *in Prolog. v. 57.* & in ipso Carmine *a v. 55. sqq.* Hinc & videre est, in maximis Reipubl. negotiis iungi τὸν βασιλέα καὶ τὴν γερουσίαν apud Zosimum *lib. 5. cap. 20. init.* & in rebus Iohannis Chrysostomi *lib. eod. cap. 23.* vide saltem Georg. Alexandrinum *in vita Chrysostomi, n. 21.* Ergo magna vtriusque Senatus authoritas tum fuit, & Constantinopolitani & Romani. Inanis enim est Alexiæ Comnenæ obseruatio, scribentis, translata Imperii sede Byzantium, simul omnem Senatus prærogatiuam veteri Romæ ereptam: vtrique enim quod ostendimus, Senatui sua stetit authoritas, vt Romano, ita & Constantinopolitano.

Porro interiecta *Senatorum* hic mentio, seu medio loco posita inter Illustres Consistorianos, aliosque Principi militantes, (de quibus mox) vt & Ratio illa, quam modo dixi, videri possint indicare, Senatores, quorum vita per factiones hoc æuo appetebatur, fuisse eos qui reuera in sacratissima vrbe Senatuque Constantinopolitano constituti de summa rerum decernebant. Et nihilominus tamen, eos quoque hic intelligi Senatores oportet, qui per prouincias a curis aliquandiu vacui larem fouebant, (de quo alioquin Senatorum discrimine vide Honorii *l. 5. sup. de Senatoribus & glebal. coll.*) Cuius sententiæ, præter generalitatem textus, hæc argumenta ipse habeo. Primo scil. & hic inter alios huius æui næuos fuit, quod indignis passim Senatoria dignitas conferretur, & passiuitus aliis, quod hoc ipso anno docet eiusdem Arcadii constitutio, *l. 8. sup. de Senatoribus & glebali collat.* vnde indignatio, factionum illarum mater. Secundo, quod Senatorum quoque qui per prouincias larem fouebant, mentio fiat *in ea ipsa l.* quam huic coassandam ostendi *cap. 4.* in *l.* inquam *vlt. sup. de præd. Senatorum.* Tandem & horum quoque flagitia, non minus quam eorum, qui in vrbe Constantinopol. degebant, factionibus occasionem præbere potuerint: qui & cæteroquin prouinciales variis rationibus per prouincias vexabant; de quo videnda est vel *l. 1. C. Iust. vbi Senatores:* seu *lex 1. sup. de accusationibus.* Et hæc quoque de Senatoribus.

Postremo loco sequuntur, *Quilibet Principi militantes: Cuiuslibet*, inquit, *postremo qui nobis militat.* Quod sane vel obscurum hactenus est. Certe crassus ille Græcorum error est, qui id de milite acceperunt, ἢ συγκλητικόν, inquiunt, ἢ στρατιώτην τινὰ φονεύσας: quasi Arcadius gregarium militem sacrosanctum fecerit. Quod absurdum est. Alii, velut Accursius, eumque secuti, id accipiunt de militantibus circa latus Principis. Alii tertio loco id intelligunt de custodibus corporis Principis, & de cohorte prætoria, quæ proprie Cæsari militare dicatur, quique præcipua semper charitate fuerint Imperatoribus Romanis, vtpote quibus corporis sui custodiam committerent, σωματοφύλακες. Intelligunt scilicet illi (vt hoc eis de meo largiar) Domesticos & Protectores (nam ita hoc æuo vocabantur) de quibus est *tit. sup. lib. 6.* Quorum etiam multa mentio occurrit apud Ammianum & Symmachum: e quorum numero fuit & Callistus ille, de quo Socrates *lib. 3. cap. 21.* qui ὁ ἐν τοῖς οἰκείοις τοῦ βασιλέως στρατευόμενος dicitur, id est (quomodo versum oportuit) *inter domesticos Imperatoris militans*, non vero, *inter necessarios*, non etiam generaliter nimis, *inter satellites.* Sane (vt & hoc alterum sententiæ huius patronis largiar) domestici hi & protectores dicuntur familiarius Principi militare, *l. 8. sup. de domest. & protect.* intra palatium militare, *l. 42. inf. de hæreticis:* Principis obsequiis inhærere, *l. 5. d. tit. de domesticis*, armatam militiam subeuntes non solum defendendi corporis sui, verum etiam protegendi lateris Principis sollicitudinem pati, *l. 9. d. tit.* Qua de causa Arcadius ipse *deuotissimos* vocat, *l. 6. d. tit.* Verum hæ sententiæ omnes inanes sunt, quas vna plaga postea conficiemus: præ quibus veritati propior quarta, id accipientium de Ducibus exercituum. p. 102.

Quid igitur? Hisce verbis, *cuiuslibet postremo, qui nobis militat*, intelligendi sunt; Primum, Palatinis dignitatibus fungentes, Principisque iussis in Palatio ἐν βασιλείοις obsecundantes: vt erat inter alios Comes domesticorum (de quibus *domesticis* paulo ante dixi) Castrensis sacri Palatii, Primicerius item Notariorum. Nam cum Notarii, ὑπογραφεῖς βασιλικοί, vt eos vocant Libanius, Zosimus, Socrates, aliique officio fungerentur inter Consistorii secreta, *l. 7. sup. de priuil. eorum qui in sacro Palatio*, militiaque eorum Nobilis esset, *l. vlt. sup. de Primicerio & Notariis:* sane horum Primicerius ἀρχων, πρωτοστάτης τῶν βασιλικῶν ὑπογραφέων, vt eum idem Socrates *lib. 7 c. 23.* & Zosimus *lib. 5. cap. 34. & 40.* vocant, peculiarius Principi militare

litare dicebatur in Consistorio, *l. 2. de Primicerio & Notariis*, sub cuius dispositione erat omnis notitia omnium dignitatum tam militarium, quam ciuilium, scholarum item & Numerorum, vt *Notitia Imperii* testatur, *fol. 61. & 146.* Quem etiam ita graphice describit Claudianus in *Epithalamio Paladii à v. 83.* ipse Tribunus & Notarius,

- - paulatim vectus ad altum
Princeps MILITIÆ, *qua non Illustrior extat*
Altera cunctorum tabulas assignat honorum,
Regnorum tractat numeros, cunctosque recenset,
Sparsas Imperii vires constringit in vnum
Depositum. (laterculum intelligit) *quæ Sarmaticis custodia ripis,*
Vel Scotum legio, quantum cinxere cohortes
Oceanum, quantum pacatur milite Rhenus.

In hoc item censu fuere Magistri scriniorum, Comites & Tribuni scholarum, Tribunus seu Comes sacri stabuli, Cura Palatii, & similes, περὶ τὴν αὐλὴν, seu intra Palatium militantes cum aliqua dignitate. Hi scilicet proprie Principi militare dicuntur: In tantum vt & idem Arcadius *sibi militare* dixerit, anno proximo, *l. 5. sup. de metatis*, etiam Illustres viros. Ergo de Palatinis primum dignitatibus hæc verba Arcadii intelligenda veniunt. Hinc adeo cum Senatoribus eos proxime coniunxit subiecitque: pariter vt apud Zosimum *lib. 5. cap 17.* coniunguntur, ἡ γερουσία καὶ οἱ περὶ τὴν αὐλὴν (quos περὶ τὴν αὐλὴν rursum memorat idem *lib. eod. cap. 25.*) Et sic ex hac quoque coniunctione seu connexitate apparet, de Palatinis inter alios accipiendum esse, quod de *sibi militantibus* ait Arcadius. Quo quidem ipso coniunctionis seu connexitatis argumento refutantur vulgatæ tres illæ horum verborum Interpretationes, quibus vel milites gregarii, vel militantes vulgari militia circa latus principis, vel denique domestici & protectores accipiuntur. Quo enim quæso vinculo paritatis illi cum Illustribus Consistorianis, cum Senatoribus cohærerent? Sane non nisi absurde, cum hæc toto cœlo diuersa sint, neque vlla ratione in vnum coire possint.

Ergo tres illas interpretationes tribus iam argumentis illis confecimus: nempe, propria verborum illorum, *cuiuscunque postremo qui nobis militat*, interpretatione. Item quod coniunctio & connexitas Illustrium Consistorianorum & Senatorum eas respuat: quodque nullo satis rationis vinculo, hi cum illis coire possint. Addamus & duo insuper alia argumenta. Refragatur scil. interpretationibus illis tanta pœnarum criminisque atrocitas, qua nex intentata per factionem in sp. *huius l.* vindicatur: cui quis credere possit, locum esse voluisse Arcadium, nece cogitata in proletaria tantum hæc capita? Imo addamus quinto loco, ipsum quoque Factionis genus, vt *hac l.* describitur, atque eius Circumstantias, eas interpretationes respuere: Magna quippe modo capita hoc factionis genere appetita, apparet satis ex eo factionis apparatu: magno vtique, vtpote quæ inita dicatur cum militibus vel priuatis, Barbaris etiam; item sacramentis fœderata & per arcana consilia: Denique cui accesserint Duces, Satellites, conscii, ministri: Quæ quidem omnia vt magnum apparatum indicant, ita Magna nonnisi capita periculose iis appetita demonstrant.

Ergo Palatinæ primum dignitates, his verbis, *cuiuslibet postremo qui nobis militat*, exaudiendæ sunt. Neque vero Palatinæ tantum dignitates, verum etiam Prouinciales administrationes, siue ciuiles, siue militares, ἡγεμόνες διὰ βασιλέως πεμπόμενοι, *Rectores ab Imperatore missi.* Nempe enim Principi militare dicuntur *h. l.* & *d. l. 5. sup. de metatis*, omnes οἱ ἐν τέλει, ἔμπρακτοι, κρατοῦντες, omnes qui cingulo donati, ζωστοὶ, qui loco Principis Reip. publ. administrant, cincti, præcincti, seu cinctuti omnes: opponunturque Honorariis & Codicillariis dignitatibus. 2. Idque etiam congruit *Legi Iuliæ*, qua is maiestatis olim tenebatur, cuius dolo malo consilium initum esset, quo quis Magistratus P. R. quiue Imperium potestatemue habebat, occideretur; *l. 1. §. 1. D. ad L. Iul. Maiest.* Sed & tertio quartoque loco id luculentius adhuc apparebit, tum e factionum harum prætextu, seu occasionibus, de quibus *num. 10.* tum e Rationibus huiusce constitutionis, de quibus *num. 13.* quæ omnes siue occasiones, siue rationes, non minus Iudicibus prouincialibus congruunt, quam aliis. Tandem, quis credat, in vno Senatore Maiestatis & quasi perduellionis crimen admissum, ac non etiam in summo Magistratu, cui prouinciæ totius forte cura demandata erat? quique maius Imperium in ea prouincia habebat omnibus post Principem, quod de Proconsulibus & Præsidibus dicitur *l. 8. D. de off. Proconsulis:* & *l. 4. D. de off. Præsidis.*

X. POsteaquam semel ostensum est, *hanc leg.* Arcadio tribuendam esse, & sic ad Imperium Orientale referendam: Posteaquam etiam eius æram expendimus, Annum videlicet Domini CCCXCVII. varios deinceps Interpretum circa *hanc l.* errores aperuimus: Ac *primo* quidem euicimus, non agi vlla Constitutionis huius parte, de proprio Perduellionis crimine, quo Princeps ipse appeteretur verum de Fictitio, πλασικῷ, puta de factione inita in necem constitutorum in Dignitatibus. *Item* docuimus, in sp. *huius l.* factionem requiri, non nudam necem: Viceuersa non quamlibet factionem, verum in necem initam. *Tertio* ostendimus *Barbaros*, cum quibus factio *hac l.* inita dicitur, non esse exaudiendos eos, qui e sedibus suis seu Barbaria in id nominatim exciti fuerint, verum qui in Orbe Romano tum degebant. *Quarto* probauimus non agi *hac l.* de factionibus initis in necem militum, vel custodum Principis, verum omnium in dignitatibus constitutorum. Quibus ita constitutis, de grauissimis erroribus aliis iudicium facile fieri posset. Ac primo quidem, *Causas* Historicas huiusce Constitutionis hactenus minus congruentes arcessi. Secundo, non requiri præcise in specie huius Legis, vt factiones initæ fuerint in necem eorum qui lateri Principis adhærent, seu qui in Aula Principis commorantur, denique circa latus Principis tantum & præcise resident. p. 103. Tertio non agi *hac l.* de factionibus initis etiam indirecte, siue per latus aliorum, in Principem, denique non odio Principis: ac proinde *Rationem* huius constitutionis non repetendam, vnde vulgo arcessitur, *ab ipsiusmet Imperatoris securitate.* Hæc inquam vel ex iis quæ superioribus capitibus iam dicta sunt, perspicua quoque satis esse possent. Et tamen de iis, & quidem singulis, distinctius adhuc videndum nobis est,

Ac primo quidem de *Causis* seu *Occasionibus*, quæ ex historia alioquin huc arcessuntur, videre iuuat, quarum nonnullæ Loco, omnes certe aut Tempore, aut Argumento ab *hac Lege* discrepant. Nonnullæ scilicet ex iis ad Occidentale Imperium pertinent, nullaque earum Tempore conuenit, nullaque est de factionibus initis in necem eorum qui positi in dignitatibus. Atque vt multo anteriores causas refutare superfluum puto, vel etiam post hanc demum Constitutionem multo post enatas (veluti Stiliconis, & Heracliani, quas tamen & ipsas ad *hanc l.* trahunt) de illis tantum, quæ ab huius Constitutionis characterismo haud adeo abludere videntur, dispiciendum est.

1. RVFINI primum coniuratio seu factio procedat, de qua est *Lex 14. infr. de bonis proscriptor.* & locus Symmachi *lib. 6. ep. 14.* in quem alioquin Claudianus *libros duos* scripsit, de qua factione agunt

agunt præterea Asterius *homilia in festum Kalendarum*, Zosimus *lib. 5. cap. 5. seqq.* item *Ecclesiasticæ Historiæ* Scriptores, Socrates *lib. 6. c. 1.* Sozomenus *lib. 8. cap. 1.* Hieronymus *ep. 3.* siu. *in Epitaphio Nepotiani pag. 17. Tom. 1. Oper. edit. Francf. apud Genschium.* Orosius *lib. 7. cap. 25.* Marcellinus in *Chronico* sub Consulatu *Olybrii & Probini, pag. 272. Tom. II. Oper. Sirmondi edit. Venet.* Chronicon Alexandrinum sub *iisd. Coss. pag. 711. edit. Raderi.* Suidas *in v.* Ρȣφῖνος, ex Eunapii Chronographia. Hic scil. Rufinus ex Aquitania, Elusanus, sub Theodosio M. Arcadii patre ad summa dignitatum culmina euectus, Magisterium videl. officiorum, Consulatum tandem & Præfecturam Prætorianam, de cuius dignitatis fastigio dixi *n. 9.* summotis ex aula certatim quibusque viris Illustribus, & in his Tatiano PP. & Proculo P. V. cum sub Arcadio iam totius Imperii Orientalis potestas vna cum ipso Arcadio penes ipsum esset, frustratus spe filiæ suæ Arcadio collocandæ (vtpote ducta ab eo Eudoxia, id agente Eutropio) auaritia incredibili, Tyrannidem aduersus Arcadium affectare cœpit: creatis inter alia quos vellet prouinciarum Rectoribus: Hinc inito cum Alarico seu Gothis fœdere, qui Thraciam, Macedoniam, Græciam, Epyrum infestarent: Inde immissis ab eo in Armeniam, aliasque Orientis prouincias Hunnis. Tandem de Eutropio tollendo cogitans, a submisso per Stiliconem exercitu, cui Gainas præerat, fauente ei in omnibus Eutropio, ante portas vrbis Constantinopolitanæ, quo Arcadius cum ipso ad excipiendum exercitum processerat, trucidatus est: caputque eius hastili dextraque per ludum ad exprobrandam ei auaritiam, per vrbem tanquam stipi mendicandæ circumlata fuit, facultatibus eius ferme ad Eutropium delatis, fine anni D. CCCXCV. Hæc breuis est velut causæ coniectio Rufinianæ coniurationis. Quæ perperam omnino ad *huius l.* speciem trahitur. Nam & *tempora* discrepant: accidit enim id ante biennium ferme, *Olybrio & Probino Coss.* i. A. D. CCCXCV. v. Kal. Decembr. teste Socrate *l. 6. c. 1.* & Marcellino *in Chronico*, simul & Authore *Chronici Alexandrini.* Quam cædem secuta est mox bonorum eius proscriptio, vt testatur *lex 14. infr. de bonis proscriptorum*, quæ data est anno superiore A. D. CCCXCVI. Id. Febr. id est, octodecim mensibus ante hanc constitutionem. Sed & *argumento* cumprimis ab *hac l.* disconuenit: nam vt maxime Rufinus *coniuratus Gothorum* fuerit (vt Claudianus ait) & Hunnorum, attamen coniuratio hæc & conspiratio fuit cum Gothis & Hunnis, quos Barbaria ideo exciuerat: item fuit illa non in illustres Consistorianos, Senatores, Palatinos, &c. inita; certe non ibi substitit, verum in ipsummet Principem, & Tyrannide affectata: vnde *impius proditor Imperii* ab eodem Claudiano dicitur, *in Rufinum lib. 1. v. 318.*

- - Impius ille
Proditor Imperii, coniuratusque Getarum.

2. GILDONIS factio seu coniuratio multo minus ad *huius l.* speciem aptanda venit. De qua, & ad quam pertinet *lex 19. de pœnis.* De quo est Symmachi locus *lib. 4. ep. 4.* Claudiani carmen *de bello Gildonico:* & *lib. 1. in laud. Stiliconis a v. 248.* & *lib. 1. in Eutropium a vers. 399.* Zosimus *lib. 5. cap. 11.* Orosius *lib. vlt. c. 36.* Idacius *in fastis Consularibus* sub Coss. *Honor. IV. & Eutychian. pag. 266. Tom. II. Oper. Sirmond.* Marcellinus *Chronico* sub *Consul. iisdem pag. 272. Tom. II. Oper. Sirmond.* Gildo scil. qui fratrem olim Firmum habuerat, cuique Tyrannidem in Africa molienti ipse obstiterat, vna cum Theodosio Theodosii M. patre, Magister militum a Theodosio M. creatus A. D. CCCLXXXVII. Eutropio agente, Africam turbare cœpit, eamque Honorii imperio detractam Arcadiano addere instituit. Quod postremum vri satis colligere est ex iis quæ Symmachus scribit *lib. 4. ep. 4. in fin.* ita diserte testatur Claudianus variis locis *in laudes Stiliconis lib. 1. v. 271.*

Quamuis obstreperet pietas, his (partibus Eois)
ille regendæ
Transtulerat nomen Libyæ, scelerique profano
Fallax legitimam Regni prætenderat vmbram.

Et mox *v. 276.*

- - Hæc coniuratus alebat,
Insidiis Oriens, illinc Edicta meabant
Corruptura Duces &c.

Et de bello Gildonico, *v. 217.*

- - qui mandataque ferrent
Fratribus, & geminis sancirent fœdera Regnis.

Et mox *v. 236.*

in fratres medio discordia Mauro
Nascitur, & mundus germanaque dissidet aula, &c.

Et post, Theodosium ad Arcadium ita loquentem inducit. *v. 259.*

Inque tuam sortem numerosas transtulit vrbes:

Et mox, ipsum Arcadium *v. 324.*

- - Redeat iam tutior Africa fratri.

Et *initio* de bello Gildonico *v. 4.*

- - concordia fratrum
Plena redit.

Videatur & Zosimus *lib. 5. cap. 11.* Id vero factum sub finem autumni anni superioris CCCXCVII: vnde exorta iam Romæ fames ex annonæ Africanæ defectu: Verum is Consulatu post *hanc l.* proximo A. D. CCCXCVIII. opera fratris Mascezelis fugatus, mox strangulatus periit, verno eius anni tempore. Hæc quidem ita breuiter de Gildonis in Africa motu seu tumultu. Qui sane nulla ratione ad *hanc l.* trahi potest, vtpote, qui & loco & Tempore & Argumento ab *hac. l.* discrepet: *loco*, inquam, pertinet quippe motus ille Gildonianus ad imperium Occidentale, cui Africam detractum ibat Gildo: contra, Arcadii, cuius hæc *lex* est, gratiam eo motu Gildo captaverat. Neque hæc Gildonis factio in necem virorum Illustrium Consistorianorum, aut Senatorum, aut Palatinorum, aut Iudicum extitit, verum rebellio ἀνταρσία in Honorium, cuius Imperio Africam prouinciam detractum Arcadianoque adiectum ibat. Tandem factio hæc Gildonis nondum huius Constitutionis tempore profligata fuerat, verum post demum. Et est ingens hac parte Contii parachronismus, & ταραχὴ seu confusio, cum ait, *quo tempore hæc lex scripta fuit, vix annum a Theodosii M. morte præteriisse, & fuisse tum recentem Gildonianæ factionis memoriam.* Mox addit, *cum superessent tam scelestæ coniurationis reliquiæ, latam hanc l. Rufini & Stiliconis consilio:* Quæ omnia erroris plena sunt. Nam & biennio eoque amplius post Theodosii M. mortem hæc lex lata fuit, & Gildoniana factio tum nondum profligata fuerat, & Rufinus iam ante Gildonis factionem trucidatus fuerat, neque Stilico Arcadio Orientis Imp. in consilio erat, verum Honorio. p. 104

3. *Gainæ* factio seu coniuratio sequitur, cuius historiam olim Eusebius Scholasticus, belli ipsius spectator, quatuor libris heroico carmine conscripserat, & post eum Ammonius Poeta, vt testatur Socrates *lib. 6. c. 6.* Interea de ea videndus Zosimus, *lib. 5. a cap. 13. vsque ad 22.* Socrates *lib. 6. c. 6.* Theodoretus *lib. 5. c. 32. 33.* Sozomenus *lib. 8. c. 4.* Cedrenus *in Compend. Histor.* ad an. octau. Arcad. *pag. 259. inter Script. Rer. Byzant. Edit. Venet. Edit. Paris. pag. 328.* Et hæc siue coniuratio siue factio, quamlibet in Arcadii tempora incidat, attamen post hanc demum *legem* enata fuit, anno proximo CCCXCVIII. & repressa A. D. CD. vt ex Socrate, Sozomeno, Marcellino discere est. Alias multa illius factionis Gainianæ *huius l.* circumstantiis conuenire viderentur, & duo cumprimis: Primo, quod Barbarus ipse cum Barbaris hanc factionem

nem inierit, quorum quidem Barbarorum ingens multitudo tum Constantinopoli erat, sic vt ferme tota Barbara facta fuisset, Prætorianis potissimum militibus eiectis, immissis etiam Barbaris ad Palatium incendendum, tandem cum Barbaris interemptus fuit. Alterum est, quod is Arcadium eo adegerit, vt Eutropium interficeret: sibique obsidatus specie atque ad mortem dedi fecerit Saturninum & Aurelianum, primos & principes ex Senatu, τὰς πρώτους ἐκ τῆς συγκλήτου, ὑπατικοὺς, vel ἀπὸ ὑπάτων, vt Socrates ait, vt Zosimus ἐξέχοντας τοῦ πολιτεύματος ἄνδρας, quos conatibus suis aduersos putabat, quibus tamen ipse pepercerit; quæ conuenire videantur iis quæ *hac l.* dicuntur *de nece cogitata virorum Illustrium Consistorianorum.* Verum, vti dixi tempora non conueniunt, Gainiana quippe hæc facinora biennio ferme & vltra *huic Legi* postumant. Sed & illa in Saturnini & Aureliani Senatorum necem, factio & cogitatio, ab hac nostra recedit: Gainiana enim illa fuit, postulantis ad necem sibi dedi duos illos Senatores, atenim ea, de qua *hac l.* agitur, factio est & societas molientium per se necem, *per arcana consilia*, vt *fine Legis* dicitur.

4. *Bargii* igitur factio *huic Legi* conuenire videatur: Qua Timasius, qui a tempore Valentis Imp. Magister militum fuerat, oppetiit. Verum neque hæc factio ad *huius l.* speciem pertinet: Id enim quod de Timasii morte modo dixi, Eutropio ipso agente factum est, iudicio constituto ab Arcadio, non per factionem aut societatem arcanaque consilia cum militibus aut priuatis etiam Barbaris, cum Satellitibus, consciis & ministris inita: de quo Zosimus *lib. 5. cap 9.* & *10.* Quare neque eiusdem Bargii supplicium, quod mox secutum est eodem Eutropio agente, ad *hanc l.* pertinet.

5. EVTROPII tandem ipsius factio viam sibi ad Imperium sternentis, ad *hanc l.* pertinere non potest, vtpote qui Anno demum CCCXCIX. id agens agnitus & interfectus est, cum biennio ante, eo maxime tempore quo hæc *lex* lata fuit Arcadium in potestate sua haberet, de quo *prox.* Quare neque ad rem quidquam faciunt Timasii & Abundantii aliorumque Illustrium virorum ipso Iudice exilia cædesque: Hæc enim Arcadio probante facta sunt, neque per factionem coniuratorum & sociatorum, priuatorum aut militum, perque arcana consilia, verum Iudicii specie.

Maneat igitur, eas factiones de quibus *hac l.* agitur, quibusque ea occurritur, non esse eas, quæ a Tyrannidem molientibus inirentur, ac nominatim non esse quinque illas quas sigillatim persecutus sum; verum eas, quæ priuato odio eorum qui in dignitatibus constituti erant, suscipiebantur. De quo *deinceps.*

XI. VIdeamus igitur (quod in hac Historica Dissertatione nostra inter potissima est) *Vndenam* reuera factiones illæ sub Arcadio enatæ susceptæque fuerint: eæque tantæ molis, quibusque etiam tam graui atque enixa Constitutione & *Tuitione* occursum ab Arcadio Imp. oportuerit: Habent scil præque se ferunt semper factiones prætextus aliquos, αἰτίας, προφάσεις speciosaque nomina vulgo obtenduntur: vix & quisquam in factiones coire solet, quin iustas coëundi causas habuisse videri velit.

Sane, vt seditionum ita & factionum πρὸς τοὺς ἡγουμένους origo a causis & occasionibus αἰτίαις καὶ ἀρχαῖς variis oriri solet, quas Politicorum filii accurate recensent, & in his Aristoteles, 5. *Politicorum.* Atque inter alias causas Polybius *lib. XI. pag. 646. edit. Is. Casaubon. Paris. 1609. in f.* hasce memorat; ὅταν προεστῶσι μέμφωνταί τι, καὶ δυσχεραίνωσιν, ἢ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασι δυσαρεστῶσιν. *Cum vel iis, qui præsunt aliquo nomine succensent, vel eorum imperium grauiter ferunt.* Item, διά τε ἀδικίας, καὶ διὰ φόβον, καὶ διὰ καταφρόνησιν, καὶ διὰ φιλοτιμίαν. Denique ob κακεξίαν Reipubl. cum videlicet status præsens in vniuersum male habere creditur: Et nominatim quidem sub Principibus, quando potissimæ dignitatum non in immerentes tantum, verum in iniustos, & rapaces insuper conferuntur, sorsque ita deerrat ad parum idoneos, vt cuncta eorum facta Principes, vel cum prohibere possint, scire malunt: vel iam prohibere amplius non possunt: & sic qui ipsi iam non præcipui tantum caritate aut fortuna, βασιλεῖ παραδυναστεύοντες, verum *flagitiose* Rempubl. pro arbitrio circumagunt.

Et hæc vero postrema, *Factionum*, quibus *hac l.* occurritur, causa existit. Quod colligere est vel ex circumstantiis illis omnibus, quas hactenus expendimus, tum constitutionis ipsius, tum & subiecti quo de ibi agitur. Quinque sc. hæc iam liquido tenemus, in sp. *huiusce l.* nostræ: I. *Locum*: initæ sc. hæ factiones in Imperio, & PP. Orientali, II. *Tempus:* sub Arcadio scil. concinnatæ eæ A. D. CCCXCVII. eo tum agente biennium in Imperio paulo plus, & vicesimum ætatis annum. III. *Subiectum:* Non agitur sc. hac l. de proprio perduellionis crimine, verum de Fictitio πλαστικῷ quodam quasi perduellionis genere: IV. *Obiectum* quoque earum Factionum perspicue tenemus: nempe factiones istæ initæ in necem personarum in administratione Reipubl. dignitateque Principi proximarum, puta in Illustres Consistorianos, Senatores, Principi militantes: V. *Modum* denique harum Factionum expediuimus: magna sc. mole initæ, vtpote in quas coïerint Duces, satellites, conscii, ministri, & per arcana consilia, adscitis in societatem militibus, priuatis, Barbaris. Inde iam omnibus istis in vnam veluti lineam coniectis, atque animo subiectis, quis non ita per se facile subsumat, colligatque, factiones istas in necem eorum qui in dignitatibus Principi proximis positi, & Reipub. administrandæ sub Arcadio post Principem præpositi erant, factiosos in isse: Non equidem insita mortalibus natura, *recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, vt est assidua eminentis fortunæ comes Inuidia, altissimisque adhæret.* Neque ea conditione, *quæ omnibus qui administrationem Reipubl. aggrediuntur, communis est, ne quæ maxime pertinent ad salutem communem cum quadam sui inuidia facere cogantur:* quod dixit Quintilianus. Multo minus ipsiusmet Principis odio, verum τοῖς ὑποκειμένοις ἀχθόμενοι, id est, ob communia eorummet qui in dignitatibus præcipuis erant flagitia, ob ipsorum denique malos mores, & grauamina indubia subditis passim illata. Quod eo pertinet, quod Polybius dicebat *loc. supra cit.* ὅταν προεστῶσι μέμφωνταί τε, καὶ δυσχεραίνωσιν. Hæc inquam ex circumstantiis illis omnibus vel ex *hac l.* desumptis atque inter se commissis, coaptatis, colligere satis liceret, collectaque iustæ inquisitioni suffectura viderentur. P. 105.

Verum ne nuda hæc animi mei coniectura cuiquam videatur, illud porro agendum est, vt hasce factionum cogitationes, eam videlicet quam dixi Imperii Orientalis hoc tempore sub Arcadio Imp. κακεξίαν, & præcipuas apud Principem vel post eum dignitates gerentium crimina, odiaque, ex illorum temporum historia sub vnum conspectum exhibeamus: vbi tamen de Arcadio primum ipso aliquid monuerimus.

Arcadius igitur, cum annos plenæ pubertatis nondum egressus, a Theodosio M. patre Imperii Orientalis hæres relictus fuisset A. D. CCCXCV. regendum sese Rufino primum, mox Eutropio præbuit:

buit: Rufino, inquam, quem Theodosius pater ipsi cum aduersus Eugenium moueret, laborum socium reliquerat, teste Zosimo *lib. 4. cap. 57.* imo, si Eunapio & Suidæ fides, quem moriens ei tutorem dederat, (quanquam Stilico vtriusque Imperii gubernacula velut a Theodosio sibi demandata tum vindicaret: vt ex Claudiano *lib. 2. in Rufinum, in principio*, & Zosimo *lib. 5. cap. 4.* liquet.) Ita quidem, vt idem Zosimus *initio lib. 5.* & ex eo Suidas *voc.* Ῥϐφῖνος, scribant, Arcadium, tum pariter vt Honorium, ἄχρι ὀνόματος habuisse τὸ κράτος: contra fuisse πᾶσαν τῆς ἀρχῆς δύναμιν, κατὰ μὲν τὴν Ἑώαν παρὰ Ῥϐφίνῳ, κατὰ δὲ τὴν Ἑσπέραν ἐν τῇ Στελίχωνος γνώμῃ, *totius principatus potestatem per Orientem penes Rufinum, per Occidentem in arbitrio Stelichonis.* Quibus adde quæ in eandem sententiam Philostorgius, *lib. 11. cap. 3.* Additque Zosimus *ibidem*, in Oriente omnia ex Rufini sententia acta, Arcadio nihil eorum quæ gererentur attendente, sed ea tantum scribente, proque Lege habente, quæ Rufinus decreuisset. Hæc quidem ita de Rufino. Mox eo sublato, fine A. D. CCCXCV. *Eutropius* Eunuchus in vacuum venit, παραλαβὼν τὸ ἐκείνϐ κράτος, inquit Eunapius & Suidas ex eo, *voc.* Εὐτρόπιος ὁ εὐνϐχος, vendicatis maximam partem eiusdem bonis. (Vt omittam nunc quod idem Arcadius Eudoxiæ vxori sese commisit, quam Eutropius ipsi conciliauerat, τϐ βασιλεύοντος ἐσχάτως ἀνοηταίνοντος, *cum princeps extreme stolidus esset*, teste eodem Zosimo *lib. 5. cap. 24.*) Regendum igitur sese Arcadius Eutropio præbuit: Quare exerte Zosimus *lib. 5. cap. 9.* de eo, τῶν ἐν τῇ αὐλῇ, inquit, πραττομένων κύριος ἦν. *iis, quæ agerentur in aula, plena cum potestate præerat.* Item *eod. libr. cap 14.* eum πᾶσαν τῆς βασιλείας οἰκονομίαν, *totam administrationem imperii*, habuisse. Imo *eod. libr. cap. 12.* scribit, Eutropium Arcadio vsum & potitum, haud aliter atque pecude, ὁ δὲ κυριεύων Ἀρκαδίϐ καθάπερ βοσκήματος: & rursum ait *eod. libr. cap. 22.* Arcadium φρονήσεως ἐστερημένον, *prudentia destitutum.* Claudianus quoque *lib. 1. in Eutropium verf. 143.*

Suscipitur regnis, & , quem priuata ministrum
Dedignata domus, Moderantem sustinet Aula.

Sic igitur Eutropius in aula Arcadii τὰ πάντα, fuit: Sic quidem etiam, vt non foris tantum, verum & Ecclesiæ quoque negotia quo vellet verteret. Sic enim authoritate eius factum, vt Nectario Ep. Constantinopolitano mortuo, eo ipso mense quo hæc *lex* lata est, Ioannes fine *huius* anni ad *Episcopatum Constantinopolitanum* euocatus, in ea sede anno proximo CCCXCVIII. fine Februarii ordinaretur: de quo v. Socratem *lib. 6. cap. 2.* Sozomenum *lib. 8. c. 2.* Georg. Alexandrinum *in eius Vita n. 20.* Palladium in *dialogo.* Notissimaque etiam est constitutio, qua coërcita Ecclesiarum Asyla fuerunt, quæ Eutropio diserte tribuitur, de qua *n. vlt.* Igitur & in Palatio & in Ecclesia omnia pro nutu suo tum agebat Eutropius.

Atque hoc illud est omnino potentiæ Eutropianæ tempus, in quod huius Constitutionis characterismus præcise incidit: Eam quippe tenuit is triennio, paulo plus, post interfectum Rufinum, a fine videlicet A. D. CCCXCV. ad initium Anni CCCXCIX: Quo quidem medio tempore A. D. CCCXCVII. hæc Constitutio lata est: & ipse Eutropius ad Patriciatum tandem atque ad Consulatum euectus fuit.

Ergo cum Arcadius Rufino primum, mox Eutropio sese totum præbuisset, turbata miris modis tum Respublica fuit. Non tantum Tyrannide palam ab his ipsis affectata, verum (qui ad Tyrannidem promouendam gradus erant) hinc in sinus suos quicquid opum possent conuerso, iustisque possessoribus adempto, sed & calumniatoribus delatoribusque passim excitis: vt contestantur tot Scriptores, Claudianus, Eunapius, Zosimus, Suidas, alii. Inde potioribus quibusque submotis, pessimo vicissim cuique, Barbarisque dignitatibus per fœdam nundinationem collatis, Consistorianis, Senatoriis, Palatinis, Prouincialibus. Nolo nunc retexere quæ id genus acta, cum Rufinus paulo ante summam Imperii teneret, de quo prolixe Claudianus *libris in Rufinum* & Zosimus *initio lib. 5.* & ex eo Suidas: quandoquidem hæc *huiusce legis* ætam paulo anteuertunt: de Eutropianis modo temporibus videndum est, quæ huius Constitutionis Characterismo conueniunt.

Ex Claudiano igitur primum suffragia colligamus, qui duos *in Eutropium libros* scripsit: Ergo de optimis & optimatibus quibusque tum submotis, *lib. 1. a v. 177.* sic ille:

- - Procerum squallore repletus
Carcer, & exulibus Meroe campique gemiscunt
Æthiopum, pœnis hominum plaga personat ardens.
Marmaricus claris violatur cædibus Ammon.

De venditis ab Eutropio potestatibus & dignitatibus, ita *lib. 1. a v. 196.*

- - quicquid se Tigris ab Æmo
Diuidit, hoc certa proponit merce locandum
Institor Imperii, caupo famosus honorum:
Hic Asiam villa pactus regit, ille redemit
Coniugis ornatu Syriam: & ita de cæteris.

Et mox *a v. 207.*

- - certantum sæpe duorum
Diuersum suspendit onus, cum pondere Iudex
Vergit, & in geminas nutat prouincia lances.
Non pudet, heu superi: populos venisse sub hasta?
Vendentis certe pudeat.

Item *v. 220.*

In mercem veniunt Cilices, Iudæa, Sophene.

De Indignis ad dignitates promotis idem *lib. 2. a v. 342.*

Pars humili de plebe Duces, pars compede suras
Cruraque signati nigro liuentia ferro
Iura regunt, facies quamuis inscripta repugnet,
Seque suo prodat titulo.

Et exemplum addit, præter ipsum Eutropium, cui primæ partes cesserant, *Osii* ex coquo Magistri Officiorum (cui alioquin etiam inscribitur A. 395. *L. 7. sup. de agentibus in reb.* A. 396. *Lex 6. de proximis*, & *Lex 8. 9. de agentibus*, A. 398. *L. 5. de metatis*, *Lex 4. de fabricensibus.*)

- - - sed prima potestas p. 106.
Eutropium præfert, Hosio subnixa secundo:
Dulcior hic sane cunctis, prudensque nouandi
Iuris, & admoto qui temperet omnia fumo.
Feruidus, accensam sed qui bene decoquat iram.
Considunt Apices gemini ditionis Eoæ,
Hic COQVVS, hic leno, defossi verbere terga:
Seruitio, non arte pares: hic sæpius emptus,
Alter ad Hispanos nutritus verna penates.

Subiungit & alterum exemplum de Leone ex Lanifico vel textore, qui & ipse inter proceres erat, *a v. 376.*

Emicat extemplo cunctis trepidantibus audax
Crassa mole Leo. &c.
Acer in absentes, lingua iactator, abundans.
Corporis, exiguusque animi, doctissimus artis
Quondam Lanificæ, moderator pectinis vnci, &c.
Tunc Aiax erat Eutropii.

Idem superiores ferme omnes defectus hoc vno loco complexus est *a v. 553.*

Hic primum thalami claustris delicta tegebat,
Clam timideque iubens. erat inuidiosa potestas,

Sed tamen Eunuchi. necdum sibi publica iura
Sumere, nec tantas audebant vertere Leges.
Sed postquam pulsisque bonis, & fœce retenta
Peiores legit socios, dignosque sodales,
Hinc Osius stetit, inde Leo: fiducia creuit,
Regnandique palam flagrauit aperta libido:
Patricius, Consul, maculat quos vendit, honores.

Et hæc quidem Claudianus.

Zosimus quoque ex Aduocato fisci, *lib.5.cap.8.& 9.* eam quam dixi illius temporis imaginem graphice expressit: Ait enim, Eutropium submouisse omnes eos qui alicuius essent loci, ne quis præter ipsum apud Imperatorem valeret: Inter alios in Timasium, qui a Valentis Imp. temporibus Magister militum fuerat, insidias conuersas, immisso in eum Bargo quodam lucanicarum seu farciminum institore, qui affectati Imperii crimen ei impingeret; vnde cognitione Saturnini & Procopii in exilium relegatus fuerit, de quo etiam videndus Sozomenus *H. E. lib. 8. cap. 7.* Inde Bargus Magister militum factus: mox tamen & in ipsum conuersæ insidiæ, suppliciоque is affectus. Sic & *Abundantius*, qui & ipse Magister militum fuerat, & Consul, mandato Imperatoris Sidonem relegatus est. Imo & idem Eutropius Stiliconem hostem publicum declarari publico decreto fecit.

Suidæ etiam locus elegans *voc.* Εὐτρόπιος, ex vetustiore scriptore, eoque coætaneo, Eunapio forte, (a) huc pertinet: quo superiora omnia ferme complectitur: ὃς ὐδὲν τῶν δεινῶν ἀπελίμπανε, τάς τε ἀρχὰς δημοσίᾳ πιπράσκων, καὶ τὺς τῆς δυνάμεως συκοφαντῶν, ἐξορίαις τε τὺς μεγιςᾶνας ὑποβάλλων, καὶ πᾶσαν ὕβριν τοῖς τῆς συγκλήτυ ἐπάγων, ἀλλ᾽ ὐδὲ τῆς τῶν βαρβάρων ἀπείχετο συμμαχίας, id est, *nullum facinus prætermisit: nam & Magistratus publice vendidit, & aliquid valentes calumniatus est, & summates exiliis subiecit, & omnem contumeliam Senatoriis viris intulit: Neque etiam Barbarorum societate abstinuit.* Additque, Eunuchos eo auctoritatis & potentiæ creuisse, vt quidam cum periculo vitæ sese tum eunuchizarent.

Procedat nunc *Synesius*, & ipse σύγχρονος, Cyrenensis postea Episcopus, qui ad ipsummet Arcadium Orationem *de regno* scripsit. Ex qua prius quam ea quæ ad rem nostram faciunt, excerpo, ostendendum est, quando ea Oratio habita fuerit, vt ita appareat, quam apte ad *hanc l.* ea referantur, quæ is inibi siue memorat, siue suggillat. Ad *Arcadium* sane habitam eam Orationem nemo est iam qui dubitet, & quidem iuuenem, quod passim ipse inculcat: Neque enim de eo dubitare sinunt ea quæ scribit *p. 4. edit. Petau.* de Patre ipsius, qui non Imperatoria stirpe prosatus, verum bellica virtute ad Imperium euectus fuerat: item quæ scribit *pag. 5. edit. Petau.* de iis quæ idem aduersus duos Tyrannos gesserat (puta aduersus Maximum & Eugenium) aduersus quem vtrumque victoria potitus, de altero triumphans obierit. Item tertio loco quæ memorat *pag. 25. edit. Petau.* de Scythis ab eo in belli societatem, Romanamque Rempublicam receptis, imo & certa regione iis adsignata. Ergo ad Arcadium habitam eam Orationem liquet, vel tribus his argumentis. Quo vero anno habita ea fuerit porro dispiciendum est. Ego non inani coniectura ducor, habitam eam, si non hoc ipso anno CCCXCVII. quo hæc *lex* promulgata fuit, certe initio anni proximi CCCXCVIII. Indubie enim is *p. 22. & 24. edit. Petau.* ad Tribigildi, qui Barbaris militibus in Phrygia præerat motum respexit, cum pericula ex Barbaro milite memorans ait: *Huius rei aliquot iam præludia ac velitationes fieri, nonnullasque Imperii partes haud aliter atque corpus inflammari, quo cum qua aliena sint, in eiusdem sani temperamenti concordiam coalescere nequeant.* Et rursum *p. 24. Amplissimos & validos exercitus cum Scythis seruis necessitudine coniunctos tum fuisse, qui in Rempubl. Rom. infelici sorte influxerunt: seditionis auctores,* ςάσεως, *ducesque eos habere qui summa & apud ipsos, & apud Romanos sint authoritate.* His addatur argumentum certissimum quod Petauius etiam nuper notauit, & post primam editionem huius *Diatribæ* comperi, nempe quod cum Synesius triennio ea legatione in qua eam Orationem habuit defunctus sit, quod ipsemet testatur *lib. de insomniis pag. 150. edit. Petau.* & *Hymno 3. a vers. 430. seqq.* idem annum diserte designat *ep. 61.* quo scil. Aurelianus Consul fuit: id est A. D. 400. quo Constantinopoli discessit. Quare eam Orationem habitam oportet vt dixi, vel extremo anno 397. vel anno 398. quod malo. Tandem & ea quæ scribit *Orat. de regn. pag. 22. edit. Petau.* omnino congruunt cum *l. 16. & 17. sup. de re militari.*

His ita constitutis, comportanda nunc ex ea *Oratione* huc sunt, quæ ad rem nostram faciunt. Ergo Synesius nondum Episcopus, cum Cyrenensium nomine ad Arcadium legatus cum corona aurea missus fuisset, eam orationem *de Regno* ad eum habuit, bene administrandæ Reipubl. præcepta ei daturus, occasione sumpta ex iis quæ tum in ea secus gerebantur. Mitto, quæ ipsummet Arcadium respiciunt, veluti quod diuersus a Maiorum institutis, luxu in vestibus difflueret, publicæque rei exiguam curam gereret: id genus alia: Ea tantum hic ex ea Synesii oratione sterni oportet, quæ circa dignitates, remque militarem & Barbaros, secus admittebantur, atque adeo *huic legi*, vel saltem factionibus quæ *huic l.* occasionem præbuerunt, conuenientia. Ergo Synesius *ea orat. pag. 11. edit. Petau.* Arcadium hortatur, Vt cum iis amicis & propinquis agat τοῖς πέλας τε καὶ φίλοις, cum quibus de summa rerum consilium capere possit, μεθ᾽ ὧν συνεςώτων περὶ τῶν ὅλων βυλεύσεται, vt cæteroquin, quod Tacitus dixit *Histor. lib. 4. c. 7. nullum maius est boni imperii instrumentum quam boni amici:* qui, quod Symmachus ait *lib. 4. ep. 7. instrumenta sunt boni sæculi.* Item hortatur, vt cum militibus familiariter agat. Eundem carpit *pag. 15. edit. Petau.* quod facilior tum in Palatium ingressus hominibus distortis esset, exiguo cerebro & capite, quam Ducibus & Tribunis, quos amicos inter habere debuerat. Item *pag. 21. 22. 23. edit. cit.* quod Barbari passim ad militiam & dignitates, & quidem spretis indigenis, adsciscerentur, sic quidem vt exinde ruinam Imperio minitetur, eiusque præludia iam obseruare se de proximo dicat, εἱμαρμένην σαφῶς ἐγγὺς ὖσαν: Quare suadet *p. 23. ed. cit.* ab vna parte, vt Barbari a Magistratibus atque a Senatu arceantur, ἀρχῶν δὲ δὴ ϗ πρῶτον ἀπεληλάσθων, ϗ τῶν ἐν βυλευτηρίῳ γερῶν ἀποκεκόφθων; *Proinde a magistratibus primum* P. 107
arceantur, & a senatoriis hominibus excludantur, ab altera vero parte, indigenis militibus ascitis, τὰς νίκας αὐτυργεῖν, *victorias per sese administrare.* Idemque ibid. carpit, familias priuatas Scythis tum plenas fuisse. Idem *pag. 29. ed. cit.* Consistorianos seu τὺς ἀγχῦ τῆς καθέδρας, οἱ μόνυ μὲν αὐτῦ δευτερεύυσι, τῶν δὲ ἄλλων πρωτεύυσι. *assessores qui ab eo solo secundi, inter reliquos primas tenent,* tales delegi Regia animi moderatione, qui iuuandorum hominum pro rara concessa facultatis portione studiosi sint, ὠφελητικὺς ἀνθρώπων ὄντας πρὸς μέτρον ἕκαςον τῆς νεμηθείσης δυνάμεως. Idem monet *pag. 29. 30. ed. cit.* vt castissimos & iustissimos, Magistratus prouinciarumque Rectores ordinet,

(a) Errat Noster, quando putat, Suidam sua habere ex Eunapio. Sunt enim verba Ioannis Antiocheni, quæ exstant in *Excerptis* a VALESIO editis, pag. 849. quod & PEARSONIUS vidit, & KUSTERUS.

ordinet: atque in ea re non diuitiarum, verum virtutis rationem habeat. Hæc omnia Synesius ad Arcadium, præcipuos tum Imperii seu status publici defectus notans: Quos sane, vt imperio ruinam minitatos Synesius propalam definit, ita factionibus illis, quibus *hac l.* occurritur, ansam præbuisse, vel certe prætextum, certissimum est: Atque inter alios, Dignitates ciuiles, palatinæ, militares in nouos homines, qui non incrementa sua sibi deberent, & sic immerentes, Barbarosque collatæ, quippe potentia ad impotentiam vterentur: vnde etiam ex diuersitate morum semina factionum; Ac maxime cum Barbari seu Gentiles tum præualerent: quod etiam argumentum figuratum est librorum *de prouidentia Dei*, eiusdem Synesii, maxime posteaquam cum indigenis seu Romanis coalescere per nuptias, cœperunt, quod antea interdictum fuerat, *l. vn. sup. de nuptiis Gentilium:* quod vel Frauittæ exemplo liquet, cui id concessum fuit, vt testatur Eunapius *in excerptis Legationum pag. 15. Tom. I. Script. R. B. ed. Venet.* Vt omittam alias Synesii alibi de iniquitate Magistratuum querelas, vt & Libanii de huius æui Magistratibus in Oriente.

Cum itaque deploratus hic Imperii Orientalis sub Arcadio status esset: hæc καχεξία, hi motus animorum, & quidem ob dignitates ciuiles, militares, palatinas, non in immerentes tantum, verum iniquos palam, rapaces, Barbaros collatas, deque his crebri questus essent, nec occulti per vulgum, imo magna παῤῥησίᾳ ab Episcopis quoque publice proscriberentur, qui ἐλεγκτικοὶ multi tum erant (quod de Ioanne Chrysostomo anno proximo CCCXCVIII. testatur vel Socrates *lib. 6. c. 5.* Adeo vt ei crimini datum sit ab Isacio in *Synodo ad Quercum*, teste Photio *Cod. 59.* & *Tom. I. Concil. pag. 1042. edit. Harduin.* quod ad seditionem populum concitaret etiam aduersus Synodum:) denique cum hisce mederi haud amplius facile esset, quod Synesius scribit *dicta Oratione pag. 24. edit. cit.* indeque periculum ipsi Imperio immineret, quod sane Synesius vaticinatus est: inde publicum odium factionesque in Consistorianos illos, Senatores, Palatinos, Iudices Prouinciales, &c. passim enatæ: Quibus cohibendis salutaris hæc *lex* ab Arcadio lata est.

XII. Cognitis iam veris & Historicis harum Factionum causis, profligatis viceuersa quæ ad hanc vsque diem afferuntur, alii deinceps Interpretum errores, qui ad hanc *Legem* admittuntur, educendi sunt: simul & controuersæ ad eam Quæstiones e pluribus duæ solemnes maxime, & hanc ad rem nostram cumprimis necessariæ, dirimendæ veniunt.

Prima controuersia est, respectu *Loci*, vtrum videlicet ad Maiestatis crimen contrahendum in sp. *huius l.* & vt seuerissimis pœnis ea comprehensis locus sit, necesse sit, vt ii, in quorum necem factio seu societas inita dicitur, apud Principem in eius Comitatu seu Aula morentur, eiusque Lateri adhæreant, *Collaterales* denique Principis sint, vti loquuntur, quomodo sane alias eorum qui circa latus Principis agerent, peculiaris quædam ratio olim habita, *v. l. 30. D. de excusationibus.* Quæ quidem Quæstio, etsi de facili ex superioribus decidi posset, tum ex eo præterea, quod *Lex* id nullibi requirat, attamen in eam adhuc incumbendum est: Quod e Scriptoribus nonnulli, iique non tralatitii, illud diserte volunt, *Quod in illis tantum Imperatoris Officialibus Maiestatis crimen contrahatur, qui apud Principem resident, & in eius supremo Consistorio sedent:* In quibus fuit Glossa, Cynus, Salicetus, Laudensis, Rolandus a Valle, Clarus. Verum id non requiri perspicuum deinceps faciam, vel ex iis ipsis tribus Personarum generibus, in quorum capita factione inita Maiestatis crimen contrahi *hac l.* voluit Arcadius. Igitur *hac l.* Viri Illustres, qui Consiliis & Consistorio Principis intersunt, primi nominantur: vbi non ait lex, QVO TEMPORE *consiliis & Consistorio nostro intersunt*, multo minus, QVANDO *lateri nostro adhærent:* verum ait lex, QVI *Consiliis & Consistorio nostro intersunt*, id est, qui Officii sui dignitatisque ratione interesse solent, quibusque id oneris officiique incumbit, vti consiliis & Consistorio, vocati, intersint. His scilicet verbis Officium eorum perpetuum describitur, non iuge officii exercitium: neque enim tam continuo consiliis & consistorio interesse solebant vel poterant, vt non alibi quandoque consisterent, nihilominus, imo forte magis, per prouincias factionibus obnoxii.

Secundo, patet id ipsum ex *Senatoribus*, qui secundo loco hic nominantur: Senatores scil. *hac l.* sunt, qui siue Constantinopoli, siue per prouincias degebant: quod prius ostensum est *supr. n. 9.* quo tempore etiam Princeps ipse alibi morabatur: vt in *sp. huius ipsius l.* ex cuius subscriptione discimus, Arcadium hoc tempore *Ancyræ* constitisse, de quo iam *supra.* Nil igitur necesse est, ad Maiestatis crimen contrahendum in sp. *huius l.* vt Consistoriani aut Senatores eo loci sint, in quo Princeps moratur, eiusque lateri adhæreant.

Quod & idem tertio apparet, ex postremo personarum genere, quod his verbis designatur, *cuiuslibet postremo*, inquit, *qui nobis militat.* Non ea quidem ratione, quod dictio *Cuiuslibet*, vniuersalis sit, & dispositionem ad omnes extendat, verum quia his verbis designantur, non tantum Palatinæ dignitates, in Palatio Principis militantes, verum & prouinciales Iudices, siue Ciuiles siue Militares, vt probatum est *sup. d. n. 9.* Sic sane, quod repetere necesse est; & olim *L. Iulia Maiestatis* tenebatur, qui Magistratum aliquem P. R. vel eum qui Imperium potestatemue habebat, occidere studuisset, *l. 1. §. 1. D. ad L. Iul. Maiestatis:* quo vtique numero erant Magistratus prouinciales, qui sane Imperium potestatemque habebant. Et hæc de priore Quæstione.

Secunda Quæstio est, circa *Causam Impulsiuam* factionum istarum: vtrum videlicet, vt huius constitutionis pœnis locus sit, requiratur, vt Principis aut Reipublicæ odio contemptuue factio in necem alicuius ex supradictis personis inita fuerit: Et sic, vtrum huius constitutionis ratio exinde petenda sit, quod indirecte saltem SALVS Principis & Reipublicæ per hasce factiones, perque latus eorum qui in Dignitatibus positi erant, peteretur. Quod sane euenire sæpe variarum gentium Historia innumeris exemplis comprobat. Sic enim ferme factiosi turbonesque solent, qui Rempublicam euersam cupiunt, vel Principem in potestatem suam redigere, deque solio deturbare, quia Principem ipsum arripere, vel Rempublicam directo petere siue intutum siue arduum censent, in ea prius capita ire, quibus Principes vel Respublicæ ceu columellis & munimentis insistunt, quibusque ceu rerum Administris P. 108
carere non possunt: sic deinde, Rempublicam ipsam vel Principem appetituri. Quod vel maxime Historia Anglica clamat, vbi Principes per Officiariorum Regni latus sæpe petitos memorant Historici. Et vero id in specie quoque huius Constitutionis præsupponunt post Bartolum, Andream de Isernia, alios, Crauetta, Rolandus a Valle, Menochius. Verum rectius illi censent, qui hanc *Legem* accipiunt, de iis qui priuato tantum odio factionem in necem cuiusquam eorum qui in dignitatibus positi erant, inibant. Idque sequentibus argumentis. Imprimum in ipsa *Lege* nostra nil tale omnino vel minimum occurrit, neque quicquam exprimitur de Principis odio: verum simpliciter ea loquitur de nece per factionem personis intentata: Imo, & Arcadius aperte satis ostendit,

salutem hactenus personarum illarum præ oculis habere se voluisse. Secundo, patet id manifestissime ex iis quæ *superiori numero* seu sectione diximus, de occasione & prætextu harum factionum, enatarum ex *καχεξίᾳ* Imperii, prauaque personarum illarum administratione, odioque præsentium, nullo in Principem odio, aut indeuotione, neque vt eius obsequium exuerent, nouisque adeo rebus studerent, verum ex solo malorum, quæ tum Orientem depopulabantur, sensu, quorum causa omnis in prauos Principis Consistorianos, Senatores, Palatinos, Prouinciales, Iudices tum ciuiles tum militares, referebantur: qui abdicata prouincialium & subditorum cura, fortunas vitamque miserorum passim vexabant, fœdaque licentia omnia corripiebant: Hæc omnia agente tum Eutropio, qui apud Arcadium τὰ πάντα erat, neque Arcadio satis permittebat, vt ad prouincialium & subditorum querelas, malis mederetur. Tertio, id ipsum ex Rationibus Constitutionis huius, probe intellectis magis adhuc liquebit, de quibus mox. Ergo patet, Arcadium, seuerissimis huiusce Constitutionis pœnis locum esse voluisse, etsi factiosi obtenderent, nullo sese Principis odio in scelestam factionem illam, quibus proximorum ipsi capita peterentur, coiisse. Et ita quoque statutum in Regno Neapolitano a Ioanna Regina, quo læsæ maiestatis crimine condemnati, qui Andream de Isernia Regium Consiliarium virum Reipubl. cummaxime necessarium occidissent: vt testatur Matthæus de Afflictis *in cap. 1. §. & bona committit: quæ sint Regalia:* & de *const. Regni lib. 2. tit. de his qui fideiuss. n. 38.*

XIII. Posteaquam Criminis ipsius, quo de hac Constitutione agitur, puta Factionum in necem personarum quæ Principi proximæ erant, initarum, vim & naturam Circumstantiasque expendimus, simul & *Legis* ipsius dispositionem introspeximus: Nunc *anima Legis* spectanda venit, quæ in *Ratione* posita est. Et vero duas rationes vel potius duos Colores appingit Arcadius, vt & alias coloratis rationibus in *Iure nostro* locus est, & color sæpe iuri quæritur, *χρῶμα καὶ πλάσμα*, vt *l. 18. §. 1. D. de minoribus*, *l. 2. D. de inoff. testam.* (vt omittam quæ de *coloribus* apud Oratores seu Rhetores, imo & in *Legibus* nonnullis atque etiam alibi occurrunt.) Priorem quidem colorum hunc affert his verbis: *nam & ipsi*, inquit, *pars corporis nostri sunt:* Posteriorem vero hisce, *vtpote Maiestatis reus.* Certe, hæ rationes, vel potius hi colores, non id ingerunt, quasi in sp. *huius l.* requiratur, vt ii in quorum necem factio agitata fuerit, Lateri Principis adhæreant, aut quasi odio Principis hæ factiones initæ fuerint, perque latus Officialium Princeps peteretur quod superius refutauimus: Quid igitur? Nempe id ingerunt, etsi factiosorum hæc cogitatio non foret, attamen Arcadium factionem illam tanquam aduersus se ipsum seu Maiestatem suam & corpus initam ad animum suum reuocasse: nempe Maiestatis suæ fulgore seu charactere personis illis impresso, corporisque sui communione tributa: Vt ita scilicet a nece eorum factiosi, *καχέκται, καὶ κινητικοὶ, καὶ στασιώδεις* abstinendum sibi scirent. Ergo factiosorum ipsorum cogitatio atque intentio ab Arcadii cogitatione hic discernenda venit: cui visum, nouam nunc hanc Fictitiæ, *πλαστικῆς*, Maiestatis speciem & acerbitate criminis, & pœnarum seueritate sancire. Est scil. Maiestatis crimen tale, vt aliis sæpe criminibus colore quodam seu plasmate induatur: Non iam dico inani adulatione, vel insolenti ambitione. quod fecere passim, passiue sunt Tyrannorum multi, apud quos Maiestatis crimen, vnicum ferme crimen eorum est, qui crimine vacant, cunctaque quæstione Maiestatis apud eos exercentur: cuius rei exempla apud Historiæ Augustæ Scriptores passim occurrunt, quo etiam respexit IC. *l. 7. §. 3. D. ad L. Iul. Maiest.* Verum exigente Reipubl. necessitate, vbi sæpe Maiestatis crimen inducitur, vel Maiestatis strictura periclitantibus induitur, vt ita maioris criminis formidine iniecta, homines ab illicitis deterreantur. Arcano politico, quo solemnem alioquin criminis modum Principes sæpe egrediuntur, fortioribusque remediis agendum sibi fas putant, vt ita gliscenti malo modum ponant: de quo rursum mox. Ad eum sane morem & alias Maiestatis crimen contrahi Principes voluere, etsi proprie Maiestatis crimen id non esset, vt *l. 2. Cod. Iust. de his qui ad Eccl. confug. l. vn. supr. de priuati carceris custod. l. 8. infr. de fals. mon.* vel sacrilegii, *l. 3. 4. Cod. Iust. de Crim. Sacrilegii*, quod pro Maiestatis violatæque Legis & indeuotionis in Principem crimine sæpe accipitur, vt *l. 1. infr. si quis pecun. conflau. l. 6. infr. de indulg crim. l. 6. infr. de bonis proscript. l. 4. supr. de domesticis & protectoribus. l. 24. infr. de petitionibus.* Quare neque abnuam, hanc læsæ Maiestatis speciem, *Quasiperduellionis* nomine indigetari, si modo illud firmiter teneamus, non hostili in Principem aut Rempubl. animo id tum admissum, neque vt obsequium exueretur, verum id ita tantum ab Arcadio acceptum.

Et hæc quidem de Rationibus siue coloribus huius Constitutionis: vbi tamen prior illa adhuc explicanda venit. *Nam & ipsi pars Corporis nostri sunt.* Huius coloris duplex sensus commode adferri potest: Prior quidem, vti dicamus, Principem ceu caput Reipubl. hic æstimari: Proceres vero potissimos, Principique proximos, & quasi contiguos, neque Consistorianos modo, verum & ipsos Senatores, Corpus eius censendos: Quomodo sane (comparasse liceat) *Saluator noster*, Ecclesiæ suæ *Caput* dicitur, Ecclesia vero *Corpus* eius, Paulo *ad Ephesios* 4. *v. 15. 16.* Et alibi Princeps *Reipubl. caput* dicitur: Respubl. vero *corpus* apud Tacitum. Alter vero sensus est, neque minus idoneus, si dicamus, Arcadium *corpus suum*, pro se suaque ipsius persona extulisse: vt ita partem sui Illustres Consistorianos, & Senatores conficere indicaret. Vtrumuis dicas, res eodem semper redit. Sic sane & Synesius *Oratione de regno* (ad ipsummet Arcadium) *p. 13. edit. Petau.* circumfusum Imperatori exercitum, *καθάπερ ἐν σῶμα συμφυὲς* dixit. Ita adsessores quoque Iudicum seu administrantium portio quædam dicuntur: *l. omnis 5. sup. de his quæ administrant. l. vn. sup.* & *C. Iust. si prouinciæ Rector:* nempe quia consiliis suis Iudices iuuarent: eadem ratione qua Illustres Consistoriani & Senatores, Principem iuuabant: Quare & Li- P. 109.
banius, Iudicum adsessores eiusdem throni participes dixit, *orat. κατὰ τῶν εἰσιόντων num. 5. pag. 83. ed. Gothofred.* & *pag. 423. edit. Lugd. B. inter Oper. min. Gothofred.* & *in Lucianum p. 434. edit. Morell.* Quomodo & Synesius rursum *de regno*, illustres Consistorianos vocauit *p. 29. edit. Petau. οἱ ἀγχοῦ τῆς καθέδρας, οἱ μόνου μὲν τοῦ βασιλέως δευτερεύουσι, τῶν δὲ ἄλλων πρωτεύουσι. Assessores, qui soli a rege secundi sunt, inter reliquos vero primas tenent.* Denique, arctissimos personarum nexus, ita efferre mos tralatitius est, puta vt alter alterius corporis pars quædam dicatur. Vt alia omittam, sane & ita Corippus *lib. 2. v. 201. seqq.* Iustinum Imp. ad Imperii Proceres loquentem inducit.

- - Vos o mihi proxima membra,
Conscripti Patres, nostri spes maxima Regni,
Vos estis Pectus, vos Brachia Verticis huius.

Ergo Arcadii mens est, se eo loci hanc factionem in necem sibi proximorum initam ducere, atque si Corpori suo sibique ipsi ea præparata esset & concinnata,

cinnata, ἐπίθεσις ἐπὶ τὸ σῶμα, vt loquitur Aristoteles 5. *Politicorum* 20.

Porro, vt hoc loco Arcadius Consistorianos & Senatores partem Corporis sui facit, quo eos vel ita a factionibus securos iam reddat, ita viceuersa Principes, vt arctum sui cum Senatu Senatoribusque vinculum ostenderent, seque ipsos Senatui commendarent, ipsimet se *Senatus partem* subinde dixere, atque inter Senatores seipsos numerauere. Vt antiquiora omittam, veluti Alexandri Seueri dictum, apud Lampridium *in eius vita cap.* 11. ita Iulianus (de cuius peculiari erga Senatum cultu, quem Constantius neglexerat, vide quæ Libanius scribit *Orat. in Iuliani necem p.* 298. 299. *edit. Morell.* & Ammianus Marcellinus *lib.* 22. *cap.* 7.) *l.* 1. *sup. de exhib. reis*, & *l.* 8. *C. Iust. de dignitatibus: Ius Senatorum*, inquit, *& auctoritatem eius Ordinis, in quo nos quoque ipsos numeramus.* Ita Valentinianus Iun. *l.* 32. *sup. de cursu publ. Quanto magis his* (Senatoribus) *facultas est deferenda, quos collegii merito videre frequentius cupimus.* Theod. Iun. *l.* 180. *de Decurionibus: Cœtum amplissimum, cuius consortio gratulamur:* Denique boni Principes, Senatores ὁμοτίμους sibi habuere dixereque, v. & Themistium *Orat.* 13. *ed. Petau.* Vt omittam rursum quæ Græci Interpretes hac de re similiter scribunt, de quo iam dictum ad *d. l.* 1. *de exhib. reis.*

Ergo vt eo redeam, vnde digressa est oratio, etsi in specie *huius Legis* factiosorum hæc cogitatio non fuerit, vt in ipsius Principis odio personas illas appeterent, Arcadii tamen cogitatio hæc fuit, gliscenti huic factionum malo, quo passim capita Officiariorum quos elegisset petebantur, tam grauem Fictitiæ Maiestatis & quasi Perduellionis *colorem*, & crimen, pœnasque obiicere: longe adhuc acerbius, quam cum Valentinianus Iun. *l.* 3. *C. Iust. de crimine sacrileg.* rescribebat: *sacrilegii instar esse, dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator.*

Ex his igitur patet, rationem *huius Legis* non eam esse. 1. Quod hi quorum capita Factionibus petebantur, lateri Principis adhærerent. 2. Item non eam esse, quod odio Principis peterentur, & sic non Principis ipsius securitati *hac l.* prospectum. 3. Addamus, neque ὄγκος seu fastigium dignitatis eorum, quorum vita pulsabatur, causam *huic l.* dedisse: cum videamus, etiam vnius Senatoris, vel cuiusuis Principi militantis capite per eas factiones petito, parem omnino pœnam infligi, atque si Illustris alicuius Consistoriani vita pulsata fuisset. Quid igitur? vera omnibus personis illis communis huius Constitutionis Ratio hæc est, quod Reipubl. seu summæ rei administrandæ in quacunque tandem eius parte, admotorum, atque in dignitatibus positorum, vitam, quæ passim hoc æuo pulsabatur, in tuto locatam oportuit; in tuto vero locari haud aliter posse visa, quam si color *Maiestatis*, & *participatio seu communio, κοινωνία corporis* Principis, iis appingeretur. Qui duo colores Arcadii *hac l.* sunt, de quibus rursum aliquid *proxime.* Et sic haud aliter, quam si fictitia læsæ Maiestatis species metusque obiiceretur: Tandem, haud aliter, quam si speciali hac Tuitione salus eorum vitaque muniretur. Recte enim quoque dicere possis, hoc Arcadii Edictum nil aliud esse, quam TVITIONIS seu præsidii cuiusdam generalis, omnibusque personis illis communis, speciem seu formulam: qua omnium in Dignitatibus publicis & ἐμπράκτοις constitutorum vita salusque, quæ tum passim petebatur, in solido tutoque locata fuit. Quo alioquin more, a vim metuentibus speciales sæpe Tuitionum formulæ λόγοι ἀσυλίας & olim impetrari solitæ, & nunc concedi mos est.

Sed & recte dici possit, *Pragmaticam* hanc Arcadii esse, extra ordinem, in Dignitatibus constitutorum saluti consulentis. Cui haud absimilis est circa Cardinales, Decretalis *c. Felicis* 5. *de pœnis in* 6. Ioannæ Reginæ constitutio, de qua *supra.* Non omnino similis Henrici VII. constitutio *ad reprimendum*, ab eo promulgata Pisis Anno 1312. cui *titulus: Qui sint rebelles.* Vt & Caroli V. Pragmatica apud Bormes Anno 1520. (referente Molina 4. *de Primog. c.* 11. *n.* 56. &c.) quia, in specie illarum constitutionum, aperta aduersus Imperium rebellio vertebatur, perque latus Principi proximorum, Maiestas Regis reuera pulsabatur.

XIV. Historica Constitutionis huius dissertatione defunctis, perspectis simul eiusdem *Rationibus*, superest vltimo loco in eius *Censuram* inquiramus: quandoquidem ea non iustos modo interpretes nacta est, verum & in Censores acerrimos incurrit: Arcessitur primum ea *Nouitatis:* Noua creditur, non tantum ob pœnarum acerbitatem, de qua *mox:* verum ideo potissimum, quod ea suprema Principis Maiestas, natura sua incommunicabilis, ἀκοινώνητος, contra ossibus Principis adhærens, priuatis quibusdam personis communicetur: ita quidem, vt *perduellionis* propemodum crimen contrahi iudicetur, factione in eorum necem inita. Verum his responderi potest, quod iam sæpe dixi, ita quoque olim *Lege Iulia* constitutum fuisse, vt is Maiestatis teneretur, cuius opera consilio, dolo malo, consilium initum esset, vt Magistratus P. R. quique imperium potestatemue habebat, occideretur, *L.* 1. *§.* 1. *D. ad L. Iul. Maiest.* En similem omnino Maiestatis Fictitiæ seu precariæ, sic vt dicam, speciem, nam cum alioquin Pop. Rom. Maiestas in ipso populo resideret, attamen & Magistratibus Pop. Romani ea quodammodo communicata fuit, qui sc. cum Imperio & potestate erant: Eo quod Pop. Rom. securitas in his versaretur, quos proinde sanctimonia sepiri, atque ἀσύλους reddi oportuit. Fateor equidem, difficilius id, firmato semel statu Monarchico, sub Principibus, circa Magistratus & Dignitates constitutum, qui haud ita de facili supremum *Maiestatis* suæ *fulgorem* aliis communicant: ea opinione, *haud aliter rationem eius constare posse, quam si penes vnum Principem ea resideat.* Et sane ante Arcadium nulli Imperatorum id placuisse video, vt generale in id Edictum promulgaret, etsi Reip. Rom. exemplum hac in re aliquod extaret. Cur autem Arcadio id placuerit, iam superiori capite ostensum est, & sic pronunciare licet, hanc Arcadii mentem & Constitutionem nouam esse, & non esse.

Maior criminatio est eorum, qui eam ceu *Acerbam* nimis, imo *Iniquam* & Sanguinariam, iniuriosam & contra naturalem æquitatem iuris diuini & humani proscribunt: Iniquitatis seu Acerbitatis species ponunt in sequentibus: quæ interim *huius l.* sententiæ seu capita notentur. 1. Quod Maiestatis, imo perduellionis crimen, vel vno Senatore, Principiue *militante* occiso contrahatur. 2. Quod *cogitatum* scelus, eadem qua patratum seueritate hic plectatur. 3. Quod in *filios* innoxios, (irrationabili vt volunt odio,) perpetua egestas, & incapacitas successionis, non tantum paternæ, sed etiam matris & auiæ, & proximorum etiam extraneorum, atque infamia, eaque indelebilis, hoc casu prorogetur, sic vt eis mors solatio, vita supplicio sit. 4. Quod *deprecatoribus*, & pro his hiscere ausis, infamia inuratur. 5. Quod *filiabus* nonnisi legitima in bonis matris relinquatur. 6. & 7. Quod *emancipationes, alienationes* quocunque titulo, post crimen statim contractum, in irritum deducantur. 8. Quod ex fructo *nuptiali* quod a marito vxor habet, iure vsusfructus, quodque aliàs filiis reseruandum erat, filiæ tantum, & quartam adhuc P. 110.

adhuc tantum consequi possint. 9. Quod ea ipsæ pœnæ *satellitibus*, consciis, ministris eorumque filiis, quæ coniuratis coniuratorumque filiis imponantur. 10. Quod denique *Indices*, Delatores, Denuntiatores, ac si de summa Reipubl. ageretur, præmiis etiam exciantur. 11. Et post hæc omnia, qui mos Tyrannorum est, quod lenitatis adhuc species non vno loco ostentetur: vt cum Arcadius ait, sese *filiis, qui paterno debuerant perire supplicio, vitam Imperatoria specialiter lenitate concedere:* item cum ait, *mitiorem circa filias debere esse sententiam:* Item cum tam blande Delatores euocat, & quidem eos ipsos, qui iam factione vsi fuerint, Nolo per singula hæc nunc ire, exemplisque ea firmare, quod fecere iam alii industrie, vel etiam ea recoquere, quæ hanc ad rem *Politici* curiose obseruant; in summam dicam, hanc Reipubl. administrandæ rationem esse, vt non omnia in ea ad communem & ordinarium modum & rationem reuocari semper debeant possintue. Nempe Reipubl. necessitas, crescentibus præsertim malis, passimque inolescentibus, nonnulla sæpe quæ alioquin sæua, deque iniquo aliquid trahere, videri possent, extorquent, & fortioribus remediis agi suadent: Nam vt cæteroquin omnia ad summæ rei vtilitatem in Republ. spectare oportet, ita vtilitas hæc, ταῖς χρήσεσι ἀκολυθεῖν suadet, atque adeo extraordinaria asperaque sæpe Iura κατὰ περίςασιν introducit. Vt non temere inter Iuris constituendi vias NECESSITAS ponatur: *Ergo*, inquit ICtus, *omne ius aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmauit consuetudo.* Quomodo & Menander *Sentent. pag. 319. inter opera sententiosa Poëtar. Græcor. Iacob. Hertel. Helmstad. 1668.*

– – τρία γάρ ἐςι δέσποτα
δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, ἢ κατὰ νόμυς,
ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ γε τρίτον ἔθει τινί.
Ad res agendas his tribus compellimur,
Necessitate, lege, consuetudine.

Atque istud Ius χρειῶδες omnino vocare possis. Nempe Arcadius, cum assiduis querelis comperisset, in Reipubl. administratione dignitatibusque a se positos, factionibus passim obnoxios, omniaque turbarum plena, pœnas intendendas iam & exasperandas credidit, quasi haud aliter cuiusquam eorum salus in tuto locari posset: Qua causa siue impulsiua siue finali huius Legis *Arcanum* continetur. Quare, quod Ammianus Marcellinus, de Valente Imp. scribebat *lib. 29. cap. 1. Valentem fuisse venia dignum, vitam quam ereptum ire perfidi properabant, omni cautela defendentem:* Id ipsum & hoc casu de Arcadio dici possit, venia saltem dignum, qui vitam sibi proximorum capitum, quam ereptum ire factiosi *passim* iam properabant, omni cautela defensum iuerit. Quo pertinet etiam egregius Sexti Aurelii Victoris *de Cæsarib.* elegantissimi Scriptoris locus seu iudicium de Seuero, *c. 20. At iste delendarum cupidus factionum, quo deinceps mitius ageret, necessitudinem facti vlcisci maluit, ne paulatim spe veniæ in labem publicam per coniurationes procederetur, ad quas vitio temporum animos* [pronos scil.] *intelligebat. Neque ego abnuo, ea delictorum, quæ grassari immodice cæperint, plus pene quam seuere excidenda esse.* De quo iam aliquid *supra*.

Et hæc quidem satis ad defendendam a Nouitatis, vel etiam Acerbitatis crimine, constitutionem. Cuius etiam ego (vt tertium hoc sed εἰκαςὸν tantum ad Arcadii defensionem addam) non tam Arcadium, quam Eutropium ipsum Auctorem facio. Quæcunque enim tandem, & quam salutaris Arcadii mens fuerit, ad Reipubl. vtilitatem comparata: attamen vulpinis Eutropii fraudibus (quomodo Claudianus eum *vetulam vulpem* vocauit *lib. 1. in Eutrop. v. 145. Vt primum vetulam texere Palatia vulpem*) velandis, exaratam atque extortam omnino censeo: vt suam videl. suorumque potentiam firmaret, salutemque in tuto locaret, denique reuera vt flagitiosi Iudices elaberentur. Nam cum is hac tempestate πᾶσαν τῆς βασιλείας οἰκονομίαν haberet, atque Arcadii animum haud aliter atque pecudem, quo vellet etiam verteret (quod prolixe sup. ostensum est) passimque ab eo Consistoriani, Senatores, Palatini, Iudices, quos consiliis suis fauentes sciret, promouerentur, iique indigni, rapacesque (quæ causa appetendorum eorum procul dubio vulgo fuit) huc Arcadii animum inclinauit, vt tam graues pœnas indiceret, hancque *Tuitionis* formulam promulgaret. Quem oportuerat, honesta insuper consilia capessere, excitis partim accusatoribus in prauos Iudices, more Constantini M. cuius aurea hanc in rem extat constitutio, *l. 4. sup. de accusat.* & Theodosii M. *l. 6. inf. ad L. Iul. repet. & l. 4. eod. Cod. Iust.* (non tamen familiaribus & seruis, quibus vocem intercludi interest, & vero sub gladii pœna interclusit, Maiestatis tantum crimine excepto, idem Arcadius ad eundem Eurychianum PP. vnico post *hanc l.* mense *l. 20. C. Iust. qui accus.* seu *l. 3. sup. ne præter crim. Maiest.*) Remotis item vel etiam punitis, qui eas dignitates fœdassent: Tandem honestioribus probisque viris promotis. Etsi non desint Arcadii constitutiones quædam, quibus prauitati Iudicum modum aliquem ponere studuit: Veluti pœnis propositis ambitui eorum, *l. 1. inf. ad L. Iul. de amb.* quæ lex hoc ipso anno data est, & de illustri Palatii dignitate agit: tandem similem prorsus sententiam ei, quæ *h. l.* continetur, continet: *cum pari sorte*, inquit, *Leges scelus, quam sceleris puniant voluntatem:* Repetundarum item crimini & concussionibus idem Arcadius occurrit, *l. vlt. de iis quæ administr. l. 3. de vsuris:* quæ & ipsæ hoc anno datæ fuere: Prouinciæ denique suæ administratione Iudicibus interdixit: teste Synesio *ep. 73.* quomodo & pater eius prohibuerat, *l. vlt. Cod. Iust. de crimine sacrilegii:* vide dicta ad *leg. 1. supr. de assessorib.* Verum necquicquam & frustra hæc omnia: cum eo iam prolapsa esset Respublica, vt remediis amplius locus esse non posset, per summum Eutropii nefas.

Hæc inquam animi mei coniectura est, neque vno argumento. Primum id suadent omnino ea, quæ modo perstrinxi, quæque prolixe supra dicta sunt de Eutropio Arcadii animum pro libitu suo versante, atque habenas Imperii flectente, & indignos quosque rapaces & Barbaros passim per fœdas nundinationes ad dignitates promovente. Secundo, vulpinis Eutropii moribus omnino conuenit, tanta tamque accurrata illa pœnarum congeries, pariter vt in aliis similibus legibus Arcadianis, veluti *l. 16. inf. de pœnis l. 34. 36. de hæreticis:* tam accuratæ item illæ rationes & sententiæ, ex medio Iure & Politica, obtentui ferme, petitæ: tam blanda delatorum, etiam eorum qui iam factione vsi fuissent, euocatio, qua validissima securis factionibus iniicitur, quibus omnibus partim spem offert, partim metum intendit, imo mutuum inter factiosos metum excitat, dum alter alterum timet ne prodatur: tanta denique, & oratoria, post hæc omnia Clementiæ & lenitatis ostentatio: pariter vt in *leg. 17. inf. de bon. proscript. leg. 23. de petit.* Vt hic, si coniecturæ isti locus est, valeat interim illud, *Nullam esse crudeliorem sententiam ea, quæ est, cum parcere videtur, asperior:* Et vt ille ait, *quanto mollior, tanto vehementius mordet.* Tertio, Legum ferendarum arbitrium penes Eutropium hac tempestate fuisse, liquida res est. Quomodo & Rufinus, qui ante Eutropium apud Arcadium rerum potiebatur, Leges pro arbitrio suo fixit & refixit, vnde Claudiano *Legum venditor* dicitur: & Alciati sententiæ accedo, qui *Legem, si quis maior vtroque C. Iust. de transactionibus*, atro- p. 102.

atrocitate pœnarum pariter famosam, a Rufino extortam scribit: de quo ad *eam legem* plene: v. & quæ notaui ad *l. vn. sup. si quis Imperatori maled.* Sic sane & Eutropio diserte adscribitur ea Arcadii constitutio, qua Ecclesiarum asyla coërcita fuerunt: vti testantur Socrates *lib. 6. c. 5.* Sozomenus *lib. 8. c. 7.* Chrysostomus *oratione in Eutropium* & *Vita Chrysostomi* Scriptores. Suidas *in v.* Εὐτρόπιος. Quæ quidem illa ipsa Arcadii constitutio est, ad eundem Eutychianum PP. cui hæc nostra inscribitur, emissa, vnde quatuor *Leges* desumptæ sunt *hoc Codice* puta *lex 3. de his qui ad Eccles. confug. l. 57. de appellat. l. 33. de Episcop. Eccles. & Clericis: l. 16. de pœnis:* & *Cod. Iust.* tres, puta *lex 11. de Episcopis: l. 6. de Episcop. aud. l. 29. de appell.* Qua tandem *Lege* sua Eutropius ipse concidit. Sane Claudianus Eutropium diserte *Præsidium* LEGVM vocauit *lib. 2. in Eutrop. v. 68.*

- - *Præsidium Legum, Genitorque vocatur*
Principis, & famulum dignatur Regia patrem.

Idem *lib. 1. in Eutrop. v. 173.*

Vidit sub pedibus LEGES, *subiectaque colla*
Nobilium.

Succurrit & illud mihi, quod Zosimus ait, *lib. 5. cap. 11. 12.* Eutropium & Stiliconem, hac tempestate, odia internecina inter se exercuisse: Vnde Eutropius ipse Stiliconem ab Arcadio & Senatu Constantinopolitano hostem publicum renuntiari fecit, teste Zosimo *lib. 5. cap. 11.* Vt omittam quod Claudianus ait, eum commisisse inter se Arcadium & Honorium *lib. 1. in Eutrop. v. 281.*

- - *geminam quid diuidis aulam,*
Conarisque pios odiis committere Fratres?

Contra Stilico vtriusque aulæ administrationem sibi tum vendicabat: vt proinde necesse forte habuerit Eutropius, capiti suo suorumque a Stilicone metuere. Quod etiam Claudianus *lib. 2. in Eutrop. a v. 500. seqq.* indicare videtur. Inde tanta illa pœnarum seueritas, tam peremptoria verba, eæ in delatoribus exciendis blanditiæ, & hæc omnia velut in abrupto periculo. Quicquid tamen Eutropius hanc in partem moliri potuerit, sedecim ipse post mensibus, Gaina id agente (qui Stiliconi obnoxius erat) non per factionem, verum Arcadii ipsiusmet iudicio relegatus primum, mox & interfectus fuit.

Nunc, cum ad finem huius Dissertationis ventum est, Historicas huius constitutionis causas e superioribus in breue cogamus. 1. Nempe, si de Factiosis ipsis quæritur, *Factionum* quibus *h. l.* occurritur, causæ hæ fuerunt: quod Reipubl. administrandæ dignitatibusque tum admoti, sordidi quique Barbarique, rebusque suis tantum intenti, subditorum cura abdicata, modis omnibus eos vexarent. Quæ Arcadiani sæculi labes fuit. 2. Si *Arcadii* mentem inspicimus, Maiestatis crimen, pœnasque *h. l.* comprehensas factionibus istis probo more obiiciendi causa hæc fuit: quod Factionibus his, tum passiuis, seu passim initis, nullius non ex iis, quos ipse Reipublicæ ceu idoneos admouisset, dignitatibusque ornasset, vita salusque exposita esset, omniaque turbarum plena forent: de quo *cap. 15.* Et hæc proculdubio vera sunt. Εικαςὸν nostrum istud est, si de Eutropii mente quæritur, *Eutropio* suadendæ huiusce Legis hanc Arcanam causam fuisse videri, quo scilicet clientibus suis, quos ipse honoribus aut prouinciis ornauerat, vel ab Arcadio ornari fecerat, saluis, Rerum summam ipse porro administraret: de quo paulo ante. Verum hoc εικαςὸν tantum, prout quisque volet, ita & accipiat.

Et hæc quidem interim Historica nostra Dissertatio esto, quam ante aliquot annos iam publicauimus *ad hanc Nobilissimam & Quotidianam Arcadii Imp. Legem. Quam prouinciam vacuam hanc ad diem deprehendi. Nam quæ singula ad eius siue Praxin, siue Applicationem pertinent, vt & Arcana* Politica, *quæ exinde quamplurima petuntur, etsi* Pragmatica *vel* Politica *Dissertatione exequi haud adeo operosum fuisset, attamen ceu alieni iuris iam facta pleraque, magisque exposita, ne attingere quidem libuit.* Obiter tantum præter ea, quæ iam *initio huius sectionis* capita notaui, quæ sententiose magis dicta, hic congerere iuuat: Qualia ista 1. Senatores & Consistorianos partem corporis Principis esse. 2. Eadem seueritate voluntatem sceleris qua effectum hic puniri. 3. Filios sæpe paterno debere perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla metuuntur. 4. Perpetua egestate sordentibus mortem esse solatio & vitam supplicio. 5. Mitiorem circa feminas debere esse sententiam, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus. 6. Etiam serio pœnitentibus, ignosci quandoque.

P. 112.

DE PARRICIDIO. *

TITVLVS XV.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XVII.

De his qui parentes, vel liberos occiderunt.

* *De Parricidiis* habent Cuiac. prior. & illa in Quarto. *RITTER.*

CONSTANTINI M. *in parricidas Constitutio.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Verinum (b) Vic. Africæ.

SI quis in (c) parentis, aut filii, aut omnino affectionis (d) eius, quæ nuncupatione *Parricidii* (e) continetur, fata (f) properauerit, siue clam, siue palam, id fuerit enisus (g) neque gladio, neque ignibus, neque vlla (h) alia sollemni pœna subiugetur, sed insutus culleo, (i) & inter eius (k) ferales angustias comprehensus, serpentum contu-

contubernijs misceatur: & vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel amnem (l) proiciatur: vt (m) omni elementorum vsu viuus carere incipiat, vt (n) ei cælum superstiti, terra mortuo auferatur. Dat. XVI. (o) Kalend. Decemb. Licinio V. & Crispo Cæs. Coss. [318] Accept. Prid. Id. Mart. Cartagine, (p) Constantino A. V. & Licinio Cæs. Coss. [319.]

INTERPRETATIO. *Si quis patrem, matrem*, (q) *sororem, filium*, (r) *filiam vel alios propinquos occiderit*, (s) *remoto omnium aliorum* (t) *genere tormentorum, facto de coreis sacco, qui* culeus *nominatur*, (v) *in quo cum missus fuerit, cum ipso etiam serpentes claudantur: & si mare vicinum non fuerit, in quolibet gurgite proiiciatur; vt tali pœna damnatus, nullo tempore obtineat sepulturam.*

NOTÆ.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) *Verinus* Vicarius Africæ sub Constantino M. vide & *l. 1. inf. de famosis libellis.* Eiusdem mentio fit in Rescripto Constantini, quod refert Augustinus *lib. 3. contra Crescónium cap. 70.* Sed & in collatione Carthaginensi, *in capitulis gestorum cognit. 3. cap. 548. pag. 1143. Tom. I. Concil. ed. Harduin.* vid. quæ notabo ad *l. 1. de famosis libellis.* IDEM.

(c) Abest hæc vox a *Cod. Iustin.* ID.

(d) *Affectio* hic quod alias, *affectus*. Repono hanc vocem *l. 11. infr. de Episcop.* & occurrit ea apud Agrœtium *de Orthograph.* pag. 2274. inter *Grammat. Cl. Putsch.* vid. *Gloss. Theod.* Intelliguntur autem hic propinqui, vt Interpres reddit. ID.

(e) Id est, qua interfecta parricidium admittitur. ID

(f) *In alicuius fata properare.* ID.

(g) *Pœna parricidii puniatur, & neque gladio*, &c. ita Tribonianus. ID.

(h) *Neque vlli aliæ solemni pœnæ.* Ita *Codex Iustin.* ID. *Neque vlli solemni pœnæ subiugetur*, Ed. Sichard. RITTER.

(i) *Cum Cane & Gallo gallinaceo, & Vipera, & Simia.* Hoc amplius Tribonianus. GOTHOFRED.

(k) *Eas*, Cod. Iustin. IDEM. *Eas*, edidit Sichard. RITTER.

(l) *In amnem*, Cod. Iustin. *in quolibet gurgite* Interpres. GOTHOFRED. *In amnem*, Ed. Sichard. & MS. G. RITTER.

(m) Non abludit Periclis ψήφισμα, Μεγαρέας μήτ' ἀγορᾶς, μήτε θαλάττης μήτ' ἠπείρυ μετέχειν, *quo Megarenses foro mari & continenti arcebantur*, quod citat Suidas *voc.* σκολιόν, & legitur quoque apud Scholiastem Aristophanis *ad Acharnens. pag. 283. Edit. Bas.* Sed & Lactantius de crudelitate Gentilium aduersus Christianos, *lib. 5. cap. 11. Quænam illa*, inquit, *feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem viuis, terram mortuis denegasse?* GOTHOFREDVS.

(n) *Et ei*, Cod. Iust. ID. *Et ei*, Edit. Sichard. RITTER.

(o) *XI.* in *Cod. Iust.* & Cuiacii *editione.* GOTHOFRED. Multum in editis & MSS. subscriptio variat, & *Coss. anni* tantum 318. in Cod. Iust. & vltim. Parisin. apparent. MS. W. legit: *Dat. XVI. Kalend. Decembr. accept. IIII. Id. Mart. Karthagin. Constantino A. V. & Licin.* MS. G. *Data XV. Kal. Decemb. accept prid. Id. Mart. Constantino A. & Licin. Cæs.* Sichard. edidit, *Dat. XVI. K. Dec. Acc. Pr. Id. Mart. Carthagin. &c.* Prima Cuiac. & illa in Quarto habent: *Data XI. Kal. Decembr. Licinio V. & Crisp. Cæs. Coss.* RITTER.

(p) Pariter *l. 1. inf. de famosis libellis*, quæ data est ad hunc eundem Verinum, *proposita Carthagine*, dicitur. GOTHOFRED.

(q) *Fratrem*, addit MS. G. & ita Paullus quoque & Marcianus ICtus, *ll. in Commentar. citt.* RITTER.

(r) *Filium vel filiam aut aliquos*, &c. MS. G. ID.

(s) *Occidit*, MS. W. ID.

(t) Oscitanter librarius Goth. *remotis omnium malorum generibus tormentorum.* ID.

(v) *Appellatus*, MS. W. ID.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. hæc constitutio est, de parricidii crimine pœnaque, qua crimen istud atrociter persequitur: tum ratione personarum; tum pœnæ: hæc enim duo circa PARRICIDIVM hac Constantini M. constitutione, quæ data est A. D. 318. continentur.

Quod prius igitur attinet; Parricidii teneri vult Constantinus M. non eos tantum, qui parentem aut filium enecant, verum etiam eos qui *affectiones alias*, quæ nuncupatione *parricidii* continentur. Certe Paulus 5. *Sententiar. tit. 24.* lege *Pompeia de parricidiis* teneri scripsit, *qui patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patronum, patronam occiderit.* Martianus quoque *l. 1. D. de lege Pompeia de parricidiis*, has præterea personas addidit, *patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, consobrinum, consobrinam, vxorem, virum, generum, socrum, vitricum, priuignum, priuignam*, sic vt qui horum aliquem occiderit, pœna legis Corneliæ de sicariis teneri scribat. Verum hæc *Constantini* constitutio non tam late sese porrigit, quomodo etiam eam recte Tribonianus accepit, *§. 6. Instit. de publicis iudiciis*; nempe, eos tantum parricidii pœna teneri vult, qui parentem, aut filium occiderint, vel Adfectionem (id est affectum) *quæ nuncupatione parentum continetur*, vt Tribonianus Constantini verba non male immutauit. Proinde si quis alias cognatione vel adfinitate coniunctas personas necauerit,

uerit, non hac pœna, verum *lege Cornelia de sicariis* punitur. Itaque fallitur Interpres, qui fratrem etiam, & sororem, aliosque propinquos parricidii nuncupatione hic intellexit.

P. 113. *De pœna* Parricidii nunc uidendum est. Constantinus igitur, non gladii, aut etiam ignis, non vlla alia solemni pœna Parricidas affici vult, verum pœna cullei: scilicet vetus hæc parricidii pœna fuit, & more maiorum recepta: *Cullei*, inquam, pœna, vt præter *legem penult. D. de leg. Pompeia de parricidiis*, testatur Malleoli exemplum apud Liuium *in Epitom. lib. 68.* & apud Auctorem *ad Herennium lib. 1. cap. 13.* Quinimmo Valerius Maximus *lib. 1. cap. 1. §. 13.* id supplicii genus Parricidis *lege* irrogatum ait: idque non multo post Tarquinium Regem; Et vero factum id *lege XII. Tabularum*, vt omnino indicat Author *ad Herennium lib. 1. cap. 13.* Et Festus *in voce, Nuptias*, vbi initium ipsius *legis* citatur. *Ob quam causam*, inquit, *legem quoque, Qui parentem; iubere caput eius obnubere qui parentem necauisset.* Neque abludit Ennii locus Diasyrticus apud Nonium *Cap. 2. voce, Perbitere, num. 654. Nunquam scripsistis, qui parentem aut hospitem necasset, quos quis cruciatus peruiteret.* Eiusdem *legis* mentio *lib. 3. sentent. Dosithei cap. 16.* Postea secuta lex Cornelia *de parricidiis*, cuius mentio fit *l. vlt. infr. ad leg. Corneliam, de falso; & leg. 2. §. 32. D. de origine iuris:* Tum lex *Pompeia:* qua pœna hæc sublata fuit, & prout parricidium admissum fuisset, vel gladii, vel ignis, vel bestiarum supplicium impositum, vt præter hanc *legem* ostendit Paulus, 5. *sentent. tit. 24.* Et quidem bestiis obiecti parricidæ ex Hadriani constitutione, vt ostendit *lex penult. D. de leg. Pompeia de parricidiis.* Leo certe ignis pœnam reduxit *Nouella sua*, quam citant *Glossæ Nomicæ* voc. πομπηΐας δὲ παρρικιδίς, & patet *ex lib. 60. Basil. tit. 40. cap. 8.* Sed Constantinus *hac lege* veterem pœnam (quam tamen a vetustate non repetit verbis expressis) culei reducit, quam etiam sequitur filius eius, *l. 4. infr. quor. appellat.* de qua aliquid saltem agendum est. De *culeo* ipso qui ταύρειος ἀσκός, *Saccus de coriis* Interpreti, res nota est; quo insutus parricida, quique plaustro nigris bobus tracto impositus in mare, vel profluentem mittebatur; id enim vulgatum est ex Dositheo *l. c.* & *d. l. penult.* & Authore ad Herennium *lib. 1. c. 13.* & Cicerone *pro Roscio Amer. cap. 11.* Valerio Maximo *lib. 1. cap. 1. §. 13.* Iuuenale *Satyra XIII. v. 155.* Suetonio in *Octau. cap. 33.* Seneca *Controuers. lib. 5. controuers. 4. in fin.* & de Clementia *lib. 1. cap. 15.* & 23. Xiphilino *in Neron. pag. 274. edit. Sylburg. inter Histor. Rom. Græcos Scriptor. minor.* aliisque locis: Vt ita omni Elementorum vsu parricida carere inciperet viuus, eique superstiti cœlum, terra mortuo auferretur; quod mutuatum ex Cicerone *pro Roscio Amerino cap. 26. init.* & vt Interpres hic ait, vt iusti pœna damnatus nullo tempore obtineat sepulturam, honore sepulchri careat. Theophilus *Instit. de publ. Iudic. §. 6.* τελευτήσας τῆς γῆς ἐκ ἀξιῦται, *mortuus terræ honorem non consequitur.* Ad quem locum vide Fabrotum. Hæc, inquam, notissima sunt: sed & quomodo, & vnde factus ille culeus fuerit, quod etiam aliquo modo Interpres innuit.

At non illud æque compertum est, an & aliquid semper culleo vna cum parricida inclusum fuerit? Putat Hieronymus Magius, *Miscell. 4. c. 8.* principio nihil cum parricida intra culleum inclusum, quod probat ex Liuio *Epitom. lib. 68.* & Valerio Maximo *lib. 1. cap. 1. §. 13.* vbi solus memoratur culleus; deinde serpentes concludi cœptos, vt de C. Villio prodit Plutarchus *in Tiber. Graccho circa fin. pag. 834. ed. Wechel.* & confirmat Seneca 5. *contr. 4. in f. Imaginabar mihi culeum, serpentes, profundum:* postea & simiam inclusam putat, docente Iuuenale *Satyra de Nerone VIII. v. 214.*

Cuius supplicio non debuit vna parari
Simia, non serpens vnus, non culeus vnus.

Tandem & *Canem*, & *Gallinaceum*, & quidem hæc duo postrema a Constantino M. addita scribunt. Verum hæc inania sunt, & falsa. Nam Canem & Gallinaceum iam sub Hadriano Imp. inclusos liquet non tantum ex *l. penul. D. ad leg. Pompeiam de parricid.* Verum etiam, quod omnem dubitationem præcidit, ex Dositheo *l. cit.* Neque putandum est, aliud Senecæ, aliud Iuuenalis æuo obseruatum, cum hi Scriptores coæui fuerint. Neque mouet, quod *Serpentum* tantum mentionem fieri videmus apud plerosque Scriptorum; id enim nil impedit: Nam imo si hoc argumento stamus, nonnisi serpentes inclusos Constantinus voluerit: *serpentum*, inquit, *contuberniis misceatur*, etsi Tribonianus cætera adiiciat. Rationem tandem *huius legis* illustrat Theophilus Paraphrastes Institutionum *§. 6. de publ. iudic.* Sed & Dositheus *loc. cit.* μετ' ἀσεβῶν, inquit, ζώων ἀσεβὴς ἄνθρωπος; *cum impiis animalibus impius homo.* Impia scil. animalia, quæ parricidio gignuntur, & pugnacia. Et hæc sufficiant, ne circa patulum orbem, remque vulgatam morer. (a)

Illud tantum monendum superest, pertinere hanc *legem* ad Africam: quæ liberos de more non vna occasione enecabat, vel cultu olim superstitioso Saturno eos immolabat (de quo sunt notissima *Patrum* loca, vel eos exponebat; cui mori Constantinus aliis constitutionibus obuiam iuit) vel aliter eos enecabat, in eorum fata properando, vt *h. l.*

(a) Si plura desideras, vide GOLDASTVM ad Dosithei *loc. cit.* qui ex Græcis atque Latinis huc pertinentia cumulauit; CL. MANVTIVM ad Ciceronis *loc. pro Rosc. cit.* CHRISTOPH. COLERVM *in Parerg. cap. 13. pag. 357. Tom. I. Thes. Iur.* & eos denique qui auctores illustrarunt obseruationibus suis, quorum loca vides restituta in Commentario, in quo quid displiceat CL. SCHVLTINGIO vid. *in not. ad Paulum V. 24. loc. supr. cit.* vbi & CVIACII videbis animaduersionem ad Valerium Maxim. *lib. 1. cap. 1. §. 13.* qui legendum putat in eo auctore, *idque supplicii genus multo post parricidis lege irrogatum est*, vti & habent pleræque editiones. Quod tamen nostro non placuit, qui negationem *in d. l. Valerii* retinuit, & sane accurate, si quid ego video.

DE MALEFICIIS, * ET MATHEMATICIS, ET CETERIS SIMILIBVS.

TITVLVS XVI.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XVIII. Basilicon Lib. LX. tit. XXXIX. Photius Nomocan. Tit. IX. cap. XXV. *pag. 970. Tom. II. Biblioth. Iur. Can. veter. Henr. Iustelli.* Porro integer hic *Titulus* ad HISTORIAM ECCLESIASTICAM pertinet.

* *De Maleficis* Cod. Iust. quod magis probo propter sequentia: γοῆτες, Græcis. *GOTHOFRED.* *De Maleficis*, legit etiam Breuiarium Leg. Rom. MS. in Bibl. Guelferbyt. & Editio Sichard. *RITTER.*

PARATITLON.

MALEFICI, *Rubr.* & *l. 4. 6. h. t.* & *l. 3. 8. inf. de indulgentiis crimin.* quos ob facinorum magnitudinem vulgus *Maleficos* appellat. *d. l. 4. h. t.* qui *Malefici* vulgi consuetudine nuncupantur, *d. l. 6. h. t.* maleficiorum labe polluti, *l. 11. h. t.* maleficæ artis Rei, *d. l. 11. h. t.* qui maleficiorum insimulatione atque inuidia stringuntur, *l. 10. h. t* vnde & maleficiorum scelus, *l. 4. inf. de indulgent. crimin.* Crimen maleficiorum, *l. 7. inf. de* P. 114. *indulg. crimin.*) id est Magi, *l. 4. 6. h. tit.* Qui & magicis artibus accincti vtique dicuntur, *l. 3. h. t.* Hi humani generis inimici dicuntur *l. 6. h. t.* naturæ peregrini, *l. 5. h. t.* communis salutis hostes, *l. 11. h. t.* Horum crimen Maiestati proximum habetur *l. 6. h. t. l. 2. de bonis proscriptorum.* Horum actus scientia, *l. 3. h. t.* siue Ars (vnde Magicæ Artes *l. 3.* & *5. h. t.*) in his versatur, in defigendis ad libidinem animis, in hominum salute impugnanda, *l. 3. h. t.* [in internecione hominibus, pecudibus, frugibus procuranda, vnde Internecinum, & Internecini actio siue accusatio, *l. 14. sup. de accusat.* pro Magiæ & maleficii crimine seu accusatione] Item in suffragiis adhibendis in agrestibus locis, *d. l. 3. h. t.* in elementis turbandis, & vitis insontium labefactandis, in Manibus acciendis, & ventilando, *d. l. 5. h. t.* Hinc & Magici apparatus, *l. 7. h. t.* magica contamina, *l. 6. h. t.* Qui noxiis quæsita graminibus, & diris immurmurata secretis, mentis & corporis venena composuit, *l. 6. inf. de indulgent. crimin.*

Hi a Constantino ita tolerati fuerunt, dum ne quid contra hominum salutem aut existimationem molirentur, *l. 3. h. tit.* Verum a secutis Principibus postea penitus prohibiti fuerunt, *l. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. h. t.* Codices eorum cremati, *l. 34. in f. inf. de hæreticis.*

MATHEMATICI *Rubr.* & *l. 4. 6. 8. 12. seu vlt. h. t.* (*de quib. ad d. l. 4.*) quo nomine veniunt, & Aruspices siue Haruspices; de quibus *l. 1. 4. 6. h. t* & forte *l. vlt. h. t.* & *l. 1. inf. de Paganis:* (vnde & Haruspicina, *l. 9. h. t.*) a quibus scilicet requirebatur quid fulgura portenderent, eorumque responsa, Denunciationes, & Interpretationes vocantur, *d. l. 1. de Paganis.* Item Harioli, *l. 4. 6. h. t.* Augures, *d. l. 4.* & *6. h. t.* Vates, *d. l. 4. h. t.* Chaldæi, *d. l. 4. h. t.* Diuinandi artem somniis narrandis occultantes. De *Haruspicibus* id obseruandum, Haruspices publice consuli Constantinum permisisse, *l. 1.* & *2. h. t.* & *d. l. 1. inf. de Paganis;* a Constantio vero penitus consuli prohibitos, *l. 4.* & *6. h. tit.* a Valentiniano vero nocenter tantum Haruspicinam exerceri vetitam, *l. 9. h. t.* Cæteri quoque sublati, vel professionem suam exercere vetiti, *l. 4. 6. 8. vlt. huius tit.* hac potissimum de causa, quod contra salutem Principum, vel de eorum salute saltem quærerent, vt aperte ostendit *l. 6. hoc tit.* Quanquam & alia de causa quoque Mathematici errorem suum exercere vetiti, *l. vlt. hoc tit.* vbi & Codices eorum comburi iubentur.

POENÆ eorum variæ & graues, seuerissimæ pœnæ, *l. 3. h. t.* Ignis *l. 1.* Supplicium capitis gladio vltore, *l. 4. h. t.* Feralis pestis, eaque absumi, *l. 5. h. t.* competenti animaduersione mactari. *l. 7. h. t.* Capitalis sententia, *l. 8. h. t.* deportationis pœna. *l. vlt. h. t.*

In HARVSPICES *Romæ Constantini M. duæ leges.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Maximum. (b)

NVLLVS Aruspex (c) limen (d) alterius accedat, nec ob alteram (e) causam; sed huiusmodi hominum, quamuis vetus, amicitia (f) repellatur: concremando illo Haruspice, qui ad domum alienam accesserit: & illo (g) qui eum suasionibus vel præmiis euocauerit, post ademptionem bonorum, in insulam detrudendo: Superstitioni (h) enim suæ seruire cupientes, poterunt publice (i) ritum proprium exercere. Accusatorem autem huius criminis non delatorem (k) esse, sed dignum magis præmio arbitramur. (l) PP. Kal. Feb. Romæ, (m) Constantino A. V. & Licinio Cæs. Coss. [319.]

NOTAE.

(a) *Lex* 3. *Cod. Iust. eod. tit.* ex hac *lege* & *sequente* interpolata est. Photius quoque eius sententiam refert in *Nomocan. t.* 9. *cap.* 25. *pag.* 977. *edit. Iustelli.* & *Basilic. lib.* 60. *tit.* 39. *c.* 29. Denique hæc *lex*, velut indicat Balsamon ad *Nomocan. Photii pag. ead.* & *seq.* in *Basilicis* multum immutata. Baronius eam recte Annalibus suis inseruit *An.* 319. *n.* 29. GOTHOFR.

(b) *Præfectum Vrbis Romæ*, vt in partem subscriptio *legis PP. Romæ*, ostendit, & expresse testatur Author incertus de Præfectis Vrbi, his ipsis Consulibus; Et *lex* 1. *inf. de Paganis* (quæ argumento huic respondet) & *lex* 2. *sup. de sponsalib. ID.*

(c) *Nullus sacerdos, nullus eorum, qui huic ritui adsolent ministrare ad limen*, hoc ex *sequente lege* additum Cod. Iustin. RITTER.

(d) *Limen* hic, & *l. prox.* non est limen Ianuæ, seu Ianua, verum domus, vt mox vocatur *h. l.* priuata domus, *l.* 2. *inf.* mox vocatur: sed & errat iculariter Alb. Gentilis, dum subtilem nimium agit, & tentat his verbis indicari maleficia in *liminibus* ianuarum quoque committi solita. Nil tale hic innuitur. GOTHOFR.

(e) Quam de futuris quærendi, respondendi consilio, atque adeo nequidem amicitiæ prætextu, vt loquitur *lex prox.* cuius eadem est, quæ *huius l.* sententia. Quare ponderanda hæc vox *alteram*, quæ hic vim facit. ID.

(f) *Amicitiæ* vocabulo intelligit interiorem familiaritatem. ID.

(g) Sequentia in Codice Iust. ita leguntur: *Et illo in insulam deportando post ademptionem bonorum, qui eum aduocauerit suasionibus vel præmiis. Accusatorem autem*, &c. RITTER.

(h) Hanc vocem mox vrgeo. GOTHOFR.

(i) Apud aras publicas & delubra, & libera luce, *l.* 2. *inf.* non in priuatis ædibus. IDEM.

(k) De *Delatoribus* dicendi locus erit, *inf. tit. de Petition.* Honesta sc. hic proditio est. IDEM.

(l) Iubemus. ID.

(m) Data enim hæc *lex* ad *Maximum* (Præfectum vrbis Romæ.) IDEM. Sed vide hic *Chronologiam.* Vult enim Noster, rescribendum esse *PP. Kal. Septemb.* vel *Nouembr.* cum Auctor *Notitiæ Præfect. Vrb.* tradat, *Maximum* a Kal. demum Septembr. Præfectum V. fuisse, & quidem *bis Coss.* RITTER.

II. (a) Idem A. ad Populum. (b)

P. 115.

HARVSPICES, & Sacerdotes, (c) & eos (d) qui huic ritui (e) adsolent ministrare, (f) ad priuatam domum prohibemus accedere, vel sub prætextu amicitiæ limen (g) alterius ingredi, pœna (h) contra eos proposita, si contempserint Legem: Qui vero id vobis extimatis (i) conducere, adite (k) aras publicas adque delubra, (l) & consuetudinis (m) vestræ celebrate sollemnia: nec enim prohibemus præteritæ vsurpationis officia libera (n) luce tractari. (o) Dat. Id. Maji. Constantino A. V. & Licinio coss. [319.]

NOTAE.

(a) Ex hac *lege* & *superiore*, vt dixi, interpolata est *Lex* 3. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) *Vrbis Romæ Populum* intelligit, Gentilitium adhuc ferme, vt ex hac *lege* & *superiore* partim apparet: & *l.* 1. *inf. de Paganis*, quæ his concordat. ID.

(c) *Sacerdotes* sunt, qui interpretantur, hic Vaticinatores: quomodo *Sybilla Sacerdos* Virgilio 6. *Æneid. v.* 35. 41. & alibi: & Augures Sacerdotes Ciceroni 3. *Fam. ep.* 10. Certe de ampla nominis Sacerdotis significatione, agit Scalig. 3. *Poët.* 16. Verum *Sacerdotes* hic proprio significatu accipio, qui sacrificia peragebant, quique adeo non minus quam Haruspices exta inspiciebant. ID.

(d) Vates, Hariolos, Augures, &c. ID.

(e) Δυσφημίαν & hic pariter & *l.* 1. *sup.* euitasse videtur: Hunc ritum scil. intellexit vaticinandi artem omnem. *Huic ritui* igitur, id est huiusmodi ritui, vt *l.* 4. *inf.* ad HANC PARTEM. ID.

(f) id est, operam dare ipsi, non etiam aliis inseruire vaticinationi operam dantibus. ID.

(g) Limen id est, domum vt *sup.* & *l.* 1. *h. t.* ID.

(h) Ignis, *l.* 1. *supr.* ID.

(i) Pro *existimatis.* ID.

(k) Vide *l.* 10. *inf. de Paganis.* ID.

(l) Vide *l.* 10. 11. 25. *de Paganis.* ID.

(m) *Consuetudinis* vox hac in re propria *h. l.* & *l.* 1. *inf. de Paganis*: Eodem sensu, mos veteris obseruantiæ, *d. l.* 1. *inf. de paganis. Vsurpatio* hac ipsa *lege.* ID.

(n) Publice, *l.* 1. *sup.* Ne alioquin putet quis, noctu hasce tantum prohiberi his verbis: vid. quæ dicam ad *l.* 7. *inf.* & *ad leg.* 3. *infr. de infirm. his quæ sub Tyran.* ID.

(o) *Tractandi* vox hac in re propria; ita Mathematicorum tractatus, *l.* 8. *inf.* ID.

COMMENTARIVS.

Constantini M. in Haruspices Romæ duæ constitutiones hæ sunt, eodem Anno 319. septimo videlicet inde, vt ea potius est, datæ: *Prior* paulo prius ad Maximum Præfectum vrbis Romæ: *Altera* ad populum ipsum data. Harvspices quinam fuer[illegible] notius est, quam moneri necesse sit prolixius. Breuiter, erant, qui sacrificiis factis ex Harvgarvm Inspectione (id est hostiarum & extorum inspectione) de futuris iudicium & coniecturam faciebant: Cum quibus Auspices & Augures nonnulli male confundunt. His certe *l.* 2. coniunguntur & Sacerdotes, id est, qui sacrificia peragentes, exta pariter inspiciebant. Itemque *ii, qui huic ritui adsolent ministrare.* Quibus verbis intelligit nonnemo Victimarios, id est, Popas, Cultrarios, qui scil. ministerium præbebant Sacerdotibus victimis mactandis, igni, & reliquis sacrificio parandis: Male; intelligendi quippe sunt alii, seu cæteri omnes, diuinandi artem exercentes, similes Haruspicibus & Sacerdotibus, vt sunt Vates, Harioli, Augures, id genus alii, & vt *Rubr.* loquitur, *cæteri his similes*, quique *ritui ipsi*, non Sacerdotibus, ministrabant.

Igitur Haruspices, istique omnes, quoniam priuatis sese consultoribus præberent, atque intra domos priuatorum artem suam exercerent, atque adeo haruspicinam facerent, in aliorum (& Principum quoque haud raro) necem, de quorum siue salute, siue fine, a priuatis consulebantur, vel etiam contra publicam quietem, & imperium populi Romani: Ideo in id genus homines, Haruspices nominatim, subinde Senatusconsulta & constitutiones Principum latæ, atque in eos qui de iis, quæ dixi Haruspices consuluissent: aliosue diuinandi artem exercentes, de quo dicendi locus erit plenior *alibi.*

Constantinus M. igitur his duabus constitutionibus, vt & tertia, *l.* 1. *infr. de paganis*, Haruspicum & similium priuatorumque hac parte conatibus obuiam iturus (& paulatim etiam quantum coniicio, superstitionem gentilitiam pessumdaturus, populique Romani mores ad pietatem traducturus, paulatim, quod ab hoc anno 319. facere potissimum instituit,) cum Haruspicinam, quæ tantas in Gentilium animis radices egerat, penitus prohibere non posset, haruspicinam hactenus priuatim exerceri vetuit, & sacrificia domestica diuinationi exercendæ prohibuit, in tantum vt Haruspices ad priuatam domum accedere noluit, veteremque cum his *amicitiam*, id est familiaritatem domesticam, abrumpi, neque in priuatas domos admitti sub amicitiæ prætextu, *nec ob alteram causam*, quam haruspicinæ exercendæ animo scil. scilicet ne hoc, illoue prætextu Haruspicinam nocenter inter priuatos parietes exerceri contingeret. Nihil est scil. velandis fraudibus & sceleribus tam idoneum, quam priuata amicitia, priuatique congressus; qui merito dominantibus suspecti: *Nam a nullo genere non æque summum periculum est, si cœtus, & concilia, & secretas consultationes esse sinas*, quod Cato apud Liuium *lib.* 34. *cap.* 2. dicebat. Sic & olim iam prospectum, ne qua sacra fierent in operto, Liuius *lib.* 39. *cap.* 14. Huc omnino pertinet etiam Firmici consilium, horum temporum scriptoris, quod Mathematicis dat *extremo libro secundo*, vt *responsa sua* Pvblice *dent*, & hoc interrogaturis ante omnia prædicent, quod omnia de quibus iam interrogant, clara sint voce dicturi, *nec* Secrete *cum aliquo fabulas conferant*, *sed* Palam *sub conspectu omnium istius artis disciplinam exerceant.* Sed & antea Tiberius, vt memorat Sueton. *cap.* 63. *Haruspices* Secreto *ac sine testibus consuli vetuit*; publice igitur permisit. Vlpianus etiam *lib.* 7. *de Off. Procos. in Collat. Leg. Mos. & Roman. tit.* 15. hoc indicat, *Vt*, inquit, *profiterentur*, & Pvblice *responderent*, vti emendat Pithæus; cum vulgo legatur, *reprehenderent.* Et sane Alexander Seuerus, teste Lampridio, *cap.* 44. *Aruspicibus & mathematicis salaria instituit, & auditoria decreuit.* Quin & memorat Curtius *lib.* 7. *cap.* 7. in regno Macedonico, *non licuisse nisi apud Regem Vaticinia* p. 116. *profiteri.* Deinde vt recte nonnemo scribit, ex malo semper affricatur mali aliquid: malique adeo consortio prohibendi, etsi non veniant vt faciant male: Quo non absimili etiam prorsus fine, litigatores domum Iudicis ingredi familiariter, & secretum eius petere pomeridiano tempore prohibet *l.* 6. *sup. de offic. Rectoris Prouin.* & *l. vn. sup. de off Iudicum ciuilium*: quam in rem videndæ quoque duæ Libanii *Orationes* κατὰ τῶν εἰσιόντων εἰς τὰς τῶν ἀρχόντων καταγωγάς, *aduersus ingredientes in magistratuum domos*, & κατὰ τῶν προσεδρευόντων τοῖς ἄρχουσι, *aduersus adsiduos apud magistratus*, quas partim edidi *primus*, partim illustraui.

Viceuersa sicut Haruspicinam priuatim exerceri Constantinus *his legibus* & *d. l.* 1. vetat, ita contra publice eam exerceri permittit. *Publice*, inquam, apud aras publicas & delubra, & retento more veteris obseruantiæ: Per hæc scilicet *reformationis* (sic vt loquar) initia, delubra omnia & aræ inuiolatæ stabant. Quin & *d. l.* 1. *infra*, *de paganis*: Haruspicinam in publicis quoque causis a Senatu vrbicisque Magistratibus Romæ vsurpari idem Constantinus concessit: sic tamen vt ad se responsa Haruspicum referri vellet. De cuius rei ratione ad *eam legem* plenius dicam. Et hæc omnia, non tanquam ipse Haruspicinam probaret, vel ei obnoxius fieret, quod Zosimus credidisse videtur, & Baronius hinc colligit; verum quia euellendæ e Gentilium animis haruspicinæ par nondum erat, & Romæ quidem & per Italiam, quam haruspicinæ nominatim fidem maximam habuisse scribit Herodianus *lib.* 8. *cap.* 3. μάλιστα γὰρ (inquit) τῇ σκέψει ταύτῃ πιστεύουσιν Ἰταλιῶται, *etenim magnopere fidem huiuscemodi signis habere Itali consueuerunt.* Ideoque satis habuit Constantinus suæ interim saluti & publicæ quieti *his legibus* ea quam dixi ratione consuluisse: prohibitis sacrificiis domesticis & priuatarum ædium ingressu Haruspicibus interdicto.

Certe tantum abest, vt ex *his legibus* probari possit, quod Zosimus scribebat *lib.* 2. *cap.* 29. Constantinum per hæc adhuc tempora Haruspicibus fidem adhibuisse, vt contra *l.* 1. *h. t.* disertis verbis Haruspicinam improbare se ostendat, cum *superstitionem* vocat: & *l.* 2. cum ait: *Qui vero id vobis existimatis conducere*; Ac si diceret, *non ego.* Et vt paulo

paulo ante indicaui, id quod *d. l. 1. infr. de paganis* constituit, id alio prorsus quam Haruspicinæ probandæ animo fineque a Constantino factum est: vt ad eam ostendetur.

Porro quam enixe Constantinus & suæ & publicæ saluti sacrificiis domesticis & haruspicina priuatim exerceri prohibita consultum voluerit, duo præterea ostendunt: Primum *pœna* seuerissima, quam & Haruspici & Consultori imponit: Haruspici inquam ignis, Consultori vero deportationis & bonorum publicationis. Sane Vlpianus quoque apud *Authorem Collationis Legum Mosaicarum, tit. 15.* Eos qui de Principis salute consuluissent, capite punitos, vel qua alia grauiore pœna adfectos scribit. Sed & Paulus *5. sentent. tit. 21. §. 3.* Aruspices & cæteros qui de salute Principis & summa Reipubl. responderint, vna cum eo qui consuluerit, capite puniri. Et tamen *hac lege* seuerior pœna Haruspici quam olim imponitur, ignis scilicet (quæ sane grauissima pœna est, *l. 28. D. de pœnis*, de quo dixi in *cap. 7. lib. 1. Tertull. ad Nationes,*) etiamsi nec de Principe aut statu Reipub. responderit. Sane Magi viui olim exusti, vt Paulus testatur, *lib. 5. tit. 23. §. 17.* Vicissim euocanti mitior pœna *h. l.* imponitur: in eo tamen grauior quam olim; quia etsi de statu Reipub. vel de salute Principis non consuluerit, tamen punitur, si admisit, si euocauit Haruspicem. Denique nota seueriorem pœnam Haruspici imponi quam Consultori: Nempe genus hominum hoc, vt Tacitus loquitur *histor. lib. 1. cap. 22.* publico exitio repertum, *Potentibus infidum, sperantibus fallax.* Et tamen notari cupio *l. 2. h. t.* arbitrariam pœnam iam in Haruspicem & Consultorem a Constantino mutato consilio constitutam.

Secundo Accusatores huius criminis hoc Edicto euocat Constantinus Præmio. De quo more Accusatores euocandi & quidem in publica causa, qualis hæc est, dixi ad *l. 4. sup. de Accusationib.* Denique illud summopere attendi cupio, has duas *leges*, & *dictam leg. 1. infr. de paganis*, ad Vrbem Romam & Populum Romanum proprie pertinere: Scilicet vrbs ea & veteris moris siue superstitionis retinentior fuit, & quidem hac parte, vt ostendet quoque *lex 3. 4. 5. 9. 10. 11. vlt. infr.* & rebus quoque nouis opportunior erat. Tandem scriptor Vitæ Constantini memorat Edictum, *lib. 2. cap. 45.* quo diuinandi curiositas omnis vetita: Quinimo & Zosimus Haruspicinam penitus sublatam a Constantino refert *lib. 2. cap. 29.* vt & Sozomenus *lib. 1. cap. 8.*

De Incantamentis, *quatenus ea prohibita sint vel permissa, Constantini M. Lex.*

III. (a) Idem A. & Cæs. (b.) ad Bassum P. V. (c.)

Eorum est scientia (d) punienda, & seuerissimis merito Legibus vindicanda, qui Magicis adcincti (e) artibus, aut contra hominum moliti (f) salutem, aut pudicos ad libidinem defixisse (g) animos detegentur: Nullis vero criminationibus implicanda sunt Remedia humanis (h) quæsita corporibus, aut in agrestibus (i) locis, ne (k) maturis vindemiis metuerentur (l) imbres, aut ruentis (m) grandinis lapidatione (n) quaterentur, innocenter (o) adhibita suffragia, quibus non cuiusque (p) salus, aut existimatio læderetur, sed quorum proficerent actus, (q) ne diuina munera & labores hominum (r) sternerentur. Dat. x (s) Kalend. Iul. (t) Aquileia (v) Crispo (x) & Constantio Cæs. coss. [321.]

Interpretatio. *Malefici, vel incantatores, vel immissores tempestatum, vel hii qui per inuocationem dæmonum mentes hominum turbant, omni genere pœnæ puniantur.*

NOTÆ.

(a) *Lex 4. Cod. Iust. eod. tit.* Photius *Nomocan. t. 9. c. 25. p. 977. edit. Iustell.* vbi vide notam Balsamonis: Basilic. *lib. 60. t. 39. c. 30.* Hanc legem quoque Annalibus suis inseruit Baronius A. 321. *n. 16.* GOTHOFR.

(b) *Crispus* scilicet, qui hoc anno Cæsarum maximus, rebus in Gallia fortiter gestis aduersus Francos, immenso 117 terrarum spatio emenso ad Patris Constantini conspectum sese contulit: vt testatur Nazarius, *in Panegyrico cap. 36.* Porro hæc vnica mihi *lex* occurrit inter omnes Constantini M. quæ *Cæsaris* (Crispi scilicet) nomen præferat. Quanquam & de hoc eodem accipi potest *lex 2. sup. de Tutorib.* ID.

(c) Malim *P. P.* Nam neque vetus Notitia *Præfectorum vrbis*, hunc hoc Anno memorat. ID.

(d) Vide quæ noto ad *l. 8. infr.* ID. Cod. W. legit: *Eorum licentiam puniendam esse, seuerissimis merito legibus vindicandam.* RITTER.

(e) Vide *Commentarium.* GOTHOFR.

(f) Internecionem conciliant, vnde Internecini actio, *l. 14. supr. de accusat.* ID. *Moliri*, Cod. Iust. RITTER.

(g) Vide, quæ dico *in Comment.* GOTHOFR. *Deflexisse*, MS. W. Cod. Iust. Edit. Sich. & priores Cuiac. RITTER.

(h) *Humanitatis* MS. W. ID.

(i) Albericus Gentilis putat, ex mente Iustiniani hæc hodie accipienda, de Agrorum lustratione, diebusque Rogationum, quod inane est. GOTHOFR.

(k) Hæc vsque ad vocem *innocenter*, Tribon. inuertit. ID.

(l) *Mitterentur.* ID.

(m) *Aut ventis grandinisque lapidatione.* Ita Iustinianus. ID. MS. W. *aut rore, grandinis lapidatione.* MS. G. *aut rore, lapidatione grandinis.* Sich. *aut venti & grandinis lapidatione.* RITTER.

(n) Apuleius non absimiliter, *lib. 1. Metamorph. pag. 6. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire 1623. in 12.* *Statutumque est, vt in eam saxorum iaculationibus vindicaretur.* GOTHOFR.

(o) Vide *l. 9. in fine.* ID.

(p) Id est, *Cuiusquam.* Et Ita *Cod. Iust.* ID.

(q) *Astuum* appellatione cantamina, seu carmina indigitat Constantinus. *ID.*
(r) Vide *Comment. ID.*
(s) Alii *XV. ID.*
(t) *Iun.* in Cod. Iust. Et in *Editione in Quarto*, item Edit. *Cuiac. ID. Iun.* MS. G. & Sichard. *RITTER.*
(v) In Edit. *Cuiac.* editum *Aquilino*, male; sane & in *Cod. Iust.* editum *Aquileiæ. GOTHOFR.*
(x) *vt. Crispo II. & Constant. II. ID.* Accurate MS. W. *Constantino Coss. RITTER.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. tertia hæc hoc titulo Constitutio est. Et hæc quidem de INCANTAMENTIS seu carminibus Magicis (quæ & SVFFRAGIA proprie *h. l.* vocantur) Ea vero vt Antiquitus duplicis generis fuere, ita & hac Constitutione Constantinus M. pariter agnoscit: non minus, quam venenum ἐκ τῶν μέσων est. Itaque & signate in XII. *qui* MALVM *carmen incantasset* (teste Plinio *lib. 28. c. 2.*) parricida esse iussus est, id est, homicidii pœna plexus: itemque, *qui Fruges* EXCANTASIT, eadem *l. XII. Tabularum* pœna obnoxius factus est, id est, non tantum qui fructus alienos in alias terras cantibus, seu magicis artibus transtulisset, quo minus adolescerent, vel etiam penitus enecarentur, inter alia intempestiuis imbribus attractis vel necessariis repulsis, vt Seneca docet *4. Natural. Quæst. c. 7.* Eadem plene ratione Constantinus M. etsi Christianæ religioni iam operatus, eodem συγκαταβάσεως genere (de quo ad *leges superiores* egi) Populo Romano gentili scil. boni carminis seu incantamenti gratiam facit: malum vero, ad pœnam & leges reuocat, & quidem seuerissime, in quo etiam *legi Dei* accedit, de qua Philo *de spec. legib. lib. 2. pag. 792. edit. Francf. apud Ierem. Schrey.* hac constitutione, quam cur Baronius subobscuram vocauerit, conicere non possum. Mira sane nonnullis hæc constitutio videtur: Nam etiam Ethnici nonnulli magicorum istorum carminum vim negarunt, & in his Seneca: Et negant Christiani nonnulli, & in his Valesius *de sacra Philos.* quibus aperte quicquid velint, refragatur *Psalmus 58.* & Apostolus *3. ad Galatas v. 1.* Alii vero aperte condemnarunt, etiam innoxiorum istorum carminum vsum, vt Medicorum disciplina: quod testatur Augustinus *lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 20. num. 30. pag. 31. Tom. III. edit. Benedict. Venet.* Damnata igitur etiam a Medicorum Principibus, Hippocrate *lib. 2. de morbo sacro:* Galeno περὶ ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως. Ridet & Lucianus *in Alexandro, seu* ψευδομάντ: Et Plinius *lib. 28. c. 2.* & Plutarchus *in Pericle circa finem, pag. 173. edit. Wechel.* & vt Plinii verba vsurpem, *viritim sapientissimi cuiusque respuit fides.* Sane IC. quoque Vlpianus, etsi Christianæ Religionis osor, *l. 1. de extraord. cognition. §. 3.* huiusmodi remedia inter medicinæ genera esse negat: *tametsi*, addit, SINT *qui hoc sibi profuisse cum prædicatione affirmant.* Quibus contra Ammianus Marcellinus *lib. 16. c. 8.* ita scribit: *Si quis*, inquit, *anile incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem, quod medicinæ quoque admittit auctoritas* &c. Sed vide sis longam hac de re disputationem Plinii *lib. 28. c. 2.* & *lib. 30. c. 2.* Mureti *4. var. 6.* Pind. *Od. 3. Pyth.* στροφ. *γ. v. 9. 10.* vid. & Martianum Capellam *l. 9. pag. 370. edit. Lugdun. apud Barthol. Vincentium a. 1592.* Platonem *variis locis*, Valesium *de Sac. Phil.* Hinc & remedia, quæ a rei rusticæ & medicæ Scriptoribus proponuntur, Catone, Varrone, Theophrasto, Aëtio, Sereno, Tralliano, V. & libellum hac de re, qui *Galeno* adscribitur: Et hæsit tamen diu in animis quoque Christianorum approbatio & studium horum remediorum seu incantamentorum. Quare Ioan. Chrysostomus passim, aliique antiqui Ecclesiæ Patres hanc superstitionem grauissime coërcuere, Et extant etiam de horum pœnis *Canones* in antiquis Conciliis, vt *Can. 36. Synodi Laodicenæ Tom. I. Concil. pag. 787. edit. Harduin. Can. 61. Synodi 6. in Trullo. pag. 1683. Tom. III. Concil. edit. cit.* Vide & *Capitularium lib. 6. c. 22.* Imo vanitatem hanc ac nominatim περιάπτων καὶ φυλακτηρίων seu περιαμμάτων damnauere Principes quoque non modo Christiani, vt de Constantii (qui Constantini M. huius nostri filius fuit) temporibus refert Ammianus *lib. 16. cap. 8. Si quis anile incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem, reus delatus pœnaliter interibat.* It. *lib. 19. cap. 12. vt veneficos pronunciatos reos capitis interisse, si qui* REMEDIA *quartanæ, vel doloris alterius collo gestaret.* Itemque de Valentiniani temporibus idem Ammianus *lib. 29. cap. 2. Anum quandam simplicem, interuallatis febribus mederi leni carmine consuetam, occidit vt noxiam:* & postea: *visus adolescens in balneis admouere marmori manus vtriusque digitos alternatim, & pectori, septemque vocales literas numerasse, ad stomachi* REMEDIVM *prodesse id arbitratus, percussus gladio est.* Verum & Pagani, vt de Antonino Caracalla refert, etsi alio fine Spartianus *cap. 5. Damnati sunt*, inquit, *& qui* REMEDIA *quartanis tertianisque collo annexa gestarent.* Ac vt de φυλακτηρίοις & περιάπτοις his adhuc addam. D. Basilius *Homilia in Psalmum 45. num. 2. pag. 171. Tom. I. Oper. edit. Benedictin.* ea damnat περιάμματα characteribus insignita: Et Ioan. Chrysostomus *Homilia in Mathæum 72. (al. 73.) num. 2. pag. 703. Tom. VII. Oper. edit. Benedictin.* in eos inuehitur, qui sua ætate philacteria περιάπτα ad collum suspendebant, vel partem aliquam Euangelii scriptam: itemque & *Homil. 8. ad cap. 3. epistol. ad Colossenses edit. Comel. p. 1374.* non dubitat idem Chrysostomus comparare aliquatenus martyrio contemptum huius vanitatis: ἐνόσησε τὸ παιδίον, οὐκ ἐποίησε περίαπτα, μαρτύριον αὐτῇ λογίζεται, *ægrotauit infans, non fecit amuleta, reputatur ei martyrium*, adde *pag. 1375. sequentem*, vbi docet Periclem Atheniensem amuleta risisse, sed inter Christianos tamen, vetulas ferme fœminas seu anus hæc fecisse. Adeo scilicet altas radices egerat in plebis Christianæ animis δυσοποιὸς hic morbus. Et tamen vt dixi eum Constantinus quoque *h. l.* ad pœnam non reuocat. Id enim est, quod sibi vult, cum ait: *Nullis vero criminationibus implicanda sunt* REMEDIA *humanis quæsita corporibus.* Cui similis, & prope gemina est Apuleii sententia *Apologia pag. 276. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire. Veteres Medici, etiam carmina*, REMEDIA *vulnerum norant, vt omnis vetustatis certissimus auctor Homerus, docet: qui facit Vlyssi de vulnere sanguinem profluentem sisti* CANTAMINE: NIHIL ENIM QVOD SALVTIS FERENDÆ GRATIA FIT, CRIMINOSVM EST. Quæ postrema verba diceres Constantini Quæstorem in animo habuisse. Et tamen circumscribenda hæc sententia est, velut falsa. Quam multa enim vetita, licet salutaria interdum sint, & non malo animo dentur, sed malo tamen exemplo ac more? Non facienda sunt mala vt eueniant bona. Sane apud Ægyptios puniebantur Medici, qui non ex P. 118. præceptis artis ægrotum curauissent. Denique nec bonus vsus rei male rem malam probat, vt contra malus vsus bonæ rei bonam non infamat. Quo mirum magis, Iustinianum *hanc l.* tanto post probasse, inque *Codicem suum* retulisse. Quare & Leo *Nouella 65.* eam abrogat & Eusebius *lib. 3. demonstr. Euangel. cap. vlt.* Constantini M. coætaneus, aperte a Christianis damnatum hunc incantationum usum sem-

semper testatur. *Remedia* igitur *humanis quæsita corporibus*, sunt vel nuda cantamina ad leniendum dolorem: de quibus v. ex Alex. Trall. *lib. 12.* Origine *contra Celsum*, Marcello Empirico *cap. 21.* loca, quæ cumulauit Cl. Lindenbrogius ad Amm. Marcellinum *lib. 16. cap. 8.* De iisdem sensit & Nicephorus *in schol. ad Synesii librum de insomn. pag. 360. 361. 362. 363. edit. Petau.* & Marcellus *de medicina v. 16. seqq.*

Gramine seu malis ægro præstare medelam
CARMINE *seu potius: namque est res certa* SALVTI
Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.

Medicina igitur facta ἐπῳδαῖς & incantationibus: sic vt corporibus putaretur prodesse; PRÆCINERE hoc Latinis dicebatur, Macrobius *lib. 2. in somnium Scipion. c. 3.* de Musica loquens, *Corporum quoque morbis medetur: Nam hinc est, quod ægris* REMEDIA *præstantes* PRÆCINERE *dicuntur.* Tibullus diserte *lib. 1. Eleg. 5. v. 9. seqq.*

Ille ego, cum tristi morbo defessa iaceres
Te dicor votis eripuisse meis.
Ipseque te circum lustraui sulfure puro
Carmine cum magico PRÆCINVISSET *anus.*

Strabo *lib. 15. Geograph. pag. 1065. edit. Almeloueen.* τὰς δ' ἐπῳδὰς ποιοῦνται πολὺν χρόνον, ῥάβδων μυρικίνων λεπτῶν δέσμην κατέχοντες, *imprecationes diu faciunt, fasciculum virgarum myricinarum tenuium tenentes.* Scilicet Magi fasciculum virgarum tenentes epodas illas suas incinebant. Vel amuleta περίαπτα, magicorum ferme verborum susurro adhibita; de quorum etiam vsu sub Theodosio M. est & Libanii locus *de vita sua, pag. 63. edit. Morelli.* Lactantius ad Constantinum Magnum *huius legis* Auctorem scribens *lib. 5. cap. 9. qui cœlum quoque ipsum veneficiis appetant tanquam illorum malitiam terra non capiat.*

Et hactenus de Magicis artibus & incantamentis, quæ pro remediis ad morbos depellendos adhibuit Gentilium superstitio, quæ impunita Constantinus M. *hac lege* reliquit. Par indulgentia eiusdem Constantini M. circa ea, quæ conseruandis frugibus & auertendæ frugum calamitati adhibebantur: de quibus consulendi rei rusticæ *Auctores:* in his Columella *lib. de cura hortor.* & Palladius, vbi notat contra grandinem remedium: Vide & quæ notat Casellius II. *Variarum*, 10. Sed & insigne est, quod Seneca memorat 4. *Natural. 6. & 7.* de χαλαζοφύλαξι, id est, iis quibus delegata erat cura prouidendæ tempestatis; & de remediis quæ Cleonis adhibita ferebantur, ad grandinem & tempestates auertendas, ne vineæ vapularent, aut segetes prociderent. Quæ omnia item narrat Clemens Alexandrinus *lib. 6. Stromatum pag. 631. edit. Sylburg. Paris. 1629.* Hic interim quoque locus eo pertinet quod de grandinis lapidatione *h. l.* dicitur. Sane Pausanias quoque *lib. 2.* ait, vidisse se homines qui sacris & incantationibus *Grandinem* auerterent. De imbribus *Legem XII. Tabularum* quoque, cuius antea memini, idem Seneca accipit *d. c. 7. lib. 4. N. Qu. Et apud nos*, inquit, *in XII. Tabulis cauetur, ne quis alienos fructus incantassit. Rudis adhuc antiquitas credebat & attrahi* IMBRES CANTIBVS & REPELLI. De Tempestariis, id est immissoribus tempestatum (vt eos Anianus ad *h. l.* vocat) dicendi locus erit ad *l. 6. infr.* Contra igitur improbantur *h. l.* & seuerissimis legibus subiiciuntur *Tempestarii* isti, aliique qui aduersus hominum salutem quid magicis artibus moliuntur (quod crimen *Internecini* dici existimo *l. 14. sup. de accusat.*) vel etiam pudicos ad libidinem animos defigunt. Conciliatus scilicet amor quoque his artibus magicis; vide Pharmaceutriam Theocriti, *siu. Idyl. 2.* & Virgilii, *siu. Ecclog. 8.* Porphyrii confessionem apud Eusebium 5. *de Præpar. Euangel. c. 7.* & apud Augustinum 10. *de ciu. Dei: c. 11.* vide eundem Porphyrium *de non esu Animal.* & Originem *contra Celsum, lib. 7.* videatur & Arnob. *lib. 1. aduers. gentes pag. 25. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire 1651. in 4.* Iuuen. *Satyra 6. a v. 610. seqq.* Vetus inscriptio, *Brixiæ*, quam inter *spurias & suppositias* publicauit Gruterus *pag. XVIII. n. 2.* in qua *philtrorum* mentio quoque occurrit:

D. M.
QVI. ME. VOLENT. VALETE
MATRONAE. MATRESQVE. FAMILIAS
VIXI. ET. VLTRA. VITAM. NIHIL. CREDIDI
ME. VENERI. ALVMNAE. ADDIXI. QVOS
POTVI. PELLEXI. FILTRIS. ET. ASTV
VIRO. HVMATO. NON. VIDVA. FVI
NEC. MARITAE. NOMEN. ADEPTA
QVAESO. NE. INVIDETE
PORTIA. FAMILIA. EST. VENERIS. DOMVS
ILICIVM. CVPIDINVM
CAVE. VIATOR. NE. ME. DIV. CALCATAM
CALCES.

Hieronymus in Vita Hilarionis Eremitæ, *p. 159. Tom. I. Oper. edit. Francf. apud Christ. Genschium.* Apuleius *Apologia pag. 309. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire. Confessa est, sese mea magia in amorem inductam, dementare.* Arnobius *lib. 1. pag. cit. vxoribus & liberis alienis inconcessi amoris flammas & furiales immittere cupiditates:* Amm. *lib. 28. cap. 1. Marinum vt ausum Hispanilla cuiusdam artibus prauis adfectasse coniugium, supplicio lethali damnauit.* Vbi *artes prauæ* sunt omnino artes Magicæ. Idem Ammianus Marcellinus *d. lib. 28. cap. 1. Anepsia adpetitam se nefariis artibus vim in domo Aginatii perpessam asseuerauit.* Vide & Aimoinum *lib. 3. c. 51.* & *Neapol. legum lib. 3. tit. 41.* v. & quæ in hanc rem notat Burchardi *decretor. lib. 19. p. 278.* Hoc in genere φίλτρα, quæ & εὔγδες vocantur Aristænæto *lib. 2. ep. 18.* ἀγώγιμα dicta apud Irenæum *lib. 1. c. 20.* Epiphanium in *Carpocrationis hæresi 7. vel 27. num. 3. pag. 104. Tom. I. Oper. edit. Coloniens. apud Ierem. Schrey.* ἐπαοιδὰς τε διαφόρους πρὸς πᾶσαν μηχανὴν ἐφεύροντο, πρὸς φίλτρα καὶ ἀγώγιμα, *ad machinanda quælibet, veneficia & cantiones excogitarunt, velut ad philtra & amoris illecebras. Desiderii poculum*, Horatius *Epodon, Od. 17. v. 80.* dixit. Cui contrarium μίσητρον, Origenes *7. contra Celsum:* quod Fabius *Declamat. 14. initio, pag. 162. edit. Parei*, Odii potionem dixit: In *mistetris* herbarum vsus, vt Prometheæ. Propertius *lib. 1. Eleg 12. v. 9. 10.*

- - - an quæ
Lecta Prometheis diuidit herba iugis?

Denique notandum hanc *legem* a Iustiniano quoque probatam atque in *Codicem* ipsius relatam: Verum iure merito postea abrogata fuit a Leone *Nouell. 65.* Sed & omissa hæc *lex* in Basilicis, vt ex *lib. 60. t. 39.* & notatis inibi *ad cap. 30. not. 9.* liquet: sed & idem testatur Balsamo *ad Photii Nomocan. t. 9. cap. 25. pag. 978. edit. Iustelli*, quem vide: qui sane etiam hanc *legem* sequente correctam putat: vide & in *Decreto 26. quæst. 5.* vide & quæ notat Cuiacius XXVII. *Obs. 17.* Denique Bartoli sententia est, istam *legem* in foro ciuili, non in foro conscientiæ obtinere posse. Etsi Decianus, *lib. 3. consil. 20.* hinc colligat, pro tuitione corporis & rerum suarum & præsertim totius populi, posse quem vti arte Magica & incantationibus. Quare tandem inanis est Albericus Gentilis, qui hæc ad Agrorum lustrationes & dies Rogationum transfert.

Ad vltimum propriæ complures locutiones hic illustrandæ veniunt Virgiliana etiam in multis imitatione, cuius procul dubio Quæstorem seu Magistrum Scriniorum Constantini perstudiosissimum fuisse apparet.

Ait lex, *magicis adcincti artibus*. Sic Dido apud Virgilium *Æn. IV. v. 492.*

Testor, cara, Deos, & te, Germana, tuumque
Dulce caput, MAGICAS *inuitam* ACCINGIER ARTES.

Non abludit de eo quod notatum, Magiæ operantes accingi seu succingi solitas, Virgil. *Æn. IV. v. 518.*

Vnum exutæ pedem vinclis, in veste recincta.

Horat. *lib. 1. Satyr. 8. v. 23.*

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla.
Canidiam pedibus nudis passoque capillo.

Ait lex, *defixisse animos*. In Cod. Iust. *deflexisse*, vt Græci quoque exprimunt verbo ἀποκάμπτειν, alii ἕλκειν. Sane *defigendi* verbum est sortilegorum proprium. Paulus V. *sent. tit. 23. §. 15.* in Codice Vesuntino, *Qui sacra impia nocturnaue, vt quem obcantarent,* P.119. *defigerent*, [in prius Editis est, interficerent] *obligarent, fecerint.* Plinius *lib. 28. cap. 2. Defigi diris deprecationibus nemo non metuit.* Virgilius in *Ciri v. 377. Colchiacis animum defigere votis.* Vetus Interpres Horatii: *Ita de defigam nouis & insolitis maleficiis, vt mentem nunquam recipias.* In Glossis Philoxeni, *Defixiones* καταδεσμοὶ, νεκυομαντίαι. *Defixio* est proprie πῆξις: figere, defigere, πῆξαι, vnde & ἐκ πήξεως ἀνάγκης, *ex infixa necessitate*, apud Orpheum *in Thymiamate Corybantis in fin. pag. 511. inter Poëtas Gr. Carmin. Heroici, Iacob. Lectii.* Auctor libri de herbis, qui vulgo Apuleio adscribitur, *cap. 7.* de Leontopodio: *Si quis deuotus defixusque fuerit in suis nuptiis, sic eum resolues.* Eodem sensu Græcis δεδέσθαι & καταδεδέσθαι & καταδεσμός, & *deuinctiones* Tertull. *de spectaculis c. 2.* Omitto alia, quæ apud Cuiacium require XXI. *Obs. 22.* vide & Salmasium in Solinum, *p. 1088.* &c.

Ait lex, *labores hominum sternerentur*: Virgiliana rursum imitatio *lib. 1. Georg. v. 118.*

- - Hominumque boumque labores

Et *lib. 2. Æneid. v. 306.*

Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores.

De DIVINANDI *curiositate omni prohibita, Constantii Lex.*

IV. (a) Imp. CONSTANTIVS A. & Iulian. Cæs. ad Populum. (b)

NEMO Haruspicem consulat, (c) aut Mathematicum, nemo Hariolum. (d) Augurum & Vatum praua confessio (e) conticescat, Chaldæi ac Magi, (f) & ceteri, quos *Maleficos* (g) ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem (h) aliquid moliantur. (i) Sileat omnibus perpetuo diuinandi curiositas: (k) Etenim supplicium (l) capitis feret gladio vltore (m) prostratus, quicunque (n) iussis (o) obsequium denegauerit. Dat. VIII. Kalendas Febr. (p) Mediol. Constantio A. IX. & Iuliano Cæs. II. Coss. (q) [357.]

INTERPRETATIO. *Quicunque pro curiositate futurorum, vel inuocatorem dæmonum, vel diuinos quos Ariolos appellant, vel Aruspicem, qui auguria colligit, consuluerit, capite punietur.*

NOTAE.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. eodem tit.* Basilicon *lib. 60. t. 39. cap. 31.* Photius *Nomocan. t. 9. cap. 25. pag. 977. edit. Iustell.* Imitatus videtur Constantinus *Exodi caput 22.* Inseruit & hanc legem Baronius *Annalibus suis, A. D. 356. n. 1.* GOTHOFRED.

(b) Vrbis-Romæ, quo pertinent pleræque *huius tituli* leges. *Lex*, inquam, 1. 2. 3. 4. 5. 9. 10. 11. *vlt.* Retinentior quippe veteris Obseruantiæ Roma fuit, vt ostendet etiam *titulus infr. de Paganis, sacrificiis, & Templis.* ID.

(c) De hac voce mox. *ID.*

(d) MS. G. legit: *Hariolum, aut augurem, aut vatem.* RITTER.

(e) De hac quoque voce mox. GOTHOFRED.

(f) *Magi*, Haruspicum fratres, *Arnobio.* ID.

(g) Vide *Commentarium.* ID.

(h) Δυσφημίαν hic euitauit: *ad* HANC *partem*: vt *l. 2. sup. Huic ritui.* ID.

(i) *Sed sileat*, MS. G. RITTER.

(k) De hac voce mox in *Commentario.* GOTHOFRED.

(l) *Supplicio capitis ferietur.* Ita Tribon. Et hoc nostrum tamen legitimum est. *ID.* Lectionem Cod. Iust. imitatur Sichardina. RITTER.

(m) Gladius vltor, *h. l. & l. 2. infr. de bonis proscriptorum*: quæ eiusdem Constantii est, superiore anno data. GOTHOFRED.

(n) Tam qui consuluerit, quam qui responderit. *ID.*

(o) *Nostris*, Hoc Tribonianus addidit. IDEM. *Iusso*, MS. G. RITTER.

(p) Ita *Codex Iustin.* & Editio Cuiaciana, & Editio in *Quarto*, Parisiensis habet perperam, *Sept.* GOTHOFR. Imo MS. G. habet, *VII. Kal. Ian.* RITTER.

(q) Eodem anno decem mensibus fere post, lata *lex* sequens 5. GOTHOFRED.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. tres Constitutiones sequuntur: Duæ puta *hac* & *6.* in Haruspices, Mathematicos, Hariolos, Augures, Vates, Chaldæos, Magos, Maleficos: (quibus addenda est tertia, eaque antiquior, quam memorat Libanius *de vita, seu de fort. sua, pag. 11. edit. Morell.*) *lex 5.* vero, in Magicas artes. Diuinandi igitur, Diuinosque & Vates, Chaldæos, Mathematicos consulendi quoscunque mos & curiositas, hoc Constantii Imperatoris Edicto OMNIBVS omnino interdicitur A. D. 357. idque sub gladii pœna. Quod Constantinus M. non ita prohibuerat *l. 1. & 2. 3. supr.* Constantius scil. curiositatem hanc omnem magnopere auersatus est: vt præter hanc *legem* prodit insuper *lex 4. infr. de paganis*: & *lex 6. infr. hoc eodem tit.* Sane Constantii *legem* memorat quoque Libanius *de vita sua pag. 11. edit. Morell.* vbi agit de Crispini Heracleotis patruo: ὑπὸ τῦ θείϋ τινὸς ὡς ἀληθῶς ἀνθρώπϋ, καὶ πλείω τε θεοῖς ἢ ἀνθρώποις ὁμιλήσαντος ἐν γῇ. Καὶ τοι Νόμος γε εἶργε, καὶ ἦν ἡ δίκη τῷ τολμῶντι θάνατος. *Legem* ait, *latam aduersus Diuinos & Vates, qua pœna mortis his indicta.* Eodemque refer Libanii locum *Orat. 21. ad Theodosium, pag. 393. edit. Morell.* vbi *Iuliani* nomen loco *Constantii* infartum: Et pœnam ignis impositam *ibidem* testatur. Capitale igitur id, vetitumque sub Constantio, vt præter Ammianum Marcellinum *pluribus locis*, docet quoque Libanius *dicta orat.* Mamertinus *in grat. act. ad Iulianum cap. 23.* Et tot Constantii *leges* aduersus id. Ammiani Marcellini locus hic inter alios sternendus est, quo in Gestis anni superioris (id est, A. D. 356. quo argumento putet quis, hanc *legem* ad eum annum 356. referendam) hæc, de eodem Constantio memorat *lib. 16. cap. 8. Superato Marcello reuersoque Serdicam, vnde oriebatur, in castris Augusti per simulationem tuendæ Maiestatis Imperatoriæ, multa & nefanda perpetrabantur. Nam si quis super occentu soricis, vel occursu mustelæ, vel similis signi gratia* CONSVLVISSET *quemquam peritum, aut anile incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem (quod medicinæ quoque admittit auctoritas) reus vnde non poterat opinari delatus, raptusque in iudicium pœnaliter interibat*: Et quæ sequuntur: vbi inter cætera de Mauortio Præfecto Prætorio in huiusmodi negotiis Iudice seu cognitore delegato agit. *Re, inquit, comperta iubetur Mauortius tunc Præfectus Prætorio, vir sublimis constantiæ, crimen acri inquisitione spectare, iuncto ad audiendi societatem Vrsulo largitionum Comite, seueritatis itidem non improbandæ.* Qui Mauortius idem ille mihi videtur, cui Iulius Firmicus Maternus suos *Matheseon* libros inscribit, & ad quem per hæc ipsa tempora hæc inter cætera scri-
P. 120 bit, *extremo libri secundi*, Mathematicos compellans, quod ab huius legis argumento non abludit. *Dabis sane Responsa* PVBLICE *& hoc interrogaturis ante prædicito, quod omnia quidem illa, de quibus interrogant te, clara sis voce dicturus: ne quid a te tale forte quæratur quod non liceat nec interrogare nec dicere. Caue ne quando de statu Reipublicæ, vel de vita Romani Imperatoris aliquid interroganti respondeas. Non enim oportet, nec licet, vt de statu Reipublicæ aliquid nefaria* CVRIOSITATE *dicamus. Sed & sceleratus atque omni animaduersione dignus est, si quis interrogatus de fato dixerit Imperatoris, quia nec dicere poteris de eo aliquid, nec inuenire. Scire enim te conuenit, quod &* ARVSPICES *quotiescunque a priuatis interrogati de statu Imperatoris fuerint, & quærenti respondere voluerint, exta semper quæ ad hoc fuerint destinata, ac venarum ordines inuoluta confusione conturbent.* Et mox: *Nunquam nocturnis sacrificiis intersis, siue illa publica, siue priuata dicantur, nec* SECRETE *cum aliquo fabulas conferas, sed palam sub conspectu omnium istius diuinæ artis exerce disciplinam.* Quæ quidem omnia, aliaque in hanc sententiam plura, & ad Constantini leges, puta *leg. 1. & 2. sup.* proxime accedunt, & prohibendæ penitus tandem curiositatis omnis, causas aperiunt. De quibus alioquin proprius erit dicendi locus ad *l. 6. infr.* vbi & alterum ex *Ammiano* locum notabo. Scilicet hactenus diuinandi curiositas patebat, dum ne super salute Principis, aut statu Reipubl. exerceretur. Verum cum id non satis impediri posset, prohibita penitus a Constantio hoc Edicto diuinatio.

Cæterum quodnam discrimen sit, & qua nota distinguendi sint omnes illi, qui circa diuinandi curiositatem occupati *h. l.* nominantur, in partem docet Hieronymus *Commentario in Daniel. cap. 2. p. 484. Tom. V. Oper. edit. Francf. apud Christ. Gensch. Quos nos* ARIOLOS, *cæteri* ἐπαοιδὰς *interpretati sunt, id est, Incantatores. Ergo videntur mihi* INCANTATORES *esse, qui verbis rem peragunt.* MAGI, *qui de singulis philosophantur.* MALEFICI, *qui sanguine vtuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum. Porro in Chaldæis* γενεθλιαλόγϋς *significari puto, quos Vulgus* MATHEMATICOS *vocat: consuetudo autem & sermo communis* MAGOS *pro Maleficis accepit, qui aliter habentur apud Gentem suam, eo quod sint Philosophi Chaldæorum: & ad Artis huius scientiam Reges quoque & Principes eiusdem Gentis omnia faciunt.* Distinctius tamen hæc ita separanda sunt. *Haruspices* sunt, qui hostiis & extis inspectis, ex iis iudicium faciebant: *Mathematici* proprie qui ex syderum cursu; Γενεθλιακοὶ & *Astrologi*, qui & *Chaldæi*, quorum frequens apud *Tacitum* quoque mentio. *Canone* ita *Laodiceno 36. pag. 787. Tom. I. Concil. edit. Harduin.* vetantur in Ordinem Ecclesiasticum recipi, cum Magis & Incantatoribus, *Mathematici* quoque & *Astrologi*: quos tamen omisit Dionysius Exiguus. *Harioli*, qui vt Tertullianus loquitur, aris inhalantes numen de nidore concipiebant: & vt Isidorus ait *Origin. Lib. 8. cap. 9.* qui circa aras idolorum preces emittentes & sacrificia offerentes, Dæmonum responsa accipiebant. *Augures* vero sunt, qui ex auium garritu vel volatu coniecturam faciebant: *Vates*, qui vt Tertullianus quoque scribit, de Deo pati existimabantur, *Virgiliana* imitatione, id est *Fanatici*, qui vi numinis interiori agitati se fingebant, quales describit Apuleius *octaua Milesia pag. 156. 157. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire*, & *p. 172. edit. Pricæi.* qui se Deo plenos adsimulabant, vt Paulus *lib. 5. sentent. t. 21. §. 1.* Græci hos ἐνθέϋς, θεολήπτϋς, θεοφόρϋς, θεοφορϋμένϋς, θεοκατόχϋς, ἐνθεαςικϋς, ἐνθϋσιαςικϋς dicunt. *Magorum* appellatione indicantur Incantatores, qui verbis & ventilationibus rem ferme peragebant. Denique *Malefici* dicuntur Necromantiæ artem operati, vt Hieronymus *superiore loco* recte indicauit: quanquam & iidem Magorum appellatione nonnunquam comprehenduntur. Postremum huc facit Claudiani locus *in 4. Consul. Honorii v. 145. seqq.*

Te Persæ cecinere MAGI, *Te sensit Etruscus*
AVGVR, *& inspectis Babylonius horruit astris:*
CHALDÆI *stupuere senes.*

Ad vltimum propriæ complures locutiones hic illustrandæ veniunt.

Ait lex; *Nemo Haruspicem consulat*: Consulendi scil. verbum hac in re proprium: vide Firmicum, & quæ notabo *ad l. 9. infr. de paganis.* Interim vide Suetonium, *Tiberio cap. 36. legem 15. §. 13. D. de iniuriis*, Tertullian. *Apol. cap. 35.* Paulum *5. sent. tit. 21. §. 3. 4.* Vlpian. apud Authorem *Collat. legum Mosaic. tit.*

tit. 15. Ammianum Marcellinum *lib.* 16. *cap.* 8. & *lib.* 29. *cap.* 2.

Ait lex; *Vatum praua confessio conticescat*; Confessionis vox & hic proculdubio propria: Putabam aliquando hic reponendum *professio*; sed *confiteri* dicuntur Augures & Vates, qui, vt loquuntur, Deo pleni, sibique diuinitus reuelata in vulgus enunciant.

Ait lex; *& cæteri quos Maleficos ob facinorum magnitudinem Vulgus appellat.* Ita quoque *lege* 6. *infr. qui maleficus Vulgi consuetudine nuncupatur.* Lactantii locus huic genuinus *lib.* 2. *cap.* 16. *Magi, & ii quos vere Maleficos vulgus appellat.* Augustinus item 10. *de ciuitat. Dei, cap.* 9. *quos & Maleficos Vulgus appellat.* Hieronymus quoque horum Maleficorum meminit *comment. in Daniel. c.* 2. quem paulo ante laudaui. De his maleficiis Athalaricus quoque Rex edicto suo apud Cassiodorum IX. *Var.* 18. Ita & Magorum & *Mathematicorum* ipsorum nomen, etsi alioquin non improbum, hoc sensu a vulgo repetit Gellius, *lib.* 1. *cap.* 9. *Vulgus quos Gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet Mathematicos vocat.* Ammianus Marcellinus *lib.* 29. *cap.* 2. *Mathematici vt memorat Vulgus.* Apuleius in *Apologia pag.* 264. *edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire. Sin vero, more vulgari, eum isti proprie Magum existimant, qui communione loquendi cum Diis immortalibus ad omnia, quæ velit, incredibili quadam vi cantaminum polleat.* Hieronymus *Comment. in Danielem d. cap.* 2. *Porro in Chaldæis γενεθλιαλόγȣς significari puto, quos vulgus Mathematicos vocat, consuetudo autem & sermo communis Magos pro Maleficis accepit, qui aliter habentur apud Gentem suam.* Idem *Comment. in Esaiam, lib.* 13. *cap.* 47. *pag.* 148. *Tom. V. Oper. edit. Francf. apud Christ. Gensch. Astrologi cæli, qui vulgo Mathematici appellantur, & ex astrorum cursu, lapsuque siderum res humanas regi arbitrantur.*

Ait lex: *Sileat omnibus perpetuo diuinandi Curiositas.* Curiositatis verbum hac in re quoque proprium, Magicæ & damnabili arti significandæ, quemadmodum apud Græcos περιεργίας *Actor.* 19. *verʃ.* 19. τῶν τὰ περίεργα πραξάντων: vbi recte qui vertunt, *curiosa exercentes.* Nam & de libris mox combustis agitur, magicis videlicet. Horatius *Epodon. Od.* 17. *v.* 76. *seqq.*

An quæ mouere cereas imagines
Vt ipse nosti curiosus & Polo
Deripere Lunam vocibus possum meis?

Catullus *Epigrammate* 7. *ad Lesbiam v.* 11.

Quæ nec pernumerare Curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Tertullianus quoque *cap.* 9. *de Idololat.* vbi de Magia agit, *Angelos desertores, huius curiositatis proditores* vocat. Et *lib.* 1. *de cultu fœminar. cap.* 2. *Et incantationum,* inquit, *vires prouulgauerant, & omnem curiositatem vsque ad stellarum interpretationem designauerant.* Aristenætus quoque *lib.* 2. *Epist.* 18. περιέργων voce hac in re vtitur, *initio & fine epistolæ.* Denique habes & *Curiosas visiones* pro Magicis in Augustino *Confess.* 10.

P. 321.

De Magicis *Artibus prohibitis Constantii lex.*

V. (a) Idem A. (b) ad Populum. (c) Post alia.

Multi Magicis artibus (d) ausi (e) elementa turbare, (f) vitas (g) insontium labefactare (h) non dubitant, & Manibus (i) accitis (k) audent ventilare, vt quisque suos conficiat malis artibus inimicos: Hos, quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat. Dat. (l) Prid. Non. Dec. Med. Constantio IX. & Iuliano Cæs. Coss. [357.]

NOTAE.

(a) *Lex* 6. *Cod. Iust. eod. tit.* Basilic. *lib.* 6. *tit.* 39, *c.* 32. Photius *Nomocan. t.* 9. *c.* 25. *pag.* 980. *ex edit. Iustell.* Inseruit hanc quoque *legem* recte *Annalibus suis* Baronius *An.* 357. *n.* 73. GOTHOFR.

(b) *Et C.* (id est, *& Cæsar*) Iulianus scil. hoc amplius *Cod. Iust. ID.*

(c) Vrbis Romæ, pariter vt *lex superior* 4. *ID.*

(d) *Magicis artibus* hac *leg.* & *l.* 3. *sup.* Dido apud *Virgil. Æn. IV. v.* 493.

- - *Magicas inuitam accingier artes:*

ita pariter apud Cassiodor. IV. *Var.* 22. & 23. *ID.*

(e) *Vsi,* Cod. Iustin. Verum *ausi* rectum est, scilicet duplicem audaciam hic perstringit Magicorum, ad inimicos suos conficiendos, Elementorum videl. turbationem, & Manium euocationem. Proinde ita locus intelligendus & legendus. *Multi Magicis artibus* [id est, per Magicas artes: & hic sustinenda lectio] *ausi elementa turbare, vitas insontium labefactare non dubitant, & Manibus accitis* &c. Neque ita locus legendus, vt fit in *Cod. Iust.* quasi elementa turbare, & vitam insontium labefactare, velut diuersa hic magicæ artis effecta proponantur: verum hæc duo, fine tantum discrepant: Elementorum scil. turbatio medium est ad vitas labefactandas. *ID.*

(f) Virgil. *IV. Æneid. v.* 489.

Sistere aquam fluuiis, & VERTERE SIDERA *retro. ID.*

(g) *Vitam,* Cod. Iust. *ID.*

(h) Internecini hoc crimen, de quo *l.* 14. *sup. de accusat. ID.*

(i) *Manibus,* quidam legum *inanibus,* male. *ID.*

(k) Virgil. IV. *Æneid. v.* 490.

Nocturnosque CIET MANES - -

Vel *excitis,* quæ vox vsurpata hac in re Ammiano *lib.* 29. *cap.* 2. *Infernis Manibus excitis de permutatione imperii consulere ausus est.* Prudentio contra Symmachum I. *verʃ.* 95. *de Mercurio.*

Murmure nam Magico tenues excire figuras,
Atque sepulchrales scite incantare fauillas,
Vita itidem spoliare alios, Ars noxia nouit.

Eliciendi verbo alibi vtitur Ammianus *lib.* 28. *c.* 1. Et Cicero *in Vatinium cap.* 6. Euocandi, Sueton. *Neron. cap.* 34. *ID.*

(l) Eodem anno quo *lex superior. ID.*

COMMENTARIVS.

MAGICARVM ARTIVM vsus in genere damnatus noxius duplex ferme est: Ad futuri videl. notionem, & ad labem conciliandam. Igitur Magicarum artium vsum ad futuri notionem superiore Edicto, Constantius iam prohibuit *l.* 4. *sup.* & quidem sub pœna gladii: Hoc vero Edicto ad eundem Populum Romanum emisso earundem Magicarum artium vsum, quem multi vsurpare soliti ad labem conciliandam, id est, ad insontes & inimicos suos labefactandos vel conficiendos, damnat. In quos odium suum idem Constantius profitetur *l.* 2. 4. *inf. de bonis proscript.* Ita sane Germanicum veneficiis & deuotionibus tentatum & extinctum memorat Sueton. *Caio Calig. cap.* 1. Id igitur Constantius & verborum atrocitate, & seuerissima pœna prosequitur: His scil. vtentes, *naturæ peregrinos* vocat. Nam cum inter homines cognationem quandam natura constituerit, vt I. C. docet *l.* 3. *D. de iustit. & iure*, doctrina e Stoicis petita, (vt fidem facit Cato Stoicus apud Ciceronem *lib.* 3. *de finib. cap.* 6. & Seneca *Epistola* 95. & Arrianus *lib.* 2. *Dissert. Epicteti c.* 20.) vtique naturæ peregrinus est, & aduersus, qui Magicis artibus cognatione sibi iunctis nocet. Senecæ verba omittere non possum. *Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit, illa æquum iustumque composuit, ex illius constitutione miserius est* NOCERE *quam lædi.* Itaque eodem sensu mox *l. sequ.* iidem humani generis inimici quoque dicuntur, communis hostes salutis, *l.* 11. *inf.* Quanquam & alio sensu, *Naturæ peregrinos* dixisse potuit Constantius: Nempe quia Naturæ quodammodo vim inferrent Magi; elementis turbatis, quæ alioquin hominibus beneficia sunt; & Manibus accitis iam functorum hominum quiete sollicitata, turbata.

Nunc de pœna: *Ferali igitur peste* huiusmodi homines absumi iubet Constantius. Qua appellatione quid veniat? haud parum quæritur: de quo alioquin scripsit Ræuardus 5. *variar.* 3. Sunt qui capitale supplicium omne hic accipiunt: sunt qui ignis pœnam siue viuicomburium intelligi credunt: Nam & Paulus 5. *Sentent.* 23. §. 17. Magos viuos exustos scribit: & *l.* 1. *sup.* eadem pœna Haruspicibus imponitur: Cur vero *feralis pestis* Viuicomburium dictum fuerit, & sic de ratione appellationis istius, adhuc quæritur. Ræuardus ideo sic dictam putat, quasi eo supplicio iisdem Diis manibus consecrando reo qui Magicis artibus eos inquietasset. Nam & in feralibus seu funeribus & cadauera combusta, & ignis ad officium mortuorum adhibitus. *Feralia* denique dicta, auctore Festo, *quæ Diis manibus sacrata*; vnde & *ferale officium*, Apuleio 1. *de Asino aureo pag.* 4. *edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire, pag.* 5. *edit. Pricæi*, ferales reliquiæ, Tacito *lib.* 2. *Annal. cap.* 75. Adde & ferale arcanum, ferale murmur, de his Magicis artibus: vide *inf.* quæ mox dicam. De *pestis* equidem appellatione minus dubium. *Pestis* enim quod notum satis, pro interitu, exitio certissimo, morte, ὄλεθρος. Titinius Veliterna, *quot pestes, senia & iurgia sæpe meis ædibus emigrarunt*, apud Nonium, *cap.* 1. *num.* 1. Sic Claudianus, de excidio Rufino imminente, *lib.* 2. P. 122 *vers.* 138. *torquetur peste futura.* Virgilius *lib.* 4. *Æn. v.* 644. dixit alia in re,

- - *morte futura.*

Idem Claudianus in *Gigantomachia*, eodem sensu, *marmoream pestem* a Gorgone obiecta induci dixit *v.* 99.

- - *quis torpor inertem*
Marmorea me peste ligat?

Sicut & Manilius *lib.* 1. *v.* 359. 360. de eadem re (vt recte Geuartius restituit 2. *Elector.* 5. *pag.* 63.

- - *fugiendaque* [metuendaque] *Gorgonis ora*
Sustineat, spoliumque sibi, pestemque videnti.

Sic & olim Lucretius *de Rer. Nat. lib.* 3. *v.* 348.

Dissidium vt nequeat fieri sine peste, maloque.

Ita *pestiferum fulgur*, quo mors, exitium significari solebat, vt Festus scribit: & Cicero interitum Reipublicæ, *pestem* non semel vocat. *Pestis*, pro incendio apud Virgilium non *vno loco*, vt notat Seruius.

Græci vero in *Basilicis lib.* 60. *tit.* 39. *cap.* 32. & ex eis Balsamo ad Photii *Nomocan. lib.* 9. *cap.* 25. *p.* 981. *edit. Iustell.* gladii pœnam intellexerunt per *feralem pestem.* Photius contra *l. c.* putauit, bestiarum supplicium, *feralis pestis* hic appellatione venire, quasi in quo feræ adhiberentur. Ita sane bestiarum supplicium iis impositum, qui sacra impia, nocturnaque obcantassent, defixissent, teste Paulo *in Sentent. lib.* 5. *tit.* 23. §. 15. Quæ sententia mihi quoque magis probatur. Non, quasi quod haud adeo improbabiliter quis putaret, parricidalis nominatim pœna hic indicetur: notæ enim feræ in parricidii pœna, vt & cullei ferales angustiæ, in *l.* 1. *sup. de parricidio.* Verum bestiis obiiciendi pœnam intelligo: Cui omnino suffragatur istius *legis* ratio, *hos quoniam Naturæ peregrini sunt feralis pestis absumat:* Scilicet naturæ *humanæ* peregrini, ferali iam non humano supplicio afficiendi. Denique & in aliis quoque criminibus quandoque vsurpata hoc ipso tempore hæc pœna bestiis obiiciendi, veluti *leg. vnica infra ad Leg. Fabiam.* Quæ sane & ipsa vsurpata a Constantino in Barbaros, etiam Reges captiuos: vid. *Panegyr.* 5. ab auctore incerto Constantino dictum, *inter Panegyr. min. cap.* 23. vt & altera illa aduersus eosdem, gladiatorio muneri obiiciendi: vid. Symmachum *lib.* 2. *ep.* 46.

De ipso iam crimine magico, quod hoc Edicto Constantius insequitur, videndum est. Ait igitur, *Multi Magicis artibus ausi elementa turbare, vitas insontium labefactare non dubitant.* Scilicet *elementa turbari* Magicis artibus antiquitas quoque credidit, de quo iam dictum aliquid ad *l.* 3. *sup.* & quidem de Tempestariis ad vitas hominum labefactandas. In vniuersum de Tempestariis hic locus est in *Visigothicis lib.* 6. *t.* 2. *l.* 3. *Malefici & immissores tempestatum, qui quibusdam incantationibus grandinem in vineas messesque mittere perhibentur, &c.* Et additionis Ludouici *secundæ cap.* 18. *Feruntur suis maleficiis aëra posse* CONTVRBARE, *& grandines immittere, fructus & lac auferre, aliisque dare.* Quæ verba, *huius legis* verbis quamproxime accedunt. Itaque & Tempestarii hi proprie dicti. Vide *Capitular. lib.* 1. *c.* 64. Vide & de his Burchardum *Decretor. lib.* 10. *c.* 23. Zonaram, in *Antonino Philosopho pag.* 449. *edit. Venet.* Elegans etiam locus est apud Agobardum Episcopum contra opinionem de grandine, *in libro de grandine & tonitru p.* 138. In his Regionibus pene omnes homines Nobiles & igno-

ignobiles, vrbani & Rustici, senes & iuuenes putant grandines & tonitrua hominum libitu posse fieri: dicunt enim mox vt audierint tonitrua, & viderint fulgura, AVRA LEVATITIA est. Interrogati autem quid sit *Aura Leuatitia*, confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur Tempestarii, esse leuatam. Et ideo dici *Leuatitiam Auram.* (a)

Sequitur & *manibus accitis audent ventilare, vt* &c. Quo pertinet & quod Ammianus Marcellinus scribit *lib. 19. cap. 12.* de Constantii nostri in hos odio. Praecipuae scilicet hae Magorum praestigiae fuerunt, animarum inquam & spirituum euocationes, quas Iustinus *Apolog. 2.* ψυχῶν ἀνθρωπίνων κλήσεις vocat, vnde & ψυχαγωγῶν quoque nomen Magis: vt docet Maximus Tyrius *dissert. 22.* Defunctorum animas *inclamare* dixit Tertullianus *Apolog. cap. 23. Porro si & Magi Phantasmata edunt, & iam defunctorum inclamant animas, si pueros in eloquium oraculi eliciunt, si multa miracula circulatoriis praestigiis ludunt;* &c. Neque omittendus est, vt sexcentos alios omittam, hic insignis Tertulliani locus *lib. de Anima cap. 57. Publica,* inquit, *iam litteratura est, quae animas etiam iusta aetate sopitas, etiam proba morte disiunctas, & prompta humatione dispunctas, euocaturam se ab inferorum incolatu pollicetur.* Porro *phantasmata* dixit Tertullianus, quia Magi sensibus illudunt, ac visus praestigiis occaecantibus fallunt, dum videre nos putamus quae non sunt, nisi μέχρι φαντασίας; quemadmodum loquitur Origenes 1. *contra Celsum:* Sophoclis Scholiastes quoque, μάγους ἐκάλουν τοὺς ψευδεῖς φαντασίας περιτιθέντας. Tertullianus rursum *de anima, cap. 57. Sic & in illa alia specie Magiae, quae* IAM QVIESCENTES *animas euellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallacia vis est: opertior sane, quia & phantasma praestatur, quia & corpus adsingitur &c.* Itaque & idem Tertullianus, pro certo habet, Samuelem a Pithonissa non aliter quam μέχρι φαντασίας excitum: quod idem sensit Auctor quaestionum & responsionum, quae Iustino Martyri tribuuntur, κατὰ τὴν ἐνέργειαν, inquit, τοῦ δαίμονος, τοῦ τὰς ὄψεις φαντάσαντος. Manium igitur κλήσεις inter Magicas artes fuere. Apuleius *lib. 1. pag. 6. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire & Ioan. Pricaei. Manes sublimare,* hac in re dixit: *Saga, inquit, & diuina potens caelum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere:* MANES SVBLIMARE*: Deos infimare; sidera extinguere; tartarum ipsum illuminare.* Quo loco omnino legendum *Deos infimare*, non *infirmare:* scilicet *manes sublimare, & Deos infimare* opponit: vt de Deo Socratis *pag. 424. edit. Lugd. B. Ioan. Maire. Ingenia illa ad beatitudinem sublimata sunt: haec ad miserias infimata.* Manes scil. inferni: Dii vero superni. Alioquin huius ψυχαγωγίας testimonia complurima & obuia passim apud Virgilium *Pharmaceutria seu Ecloga 8.* Horatium *Epod. Od. 17.* Prudentium *lib. 1. contra Symmachum v. 89. seqq.*

Obseruanda denique *hac leg. ventilandi* vox, qua Constantius vtitur in hac ψυχῶν ἀνθρωπίνων κλήσει: *& Manibus accitis audent* VENTILARE, *vt quisque suos conficiat malis artibus inimicos.* Quae *ventilandi* vox procul dubio hac in re Magica, propria: An igitur ea significantur παίγνια seu praestigiae, quas Magi adhibuere? & Choragium Magicum seu apparatus, vt vocatur *l. 7. inf.* seu *ceremonialis scientia*, vt vocatur ab Ammiano *lib. 29. cap. 1.* Certe Tertullianus superiore loco *circulatorias praestigias* his tribuit: *Magicarum artium ludos* vocat Arnobius *lib. 1. pag. 25. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire 1651. in 4.* Epiphanius etiam *haeres. 14. siu. 34.* contra Marcosios, mox *ab init. p. 233. Tom. I. Oper. edit. Colon. siu. Francf. apud Ierem. Schrey,* παίγνια vocat. Ἐκπλήξεις καὶ ἀγωγάς, *praestigia & delusiones,* dicit Philostratus *lib. 6. de vita Apollonii cap. 6. pag. 278. edit. Fed. Morelli.* Ludorum sane & ludendi vox hac in re propria: praeter Arnobii, Tertulliani locos, Minucius *Octau. cap. 26. sed etiam quidquid miraculi ludunt, per Daemones faciunt.* Cyprianus de Idolorum vanit. *pag. 14. edit. Ioan. Felli Oxoniens. Bremae recus. Et Magis inde est ad perniciosa &* LVDICRA *potentatus.* παίζειν verbo quoque vtitur Philostrat. *lib. 7. c. 16. in fin. Ventilandi* igitur verbum an hos ludos significat? sumpto loquendi genere a gladiatorum ludis, & ventilatione: de quibus Seneca *lib. 1. ep. 117. Quam stultum est, cum signum pugnae acceperis,* VENTILARE*: Remoue ista* LVSORIA *arma, decretoriis opus est.* Et prooemio Epitom. *lib. 3. Controuersiarum. Aliud est pugnare, aliud* VENTILARE.

Martialis, *5. ep. 32. v. 4.* p. 123.

Currit & in toto VENTILAT *arma boue.*

Itaque & *ventilatores* Quintilianus *Instit. lib. 10. c. 7.* dixit, *quia ea quae emiserant, ita librabant, vt venire in manus viderentur, quaque iuberentur decurrere.* Ventilare scil. in vniuersum est, brachia, corpus in speciem ventumque iactare: quod praestigiatoribus & praelusioni proprium. Plinius *H. N. lib. 8. c. 2.* quoque, de Elephantis agens ventilatoribus, *Vulgare erat*, inquit, *per auras arma iacere, non auferentibus* VENTIS, *gladiatorios congressus atque inter se edere.* Inter has ventilationes, gesticulationes Magicas & illud fuit, quod Tibullus *lib. 1. Eleg. 5. v. 12.*

Carmine cum Magico PROCVBVISSET *anus.*

Quinimo & inter has ventilationes μαγικαὶ ἐπῳδαὶ Magici susurri, carmina, murmura, ψιθυρισμοὶ Cyrillo, *in Gloss.* (quae nefariae preces vocantur, *l. 7. inf.*) quae videl. *in ventum ibant*, quae summis tantum labris proferebantur, susurro, murmure ἀσήμῳ, ventilatis labris & velitatis. Et certe Glossae Philoxeni *ventilare* γνυάζεσθαι interpretantur: atquin γνυάζεσθαι est λιτανεύειν, ἱκετεύειν *Hesychio*, & *Suidas* pariter γουνάσομαι, λιτανεύσω, παρακαλέσω interpetatur. Porro *ventilationem* hanc *magicum stridorem* dixit Tibullus *lib. 1. El. 2. v. 49.*

Iam ciet infernas magico stridore cateruas.

Fremorem verborum vocat Arnobius *lib. 1. aduers. gent. pag. 32. edit. Lugd. B. ex officin. Ioan. Maire. Arcanum ferale*, Lucanus, *lib. 6. v. 440.* murmur & susurrum magicum plerique alii passim: *ferale murmur*, Apuleius, *initio lib. 2. arcana murmura*, Sidonius *Carm. 2. v. 86. Susurri magici* §. 5. *Inst. de publ. indic.* vbi Theophilus recte ψιθυρισμοὺς ἤτοι ἐπαοιδὰς vertit. Nam & Heliodorus *lib. 4. Aethiopic. pag. 165. edit. Commelin.* in expiatione morbi magica, καὶ τοῦτο λιβανωτὸν ἐθυμίων, καί τινα δῆθεν ψιθύροις τοῖς ΧΕΙΛΕΣΙ κατευξάμενος, *& thus adolebam, & quaedam susurrantibus labris precatus.* Ecce χείλεσι κατευξάμενος summis tantum labiis & in ventum iactata verba; ideo Iamblichus μελίσματα ἄνευ λέξεως vocat *lib. 1. de V. Pyth. c. 25. in f.* Ἐστι δὲ καὶ ἄνευ λέξεως μελισμάτων ὅπου τε καὶ πάθη καὶ νοσήματα τινα ἀφυγιάζον, ὡς φασὶν ἐπάδοντες ὡς ἀληθῶς. καὶ εἰκὸς ἐντεῦθεν πόθεν τοὔνομα τοῦτο εἰς μέσον παρεληλυθέναι τῆς ἐπῳδῆς. *Quandoque vero etiam absque pronunciatione carminum, quum & affectiones & morbos nonnullos pepulerint, aegrosque ad sanitatem, vt aiunt, reduxerint, re ipsa & vera accinunt. Atque hinc nomen hocce Epodes, hoc est, accentus in medium homi-*

(a) Plura vide apud CL. DV. FRESNE *voc. Tempestarii.*

hominum vsum quandoque peruenisse verisimile est. Hinc & *l. 6. inf. de indulg. criminum: Diris immurmurata secretis.* Ventilare igitur dicti fuerint Magi manes excientes propter gesticulationes, labiorum velitationes; & quia *preces* quasdam & lamenta susurrabant, murmurabant summo ore, quæ auditorum aures quidem ferirent, sed ἄσημα essent. A quibus & γοητεία dicta Suidas testatur *voc.* γοητεία. Γοητεία ἐπὶ τῷ ἀνάγειν νεκρὺς δι' ἐπικλήσεως. ὅθεν εἴρηται ἀπὸ τῶν γόων καὶ τῶν θρήνων, τῶν περὶ τὺς τάφυς γινομένων. *Goeteia vero dicta est, per quam animæ defunctorum ab inferis euocantur. Hinc dicta est* ἀπὸ τῶν γόων, *i. e. a lamentis & eiulatibus, qui circa sepulcra audiuntur.* Quinimo & ventilationes Magicæ eo pertinere videntur, quia Manes & exciti quidem volitare credebantur Virgil. *lib. 6. Æneid. v. 706.*

- - Hunc circum innumeræ gentes populique VOLABANT.

Et *lib. 7. v. 89.*

Multa modis simulacra videt volitantia miris.

Et *lib. 10. v. 641.*

- - Quales fama est volitare figuras.

Prudentius 1. contra Symmachum *verf. 424.*

Cæruleasque animas atque idola nigra volare.

Inter has Magicas *ventilationes*, ponere possis & hanc: quod videlicet Magi, Manes mortuorum exciturі, imitari eos videri possint qui sacra recens mortuo faciebant: hi enim ossa collecta vinoque & lacte sparsa carbaso seu linteo ventilare soliti: Quod docere videtur Tibulli locus *lib. 3. eleg. 2. a v. 15.* si legatur, vt visum Scaligero.

Præfatæ ante meos Manes animamque rigatæ
Perfusæque pias ante liquore manus:
Pars quæ sola mei superauit corporis ossa
Incinctæ nigra candida veste legent.
Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niueo fundere lacte parent.
Post hæc Carbaseis humorem tollere VENTIS
Atque in marmorea ponere sicca domo.

Ventilatio quoque Magica eo pertinebat, quod Magi & rotabant, & auersis manibus trans caput quædam iaculabantur: de quo Claudianus *in 6. Conf. Honorii a v. 324.*

Lustralem sic triste facem, cui lumen odorum
Sulphure cæruleo, nigroque bitumine fumat,
Circum membra ROTAT *doctos purganda sacerdos,*
Rore pio spargens, & dira fugantibus herbis
Numina, terrificumque Iouem, Triuiamque precatus,
Trans caput auersis manibus IACVLATVR
IN AVSTRVM
Secum rapturas cantata piacula tædas.

Nemesianus *Bucol. Eclog. 4. v. 63. 64.*

Ter vittis, ter fronde sacra, ter thure vapore
Lustrauit, cineresque auersa effudit in amnem.

Reperio & *Ventilationem* olim in sacris & lustrationibus vsurpatam: Tres enim species erant purgationis, vel tæda & sulphure, vel aqua homines abluebantur, vel aëre ventilabantur, vt ait Seruius: quo etiam respexisse vult Virgilium 6. *Æneid. a. v. 740.*

- - aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad VENTOS: *aliis sub gurgite vasto*
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Et addit Seruius, Virgilium in illo loco *bonum ordinem exsecutum fuisse, vt ante aëriam, inde aquæ, post ignis diceret purgationem.*

Sed videtur ventilatio *hic* accipienda de agitatione modo in hanc partem, modo in illam, Quæ in sacris vsitata erat etiam Mosaicis, vt *Exod. 29. Ventilabis ea in ventilationem oblationis:* vt *ibi* recte nonnulli vertunt. Quam agitationem vocabant *Thenupha*, *Septuaginta* ἐπίθεμα, Hieronymus *Eleuationem*, de qua re Scholastes Onkeli, in *d. c. 29.*

Possit & Ventilandi vox hic figurate accipi, & referri ad vocem insontium: vt ita continuo legatur: *vitas insontium labefactare non dubitant & Manibus accitis audent ventilare*; vt ita *Ventilare* sit agitare, impellere, commouere. Ita Cicero pro Flacco *cap. 23. cuius lingua quasi flabello seditionis, illa tum est egentium concio ventilata*; id est agitata, impulsa. Ita & Vincentius Lirinensis *Commonitorii cap. 7. pag. 324. edit. Steph. Baluzii. Quod sancti cuiusque viri memoriam tanquam sopitos iam Cineres prophana manu ventilant, & quæ silentio sepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant.* Certe Apuleius quoque *in Apologia sua* fere *sub fin. pag. 328. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* hac voce vtitur, verum pro calumniis probrisque & periculo exponere, famam traducere; *Qui tibi plurimas postea contumelias dixit coram, & adiuuante patruo fecit? Qui* NOMEN *tuum pro tribunalibus* VENTILAVIT? *qui pudorem tuum tuismet literis conatus est publice dedecorare.* Ergo & hic Imperator dixerit, *Ventilare manibus accitis*, eodem sensu, quo vitas insontium labefactare: Ventilare, id est periculo obiectare insontes, vel insontium vitas.

Tandem & *huius* quoque *Legis* & Constantii Imp. præiudicio, præiudicata nonnullorum sententia refutatur, qui Magicas artes omnino negant, neque in hos pronunciare sustinent; quanquam hæc Pagani Principis constituti est.

De DIVINANDI *curiositate omni in Comitatu suo & Iuliani C. prohibita Constantii lex.* p. 124.

VI. (a) Idem A. (b) ad Taurum P. P. (c)

ETSI Excepta Tormentis sunt corpora Honoribus (d) præditorum (præter illa videlicet crimina, (e) quæ Legibus demonstrantur) (f) etsi omnes Magi, in quacunque (g) sint parte terrarum, humani generis inimici (h) credendi sunt, tamen (i) quoniam qui in Comitatu (k) nostro sunt, ipsam pulsant (l) propemodum Maiestatem, si quis Magus, vel Magicis contaminibus (m) adsuetus (qui *Maleficus* vulgi (n) consuetudine nuncupatur) aut Haruspex, aut Hariolus, aut certe Augur, vel (o) & Mathematicus, aut narrandis (p) Somniis occultans artem aliquam diuinandi, aut certe (q) aliquid horum simile exercens, in Comitatu (r) Meo, vel Cæsaris, (s) fuerit deprehensus, præsidio dignitatis (t) Cruciatus & Tormenta non fugiat: Si (v) conuictus ad proprium (x) facinus detegentibus

bus repugnauerit pernegando, sit eculeo (y) deditus, vngulisque (z) sulcantibus (aa) latera perferat pœnas proprio dignas facinore. Dat. (bb) III. Non. Iul. Arimini, Datiano & Cereale coss. [358.]

NOTAE.

(a) *Lex 7. C. Iust. eod. Tit.* Basil. *lib.* 60. *t.* 39. *cap.* 33. Photius *Nomocan. t.* 9. *c.* 25. *pag.* 980. *edit. Iustell.* Inseruit *hanc leg.* recte *Annalibus suis* Baronius *An. D.* 358. *n.* 28. GOTHOFR.

(b) *Et Cæs.* additum Cod. Iust. *ID.*

(c) *Taurus* PP. sub Constantio, Italiæ scil. vide de eo Ammianum Marcellinum non *vno loco*, at nominatim *lib.* 21. *cap.* 6. & Seuerum Sulpitium *hist. sacr. lib.* 2. *cap.* 41. & *Prosopogr. ID.*

(d) Id est, dignitatibus, vt *infra*: *præsidio dignitatis. ID.*

(e) Puta præter crimina Maiestatis. Ita Græci *lib.* 60. *Basil. t.* 39. *cap.* 33. hæc verba nominatim interpretantur & accipiunt. Sed cum maxime hic Magiæ crimen denotatur. *ID.*

(f) Id est, legibus speciatim excipiuntur & designantur. *ID.*

(g) Non tantum, in comitatu. *ID.*

(h) Magi, naturæ peregrini, *l.* 5. *prox. sup.* communis hostes salutis, *l.* 11. *infr.* humani generis inimici, *h. l. ID.*

(i) Inuerso ordine in C. Iust. *Quoniam tamen. ID.*

(k) Meo vel Cæsaris, vt mox dicitur, denique Principum. *ID.*

(l) Ammianus Marcellinus *lib.* 14. *cap.* 7. Pulsatæ Maiestatis Imperii reus: & *lib.* 19. *cap.* 12. vbi Maiestas pulsata defenditur, a Quæstionibus vel cruentis, nullam Corneliæ leges exemere fortunam &c. vide plura in *Glossario. ID.*

(m) Vide *Commentarium. ID.* Cod. Iust. legit *Carminibus. RITTER.*

(n) Dixi ad *l.* 4. *supr.* GOTHOFR.

(o) *Vel etiam*, siue *Quinimo &*: Mathematicus quoque in comitatu esse prohibetur: abest a *Tribonianeo* vocula hæc *Et*, quæ magnam vim habet. *ID.*

(p) *Enarrandis*, C. Iust. clarius. *ID.*

(q) *Denique*: Clausula enim hæc generalis, qua similes superius enarratis comprehenduntur. *ID.*

(r) De *Comitatus* voce, vide *Glossar. ID.*

(s) Id est, IVLIANI, de quo mox: Error enim est *V. C.* Brettii *Orat.* 21. *p.* 112. qui Constantino M. hanc leg. tribuens de Constantini filio & successore id accipit. Hinc interim apparet, *Comitatum* non tantum ad Principem referri, seu de Principe dici, verum etiam de Cæsare. Quod etiam ex Amm. Marcellino clarum *lib.* 20. *cap.* 4. Quomodo & in aliis pariabant Augusti & Cæsares: vtrorumque nomina Constitutionibus addita seu inscripta. *ID.*

(t) Vocem hic, *exutus* intrudit Tribonianus, qua nil opus est. *ID.*

(v) *Si vero conuictus fuerit*: ita Tribonianus: Sed male, melius si ita & verius: *nam si conuictus*: vel ita, *Igitur si conuictus*: est enim hæc sententia superioris consequens. *ID.*

(x) Vide *Commentarium. ID.*

(y) De *Equulei* pœna siue tormento (quod ἐρμητάριον dicitur apud Athanasium *Apol. ad Constantium, pag.* 698. *Tom. I. Oper edit. Colon. siu. Lips. apud Weidman.*) est quoque *l.* 4. *supr. de Numerariis. ID.*

(z) De *Vngularum* seu vnguium pœna, quibus latera sulcari solita, alibi dico plene: vide & *l. vn. supr. de emendat. seruorum. ID*

(aa) *Sulcatis* lateribus pariter Ammianus Marcellinus *lib.* 28. *cap.* 1. fodicatis lateribus *lib.* 29. *cap.* 1. omitto alia. *ID.*

(bb) Consule *Commentarium. ID.*

COMMENTARIVS.

IN COMITATENSES, id est in Comitatu Constantii suo, vel Iuliani Cæsaris potissimum DIVINANDI Curiositatem exercentes omnes, puta Magos, Maleficos, Haruspices, Augures, Ariolos, quinimo & Mathematicos, somniorumque coniectores, cæterosque his similes, est hæc *lex* e Constantianis *h. t.* tertia. Nam etsi Constantius genus hoc hominum in commune execratus sit, quod docet *sup. lex 4.* omnesque adeo Magos communi odio prosequutus sit, quacunque in parte terrarum illi degerent, peculiari tamen odio insectatus est, & vero *h. l.* insectatur eos qui in comitatu suo, vel Cæsaris Iuliani, huiusmodi artem exercerent. Execratus videlicet illos est *l. 4. supr. communi odio*, velut generis humani inimicos, vt *h. l.* ipse profitetur, at in hos peculiares odii causas habere se prodit: Nempe quod ii qui in Comitatu suo, vel Cæsaris essent, ipsam pulsarent propemodum Maiestatem. Nam vt maxime genus hoc hominum vbicunque terrarum sit, Potentibus infidum sit (vt Tacitus de his eleganter loquitur) in Comitatu tamen metuendi maxime: vbi Maiestas Principis peculiare secretum penetrat & arcanum habet: & vbi vanissimo cuique audendi occasio maior. Odio igitur ibi digni maiore, vbi Maiestatem Principis propius pulsant; & a quibus Maiestas Principis nunquam satis tuta. Itaque qui alibi metuendi, hic execrandi

Ob hanc igitur rationem Magos, Mathematicos &c. in Comitatu suo, vel Iuliani Cæsaris artem suam vllo modo exercentes, eadem seueritate habendos cum ipsis Maiestatis reis Constantinus *h. l.* duxit. Proinde hæc eius sententia est: Diuinandi curiositatem exercentes in Comitatu Principum, quacunque præditi sint dignitate, pariter vt Maiestatis reos nullo dignitatis respectu habito, *Quæstionibus cruentis* (eculei videl. & vngularum) ad confessionem & veritatem eruendam subiici posse; cum alioquin e tormentis his excepta sint corpora honoribus præditorum (vt hæc *lex* ait & pluribus ostendetur ad *l. 1. & 2. infr. de quæstionibus)* & nominatim in Maleficii quoque crimine extra comitatum, vt ex *h. l.* colligitur. p. 135.

Huc interim, vt ad Historicas huius legis caussas accedamus, faciunt omnino *tria* Ammiani Marcellini *loca.* Primus est, qui ad hanc *legem* referri possit ipsa temporum ratione suadente, *lib. 18. cap. 3.* vbi de Barbatione agit Magistro Peditum; *In* COMITATV, inquit, *Augusti, turbo nouarum exoritur rerum, a primordiis leuibus ad luctus & lamenta* pro-

progressus. In domo Barbationis pedestris militiæ tunc Rectoris, examen apes fecere perspicuum: superque hoc ei PRODIGIORUM GNAROS *sollicite consulenti, discrimen magnum portendi* RESPONSUM *est &c.* vbi agit de eius vxore, quæ spem Imperii præsumpserat, & epistola ad maritum scripta testata fuerat: vnde factum, vt vterque ceruicibus præcisis interierit.

Secundus Ammiani Marcellini locus est *lib. 19. cap. 12.* de hoc Constantio nostro, Anno sequente, id est A. D. 359. *Si qui remedia Quartanæ, vel doloris alterius collo gestaret, siue per monumentum transisse vespere maleuolorum argueretur indiciis, vt veneficus, sepulchrorumque horrores & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana, pronunciatus reus capitis interibat. Et prorsus ita res agebatur, quasi Clarum, Dodoneas arbores, & effata Delphorum olim solemnia, in Imperatoris exitium sollicitauerint multi* &c. *Et inquisitum in hæc negotia fortius, nemo qui quidem recte sapiat reprehendit: nec enim abnuimus salutem legitimi Principis, propugnatoris bonorum & defensoris, vnde salus quæritur aliis, consociato studio muniri debere cunctorum, cuius redimendæ causa validius, vbi* MAIESTAS PULSATA *defenditur, a* QUÆSTIONIBUS *vel cruentis, nullam Corneliæ leges exemere fortunam.*

Postremus Marcellini locus est *lib. 28. cap. 1.* de Valentiniano & maleficii crimine; *vno proloquio in huiusmodi causas, quas arroganter proposito Maiestatis imminutæ miscebat, omnes quos iuris prisci iustitia Diuorumque arbitria quæstionibus exemere cruentis, si postulasset negotium, statuit tormentis affligi.*

Ex superiore interim Ammiani *loco* & id liquet, quod & *lex 4.* & hæc nostra testantur, quanto odio execratus sit huiusmodi diuinandi artem exercentes Constantius, quantum ab his sibi metuerit, cauerit, & quod horum artem Maiestatis criminibus deputauerit.

Itaque hac etiam de causa & *omnino* Artem ab eo exercere vetiti, vt *h. l.* ita *d. l. 4.* quod illius *l. 4.* verba ostendunt: *Nemo Haruspicem consulat, aut Mathematicum: nemo Hariolum*, & mox, *sileat omnibus perpetuo diuinandi curiositas* &c. Cum antea hactenus ferme artem suam exercere possent, dum ne quid super salute Principis aut statu Reip. responderent: vt omittam notissimos ex Tacito, Suetonio, Spartiano in *Seuero*, locos; Tertullianus *Apologetici c. 35. in fin.* rationem quoque eleganter proponit.

Eadem officia [impietatis in Principem] *dependunt, & qui Astrologos & Aruspices, & Augures & Magos de Cæsarum capite consultant: quas artes vt ab Angelis desertoribus proditas, & a Deo interdictas, ne suis quidem causis adhibent Christiani. Cui autem opus est perscrutari super Cæsaris salute, nisi a quo aliquid aduersus illam cogitatur, vel optatur? aut post illam speratur & sustinetur? non enim ea mente de charis consulitur, qua de Dominis; aliter curiosa est sollicitudo sanguinis, aliter seruitutis.*

Paulus quoque noster *5. sent. t. 21. §. 3. Qui de salute Principis vel de summa Reip. Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatores consulit, cum eo qui responderit, capite punitur.* Itaque & Firmicus, qui sub hoc eodem Constantio paulo ante *d. l. 4. & hanc leg.* scribebat, quo tempore nondum diuinandi curiositas omnino prohibita fuerat, *lib. 2. extremo* ita Mathematicum admonet, *Caue ne quando de statu Reip. vel de vita Rom. Imp. aliquid interrogatus respondeas: non enim oportet, nec licet, vt de statu Reip. aliquid nefaria curiositate discamus.*

Verum, cum nequicquam, id est frustra id prohibitum esset, & consulti subinde deprehenderentur super salute Principis Mathematici, id genus alii, subinde etiam pulsi, prohibiti, puniti: vt præter Suetonium, *Tiberio c. 36. Vitellio c. 14.* Suidam in Δομιτιανός, aliquot exemplis, Senatusconsultis, decretis Principum, ostendit eleganter Vlpianus, *lib. 7. de officio Proconsulis*, titulo *de Mathematicis & Vaticinatoribus* apud authorem *coll. leg. Mosaic. tit. 15. de Mathematicis*, vbi hæc inter cætera sic leges. *Et varie puniti sunt, qui id exercuerunt, pro mensura scilicet consultationis: Nam qui de Principis salute, capite puniti sunt, vel qua alia grauiore pœna adfecti: enimuero si qui de sua suorumque; leuius.*

Ante Vlpianum quoque Tacitus *lib. 1. Histor. cap. 22.* aureo illo loco, *Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra &* VETABITUR *semper, & retinebitur.* Tertull. *c. 9. de Idololatria: Expelluntur Mathematici sicut Angeli eorum: vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, sicut cœlum angelis eorum. Eadem pœna est exilii Discipulis, & Magistris.*

Hoc igitur eodem exemplo Constantius, diuinandi curiositatem omnino sub seuerissima pœna interdicendam credidit, *leg. 4. supr.* & maiore adhuc, eam exercentes in comitatu suo, vel Cæsaris.

Addit autem, *vel Cæsaris* (Iuliani scil.) nam & hæc dignitas Principatui, quod nemo nescit proxima fuit. Quanquam perspectis propius Constantii moribus, tam Iuliani, quam sui ipsiusmet causa Constantium de Comitatu Iuliani idem quod de suo edixisse puto. Iulianus quippe Constantio iam in inuidiam venerat, sibique ab eo iam metuebat, vt in *huius ipsius anni Gestis* refert Ammianus Marcellinus *lib. 17. cap. 11.* Itaque ne ad altiora celsius anhelantem Iuuenis Principis animum (Iuliani inquam) Mathematici propellerent, *seuerissima h. l.* vt a suo, ita & Iuliani Comitatu Mathematicos, id genus alios, interdicendos credidit.

Tria adhuc obiter ad *hanc legem* notanda. Primo pro *Contaminibus* legendum videtur *cantaminibus*, id est, *carminibus*, incantationibus, vt Apuleius *Apolog. pag. 264. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire, Sin vero more vulgari, eum isti proprie Magum existimant, qui communione loquendi cum Diis immortalibus ad omnia, quæ velit, incredibili quadam vi* CANTAMINUM *polleat.* &c. & alibi *pag. 276. edit. cit. Veteres Medici etiam carmina, remedia vulnerum norant, vt omnis vetustatis certissimus auctor Homerus docet, qui facit Vlyssi de vulnere sanguinem profluentem sisti* CANTAMINE. Sed *contaminibus* hic legitimum credo: *Contamina*, id est, consultationes, percunctationes: *Codex Iustinianeus* habet ex Triboniani flagitio *carminibus*.

Secundo, hæc verba: *ad proprium facinus detegentibus repugnauerit pernegando*, vitiosa sunt. *Cod. Iust.* habet, *& ad proprium*, &c. Non tamen emendatius. Quid enim est, *ad proprium facinus detegentibus repugnare pernegando?* Putem ita emendandum: *adproperum facinus.* Adproperum facinus, id est, *valde properum*, valde fœdum, vt *deproperum* pariter *l. 13. supr. de re militari*, pro valde propero, seu valde fœdo, *Adproperum*, vt *adprobum*, pro *valde probo*: Cœcilius apud Gellium *Noct. lib. 7. cap. 7. Hierocles hospes est mihi, adolescens adprobus.* Quid si ita legamus: *si conuictus ad properium, facinus* &c. *conuictus ad properium*, id est, modis omnibus conuictus, & ad fœditatem vsque & ad ludibrium conuictus, aperte manifesta probatione, euidentibus argumentis, vt loquitur *lex 1. inf. de quæstionibus*, sic vt nec iam ipse negare possit nisi cum summa fœditate. Tandem minori mutatione hic legat quis: *si conuictus, ac proprium*, &c. P. 126

Postremo subscriptio legis, *Dat. Arimini*: si vox *Arimini* hic bene habet, tum *Dat.* hic accipiendum fuerit pro *reddita*: *Arimini* enim tum erat Taurus PF. P. vt testatur Seuerus Sulpitius *lib. Sacra Histo-ria cap. 41.* vbi Synodus congregata. At Constan-

tius in Illyrico tum versabatur, & quidem in Pannonia. Verum hoc ipso argumento puto hic reponendum *Aciminci*, quo Sirmio & Mursa progressus forte hoc tempore constitit Constantius. vide *Chronicon.* Huius *Acimnici* in Pannonia mentio non tantum apud *Ptolomaeum*, vbi Ἀκύμιγκον audit, & Itinerarium *Anton. pag. 242. edit. Wesseling.* & *Peutingerian.* vbi perperam *Acunum* editum, & in *Notitia Imperii*, *sub duce Pannoniae fol. 167.* sed & apud Marcellinum *lib. 19. cap. 11.* in gestis anni proximi 359. vbi docet, prope *Acimincum* Constantium vallum locasse, contra Limigantes Sarmatas dimicaturum: Imo forte hoc ipso *anno 358.* ibidem fuerit, cum idem Marcellinus doceat *lib. 17. cap. 13.* in huius ipsius anni gestis, Constantium Sirmio digressum, contra Limigantes Sarmatas feliciter pugnasse. In hac vero vrbe locati fuerunt Equites, a Constantio, *Constantini* dicti: vide *Notitiam Imp.* sub Duce Pannon. *fol. 167.* vbi & occurrunt *Equites Sagittarii Aciminci*

Aduersus NOCTVRNA *sacrificia Ritusque Gentilitios Valentiniani Sen. Lex.*

VII. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. ad Secundum (b) PP. (c)

NE quis deinceps (d) nocturnis temporibus, aut nefarias (e) preces, aut Magicos apparatus, (f) aut sacrificia funesta (g) celebrare conetur; detectum (h) adque conuictum conpetenti animaduersione mactare (i) perenni auctoritate censemus. (k) Dat. V. Id. Septemb. Diuo Iouiano A. & Varroniano Coss. [364.]

INTERPRETATIO. *Quicunque nocturna sacrificia daemonum celebrauerit* (l) *vel incantationibus daemones inuocauerit, capite puniatur.*

NOTAE.

(a) Abest haec *lex* a *Cod. Iust.* quia scil. in vniuersum sacrificia eo aeuo prohibita, non nocturna tantum. Meminit huius *legis* Zosimus, *lib. 4. cap. 3.* GOTHOFRED.

(b) Hic est *Secundus Sallustius*, vt eum vocat Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 3.* qui modo simpliciter Secundus, modo simpliciter Sallustius vocatus. *ID.*

(c) Orientis hoc ipso anno: Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 5. ID.*

(d) Quemadmodum sub IVLIANO Apostata recenter licuerat. *ID.*

(e) Nefariae preces nocturnae, *h. l.* nefaria sacrificia nocturna: *l. 5. inf. de Paganis.* Isidorus *VIII. Origin. cap. 9. Arioli vocati, propter quod circa aras Idolorum* NEFARIAS PRECES *emittunt, &* FVNESTA SACRIFICIA *offerunt. ID.*

(f) *Apparatus Magici*: Inter hos Manium euocatio & in ea ventilatio: de quibus vide *l. 5. supr. ID.*

(g) *Funesta sacrificia*: scilicet quae nocturnis temporibus celebrantur ex Valentiniani mente: nefaria, ex Constantii *l. 5. infr. de Paganis. ID.*

(h) *Detectum enim atque*, MSS. W. & G. & Edit. Sich. eleganter. *RITTER.*

(i) *Mactari. GOTHOFRED.* MS. G. hic legit, *aduersione aptari. RITTER.*

(k) Iubemus. *GOTHOFREDVS.* MS. G. *censuimus. RITTER.*

(l) *Celebrauerint*, & mox, *inuocauerint*, MS. G. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris tres in Maleficos & Mathematicos constitutiones sequuntur: puta haec *lex*, & *lex 9. 10.* Hac sane (quam septimo Imperii sui mense tulit) NOCTVRNA sacrificia, nocturnosque Apparatus Magicos, nocturnas preces prohibet. Nocte scil. haec peragi tantum vetat; non & libera luce. Namque liberam horum peragendorum facultatem cuique patere voluit: & vt ipsemet loquitur & profitetur *l. 9. inf. Legibus in exordio Imperii sui datis, vnicuique quod imbibisset animo, colendi liberam facultatem dedit.* Itaque & sacrificia diurna permisit, & Haruspicinam tulit, *d. l. 9. infr.* Scilicet post Iulianum, qui nocturna quoque sacrificia reuexerat, vt diserte testatur Libanius *orat. in Iuliani necem, p. 253. edit. Morell.* & sub quo Haruspicina & vaticinandi professio immodice reuixerat, vt testatur Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 12.* Item post momentaneum Principem Iouianum, Valentinianus ad Imperium iam euectus, sacrificiis & gentilitiae superstitioni omni omnino abolendae cum impar foret, Haruspicina, sacrificia, aliique ritus gentilitii, ne nocenter exercerentur, cauere satis habuit, *h. l.* & *d. l. 9. infr.* Hinc est igitur ista nunc *sacrificiorum* &c. *Nocturnorum* prohibitio: nempe quia sceleri fauere tenebrae videntur. Vnde illa apud Horatium improba vota *Epist. 16. v. 62.*

Noctem peccatis & fraudibus obiice nubem.

Notumque illud Prudentii *Cathemerin. Hym. 2. v. 27.*

Nec teste quisquam lumine
Peccare constanter potest.

Item Taciti *lib. 14. Annal. cap. 20. Quod perditissimus quisque per diem concupiuerit, per tenebras audeat.* Eaque ratione fingunt Poëtae, noctem generasse dolores, fraudem, mendacia. Huc omnino pertinet Firmici *lib. 2. c. vlt.* consilium, quo inter alia Mathematicum informat: *Nunquam Nocturnis sacrificiis intersis, siue priuata siue publica dicantur, nec secrete cum aliquo fabulas conferas, sed palam sub conspectu omnium istius diuinae artis exerce disciplinam.*

Porro huiusce *legis* ipsius pluribus meminit Zosimus *lib. 4. cap. 3.* simul & eius quam dixi ferendae caussam perstringit: denique quid eius promulga-

P.127. mulgationem insecutum sit: ἐπεὶ δὲ καὶ νόμων εἰσφορὰς ἐγνώκει ποιήσασθαι, ἀφ᾽ ἑστίας ὥσπερ ἀρξάμενος, τὰς ΝΥΚΤΕΡΙΝΑΣ ἐκώλυε ΘΥΣΙΑΣ ἐπιτελεῖσθαι: τοῖς μυσαρῶς μὲν οὖν πραττομένοις ἐμποδὼν διὰ τοῦ τοιοῦδε νόμου γενέσθαι, βουλόμενος. Ἐπεὶ δὲ Πραιτεξτάτος, ὁ τῆς Ἑλλάδος τὴν ἀνθύπατον ἔχων ἀρχὴν, ἀνὴρ ἐν πάσαις διαπρέπων ταῖς ἀρεταῖς, τοῦτον ἔφη τὸν νόμον ἀβίωτον τοῖς Ἕλλησι καταστήσειν τὸν βίον, εἰ μέλλοιεν κωλύεσθαι τὰ συνέχοντα τὸ ἀνθρώπειον γένος ἁγιώτατα μυστήρια, κατὰ θεσμὸν ἐκτελεῖν, ἐπέτρεψεν ἀργοῦντος τοῦ νόμου: πράττεσθαι δὲ πάντα κατὰ τὰ ἐξ ἀρχῆς πάτρια. id est. *Et quia legum quoque promulgationes instituere decreuerat, exorsus ab ipso quasi lare,* NOCTVRNA SACRIFICIA *celebrari prohibuit: occurrere nempe volens hac lege iis quæ nefarie designarentur. Sed cum Prætextatus Achaiæ Proconsul, vir omni virtute præstans, hanc legem diceret vitam iniucundam Græcis parituram, si prohiberi contingeret sanctissima mysteria, quæ genus humanum continerent, peragi ea rite, vi legis cessante permisit: ita tamen, vt omnia secundum patrias consuetudines, quæ ab initio fuissent, perficerentur.* Hactenus Zosimus Gentilis Scriptor. Gratiam igitur *huius l.* Achaiæ seu Græcis fecit Valentinianus, Prætextato P. C. intercedente. In cæteris ratam fecit, ea, quam dixi, vt idem Zosimus refert ratione: τοῖς μυσαρῶς μὲν οὖν πραττομένοις ἐμποδὼν διὰ τοῦ τοιοῦδε νόμου γενέσθαι βουλόμενος. Magicis & noxiis videl. sacrificiis occursum voluit Valentinianus: quibus patrandis tenebræ opportuniores, & vero a Magis & Maleficis in id delectæ. Apuleius *Apologia pag. 282. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire. Igitur & occulta non minus, quam tetra & horribilis, plerumque* NOCTIBVS *vigilata, &* TENEBRIS *abstrusa, & arbitris solitaria, & carminibus murmurata.* Quin & a Mathematicis eorumque consultoribus, *l. prox. 8. inf.* Proinde & Paulus 5. *sentent. tit. 23. §. 15. Qui sacra impia,* NOCTVRNAVE, *vt quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint, faciendaue curauerint, aut cruci suffiguntur, aut bestiis obiiciuntur.* Quo loco parum aberat olim, quin pro *sacra impia* legendum putarem, *sacra interdia.* Scilicet Pauli sæculo sacrificia tam interdia quam nocturna legitima fuere: exceptis his tam interdiis quam nocturnis, quæ obcantando alicui, vel defigendo fierent. Verum in Paulo nil muto. Igitur cum diurna sacrificia Valentinianus toleraret, nocturna prohibuit ea, quam dixi, ratione. Sane Constantius, Magnentio Tyranno cæso, qui Romæ incubabat, nocturna pariter sacrificia prohibuit, *l. 5. inf. de paganis:* verum alia ratione, quia scil. & diurna iam prohibita cessabant: nocturna vero saltem Magnentius populo sibi deuinciendo & firmandæ comminationi Romanis indulserat, *permiserat:* etsi Christianus ipse. Breuiter & Constantius & Valentinianus sacrificia nocturna prohibuere, verum diuerso instituto: ille, quia *nec diurna* permittebat: hic vero, quia diurna tolerabat. Quid a Constantino M. hac parte factum videatur, dicam ad *l. 3. inf. de infirm. his quæ sub Tyr.*

MATHEMATICORVM *tractatus a Valente inhibentur.*

VIII. (a) Idem AA. ad Modestum PP. (b)

CESSET Mathematicorum (c) tractatus: (d) Nam si qui, (e) publice aut priuatim, in die noctuque, (f) deprehensus fuerit in cohibito (g) errore (h) versari, capitali sententia feriatur vterque: (i) *Neque* enim *dissimilis culpa est prohibita discere, quam docere.* Dat. II. Id. Dec. Constantinop. (k) Valentiniano & Valente (l) AA. Coss.

NOTÆ.

(a) *Lex 8. Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est: recisa potissima *huius legis* parte, postrema tantum sententia expressa, *Culpa similis est, tam prohibita discere, quam docere:* itidemque in Basilicis, *lib. 60. t. 39. cap. 34.* & apud Photium, *Nomoc. t. 9. c. 25. pag. 980. edit. Iustell.* GOTHOFRED.

(b) *Modestus* PF. P. Orientis sub Valente de quo mox, & in *Prosopogr.* ID.

(c) *Mathematici* hic, & apud Marcellinum *initio lib. 29.* non tantum, quos idem *ibidem, fatorum per genituras Interpretes* appellauit, verum omnes diuinandi Artem exercentes. ID.

(e) *Tractatus* Mathematicorum proprie, est exercitium artis mathematicæ, & Mathematicorum consultatio: *Tractant* Mathematici, qui priuatis sese consultoribus præbent: de hac voce vide plura in *Glossario.* IDEM.

(e) Discendo, docendo. ID.

(f) De *Nocte,* hanc ad rem, dixi ad *l. 7. supr. prox.* ID.

(g) Prohibito. IDEM.

(h) *Erroris* appellatione designat Mathematicorum tractatum *h. l. & l. vlt. inf.* Non alio quoque sensu Iulius Firmicus Maternus, *de errore profanarum Religionum,* libellum suum inscripsit: vide & *l. 21. infr. de Paganis.* ID.

(i) Tractatum habens, discens, docens. ID. Reliqua absunt a prima Cuiac. & illa in 4. RITTER.

(k) Ita exerte *Tiliana editio,* & *Cod. Iust.* Atquin hoc tempore A. 370. Antiochiæ Valens versatus videtur. GOTHOFR.

(l) Supple *III.* id est, A. D. 370. vel *IV.* id est, A. D. 373. ID.

COMMENTARIVS.

VALENTIS Imperatoris hæc vnica *hoc titulo* constitutio est in Mathematicos: cuius portio tantum in *l. 8. Cod. Iust. eod. tit.* relata est; non vero, quod vir doctus minus pense scribit, hæc nostra illius portio est. Hoc vero Mathematicorum tractatu, id est, Mathematicæ artis, vaticinandi, futura prænoscendi, exercitio, omnibus omnino publice priuatim per Orientem omni tempore & loco interdicitur, ita quidem, vt *capitalem pœnam* denunciet, non tantum Mathematico Doctori, qui sese consultori & discipulo præberet: verum etiam consultori ipsi, & discipulo: eleganter ideoque ait; *Non dissimilis culpa est prohibita discere, quam docere.* Quod & ipsum de hæreticorum doctrina dicitur

dicitur *l. 24. inf. de haeret.* (vnde desumptus est versiculus *legis secundae, Cod. Iust. eod. tit.*) In quam ipsam sententiam Tertullianus *de Idololatria, cap. 9. vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, sicut caelum angelis eorum: Eadem poena est exilii* (in Codice meo Agobardi, *exitii*) *Discipulis & Magistris*; qui locus componendus est cum Vlpiano, qui eodem tempore scribebat apud Authorem *collat. legum Mosaic. de Mathematicis t. 15.* Philo quoque Iudaeus περὶ θυόντων: *pag. 856. edit. Francf. apud Ierem. Schrey.* ἑκάτερον
P.128. γάρ τό, τε μανθάνειν καὶ τὸ διδάσκειν τελετὰς, οὐ μικρὸν ἀνοσιούργημα, id est, *quando vel docere, vel discere haec, iuxta est nefarium.* Seneca *proaem. lib. 2. Controuers. Minime probabili more turpe erat docere, quod honestum erat discere.* Ab hoc vero abit paulum quod scribit Vlpianus apud Authorem *Collat. Legum Mosaicarum tit. 15. Notitiam non puniri.* Simplex Notitia & scientia non punitur, sed exercitium, vel docendo vel discendo. Quanquam suasio etiam Pauli I.C. hic audienda est *5. sentent. 21. §. vlt. Non tantum diuinatione quem, sed & ipsa scientia eiusque libris* MELIVS *abstinere.* Verum haec, vt dixi, suasio est: quod Cuiacius non attendit. Vide & Alber. Gentilem *ad l. 8. Cod. Iust. h. tit.*

Caeterum *huic legi* occasionem praebuisse omnino credo memorabilem illum Gentilium & Mathematicorum tractatum; quem memorat Amm. Marcellinus *lib. 29. cap. 1. & 2.* Zosimus *lib. 4. cap. 13. & 14.* Socrates, *lib. 4. cap. 19.* Sozomenus, *lib. 6. cap. 35.* Philostorgius, *lib. 9. c. 15.* & post omnes Nicephorus *lib. 11. cap. 45.* & Cedrenus *pag. 247. edit. Venet. inter Script. R. B.* Gentiles scil. Christiani Principis pertaesi, suarum vicissim partium Imperatorem auidius expetentes, imperaturi post Valentem nomen detestando diuinandi genere exploratum tum iuerant. Quae res & Mathematicorum nonnullos consultoresque ad vltimam perniciem perduxit, & Valentem ad hanc constitutionem procul dubio adegit. Quam & MODESTO Praefecto Praetorio inscribi, notari cupio. Nam & Ammianus Marcellinus *d. lib. 29. cap. 1.* & Zosimus *d. lib. 4. cap. 14.* eiusdem *Modesti* meminerunt, velut in hoc aduersus Mathematicos iudicio inter alios Cognitoris & negotio Quaesitoris, siue Iudicis. Imo si recte coniicio, est haec lex ipsa pars Rescripti illius Valentis ad Relationem Cognitoris in hoc ipso negotio super iis qui rem illam didicerant, Theodoro ipso, Simonide Philosopho adolescente, aliisque quos memorat Marcellinus *d. lib. 29. cap. 1. Theodorus,* inquit, *ostendit se* COGNITA *per Eusebium, ne ad Imperatorem referret, vt conatus est aliquoties, ab eo probibitum, adserente non appetitu regni occupandi inlicito, sed ratione quadam indeclinabilis fati, id quod sperabatur, vltro venturum.* Et mox: *Eutropius Asiam Proconsulari tunc obtinens potestate, vt factionis* CONSCIVS *arcessitus in crimen.* Mox: *His accessit Philosophus Simonides, adolescens ille quidem, verum nostra memoria seuerissimus. Qui cum* AVDISSE *negotium per Fidustium deferretur, & causam non ex veritate, sed ex vnius nutu pensari sensisset,* DIDICISSE *se dixit praedicta, & commissa pro firmitate animi tacuisse. Queis omnibus perspicaciter inquisitis, Imperator Cognitorum consultationi respondens, sub vno proloquio cunctos iubet occidi.* Vide & quae mox de Maximo Philosopho; Item de his qui *Artibus interdictis* imbuti & veneficorum *notitia* polluti.

Eodem pertinent, quae Libanius memorat, *de vita sua pag. 52. & 53. edit. Morell.* (cuius verba consignabo ad *l. vlt. infr.*) & *p. 56. edit. cit.* vbi ait sub Valente μάντιν omnem ἐχθρὸν habitum. Μάντις τε ἅπας ἐχθρός. ὅτῳ δὲ ἐδέησε τῆς τέχνης διδάσκεσθαί τι περὶ τῶν ἰδίων τῶν αὐτοῦ παρὰ τῶν θεῶν βουλομένων. χαλεπὸν γὰρ δὴ ἐδόκει εἶναι παρόντος μαντέως, μὴ ἄν τινα καὶ ἐπὶ τοῖς μείζοσι χρήσασθαι τῷ ἀνδρί. id est: VATES *autem quiuis inimicus erat: vt quicumque cupiebat se* EDOCERI *de rebus suis, quae Dii de his vellent. Molestum enim certe videbatur esse, si vate praesente, non in quibusdam ad maiora vti viro fas esset.* Qui locus plane ad *hanc l.* facit. Vide & quae idem scribit *pag. 57. & 72. edit. cit. vbi* ἀκοῆς nomine in discrimen adductum quendam notat.

Porro ad quem nominatim Annum, seu Consulatum hoc omne, & haec speciatim *lex* referri debeat, ambigi possit. Illud satis constat, ad Valentinianum & Valentem AA. COSS. primum scil. (id est ad A. D. 365.) referri non posse; quandoquidem *Modestus*, qui Auxonio in Praefectura successit, teste Zosimo *lib. 4. cap. 11.* nonnisi A. D. demum 370. Praefecturam gerere coepit: quam adhuc gerebat Auxonius fine Anni 369. (cui Modestus suffectus fuit,) vt etiam Philostorgius scribit, *lib. 9. c. 11.* & Zosimus *lib. 4. c. 11.* vt docet *lex 2. supr. de legitim. hereditatib.* imo & initio anni 370. si referenda ad eum est *lex 2. de patrocin. vicorum.* Dubium igitur, num ad *Valentinianum & Valentem III. COSS.* id est, ad A. D. 370. an vero ad *Valentinianum & Valentem IV. COSS.* id est, A. D. 373. lex haec & negotium hoc omne referendum sit. Quod quidem neque ex Ammiano Marcellino, aut Zosimo, vel Socrate & Sozomeno liquido definiri potest. Sed & mirum illud, datam hanc *leg. Constantinopoli* dici, cum tamen *Antiochiae* negotium illud omne transactum fuerit, vti Scriptores illi omnes testantur, & cum his Eunapius, *in Maximo pag. 110. edit. Commelin.* Verum mens ea mihi, id ad A. D. 370. (non 373.) pertinere, cuius Anni fine Valens ex Oriente Constantinopolim regressus est: vbi etiam constitit Anni proximi 371. quatuor primis mensibus: Hoc etiam argumento, quod Modestus PP. cuius in hoc negotio magnae partes fuerunt, nusquam Consul vocatur ab iis qui rem istam describunt: Qui tamen postea COS. fuit A. 372.

Neque illud omittere possum, Patres quoque hoc ipso seculo Mathematicis istis sese opposuisse. Memorat Suidas voc. Διόδωρος, ex Theodoro Anagnoste, Diodorum Tarsi Ciliciae Episcopum, sub Valente scripsisse κατὰ ἀστρονόμων καὶ ἀστρολόγων, καὶ εἱμαρμένης. Basilius quoque in *caput 2. Esaiae Prophetae num. 77. 78. pag. 433. 435. Tom. I. edit. Benedictin.* prolixe satis in Augures, Aruspices, & *Homilia 6. in Hexaemeron,* in diuinos & Genethliacos (qui hi omnino Mathematici sunt, quos Marcellinus in hac historia *fatorum per Genituras Interpretes* quoque appellat,) inuehitur *num. 5. 6. 7. a pag. 54. seqq. Tom. I. Oper. edit. cit.*

Quod *capitalem* tandem poenam attinet a Valente *hac l.* propositam, in id vide Amm. Marcellinum *d. lib. 29. cap. 1. 2.*

De HARVSPICINAE *vsu innoxio permisso: Valentiniani Sen. Lex.*

IX. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Senatum. (b)

HARVSPICINAM (c) ego (d) nullum cum Maleficiorum causis habere consortium iudico: neque ipsam, aut aliquam praeterea (e) concessam a Maioribus religionem,

nem, genus esse arbitror criminis, Testes sunt Leges a me (f) in exordio Imperii mei datæ, quibus, *Vnicuique, quod animo inbibisset*, (g) *colendi libera facultas*, tributa est. Nec Ha-
p.129 ruspicinam reprehendimus, set nocenter exerceri vetamus. Data IV. (h) Kal. Iunii Treuer. Gratiano A. II. & Probo Coss. [371.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* vtpote improbata tum penitus Haruspicina. Porro coassanda seu iungenda *huic* est *lex* 5. *infr. de indulgent. criminum*: de quo mox. GOTHOFRED.

(b) Vrbis Romæ: de quo mox plura. *IDEM.*

(c) Dubitationi sibi motæ a Senatu Romano per Legatos respondet Valentinianus. *IDEM.*

(d) Ecce *hic* & *infr.* ibi, *a me.* Scil. etsi omnium Augustorum, qui tum imperarent nomina constitutionibus inscriberentur, in vnius tamen persona (constituentis videl.) *legem* ipsam conceptam obserua. Porro Valentinianus hic loquitur, atque is huiusce constitutionis auctor est. *ID.*

(e) Quamnam intelligit? Gentilitiam superstitionem, Ariolorum, Augurum, &c. *IDEM.*

(f) Valentiniano. *ID.*

(g) *Iuuisset*, vel *libuisset*, ita nonnulli tentabant. Male. *IDEM.* Edit. prior. legunt: *animo in viuis fet.* RITTER.

(h) XIV. *d. l.* 5. alterutrubi error. *GOTHOFRED.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. e tribus *hoc titulo* Constitutionibus, hæc secunda est, quæ prolixioris Valentinianeæ ad Senatum vrbis Romæ orationis pars est, cuique coassanda venit *lex* 5. *inf. de indulg. criminum.* Ea oratione Haruspicinam, sicut & cœteras a maioribus concessas religiones (puta Ariolorum, Augurum, id genus aliorum,) non reprehendere se profitetur, neque inter maleficiorum (id est Magiæ illicitæ) causas, vel crimina sese connumerare ait: sed nocenter tantum exerceri eam nolle.

Scilicet (quod ipsemet profitetur) iam inde ab Imperii sui exordio *leges* Imp. hic promulgauerat, quibus vnicuique quod animo imbibisset, colendi liberam facultatem tribuit. Itaque in hoc proposito etiamnum stare se *h. l.* testatur, atque adeo a præteritis legibus & annis exemplum LIBERTATIS seu ἐθελοθρησκείας in præsens sumi iubet.

Certe huiusce libertatis a Valentiniano concessæ, quam ipsemet *h. lege* memorat, meminit pariter Ammianus Marcellinus *lib.* 30. *cap.* 9. *Hoc moderamine*, inquit, *Principatus inclaruit, quod inter Religionum diuersitates medius stetit, nec quemquam inquietauit, neque vt hoc coleretur imperauit aut illud: nec interdictis minacibus subiectorum ceruicem ad id quod ipse coluit inclinabat, sed intemeratas reliquit has partes vt reperit.* Sed & Ambrosius, *Orat. de obitu Valentiniani*: & *ep.* 30. de Ara Victoriæ: Symmachus *lib.* 10. *ep.* 54. *Relatione ad Valentiniani huius filium*: *Spectat*, inquit, *senior ille Diuus (Parens Culminis vestri) ex arce syderea lachrymas Sacerdotum, & se culpatum putat more violato, quem libenter ipse seruauit.* De hoc quoque sentit idem Symmachus, cum ait *ibid. Principes recentiores quosdam ceremonias Patrum non remouisse.*

Et vero vt *hac lege* Haruspicinam nocenter tantum exerceri vetat Valentinianus, ita sane *l.* 7. *sup.* septimo Imperii sui mense sacrificia tantum nocenter celebrari, atque adeo per noctem vetuit, occurrens scil. tantum funestis & nefariis. Ante Valentinianum sane, Iouianus quoque Imp. qui Iuliano successit, pariter ἐθελοθρησκείαν rerum necessitati cedere coactus, inuexerat: quo nomine a Themistio multis commendatur, *Oratione* 12. *edit. Petau.* quæ ὑπατικὸς inscribitur, quamque habuit A. D. 364. cuius denique meminit & Socrates, *extremo cap.* 25. *lib.* 3. Valentem Valentiniano in Imperio consortem paria hac quoque parte fecisse, Themistii Oratio Latine tantum edita, sed & Hieronymus & Cedrenus ostendunt. Imo & Paulus Diaconus, *lib.* 12. *Histor. miscellæ ab init. pag.* 81. *Tom. I. Script. Rer. Ital. Cl. Murator. Interea Valens in Antiochia plurimo tempore commoratus, omnibus licentiam dedit sua sacra celebrare: Gentilibus scilicet atque Iudæis, nec non & omnibus Hæreticis. Nam & Gentiles festiuitates agebant, dæmonibus ministrantes. Et post Iulianum a Iouiano Idololatriæ vanitates extinctas, rursus furere permisit, & Iouis cultum atque Dionysii, sacraque Cereris iam non in occulto tanquam sub pio Imp. celebrabant, sed per mediam plateam bachantes vbique currebant.* Et hæc quidem ferme de Gentilitiæ religionis libertate sub Iuliano, Valentiniano, Valente dicta sint, itemque de libertate exercitii ipsius. De libertate fidei alius est dicendi locus: de quo alioquin insignes loci occurrunt, *lib.* 2. apud Lactantium, Athanas. *Apol.* 2. Augustinum *ep.* 40. siu. 26. *edit. Benedictin.* & *serm.* 64. Gregorium *lib.* 1. *ep.* 45. Bernardum *serm.* 66. *in cant.* Cassiodorum *in Variis*; Vid. & *Codic. Canon. Eccles. African. can.* 58. *p.* 361. *ed. Iustelli*, & *p.* 898. *Tom. I. Concil. edit. Harduini.* Sane, quod de libertate cultus facta a Gratiano memorat Socrates *lib.* 5. *cap.* 2. & Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 1. id ad Christianorum sectas peculiariter referri oportet. His accedat & Honoriana, cuius meminerant Patres Africani, & Zosimus.

Cæterum hac parte, circa Haruspicinam inquam, eadem Valentiniano mens hic stetit, quæ Constantino M. aliquando fuit *l.* 1. & 2. & 3. *sup. h. t.* & *l.* 1. *inf. de paganis.* Qui tamen postea Haruspicinam omnino prohibuit, teste Zosimo, Eusebio, Sozomeno.

Vt ad historiam *huius leg.* accedamus, obseruandum est, pertinere *hanc legem*, vt & *legem* 5. *inf. de indulgent. criminum* (quæ *huic* nostræ coniungenda seu committenda est) ad id quod pluribus memorat Ammianus Marcellinus, *libro* 28. *cap.* 1. quo etiam pertinet *lex* 10. *inf. proxima hoc tit.* Scilicet complures, & in his nonnulli etiam e *Senatu*, seu Ordine Senatorio, & Nobilitate, Maleficiorum insimulatione atque inuidia hoc tempore ipso & anno stringebantur, vt nominatim loquitur & testatur *d. l.* 10. id est Magiæ crimine laborabant, & Aruspicinæ nocenter exercitæ. Itaque cum acerbæ quæstiones hac occasione agitarentur, & (vt Ammianus Marcellinus loquitur) lituis cladium concrepantibus internarum rerum atrocitate torperent cuncti, seueras & crudeles quæstiones agitante Maximino Vicario vrbis Romæ (cui hoc negotium propter Olybrii P. V. morbum delegatum

delegatum ab Imperatore fuerat) & supra plantam, vt dicitur, euagaretur Cognitor ille tartareus; sic vt in quorundam cladibus velut sui quisque discriminis imaginem cerneret, imo & ipse Valentinianus relatione Iudicum doctus, asperius facta interpretantium, rigore nimio in negotium iussisset inquiri, atque Aruspices seu Aruspicinæ etsi innocenter operati, complures reperirent, vel perituri viderentur, (vt docet Ammianus *lib. 28. cap. 1.*) ac nominatim Amantius Aruspex & Hymetius ex Proconsule Africæ. Hæc inquam, cum fierent, quæ cernebantur in paucis, omnibus timeri sunt cœpta. Itaque, *ne* (vt Ammiauus Marcellinus scribit) *tot ma-* p.130. *lis dissimulatis paulatimque serpentibus acerui crescerent ærumnarum, Nobilitatis* (id est SENATVS) *decreto Legati mittuntur* [ad Valentinianum] *Prætextatus ex vrbi Præfecto, & ex Vicario Venustus, & ex Consulari Mineruius, oraturi, ne delictis supplicia sint grandiora, neue* SENATOR *quisquam inusitato & illicito more tormentis exponeretur. Qui cum intromissi in Consistorium hæc referrent, negantem Valentinianum, se id statuisse, & calumnias perpeti clamitantem; moderate redarguit Quæstor Eupraxius. Hacque libertate emendatum est crudele cœptum, supergressum omnia diritatis exempla.* Legatione igitur ad Valentinianum missa, *Senatus* id quoque a Valentiniano postulauerat (vt ex *h. l.* & *l. 5. inf. de indulg. crim.* colligitur) vt Senatui haruspicinæ simul & semel indulgentiam seu gratiam faceret. Verum ad hoc Legationis huius, (vel alterius, si non hæc ipsa est) caput, Valentinianus *h. l.* & *d. l. 5.* rescribit, neque recte a toto Senatu indulgentiam peti, neque haruspicinæ intulgentiam petendam. Primum igitur indulgentiam à Senatu vniuerso male peti rescribit, nempe quod qui toti Senatui indulgentiam petit, totum Senatum damnet, reumque faciat: pro singulis equidem, id est, pro vno aut altero id recte peti, at non pro toto Senatu: *d. l. 5.* Secundo rescribit *hac l.* indulgentiam Haruspicinæ peti a se non debere, cuius semel legibus in exordio Imperii sui latis libertatem dederit, dummodo ea nocenter non exerceatur: Cæterum, si nocenter exerceatur, iura & leges insurgere debere. Nocentem igitur tantum haruspicinam Valentinianus prohibitam voluit. Quare & idem eodem fine initio anni sequentis 372. Manichæorum conuentus prohibuit, qui maleficii arguebantur, *l. 3. inf. de hæreticis:* constitutione emissa ad Ampelium P. V. Romæ, ad quem data est quoque *lex prox. 10.* quæ ad eandem historiam pertinet, quo & *lex superior.* Atque hæc est genuina *huiusce legis* sententia: quam nemo quod sciam hactenus cepit, & de cuius notione multum deperire necesse est, nisi *Historiæ* lumine accenso seu admoto.

De SENATORIBVS *maleficii reis, quisnam Iudex sit.*

X. (a) Idem AAA. ad Ampelium (b) P. V.

QVIA nonnulli ex Ordine Senatorio (c) Maleficiorum (d) insimulatione adque inuidia stringebantur, idcirco huiusmodi negotia Vrbanæ (e) Præfecturæ discutienda permisimus. Quod si quando huiusmodi inciderit quæstio, quæ iudicio memoratæ Sedis (f) dirimi vel terminari posse non creditur, (g) eos quos negotii textus amplectitur, vna cum gestis omnibus præsentibus adque præteritis, ad Comitatum Mansuetudinis nostræ sollemni obseruatione (h) transmitti præcipimus. Dat. VIII. (i) Id. Decemb. Gratiano A. II. & Probo coss. [371.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iustin.* vtpote ad horum temporum Historiam tantum pertinens. Iungenda autem huic legi, *lex 32. supr. de cursu publ.* alterutrubi tamen die emendato. Sane Legationis a Senatu ad Principem missæ ea meminit. GOTHOFR.

(b) Ampelii huius P. V. meminit Am. Marcellinus *lib. 28. cap. 1.* hoc ipso Anno. *ID.*

(c) Huc omnino pertinet quod Ammianus scribit *lib. 28. cap. 1.* vbi & de hoc ipso *Ampelio P. V.* cui hæc *lex* inscribitur. *ID.*

(d) Magiæ & Haruspicinæ nocenter exercitæ. *ID.*

(e) De huius rei ratione mox dicam. *ID.*

(f) Præfecturæ vrbanæ. *ID.*

(g) An propter appellationem forte ad Principem factam, imo propter interpretationem facti: mox vt ostendam. *ID.*

(h) *Obseruatio*, est custodia. *ID.*

(i) III. *d. l. 32.* Cæterum hic ex *ea l.* suppl. *dat. Triueris. ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris postrema hæc e tribus *hoc titulo* constitutio est, eodem pertinens quo superior. Ea Valentinianus definit, Quisnam IVDEX de *Senatore* maleficii reo, & quodnam Iudicis huius officium sit, si quæstionem iudicio suo terminari non posse credat. Quæ quidem *lex* ad eandem Historiam manifeste pertinet, ad quam *lex superior. 9.* Igitur Iudicem de Senatore (Romæ videl. & intra vrbicariam Præfecturam: eo enim pertinet hæc *lex*) Præfectum vrbis esse iubet Valentinianus, vt cæteroquin de Senatore criminis reo P. V. Iudicem esse docuit *lex 13. sup. de accusat.* Et *lex 12. sup. de Iurisdict.* vbi plenius de hoc dixi. Non alium scil. Iudicem habere debet Senator criminis reus, quam Præfectum vrbi: Eaque est Valentiniani ratio & argumentatio, QVIA &c. IDCIRCO &c. Et vero ex Ammiano Marcellino pariter discimus, *lib. 28. c. 1.* in huius ipsius Historiæ totiusque adeo negotii textu, cum Valentinianus propter diutinum Olybrii Præfecti vrbi morbum, Maleficialis huius (sic vt dicam) causæ iudicium Maximino (qui Præfectus annonæ simul & vicarius vrbis Romæ erat) adiuncto ei Leone notario, commisisset, multique iam *Senatores* his Iudicibus periissent, & Hymetius nominatim ex Proconsule Africæ, ad oppidum esset ductus Ocriculum audiendus ab Ampelio VRBI PRÆFECTO & Maximino Vicario &c. loco, quem mox plenius consignabo. Est igitur vt cæteroquin Præ-

Præfectus vrbi de Senatorio crimine Iudex, ita nominatim, Maleficii a Valentiniano constitutus, forte ad Senatus petitionem pariter: cum a Maximino extraordinario Iudice, sæuæ nimium quæstiones agitatæ fuissent.

Cæterum (quod alterum huius legis caput est) de officio P. V. cognitoris de crimine Senatorio, hoc addit Valentinianus: si forte talis quæstio inciderit, quæ non creditur, posse dirimi iudicio Præfecti vrbi, ipsum reum vna cum gestis ad se Principem remittendum: non etiam (quod indicare puto) Principem consulendum: ne forte ita reus destinato iudicio & supplicio elabatur: Id enim Valentiniani ingenio, & toti adeo negotio quod Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1.* exequitur, conueniens est: *Id quoque, ait is, iisdem diebus acciderat non minus exitiale. Amantius* HARVSPEX *ea tempestate præ cæteris notus, occultiore indicio proditus, quod ob praua quædam implenda, ad* SACRIFICANDVM *ab eodem esset adscitus Hymetio, inductusque in iudicium, quanquam incuruus sub equuleo staret, pertinaci negabat instantia. Quo inficiante, secretioribus chartis ab eius domo prolatis, commonitorium repertum est manu scriptum Hymetii petentis, vt obsecrata ritu sacrorum solemnium numina erga se Imperatores delinirent; Cuius extima parte, quædam inuectiua legebantur in Principem, vt & auarum & truculentum. Hæc Valentinianus* RELATIONE *Iudicum doctus, asperius* INTERPRETANTIVM *facta, vigore nimio in negotium iussit inquiri. Et quia Frontinus Consiliarius antedicti, minister fuisse conceptæ precationis arguebatur, concisus virgis atque confessus, ablegatus est in exilium ad Britannos: Amantius vero damnatus postea rerum capitalium interiit. Post hanc gestorum seriem, Hymetius ad oppidum ductus Ocri-*
P.118. *culum, audiendus ab* AMPELIO VRBI PRÆFECTO *de (&) Maximino Vicario, confestimque perdendus vt apperebat, data sibi copia rectius Imperatoris præsidium* APPELLAVIT, *nominisque eius perfugio tectus, seruabatur incolumis. Super hoc Princeps* CONSVLTVS SENATVI NEGOTIVM DEDIT. *Qui cum rem librata iustitia comperisset, eumque ad Boas Dalmatiæ locum exterminasset, ægre imperatoris iracundiam tulit, perciti vehementer, quod hominem addictum, vt ipse proposuerat, morti, clementiori sententia didicerat plexum.* Et mox: *Circa hos dies Lollianus primæ lanuginis adulescens, Lampadii filius ex Præfecto, exploratius causam Maximino spectante, conuictus,* CODICEM NOXIARVM ARTIVM, *nondum per ætatem firmato consilio descripsisse, exulque mittendus vt sperabatur, patris impulsu* PROVOCAVIT *ad Principem: &* IVSSVS AD EIVS COMITATVM DVCI, *de fumo (vt aiunt) in flammam, traditus Phalangio Baticæ Consulari cecidit funesta carnificis manu.* Ex hac Ammiani Marcellini Historia procliue iam iudicatu erit de hac *leg.* nostra iudicium, & quid sibi voluerit Valentinianus *h. l.* dum se consuli noluit, verum reos transmitti. Interim ex tribus his huiusce tituli *legibus*, puta *l. 9. 10. H.* apparet, quam a Valentiniani temporibus Magia Romæ inualuerit: quo pertinet omnino eiusdem Ammiani Marcellini querela *lib. 26. cap. 3.* vbi & nominatim inuehitur in SENATOREM quendam, qui eo crimine confutatus, supplicium redemerit opima mercede: & tum cum ipse scriberet equo phalerato insidens, Romæ multa post se agmina seruulorum trahebat.

Illud addo, ad hunc processum Iudiciarium omnem, pertinere videri *l. 2. Cod. Iust. de off. P. V.* quæ ad Ampelium P. V. data est, sine die & Consule: qua illud cauet Valentinianus, Ne Præfectus vrbi quasdam personas de prouincia existimet aduocandas: nisi tantummodo suos Officiales & homines populares huius almæ Vrbis seditioni obnoxios. Qua quidem *lege*, vt id obiter moneam, prohibetur Præfectus vrbi, e prouincia aliquem ad se euocare: Quod tamen Præfecto Prætorio aliquando licuit. Cassiodorus *VI. Variar. 3.* in formula *Præfecturæ Prætorianæ*, inter cætera quæ dignitati isti cum Principe communia erant, & hoc memorat, & quidem primo loco; *Exhibet enim sine præscriptione longinquos.*

Aduersus OCCVLTATORES, *vel clam* OPPRIMENTES *Maleficos, ac nominatim* AGITATORES.

XI. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcadius AAA. Albino P. V. (b)

QVICVMQVE Maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, (c) occupauerit, (d) ilico (e) ad publicum protrahat, (f) & Iudiciorum (g) oculis communis hostem (h) salutis ostendat: Quod si quisquam ex Agitatoribus, (i) seu ex quolibet alio genere hominum, contra hoc interdictum venire temptauerit, aut clandestinis suppliciis, etiam (k) manifestum (l) reum Maleficiæ (m) artis suppresserit, (n) vltimum supplicium non euadat; geminæ suspicionis (o) obnoxius, quod aut publicum (p) reum, ne facinoris socios (q) publicaret, seueritati legum & debitæ subtraxerit quæstioni, aut proprium fortassis inimicum sub huius (r) vindictæ (s) nomine (t) consilio atrociore confecerit. (v) Dat. XVII. Kal. Septemb. Rom. (x) Timasio & Promoto coss. [389.]

N O T Æ.

(a) *Lex 9. seu vlt. Cod. Iust. eod. tit.* Basilicon *lib. 60. tit. 39. cap. 35.* Harmenopulus, *lib. 6. tit. 10.* Photius *Nomoc. lib. 9. c. 25. pag. 980. edit. Iustell.* Iungenda huic *lex. vn. infr. de Mancipibus*, de qua mox. Est autem hæc *lex* non de accusandi facultate omnibus indulta: verum de NECESSITATE accusandi, Iudicibus tradendi maleficos, imposita. *GOTHOFR.*

(b) *Albinus* P. V. Romæ sub Valentiniano Iun. V. *Prosop.* Ita recte hic legitur: adde, vt *d. l. vn. & l. 5. inf. de Suariis, Rom.* id est, *Præfecto Vrbis Romæ:* Male in Cod. Iustin. *Albino Præf. Præt. ID.*

(c) *Deprehenderit* in ipso scil. facinore, an vero pro compererit? *ID.*

(d) Forte in ipso flagitio, vel aliter adprehenderit (vt mox sequitur) manifestum cum maleficiæ artis: id enim est occupare. *ID.*

 (e) Sic,

(e) Sic, vt ne momento quidem domi suæ eum retinere debeat. *ID.*

(f) *Pertrahat*, Cod. Iust. *RITTER.*

(g) *Iudiciorum*, id est, *Iudicum*, quomodo *Cod. Iust.* Est igitur hæc fori cognitio. *GOTHOFR.*

(h) *Malefici*, hostes communis salutis *b. l.* naturæ peregrini *l. 5. sup.* humani generis inimici, *l. 6. sup.* Cæterum hæc verba mox expendam. Eodem sensu *publicus reus* mox vocatur. *ID.*

(i) Id est, *aurigis*: hanc explicationem recte addit Τρίβου. Neque enim quod P. Faber censuit, ideo expungenda illa in *Cod. Iust.* quia *hic* absunt. *ID.*

(k) Id est, quamlibet, quantumuis manifestum. *ID.*

(l) *Manifestum* vocat non eo sensu, quo fur manifestus dicitur. *ID.*

(m) *Malefica*, C. Iustin. vt opprimendorum desertorum in eodem argumento *l. 14. sup. de desertor.* *ID.*

(n) *Oppresserit*, Cod. Iust. *RITTER.*

(o) *Suspicioni*, Cod. Iust. *ID.*

(p) *Publicum reum* vocat maleficum, quem *sup.* eodem sensu communis hostem salutis, vel forte etiam *publicum*, id est, publice notum, & vt *sup.* manifestum: diceremus *diffamatum.* *GOTHOFR.*

(q) Συνήγορας Photius, *Nomoc. t. 9. c. 25. pag. 980. edit. Iustell.* *ID.*

P. 132. (r) *Cuiusmodi*, Cod. Iust. *ID.*

(s) Publicæ scilicet. *ID.*

(t) Id est, obtentu publici hostis. *ID.*

(v) *Confecerit*, interfecerit: hinc & *Confectores.* *ID.*

(x) Post victoriam de Maximo, Romæ Theodosius hoc tempore constitit, v. *Chronologiam.* *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. hæc Constitutio est, qua Maleficum deprehensum compertumve manifestum reum, quilibet IVDICIO SISTERE, ac non etiam ipse opprimere, Romæ, A. D. 389. iubetur. Non opprimere, inquam: Quod tamen hactenus Romæ factum ab aliquibus indicatur: & quidem ab *Agitatoribus* (de quibus mox plura:) Hoc scil. prætextu (vt ex *hac ipsa l.* colligo) quod videlicet Malefici notorii (& vt *lex* nostra loquitur *manifesti* & vt nos hodie loqueremur, *diffamati*,) ac communis salutis HOSTES sint: vt *h. l.* vocantur, seu PVBLICI rei, vt rursum *hac eadem l.* nominantur, *publici rei*, id est, populi inimici, seu vt loquitur *l. 6. sup. h. tit.* humani generis inimici, & naturæ peregrini *l. 5. sup.* vt proinde opprimendorum horum cuique potestatem patere debere videretur: Notum enim, Publicorum hostium capita, inferis sacra, impune occidere cuilibet fas fuisse. Tertullianus, *Apologetici c. 2. In reos Maiestatis & PVBLICOS HOSTES omnis homo miles est.* Honorius Imp. *l. 14. sup. de desertoribus* (seu *l. vlt. Cod. Iust. quando lic. vnicuique sine Iud. se vind.*) *Cuncti aduersus latrones PVBLICOS desertoresque militiæ ius sibi sciant pro quiete communi exercendæ publicæ vltionis indultum.* Theodosius *l. 2. sup. ad leg. Cornel. de Sicariis*: (seu *l. 1. Cod. Iust. quando lic. vnicuique sine Iud. se vind.*) *Quicunque Militum vel Priuatorum ad agros nocturnus populator intrauerit, aut itinera frequentata insidiis adgressionis obsederit, permissa cuique licentia dignus ilico supplicio subiugetur, ac mortem quam minabatur excipiat, & id quod intendebat incurrat.* Denique res nota est, PVBLICAM deuotionem licere cuique vindicare: *tot. tit. Cod. Iust. quando liceat vnicuique sine Iudice* &c. Et porrigere ipsas etiam gladium leges, nec se expectare pati, vt Cicero loquitur. In tantum vt quandoque hanc ad rem præmium publice fuerit constitutum. Capitolinus *in Gordianis cap. 11. in fin. Maximinum (hostem) cum filio Diis inferis deuouemus*: item, *hostes publicos qui occiderit, præmium merebitur.* Publici igitur cum hostes constitutionibus Principum publiceque haberentur Malefici, eorum interficiendorum, opprimendorum, facultas priuatis quibusque patere debere videbatur, vt qui *interneciem*, (inde enim *internecini* actio seu crimen pro Magiæ seu Maleficii crimine, *l. 14. sup. de accusat.*) communi saluti minarentur, eam exciperent ipsi. Et tamen id *hac l.* enixe prohibetur: Nempe quod compertum esset, hoc obtentu partim latebram criminum societati, partim occasionem vindictæ priuatæ exercendæ quæsitam, vel quæri posse, vt hæc *lex* eleganter ostendit. Partim criminum, inquam, societati: Fieri enim poterat, vt maleficus, atque eidem crimini obnoxius nondum tamen manifestus, seu nondum diffamatus, alterum iam manifestum seu diffamatum, ideo tantum clandestinis & priuatis suppliciis opprimeret, ne si forte iudicio traditus quæstionique subiectus, latentes facinoris socios publicaret seu indicaret, atque adeo & illum ipsum a quo oppressus est. Sicut retro multi dum metunt, ne adprehensi eos nominent, prodere eos solent, scilicet impunitatem sibi captantes, quia non facile eis indicantibus proditores suos creditur, vt eleganter I. C. in *l. 1. §. 26. D. de Quæstionibus*: idemque mox: *neque transmittenda allegatio dicentium idcirco se oneratos, quod eos ipsi tradidissent: neque enim id validum* (ita repono) *argumentum haberi debet mendacii siue calumniæ in se instructæ.* Rursum vindictæ priuatæ exercendæ latebra quæri hoc facto poterat, opprimendorum Maleficorum facultate priuatis data: posset enim quis facile vindictæ huius publicæ prætextu, inimicum suum opprimere seu interficere, quasi Maleficum. Inimicum, inquam, & forte æmulum, a quo semper in cursu vincebatur: vt ita amoto æmulo coronaretur. Maleficus igitur quamlibet manifestus proponatur, quamlibet publicus hostis, quamlibet publicus reus, eius opprimendi tamen facultas priuato patere non debet; si eum aut vindictæ suæ hac ratione velificari posse suspicio sit: aut criminis societatem defugere. Hactenus se publicamue deuotionem vindicare cuique licere debet, vt ne publicæ deuotioni dum in speciem vindicatur, iniuria fiat. Atque hæc est genuina *huius legis* sententia, quam nescio an viderit adhuc aliquis.

Cæterum obseruandum diligenter est, quod exemplum *h. l.* proponitur nominatim in AGITATORIBVS, id est, *Aurigis* (vt Tribonianus illud emblemate suo recte interpretatur) qui scil. in Circo quadrigis decurrebant: de quibus plene dicam *ad tit. de Scænicis.* In his igitur exemplum ponitur, exemplum inquam, non vero ampliatio *huius l.* quod Græci putarunt his verbis, κἂν ἡνίοχος εἴη, κἂν ἕτερον θυμελικόν: Et exemplum in his Agitatoribus ponitur non eorum, qui maleficos audirent, seu consulerent, quomodo *hanc l.* accepit & initium quidem interpretatus est, Ræuardus, *5. var. 14.* Verum eorum, qui manifestos Maleficos opprimerent, vel opprimere possent, nempe vt facinoris socio clandestinis suppliciis amoto laterent ipsi neque proderentur, vel etiam vt amoto æmulo coronarentur ipsi. Quod quidem etiam non accipiendum est de his, qui rem vehicularem exercebant,

cebant, vt iočulariter *Alber. Gentilis* putauit: quique adeo scribit de his expressim *hic* actum, quod cum rem vehicularem exercerent, & curruum equorumque copiam haberent, copiam etiam maiorem subtrahendorum reorum haberent, quæ iocularis ratio & interpretatio est. Verum accipiendum id de Agitatoribus, siue Aurigis Circensibus, qui vtique maleficiorum seu magiæ & incantationum infamia laborabant. Vsi scil. olim hi veneficiis, ad parandam in cursu, & certaminibus victoriam: fracto cursu moraque iniecta in eodem Circo, concurrentibus æmulis, contra equis incitatis. Proinde suos æmulos incantationibus μαγγανείαις defigebant, vt vel equis vel ipsis desultoribus debilitatis crure fracto, vel etiam collo, septimum cursum ipsi ocyus implerent: cuius rei testimonia (etsi res contestatissima sit) hic nonnulla apponam. Apollonius apud Philostratum, *lib. 7. cap. 16. pag. 367. edit. Morell.* de incantatione: δέονται μὲν γὰρ αὐτῆς ἀθληταί. δέονται δὲ ἀγωνισαὶ πάντες, διὰ τὸ νικᾶν γλίχεσθαι. *Nam, athletæ incantationes expetunt, & certatores omnes propter vincendi cupiditatem easdem colunt.* &c. Arnobius *lib. 1. pag. 25. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire*, de Magis loquens. *Quis enim hos nesciat aut imminentia studia prænoscere, aut in curriculis equos* DEBILITARE, *incitare*, TARDARE. Ammiani quoque Marcellini quatuor hac de re loca occurrunt hactenus minus obseruata, in rebus Valentiniani Sen. & quidem in vrbe Roma, quo pertinet hæc *lex*. Primus occurrit *lib. 26. cap. 3.* de Hilarino auriga: *Vnde quibusdam atrox visus vndatim coeunte aliquoties plebe, in Amphitheatrali curriculo causas dispiciens criminum maximorum. Denique post huiusmodi vindicata complura, Hilarinum*
P. 133. AVRIGAM *conuictum, atque confessum; vix dum pubescentem filium suum venefico tradidisse, docendum secretiora quædam legibus interdicta, vt nullo conscio adminiculis iuuaretur internis, capitali animaduersione damnauit.*

Secundus Marcellini locus est, *lib. 28. cap. 1.* de Auchenio auriga, quo loco & de Ampelio P. V. agit, cui inscribitur *lex* superior: *Martianus quidam, & Eusaphius omnes Clarissimi, arcessiti in crimen, quod eiusdem conscii veneficii* AVRIGAM *fouere dicebantur Auchenium.*

Tertius *lib. 28. cap. 4.* vbi Nobilitatis Romæ mores notans, ait: *Alius si creditorem suum flagitare molestius aduerterit debitum, ad* AVRIGAM *confugit, audentem omnia prælicenter, eumque vt veneficum curat vrgeri: vnde nonnisi reddita cautione dispendioque adflictus graui discedit.* Ex quo postremo loco, pariter vt ex *h. l.* illud apparet, hac ætate vt malefici odiosi maxime erant, ita hoc maleficii obtentu, & inimicos & debitores vltioni & cupiditati suæ velificasse.

Quartus Marcellini locus est *lib. 29. c. 3.* vbi de Athanasio auriga interfecto iussu Valentiniani: *Athanasius fauorabilis tunc auriga, suspectus ei vulgari leuitate, vt viuus incendi iuberetur si quid tentasset huiusmodi: quem non multo postea veneficiis vsum ferebatur, nullâ delata voluptatum artifici venia, ignibus aboleri præceptus est.* Amphilochius quoque vel Gregorius Nazianzenus in *epistola Iambica ad Seleucum*, qui multus est in proscribendis omnis generis Spectaculis, etiam Circensibus, etsi id ἡμηρώτερον videatur, hoc crimine Agitatores seu aurigas infames fuisse testatur *a v. 158. Tom. II. Oper. Gregorii p. 192. ed. Lips. siu. Colon. apud Weidman. 1690.*

Κακῶν δὲ τούτων ἄλγιον τολμᾷ κακὸν·
Κινεῖ γόητας τοῖς μανεῖσι συμμάχους,
Νίκης βοηθοὺς, καὶ τρέφει νόσῳ νόσον:
Επὰν γὰρ ἐκκαυθῶσιν εἰς θερμὴν ἔριν,
Πρὸς τοὺς γόητας εὐθὺς αὐτοῖς δρόμος.
Οἱ δ᾽ αὖ καλοῦσι δαιμόνων πονηρίαν
Συνεργὸν αὐτοῖς πτωμάτων, συντριμμάτων
Φόνων: κακοῖς γὰρ δαιμόνων χαίρει στρατός.
Malis & hisce perpetrat maius malum.
Socios furore percitis Magos mouet,
Quo palma veniat: ac malo nutrit malum.
Ardere cœpit pugna nam postquam semel,
Tum quisque propero tendit ad Magos pede.
Prauos at illi dæmonas statim vocant,
Lapsus vt ipsis, vulnera & cædes ferant.
Gaudet malis nam dæmonum manus improba.

Ad quem locum Notarum Auctor hanc *legem* recte allegat. Sed aliis omissis Chrysostomus *homilia 12. in 1. ad Corinth. pag. 429. edit. Commelin.* Τί δεῖ λέγειν τὰς μαγγανείας, τὰς ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις, τὰς ἐν ταῖς τῶν θηρίων ἁμίλλαις. *Quid opus est dicere fraudes & imposturas, quæ sunt in equorum curriculis, & quæ in pugnis ferarum.* Manlius Theodorus V. C. (qui Vulgo Manilius) *lib. 5. Astronom.* de Heniocho agens *v. 71. 72.*

Ille dabit proprium studium, cæloque retentas,
Quas prius in terris AGITATOR *amauerat Artes:*

Et mox *v. 80.*

- - *in obliquum currus agitare malignos*
OBSTANTEMQVE *mora totum perludere Circum*
Vel medium turbæ:

Hieronymus in *v. Hilarionis pag. 159. Tom. I. Oper. edit. Francf. apud Gensch. Italicus eiusdem oppidi municeps Christianus aduersum Gazensem Duumuirum, Marnæ Idolo deditum, Circenses equos nutriebat. Hic igitur, æmulo suo habente* MALEFICVM, *qui dæmoniacis quibusdam imprecantibus & huius* IMPEDIRET *equos, & illius* INCITARET *ad cursum, venit ad B. Hilarionem, & non tam aduersarium lædi, quam se defendi obsecrauit* &c. Cassiodorus *Var. III. ep. 51.* de Thomate Auriga seu Agitatore: *Modo* AGITATORES *arte superans, modo equorum velocitate transcendens, frequentia palmarum eum dici faciebat* MALEFICVM, *inter quos magnum præconium videtur esse, ad talia crimina peruenire. Necesse est enim ad peruersitatem Magicam referri, quando victoria equorum meritis nec potest applicari.* Denique eo quoque allusisse videri posse iam olim docui D. Paulum *cap. 3. & 5. ad Galatas*, cui alioquin solemne ad Agonisticam & cursum alludere. Is nempe Galatas obiurgans, sic ait *cap. 3. v. 1.* ὦ ἀνόητοι Γαλάται, τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε: Et rursum *cap. 5. v. 7.* ἐτρέχετε καλῶς, τίς ὑμᾶς ἀνέκοψε: vbi verbum ἀνέκοψε alii vertunt *interrupit*: Tertullianus IMPEDIVIT: quo certe verbo Hieronymus superiore loco hac in re vtitur: Alii *turbauit*; quo sensu etiam ταράξιππος Iupiter cultus: nonnulli, *inhibuit*, scil. Magico veluti fascino: ideo idem Paulus ἐβάσκανε verbo id ipsum expressit.

Neque Agitatores tantum Magicis artibus vsi: sed & Scænici: de quo locus Chrysostomi *hom. 38. in Matthæum, num. 1. pag. 423. Tom. VII. Oper. edit. Benedictin.* siue *pag. 445. edit. Paris.* De vtrisque & quidem Athletis, & de Agitatoribus seu aurigis Circensibus, magiæ suspectis, locus est apud Libanium *de vita sua pag. 52. 53. edit. Morelli.* vbi & Pisidem quendam quoque in suspicionem huius rei vocatum scribit in famosa illa sub Valente de Mathematicis, Magis, Incantatorib. inquisitione: de qua ad *l. 8. sup.* Καί τοι τοῦτό γε ῥάπτων διὰ Μαρτυρίου, πισίδου τινὸς ἀνθρώπου, χαίροντος μὲν ἀθληταῖς, ἀμέμπτου δὲ ἄλλως, δοκοῦντος δὲ τῷ Φήστῳ γόητος διὰ τὸ προσκεῖσθαι παλαισταῖς. *Vt vt sit istud, texebat per martyrium Pisidem quendam hominem, qui Athletis vtique delectabatur, & alioquin inculpabilis erat, sed Festo videbatur incantator, quia addictus erat palæstritis.* Et mox *pag. 53.* ἀλλ᾽ οὗτος τέ ἐστιν ὁ στήσας με ἐν μέσῳ πολλῶν μὲν ἡνιόχων, πολλῶν δὲ ἱπποκόμων, οἷς τε ἔργον ἀναπεταννύναι τοῖς ἅρμασι τὰς θύρας,

θύρας, ὧν τὰς μὲν ἔπαιε, τὰς δὲ ἠπείλει καταχαύσειν: ἑνός δέ τινος ἡνιόχου γέροντος καὶ πλευράς. *At hic ipse est, qui me in multorum aurigarum medio constituit, & multorum equisonum, quorum munus est expandere valuas curribus: horum alios feriebat, aliis minitabatur incendium, vnius etiam cuiusdam aurigæ vetuli latera concidit.* Et porro *ead. pag.* οὗτος ἦν ὁ κἀμὲ κελεύσας εἰσάγειν, ὡς δὴ τοῦ (τῆς) φιλουμένης γοητείας ἐν ἐμοὶ τὸν ἔλεγχον ἔχων. ὁ δὲ ἔλεγχος ἦν. παρῄνουν αὐτῷ μὴ συκοφαντεῖν, ἀλλ' ἀπηλλάχθαι πραγμάτων. *Hic fuit qui iussit etiam me citare atque in ius protrahere, tanquam si amati* (amatæ) *incantationis indicium in me haberet. erat autem argumentum: quod hortatus fuissem ipsum, ne calumniaretur, sed negotiis eximeret se.* &c.

Igitur, (vt ad *legem* nostram redeamus) Agitatoribus nominatim iis, quas dixi, de caussis, opprimendorum Maleficorum seu incantatorum potestas *h. l.* detracta, quocumque tandem obtentu, siue æmulationis studio, siue ad securitatem sui. Sic sane & in *legibus* Longobardorum, *lib. 1. tit. 12. l. 9.* siue *Rotharis 379. pag. 47. edit. Muratorii*, *de conuitiis Aldiarum; Nullus præsumat, Aldiam aut ancillam alienam, quasi stringam, quæ dicitur Masca, occidere, quia Christianis mentibus nullatenus est credendum, nec possibile est, vt hominem mulier viuum intrinsecus possit comedere.* Nemini scil. licitum esse debet (quod axioma ex *hac l.* conficiendum est) quamuis manifestum reum occidere: ne per hoc etiam suæ securitati reus vel vindictæ æmulus velificetur. Vbi sunt igitur, qui ad *sextum præceptum* commentantes, id sciscunt, posse quem inimicum suum occidere, quem suspicetur irreparabilem sibi iniuriam & calumniam apud Principem aliumue illaturum; haud secus atque vim vi propulsare licet. *Quod sane admittendum non est.*

Geminam porro, eamque peruersam pariter, OPPRIMENDORUM quorundam *Romæ* rationem Theodosius hoc ipso tempore sustulit, vt memorat Socrates *lib. 5. c. 18.* de quo dicam plenius ad *l. vn. inf. de mancipibus:* quæ *huic* nostræ coniungenda est. Nempe vtraque *lex* eo pertinet, quod Socrates *dicto loco* scribit, Theodosium post victoriam de Maximo Tyranno in Italia commorantem, vrbi Romæ nominatim (vbi hæc *lex* data est) plurimum commodi attulisse, sublatis nonnullis prauis moribus, de quo dicam plenius ad *d. l. vn.* Et vero in vniuersum hoc tempore Theodosium Romæ consistentem, Vrbi plurimum commodasse ostendunt tot aliæ insuper eius *leges*, puta *lex 18. de hæreticis*, *lex 49. inf. de appell. l. 2. sup. de feriis*: *l. 5. 6. de suariis. l. 4. infr. de aquæductu:* quæ omnes datæ ad eundem Albinum P. V. hoc eodem anno, mense Iulio, Augusto, & Septembri.

P. 134. *De* MATHEMATICIS *Vrbe Roma, & ciuitatibus omnibus pellendis &* CODICIBUS *eorum cremandis Honorii lex.*

XII. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Cæciliano (b) PP.

MATHEMATICOS, nisi parati sint, Codicibus erroris (c) proprii sub oculis Episcoporum incendio concrematis, Catholicæ Religionis cultui fidem tradere, nunquam ad errorem præteritum (d) redituri, non solum Vrbe Roma, sed etiam omnibus ciuitatibus pelli (e) decernimus: Quod si hoc non fecerint, & contra Clementiæ nostræ salubre Constitutum in Ciuitatibus fuerint deprehensi, (f) vel secreta erroris sui & professionis insinuauerint, deportationis pœnam excipiant. Dat. VIII. (g) Kal. Feb. Rau. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *tit. Cod. Iustin. de Maleficis & Mathematicis.* Verum relata est non male *in Tit. de Episcopali audient.* vbi est *lex* 10. & Synops. Basil. *lib. 1. c. 17. p. 3. 4.* Habet eam & Baronius *An.* 409. *num.* 8. Cæterum huic iungenda est *lex vlt. infr. de Abolitionibus* & *lex vlt. sup. de custod. reor.* Et forte aliæ plures. *GOTHOFRED.*

(b) *Cæcilianus* hic Theodoro in Præfectura Prætoriana Italiæ suffectus est, hoc ipso Anno 409. vt præter huius *Codicis* constitutiones docet Zosimus *lib. 5. cap.* 44. Plura in *Prosop. ID.*

(c) Vnde huius *leg.* ferendæ occasio enata. *ID.*

(d) *Primum*, Cod. Iust. *ID.*

(e) *Depelli*, Cod. Iust. *ID.*

(f) *Comprehendi*, Cod. Iust. scil. μετὰ ταῦτα vt recte Græci hic in *Synops. Basil. l. c. IDEM.*

(g) *Kalend. Febr.* Cod. Iust. sed recte se habet *h. l.* subscriptio, quam confirmant leges cum hac nostra coniungendæ. *RITTER.*

COMMENTARIUS.

HONORII in Mathematicos hæc *lex* est: Quo MATHEMATICORUM generali nomine hic vt & *l. 8. sup.* veniunt non modo Genethliaci, diuinandi artem exercentes, Vernaculi, Astrologi, Iudiciariam exercentes, fatorum per Genituras Interpretes, vt Marcellinus eos vocat, fata cuiusque se nosse dicentes (etiam *vrbium*, vt in sp. *huius l.* de quo mox) & natalitias siderum obseruationes; verum etiam & *Haruspices*, ex libris Haruspicinæ, ἐκ τῶν ἱερατικῶν, sacra facientes, coniectantes: hi enim omnes Mathematici hoc potissimum tempore sub Christianis Impp. dici affectabant, vt hoc nomine ineptias suas & errorem adumbrarent, velarent, odiosamque Artem alio nomine factitarent. Hi omnes, etiam Aruspices, a Mathematica instructi erant: Ab Astrorum quippe σχηματισμοῖς habitum extorum & colorem (σχήματα vocant Hephestion, & alii Græci, quibus significari futura credebant,) conformari idem Auctor scripsit.

Ergo Imperator Honorius hac constitutione

A. D. 409. Mathematicos non tantum vrbe Roma, verum etiam Ciuitatibus aliis omnibus expelli iubet; atque adeo lata fuga damnat: ea enim est latæ fugæ pœna, cuius fit mentio *l. 5. D. de interdict. & relegat.* Qua ipsa Mathematicæ Curiositati implicitum quendam affectum sub Constantio Imperatore memorat Ammianus Marcellinus *lib. 19. cap. 12. Ductus est*, inquit, *inter primos Simplicius, reus hac gratia postulatus, quod super adipiscendo interrogasse* [MATHEMATICOS] *dicebatur Imperio, perque elogium Principis torqueri præceptus, fato quodam arcente, corpore immaculato lata fuga damnatus est.*

Non simpliciter autem Mathematicos aut Mathematica arte imbutos hac pœna adfici iubet Honorius, neque enim nuda notitia facile vnquam punita fuit (vt testatur Vlpianus apud Authorem *Collat. leg. Mosaic. tit. 15.*) Neque vt discere, ita Artem dediscere imperari potest: Verum eos demum Mathematicos qui hæc duo præstare nollent; Primo inquam Catholicæ Religionis cultui fidem tradere, id est abdicata superstitione *& errore*, vt hic vocatur tribus locis, & *l. 8. sup.* Christianam & Catholicam fidem amplecti: Eadem ratione memorat Suetonius, *Tiberio cap. 36.* Tiberium, cum expulisset Mathematicos, non nisi deprecantibus ac se Artem desituros profitentibus veniam dedisse. Secundo Mathematicos qui nollent, neque parati essent Codices siue libros tradere sub oculis Episcoporum (cuiusque loci scil.) concremandos. Breuiter, lata fuga damnantur Mathematici qui hoc tempore sub Honorio erant in professione sua obstinati: *lata* inquam *fuga*, id est vt eo redeam, ciuitatum omnium domicilio, ac non etiam pagorum, aut agrorum. Quæ quidem inter alias ratio videtur, cur Mathematicorum curiositas ciuitatibus pulsa, in agris vel pagis etiam postea hæserit, vt videre est vel ex *Capitularibus* Caroli Magni, & aliis.

De more sane libros improbatæ lectionis Mathematicos, ἱερατικὰς, curiosos, aliosque in commune concremandi, toties iam monitum est, vt reponere putidum sit. Videnda saltem *Acta Apost. 19. v. 19.* & *l. 4. §. 1. D. famil. hercisc.* Paulus 5. *sentent. 23. §. 18.* Ammianus Marcellinus *lib. 29. c. 1. Deinde*, inquit, *congesti innumeri* CODICES *& acerui voluminum multi sub conspectu Iudicum concremati sunt e domibus eruti variis, vt inliciti.* Vide & Minutium Felicem in *Octauio cap. 8.* vbi de Protagoræ scriptis: Ad quem locum videsis Wowerium, *pag. 74. edit. Gronou.* & quæ congerit Filesacus *de sacra Episcoporum authoritate §. 7.*

Porro quod Ammianus Marcellinus sub Valente codices illicitos concrematos ait sub conspectu Iudicum, quomodo & *l. 3. 4. infr. de hæreticis* Eunomianorum libri sub aspectibus iudicantium cremari iubentur, maluit Honorius *hac lege* sub conspectu Episcoporum (cuiusque loci) Quandoquidem enim de Mathematicis ad Catholicam Religionem traducendis, eorumque *errore* corrigendo, hac ratione agebatur; atque adeo de fide; Episcoporum sollicitudini id commissum oportuit: & quia P. 135. vt mox ostendam, huius *legis* promulgandæ suasor & author fuit Innocentius Episcopus Romanus: Itaque non temere Tribonianus hanc *legem* nostram in Titulum *de Episcopali audientia* coniecit. Alioquin iudicium Magiæ ad secularem Iudicem pertinuisse docuit quoque *lex superior*; vid. & quæ tradit Iason ad *l. huiusmodi, in fin. D. de legat. 1.* Papon. *lib. 2. Arestor. t. 3.* v. & Bodinum, & Alciat. *in cap. 1. num. 105. de offic. Ordin.*

In contumaces etiam, id est huic Constitutioni non obtemperantes, atque adeo in ciuitatibus repertos, vel etiam professioni suæ inhærentes, *deportationis pœna* statuitur. Alterutro scilicet modo aduersus hanc *legem* committitur, vel omnino *legi* non parendo, vel posteaquam in speciem paritum est, ad errorem pristinum redeundo. Nihil interest, errorem ponas, an ad errorem redeas: In vtrosque igitur pariter pœna deportationis statuitur: velut lata fuga sæuior. Et sane notum est, quid sit discriminis inter Exilium & Deportationem; cuius sane exilii species est lata fuga. Hic interim notanda deportationis pœna (inter alias) in Mathematicos, quæ antiquitus vsurpata ferme. Vid. Tacitum *Hist. lib. 2. cap. 62.* & *Annal. 2. cap. 32.* & *lib. 12. cap. 52.* Suetonium *in Tiber. cap. 36.* & *Vitell. c. 14.* Dionem *lib. 49. extrem.* Paulum *in Sentent. lib. 5. tit. 21. §. 1.* Iuuenalem *satyra 6. a v. 555.* & ex recentioribus Lipsium *in Excurs. G. ad Tacit. Annal. lib. 2.*

Nunc de Historica causa *huius l.* Igitur ea proculdubio ad legationem hoc Anno, non priorem Senatus Romani pertinet, qui hoc tempore paganus ferme erat, cuius pars hic idem Cæcilianus erat, nondum Præf. Prætorio, cui hæc *lex* inscribitur (cuius meminit Zosimus *lib. 5. cap. 44.*) verum ad posteriorem Legationem, cuius pars fuit ipse Innocentius Ep. Rom. cuius meminit Zosimus *lib. 5. cap. 45.* eique adeo promulgandæ occasionem præbuit (quod etiam Baronius recte subodoratus aliquatenus est) illud quod Zosimus (horum ipsorum temporum scriptor) narrat, simul & exprobrat Christianis *lib. 5. Historiæ suæ. a cap. 41.* Narrat is obsessa Vrbe Roma ab Alarico Rege Gothorum circa finem anni superioris 408. Pompeianum Præfectum Vrbis Romæ incidisse tum in (HARVSPICES scil. seu MATHEMATICOS) quosdam, qui Romam e Thuscia venerat (fuit enim Thuscia Haruspicum nutricula) cum his egisse de obsidione Vrbis Romæ, liberandæ ἐκ τῶν ἱερατικῶν, id est, ex Haruspicinæ disciplina, seu *libris* Haruspicum, Mathematicorum, qui se iam Narniam præsenti periculo ritibus suis liberasse iactabant, τῶν περιςάντων ἐλευθερῶσαι κινδύνων, *præsentibus se liberasse periculis*, perque nuncupata Numini vota, cultumque patrium tonitruis & fulgetris immanibus elicitis, Barbaros imminentes abegisse. Quo vero id cautius fieri posset, cum Innocentio Vrbis Romæ Episcopo ea de re egisse, Innocentium salute vrbis religioni propriæ anteposita, clam permisisse peragi quæcumque profutura crederent: Porro cum Thusci illi non aliter disciplinam suam quicquam conferre posse Vrbi dicerent, nisi publice consueta sacrificia fierent, quamlibet Senatus in Capitolium adscendisset eius rei causa, atque inibi, & in *foris Vrbe Romæ* sacrificia celebrasset, neminem tamen ex populo Romano sacrificiis istis interfuisse, quinimo valere iussis seu præteritis & neglectis Tuscis illis, τὰς μὲν ἀπὸ τῆς Τασκίας παρῆκαν, alio sese conuertisse, ad demulcendum, inquam, omni studio Alarichum: Redemptam igitur tum auro, tum obsidibus, ab Alarico obsidionis solutionem, qui in Thusciam sese contulerit, mox Honorium OCTAVVM CONSVLATVM SVVM (qui COSS. *legi* subscriptus est) ingressum RAVENNÆ (vnde hæc *lex* data est) eodem tempore legatos, & in his *Cæcilianum* nondum Præfectum Prætorio, missos, (quæ *prima Legatio* obseruanda est) ad deplorandum Vrbis statum; Honorium inter alia CÆCILIANVM loco Theodori Præfectum Prætorio fecisse: (Et vero hic est ille *Cæcilianus* cui hæc *lex* inscribitur:) Subiicit idem Zosimus *cap. 45.* cum Honorius pactis conuentis cum Alaricho nondum satisfecisset, atque adeo Romanis tutum non esset extra vrbem prodire, Senatum rursus eius rei causa Legatos ad Honorium misisse; (hæc iam *secunda legatio* est) huic legationi sese iunxisse Innocentium Episcopum Vrbis Romæ. Hactenus Zosimus: aduersus quem vide, quæ scribo ad *l. 5. inf. de Episcopis.* & Sozomenum, qui *lib. 9. cap. 6.* eandem historiam describit. Atenim de Innocentio nil tale, quale Zosimus: etsi *c. 7.* mox, Legationem ab Innocentio *susceptam* memorat, (vbi pessime

pessime Interpres, *legationem ab Innocentio missam* vertit) vt & Nicephorus ex eo, *lib. 13. cap. 35.* Neque dubium mihi, posteriore legatione aduersus Mathematicos, ab Honorio, RAVENNÆ constituto, hanc ad CÆCILIANVM iam PF. P. constitutionem impetratam, qua Mathematici non solum Vrbe Roma verum etiam omnibus Ciuitatibus pelli iubentur, eorumque errorem atrociter perstringit: vt ita testatum faceret Honorius, quantopere factum illud, ceu a Religione Christiana, vel vt hæc *lex* loquitur, a *Catholicæ Religionis cultu*, alienum maxime improbaret: quod contra, neglectum Pagani quiritabantur, & Christianis exprobrabant. Vt proinde ex *hac lege* iam colligere facile possimus, Innocentio hanc maculam a Zosimo falso & per calumniam impositam. Quinimo non dubito, ipsummet Innocentium ipsum *huius legis* Auctorem Honorio tum Rauennæ fuisse, & ad propitiandum diuinum Numen, & ad eluendam huius facti inuidiam, & ne quid tale porro eueniret, *Mathematicique Secreta erroris sui & professionis deinceps insinuarent*, vt hæc *lex* loquitur, *& ad errorem præteritum redirent.* Et certe refert Orosius *lib. 7. c. 39.* Innocentium, tempore mox irruptionis Gothicæ in vrbem Romam, tanquam iustum Loth subtractum a Sodomis, apud Rauennam positum fuisse.

Ex hac historica iam causa illud quoque efficimus, quod initio breuiter perstrinxi, Mathematicorum nomen ad eos quoque hic pertinere, qui fata quoque *Vrbium* nosse se prædicabant: malisque adeo publicis auerruncandis medelam præscribebant. Exemplum in Genesibus ciuitatum, quæ ab antiquis Mathematicis collectæ sunt: cuiusmodi est thema Constantinopolis collectum a Vettio Valente sub Constantino M. cuiusmodi sub Constantino vixerunt, & scripserunt præter Valentem, Hephæstion, Firmicus, alii.

Tandem, neque illud omittendum, Mathematicorum errorem, fidem, secreta erroris eorum, & professionis, diserte & sancte, *Catholicæ Religionis cultui*, ab Honorio opponi *hac l.* damnarique: Nemo scil. Christianus Catholicus fidem his recte adhibet, imo aperta Idololatria hæc est, & a fide defectio, seu Apostasia, cui nil adeo aduersum, quam Mathematicorum & Astrologiæ professio, ἀποτελεσματικὴ, ἀστραθάμων τέχνη idololatriæ obnoxia, vt inter cæteros Tertullianus ostendit, *lib. de Idololatr. cap. 9. in fin. Cum Magia punitur, cuius est species Astrologia, vtique & species in genere damnatur:* & Apolog. *cap. 35.* de quo vt sunt innumera Patrum testimonia, ita peculiarem edidit libellum vir doctus Filesacus *de Idololatria Magica*, multique in Astrologiam Iudiciariam calamum strinxere: olim etiam Diodorus Tarsi Episc. *apud Photium.* Hinc adeo *Canone Laodicæno 36. pag. 787. Tom. I. Concil. edit. Harduin.* iuxta damnantur, Μάγοι ἢ Ἐπαοιδοὶ, Μαθηματικοὶ, ἢ Ἀστρόλογοι. Hinc, teste Sozomeno, *lib. 3. cap. 6.* Socrate, *lib. 2. cap. 9.* ex Georgio Laodicææ Episcopo, qui *vitam Eusebii* conscripsit, Eusebius Emissenus, ideo accusatus, quod eam partem Astronomiæ, quæ rerum euentus prædicit, profiteretur; eoque etiam nomine Aquila, e Iudæo Christianus, Ecclesia pulsus est, vt refert Epiphanius, *lib. de ponderib. & mensuris cap. 15. pag. 171. Tom. II. Oper. edit. Petauii Coloniens. apud Ierem. Schrey.* (de quo aliquid etiam iam ad *Philostorgium Eunomianum*) qui ipse etiam Astrologiæ & Mathematicæ operatus fuerat. Et recte omnino Valesius *Astrologiam hanc a Viris doctis derideri vt inanem, a Cordatis explodi vt inutilem, a Legislatoribus interdici vt impiam.* P. 136.

DE SEPVLCHRIS VIOLATIS. *

TITVLVS XVII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XIX. *De Sepulchro violato.*

ELEGANTISSIMAM adde Valentiniani Tertii *Nouellam de Sepulchris 5.*

* Hæc quidem *Rubrica* est: At enim ad Sepulchra violata non pertinet *lex 6.* imo neque adeo *lex vlt.*

PARATITLON.

DE Sepulchris violatis Sepulchrorumque violatoribus, (qui Græcis τυμβώρυχοι) etsi proprie sit hic *Titulus*; attamen in genere ad SEPVLTVRAM funeraque mortuorum, sequentia capita *hoc tit.* occurrunt.

1. Primum esto de *Exequiis* seu cadaueribus efferendis, vel etiam funeribus. Igitur quod *Tempus* attinet, exequiæ seu funera, denique cadauera efferri iussa per noctes, Iuliani Edicto, *l. 5. h. t.* Quod ad *Locum* vero spectat, humari vetita corpora in vrbe, *l. 6. h. tit.* Ne quidem in Apostolorum vel Martyrum Sede, *d. l. 6. h. t.* Verum extra vrbem, in agris ferme priuatorum, *l. 2. h. t.*

2. Sepulchra ipsa, de quibus *Rubr.* & *l. 1. 2. 3. 4. 5. h. t.* & *l. 7. inf. de indulg. crim.* & *l. 2. inf. de hæreticis,* dicuntur & Monumenta, *l. 2. h. t.* ædificia Manium, Constantio, *l. 4. h. t.* Domus defunctorum, *d. l. 4. h. t.* Busta diem functorum, *l. 5. h. t.* Aggeres consecrati, *d. l. 5. h. t.* In his vrnæ erant supra terram, quibus clausæ cadauerum reliquiæ erant, *l. 6. h. t.* Sarcofagi, quibus corpora detinebantur, *d. l. 6. h. t.*

3. Loca

3. *Loca* vero Sepulchris apta non omnibus habere licuit, Nouatianis sua reliquit Constantinus, *l. 2. inf. de hæreticis.*

4. Horum Sepulchrorum varia erant ornamenta, *l. 5. h. t.* Varius ornatus, *l. 2. h. t.* Et in his columnæ & marmora, *d. l. 2. & 4. h. t.* Atque hæc de sepultura & Sepulchris.

Nunc de eo, quod *huius tituli* proprium est: VIOLARI Sepulchra, *Rubr. & l. 4. h. tit.* (vnde & Sepulchri violatio, *d. l. 7. de indulg. crim.*) hoc *Titulo* prohibentur. Violantur autem Sepulchra, & violata dicuntur, non vno modo: Primum ædificio ipso violato, puta si quis Sepulchrum demoliatur, *l. 1. h. tit.* deiiciat, *l. 2. h. t.* subuertat, *l. 3. h. t.* destruat, *l. 4. h. t.* Si detrahat his aliquid, *d. l. 1. h. t.* Si substantiam fabricandi ad proprias ædes transferat, *l. 3. h. t.* Si de Sepulchro auferat saxa, vel marmora, *l. 4. h. t.* & Nouella Valentiniani *de Sepulchris 5.* vel columnas, aliamue quamcunque materiam fabricæ gratia, vel etiam venditurus, *l. 4. h. t.* Si de his columnas vel marmora auferat vel coquendæ calcis gratia lapides deiiciat, *l. 2. h. t.* Qui dissipant, vel ornatum minuunt, *d. l. 2. h. t.* Qui posita in agris suis monumenta calcis coctoribus vendunt, *d. l. 2. h. t.* Qui ornamenta ad triclinia aut porticus transferunt, *l. 5. h. t.* Qui lapidem hinc mouent, terram sollicitant, & cespitem vellunt, *d. l. 5. h. t.* aut ædificandi gratia, *l. 1. 3. 4. h. t.* aut lucri cupiditate siue vendendi, *l. 3. & 4. h. t.* In tantum, vt ne quidem Iudices seu Magistratus publicæ fabricationis causa monumenta deiicere possint, *l. 2. h. t.* Immo in tantum, vt ne quidem reparandi monumenti gratia absque Pontificum authoritate deponere ea liceat, vel etiam depositis in alium vsum vti, *d. l. 2. h. t.*

Secundo Sepulchri violati crimen contrahitur, si quis contrectet corpora sepulta, aut reliquias, *l. 4. in fine h. t.* Si quis humatum corpus ad alterum locum transferat, *l. vlt. h. t.* Si Martyrem distrahat, aut mercetur, *d. l. vlt. h. t.* Et in vniuersum, Sepulchri violati tenentur qui sepultos quadam sceleris immanitate quiescere non sinunt: *l. 8. inf. de indulg. crim.* Sepulchrorum dissolutores, *l. 1. sup. de Repud.* Qui quietos Manes scelestibus ausibus sollicitant, *d. Nouell. Valentin. 5.*

P. 137 Id vero crimen proximum Sacrilegio Maiores semper habuisse profitetur Iulianus in *l. 5. h. tit.* piaculum eo contrahi dicitur, *d. l. 2. & d. l. 5. h. t.* Maleficis proximo confinio coniunguntur, etiam apud Chrysostomum non vno loco, & *l. 8. infr. de indulg. crim.* Vt & latronibus & Sicariis *leg. 7. de indulg. crim.* Proinde POENA huic crimini grauissima imposita, & quidem varia; de qua vide *legem 1. 2. 3. 4. 5. 6. h. t.* Neque indulgentia Paschali huius criminis Rei fruebantur, *l. 7. & 8. d. tit. de indulg. crim.* Iustaque ea mulieri a marito Repudium mittendi causa fuit, *d. l. 1. sup. de Repudiis* Quorum porro curæ res ea commissa fuerit, ne Sepulchra violarentur, docent Inscriptiones Constitutionum *huius Tituli.*

Cæterum *huius Tituli* Constitutiones in SEPVLCHRORVM DESTRVCTORES, sunt horum Imperatorum: CONSTANTIS *l. 1. 2.* CONSTANTII *lex 3. & 4.* IVLIANI, *lex 5.* In RELIQVIARVM contrectatores, CONSTANTII *lex 4.* THEODOSII M. *lex 7. seu vlt.* In SEPELIENTES intra ciuitates, est Theodosii M. *lex 6.* In FVNVS DVCENTES de die, IVLIANI *l. 5.*

CONSTANTIS *prima constitutio in Sepulchra demolientes.*

I. (a) Imp. CONSTANTIVS (b) A. ad Tatianum P. V. (c)

SI quis (d) in demoliendis sepulchris fuerit adprehensus, (e) si id sine domini conscientia (f) faciat, metallo adiudicetur: (g) si (h) vero domini auctoritate vel iussione vrguetur, (i) relegatione plectatur. Et si forte detractum aliquid de sepulchris (k) ad domum eius villamque peruectum (l) post (m) hanc legem repperietur, (n) villa siue domus, aut ædificium quodcunque erit, fisci viribus (o) vindicetur. Dat. VII. Kal. (p) Iul. Med. (q) Acyndino & Proculo Coss. [340.]

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* Basilicon *lib. 60. Tit. 23. cap. 12.* & Synopsis *Basilicon lib. 60. Tit. 23. cap. 9.* GOTHOFREDVS.

(b) CONSTANTI tribuenda est hæc *lex*: de quo vide *Consularia Theodosiana. ID.*

(c) Id est, *Præfecto vrbi*: verum rescribendum hic, *Titianum*: vt fidem facit Scriptor Anonymus *libelli*, quo Consulum nomina cum Præfectis Vrbium continentur, quem primus eruit Cuspinianus: verba hæc sunt, *Constantio II. & Constante Coss. VIII. Kal. Nouembr. Fabius Titianus P. V. Acyndino & Proculo Coss. ex die III. Non. Mai. in VII.* [vel IV.] *Idus Iun. Iunius Tertullus vicarius cognouit, eo quod ad Augustum profectus est.* [Titianus scil.] *Postea reuersus Fabius Titianus P. V. ID.* Male *ad Traianum PV.* Cod. Iust. *RITTER.*

(d) Si *Seruus*, ita Tribonianus immutauit, quem secuti sunt Græci scribentes: *ἐὰν οἰκέτης τάφον καταλύσῃ. GOTH.*

(e) *Deprehensus*, Cod. Iust. *ID.*
(f) *Scientia*, Cod. Iust. *ID.*
(g) *Addicatur*, Cod. Iust. *ID.*
(h) *Sin vero*, Cod. Iust. *ID.*
(i) *Vrgetur*, Cod. Iust. proprie iussione vel auctoritate Domini seruus vrgetur. *ID.*
(k) De *Sepulchro*, Cod. Iust. *ID.* Iterum Tribonianum sequuntur Græci, *εἰ δὲ μάλιστα ἀπὸ τάφου λαβών.* *RITTER.*
(l) *Prouectum*, Cod. Iust. *GOTHOFRED.*
(m) *Post hanc legem.* Hæc verba recidit Tribonian. *ID.*
(n) *Reperitur*, Cod. Iust. *ID.*
(o) *Iuribus*, Cod. Iust. *ID.*
(p) *Id. Iul.* Cod. Iust. *RITTER.*
(q) Abest hæc vox a Cod. Iust. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTIS Imp. hæc *lex* est, vt & altera *proxima*, aduersus sepulchrorum Romæ violatores. Violati sepulchri crimen ad notionem Præfecti Vrbi pertinebat, itemque ad notionem Præfecti Prætorio, vt patet ex Inscriptione *legis 2. & vlt. h. t.* Cassiodorus autem VI. *Variar. 8.* suo æuo hanc rem ad notionem Comitis Rerum priuatarum pertinuisse testatur: *Defunctorum*, inquit, *quin etiam sacram quietem, æquabilia iura tuæ conscientiæ commiserunt, ne quis vestita marmoribus sepulchra nudaret: ne quis columnarum decorem irreligiosa temeritate præsumeret: ne quis cineres alienos aut longinquitate temporis, aut voraci flamma consumptos scelerata perscrutatione detegeret; ne corpus, quod semel reliquerat molestias mundanas, humanas iterum pateretur insidias: [Nam etsi cadauera furta non sentiunt, ab omni pietate alienus esse dignoscitur, qui aliquid mortuis abrogasse monstratur.] Vide quæ tibi commissa sunt, castitas viuentium, & securitas mortuorum.* POENA igitur, sepulchro violato ac nominatim SVBLATO, siue detracto aliquo de sepulchro ab ACTORE, Procuratore, Conductore, COLONO alieno, *hac* Constantis *lege* constituitur. Dixi, *ab actore, conductore, colono alieno:* hi enim omnes DOMINVM habere dicuntur, & seruilis sunt conditionis, vid. *l. 1. inf. de falsa moneta:* & de his omnibus hæc lex accipi debet: non etiam specia-tim *de seruo alieno*, quod Tribonianus credidit, huicque adeo *Legi* addidit. Imo eam in sententiam magis propendeo, vt ne de seruo quidem hæc *lex* lata fuerit.

Pœna igitur hæc *Actori* &c. constituitur; Relegationis, si voluntate Domini id factum fuerit, id est authoritate vel iussione eius *vrgente:* metalli, si domino inscio. Vetus hæc alioquin sepulchri tantum (nam si corpora ipsa violata fuissent, sanguinis pœna statuta erat: vid. *leg. 3. inf.*) violati pœna est; Metalli inquam, humilioribus infligi solita, vt tribus locis testatum reliquit Paulus, *lib. 1. Sent. tit. 21. de sepulchris & lugendis* §. 4. *Qui corpus*, inquit, *perpetuæ sepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudauerit, & solis radiis ostenderit, piaculum committit; atque ideo si honestior sit, in Insulam; si* HVMILIOR *in metallum dari solet.* Et rursum §. 5. (qui locus huic *legi* proximus est) *Qui sepulchrum violauerint, aut de sepulchro aliquid sustulerint, pro personarum qualitate, aut in metallum dantur, aut in Insulam deportantur:* Vide & alterum Pauli locum, quem memoro ad *l. 3. inf.* Denique idem Paulus *ibid.* §. 12. *Neque iuxta monumentum, neque supra monumentum habitandi ius est: adtactu enim conuersationis humanæ piaculum admittitur. Et qui contra ea fecerit pro qualitate personæ, vel opere publi-*
P. 138. *co, vel exilio multatur.* Imo Vlpian. *l. 3.* §. 7. *D. de sepulchro violato* scribit, D. Seuerum rescripsisse, Præsides vsque ad pœnam metalli procedere posse. Verum vt hæc pœna mutata fuerit, dicendi locus erit ad *l. 2. 3. 4. inf.* Sane Valentinianus Tertius, insigni & floridissima illa *Nouella, de sepulchris* 5. colonis capitis seu sanguinis pœnam indicit: *Seruos*, inquit, COLONOSQVE *in hoc facinore deprehensos, duci protinus ad tormenta conuenit. Si de sua tantum fuerint temeritate confessi, luant commissa sanguine suo: si dominos inter supplicia nullo interrogante nexuerint, pariter puniantur.*

Ex hac interea Constitutione notetur: Primo, eos, qui de seruo hanc *legem* accipiunt, metalli & relegationis pœnam in seruum cadere hinc colligere: idque etiam ostendere putant *legem 1. sup. de mulieribus quæ se seruis propriis iunxerunt: legem 21. infr. de hæreticis: legem 2. D. Qui, & a quibus manumissi:* & *legem 12.* §. 4. *D. de accusationibus.* Verum nulla harum legum id satis probat: Lex enim 21. *inf. de hæreticis* (vt ad eam prolixius ostendam, non est de seruo sed de conductore fundi, qui seruili fæce descendit, id est libertino ferme, quem ideo *ingenuo* ibi opponit, quomodo etiam opponitur *d. Nou. 5.* Item *lex 2. D. Qui, & a quibus manumissi:* non est de publica Relegationis pœna, sed de Relegatione priuata, qua videlicet domini seruos in rus atque in ergastula relegare solebant a seruitute vrbana & feriata, translatos ad durum opus: vt loquitur Seneca *3. de ira, c. 29.* de qua & hic Ambrosii locus est *Enarrat. in Psalm. 50. p. 838. Tom. II. Operum ed. Paris. 1614. f. Cardinal. de Monte Alto. Plerique autem diuitum amandare consuerunt mancipia sua, & per agellos* RELEGARE, *& hæc pœna grauior æstimatur.* Et Columella, *præfat. lib. de re rustica: E turba defectissimum annis & viribus in agrum* RELEGAT. Item, *rem rusticam pessimo cuique seruorum velut carnifici noxiæ dedimus.* Dura hæc seruitus & ferme compeditalis erat: de quo vide Brisson *select. 2. c. 9.* & ideo durior eorum conditio quam vrbanorum & solutorum: scil. vinctis his (vel sane vinciendis ex domini iussu) libertas plena seu ciuitas competere non poterat, ex *leg. Ælia Sentia*, seu Augusti instituto; de quo vid. Sueton. *Augusto cap. 40.* & vero eo pertinet *d. l. 2. D. qui, & a quibus manum.* Item *lex vn. sup. de Mulierib. &c.* non est de solemni relegationis pœna, sed de remotione serui ab oculis dominæ amore eius inescatæ. Denique quid apertius *d. l. 12.* §. 4. *D. de accusation.* quo loco Saturninus memorat pœnas, quæ seruorum personis non conueniunt: *Capitis*, inquit, *pœna, quæ seruorum pœnis non conuenit, sicuti relegatio.* verum de hac Quæstione, & *lege illa 2. & 12.* dicam alibi plenius: vid. interim Cuiac. *Recit. in hunc tit.* & Brisson. *ad legem Iul. de adulter. c. si seruus 9. p. 128. 129.* & *2. select. 9.* Ræuardum ad *leg. 157. D. de R. I.*

Porro notandum, hanc *leg.* esse Constantis Imp. atque ad vrbem Romam pertinere: denique Constantis genium spirare, qualis videl. is fuerit circa gentilitiæ superstitionis reliquias. Nempe, etsi is superstitionem omnem cessare, sacrificiorumque vesaniam aboleri voluerit, *l. 2. inf. de paganis:* & inter alias, Aram Victoriæ, quæ erat in Senatu seu Curia Romana, diruerit; quod testatur Symmachus, *Relat. ad Valentinianum*, seu *ep. 54. lib. 10.* Item etsi is per Præfecturam vrbis Romæ omnem superstitio-

nem

nem erui voluerit, quod ipſemet profitetur, biennio poſt *hanc leg. l. 3. inf. de paganis, ſacrific. & templis:* (vbi plenius dicam) attamen & ædes Templorum extra muros vrbis Romæ poſitas intactas incorruptasque conſiſtere voluit, ne ſcil. conuellerentur ea, ex quibus Pop. Romano præbetur priſcarum ſolemnitas voluptatum: *d. l. 3.* Et ſepulchra pariter extramurana deſtrui vetuit *h. l.* & *l. 2.* Quæ iam paſſim deſtruebantur, transferendi ornatus obtentu ad domos villasque.

Eſt autem illud ſemel notandum, inſcribi hanc legem *Præfecto vrbis*, pariter vt *legem 3.* & *6.* Nempe ideo, (quod hinc quoque colligimus) quod nulla hoc titulo in ſepulchrorum violatores Conſtantini M. patris conſtitutio occurrit, cuius tamen eſt *lex 1. ſup. de repudiis.* vbi e tribus iuſtis ab vxore viro mittendi repudii cauſis hæc vna, puta, ſepulchri violatio a Conſtantino M. ponitur. Nos de *hac l.* videamus.

CONSTANTIS *ſecunda conſtitutio in ſepulchra demolientes.*

II. (a) Idem A. ad Limenium P. P. (b)

FACTVM, (c) ſolitum ſanguine (d) vindicari, multæ inflictione corrigimus: Atque ita ſupplicium ſtatuimus in futurum, vt nec ille abſit (e) a pœna, qui ante commiſit. Vniuerſi itaque, qui de Monumentis columnas, (f) vel marmora abſtulerunt, vel coquendæ calcis (g) gratia lapides deiecerunt, ex Conſulatu (h) ſcilicet Dalmatii & Zenophili, ſingulas libras auri per ſingula ſepulchra fiſci rationibus inferant, inueſtigati per Prudentiæ Tuæ iudicium. Eadem etiam pœna, qui diſſiparunt, (i) vel ornatum minuerunt, teneantur: & qui poſita in agris ſuis Monumenta calcis coctoribus vendiderunt vna cum his qui auſi ſunt comparare: *Quicquid* enim *adtingi nefas eſt, non ſine piaculo comparatur:* Sed ita, vt ab vtroque vna libra poſtuletur. Sed ſi & (k) præcepto Iudicum Monumenta deiecta ſunt, ne ſub ſpecie publicæ fabricationis pœna vitetur, eosdem Iudices iubemus hanc multam agnoſcere: nam ex vectigalibus, vel aliis titulis (l) ædificare debuerunt. Quod ſi aliquis multam metuens, ſepulchri ruinas terræ congeſtione celauerit, & non intra ſtatutum (m) ab Excellentia Tua tempus confeſſus ſit, ab alio proditus duas auri libras cogatur inferre. Qui vero libellis datis a Pontificibus (n) impetrarunt, (o) vt reparationis gratia labentia ſepulchra deponerent, ſi vera docuerunt, ab inlatione multæ ſeparentur. At ſi in vſum alium depoſitis abuſi ſunt, teneantur pœna præſcribta. Hoc in poſterum obſeruando, vt in Prouinciis, locorum Iudices; in Vrbe Roma, cum Pontificibus Tua Celſitudo inſpiciat, ſi per ſarturas ſuccurrendum ſit alicui Monumento: vt ita demum data licentia tempus etiam conſummando operi ſtatuatur. Quod ſi aliquis p. 139. contra ſanctionem Clementiæ Noſtræ* ſepulchrum læſurus attigerit, viginti libras auri Largitionibus Noſtris cogatur inferre. Locorum autem Iudices ſi hæc obſeruare neglexerint, non minus nota, (p) quam ſtatuta in ſepulchrorum violatores pœna graſſetur. Dat. v. Kal. April. Limenio & Catullino coss. [349.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc integra ferme *lex* a *Cod. Iuſt.* poſtrema tantum eius ſententia retenta; de quo mox: nempe quia ea *in* præteritum ferme concepta eſt, ac præterea *Pontificum Gentilitiorum* mentionem facit, ad ſarturam Sepulchrorum. *GOTHOFR.*

(b) *Italiæ*, ſimul & *Præfecto Vrbi:* Limenium enim hoc ſuo Conſulatu vtraque Præfectura defunctum, Præfectura, inquam, Prætoriana & Vrbicaria, docet Auctor incertus, *qui Notitiam Præfectorum Vrbi* a temporibus Gallieni ad Conſtantium vsque conſcripſit. Triplici dignitate proinde hoc anno functus Limenius, & Conſulatu & vtraque Præfectura. Et quidem hac vtraque functus triennium, A. D. 347. 348. 3-9. vt idem Auctor oſtendit. Sane quod Limenio huic, *h. l.* committitur, *verſiculo hoc inpoſterum*, committitur, vt *Præfecto* Vrbi, *Romæ* ſcil. *ID.*

(c) Sepulchri violationem intelligit. *ID.*

(d) Capitis pœna; de qua mox. *ID.*

(e) Id eſt, ne quidem ille euitet pœnam, vel immunis ſit a pœna. *ID.*

(f) Vide *Commentarium. ID.*

(g) Vt & mox infra: *qui poſita in agris ſuis monumenta* CALCIS COCTORIBVS *vendiderunt. ID.*

(h) Id eſt, ex A. D. 333. Quem temporis characteriſmum mox expendam. *ID.*

(i) Vt ſupra, *vel coquendæ calcis gratia* lapides deiecerunt. *ID.*

(k) An, *ſed et ſi?* malo, *ſed ſi ex præcepto:* Nam hoc caſu Iudex tantum tenetur. *ID.*

(l) Alios titulos quos vocat? Dicam *tit. de operibus publ. ID.*

(m) Quodnam illud? puto illud, quod Præfecti Prætorio animo ſederit: vt *infr.* Tempus conſummando operi ſtatuatur. *ID.*

(n) De Pontificib. Romæ hoc æuo, v. & Symmachum *lib. 2. ep. 36.*

(o) Dicam mox de eo. Huc pertinet etiam verſiculus: *Hoc impoſterum*, mox ſequens. *ID.*

 * Lex

* *Lex 3. Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est, quam sic Tribonianus efformauit. *Si quis sepulchrum violaturus attigerit, locorum Iudices, si hoc vindicare neglexerint, non minus, quam viginti librarum auri in Sepulchrorum violatores statuta pœna multentur, vt eam largitionibus nostris inferre cogantur. ID.*

(p) De hoc loco, mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTIS (non Constantii, vt *Titulus* præfert, & vt hæc *lex* vulgo citatur) altera hæc constitutio est in Sepulchrorum & Romæ quidem violatores, partim in præteritum, partim in futurum: In præteritum, quo pertinet *huius l.* pars, vt prior, ita & potissima; tum pœnæ genere definito in eos qui sepulchra violassent; tum sepulchri violati speciebus definitis, seu quosnam hac pœna teneri velit. Quæ quidem *lex* integra ferme abest a *Codice Iust.* postrema tantum eius sententia retenta; nempe quia ea in præteritum, vt dixi, ferme concepta est; ac præterea Pontificum Gentilitiorum superstitioni accinit, & notioni eorum subiicit sepulchrorum sarturam. Nos de *lege* nostra videamus.

Quod *prius* attinet, iis qui sepulchra hactenus violauerant, vnius auri libræ multam imponit, capitali seu sanguinis pœna sublata. Quem locum imitati sunt Patres *Concilii Toletani IV. capitul. 46. pag. 588. Tom. III. Concil. edit. Harduin. Quia facinus hoc pro sacrilegio Legibus publicis* SANGVINE VINDICATVR.

Et terminum tamen, (quod secundo loco notandum) seu παρέπηγμα ἀφ' οὗ, huic rei ponit Constans Imp. designato anno, seu Consulatu, a quo tale aliquid fecissent, *a sedecim* videl. *annis*, seu a *Dalmatii & Zenophil. Consulatu.* Quem quidem Consulatum & temporis characterismum notari diligenter cupio. Nempe hoc illud omnino tempus est, quo Constantinus M. aras, idola, templa euerti iussit, vigesimo sexto, septimoque Imperii sui anno: quod Hieronymus *in Chronico*, & Cedrenus nominatim profitentur: Et hic quidem ita *pag. 234. edit. Venet. inter Script. R. B.* τῷ κϛ´ καὶ κζ´ ἔτει αὐτοῦ τὴν κατὰ τῶν εἰδώλων, καὶ τῶν ναῶν αὐτῶν κατάλυσιν ἐπέτεινε. τὰς δὲ εἰσόδους αὐτῶν, ταῖς Ἐκκλησίαις ἐκύρωσε. *XXVI. & XXVII. annis, simulacris eorumque fanis euertendis operam dedit: reditus vero eorum ecclesiis Dei transcripsit.* De quo vide quæ dicam plenius *ad l. 3 infr. de Paganis.* Quare & recte Cuspinianus, qui diserte in hos COSS. refert Constantinianam Templorum euersionem. Atque hac proinde deinceps obseruatione Ecclesiastici Annales A. D. 333. illustrandi veniunt. Ab eo igitur tempore, vt in templa, ita & in *sepulchra* sæuitum; & Christianæ Religionis obtentu atque eradicandæ Gentilitiæ superstitionis ararum, & idolorum (quæ in Sepulchris) specie, sepulchra passim destructa, ornatus his detractus. Certe de locis sacris, seu Templorum locis, quæ in agris pariter, vbi sepulchra posita erant, locus extat insignis apud Aggenum Vrbicum, *Commentario primo in Frontinum de controuersiis agrorum, p. 78. edit. Rigalt p. 61. edit Goes. In Italia,* inquit, *multi crescente Religione sacratissima Christiana, lucos profanos, siue Templorum loca occupauerunt, & serunt:* de quo plenius dicam *infr. de fundis,* inquam, *locis, iuris templorum*, & ad *l. 8. infr. de iure fisci*, & *titulo de locatione fundorum iuris emphyt. Reip. & iuris templorum*, & ad *l. 3. 20. inf. de Paganis:* & ad *l. 19. 24. infr. de petitionibus.* Et hæc de pœna Sepulchri diruti in præteritum.

Tertio, Constans accurate enumerat quosnam hac sepulchri violati pœna teneri velit: nempe hos teneri vult. I. qui de monumentis columnas vel marmora abstulerunt. II. Qui coquendæ calcis gratia lapides deiecerunt. III. Qui dissipaunt vel ornatum minuerunt. *Dissipare*, est demoliri, deiicere, subuertere, destruere; *ornatum minuere* est, deturpare, mutilata forte statua vel columna, vel quo alio, vel tectorium inducere inuidiæ magis quam vsui alicui, veluti qui titulum erasit: quo pertinet etiam superior ille Pauli locus. IV. Qui posita in suis fundis monumenta calcis coctoribus vendiderunt. V. Vt & qui ausi sunt comparare. Vt de hoc postremo dicam, vult scil. Emptorem veluti calcis coctorem, eadem pœna puniri qua venditorem. Nam vt eleganter Imp. addit: *Quicquid attingi nefas est, non sine piaculo comparatur.* Piaculum non minus admittit, qui emit, quam qui vendit: *Piaculum*, id est, violatæ religionis crimen admittit, qua de voce mox *infra.* Pauli non absimilis locus *Sent. lib. 1. tit. 21. §. 12. Neque iuxta monumentum, neque supra monumentum habitandi ius est: adtactu enim conuersationis humanæ piaculum admittitur.* Neque inter hæc temere est quod de calcis coctoribus *h. l.* adiicitur, scilicet quod cuiuis notum est, parietinæ huiusmodi & ruinæ ad coquendam calcem opportunæ sunt maxime.

Quarto, ipsum quoque *Iudicem* cuius præcepto monumenta fuerint deiecta, quamlibet alicuius publici ædificii gratia, puniri vult Imp. *versiculo, Sed si & præcepto Iudicum*, quia ex vectigalibus pu- p. 140. blicis, vel aliis titulis, qui in id destinati erant, ædificare debuerunt; de quibus vectigalibus & titulis dicendi locus erit plenior *infr. titulo de operibus publicis.* De eo qui præcepto Iudicis monumentum destruxit puniendo, nihil hic additur; Et sane venia dignus est, qui parere necesse habuit: Iussus Iudicis, vt cæteroquin quid contra legem admittentem pœna eximit, ita & hac parte; de quo videndus est late Tiraquellus *in libello de pœnis temperandis.*

Est illud hic interim quoque *Quinto* iam loco notandum, ne quidem sub specie publicæ fabricationis, quem a sepulchri violati crimine liberari. Non excusatur scil. illicitum quid admittens, vt maxime bono publico aliquo id cedat: de quo memini etiam aliquid notare ad *superiorem Titulum.* Opera scil. publica ex vectigalibus vel aliis titulis a Iudicibus ædificari oportet, *h. l.* & *l. 18. 32. 33. 48. inf. de operibus publ.* non monumentis deiectis *h. l.* non dirutis templis, non spoliatis ciuitatibus aliis suis ornamentis, *l. 1. 14. 30. 37. eod. tit.* Itaque sepulchri violati pœna non euitatur, publici ornatus aut ædificii obtentu: de quo rursum ad *titulum, de operibus publicis.* Et tamen Gregorius Nyssenus *Epistola Canonica ad Sanct. Letoium Melitenes Episcopum, canon. 7. pag. 163. Tom. II. Pandect. Canon. Guil Beueregii*, prodit, eum venia dignum videri, qui iuxta receptum morem & consuetudinem, intacto corpore sepulto, lapides ex ipso asportarit sepulchro, vt exponit *Balsamo eo loco*, quod videl. cedat in Reipublicæ ornamentum & vtilitatem. Sed aliter omnino hanc in partem censent Imperatores *huius Tituli legibus.* Constans *hac l.* Constantius *l. 3. 4.* Iulianus *l. 5.* his enim omnibus, detrahi aliquid sepulchrorum ornatui, fabricandi gratia, facultas denegatur: sed aliæ sæpe sunt leges *Ecclesiæ*, aliæ *fori.*

Sexto, Constans *hac l.* ei qui pœnam forte metuens, sepulchri ruinas terræ congestione celauit, neque intra statutum tempus id confessus, verum ab alio proditus est, duplicem pœnam imponit: Maius scil. crimen est eius, qui totam sepulchri faciem

ciem memoriamque extinguere annisus est, quam qui ornatum tantum ei detraxit, vnde saltem posteritati Gentilitiorum sepulchrorum notitia indiciaque superesse possunt: Quare duarum librarum auri multam, & sic duplicem illi imponit. Nempe Romani de eo maxime conquesti videntur, quod non tantum Maiorum suorum monumenta spoliarentur, verum etiam sæpe omnis eorum memoria extingueretur.

Septimo, Etsi eos qui libellis datis a *Pontificibus*, de quibus mox secundo *huius l.* capite, impetrarunt, vt reparationis gratia labentia sepulchra deponerent, a pœna excipiat, attamen eos, qui hoc casu ipso, depositis alium in vsum abusi fuerint, eandem pœnam imponit: Nil scil. interest, sponte quis sepulchra demoliatur & violet, deiiciatque; an vero authoritate publica deposita alium in vsum conuertat, quam cuius causa ei deponere permissum fuit.

Et hæc quidem de priore *huius l.* parte, quæ præteritum respicit. Quanquam quod de diuersis speciebus sepulchri violati cauetur, non minus in futurum seu ad perpetuam iuris authoritatem trahi possit, si agatur & quæratur, *quinam sepulchri violati pœna teneantur.*

Secundo igitur capite, quod vnum retinuit Tribonianus, in pauciora tamen adhuc recisis nonnullis contractum; seu in futurum sepulchrorum euersionibus, spoliationibus, Constans *hac l.* occurrit triplici ratione, *Primo.* Romæ Præfectum Vrbi (Limenium quippe, cui hæc *lex* inscribitur, Præfectum Vrbi fuisse in *Notis* probaui:) cum *Pontificibus* huic rei inuigilare iubet: inspicereque vtrum per sarturas succurrendum sit labenti sepulchro, & quatenus: Ita quidem etiam, vt tempus quoque præstituat operi consummando seu absoluendo: ne diutina alioquin mora pendeat sepulchi reparatio. At in Prouinciis solos locorum Iudices huius rei sollicitudinem gerere iubet. Ex quibus obseruetur, de sepulchris notionem fori secularis fuisse, in Prouinciis: Romæ vero, mixtæ iurisdictionis eam factam, id est secularis, tum Pontificiæ: cum hactenus iuris Pontificii seu Pontificiæ notionis tantum Romæ esset: vt ostendit quoque *lex 8. in pr. D. de Religiosis, lex vlt. §. 1. D. de mortuo inferendo, lex 50. D. de hæredit. petit.* Item Cicero *lib. 4. de Repub. apud Nonium in voce, sanctitudo, cap. 2. num. 805. Eosdem*, inquit, *terminos hominum curæ, atque vitæ, sic Pontificio iure Sanctitudo sepulturæ:* Et *lib. 2. de Legibus cap. 19. Quid enim*, inquit, *ad Pontificem de iure parietum, aut aquarum, aut vllo omnino? Ergo quod cum Religione coniunctum est.* [ius ciuile Pontificem nosse oportet:] *Id autem quantulum est? De sacris credo, de votis, de feriis, de sepulchris, & si quid eiusmodi est.* Vide & Liuium *lib. 1. cap. 20.* vbi de concessa potestate Pontifici a Numa creato agit. Et Plinius *lib. 10. Epist. 73.* vbi de reliquiarum translatione agit, *Quia sciebam*, inquit, *in vrbe nostra ex eiusmodi causis Collegium Pontificum adiri solere, te Domine, maximum Pontificem, consulendum putaui, quid obseruare me velis.* Cicero *2. de legib. cap. 23. Sic decretum a Pontificum collegio, non esse ius, in loco publico fieri sepulchrum.* Vide & Dionem *lib. 48. circa fin.* de Oppii reliquiis. Ac nominatim de reficiendis monumentis, Pontificum notionem fuisse, præter hanc *legem* duobus locis docet *d. l. vlt. D. de mortuo inferendo. Si*, inquit, *in eo monumento, quod imperfectum esse dicitur, reliquiæ hominis conditæ sunt, nihil impedit quo minus id perficiatur: sed si religiosus locus iam factus* [id est perfectus] *sit, Pontifices explorare debent, quatenus, salua Religione, desiderio reficiendi operis medendum sit.* Cuius *legis*, vt id obiter moneam, non hic sensus est, qui vulgo creditur; Non videri sepulchrum violatum si quis id reficiat, vel etiam perficiat: Verum hic, sine permissu Pontificum licere imperfectum monumentum absoluere, non licere perfectum reparare citra Pontificum inspectionem. Cuius differentiæ ratio in aperto est: Qui monumentum perficit Religioni nihil detrahit, neque piaculum attactu contrahit: at qui reficit, cum non nisi attactu reficere possit, si propria authoritate faciat, piaculum admittit. In ea igitur *lege* verba hæc, *Nihil impedit*, hoc significant; *propria authoritate circa vllam Pontificum notionem, monumentum perficere licere.* Rursum in §. 1. vox hæc, *factus*, non id significat, quasi non vt in superiori specie reliquiarum illatione locus religiosus factus fuerit: verum in superiore specie agi de monumento imperfecto: In hoc vero de perfecto. *Factum* id est perfectum: Et ita quidem in *l. 30. §. 3. D. locati: opus factum* & *imperfectum* opponuntur. Verum ad rem. De Sartura igitur seu reparatione monumentorum Pontificum notio fuit, quod præter hanc *legem*, quam qui de veteri iure Pontificio scripsere, omisere, & *d. l. vlt. D. de mortuo inferendo*, docet hæc vetus Inscriptio quæ *Romæ* extat, quæque in *Corpore Inscriptionum* refertur P. DXVIII. 4.

FL. PROBINCIA. FECIT. SIBI
T. AELIVS. SENTINIANVS. FOR
COR. 7 COH. II. VIG. PETIT. A. PONTI
FICES. VT. SIBI. PERMITTERENT
REFICERE. N. MONVMENTVM
IVRIS. SVI. LIB. LIBERTABVSQVE
SIBI. ET. SVIS. POTERISQVE.
EORVM.

Petiisse ait vetus Inscriptio, scil. Libellis datis, *h. l.* Desiderio, ait *d. l. vlt. D. de mort. inferend.* quod idem est. *Desiderium* est libellus supplex. De quo consule *Glossarium.* In qua etiam *lege*, pro *Medendum*, lubens legam, *cedendum*, pro *accedendum*, & *assentiendum.* Ac vt a Pontificibus impetrata monumentorum sartura desiderio seu libellis oblatis, ita & reliquiarum translatio: Cuius insigne extat monumentum in eodem *Corpore Inscriptionum*, pag. DCVII. 1. quod integrum adpono: P. 141.

VELIVS. FIDIVS. IVBENTIVS. CELSO
COLLEGAE. SVO. SALVTEM. DESIDERI. FRATER
ARRI. ALFII. ARRIAE. FADILLAE. DOMINI. N
IMP. ANTONINI. AVG. MATRIS. LIBERTI. LIBEL
LVM. TIBI. MISI. COGNITI. MIHI. EX. LONGO
TEMPORE. PRIMAE. IVBENTVTIS. ETIAM. MIRA
TVS. CVM. AB. AEDIBVS. ESSEM. QVOT. EO. LO. SE
CONTVLISSET. A. QVO. DIDICI. CAVSAS. REQVI
TIONIS. SET. ET. RELIGIONIS. MAGNOPE. A. DO
MINO. N. IMP. IMPETRASSE. ITA. NE. QVA. MO
RA. VIDEATVR. EI. PER. NOS. FIERI. LIBELLVM
SVBCRIPTVM. PER. EVDEM. PVBLICVM. SINE
MORA. MIHI. REMITTAS. OPTO. TE. SALVOM. ET
FELICEM. ES

EXEMPLV. LIBELLI. DATI.

CVM. ANTE. HOS. DIES. COIVGEM. ET. FILIVM
AMISERIM. ET. PRESSVS. NECESSITATE. CORPORA
EORVM. FICTILI. SARCOFAGO. COMMENDAVE
RIM. DONIQVIES. LOCVS. QVEM. EMERAM. AEDI
FICARETVR. VIA. FLAMINIA. INTER. MILIAR. II.
ET. III. EVNTIBVS. AB. VRBE. PARTE. LAEVA. CV
STODIA. MONVMENTI. FLA. THVMELES. A. MESO
LO. M. SELI. ORCILI. ROGO. DOMINE. PERMIT
TAS. MIHI. IN. EODEM. LOCO. IN. MARMOREO. SAR
COFAGO. QVEM. MIHI. MODO. COMPARAVI. EA
CORPORA. COLLIGERE. VT. QVANDONE. EGO
ESSE. DESIER. PARITER. CVM. EIS. PONAR

FERETRVM. FIERI. PLACET. IVBENTIVS. CELSVS
PROMAGISTER. SVBSCRIPSI. III. NON
NOEMB. ANTIO. POLLIONE. ET. OPIMIANO
KOS. ORDINARIS. SEVERO. ET. SABINIANO
COS.

Vbi mox subiungitur Rescriptum, seu permissio ad libellum oblatum. Cæterum in marmore ita rescribendum in nonnullis vocibus, *exemplum*, *coniugem*, *doniquum*, *quandoque*, *Nouembr.*

Pontificibus igitur sartura sepulchrorum & reliquiarum translatio Romæ incumbebat, quibus *h. l.* adiungitur Præfectus vrbi: in Prouinciis vero Locorum Iudices id exequebantur. Quod ipsum Traianus Imperator Plinio (Bithyniæ Rectori) dubitanti rescripsit *lib. 10. ep. 74.* ratione addita. *Durum est*, inquit, *iniungere necessitatem prouincialibus Pontificum adeundorum, si reliquias suorum propter aliquas iustas causas transferre ex loco in alium locum velint. Sequenda ergo potius tibi exempla sunt eorum, qui isti prouinciæ præfuerunt, & ex causa cuique permittendum, aut negandum.* Quibus testimoniis adductus existimo, his verbis, in *l. 3. §. 4. D. de sepulchro violato: sine permissu eorum, quibus permittendi ius est*, indicari quoque locorum Iudices, non tantum Pontifices aut Principes. Cæterum nil mirum, quod tamen visum nonnullis, Christiani quoque Principis lege, sarturam sepulchrorum Pontificum authoritati relinqui vel delegari. Quandoquidem hæc *lex* pertinet ad Vrbem Romam, & Sepulchra, quæ ibi erant Gentilium. Quorum proinde Pontificibus Christianus Princeps pristinam hanc notionem suam reliquit: Sed tamem eidem sæcularem Præfecti vrbis notionem coniunxit seu sociauit. Pœna tandem quæ hic additur notanda, nempe 20. librarum auri in priuatos, in locorum vero Iudices, si *huius l.* dispositionem seruare neglexerint, *non minus nota*, inquit lex, *quam statuta in sepulchrorum violatores pœna grassetur.* Quam vocem *nota* plerique ad infamiam referunt. Notum equidem olim sepulchri violati crimini pœnam seu notam infamiæ irrogatam, quod testatur Vlpianus *l. 1. D. de sepulchr. viol.* & Valentinianus *Nou. 5. de sepulchris.* verum *nota* hic significat *cognitam*: puta *sanguinis pœnam*, de qua initio *huius l.*

Interpretatione *legis* functi, nunc illustremus ea quæ ad rem sepulchralem præter superiora hic memorantur nonnulla. Primo quidem videndum de *Ædificiis* quæ ipsos cineres tegebant, eorumque ornamentis: de *columnis* & marmoribus, inquam. Columnarum & marmorum in monumentis, præter *hanc l.* & *l. 4. infra*, meminit quoque Plinius, *lib. 36. c. 5.* vbi de Mausoleo agit: Cicero 5. *Tuscul. cap. 23.* (vbi de columna in Archimedis monumento) & *2. de legibus cap. 26.* meminit & Paulus 1. *sent. tit. de sepulchris 21. §. 8. Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam euerterit, vel quid ex eodem traxerit*, LAPIDEM COLVMNAMVE *sustulerit, sepulchrum violasse videtur.* Vide & *l. 5. inf.* ibi: ORNAMENTA *quidam tricliniis, aut porticibus auferunt de sepulchris. Ornamentorum* meminit & *lex 7. Cod. Iust. de Religiosis.* Sane in διαζωγράφῳ Aggeni vrbici monumentum columnis innixum ita effingitur *pag. 141. edit. Rigalt. pag. 99. edit. Goes.*



Columnarum meminit quoque Propertius 3. *Eleg. 23. in fin.*

I, puer, & citus hæc aliqua propone COLVMNA;
Et dominnm Esquiliis scribe habitare tuum

Eutropius *lib. 8. cap. 2.* de Traiani monumento, Quod ædificauit sibi COLVMNA ibi posita, cuius altitudo CXL. pedes habet. Seruius in *XI. Æneid. v. 849. Apud maiores, nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur: vnde natum est, vt super cadauera aut Pyramides fierent, aut ingentes collocarentur* COLVMNÆ. Cassiodorus *IV. Var. 34. Ædificia tegant cineres*, COLVMNÆ *vel* MARMORA *ornent sepulchra: talenta non teneant.* Idem *VI. Var. 8.* in formula Comitiuæ rerum priuatarum *Ne quis vestita* MARMORIBVS *sepulchra nudaret: ne quis* COLVMNARVM *decorem irreligiosa temeritate præsumeret.* De Ægyptiorum quoque hanc in partem more, vide Lucanum *lib. 8. a v. 694.* De Solonis lege, Cicero *lib. 2. de legib. cap. 26. De sepulchris nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis ea deleat, neue alienum inferat: si quis bustum aut monumentum, inquit, aut* COLVMNAM *violarit, deiecerit, fregerit &c.* Et hæc de Columnis & marmoribus: Marmoreorum quoque monumentorum alibi multa mentio. Varro in Licinum Tonsorem Augusti *pag. 74. inter Epigrammat. & Poëm. Veter. Petr. Pithai. Marmoreo Licinus tumulo iacet.* Omitto hanc segetem vltra demetere.

Secundo obseruandum ex *vers. eadem etiam pœna* &c. in agris quoque posita monumenta seu sepulchra fuisse. Nempe recepto apud omnes ferme Gentes more, vnusquisque ferme fundi sui partem sepulturæ olim in agris assignatam habebat: quæ obseruatio iam passim est, etiam ex Instrumento sacro: vide Liuium *lib. 6. cap. 36.* vbi de Sestio & Licinio: Appianum *lib. 1. de bello ciuili*, vbi de lege *Agraria.* Itaque & in hortis collocata cadauera: vide Sueton. *Caligul. cap. 59.* Capitolinum, *Antonino Pio cap. 5.* Flaccum *de condit. agrorum, pag. 5. edit. Rigalt. pag. 4. edit. Goes. Inspiciendum erit & illud, quoniam sepulchra in extremis finibus facere soliti sunt, & cippos ponere, ne aliquando cippus pro termino errorem faciat: Nam in locis saxuosis, & in sterilibus etiam in mediis possessionibus sepulchra faciunt:* Hic interim Siculi Flacci locus singularis est: docet enim si agri fœcundi essent, extremam partem agri secundum viam (de quo & iam alii monuerunt) sepulturæ destinatam: si vero steriles, etiam in ipso meditullio extructa sepulchra. Idque ex doctrina Platonis, qui nullum in agro fœcundo sepulchrum fieri voluit, ne detrimentum inde caperent noui, *lib. 12. de legibus:* Quod Cicero ita extulit *lib. 2. de legibus, cap. 27. fin. vlt. Vetat ex agro culto, eoue qui coli possit, vllam partem sumi sepulchro: Sed quæ natura* P. 142 *agri tantummodo efficere possit, vt mortuorum corpora sine detrimento viuorum recipiat, ea potissimum compleatur: quæ autem terra fruges ferre, & vt mater, cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat, neue viuus, neue mortuus.* Ad hunc morem sepeliendi in agris etiam facit iocus Martialis *ep. 43. lib. 10.*

Septima iam Phileros tibi conditur vxor in agro:
Plus nulli, Phileros, quam tibi reddit ager:

Scilicet, quia veteri iure XII. Tabul. ius non esset in vrbe sepelire (de quo ad *legem 6. inf.*) in agris suis quique sepeliebantur: vide Seruium ad illud *Æneid. XI. v. 206. finitimos tollunt in agros.* Nota quoque sunt huius rei & moris exempla *in sacris libris.* Et hæc quidem in his obseruata qui possessiones haberent: pauperes enim in Culinis sepulti (quæ erant *publica sepulchra*) de quibus vide Festum *voc. Culin.* Boëtium *lib. 2. de Geometr.* cuius locum vide restitutum a Rigaltio ad Aggenum *in Frontin. lib. 1. p. 76.* Catalecta Virgilii: *Neque in culinam, & vncta compitalia, pag. 1294. edit. Maswicii*, vbi consule Scaligerum. Appendicem ad veteres Glossas, quæ penes Cl. Puteanos fuit, quamque excitat *l. c.* laudatus Rigaltius, & Aggenum *comment.*

comment. in Frontin. lib. 1. pag. 76. edit. Rigalt. pag. 60. edit. Goes.

Tertio obseruanda *h. l. Piaculi* vox, hic propria, & e Gentilitia superstitione translata: qua etiam Iulianus Parabates vtitur *l. 5. inf. ne in* PIACVLVM *incidant, contaminata religione bustorum. Piaculum admittere, contrahere* dicebatur, qui violaret religionem sepulchrorum: piando quippe sceleri sacrificium præstare, qui violasset, cogebatur iure Pontificali, quod & ipsum sacrificium *Piaculum* dictum, porca præcidanea fiebat: vide Festum *voc. præcidan. agna.* Paulus quoque IC. *Piaculi* admissi, sepulchro violato, duobus locis meminit *lib. 1. sent. tit. 21. §. 4. Qui corpus,* inquit, *perpetuæ sepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudauerit, & solis radiis ostenderit,* PIACVLVM *committit.* Item *§. 12. Neque iuxta monumentum, neque supra monumentum habitandi ius est: adtactu enim conuersationis humanæ* PIACVLVM *admittitur.* Piaculo igitur auertendo, expiando, sacrificium factum. Paulus *dict. tit. § 1. Ob incursum fluminis, vel metum ruinæ, corpus iam perpetuæ sepulturæ traditum, solemnibus redditis sacrificiis per noctem in alium locum transferri potest.* Sacrificium istud vt dixi, *Piaculum* dictum. Vetus Inscriptio notatu dignissima, apud Gruterum DLXXVIII. 1.

M. VLPIO. AVG. LIB.
PHAEDIMO. DIVI. TRAIANI. AVG
A POTIONE. ITEM. A LAGVNA. ET
TRICLINIARCH. LICTORI. PROXIMO. ET
A COMMENT. BENEFICIORVM. VIXIT
ANN. XXVIII. ABSCESSIT. SELINVNTE. PRI.
IDVS. AVGVS. NIGRO. ET. APRONIANO. COS
RELIQVIAE. TRAIECTAE. EIVS. III. NONAS. FEBR.
EX. PERMISSV. COLLEGII. PONTIFIC
PIACVLO. FACTO. CATVLLINO. ET. APRO. COS
DVLCISSIMAE. MEMORIAE. EIVS. VALENS
AVG. LIB. PHAEDIMIANVS. A VESTE. BEN. MER.
FECIT.

Huic quoque piaculo euitando, qui cadauer insepultum prægrederetur, glebam aut puluerem ei ter iniiciebat: alioquin piaculum incurrebat, Horatius *Carmin. lib. 1. Ode. 28. in fin.*

- - precibus non linquar inultis:
Teque piacula nulla resoluent.
Quanquam festinas: (non est mora longa) licebit
Iniecto ter puluere curras.

De hoc more vide & Dionys. Halicarn. *lib. 3. c. 26.* vbi agit de cadauere occisæ ab Horatio sororis. Scholiastem Sophoclis in *Antigona: οἱ γὰρ νεκρὸν ὁρῶντες ἄταφον, καὶ μὴ ἐπαμησάμενοι κόνιν, ἐναγεῖς εἶναι ἐδόκουν.*

CONSTANTII *in Sepulchrorum Romæ subuersores Constitutio.*

III. (a) Idem A. & Iulianus Cæs. ad Orfitum. (b)

QVOSDAM comperimus, lucri nimium cupidos, sepulchra subuertere, & substantiam (c) fabricandi ad proprias ædes transferre, hii detecto scelere animaduersionem priscis † Legibus definitam subire debebunt. P. P. (d) in foro Traiani, Constantio A. VIII. (e) & Iuliano Cæs. coss.

NOTAE.

a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Orfitus* hic, sub Constantio fuit Præfectus Vrbi: vide Ammianum Marcellinum *lib. 16. cap. 10. & lib. 17. cap. 4. init. & Prosopogr.* ID.

(c) *Substantia fabricandi*, quæ proxima lege, *materia fabricæ gratia. Substantia*, pro materia, apud iuris conditores, vtpote imbutos a Stoicis; vide Diogenem Laërtium *in Zenone*: Monuit iam Cuiacius *ad lib. 28. Pauli ad Edictum. l. 2. §. 1. D. de rebus creditis.* ID.

† Leges Priscas nota in Sepulchri violatores. IDEM.

(d) In *Foro Traiani* Propositæ Leges Romæ, quæ populum scil. spectarent vniuersum. Igitur & hæc Constantii in Sepulchrorum violatores ibi Proposita: pariter vt Valentiniani Tertii *Nouella de Sepulchris 5.* eiusdem argumenti: interim obserua hoc ipso Anno 357. fori huius mentionem fieri apud Ammianum Marcellinum, *lib. 16. cap. 10.* quod Constantius Romæ positus cum admiratione spectarit. IDEM.

(e) *vg.* VIIII. *& Iuliano Cæs.* II. *Coss. an.* 357. vt sic ad eosdem Coss. referatur, quo *lex prox. 4. inf.* ID.

COMMENTARIVS.

CONSTANTII duæ in sepulchrorum violatores constitutiones sequuntur. Et hoc quidem edicto Pœna & seueritas prisca reducitur in sepulchra euertentes, & materiam inde detractam ad ædificia sua transferentes: Reducitur, inquam, quæ *priscis legibus* definita fuerat; atque hoc sensu, *animaduersionem priscis Legibus definitam,* hac *lege* accipi oportet; & *priscam seueritatem* suppliciumque, *l. prox.* Quæ sane aliquo casu sanguinis fuit, vt docet *lex 2. supr. Factum,* inquit, SOLITVM *sanguine vindicari* &c. Paulus in *l. 11. D. de sepulchro violato. Rei sepulchrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humilioris quidem fortunæ summo supplicio afficiuntur: honestiores in insulam deportantur: alii autem relegantur aut in metallum damnantur.* Et Valentinianus *Nouell. de sepulchris 5. initio: Diligenter,* inquit, *legum veterum Conditores prospexerunt miseris & post fata mortalibus, eorum, qui sepulchra violassent, capita persequendo.* Et rursum *in med. Seruos colonosque in hoc facinore deprehensos duci protinus ad tormenta conuenit, si de sua tantum temeritate confessi, luant commissa sanguine suo, si dominos inter supplicia nullo interrogante nexuerint, pariter puniantur. Ingenui quoque quos similis præsumptio reos fecerit, si fortasse plebeii & nullarum fuerint facultatum, pœnas morte persoluant: splendidiores autem, vel dignitatibus noti, bonorum suorum medietate multati, perpetua notentur infamia.* Et mox: *Clericus stilo proscriptionis addictus perpetua deportatione plectatur.* Reducitur rursum, vt dixi, sanguinis quoque hæc pœna, *h. l. & l. prox. infr.* quæ a Constante aliquo modo abrogata fuerat *lege superiore* p. 143.

 cademque

eademque pœna sancita a Valentiniano *dict. Nouell.* 5. Et a Theodorico *Edict. cap.* 110. eaque deinceps obtinuit in Galliis teste Sidonio *lib.* 3. *Epist.* 12. Et Gregorio Turonensi *de Gloria Confessorum, cap.* 62. vt & in Hispania, vt docet Concilii Toletani IV. *Canon* 46. *pag.* 588. *Tom. III. Concil. edit. Harduin.* cuius verba retuli ad *legem superiorem.* Dicam insuper *ad Titulum inf. de indulgentiis criminum.* Superior interim Pauli locus insignis sepulchri violati pœnas antiquitus statutas distincte exequitur, pro criminis genere & personarum qualitate. Scilicet sepulchri ipsius violati pœna capitalis siue sanguinis olim non fuit, sed Relegationis in honestioribus: Metalli in humilioribus. At corporis ipsius extracti, vel ossium erutorum, in honestioribus deportatio fuit; in humilioribus summum supplicium, si Triboniano credimus: Metalli enim pœna apud Paulum alio loco disertis verbis statuitur. Locum iam consignaui ad *legem* 1. *supr. h. t.*

CONSTANTII *in sepulchrorum Romæ violatores quoscumque altera lex.*

IV. (a) Idem A. ad Populum. (b)

QVI ædificia (c) Manium violant, *domus* (vt ita dixerim) *defunctorum*, geminum videntur facinus perpetrare: nam & sepultos spoliant, destruendo, (d) & viuos polluunt, (e) fabricando. Si quis igitur de sepulchro abstulerit saxa, (f) vel marmora, vel columnas, (g) aliamue quamcunque materiam, (h) fabricæ gratia, (i) siue id fecerit venditurus, decem pondo auri cogatur inferre fisco; siue quis propria (k) sepulchra defendens, hanc in iudicium querelam detulerit, siue quicunque (l) alius accusauerit, vel Officium (m) nuntiauerit. Quæ pœna priscæ seueritati (n) accidit: (o) nihil enim derogatum est illi supplicio: quod sepulchra (p) violantibus videtur (q) impositum. Huic autem pœnæ subiacebunt, & qui corpora sepulta, aut reliquias contrectauerint. Dat. Id. Iun. (r) Mediol. Constantino (s) A. IX. & Iuliano Cæsare II. Coss. [357.]

NOTAE.

(a) *Lex* 4. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Vrbis Romæ. *ID.*

(c) Pro his verbis *ædificia manium* substituit Tribonianus *sepulchra*: de quo mox. *ID.*

(d) Domibus suis destructis. Reliqua vide apud Sauaronem *lib.* 3. *Sidon. Epist.* 12. quem non exscribo. *IDEM.*

(e) Et hæc vox e Gentilitia superstitione: proxime accedit *lex sequens*, quæ Iulianum Paganum authorem habet. *IDEM.*

(f) Vulgaria hic: alioquin & *Saxa* pro marmoribus. vide *infr. tit. de metallis. ID.*

(g) De *columnis* sepuchrorum dixi ad *legem* 2. *sup. ID.*

(h) Materiam vocat: *lex* 3. *sup.* substantiam. *IDEM.*

(i) *Fabricandi gratia.* Cod. Iust. vt supr. *leg.* 3. *substantia fabricandi. RITTER.*

(k) Id est, is ad quem ea res pertinet. *GOTHOFR.*

(l) Extraneus. *ID.*

(m) Ita quoque Basilica *lib.* 60. *tit.* 23. *c.* 14. recte: *ad officium*, Cod. Iustin. Male, de quo mox. *ID.*

(n) *Sanguinis*, v. quæ dixi ad *l.* 3. *supri ID.*

(o) *Accedit*, Cod. Iust. quod probo: sic & Græci Basil. *lib.* 60. *tit.* 23. *cap.* 14. ἡ δὲ τιμωρία τῇ τῆς παλαιᾶς τιμωρίας αὐστηρίᾳ προστίθεται, *Pœna autem accedit antiquo supplicio. ID.*

(p) *Sepulcbrum*, Cod. Iust. *ID.*

(q) *Videtur*, pro *Est. ID.*

(r) *Iul.* rescribit Noster in *Chronol.* sed nihil mutandum. *IV.* enim *Kal. Ian.* Constantius hoc anno iam Roma discessit, Marcellin. *lib.* 16. *c.* 10, & Mediolanum abiit, quod testantur *legg.* ibi datæ. *RITTER.*

(s) *γρ. Constantio.* Vid. *Chronolog. ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI hoc Edictum est emissum ad populum Romanum aduersus sepulchrorum violatores: quo POENA sanguinis (quæ *pœna priscæ seueritatis* hic vocatur, quæque iam reducta fuerat *superiore lege*) confirmatur: ita quidem, vt multam insuper pecuniariam ei adiungat, atque ita vtramque iam pœnam coniungat, quarum alteram, multam inquam, Constans frater eius altera abrogata constituerat, *l.* 2. *sup.* Crescente scilicet Romæ sepulchri violatorum pertinacia, quam capitalem pœnam antea Constans ferme abrogauerat, Constantius aut anno superiore aut hoc eodem reduxit *l.* 3. *sup.* Mox & mulctam *hac lege* adiunxit: & vt *accederet* iussit. Deductiorem tamen, id est minorem, quam Constantis *d. l.* 2. puta Decem librarum auri, quæ Viginti fuerat scilicet, vbi pœna sanguinis est, ibi deductiorem multam esse oportet, quæ seueritate pœnæ plus satis pensatur. Itaque errant Basilica *lib.* 60. *tit.* 23. *cap.* 14. errat Cuiacius, qui in *l.* 4. *Cod. Iust. eod. t.* quæ hinc desumpta est, reponunt *viginti pondo auri.*

Porro hac pœna & multa Constantius adfici iubet

bet duo violatorum genera, quæ ſpeciatim memorat: puta Deſtructores ſepulchrorum, etiam propriorum: itemque ſpoliatores ſepultorum. In vniuerſum Conſtantii hoc Edictum ſuperſtitionis Gentilitiæ plura veſtigia in ſe continet, & Iuliani Edicto, quod mox ſequitur, proximum: idque ſiue quia Quæſtorem Conſtantii Gentilem fuiſſe oportet: ſiue quia his verbis Edictum conceptum oportuit, vtpote ad populum Vrbis Romæ emiſſum, Romæque propoſitum, qui tum ferme Gentilitius erat. Alioquin mirum videri poſſit, Principi Chriſtiano tam multa veteris ſuperſtitionis excidiſſe. Verum huius moris & cauſas & exempla alibi perſtringo: imo & aliquid mox dicam.

Ergo Conſtantius *hac l.* Primo ſepulchra, *Ædificia Manium*, vocat: quomodo & Valentinianus quoque in *Nouella ſua 5. de ſepulchr.* quietos *Manes* ſollicitari dixit. *Ædificia* porro, & *domos* non fruſtra vocat: *domunculas* enim & ædificia monumentis ſuperponi ſolita, notum eſt cum ex aliis, tum ex lapide Romæ in æde S. Anaſtaſiæ, apud Gruterum DCCLXII. 5. in quo fit mentio, *monumenti cum ædificio ſuperpoſito* &c.

D. M.
M. AVRELIVS. ROMANVS. ET ANTISTIA. CHRESIME. VXOR. EIVS FECERVNT. SIBI. ET. LIBERTIS. LIBERTAB POSTERISQ. SVIS. ITEM. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE POSTERISQ. EORVM. MONVMENTVM. CVM. ÆDIFICIO SVPERPOSITO. HOC. AVTEM. MONVMENTVM. CVM ÆDIFICIO. NEQVE. MVTABITVR. NEQVE. VAENIET NEQVE. DONABITVR. NEQVE. PIGNORI. OBLIGABITVR SED. NEC. VLLO. MODO. ABALIENABITVR. NE. DE NOMINE. EXEAT. FAMILIAE. SVÆ.

Caſulam vocat Petronius, loquens de matrona quadam Epheſi, quæ in ea maritum defunctum deflebat, *in Satyrico pag. 54. edit. Lugdun. B. apud Ioan. Maire, 1623. in 12.* Imo, & *operoſas moles cenſu laborante*, vt loquitur Valent. *d. Nouell. 5.*

Secundo vocat Conſtantius Sepulchra *domus, vt ita dixerim, defunctorum.* Et hoc ex ore vulgi. Res &
P.144. obſeruatio protrita eſt, ſepulchra *mortuorum domus* dici: itemque *domos æternas*: Vetus Inſcriptio apud Gruterum DCCCIIII. 1.

MANILIA PAVLLA
DE PATRIMONIO. SVO
SIBI. ET
AVRELIO. PAVLLINO
COMPARI. SVO
DOMVM. AETERNAM. P.

Et in Epitaphio Petronii Antigenidis, apud eundem DCCCCL. 7. verſu ultimo:

HÆC. DOMVS. ÆTERNA. EST. HIC. SVM. SITVS. HIC. ERO. SEMPER.

Seneca, *Octauiæ Actu 4. 043. v. 743.*

Inferum ſedes, toros
Stabiles futuros ſpondet æterna domus.

Et *Gracilis* maritus *Probinæ* coniugi in tabul. marmorea Romæ, apud Gruterum MLVIII. 1. *ab initio.*

PERPETVAS. SINE. FINE. DOMOS. MORS. INCOLIT. ATRA
ÆTERNOSQ. LEVIS. POSSIDET. VMBRA. LARES.

Tertio Conſtantius ait, *eos qui ſepulchra violant*, geminum videri facinus perpetrare: nam & ſepultos ſpoliant, deſtruendo: & viuos polluunt, fabricando: translatis videlicet e monumento ad ædificium qui vtitur, & Diuos & viuos violat; illos ſpoliat, hos polluit. Quod & ipſum Gentilitiæ religioni accedit.

Nunc de ipſa *huius legis* ſententia: vbi poſtquam ſepulchri violati ſpeciem, qua de ageretur tum, expreſſam, cauet: & publicam huius criminis accuſationem *hac leg.* reſtituit: quod & ipſum Edicto perpetuo conſtitutum fuerat. Quod Edicti caput memorat ſimul & explicat Vlpianus, *l. 3. D. de ſepulchr. viol.* Qua parte tamen is, cuius intereſt, præfertur: quod & Edicto illo conſtitutum eſt, & ex *hoc* inſuper colligi poteſt. Tres porro Accuſatorum vel Delatorum ſpecies notat: Non tantum eos ſcil. quorum intereſt; verum etiam quoſcunque alios: tandem & Officiales iudicum: recte enim hic, *vel Officium nuntiauerit*, quod etiam Græci agnoſcunt. *Cod. Iuſtin.* male præfert, *ad Officium*: Criminum ſcil. nuntiatores alii priuati, alii Officiales: vid. *ſup. tit. de accuſationib. & tit. de exhib. reis.* Ita *l. vn. ſup. de mulier. quæ ſe ſeruis*: *Sit omnibus facultas crimen publicum arguendi, ſit Officio copia nunciandi.* Et hæc de priore *huius Edicti* parte.

Poſterior pars eſt de his, qui *corpora ſepulta & reliquias contrectant*; id eſt, de his qui reſeratis monumentis ornamenta inde ſuffurantur: (id enim eſt *reliquias contrectare*) Quo exemplo memorat Ammianus Marcellinus, *lib. 16. cap. 8.* anno ſuperiori 356. accuſatum quendam, quod velamen purpureum a Diocletiani ſepulchro furatus eſſet: Et notum eſt, ſumptus & luxus genus hoc in ornamentis defunctorum, legibus nequicquam repreſſum. Vide quæ obſeruant, qui *de funeribus* ſcripſerunt. Et in his Kirchmannus *lib. 3. cap. 23. 24.* vide & Lindebrogium noſtrum, ad Ammianum Marcellinum *loc. cit.*

Errant vero, qui contrectationem, de qua hoc dictum noſtrum loquitur, de ſimplici contactu accipiunt, & loco ſuo motione, quod ipſum ſane prohibitum: Martianus *l. 7. D. de ſepulchro violato. Corruptum & lapſum monumentum corporibus non* CONTACTIS *licet reficere. Corporibus non contactis*, id eſt, dummodo corpora non loco moueantur, transferantur. Sed nec ad mutilationem Magicam ſeu ἀκρωτηριασμὸν locus hic pertinet, qua Magi καὶ τυμβάδες cadauerum inimicos ſuos defigere ſoliti: qua de re vide Quintilianum *declam. 15. pag. 170. edit. Parei.* Apuleium *lib. 2. pag. 30. & lib. 3. pag. 49. edit. Lugd. B apud Ioan. Maire 1623.* Statium *lib. 4. Thebaidos a v. 502.* Tacitum *lib. 2. Annal. cap. 69.* & Dionem *lib. 57.* mortem Germanici fraude Pisonis procuratam, narrantem. Quid igitur? Spoliatio cadaueris *contrectandi* verbo *h. l.* indicatur, vel ſaltem contrectatio eum in finem. Notum enim, defoſſas cum mortuis pecunias, veſtes, aliaque huius generis, partim luxus, partim ſecuritatis gratia. Breuiter pertinet hæc poſterior *huius Edicti* ſententia ad τυμβωρύχους, ſeu λωποδύτας νεκρῶν. De his vide & elegantem Chryſoſtomi locum *Homil. 35. in 1. ad Corinthios, ἐν τῷ ἠθικῷ pag. 645. edit. Commelin.* Huc pertinet & Phædri locus *fabula 28. a v. 3.*

Humana fodiens oſſa, Theſaurum canis
Inuenit. & VIOLAVIT *quia Manes Deos,*
Iniecta eſt illi diuitiarum cupiditas,
Pœnas vt ſanctæ religioni penderet.

Huius rei infamia laboraſſe quoſdam *Clericos*, præter *Nouellam* Valentiniani *de ſepulchris 5.* docet inſuper Caſſiodorus IV. *Var. 18.* vbi agitur de Laurentio Presbytero, qui effoſſis cineribus, diuitias inter hominum cadauera perſcrutatus dicebatur. *Fures* hos dixere in vrna, inuenta in veterrimo monumento Patauii, cuius inſcriptionem edidit Gruterus DCCCCXXVII. 7. & Fleetwodus in Sylloge CCCVIII. 1.

PLVTONI. SACRVM. MVNVS. NE. ATTINGITE. FVRES
IGNOTVM. EST. VOBIS. HOC. QVOD IN. VRNA. LATET
NAMQVE. ELEMENTA. GRAVI. CLAVSIT. DIGESTA. LABORE
VASE. SVB. HOC. MODICO. MAXIMVS. OLYBRIVS
ADSIT. FOECVNDO. CVSTOS. SIBI. COPIA. CORNV.
NE. PRETIVM. TANTI. DEPEREAT. LATICIS.

Et in vrna minore *Pag. ead.* apud vtrumque.

ABITE. HINC. PESSIMI. FVRES
VOS. QVID. VOLTIS. VOSTRIS
CVM. OCVLIS. EMISSICIIS
ABITE. HINC. VESTRO. CVM. MERCVRIO
PETASATO. CADVCEATOQ
MAXIMVS. MAXIMI. DONVM
PLOTONI. HOC. SACRVM. FECIT.

Et sane fur nil aliud est nisi Contrectator: furtum, contrectatio; quod notum omnibus. Et tamen dummodo cineribus mortuorum abstineretur, licuit sub publica testificatione deinceps, publicaque auctoritate, thesauros abditos in sepulchris peruestigare & eruere, & sic sepulchris aurum detrahere; de quo v. Theodorici R. *Epistolam* apud Cassiodorum IV. *Var. 34.*

IVLIANI *Edictum aduersus* FVNERA *diurna, & in Sepulchrorum violatores.*

V. (a) Imp. IVLIANVS A. ad Populum. (b)

PERGIT audacia (c) ad busta diem functorum, (d) & aggeres consecratos: cum & lapidem (e) hinc mouere, terram sollicitare, (f) & cespitem vellere, (g) proximum sacrilegio *Maiores* (h) semper habuerint: Sed (i) ornamenta (k) quidam (l) tricliniis, aut porticibus auferunt (m) de sepulchris. Quibus primis (n) consulentes, ne in piaculum (o) incidant contaminata religione (p) bustorum, (r) hoc fieri prohibemus, pœna Manium (s) vindice cohibentes. (t) *Secundum* * illud est, quod efferri (v) cognouimus cadauera mortuorum per confertam populi frequentiam, & per maximam insistentium (x) densitatem: quod quidem oculos hominum infaustis incestat (y) aspectibus: Qui enim dies est bene auspicatus a funere? aut quomodo ad Deos & Templa venietur? Ideoque quoniam & (z) *dolor in exsequiis secretum amat*, & (aa) *diem functis nihil interest, vtrum per noctes, an per dies efferantur*, liberari conuenit populi totius aspectus, vt (bb) *dolor esse in funeribus, non pompa exsequiarum, nec ostentatio videatur.* Dat. prid. Id. Feb. Antiochiæ, Iuliano A. IV. & Sallustio COSS. [383.]

P. 145

NOTAE.

(a) *Iuliani* Apostatæ constitutio hæc non integra in *Codicem Iustinianeum* relata est, verum primum eius caput tantum, quod constituit *legem 5. Cod. eod. tit.* De secundo capite a Triboniano prætermisso, mox dicam. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Antiochenum*, de quo mox. *ID.*

(c) Christianorum audaciam in demoliendis Sepulchris necquicquam a Constantio repressam, & iam licentia quadam inolitam intelligit. *ID.*

(d) *Defunctorum*, Tribonianus. Porro hunc locum male ita restringit Carolus Neapolis *ad 4. Fastorum Ouid. v. 750. pag. 290. edit. Cl. Burmanni. Pergit audacia, vt quidam in busta diem functorum & aggeres consecratos seuiant.* Mox, *Sed ornamenta tricliniis aut porticibus auferant de Sepulcris. ID.*

(e) Vide *legem 4. D. de Sepulchro violato. ID.*

(f) *Et terram euertere*, Tribonianus. Verum *sollicitandi* vox hac in re propria, de quo mox. *ID.*

(g) *Euellere*, Cod. Iust. *ID.*

(h) Ex hoc vngue leonem agnosce: Tribonianus vocem *nostri* hic addidit, de quo mox. *ID.*

(i) *Sed &*, Cod. Iust. recte. *ID.*

(k) Veluti columnas & marmora, quorum vsus ad porticus & triclinia, & peristylia, ficinæ, signa, sigilla. *ID.*

(l) *Quædam*, Cod. Iust. *ID.*

(m) *Auferre*, ita Tribonianus. *ID.*

(n) Recte ita: Tribonianus *primo*: Male. Quid quod, Tribonianum illam vocem penitus omisisse oportuit, quandoquidem *secundum* repudiarit. *ID.*

(o) De *piaculi* voce, dixi ad *l. 2. sup. ID.*

(p) *Incidat contaminata religio defunctorum*: ita Tribonianus satis incondite. Non enim religio incidit in piaculum, sed violatores incidunt in piaculum propter contaminatam Religionem. *ID.*

(r) *Defunctorum*, Tribonianus; qui tamen superius vocem *busti*, retinuit. Verum id factum illi hic, quod religionem bustorum ipsorum nullam agnosceret. *ID.*

(s) *Pœna Sacrilegii.* Ita Tribonianus, subducta mentione *Manium*, pariter *vt l. 4. initio. IDEM.*

(t) Hactenus *lex Cod. Iust. ID.*

* *Secundum* hoc Edicti istius caput Tribonianus repudiauit, de quo mox plura. Certe ab hoc *titulo* fugitiuum est. *IDEM.*

(v) *Efferendi* vox, vt dupondio cuiuis notum, hac in re propria. *ID.*

(x) *Insistentes* vocat homines plateis insistentes, vt inculcantem dixit populum Aggenus Vrbicus in Frontinum *lib. 1. de locis sacris, pag. 61. edit. Goes.* Insistere, est in aliquo stare. *ID.*

(y) Vir-

(y) Virgiliana rursum imitatio. *Æn. VI. v. 150.*

totamque incestat funere classem.

Vide & quæ dixi *ad l. 13. supr. de re militari, not. m.* *ID.*

(z) Secunda hæc ratio est Iuliani. *ID.*

(aa) Tertia Iuliani ratio. *ID.*

(bb) Malim &. *ID.*

COMMENTARIVS.

IVLIANI Apostatæ constitutio isthæc est, seu Edictum ad populum: *Iuliani*, inqam, vt non tantum ipsius Iuliani nomen *huic legi* diserte inscriptum testatur: verum etiam indicant Consules subnotati: vt & indicium facit *lex* ipsa, Gentilitiæ superstitionis plenissima; cuius vestigia mox *sub finem* colligam: tandem & argumentum ipsum euincit. Et quidem ad populum Antiochenum, in quem qualis Iuliani Apostatæ animus fuerit, iam aliunde notum est, vtpote qui potissima parte Christianus erat: Sane Iulianus ipse, in *Misopogone pag. 357. edit. Spanhem. Lipf.* fatetur, totum populum Antiochenum impietatis sectam (sic impius ille Christianam Religionem vocat) sectari, eiusque ciuitatis Christum fuisse πολιȣ̃χον, veluti *Numen tutelare* ab ipsis Ciuibus habitum, & vehementer cultum.

Duo igitur circa sepulturam & sepulchra in Populo Antiocheno reprehendit Iulianus, quorum prius pœna persequitur; alterum sine vlla sanctione abolere gestit: rursum quorum prius, vtpote superiorum Principum Christianorum Constitutionibus conueniens, resecatis tamen Gentilitiæ superstitionis vestigiis, Iustinianus probauit, atque in *Codicem suum* retulit: posterius vero moribus Christianorum iam receptis aduersum, mox vt dicam pluribus, repudiauit, & ab hoc *titulo* quoque alienum est.

Primo igitur capite Iulianus pœnam statuit in *Sepulchrorum violatores*, quos quidem duum generum hic constituit. Scilicet Antiocheni Christiani non modo ornatum sepulchrorum minuebant, ex porticibus & tricliniis sepulchralibus columnas & marmora ad ædificia sua transferentes, verum etiam sepulchra dissipabant, terra sollicitata, cespite vulso, titulis etiam procul dubio erasis, statuisque & aris detractis. Fuit hæc scilicet Christianorum, inualescente Christiana Religione, vt in templis, ita & in sepulchris euertendis, vt Iulianus vocare voluit, *audacia*, siue potius zelus; qui si remissior fuisset, Tituli saltem stetissent, cadauera ipsa non inquietarentur: & hoc sine stetisset superstitionis euersio, bonum factum pronunciarent omnes: Sed id ita exigere visa sunt tempora: & necquicquam, id est, frustra a Christianis ante Iulianum Imperatoribus, ciuilibus de causis, a Iuliano vero religionis Maiorum amore, vt hoc Edicto satis indicat, repressum. Sane post Iulianum nulla amplius talis constitutio in sepulchrorum euersores promulgata extat.

Porro *pœna Manium vindice* sepulchrorum euersionem vindicaturum se Iulianus minatur, pro quo Tribonianus pœnam *sacrilegii* reposuit, quandoquidem facinus hoc *proximum sacrilegio* hac eadem *lege* vocatur, de quo vid. & Kirchmannum *de funer. Rom. lib. 3. c. 24.* Et ita *in fin.* veteris Poëmat. quod *L. An. Senecæ* tribuitur in Epigrammat. & Poëmat. Veter. P. Pithæi, *pag. 37.*

Res ea sacra miser noli mea tangere fata,
Sacrilegæ bustis abstinuere manus.

Hinc & *commune crimen læsarum Religionum*, pro crimine sepulchri violati, apud Tacitum, eodem sensu, quo *l. 1. Cod. Iust. de Sepulch. viol. læsæ Religionis crimen* dixit Gordianus. Quæ de *Piaculi* voce superius notaui, huc quoque faciunt. Neque tamen his Iuliani verbis singularis aliqua pœna indicatur, verum solemnem & statutam pœnam intelligit, qua scilicet Manes defunctorum vindicantur. Et hæc de primo huius Edicti capite.

Secundum caput (ab hoc vt dixi *titulo* alienum, atque a Triboniano repudiatum, vt & *lex* prox.) in Christianos pariter hoc æuo directum est, & moribus Christianorum aduersum; vt mirari subeat Theodosium Iuniorem, vel potius eos, qui Theodosio Iuniori in *hoc Codice* conficiendo operam nauarunt, id retinuisse, quod est *de Tempore efferendi cadaueris seu funeris, Exequiarumque*; quodque post Iulianum non obtinuit.

Quod vt melius & distinctius intelligatur, *Maiorum*, id est, Gentilium hac parte mos, quem Iulianus hoc Edicto reducit, & vice versa Christianorum hac parte obseruantia, quam abolitam cupit; retractandus nobis est: tum Iuliani rationes expendendæ. Igitur de Gentilium more, passiua obseruatio est: deque eo plene Kirchmannus *de funerib. Rom. lib. 2. c. 2.* ita Seruius ad illa *Æn. lib. XI. v. 142.* P. 146

Arcades ad portas ruere, & de more vetusto,

Antea, inquit, *per noctem cadauera funerabantur cum facu lis.* Donatus etiam *in Andriam Terentii* ad illa, *Act. I. Scen. 1. v. 81. Curabat vna funus: Funus*, inquit, *est pompa exequiarum, dictum a funalibus: etenim noctu efferebantur.* Rursum idem Seruius *dict. lib. XI. Æn.* ad hæc verba, *v. 143.*

Funereas rapuere faces:

Sed apud Romanos moris fuit, vt noctites [ita habent libri, id est per noctem, quanquam alii legunt *noctibus*] *efferrentur ad funalia; vnde etiam Funus dictum est.* Et mox: *Inde etiam qui funeri præerant, a vespera primum Vesperones dicebantur, deinde Vespillones dicti videntur.* De Græcorum instituto quoque dubium nullum est, siue ex Solonis *lege*, vt vult Demosthenes περὶ ἁγνίȣ κλήρȣ λόγῳ, *pag. 1037. edit. Hieronym. Wolff. Francf. 1604. in f.* siue ex Demetrii Phalerei, vt vult Cicero *lib. 2. de legib. cap. 26.* mortuos elatos ante lucem, seu Solis ortum, πρὶν ἥλιον ἐξέχειν, vt habet Demosthenes *l. c.* Et tamen Romano more non omnia funera promiscue de nocte elata, sed priuatorum tantum & plebeiorum, & acerba funera, vt ex Dionysio Halicarnasseo *lib. 4. cap. 47.* constat, vbi dicit, vxorem Tullii, mariti occisi cadauer, *vt hominis priuati & plebeii*, noctu extulisse. Idem liquet ex Tacito *lib. 13. Annal. cap. 17.* & ex Seruio *l. c.* Igitur vulgaria tantum funera, & priuatorum, more Romano noctu elata fuerunt, Potentiorum vero & indictiua funera, vt ex Varronis *lib. 4. de Lingua Latina colum. 6. & 8.* edit. *Dionys. Gothofred.* itemque ex Festo *voc. indictiu. funus*, colligere satis licet, mero die. Et hæc de more Gentilitio, quo sane cadauera de nocte translata Paulus testatur *lib. 1. sent. t. vlt. §. 1.* Quanquam sunt, qui cadauera Pauli seculo *translata* quidem, at non *elata*, primum produnt: quandoquidem Paulus nulla primæ elationis mentione facta ita scribat: *Corpus iam perpetuæ sepulturæ traditum solemnibus redditis sacrificiis, per noctem in alium locum transferri potest.* Vnde sic colligunt, translationem de nocte fieri oportuisse, at non etiam elationem primam. Verum sciendum est, Paulum in translatione *noctem* nominatim exigere: quod videretur *translatio* etiam de die fieri posse, etsi *elatio* noctu tantum fieri

fieri deberet. Sane minus funestum occursum, & minus ominosam reliquiarum ex interuallo translationem visam, (sicut de die, posse fieri videretur,) quis non apud se reputet?

Certe post Christianæ fidei & Religionis Constantino Imperatore res stabilitas, mero die Christianorum exequias celebratas; vel hoc Iuliani Edicto docemur. Refragari tantum videtur Ambrosii locus *libro de Viduis circa fin. pag. 510. Tom. IV. Oper. edit. Paris. Felicis Cardinal. de Monte Alto.* quo loco viduam alteras post mariti decessum nuptias repetentem, amissis liberis, sic compellat & dehortatur: *Nonne, iterum*, inquit, *passura quod repetit, & ad ipsos votorum tumulos, exceptarum orbitatum imagines, lamentorum strepitus perhorrescit? vel cum accensis funalibꝫ nox ducitur, nonne pompæ funebris exequias magis putat quam thalamum præparari?* Verum non vult eo loco Ambrosius ad noctem exequias celebrari, sed ritum nuptiarum cum ritu funeris componit. Vt in funere, ita & in nuptiis faces vsitatæ. Hinc illud de matrimonio iunctis, apud Propertium *IV. Eleg. 12. v. 46.*

Viximus insignes inter vtramque facem:

Et sub noctem accensis facibus noua nupta in domum mariti deducebatur. Ait igitur Ambrosius, ipso nuptiarum die funalia illa accensa non minus exequiarum ritum præ se ferre, quam nuptialem deductionem, non quod tempus tempori respondere contendat. Et hæc pariter de Christianorum disciplina, quam abrogare nocturna elatione prisca reducta satagit Iulianus hoc Edicto. Etsi non desint, qui nouum Ius a Iuliano hic sanciri prodant, sed male.

Nunc de tribus rationibus, quas Iulianus adducit ad stabiliendas nocturnas exequias, videndum est. Eas vero partim ex prisca Theologia Romana, partim e penitiore Philosophia, qua ipse Iulianus non tinctus sed imbutus plane erat, desumit.

Prima ratio, vt dixi, e iure Pontificio desumpta est, qua & ipsa Maiores nocturnam elationem induxere. Est autem hæc, quod videlicet funeris adspectu funestari, ac proinde ad sacra ineptos reddi iure Pontificio creditum esset: *Quod quidem*, inquit, *oculos hominum infaustis incestat aspectibus, qui enim dies est bene auspicatus a funere? aut quomodo ad Deos & templa venietur?* Et mox: *Liberari conuenit populi totius aspectus.* Quibus concinit Donatus *in Andriam Terentii l. c. Noctu*, inquit, *efferebantur propter sacrorum celebrationem diurnam.* Item Seruius *lib. XI. Æneid.* ad verba illa *supr. citat. Rapuere faces. Quia*, inquit, *in religiosa ciuitate cauebant, ne aut Magistralibus occurrerent, aut Sacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari.* Eaque ipsa ratione vel certe simili Paulus, *1. sent. Tit. vlt. de Sepulchris & lugendis*, §. 2. corpus in ciuitatem inferri non licere scripsit, *ne funestentur*, inquit, *Sacra ciuitatis*, de quo omni plenius ad *leg. prox.* Et tamen refert Gellius *lib. 10. c. 15.* ex Fabii Pictoris *lib. 1.* etsi fas non esset, Flamini Diali locum in quo bustum erat, ingredi, & feralia tangere, funus tamen exequi religioni non fuisse. Quod etiam de Pontifice discimus ex Seneca *Consolat. ad Marciam c. 15.* & Tacito *Annal. lib. 1. c. 62.* & id perperam negat Dio *lib. 54.* de Augusto loquens, qui habebat orationem in funere Agrippæ, tanquam Pontifex M. Vid. Kirchmannum *lib. 2. c. 21.* Neque tamen hæc sunt contraria. Non fuit religioni Pontifici funus exequi de nocte, quo tempore Sacra non celebrabantur: religioni fuisset de die, vt in indictiuo funere: vide exemplum in Tiberio apud Dionem *lib. 56.* in funere Cæsaris Augusti, quo tempore Sacrorum celebratio diurna, vt loquitur Donatus, fiebat. Itaque errat Baronius *Annal. in A. D. 363. n. 22.* Sed & alii, cum rationem hanc, qua Iulianus vtitur, a prisco iure Pontificio alienam produnt. Incestari quippe oculos hominum & conspectu funeris diurno, & funeris prosecutione diurna, iure Pontificio creditum est. Nam & ita Virgilius, iuris Pontificii callentissimus, quem Iulianus imitatus videtur, de Palinuri cadauere insepulto:

Æneid. lib. 6. v. 378.

Nam tua finitimi, &c.

Vt proinde nisi lustratione facta, ad templa & Deos a funeris conspectu vel exequiis prodire fas non esset. Seruius *ad Æn. XI. v. 2. Consuetudo Romana fuit, vt polluti funere minime sacrificarent*, &c. De simili apud Græcos superstitione testis Lucianus *de Dea Syria:* & Euripides *Iphig. in Taur. v. 380. sqq.* quæ loca indicauit Kirchmannus *d. lib. 2. c. 21.*

Secunda Ratio, vt dixi, e Philosophiæ penetrali desumpta a Iuliano Imp. & ipso maxime Philosopho, hæc est: *quod dolor in exequiis secretum amet:* quod dolor in funeribus esse debeat, non pompa exequiarum, aut ostentatio. Quibus pene verbis iisdem de Regulo filium lugente Plinius *lib. 4. Ep. 2. Nec dolor*, inquit, *erat ille, sed ostentatio doloris.* Et de Gellia patrem nunquam deflente nisi præsentibus testibus, Martialis, *lib. 1. epigr. 34.*

Non dolet hic, quisquis laudari Gellia, quærit:
Ille dolet vere, qui sine TESTE DOLET.

Capitolinus *in Antonin. Pio cap. 10. Cum Marcus mortuum educatorem suum fleret, uocareturque ab aulicis ministris ab* OSTENTATIONE *pietatis.* Vt omittam cætera quæ aduersus ostentationem luctus, siue doloris ἐπίδειξιν, φιλοτιμίαν, κενοδοξίαν & aduersus pompam exequiarum, & vetus Iurisprudentia & Philosophorum Schola sanxit. Ad hanc mentem est illud Senecæ *de Tranquillit. cap. 1.* p. 147. *Minus molestiarum habet funus tacitum.* Vbi *tacitum funus* est sine pompa exequiarum, sine ostentatione; secretum dolorem amare dicit Iulianus, de quo dicam etiam aliquid ad *l. 4. inf. de fals. mon.*

Tertia & postrema Iuliani ratio est ex persona defunctorum petita, quod videl. diem functis nihil intersit, vtrum per noctes an per dies efferantur: Vbi nouiter dici obserua, *diem functis nihil interest.*

Potuit & hæc Quarta ratio adiici, quam Cicer. *2. de legib. cap. 26.* Demetrio fuisse scribit, *sumptui*, inquam, *minuendo. Iste igitur*, inquit, *sumptum minuit non solum pœna, sed etiam tempore: ante lucem enim iussit efferri.*

Nunc sub finem hic colligere iuuat, etsi breuiter, quæ ad rem sepulchralem pertinentia hic continentur complurima, siue vocabula propria, Gentilitiæque religionis hic vestigia. Voces primum notandæ *Bustorum*, *Aggerum*, & quidem *consecratorum lapidum Sepulchri* (de quibus vid. & *l. 4. D. de sepulchr. viol.*) vox item *sollicitandi.* Sic Valent. *Nou. 5. Quis nescit quietos sollicitari funestis ausibus Manes.* Quomodo & Veteres ad mentionem mortuorum, testati sunt, *non memoriam eorum sollicitari:* auctore Plin. *lib. 28. c. 2.* Seneca *in Octauia, Actu 1. Sc. 3. in fin.*

Renouare luctus parce cum fletu, pios
Manes parentis neue sollicita tua.

Cespitis dein vox notanda, & *cespitem vellere:* Sic Sidonius Apoll. *lib. 3. ep. 12.* de Sepulchro violato pariter agens. *Quæ fuit causa vt locum auderent tanquam vocantem corporum, baiuli rastris funebribus impiare. Quid plura? iam niger Cespes ex viridi, iam supra antiquum Sepulchrum glebæ recentes.* Diuus Hieronymus *ad Innocentium, de muliere septies icta, in fine pag. 153. Tom. I. Oper. edit. Francf. apud Christ. Gensch. Recens a Clericis cespes ostenditur, & dudum superiecta humus.* Imitatione Virgiliana *Æn. 3. v. 304.*

- - *nauesque vocabat*

Hecto-

Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem, &c.

Nota etiam memorari hic *Ornamenta* Sepulchrorum: & quidem, quod & ipsum notandum, duplicia, vel in Tricliniis, vel in Porticibus Sepulchrorum: vbi ornamenta sunt, columnæ, marmora, de quibus *l. 2. sup.* ornatus, *d. l. 2. Triclinia Sepulchralia* erant, in quibus epulum datum ex testamento. Horum mentio apud Ciceronem *pro Murana cap. 36.* Vetus Inscriptio, apud Gruterum CCCCLXI. hinc lucem accipit.

A. QVINCTILIO. A. F
PAL. PRISCO
IIII. VIR AED. POTEST. IIII VIR IVRE
DIC. IIII. VIR. QVINQ. ADLECTO. EX. S. C.
PONTIF. PRAEF. FABR

VS. OB. EXIMIAM. MVNIFICENT. QVAM. IN. MVNIC
SVOS. CONTVLIT. SENAT. STATVAM. PVPLICE. PONEND. IN. FORO. VBI. IPSE
VELLET. CENSVERE. H. A. I. R. HIC. EX. S. C. FVNDOS. CEPONIAN
ET. ROIANVM. ET. MAMIAN. ET. PRATVM. EX. OSCO. AB. R. P. REDEM.
H-S. LXX. M. N. ETINAVIT. R. P. REDDID. EX. QVOR. REDITV. DE. H-S. IV-M. CC.
QVOD. ANNIS. VI. ID. MAI. DIE. NATAL. SVO. PERPET. DARETVR. PRAESENT.
MVNICIPIB. ET. INCOL. ET. MVLIERIB. NVPTIS. CRVSTVL. P. I. MVLSI. HEMIN
ET. CIRCA. TRICLIN. DECVRIONIB. MVLSVM. ET. CRVST. ET. SPORTVL. H-S. X. N.
ITEM. PVER. CVRIAE. INCREMENT. ET. VI. VIR. AVG. QVIBVSQ. V. V. E. CRVST
MVLSVM. ET. H-S. VIII. N. ET. IN. TRICLIN. MEO. AMPL. IN. SING. H. H-S. I. N. ET. IN. ORN
STATVAE. ET. IMAG. MEAR. RES. P. PERPET. H-S. XXX. N. IMPEND. ARBITR. IIII. VIR
AEDILIVM. CVRA. FAVORABIL. EST. SI. PVER. PLEBEIS. SINE. DISTINCTIONE. LIBER
TATIS. NVCVM. SPARSION. MOD. XXX. ET. EX. VINI. VRNIS. VI. POTIONVM
EMINISTRATION. DIGNE. INCREMENTIS. PRAESTITERINT.

Porticuum Sepulchralium frequens mentio in *monumento Ancyrano*, quod vides in Suetonii editionibus plerisque. περιπάτυς vocat Strabo *Geograph. lib. 5. pag. 361. edit. Almeloween.* de Mausoleo Augusti scribens, περιπάτυς θαυμαςὺς ἔχων: & *in circuitum porticationes* dicuntur Macro *l. 37. §. 1. D. de Religios.*

Notetur & *Piaculi* vox, de qua ad *l. 2. sup.* Item *contaminata religio bustorum*; *& pœna Manium vindex*: quæ iam *supra* illustraui.

Tandem ad MAIORES prouocare Iulianum nota: *proximum*, inquit, *sacrilegio Maiores semper habuerunt:* vbi indicio suo sese sorex prodit: Idem ille scil. Iulianus est, qui scribebat *leg. vn. sup. de longa consuetud. Venientium esse temporum disciplinam, instare veteribus institutis:* vbi vide quæ notaui eam in rem plura. Tribonianus vocem, *Nostri*, hic addidit; quod a Christiano dictum, non vsquequaque verum est: ex ore *Iuliani*, verissimum, omniumque adeo Gentilium, qui maiorum institutis Christianos premebant: vide saltem Tertullianum *2. ad Nationes, cap. 1.*

Aduersus SEPVLTVRAM *Vrbanam intra Vrbem Constantinop. Theodosii M. Lex.*

VI. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & THEODOSIVS AAA. Pancratio P. V. (b)

OMNIA, quæ supra (c) terram vrnis clausa, vel sarcofagis (d) corpora detinentur, extra vrbem delata ponantur, vt & humanitatis instar (e) exhibeant, & relinquant incolarum (f) domicilio sanctitatem. (g) Quisquis autem huius præcepti neglegens fuerit, adque aliquid tale ab (h) huius interminatione (i) præcepti ausus fuerit moliri, tertia (k) in futurum patrimonii parte multetur. Officium quoque, quod sibi (l) paret, quinquaginta librarum auri affectum dispoliatione (m) merebitur. (n) Ac ne alicuius fallax & argu-

& arguta sollertia ab huius se praecepti intentione subducat, atque Apostolorum * vel Martyrum sedem (o) humandis (p) corporibus aestimet esse concessam, ab his quoque, ita vt a reliquo (q) ciuitatis, nouerint se atque intellegant esse submotos. (r) Dat. III. (s) Kalend. Aug. Heracleae, Eucherio & Syagrio coss. [381.]

NOTAE.

(a) Abesse voluit Tribonianus hanc *legem* a suo *Codice* excepta postrema sententia. Baronius quoque perperam *hanc l.* omisit: quae tamen ad historiam Ecclesiasticam spectat. GOTHOFR.

(b) *Pancratius* sub Theodosio M. P. V. Constantinopolitanae: quod non temere moneo. Eidem inscribitur anno proximo 382. *lex* 1. *inf. de habitu quo vti oportet: lex* 3. *sup. de Cognitoribus:* & A. D. 389. *lex* 4. *inf. de Aquaeductu.* vid. *Prosopogr. ID.*

(c) De hoc mox in *Commentario. ID.*

(d) De *Sarcofago* res & obseruatio protrita est. *ID.*

(e) *Exemplum, exemplar,* INSTAR *ἀντίτυπον*, Glossae Cyrilli recte interpretantur: eaedem *ἀπεικόνισμα speciem,* INSTAR, effigiem. De hac voce vide & Seruium ad *Æn. II. v.* 15. Instar quoddam operis, & quasi facies quaedam facta operis, dicit *l.* 21. §. 3. *D. de operis nou. nunciat.* Iuxta, instar. *l.* 3. *supr. de palat. S. L.* vbi tamen a nonnullis ea lectio male sollicitatur. Rursum *l.* 142. *infr. de Decurion. Cum duae partes ordinis in vrbe positae totius Curiae instar exhibeant.* Item donationis instar obtinere, *l.* 3. *sup. de dotibus.* Vbi recte Anianus *similitudinem donationis*, explicat. *ID.* P. 148

(f) Id est, *Ciuium. ID.*

(g) Est qui tentat *sanitatem:* sed male. *ID.*

(h) Id est, post huius interminationem praecepti. *ID.*

(i) De *interminationis* voce vide *Glossar. ID.*

(k) Tertiae bonorum partis multam obserua. *ID.*

(l) *γρ. Tibi:* alloquitur scil. Theodosius Praefectum vrbi, de cuius officio nunc agit. *ID.*

(m) *Dispoliatio* i. e. multa. vid. *Glossar. ID.*

(n) *γρ maerebit:* quamquam & retinere quis posset, *maerebitur. ID.*

* Hinc desumpta est *Lex,* 2. *Cod. Iust. de Sacros. Eccles.* Quae sic habet: *Nemo Apostolorum & Martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam.* Valde ad hanc *legem* pertinet Concilii Triburiensis *Canon* 17. *pag.* 444. *Tom. VI. Concilior. edit. Harduin. ID.*

(o) Quid *sedes* sit? vide *Commentarium. ID.*

(p) Recte ita: perperam in Cod. Iust. *humanis:* qua corrupta lectione Doctores in errorem inducti, quo fine haec *lex* scripta fuerit nesciunt, & ideo inanes ad eam *legem* quaestiones cumulant: Et tamen *humandis* in ea *lege* editum fuisse Graeci agnoscunt, & ostendunt *Basilica lib.* 5. *tit.* 1. *c.* 2. & ex iis *Synopsis* a Leonclavio edita *lib.* 3. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 35. *μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ θαπτέτω νεκρόν.* Similis error in *l. prox. inf.* Vbi pro *humatum corpus*, perperam iterum habet Cod. Iust. *humanum. ID.*

(q) Id est, a reliquis ciuitatis locis. *ID.*

(r) Poena in cuius disquisitione laborat Accursius, ex superiore sententia repetenda est. *ID.*

(s) *IV. Edit. Cuiac.* prior, & illa in 4. RITTER.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duae constitutiones sequuntur; e quibus prior haec non est de sepulchris violatis: seu de sepulchrorum sanctitate (quod alioquin *huius tituli Rubrica* praefert, seu pollicetur:) verum contra, de ciuitatum sanctitate non violanda per sepulturam vrbanam: scilicet vrbana sepultura, vt in vrbe Roma atque in caeteris vrbibus prohibita iam olim fuit, ita & in vrbe *Constantinopolitana* hac Theodosii M. constitutione prohibetur. Nempe & ante *leges XII. Tabul.* extra vrbem Romam funera elata, ibique sepulta Regum ipsorummet corpora, Romuli & Numae exemplis adparet, quorum ille in Ianiculo, qui tum extra vrbem erat, hic pariter extra vrbem elatus. Quanquam eo ipso tempore ante XII. inquam Tabulas, virtutis ergo nonnullis a Senatu vrbana sepultura concessa. Sane *lex* 12. *Tabularum* iam nemini non nota est: *Hominem mortuum in vrbe ne sepelito, neue vrito.* Post ea vbi haec consuetudo labefactari coepit, relata ea *lex* subinde, veluti Consule Duillio, vt memorat Seruius ad illa *Æn. XI. v.* 206. *Finitimos tollunt in agros.* Imperatores eandem quoque retulere, qui iidem hanc prohibitionem ad reliquas orbis Romani vrbes seu municipia extenderunt, & poenam insuper siue multam addiderunt. Quod quidem Hadriano adscribit Vlpianus in *l.* 3. §. 5. *D. de sepulchro violato.* Quod tamen Antonino Pio adscribit Capitolinus in *Anton. Pio cap.* 12. *Intra vrbes*, inquit, *sepeliri mortuos vetuit.* Itaque adlaborant viri docti in conciliando Vlpiano cum Capitolino. Audio virum Doctum ita conciliantem, Burgium, inquam, *Elector. cap.* 4. *pag.* 316. *Tom. I. Thesaur. Iur.* Antoninum Pium eundem cum Hadriano videri, quod Antoninus Pius ab Hadriano adoptatus fuerit: Quod vix est vt admittatur; quandoquidem Hadriani nomen Antoninum Pium tulisse ne lapides quidem loquuntur. Itaque vel Capitolini *μνημονικὸν ἁμάρτημα* est, vel ab vtroque factum id oportet. Sane Hadriani constitutionem ad omnes vrbes, non ad vrbem Romam tantum pertinuisse *d.* §. 5. liquet. Diceret alius, Diui Hadriani constitutionem illam non fuisse, sed rescriptum tantum: Diui Pii vero, constitutionem: inter quae duo quantum sit, norunt Iurisconsultorum filii. Denique diceret alius, Hadrianum coepisse intra Ciuitates tantum, id est Metropoles (id enim *ciuitatis* appellatio iure nostro proprie significat, vt alibi doceo pluribus) sepulturam prohibere, Antoninum vero Pium promiscue intra vrbes seu municipia omnia.

Dubitari tamen postea coepit, & vero ab Vlpiano (qui sub Antonino Caracalla scripsit) tractatur, an post haec Principum rescripta, seu Imperialia statuta, ex lege municipali in Ciuitatibus nihilominus sepelire liceret; id est, si lex vetus municipalis id permitteret? Ratio dubitandi haec erat, quod rescripta Imperatorum siue statuta viderentur tantum

inolescenti aduersus veterem consuetudinem in ciuitatibus sepeliendi mori occurrisse, ac non etiam leges municipales euertisse, quibus videlicet in nonnullis municipiis ex antiqua recepta probataque consuetudine siue lege, intra nonnulla municipia sepeliri ius erat. Et tamen definit Vlpianus, ab hoc discessum esse post illa rescripta principalia, atque adeo leges huiusmodi municipales ait abolitas, quia scilicet generalia sint illa rescripta, & oporteat imperialia statuta *suam* [summam] vim obtinere, & in omni loco valere.

Ex hoc interim Vlpiani tractatu apparet, Hadriani constitutum non ideo factum, ad leges huiusmodi municipales abolendas, quod tamen tradidit Vir doctus, quandoquidem Vlpiani tractatus ille siue dubitatio post huiusmodi rescriptum demum enata est: Sane multo minus Christianorum occasione id factum fuit; quia tantum abest intra vrbes sepelire tum voluerint potuerintue, vt ne Christianis quidem esse aut videri licuerit. Stetit igitur hoc ius sub Iurisconsultis nostris: itaque & Paulus, *l. sentent. tit. vlt. §. 2. Corpus*, inquit, *in ciuitatem inferri non licet*, (a) *& qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur*. Secutum est postea rescriptum Diocletiani & Maximiani in *l. 12. Cod. Iust. de religiosis & sumptibus funerum*, quo sanctio hæc siue prohibitio recentata. Verum hæ *leges* magis magisque exolescere cœperunt, & quidem vario prætextu & variis occasionibus, vt hæc Theodosii lex quoque docet, qua id prohibetur. De qua alioquin prohibitione est quoque insignis locus Chrysostomi *hom. 73. in Matth. num. 3. pag. 711. Tom. VII. Oper. edit. Benedictin.* seu *Homil. 74. pag. 781. edit. Parif.* & *pag. 634. edit. Commelin.*

Cæterum prohibitionis huius ratio, cur videlicet extra vrbana, imo plerumque suburbana, veteres *legum* Conditores sepulchra esse voluerint, duplex fuit; & vero duplex *h. l.* adsignatur.

Prima ratio, vt videlicet extra vrbem in agris (de quo dictum ad *l. 2. sup.*) & ad vias publicas sepulchra constituta *humanitatis instar exhiberent*, id est humanæ conditionis & fragilitatis viatores & commeantes admonerent. Quam ipsam rationem assignat Varro *lib. 5. de lingua latina pag. 38. edit. Dionys. Gothofr. int. Auctor. LL. Sepulchra*, inquit, *ideo secundum viam sunt, quo prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales. Humanitatis instar*, est exemplar humanæ fragilitatis. *Memoria humanæ conditionis* vocatur, *l. penult. D. de cond. institut.* Quo pertinent & tituli sepulchorum: *Aspice, siste, caue viator*, & similes. Mitto notare quæ ab aliis alibi iam notarunt de viis, ac nominatim vrbis Romæ, in quibus sepulchra.

P. 149 Secunda ratio, sed diuina, hæc adfertur, *vt ita relinquatur incolarum domicilio sanctitas.* Quæ ipsa ratio a Gentilibus quoque suo sensu redditur: Sic Paulus, *in sententiis lib. 1. tit. 21. §. 2. Corpus in ciuitatem inferri non licet, ne funestentur Sacra Ciuitatis.* Sic Imperatores Diocletianus & Maximianus *d. l. 12. Cod. Iust. de religios. Ne sanctum municipiorum ius polluatur.* Quam ipsam rationem nocturnæ elationis ad *leg. superiorem* adsignabam. Quod vt melius adhuc intelligatur, videri cupio qui de *Funere Romano* scripsere. Res eo redit: Diis superis sacrata solo aspectu vel contactu rei funestæ contaminari credita: Sacerdotibus ferme religioni fuisse vel funus videre, vel locum funestum ingredi. Statuas etiam Deorum velatas aut translatas, si quæ in loco positæ essent, vbi crebra supplicia & cædes: funere pollutis sacrificare nefas fuisse. De quo *ad legem superiorem* dictum fuit. Quinimo inauspicatum omen habitum & vicinum sepulchri, si quis forte in sepulchra inciderit, vt testatur Liuius *lib. 30. cap. 25. in fin.* Ammianus Marcellinus *lib. 31. cap. 2.* Theodoretus *serm. 8. de Martyrib.* & Theophrastus *in charactere superstitionis pag. 47. edit. Casaubon. Lugd. 1612. in 8.* vbi consulendus Commentarius & Wowerus *ad Minut. Octau. cap. 8. pag. 83. edit. Gronou.* item Kirchmannus *de funer. lib. 2. cap. 21.* Neque ab his omnibus abhorrent quæ leguntur *Leuitici 21.* & *2. Reg. cap. 23.* Alias tamen quoque rationes adsignatas reperio. Cicero hanc refert *lib. 2. de legibus cap. 23.* Quod iniquum esse putarunt locum publicum priuata religione obligari. Redditur & hæc ratio ab Isidoro *lib. 15. origin. c. 11.* ne fœtore ipso corpora viuentium contacta inficerentur. In vita S. Vedasti *c. 10. quia omnis ciuitas locus debet esse viuorum non mortuorum.*

Sententia igitur Theodosii *hac lege* hæc est: Extra vrbem esse deferenda & vrnas & Sacrophagos. *Vrnæ*, in quibus ossa cineresque mortuorum condit, clausi, vt ex *hac lege* discimus, *supra terram* ferme eminebant. Idque luculentissime ex lapideo monumento vrnarum siue ollarum quatuor, quod Romæ extat, apparet: quod exprimit Gutherius *de iure Manium lib. 2. p. 110.* Romanorum monumenta supra terram extabant ὑπέργεια (vt Græcorum ὑπόγεια: Ideo Petronius dixit in *Hypogæo*, *Græco more*, *cap. 111. pag. 53. edit. Lugd. B. apud. Ioan. Maire*, de matrona Ephesina differens,) quia scil. (quod hic etiam locus aperte docet) in vrnis cineres erant. At corpora integre sepeliebantur in subterraneis & cryptis (cuiusmodi cryptas memorat Hieronymus *lib. 12. in Ezechiel. cap. 40. pag. 443. 444. Tom. V. Oper. edit. Francf. apud Christianum Genschium*, & Gregorius Turonensis *lib. 1. hist. Francor. cap. 39*) speluncis ob cadaueris fœtorem, quæ hic Sarcophagi. *Sarcophagus* πύελος fuit quo integrum cadauer ἐν ὑπογαίῳ condebatur.

Hinc interim apparet duplicem sepulturæ morem hoc æuo fuisse, cinerum videlicet & ossium condendorum; & totius corporis non vstulati. Quare & hæc ita passim distinguuntur *ossa, & corpora* vel reliquiæ hominis, & corpus. Nam & humatio & combustio communiter apud Romanos vsurpata fuit, ita quidem, vt ex *h. l.* appareat νεκροκαυσίαν hoc Theodosii M. seculo adhuc vsurpatam: etsi fortasse non æque, vt humatio. Verisimile enim Religionis Christianæ in dies magis magisque inualescentis disciplinam, ritum hunc Gentilem paulatim sustulisse, eumque ritum a Gentilibus adhuc aliquandiu sub Imperatoribus Christianis retentum. Sane Macrobius, qui sub Theodosio Iun. vixit, quadraginta ferme annis post hanc *legem* (vt docet nos *lex vn. sup. de Præpositis sacri cubiculi:*) diserte scribit, morem illum suo tempore iam plane exoleuisse *lib. 7. c. 7. Licet*, inquit, *vrendi corpora defunctorum vsus nostro seculo nullus sit*, LECTIO *tamen docet, eo tempore, quo igni datis honor mortuis habebatur* &c. qui locus velut singularis

(a) Ad hæc verba scripsit CL. SCHVLTINGIVS. „Non hoc accipio de sepultura, cum Cuiacio ac Kirchmanno „*de funerib. Rom. lib. II. c. 21.* de illa enim statim erit sermo: Sed de illatione cadaueris aliunde in aliquam vrbem; quod verba ipsa volunt, quodque non videtur ex iure mero cuiuis licuisse pro suo arbitrio: ac quamuis „ex Edicto Seueri corpus non perpetuæ sepulturæ traditum liceat transferre: & ex Rescripto Diui Marci nullam merantur pœnam, qui corpus in itinere defuncti, per vicos aut oppidum transuexerint; non tamen debere „talia fieri sine permissu eorum, quibus talia permittendi ius est, *l. 3. §. 4. D. de sepulchr. viol.* vt adeo & hic „absque eo peccetur.

ris signandus est. Sane a Christianorum disciplina iam olim recepta ritus hic alienus fuit, & humationem, damnata νεκρομαντεία prætulit, vt apparet ex Minutio Felice, apud quem ita Gentilis de Christianis *cap. 11. Inde videlicet*, inquit, *& exsecrantur rogos, & damnant ignium sepulturas.* Cui ita Octauius respondet *cap. 34. Nec vt creditis, vllum damnum sepulturæ timemus, sed veterem, & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.* Et Tertullianus *lib. de Anima c. 51.* qui insuper rationem addit, eamque a pietate commendat, & humanitate. Posteaquam enim dixit quosdam credidisse, quasdam animas post mortem adhærere corporibus, alios, modicum animæ subsidere in corpore. *Et hoc enim*, inquit, *in opinione quorundam est, propterea nec ignibus funerandum aiunt, parcentes superfluo animæ. Alia est autem ratio* PIETATIS *istius, non reliquiis animæ adulatrix, sed crudelitatis, etiam corporis nomine aduersatrix, quod & ipsum homo non vtique mereatur, pœnali exitu impendi.* Idem Tertullianus *cap. 1. de Resurrectione carnis. At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque, cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus & promerens, & offendens. O pietatem de crudelitate ludentem! sacrificat, an insultat, quum crematis cremat?* Ex his apparet, disciplinam Christianam auersatam hanc cadauerum vstulationem, & in eam inuectam Sanctos Patres quosque, vt proinde iam nil mirum sit, si posteaquam Religio Christiana arcem Imperii, sceptrumque tenuit, circa quarti seculi tandem exitum quintique ingressum, mos ille penitus exoleuerit.

Itaque falluntur, qui ab Antoninis seu Diuis Fratribus eum abrogatum volunt, Capitolini loco *(in M. Anton. Philosoph. cap. 13.)* corrupto inducti, de quo obiter amplius aliquid videndum est; quoniam & varie legitur & varias recipit interpretationes: *Tanta autem pestilentia fuit, vt vehiculis cadauera sint exportata sarracisque. Tunc autem Antonini leges sepeliendi, sepulchrorumque asperrimas sanxerunt: quandoquidem cauerunt, Ne, vti quis vellet, fabricaret sepulchrum: quod hodieque seruatur.* Factum sane id A. D. 173. vt alibi probabo.

Duo igitur attendenda nobis sunt de *legibus* illis sepulchrorum, a Diuis Fratribus latis, quas memorat Capitolinus, nempe eas *asperrimas* fuisse: easque Capitolini etiamnum ætate seruatas, id est Diocletiano Imp. Vtrumque nobis perpendendum est, vt de legibus illis quænam fuerint, atque adeo quomodo locus ille Capitolini legendus sit, constare possit.

Est igitur vir Clariss. Claud. Salmasius, qui legit, *Ne quis belle fabricaretur sepulchrum*, quod ita in Codice quodam repererit, *ne quis velle fabricaretur sepulchrum:* vnde ipse *belle* conficit, haud magnæ mutationis negotio. Hoc sensu, Antoninos, sumptuose fabricari sepulchra vetuisse, atque adeo marmoribus & aliis eiusmodi decorari: breuiter decore & magnifice extrui: ne multum videlicet temporis impenderetur extruendis magnificis sepulchris, & mora illa retardarentur sepulturæ: quod minime oportuit grassante peste in tanta sepeliendorum hominum & fabricandorum sepulchrorum multitudine. Verum, vt omittam alia, non attendisse mihi satis videtur vir doctissimus, Lampridium dicere suo adhuc æuo Antoninorum constitutum illud seruatum: id est Diocletiani æuo. Atquin quis putet aut credere possit, nulli deinceps hac constitutione licuisse *belle*, id est sumptuose & magnifice sepulchra fabricare; cum toto hoc a Diuorum Fratrum temporibus ad Diocletianum interuallo, tot & tam magnifica passim sepulchra fuerint & memorentur extructa? Nonne Gordianus *l. 7. Cod. Iust. de Religiosis, statuas sepulchro superimponere, vel monumento, ornamenta ei, qui ædificasset,* QUÆ PUTARET *superaddere licere,* rescripsit? addita hac ratione; *cum iure suo eorum qui* MINUS PROHIBITA SUNT, *vnicuique facultas libera non denegetur.* Cl. Casaubonus vero ita emendat, *vt si quis succedere vellet, fabricaret sepulchrum*: hoc sensu, quasi incuriam hæredum circa defunctos vel indeuotionem Diui fratres *his legibus* coërcuerint, & tanquam indignis hereditatem ereptum iuerint ob sepulchrum non ædificatum. Verum neque hæc interpretatio aut emendatio stare potest: nam huic aperte refragatur *lex 5. Cod. Iust. de Religiosis:* & *lex 5. Cod. eod. de his quibus vt indignis.* Non est hæc, *neque* fuit, successionis amittendæ causa, si quis defuncto sepulchrum non ædificasset. Tertius, peius adhuc locum ita legit, *vt si quis vellet fabricaret sepulchrum.* Vbi enim asperitas illa, qua leges has Diuorum Fratrum præditas fuisse Capitolinus affirmat? Imo vero nihil esset iis humanius, nihil mitius, si hanc lectionem admiserimus, hoc sensu, sine fraude hæredibus esse debere sepulchro non extructo. p. 150

Verissima igitur huius loci lectio ea est, quam proposui, Luxum videlicet immodicum *his* Diuorum Fratrum *legibus* circa sepulchrorum fabricationem asperrime coërcitum. Ambitioni scilicet & inani circa moles & extructiones sepulchrorum sumptui legum frenis sæpe occursum est. De Athenis res clara est, *lege* sancitum, ne quis sepulchrum faceret operosius, quam quod decem homines efficerent triduo, neque id opere tectorio exornari, nec hermas, quos vocant, licebat imponi, vt testatur Cicero *lib. 2. de legibus cap. 26.* Et Platonis quoque lex, *lib. 12. de legibus*, quam etiam refert Cicero *ibid. cap. vlt.* extrui vetabat sepulchrum altius quam quod quinque homines quinque diebus absoluerint, nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui incisam, nec plus quatuor heroicis versibus, quos *Logos* appellat Ennius.

De iure Romano videamus; luxus hic eo quoque coërcitus est, & quidem Decima Tabula: *sumptus & luctum a Deorum Manium iure remoueto. Hoc plus ne facito, rogum ascia ne polito:* vt memorat Cicero *lib. 2. de legibus c. 23.* quo loco hæc verba, *Hoc plus ne facito*, post summam sententiam initio præmissam id significant, subiectum modum sumptuum sequentibus aliquot capitibus; quorum primum fuit, *Rogum ascia ne polito:* vt non parum peccent qui ea velut illegitima repudiare non dubitant. *Hoc plus ne facito*, idem est, ceu eodem recidit, quo Capitolini verba: *Ne vti quis vellet, fabricaret.* Et sane modum sumptuum in faciendo monumento immanem inanemque leges non ferunt: quam in rem infinitæ nobis occurrunt *leges* in libris nostris. Itaque hic est, quem *probabilem modum* vocat Papinianus, *l. 50. §. 1. D. de hereditat. petitione: Iustam sumptus rationem*, Vlpianus *l. 14. §. 6. D. de Religiosis:* vid. & *legem 37. §. 1. D. eod. tit.* Qui apud Romanos negant aliquid huiusmodi sancitum, perperam nituntur *leg. 4. D. communia prædiorum:* pertinet enim ea *lex* ad priuatam, seu priuatorum legem: Priuata lege caueri non potest, vt ad certam altitudinem monumentum ædificetur: at publica lege & authoritate quin fieri id possit, dubium nullum est.

Denique quibus hæc interpretatio placere non potest (qua videlicet luxum circa sepulchra a Diuis fratribus coercitum docuimus) ita adhuc vrgent, quod nulla ratio tum fuerit luxus coercendi, quin potius incuriæ hæredum castigandæ, vtpote cum eas leges latas Capitolinus innuat propter grassantem tum Romæ pestem, qua coaceruatim homines moriebantur. Non dicam, quod aliquis dixit, luxum ideo coercitum, quia proculdubio luxus multum temporis requirat, & mora illa retardarentur sepulturæ: verum dicam, ideo luxum coërcitum, ne aut fœdum patrimoniorum exitium plerique paterentur, dum alii alios hoc dementiæ genere supergredi cupiunt. Item dicam ideo Sepulchris fabricandis

modum

modum adhibitum, ne immensa sui magnitudine potissimam Vrbis Romæ partem occuparent, vel etiam commercio hominum eximeretur. Politicum hoc schema est, ne passim passiuitus loca fiant religiosa. Et vero ab hoc ipso Diuorum Fratrum studio est rescriptum illud, quo ipsi rescripserunt, cenotaphium locum non esse religiosum: *l. 7. D. de diuisione rerum:* & *l. 6. §. 1. D. de Religiosis*: ab hoc inquam enixo studio rescriptum illud proficiscitur; cum tamen contraria sententia Magis olim, & ex eorum sententia Iurisconsultis nonnullis placuerit, *l. 6. §. vlt. D. de diuisione rerum.* Et ita quidem conciliari oportet diuersas illas Diuorum Fratrum & Iurisconsultorum sententias, atque adeo Iuris antinomiam, noua hactenus hac ratione: de quo peculiari Diatriba *de Cenotaphio.* Et sane Diuorum Fratrum rescriptum hoc de illarum *legum* numero est, quas Antoninos Capitolinus sanxisse refert. Earundem legum numero constituo *leg. 39. D. de Religiosis*: a qua *negatiuam* expungi nullo modo fero, quod fecit doctissimus Salmasius *in Solinum, pag. 1206.* ibi, *vt non alibi transferatur.* Quippe Iurisconsulti *ea l.* sententia est, *iustæ sepulturæ traditum, seu terra conditum videri etiam eum, qui nondum in hypogæo sub terra conditus sit, sed in arcula tantum, ea mente, vt non alio transferatur.* Scilicet Arcis seu arculis cadauera condita sæpe diu supra terram asseruabantur, vsquequo in hypogæum aliquod forte d stitum demitterentur. Et quidem ita condita eo animo sunt, vt ne *cadauera ipsa* alio, seu, in aliam arcam transferantur: Post quod, *ipsa arcula in locum commodiorem transferri potest.* At emendatio in principium iuris incurrit. Ponit enim, eum iustæ sepulturæ traditum seu terræ conditum videri, qui hoc animo conditus sit, *vt alio transferatur.* Id quod refutat omnino vel *lex proxime sequens*, qua contra sententiam hanc, humatum semel corpus, siue iustæ sepulturæ traditum transferri non licuit. Et si vel iustæ essent causæ, id sine permissione fieri non poterat, de quo dictum *l. 2. supr.* & dicetur etiam *leg. prox. sequent.* Neque vero *iustæ sepulturæ traditum* dictum corpus, (& sine permissu etiam Principis transferri potuit) quod perpetuæ sepulturæ non erat traditum, id quod cum *l. 3. §. 4. D. de sepulchr. viol.* testatur etiam *l. 10. Cod. Iust. eod. tit.*

Verum ad sententiam *legis* nostræ, vrbanæque sepulturæ prohibitionem & extensionem quandam redeamus: Non tantum igitur reliquis vrbis Constantinopolitanæ locis Theodosius *h. l.* sepulturam arcet, verum etiam ac nominatim, ab Apostolorum & Martyrum Sede, quam, vt loquitur ipse Theodosius, *fallax & arguta sollertia*, nisi nominatim *hac lege* exciperetur, sepulturæ iure patere credere potuisset: Fallax, inquam, & arguta sollertia. Sic enim apud se æstimare argutulus quis potuisset, quamlibet vrbana sepultura generaliter prohiberetur, hac tamen generali prohibitione non contineri Martyrium, vt quod nihil aliud foret, quam Martyrum Sepulchrum: Cæterum si ipsum Martyrium toleraretur, quidni pariter in eo, iure licito, cadauera sepelirentur? Hæc est vt dixi *fallax & arguta* illa *sollertia*, qua nonnullos ab huius *legis* intentione, generali inquam, & indistincta, sese subducere velle, vel subducturos quosdam Theodosius M. præuid t; & quia præuidit, non contentus generali prohibitione, ne quod suffugium deinceps pateret, Apostolorum & Martyrum sede speciatim interdicendum credidit.

Vbi de duobus interim nunc videndum nobis est. *Martyrum & Apostolorum* primum *Sedem* esse conditorium, seu memorias, vt loquebantur, Apostolorum & Martyrum, in quibus ipsi conditi, *pro quorum veneratione*, vt loquitur *lex prox. inf. fabricarum aliquid addebatur*, quod *Martyrium* vocabant, de quo dicam ad *l. 9. prox. Sedes* hic est sepulchrum, conditorium, vt apud plerosque alios Authores, ita & in veteribus Inscriptionibus innumeris: *Æternam sedem* eo sensu dixit Paulus, in *l. 40. D. de Religiosis*: perpetuas sedes Sidonius *lib. 2. ep. 17.* miseranda sedes, in *Nouella Valentiniani 5. de sepulchris.* Notus est Virgilii locus *6. Æneidos v. 328. Quam sedibus ossa quierunt.* Imo & in hoc eodem argumento Martyrum inquam, Ammianus Marcellinus *Sedium* vocem vsurpauit *lib. 22. cap. 11.* Vbi de Christianis agens quibusdam igne crematis: *Cineres*, inquit, *proiecit in mare, id metuens vt clamabat, ne collectis supremis* [id est reliquiis] SEDES *illis extruerentur, vt reliquis qui deuiare a religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas, adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, & nunc* MARTYRES *appellantur.* Quo tamen Ammiani Marcellini loco hodie perperam pro *sedes*, legitur *ædes*: Errore qui alibi quoque admissus, veluti *titulo institutionum, de militari testamento*: vt in *Theophilianis* dixi. Possit tamen quis etiam hic vocem *ædes* non male tueri. Ad Martyrum quippe Sepulchra & Sanctorum, plerumque ædiculæ seu martyria extruebantur, vt docebit *lex prox. infr. Martyrum* igitur *sedes*, quod ali s *Martyrium d. l. prox.* qui hanc vocem non intellexerunt Veterum nonnulli, de Sedibus, id est de sessione in Ecclesia ad *h. l.* incondite tractarunt: qui sane si vel vidissent agi *h. l.* de *humandis* corporibus, non id sensissent: hæc enim secunda erroris istius causa est, quod in *Cod. Iust. humanis corporibus* legatur. Tantum scil. præstat vera & genuina lectio, dein & κυριολογία vocis *sedes.* P. 151.

Secundo hinc obseruandum, Christiana Religione inualescente, Sedes Martyrum & Apostolorum intra vrbes conditas: vt maxime priuatorum sedes, id est Sepulchra in vrbe esse non possent.

Tertio *hac lege* nominatim Apostolorum & Martyrum sedes, quæ Constantinopoli erant, nominantur. Et vero intelligitur his verbis inter cætera, *Apostolorum Martyrium* in vrbe Constantinopolitana. Templum scil. a Constantio Constantinopoli excitatum, Philostorgius ait, τὸ κοινὸν τῶν Ἀποστόλων ἐπιφερόμενον ὄνομα, quod sub finem περιώνυμον καὶ σεβάσμιον οἶκον, vocat. Et tamen a Constantino M. excitatum id ait Author *vitæ Constantini, lib. 4. cap. 58. 59. 60.* vt & Socrates, *lib. 1. cap. 40. siu. vlt. in fin.* & Procopius περὶ τῶν κτισμάτων τοῦ Δεσπότου Ἰουστινιανοῦ, *cap. 4. pag. 401. edit. Venet. inter Script. Rer. Byzant.* Addit idem Philostorgius, ad Apostolorum Ecclesiam excitatum a Constantio sepulchrum patris Constantini. Et tamen id a Constantino M. ipsomet factum, scribunt rursum iidem, Auctor *vitæ Constantini, lib. 4. cap. 60.* Socrates *lib. 1. cap. vlt.* & post eum Nicephorus, *lib. 8. cap. vlt.* Procopius ait, Constantinum iussisse ibi sibi sepulchrum fieri, τὰς θήκας γενέσθαι αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἐς τὸ ἔπειτα βασιλεύουσιν ἐνταῦθα τάξας, οὐκ ἀνδράσι μόνον, ἀλλὰ καὶ γυναιξὶν οὐδέν τι ἧσσον, *decreto addito, vt cum sibi, tum aliis in imperium successuris, feminis iuxta ac maribus, ibi sepulcra fierent.* Addit Philostorgius, *prope eam* Apostolorum Ecclesiam (οὗ πλησίον) Constantium Constantini patris sepulchrum exc taſſe: Recte *prope:* neque enim in ipsomet Apostolorum templo sepultus a Constantio Constantinus, verum in atrio & vestibulo eius ἐν τοῖς προθύροις, teste Chrysostomo *Homil. 26. in 2. ad Corinth. pag. 929. edit. Commelin.* (& *Homil. aduers. gentil. quod Christus sit Deus*, & *Homil. 60. ad populum Antiochen.*) Zonaras quoque *Annal. lib. 13. pag. 8. Tom. II. edit. Venet. int. Script. Rer. Byzant* ἐν τῷ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων κατέθετο ἱερῷ ἐν ἰδιάζοντι μέντοι τόπῳ· ὃν ἐπὶ τῇ ταφῇ τοῦ πατρὸς αὐτὸς [Κωνστάντιος] ᾠκοδόμησεν. Et Author tamen *vitæ Constantini* ait,

ait, in ipsomet templo, & medio quidem inter duodecim Apostolorum thecas loculo, quem Constantinus ipsemet excitauit, conditum Constantinum, *lib. 4. cap. 60.* & *cap. 71.* & Alexander Monachus de inuent. S. Crucis apud Gretserum, *tomo 2. de Cruce.* Idem Philostorgius ait, Reliquias varias Apostolorum & Euangelistarum a Constantio in Apostolorum Ecclesiam Constantinopolim translatas, puta Andreæ Apostoli, Lucæ item Euangelistæ, cuius nomen celeberrimum fuisse ait (nam ita ibi repono ὄνομα ἐ κλειτὸν, vel κλητὸν vel etiam vnica voce ὀνομάκλυτον) & Thomæ Apostoli. Id vero memorant & Hieronymus, *in Chronico, anno Constantii 19.* & *20.* & Theodorus Lector *fine collectan.* & Auctor Chronici Alexandrini, qui id factum memorant A. 356. & 357. (id est, A. 355. 356.) & Acta Artemii 20. Octobris apud Surium *pag. 311.* ex Metaphraste, Nicephorus *lib. 10. cap. 11.* qui per Artemium Ducem (cuius alioquin Artemii mentio apud Iulianum *epist. 10. ad popul. Alexandrin.* Marcellinum *lib. 22. c. 11.* Theodoretum *lib. 3. cap. 17.* & Chron. Alexand. *Ann. 363.*) qui omnes translatas has sub Constantio reliquias scribunt; pariter vt Menolog. Græcorum 18. Octobr. & Ado in *libello festiu. Apost. 24. Ian.* Et tamen id a Constantino factum præferunt Hieronymus, *aduers. Vigilantium epist. 60. pag. 84. Tom. III. Oper. edit. Francf. apud Gensch.* & *libr. de Scriptor. Eccles. c. 8.* etsi antiquæ editiones libri *de Scriptor. Eccles.* præferunt vocem *Constantii*, teste *Victorio.* Paulinus item apud Dungalum *carmine 26.* referente quoque Baronio *Ann. 336. num. 70.* Quod reliquias vero has attinet, meminit earum quoque Procopius *lib. 1. περὶ κτισμάτων cap. 4. pag. 401. ed. Venet.* vt & Nicephorus *d. lib. 10. cap. 11.* & Chronicon Alex. *Ann. 337. pag. 671. edit. Raderi.* eodem etiam ordine quo hic, Andreæ, Lucæ, Timothei: Theodorus Lector aliter. Ergo ad hoc Apostolorum Martyrium conditus Constantinus M. aliique postea Principes, qui pro magno habuere, si iuxta Apostolorum saltem vestibula corpora eorum sepelirentur, fierentque Reges Piscatorum Ostiarii, πυλωροὶ, vt Chrysostomus scribit, *d. homilia 26. pag. 929. edit. Commelin.* Quin & Episcopi ibidem conditi: quod ex Socrate colligimus *lib. 1. cap. 26.* & Euagrius diserte *lib. 4. cap. 30.* At vt a Constantio Martyrium Apostolorum conditum Constantinopoli; ita decennio ferme ante *hanc l.* scribit Hieronymus *Chronico A. D. 370.* Constantinopoli Martyrium Apostolorum dedicatum. Sed & Euagrius *lib. 4. cap. 30.* scribit a Iustiniano ædificatum Templum Sanctorum Apostolorum Constantinopoli: *ædificatum*, id est reparatum, de quo vide Procopii *lib. 1. c. 4. de ædificiis Iustiniani* elegantem narrationem. Eiusdem generis fuerunt, quæ ad Vrbem Romam *Apostolorum limina* erant: quorum mentio apud Scriptores Ecclesiasticos, & apud Sidonium *lib. 1. ep. 5.* quæ alioquin *Basilica Diui Petri* seu *ad Sanctum Petrum* dicebatur, quæque hoc ipso tempore extra pomerium Vrbis Romæ erat in *Via triumphali*, vt videre est in *Itinerario Peutingeriano*, & apud Sidonium *d. ep. 5.* Mentio eius Basilicæ quoque in *Annalibus Francorum* a Petro Pithæo *editis A. 878.* Denique in *veteri descriptione Vrbis Constantinopolitanæ* fit mentio huius *Martyrii Apostolorum*, quod in *regione vndecima Vrbis collocatur.* Fit & mentio *ibidem* Ecclesiæ siue Martyrii Sancti Mennæ, *Regione quarta.* Memoratur & Ecclesia Sancti Pauli, *Regione 7.* Tandem memoratur *ibidem* Ecclesia siue Martyrium Sancti Arcadii *Regione 10.* Quare recte omnino monuit Doctiss. Sauaro, ad Sidonii *lib. 1. ep. 5. p. 37. edit. Parif. 1609.* errare eos, qui hanc *legem* ad Limina Apostolorum antiquæ Romæ referebant. Sane Honorius pariter Imperator Romæ in Sancti Petri ædibus humatus legitur.

Obseruandum interim, etsi Christiana Religione inualescente, contra *legem* obtinuerit Sanctorum reliquias in ciuitatibus condi, atque ad eiusmodi Sepulchra plerumque ædiculæ seu martyria extructa fuerint, Porticibus seu Exedris & Vestibulis insignia, in quibus Imperatores Constantinopoli (de quo alibi) mox & Sacerdotes singulari priuilegio fuerint sepulti, priuatis tamen non idem licuisse. Quod tamen ambisse priuatos hæc *lex* nostra indicat, partim vrbanæ sepulturæ præiudicio a Martyribus ipsis petito, partim Imperatorum præiudicio, partim pietatis motu, forte & ambitione quadam, vt olim Valerius ille, qui memoratur in lapide, *in Hispania apud Pacem Augustani* inuento, quem inter spurios retulit Gruterus XVI. 7. in cuius sepulchro prope templum Æsculapii collocato, incisum: P. 152

MORTE. ME. VALER. M. F. ADSEQVENT. IN. VLT TERR. NVLLO. CREDIDI. LOCO. OSSA. NOSTRA POSSE. MELIVS. ADQVIESCERE. QVAM. PROPE TEMP. AESCVLAPII. ITAQVE. EX. TESTAM AD. X. PEDES. A. TEMPLO. VOLO CONDIER
VOS. NATI. IVCVNDISS. AB. VRBE. ROMA. HVC CONCEDITE. AD. SEPVLCHR. NOSTRVM. DEMETVR DOLOR. PIETATE. VESTRA. SI. MANES. SENT VOS. MEMORES. NOSTRI

Et vero de hoc desiderio vide Augustinum *lib. 8. de Dulcitii quæstionibus, quæst. 2.* Qua de causa idem quoque Augustinus librum scripsit *de cura pro mortuis agenda*, vt ipse notat *lib. 2. cap. 64. Retractationum.* Sane cum ab his Martyriis Ecclesiæ ferme ortum duxerint, de quo vide Onuphrium Panuinium *in appendice ad Platinam* (quemadmodum & Gentilium templa e sepulchris ortum duxisse, Patres testantur, in his Arnobius *lib. 6.* vt & Non. Marcellus *cap. 6. num. 92.*) & Ecclesiæ Martyriaque promiscue vocentur in *veteri illa vrbis CSP. descriptione*, ideo Græci, legem hanc ita concipiunt: μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ θαπτέτω νεκρόν. Inter *leges* Caroli Magni quoque *lib. 1. cap. 159.* vt nullus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat. Sed etiam Concilium Braccarenſe primum *Can. 18. p. 352. Tom. III. Concil. edit. Harduin. Item placuit vt corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam Sanctorum sepeliantur, sed si necesse est, de foris circa murum Basilicæ vsque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc priuilegium vsque nunc retinent Galliæ ciuitates, vt nullo modo intra ambitus murorum cuiuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reuerentia obtinere.* Tandem Leonis Imperatoris *Constitutione*, Vrbana hæc sepultura permissa, *Nouell. 53.*

Cum occasione huius *Legis 6.* multa a multis partim inuidiose partim iniuriose, disputata fuerint contra Romanam ecclesiam, quæ sacris in ædibus Christianorum cadauera ab vltima memoria tumulare permisit, necessarium videbatur VIRI CLARISSIMI LVDOVICI ANTONII MVRATORII dissertationes duas, quarum alteram *in Anecdot. Latin.* alteram, *tertiam* nimirum, *in Anecdot. Gr.* publicauit, cum Commentario GOTHOFREDI iungere. Omnia huius Viri, apud Italos exterosque celebratissimi, maturum subactumque iudicium olent, & dignissima sunt lectu. Fruere iis LECTOR, & si desideriis tuis nondum satisfactum putas, alia doce.

LVDO-

LVDOVICI ANTONII MVRATORII
DISSERTATIO XVII.

Vbi de veterum Christianorum sepulcris. Ad Clarissimum, doctissimumque virum IOANNEM CIAMPINVM Romanum, Magistrum Breuium Gratiæ, Literarum Apostolicarum Maiorem Abbreuiatorem, & in vtraque Signatura Referendarium.

EMersit apud nonnullos opinio, Ciampine vir eruditissime, scilicet priscis temporibus haud quaquam licuisse in sacris ædibus Fidelium Christianorum corpora tumulare, quia quibusdam Imperatorum edictis id interdictum deprehenditur. Hinc egregius Scriptor Cabassutius ad Can. VI. Concilii Namnetensis: *Serius*, ait, *in vsum Ecclesiarum receptum fuit, vt Fidelium cadauera intra templorum ambitum sepelirentur.* Tum Gregorii Magni temporibus hanc inualuisse consuetudinem concedit, quippe quæ ex eius Dialogis euidenter eruitur. Citantur in hanc rem Can. 36. Concilii Bracarensis Primi, vbi *intra Basilicas sepeliri Fidelium cadauera prohibentur*, & Can. 17. Concilii Triburiensis Anno 895. coacti, illud idem interdicens. Pro his etiam militant lex 2. C. de Sacrosan. Eccles. in qua sic legitur: *Nemo Apostolorum, vel Martyrum sedem humanis corporibus existimet concessam*, & lex vlt. C. Theod. de sepulcr. viol. his expressa verbis: μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ θαπτέτω νεκρὸν, *nemo in Ecclesia sepeliat mortuum.* Kepperus heterodoxus homo in Polit. Eccles. lib. 1. cap. 15. postquam similes protulit auctoritates in hanc mirabilem sententiam descendit: *Postquam vero, crescente superstitione, sacra pro defunctis sub Gregorio Magno fieri cæperunt, tunc etiam Cæmeteria templis vicina fecerunt Monachi, & sacrificuli, vt sacra illa facilius obire, & quæstum maiorem facere possent.* Est hæc & plurium Nouatorum inuidiosa de nobis opinio. Verum aperte nimis hunc hæreticum, eiusque asseclas falli, simulque apud veteres in vsu fuisse, ac non sine laude peractum, vt in sacris ædibus Fidelium cadauera humarentur, solidis euincere testimoniis post eruditissimum Spondanum nitar, quibus præsentium temporum morem cum antiquis consentire penitus ostendam. Sunt Paulini carmina:

Cellula de multis, quæ per latera vndique magnis
Adpositæ tectis præbent secura sepultis
Hospitia. - - - - -

Hæ profecto cellulæ in ipsa fuere Basilica, eiusque partem constituebant; dixerat enim Paulinus furem clausis Basilicæ foribus inclusum, iisque reclusis mane fugam arripuisse:

- - *Harum vna fur abditur, atque vbi mane*
Claustra patere videt, reserata prosilit aula.

Nihil vero aliud mihi videntur, quam eædem, quas nos Italico sermone vocamus *Capelle.* Quod & ex eiusdem Paulini ad Seuerum Epistola XII. manifeste iterum probo: *Totum*, inquit ille, *extra Concham Basilicæ spatium alto, & lacunato culmine geminis vtrimque porticibus dilatatur, quibus duplex per singulos arcus columnarum ordo dirigitur. Cubicula* (en tibi Capellæ præfatæ) *intra porticus quaterna longis Basilicæ inserta secretis orantium, vel in lege Domini meditantium, præterea memoriis Religiosorum, ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent.* Rursus ecce vides in hisce Cubiculis tumulos Christianæ gentis fuisse sitos. Lateribus autem Basilicæ cellulæ istæ, seu Cubicula insita erant, eodemque procul dubio ordine, quo præsentium temporum Capellæ dispositæ conspiciuntur; Siquidem porticus ibi memoratæ, intra quas cellæ collocabantur, ecquid aliud sunt quam quæ nobis *laterales Basilicæ naues* nuncupantur? Geminas porro huiusmodi naues extra maiorem Ecclesiæ concham vtrimque sitas alto ac magnifico opere, suisque columnis destinctas videre est in immani, mirabilique Ecclesia Metropolitana Mediolani, tibique in Vrbe æterna degenti plura circumquaque exempla suppetunt. Sed vt Cubiculorum, quæ Paulinus memorat, significationem euidentius attingamus, en tibi Anastasii Bibliothecarii in Sergio Papa hac de re testimonium: *Hic tectum*, ait, *& cubicula vniuersa in circuitu Basilicæ B. Apostoli Pauli studiosius renouauit, ac reparauit.* Defunctos autem vita hisce in Cubiculis tumulatos ex eodem Auctore discimus in Marcellino: *Hic sepultus in Cæmeterio Priscillæ in Cubiculo claro.* Quin & apud Græcos vsurpatum eodem sensu Cubiculi nomen. Anonymus de Locis Sanctis cap. 1. apud Clariss. Du Fresnium in Gloss. med. & inf. Latin. Καὶ εἰς τὸ μέσον τῆς τρούλλας εἰς τὸ ἔδαφος κουβούκλιον πέτρινον ὡραιότατον: *& in medio Trulli super solum iacet Cubiculum ex marmore formosissimum.* Idem Anonymus cap. 15. refert τὸ μνημεῖον τῆς Ραχὴλ κουβούκλιον πέτρινον: *monumentum Rachelis in Cubiculo marmoreo.* Eadem Cubicula quoque οἰκίσκοι appellabantur a Græcis. S. Nilus in descriptione Templi ab Olympiodoro Præfecto extructi sic ait: ἐν δὲ τῷ κοινῷ οἴκῳ πολλοῖς, καὶ διαφόροις οἰκίσκοις διειλημμένῳ ἀρκεῖσθαι ἕκαστον οἰκίσκον πεπηγμένῳ τιμίῳ σταυρῷ &c. *In communi vero æde multis variisque distincta Cubiculis attolli Cubiculum vnumquodque, composita intus venerabili Cruce.* Itaque istis in cellulis quum piorum memoriæ, seu tumuli statuerentur, euidenter elucet in Basilicis Fidelium sepulcra fuisse locata. Alius præterea pius inter Catholicos vsus obtinuit ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, vt Martyres in sacris conderentur ædibus, vti in notis animaduerti ad illud carmen in Nat. XI.

Quæ cineres reuerenda tegunt altaria sacros,

vbi etiam innui fas non fuisse templa absque Martyrum corporibus, aliquibusque Reliquiis sacrare. Illud certissimum, & extra omnem dubitationis aleam positum. Alius autem mos erat Fidelibus, nempe omni studio curare, vt SS. Martyrum corporibus cadauera sua apponerentur, quia tantorum apud Deum intercessorum precibus se fortius adiuuandos arbitrabantur. Paulinus in Panegyr. Celsi pueri hæc de filio sibi defuncto habet:

Quem Complutensi mandauimus vrbe propinquis
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus.
Vt de vicino Sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purgat in igne animas.

Sanctus quoque Augustinus a Paulino meo interrogatus, *an cuique post mortem prosit, quod corpus eius apud Sancti alicuius memoriam sepeliatur* (sunt eius verba lib. 2. Retract. cap. 64.) librum vnum reposuit *de cura pro mortuis gerenda.* Ibi vero ait: *Hoc abs te vidua memorata petiuerat pro defuncto in eis partibus filio suo, & rescripseras consolans eam, idque etiam nuncians de cadauere fidelis iuuenis Cynegii, quod materno, & pio affectu desiderauit esse completum, vt scilicet in Beatissimi Felicis Confessoris Basilica poneretur.* Probat ibidem hanc piam consuetudinem Augustinus, neque ab hoc fideli iuuene tantum, sed ab vniuersis Fidelibus vsurpatam affirmat. In calce libri hæc satis expresse subiicit Doctor magnus: *Quod vero quisque apud memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, vt commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur.* Vnusquisque igitur apud Martyrum tumulos sepeliebatur, ac idcirco intra templorum ambitum. S. Maximus Taurinensis Episcopus Serm. 55. huiusce rei fidem facit: *Ideo hoc*, inquit, *a maioribus prouisum est, vt Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes euadimus inferni tenebras eorum propriis meritis, attamen consocii sanctitate.* Florebat Maximus quinto Epochæ nostræ seculo, & quum is *a maioribus prouisum* asserat, vt ossa nostra Sanctorum ossibus copulentur, continuo patet prioribus Ecclesiæ seculis Christianorum cadauera in templis componere consuetum fuisse. Nonnulla vero, vt multis parcam, istius rei exempla dabo non longe nimis adscita, sed Mediolani nata. Quietis locum in Ambrosiana Basilica sub altari sibi viuens destinarat S. Ambrosius, vbi dein SS. Geruasii, ac Protasii corpora locauit. Ait ille in Orat. ad populum de iisdem Martyribus habita: *Hunc ego locum prædestinaueram mibi; dignum est enim vt ibi requiescat Sacerdos, vbi offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem. Locus iste Martyribus debebatur.* S. Satyrus eiusdem Ambrosii frater, vir inter laicos dumtaxat connumeratus,

parem sortitus est quietis sedem; ab amantissimo enim fratre in S. Victoris tumulo depositus est, additique sepulcro versiculi a Dungalo quoque relati:

Vranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad leuam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, vt sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans abluat exuuias.

Aliud etiam in Ambrosiana Basilica non minoris antiquitatis pretiique monumentum occurrit, Manliæ nempe Dædaliæ Virginis piæ sarcophagus his carminibus distinctus:

Martyris ad leuam recubent quæ membra sepulcro
Vt Lector noscat est operæ pretium
Clara genus, censu pollens, & mater egentum
Virgo sacrata Deo Manlia Dedalia.

Reliquos versus a Grutero in Inscript. volum. pete. Sed & S. Marcellina iuxta S. Ambrosii fratris tumulum requiem inuenit, quod, vt apertissimum, probatione non indiget. Hi igitur omnes, quod Ecclesiasticus poscebat vsus, intra sacrarum ædium ambitum sepulturam aut in viuis constituti sibi destinauerant, aut post mortem aliorum studio sunt nacti, vt mirer Cabassutium in hæc verba exiliisse: *Verum non in alia templi parte, quam in vestibulo, conditus Constantinus Augustus, quod idem censendum pariter existimo de Episcopis.* Atqui S. Ambrosium, reliquosque Fideles vna cum SS. Martyrum cineribus cineres suos composuisse tam certum, vt nihil hæsitationis obueniat. Quum vero SS. Martyres sub templorum altaribus quiescerent, quis non videt Christianos quoque Fideles, nedum Episcopos, in interioribus sacrarum ædium penetralibus suam inuenisse sepulturam? Quam autem improuide ad contrarium firmandum Canon Concilii Moguntiaci inducatur, quem refert etiam Gratianus in c. nullus. 13. quæst. 2., nemo non videt. Est ille his conceptus verbis: *Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri. aut Fideles laici.* Etiam laicos Fideles præter Episcopos, & Presbyteros templis inferri post mortem solitos hinc discimus, tantum abest, vt contrarium inde suadeatur. Itaque solos Infideles, Hæreticosue, aut etiam laicos parum pios, puta sine pœnitentia defunctos, vsuris addictos, occisores, aut huiusmodi morbis tactos respicit laudatus Canon, quos a sacris in Ecclesia sepulturis arcendos omnino constituit. Quod si quidam Canones, & Imperatorum leges aduersus pium hunc morem emanarunt, non alia ratio in causa fuit, nisi quia nimis in ædibus sacris tumulorum cadauerumque moles augebantur, vt propterea coercendi ex parte fuerint Christiani, quibus extra Ecclesiam sacer locus alium aperiebat sepulcri campum. Hincmarus Rhemensis Episcopus in S. Remigii Vita apud Sur. tom. 1. quamdam *Ecclesiolam* memorat, *in qua eique circumiacentibus atriis ex antiquo erat Cæmeterium Rhemensis Ecclesiæ.* Vides igitur *ex antiquo*, videlicet ante S. Remigii tempora, qui seculo Christi quinto degebat, tum in ipsis templis, tum etiam circa illa Christianorum tumulos fuisse constitutos. Gothofredus ad l. 9. C. Theod. Tit. 17. de sepulcr. viol. *Obseruandum*, ait, *etsi Christiana Religione inualescente contra legem obtinuerit Sanctorum Reliquias in Ciuitatibus condi, atque ad eiusmodi sepulcra plerumque ædiculæ, seu Martyria extructa fuerint, in quibus Imperatores Constantinopoli, mox & Sacerdotes singulari priuilegio fuerint sepulti, priuatis tamen idem non licuisse.* Hæc iuxta legis sensum, quibus & ego lubens subscribo. At hinc illud discimus, in vrbanis quidem templis per aliquod tempus interdictam Fidelium sepulturam, quia & antiquis Ethnicorum placitis, & Christianorum pariter Principum edictis cautum erat, ne in vrbibus sepulcrum mortuo concederetur; in Ecclesiis vero extra vrbem sitis, cuiusmodi primo Christianæ Religionis æuo pene omnes erant, id non licuisse parum sapit, qui negare ante tot veterum testimonia audeat. Non sum denique eorum immemor, quæ tu in egregio opere de veter. Monim. tom. 1. cap. 1. Cæmeteria illustrando protulisti, sed apud temet ipsum tua adhibere inutilis opera censeretur. Vnum iccirco producam Onuphrium Panuinium virum tanti in antiquitatum scientia nominis, qui in suis ad Platinam additamentis libellum de Cæmeteriis iisdem proposuit. Docet autem *Cæmeteria non solum Ecclesias fuisse, & Basilicas, sed aliquid amplius quam Ecclesiæ vrbanæ, sepulcra scilicet Christianorum, quæ intra Vrbem fieri non poterant, habuisse.* Id innumeris ille exemplis roborat, quæ apud illum, & apud Spondanum in lib. de Christ. sepul. recolenda volentibus reseruamus. Hinc igitur, Ciampine doctissime, ni mea me fallit opinio, elucescit quam impudenter Kepperus aliique hæretici in Christianorum sepulcra ferantur. Profecto non Gregorii Magni temporibus, nempe seculo Eræ nostræ septimo, vicina templis loca sibi in tumulum vsurpare cœperunt Fideles, vt illi nobis inuidiam conflaturi ineptiunt, sed ipsis prioribus Ecclesiæ seculis id apud non paucos receptum fuit, vt intra ipsas tumularentur Basilicas. Quibus hucusque enarratis si calculum tuum pro summa, qua polles, eruditione addideris, ego non tam quod hæreticorum calumniam euerterim, quam quod tibi placuerim, mihi summopere gaudebo. Vale.

EIVSDEM LVDOV. ANT. MVRATORII
DE ANTIQVIS CHRISTIANORVM SEPVLCRIS
DISQVISITIO III.

Ad Clarissimum, ac Eruditissimum Virum

IVSTVM FONTANINVM

In Archigymnasio Romano publicum eloquentiæ Professorem, & Eminentiss. Card. Renati Imperialis Bibliothecarium.

SYNOPSIS DISQVISITIONIS.

Christiani sacris in Ædibus & olim tumulati in Oriente. Abusus in eum ritum inuecti. Profanis etiam & Infidelibus sepultura illic data, Patribus contra clamantibus. Tumuli alieni deiecti, vt Martyrum sepulcra ornarentur. Iidem tumuli venum dati. Explicatur Lex VI. Cod. Theod. *de Sepulcr. viol.* ostenditurque, ibi non improbari sepulturam Christianorum in Templis. Mortuos olim intra vrbes tumulare nefas. Imperatores hoc tantummodo confirmarunt. Explicantur aliæ quædam Imperatorum Leges. Tum ante eas Leges, tum etiam postea in sacris Templis sepulti Christiani. Varia pro varietate locorum disciplina.

NOn paucos, Fontanine doctissime, inter Heterodoxos Scriptores inuenias, quibus piaculum videatur, quod sacris in Ædibus Christianorum cadauera tumulare soleamus. Neque id mirum, homines a nostra communione segregatos sententiis quoque, & moribus a nobis vel in minimis dissidere. Illud potius mirari subit, quod quosdam etiam e nostris habeamus, eumdem ritum aberrantes, & opinionem suam veteris Ecclesiæ auctoritate, vt sibi videtur, tuentes. Verum si eam, quam vtrique nobis obiiciunt, priorum temporum notitiam diligentius consuluissent, aut nullum Sepulcris nostris bellum indictum, aut mitius cum illis iam actum fuisset. Etenim, vt in Disquisitione XVII. Tom. I. Anecdotorum meorum ostendi, antiquis etiam temporibus pia hæc consuetudo non inualuit modo, sed etiam præstantissimorum virorum suffragium tulit. Equidem, vt candide tecum loquar, non is sum, qui tot tumulos in

Domo Dei commendem, quum non Templa, sed Cœmeteria ingredi nonnumquam videar mihi. Sed qui modum in huiusmodi re opto, non continuo rem ipsam improbo. Quin secundas curas ad idem argumentum deferre nunc placet, palamque facere saltem post Imperium Constantini consueuisse Christi Fideles in ipsis sacris Ædibus tumulo tradi. Qua in re duo potissimum persequar. Primam scilicet partem impendam in explicandis nonnullis, siue Nazianzeni, siue alius vetusti Scriptoris, versibus, in quibus, nisi lux aliqua affulgeat, difficile assequentur mentem Poëtæ illius. Versabitur altera pars in inquirendo, an reuera huiusmodi Sepulcra, olim interdixerint Imperatores Christianam Religionem professi. Te autem huius quæstionis Iudicem in primis volui, vt aut consensu tuo sententia mea glorietur, aut censura tua corrigatur, quidquid confidentius pronunciauero. Certe non poteram neque grauiorem, neque doctiorem amicum seligere, quum tibi tum in profana, tum in sacra Eruditione tanta sit rerum copia, vt cum Præstantissimis quibusque æui nostri certare iam possis. Quod nisi iam editis Libris tu ipse palam fecisses, vberiusque in dies facturus sis, intelligeret tamen quicumque nouit, te iamdiu ab amplissimo Cardinali Iosepho Renato Imperiali delectum ad curam selectissimæ suæ Bibliothecæ, & denique ad Romani Lycei Cathedram euectum a CLEMENTE XI. P. M. cuius optimi simul ac doctissimi Principis de te iudicium non dubito quin futurum sit cum apud præsentes, tum apud posteros, absolutissimum tuæ virtutis encomium. Age ergo, arenam sine mora ingrediamur.

Vti in memorata Disquisitione palam me fecisse arbitror, extra omnem dubitationis aleam positum est, antiquitus etiam sacris in Templis Christianorum Fidelium ossa fuisse composita. Quod autem Occidentalibus Ecclesiis non concessum modo, sed laudabiliter quoque vsurpatum ostendi, id etiam apud Orientales viguisse, Nazianzenus in versibus, quos nunc primum ego edidi, testabitur. Ita ille in Liuiam Amphilochii uxorem Carm. XVII. Anecdotorum meorum:

Εἷς δόμος, ἀλλ' ὑπένερθε τάφος, καθύπερθε δὲ σηκός.

Τύμβος δειμαμένοις, σηκὸς ἀεθλοφόροις

Vna domus, sed inferiori parte sepulcrum, superiori vero Templum;

Tumulus iis, qui ædificarunt; Templum Martyribus.

Ecce, ni mea me fallit opinio, Liuia in Martyrum Æde tumulo tradita; superior enim Templi pars Martyribus destinata erat; inferior vero, nempe subterranea, tumulum cadaueri Liuiæ præbebat, cuius studio in honorem Martyrum excitata illa Ædes fuerat. Eadem colligi posse videntur e Gregorii nostri Oratione X in funere Cæsarii fratris, vbi hæc habentur: Νῦν ἡμῖν ὁ πολὺς Καισάριος ἀποσέσωσται, κόνις τιμία, νεκρὸς ἐπαινούμενος, ὕμνοις ἐξ ὕμνων παραπεμπόμενος, Μαρτύρων βήμασι πομπευόμενος, *Nunc nobis magnus Cæsarius seruatus est, cinis pretiosus, mortuus laudatus, ex hymnis ad hymnos transmissus, ad Martyrum sacraria cum pompa ductus*, &c. Scilicet ad Martyrum Ædem funebri pompa perductum fuisse Cæsarium, ibique sepultum iuxta sacros eorum cineres, intelligimus, vbi complures alii quietis locum sibi parabant, pie sperantes, fore vt facilius apud Deum vicinorum Sanctorum patrocinium experirentur, quemadmodum alibi docuimus. Ex alio quoque Nazianzeni Epigrammate nunc primum per me edito discimus, Gregorium adolescentulum humanis functum ab auunculo Gregorio iuxta puros Martyres fuisse appositum, καθαροῖς Μάρτυσι παρθέμενον. Neque diuerso in loco tumulata Nazianzeni mater Nonna. Ita de illa scribit filius in Epigrammate nunc euulgato:

Σῶμα δ' ἄρ' ἐκ νηῶ Μάρτυσι παρθέμεθα

Corpus vero de Templo Martyribus apposuimus.

Tum ipsos Martyres ille his alloquitur:

Μάρτυρες ἀλλ' ὑπόδεχθέ θύος μέγα, τὴν πολύμοχθον

Σάρκα, καὶ ὑμετέροις αἵμασιν ἑσπομένην.

Martyres ergo excipite magnam hostiam, laboribus confectum

Corpus, quod sanguini vestro sociatur.

De ipsa Nonna in alio Epigrammate hæc habet Nazianzenus:

Νηὸς ὅδ', ὃ γὰρ ὅλην Νόνναν θέμις ἦεν ἐρύξαι.

Ψυχῆς οἰχομένης, μοῦνον ἔπεχε δέμας.

Templum hoc, non enim totam Nonnam fas erat retinere,

Anima egressa, solum retinuit corpus.

Hisce exemplis, si forte litem non dirimant, clarissimum addam e Cappadocia Nazianzeni prouincia, atque ab istius æuo petitum. Macrinam SS. Basilii Magni, & Gregorii Nysseni sororem, eiusque parentes intra Martyrum Basilicam tumulo datos fuisse, certissimus Auctor est idem Gregorius Nyssenus in Oratione de S. Macrina, quam ad diem XIX. Iulii retulit Surius. Inquit enim: *Porro quum inter secessum, & SS. Martyrum ædem, in qua parentum etiam corpora quiescebant, septem, octoue intercederent stadia, totum prope diem in eo spatio conficiendo consumsimus.* Addit infra: *Quum parentum iam esset patefactus tumulus, in quem illam decreueramus inferre* &c. Denique ait: *Sacrum illud corpus e feretro tollentes, iuxta matrem apposuimus, atque ita votum vtriusque compleuimus. Vno enim consensu semper orauerant Deum, vt corporibus post mortem copularentur.* Quibus ex rebus constare satis potest, vt mihi videtur, minime Nazianzeno, eiusue æqualibus displicuisse Christi Fidelium Sepulcra in Ædibus sacris, eumque morem in Cappadocia viguisse, qui altas in Occidente iam egerat radices. His autem positis, tutius progrediemur ad illius Carminis explicationem, quod εἰς τοὺς ἀνορύττοντας τάφους προφάσει Μαρτύρων, *in effodientes sepulcra prætextu Martyrum*, elucubrauit Poëta noster, siue alius quisquam certe vetustus Auctor: siquidem ibi non ipsam in Templis sepulturam, sed abusus in eam irrepentes, aut ex ipsa consequutos damnat, quemadmodum e singulorum versuum enarratione liquebit.

Ita se habent priores:

Τρισθανέες, πρῶτον μὲν ἐμίξατε σώματ' ἀνάγνων

Ἀθλοφόροις: τύμβοι δὲ θυοσκόον ἀμφὶς ἔχουσι.

Ter morte digni, primo quidem miscuistis corpora profanorum

Martyribus: & sepulcra Sacerdotem vtrinque habent.

En prior abusus Christianorum sepulturam inficiens, cui viam præcidere molitur Poëta. Vti enim dicebamus, spe felicitatis aeternae adducti Christiani iuxta SS. Martyrum tumulos ossa sua colloeanda curabant. At in piis tantummodo hominibus non substitit huiusmodi consuetudo; nam ἄναγνοι etiam, seu *profani*, & *impii* eamdem sibi in Templis sedem quietis eligere cœperunt. Hinc eos corripit Poëta. Dabimus Scholiastis Ambrosiani MS. verba, siue explicationem versuum eorumdem: ὦ τρισκατάρατοι, καὶ τρισθάνατοι· πρῶτον μὲν ἐμίξατε σώματα ἀνάγνων ἀνδρῶν τοῖς τῶν ἁγίων Μαρτύρων σώμασι. Τύμβοι δὲ βεβήλων θυοσκόον πολλάκις μέσον ἔχουσι κείμενον. *O ter execrandi, terque morte digni, primo quidem impurorum hominum corpora SS. Martyrum corporibus commiscuistis. Sepulcra vero profanorum Sacerdotem sæpe circumquaque obsident.* Et sane τὸ ἀμφὶς in Nazianzeni Carmine positum, non obscure significare videtur, sæpe Sacerdotes, dum in Templis supra SS. Martyrum sepulcra incruentum Sacrificium offerrent, hinc & illinc impiorum, aut impurorum cadauera habuisse.

Atqui piis Sanctorum Patrum mentibus piaculum minime tolerandum videbatur, quod sanctitatis domicilium aut Ethnicis, aut profanis cadaueribus impleretur. S. Hilarius Pictau. Episcopus Christi Domini verba explicans Cap. VIII. Matthaei relata: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, haec scribit ad eumdem locum: *Ostendit Dominus, inter fidelem filium, patremque infidelem ius paterni nominis non relinqui. Non igitur obsequium humandi patris negauit, sed admonuit, non admisceri MEMORIIS SANCTORVM Mortuos Infideles; mortuos autem etiam eos esse, qui extra Deum viuant.* Quibus ex verbis non modo a Basilicis Martyrum arcenda esse Ethnicorum corpora intelligis, verum etiam

Hilarii

Hilarii temporibus in more fuisse, vt ibidem tum Christianorum, tum Paganorum corpora tumularentur. Et quoniam horum tantum sepulturam improbat Hilarius, consequens est, vt ab eodem pia Fidelium consuetudo probata fuerit. Quod si de Idololatris Nazianzenum nequaquam contendas loquutum: quantum etiam flagitium erat, Christianos in vitiorum cœno, dum in viuis agerent, volutatos, Cœloque propterea indignos, tam pia sepultura, & Martyrum, vt ita dicam, contactu dignari! Tantam temeritatem Cœlum ipsum non tulit interdum; quin grandibus prodigiis suam hac de re indignationem aperuit. Certe Lib. 4. Dialog. Cap. 50. auctor est non vno exemplo Gregorius Magnus, cœlitus e sepulturis exturbata profanorum, impiorumque cadauera fuisse. Vnum ex iis tantum adferam in vrbe Genuensi factum. *Ibi*, inquit S. Pontifex, *Valentinus nomine, Ecclesiæ Mediolanensis Defensor, defunctus est, vir valde lubricus, & cunctis leuitatibus occupatus, cuius corpus in Ecclesia B. Martyris Syri sepultum est. Nocte autem media in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter ex ea expelleretur, atque turbaretur foras* &c. *Mane autem facto aperientes sepulcrum, in quo idem Valentinus positus fuerat, eius corpus non inuenerunt. Quumque extra Ecclesiam quærerent, vbi proiectum esset, inuenerunt hoc in sepulcro alio positum, ligatis adhuc pedibus, sicut ab Ecclesia fuerat abstractum.* Quibus, aliisque exemplis recensitis addit S. Gregorius, ita Petrum alloquens: *Ex qua re, Petre, collige, quia hi, quos peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat vt etiam de sua præsumtione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.*

Non solis autem Gregorii M. temporibus piorum mentes iustitiae diuinae timor occupabat, si se absque meritis tumulandos in sacris Ædibus curabant; sed eos etiam occupauit, qui Gregorio nostro Nazianzeno ætate propiores fuere. Atque idcirco nonnulli sanctitate præstantes viri, quod nempe demisse de sua vita sentirent, extra Templorum ambitum sepulcri beneficium exquisiere. Celeberrimum huius rei exemplum reliquit S Ephrem Syrus, qui in Testamento suo, publici iuris iam dudum facto, discipulos suos ita obtestabatur: *Ne sinatis me in Domo Dei poni, aut sub Altari. Si quis vero fallacibus rationibus ausus fuerit sub Altari me collocare, supernum, ac cæleste Altare talis non videat.* Rationem autem, cur pium officium hoc suis interdiceret, postea subdit. *Non enim decet, vermem putredine scatentem in Templo, & Sanctuario Domini reponi,* &c. *non enim homini peccatori, atque indigno prodest vana gloria, & cui præsertim ea non congruit* &c. *Quorsum igitur honore me afficitis, qui me ipsum actionum appellatione non honoraui?* Infra etiam eamdem repetit caussam, ita inquiens: *Præterea vos adhortor, obtestorque, o viscera mea desiderata, ne me cum Sanctis ponatis; nam peccator ego sum, & minimus, & propter insipientiam, ac stultitiam meam ipsis appropinquare metuo* &c. *Non autem ista dico, quod societatem, & coniunctionem illorum respuam, sed infinitam, atque immensam peccatorum meorum multitudinem inspiciens exhorresco, & contremisco.* Quibus ex verbis colligas, minime a sanctissimo viro sepulcrum in Æde sacra improbatum, sed ideo euitatum, quod sibi præ sancta animi demissione timeret, si apud Martyres quietem ossibus suis quæreret. Hinc fratres iterum obsecrat, vt se tamquam opprobrium, despectum, atque abiectum sepeliant; vilem enim, atque abiectum coram Domino, suisque operibus se plane confusum dictitabat. Quod si ea sanctis viris sententia sedebat, vt nequaquam in sacris Templis se tumulari paterentur, quanto magis ab huiusmodi sepultura abhorrere debebant impii, profanique homines, ne eorum cadaueribus loca sacra fœdarentur, animabus vero in Tartara proiectis maior pœna crearetur? certe quod virtutis caussa pii quidam viri fugiebant, nefariis, scelestisque impietatis ergo interdicendum fuit, quando iis neque viuentium preces, neque Sanctorum patrocinium quidquam subsidii afferre amplius possent. Iure itaque Nazianzenus conqueritur, quod sacris in Ædibus nullus sepeliendorum delectus haberetur. Quem abusum Christiani Patres numquam non sunt abominati, pluraque deinde Concilia, & Mediolanensia præcipue, sustulerunt, Ethnicorum, Iudæorum, & Hæreticorum cadauera e Templis exulare cogendo. Ad hæc publici fœneratores, se ipsos interficientes, blasphemi in Deum ac Cœlites, incendiarii, meretrices, concubinarii, similesque praui homines a Christianorum Cœmeteriis, ac Templis arcentur.

Atque hic prior abusus fuit, quo Ecclesiastica olim in Martyrum Basilicis sepultura vexabatur. Ad alterum veniamus his versibus a nostro Poëta descriptum,

Δεύτερον αὖτε τάφυς τὺς μὲν διεπέρσατ' ἀθέσμως,

Αὐτοὶ σήματ' ἔχοντες ὁμοῖα.

Deinde vero tumulos alios quidem euertistis nefarie,

Ipsi sepulcra habentes similia.

Seculo Christi quarto, vt in Notis etiam ad Carmen εἰς Μαρτινιανὸν animaduerti, pessima inualuerat consuetudo, vt passim mortuorum tumuli deiicerentur, seu diuitias ibi somniatas homines perquirerent, seu marmora ex alienis asportata sepulcris diuendere, aut in vsum suum conuertere vellent. Hinc Templorum, in quibus, aut iuxta quæ, sita erant Sepulcra, nulla habebatur religio, & confusa sepultorum Fidelium quiete, Martyrum etiam tumulis quodammodo bellum indicebatur. Tantum flagitium Legibus compescere, suum esse arbitrati sunt Imperatores; quare Constans Augustus Anno 340. Mediolani agens contra Sepulcrorum violatores edictum promulgauit, cuius exordium est; *Si quis in demoliendis Sepulcris fuerit adprehensus, si id sine domini conscientia faciat, metallo adiudicetur.* Vide *Legem* 1 *Cod. Theodos. de Sepulcr. Viol.* Altera etiam Lege idem Imperator A. C. 349. Sepulcra demolientes perterruit, quam reperire est in eodem Codice Theodos. Tit. memorato, vna cum aliis constitutionibus ad hanc rem attinentibus. Ea de caussa tot versibus a Martiniani tumulo confractores auertere studet Nazianzenus, cuius etiam Carmina Iambica exstant quamplurima κατὰ τυμβωρύχων, siue *contra Sepulcrorum effossores* in Billiana editione, & nos multo plura nunc dedimus in Anecdotis nostris.

Propterea in id genus homines excandescit Gregorius noster; & cur, inquit, alienos euertitis tumulos, quum & ipsi tumulos corporibus vestris iam parraueritis, factoque aliis exemplo idem cineribus postea vestris periculum immineat? Quum vero exportatis de alieno Sepulcro ruderibus, & saxis, quidam exornarent Sanctorum Martyrum monumenta, in subsequenti Carmine his eos verbis Poëta castigat:

Μέχρι τίνος τύμβοις Μάρτυρας ἀλλοτρίοις

Τιμᾶτ' εὐσεβέοντες, ἃ μὴ θέμις;

Vsquequo tumulis alienis Martyras

Honoratis, pii, quatenus non licet?

Hoc est, cur alienorum tumulorum spoliis Sanctorum Martyrum Sepulcra honorari posse creditis? cur pietatis famam ex illata aliis iniuria consectamini? Atque his animaduersis, facile, vt reor, liquebit, quid titulus sonet hisce Carminibus a Poëta nostro inscriptus, εἰς τὺς ἀνορύττοντας τάφυς προφάσει Μαρτύρων, *in eos, qui tumulos effodiunt occasione*, siue *prætextu Martyrum.* Vt enim Martyrum monumenta, quæ difficillimis Ecclesiæ Christianæ temporibus, dum Ethnicorum tyrannica vis in Christi populum debaccharetur, veluti despecta fuerant, nulloque ornamento distingui potuerant, reddita sub piis Imperatoribus pace, illustrarentur, licitum sibi nonnulli arbitrabantur, aliena euertere Sepulcra, & ex eorum marmoribus tumulos SS. Martyrum ditare. Itaque pium hoc, ut ita dicam, sacrilegium improbant iidem Cœlites, ita per os Nazianzeni comminantes:

- - - *Ὅς βήματα δ' ἄμμιν ἐγείρει*

Ἀλλοτρίοισι λίθοις, μηδὲ τάφοιο τύχοι.

- *Qui autem sacraria nobis exstruit*

Alienis lapidibus, is nec sepulturam consequatur.

Verumtamen ab Ambrosiano Scholiaste MS. aliter explicatos videri versus istos non dissimulo; siquidem in hanc sententiam loquitur: ὅστις δὲ ἐν τοῖς ἀλλοτρίοις τάφοις βήματα ἡμῖν ἀνεγείρει, καὶ ἀτίμως, καὶ βδελυρὰς φέρει τιμάς, μηδὲ τάφυ τύχοι τῦ νενομισμένυ. *Quicumque vero in alienis tumulis sacraria nobis excitat, quum ignominiosis, atque abominandis nos afficiat honoribus, neque ipse legitimam, iustamque sepulturam sortiatur.* Ac si diceret, consueuisse quosdam super hominum impiorum sepulcra construere Basilicas Martyrum, aut ipsa in sacras Ædes conuertere. Vt lubet, eruditi iudicent; non enim moror. Sed si pro ἐν legamus ἐκ τοῖς ἀλλοτρίοις τάφοις, *ex alienis tumulis*, facile germanum sensum exigua mutatione restituemus.

Tertium

Tertium nunc perpendamus abusum, quem his versibus refert Poëta noster:

- - - τὰς δὲ (τάφους) ἀπέδοσθε
Πολλάκι, καὶ δὶς ἕκαστον, ὁ δὲ τρίτον.
- - - *Alios autem* (tumulos) *vendidistis*
Sæpe, & bis vnumquemque; aliquis & ter (vendit.)

Eo nonnullorum avaritia deuenerat, ut minime sibi religioni ducerent monumenta vendere, & ut ita dicam de tumulis communione locorum sacrorum sanctificatis mercaturam facere. Certe Christianæ plebis pietatem illud nequaquam decebat, quum & a sacris officiis, & a locis populorum religione, & Sacramentorum præsentia consecratis turpe lucrum exulare debeat. Animaduertendum autem, apud ipsos Ethnicos tanto in pretio sepulcra fuisse, ut minime eorum alienatio permitteretur. Gordianus Imperator *l. 1. Cod. de Sepulcr. viol.* rescripsit: *Res religioni destinatas, quin imo iam religionis effectas, scientes qui contigerint, & emere, & distrahere non dubitauerint, tametsi iure venditio non subsistat, læsæ tamen religionis inciderunt in crimen.* Et quoniam inter huiusmodi res religioni destinatas monimenta mortuorum computabantur, certe eorum alienatio interdicta erat. Vlpianus idcirco in *l. si quis sepulcrum. §. Senatusconsulto. ff. de Religios. & sumtib. fun.* edicto cautum affirmat, *ne usus sepulcrorum permutationibus polluatur*, hoc est, ne venum detur. Ad hæc Antoninus Augustus in l. 2. & Alexander Aug. in *l. 9. Cod. de Relig. & sumt. funer.* apertissime sanxerunt, nefas esse mortuorum monumenta vendere. Quin publicis Legibus talem venditionem interdicentibus non contenti quidam, priuatis etiam pœnarum minis iura tumulorum suorum tuebantur. Ita apud Gruterum pag. 672. num. 1. Aur. Maximianus filiæ sepulcro inscripsit: *Si quis hoc sepulcrum, vel monumentum cum ædificio vniuerso post obitum meum vendere, vel donare voluerit, vel corpus alienum inuehere velit, dabit pœnæ nomine ark. Pontif. L. S. C. N. & ei, cui donatum, vel venditum fuerit, eadem pœna tenebitur.* Similes aliæ Inscriptiones non paucæ exstant. Quod si Gentilibus tanta erat sepulcrorum suorum cura, quanto maior Christianis futura erat in spe resurrectionis innutritis, & corporum immortalitatem post supremum Iudicii diem expectantibus? Imo quanto turpius fuit apud Christianos, quam apud Ethnicos, e tumulorum venditione lucrum quærere, quum in Ædibus sacris eorum, horum vero semper in campo, & sub dio sepulcra constituerentur? Hoc igitur hominum genus Poëta noster increpat, & Martyres ipsos flagitiis istis lædi clamat:

- - - - ἱεροσυλεῖς
Μάρτυρας, οὓς φιλέεις. Σοδομίτιδες εἴξατε πηγαί.
- - - - *sacrilegio lædis*
Martyres, quos amas. Sodomitici cedite fontes.

Videlicet, o Sodoma cede, maior enim est horum, quam tua improbitas.

Atque hactenus qui fuerint abusus piam Christianorum in Templis sepulturam consequuti, luculente perspeximus. Et eos quidem Nazianzeni zelus nequaquam ferebat, quamuis alioqui non toleraret solum, sed exemplo etiam suo probaret Fidelium sepulcra sacris in Ædibus. At grauiores nunc erumpunt in Christianorum sepulturam arietes, non vt eius tantum abusus concutiant, sed etiam vt eius vsum prorsus euertant. nimirum producitur *lex 6. Cod. Theod. Tit. de Sepul. viol.* quam Anno 381. Eucherio, & Syagrio Coss. promulgauere Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, his concepta verbis: *Omnia, quæ supra terram vrnis clausa, vel sarcophagis corpora detinentur, extra Vrbem delata ponantur, vt & humanitatis instar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio sanctitatem &c. Ac ne alicuius fallax, aut arguta solertia ab huius se præcepti intentione subducat, atque Apostolorum, vel Martyrum Sedem humandis corporibus æstimet esse concessam, ab his quoque ita, vt a reliquo Ciuitatis, nouerint se, atque intelligent esse submotos.* Postrema hæc periodus non Heterodoxos dumtaxat, sed nonnullos etiam Orthodoxos in eam opinionem induxit, vt arbitrarentur, Fidelium sepulturam in Martyrum Basilicis omnino fuisse interdictam. Atque in ea sententia fuisse videntur doctissimi viri Gretserus Lib. 2. Cap. 8. de Fun. Christ. Spondanus Lib. 1. par. 3. Cap. 14. de Cœmet. sacr. Gonzales in notis ad Lib. 3. Decretal. Tit. 28. de Sepulcr. Cap. 1. ac Thomassinius Tom. 3. Lib. 1. Cap. 66. de Benef. Censet autem Spondanus ab Imperatoribus legem hanc in omnes Christianos latam hortatu Præsulum, ad retundendam hac ratione eorum petulantiam, qui cunctis indiscriminatim id concessum existimarent, quod sacris dumtaxat, & pietate insignibus personis tribuebatur. Nempe, vt indignis aditus præcluderetur, dignos quoque vna Lege excludere consultius visum fuit.

Nihilominus re serio perspecta, nihil in laudata sanctione contra Fidelium sepulcra constitui, aliamque Imperatorum fuisse mentem, fidenter affirmo. Quod vt pateat, memoria repetendum est, Lege XII. Tabularum cautum fuisse, *ne homo mortuus in Vrbe sepeliretur, neue vreretur.* Siue id Maioribus nostris placuerit, vt Ciuium saluti melius consuleretur, amotis ab Vrbe cadaueribus, siue quod mortuorum conspectum auersarentur, diu Lex illa inter Romanos, aliasque gentes, obtinuit. Senatus etiam Consulto circiter Annum 490. ab Vrbe condita Duillius Consul veterem firmauit Legem, vt auctor est Seruius ad Lib. 11. Æneid. *Ante etiam*, inquit is, *in Ciuitatibus homines sepeliebantur: quod postea Duillio Cos. Senatus prohibuit, & lege cauit, ne quis in Vrbe sepeliretur.* Post hæc Hadrianus Imperator, Vlpiano perhibente, in *l. 3. §. 5. ff. de Sepulcr. viol.* ac Antoninus Pius, Iulio Capitolino teste in eius Vita, *intra Vrbes sepeliri mortuos vetuerunt.* Exstat etiam hac de re Diocletiani, & Maximiani decretum in *l. 12. Cod. de religios. & sumtib. fun.* vt missa faciam Pauli Iurisconsulti, aliorumque veterum verba.

Tametsi vero sepulturam vrbanam tot Leges improbassent, Christiana tamen Religione sub Christianis Imperatoribus inualescente, cum Basilicæ Martyrum, tum Cœmeteria in Ciuitatibus sensim exstrui cœpta sunt. Illic dabant operam Christiani, vt cadauera sua componerentur, fructum, vt diximus, e vicinis Sanctorum Reliquiis pii sperantes. Nouæ propterea consuetudini edicta veterum Imperatorum succubuerant, liberumque sibi quisque ducebat in vrbibus tumulari. At Constantinopolitani Imperatores populorum licentiæ obuiam eundum arbitrati, Lege laudata sanxerunt, vt nemo in posterum sepeliretur in vrbe, quæ vero cadauera vrnis, vel sarcophagis inclusa super terram intra vrbis mœnia continebantur, extra vrbem deferrentur. Ne vero quis legem eluderet existimans, quamuis vrbana sepultura generaliter prohiberetur, hac tamen generali prohibitione sepulturam in Martyrum Basilicis non cohiberi: additum est, non a reliquis tantum vrbis Constantinopolitanæ locis, sed ab ipsa nominatim *Apostolorum, ac Martyrum sede* vrnas esse submouendas. Hæc Legis frons est, & sensus germanus.

Quædam autem consideranda heic præcipue occurrunt. Et primo, hinc etiam aperte probari, seculo Constantiniano Apostolorum, vel Martyrum Ædem humandis corporibus fuisse concessam. Quei enim huiusmodi sepulturam Imperatores interdicerent, nisi antea in more fuisset? Secundo, laudatam Constitutionem pro vna tantum Vrbe Constantinopolitana editam; ad Pancratium enim eidem Vrbi Præfectum dirigitur, atque in ea Vrbis tantum illius, non vero cæterarum, mentio habetur. Quare, tametsi hac in Lege a sepulcro in Ædibus sacris quærendo Christiani absterrerentur, non omnes tamen Imperio Romano subiecti, sed Ciues dumtaxat Constantinopolitani ea prohibitione tenebantur, licebatque propterea in aliis Vrbibus tumulum intra Martyrum Ædes imperrare. Tertio, a Martyrum, ac Apostolorum Templis Christianorum cadauera fuisse submota, non directe quidem, atque animo reuera huiusmodi sepulturam improbandi, sed indirecte, & ex consequenti. Ni ita ab Imperatoribus cautum fuisset, nullum successum sibi Lex spopondisset, imo plane irrita iacuisset; siquidem sibi quisque in vrbanis Templis sepulturam postea quæsiisset causaturus, pium apud Sanctos Martyres tumuli vsum edicto generali minime fuisse comprehensum. Non igitur ideo sepultura vrbana interdicta est, vt Christianorum cadavera a sacris Ædibus arcerentur, sed ideo sepulcra in eisdem Ædibus interdicta, vt ab vrbana sepultura quilibet excluderetur. *Ab his* (edicti sunt verba) *sacris Ædibus ita vt a reliquo Ciuitatis nouerint se atque intelligant esse submotos.*

Quamobrem deinceps etiam fas erat in suburbanis Basilicis sepulcro donari: quod certe hac Lege nequaquam vetabatur, Legibusque etiam antiquis consentaneum erat, quæ sepulturæ tantum vrbanæ vsum non sustinebant. Atque hanc præter alias fuisse quoque caussam veteribus Christianis, vel postquam sanctæ Religioni nomen Imperatores dederant, cur Basilicas extra Vrbes conderent, nempe vt ibi cum sacri Martyrum cineres, tum aliorum quandoque Fidelium ossa, Legum iure incorrupto, componi possent. Ne ab Vrbe æterna, in qua præclarissimæ Basilicæ, & Vaticana potissimum, olim extra pomœria exstructæ fuerant, huius moris exempla petamus, sit satis amplissimas, ac vetustiores Medio-

Mediolanensis Vrbis mihi notissimas recensere Basilicas, quæ nunc quidem amplificata Ciuitate vno mœnium ambitu cinguntur, sed antiquitus suburbano in agro conspiciebantur. Philippi enim Basilica (nunc S. Francisci) Portiana (nunc S. Victoris) Dionysiana, & Eustorgiana, vt nos antiqua monumenta docent, in suburbiis sitæ fuerant, quemadmodum & quæ S. Simpliciani nomine conspicua est. Quin Sanctus Antistes Ambrosius Basilicas minimum duas, vnam a SS. Apostolis nomen habentem, quæ deinde Nazariana nuncupata fuit, alteramque de suo nomine excitauit, vtramque procul dubio extra Vrbem, vt in iis libere quorundam etiam Christianorum cadauera tumulo traderentur.

Vides igitur, minime probari posse sententiam affirmantium, sepulturam Fidelium Imperiali decreto in quibuscumque Ædibus sacris fuisse damnatam. Euidentius autem constabit, illic de sola sepultura vrbana fuisse actum, vbi promulgandæ Legis rationes expendantur. En illas: *Vt mortuorum corpora extra Urbem delata humanitatis instar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio sanctitatem.* Videlicet, vt juxta vias publicas in Cœmeteriis posita mortalitatis imaginem prætereuntium oculis exhiberent, humanæque conditionis admonerent viatores. Tum vt ne tota Vrbs a Sepulcris occupata ab iisdem sancta, & sacra efficeretur, atque vt locum incolarum viuentium sanctitati relinquerent. Non enim sola apud antiquos, vt nosti, Sepulcra ad religionem spectare credebantur, *sanctaque* idcirco, *sacra*, & *religiosa* appellari solebant, sed loco etiam adiacentia, ædificia, agrique circumpositi *religione*, & *sanctitate* obligabantur. Id sexcentis Ethnicorum, tum Christianorum exemplis constare potest, quæ apud Spondanum leguntur Lib. 1. part. 1. Cap. de Cœmet. sacr. & Lib. 3. Cap. 15. & apud Kirchman. Lib. 3. Cap. 21. de Funer. Roman. & apud Guherium de Jure Man. Lib. 3. Cap. 9. Necessum igitur fuit, extra Vrbes Sepulcra compellere, vt ea in Ciuitatibus loca tantum essent sanctitate obstricta, quæ incolarum pietati, ac Templorum religioni consentanea viderentur. Atque hæc potior fortasse, verique similior Legis interpretatio est, quam quæ a Gothofredo adfertur, nempe, ideo vetitam in Vrbe ab Imperatoribus laudatis mortuorum sepulturam, *ne sacra Ciuitatis funestarentur*, quemadmodum Paulus Jurisconsultus Lib. 2. recept. sentent. Tit. 21. scripsit. Nimiam superstitionem, ac Gentilium indolem ea ratio redoluisset, Principibus certe Christianis indigna. Quod si temerariæ conjecturæ periculum non immineret, pro *Sanctitatem*, vt habent editi libri, *sanitatem* legendum heic opinari possemus, nimirum ne cadauera pestiferis exhalationibus Vrbem inficerent, neve cum incolarum viuentium salute fœtor mortuorum corporum confligaretur. Si igitur sepulturam, non ab vrbanis tantum, sed etiam ab omnibus Martyrum Templis, auertere Imperatores statuissent, aliquam procul dubio prohibitionis huius vniuersalis rationem attulissent, puta, ne Domus Dei, vbi purissimum omnium sacrificium peragitur, funeribus impleatur, aut vt impii sepeliri vetarentur eodem in loco, & similia. Verum nihil minus cogitarunt Principes, memoratæ Legis auctores, quibus in animo tantum erat, ab vna Vrbe eliminare sepulcra, atque ideo suburbanis Basilicis eorumdem usum relinquere.

Quæ quum ita sint, iam intelligere possumus, a Constantinopolitanis Imperatoribus numquam, nisi indirecte, & vt Scholarum vocabulo vtar, nisi per accidens, cautum fuisse, ne in sacris Ædibus Fidelium Sepulcra haberentur. Seculo vero sequenti Leo Imperator, quum huiusmodi prohibitionem Christianorum pietati minime congruam reputaret, liberum cuicumque fecit, vel intra Vrbes tumulari, Legemque contrariam abrogauit, atque a Legum ciuilium corpore deleuit Constit. Nov. 53. Πῶς γὰρ, inquit is, οὐκ ἔστι τὴν ἀνθρωπίνην αἰσχύνειν, ὅταν μὴ βούληται ὁ νόμος γῇ κρύπτεσθαι, εἰ μὴ ἔξω πόλεων φέροιτο τὸ ληφθὲν ὑπὸ τοῦ θανάτου σῶμα; *At quod Lex mortuorum corpora non nisi extra Vrbes humari vult, quomodo id humanam naturam dedecore afficere non est?* Equidem heic improbari quandam Legem Hadriani Augusti relatam in *ff. de Sepulcr. viol.* hoc est, *l. 3. Divus Hadrianus*, non autem eam, quam a Constantinopolitanis Augustis promulgatam vidimus, arbitror; siquidem ab vna Vrbe Constantini iidem Imperatores sanxerant amouenda esse Sepulcra: Hadrianus vero Maiorum superstitionem sequutus ab omnibus Imperii Romani Ciuitatibus arcuerat. Sed, quidquid sit, certe Cl. V. Thomassinio assentiri non possum, qui per hanc Leonis Legem restitutum Sepulcrorum vsum in sacris Ædibus opinatur, propterea quod a laudatis Imperatoribus Christianis in memorata Lege huiusmodi sepulturam proscriptam fuisse ille sibi persuaserat. *Leo Sapiens*, inquit is Par. 3. Lib. 1. Cap. 66. de Benef. *indulsit, vt sepeliri fas esset in vrbibus, hoc est, in Ecclesiis. Ita enim promtum est de eius mente conjectari.* Sed Leonis Imperatoris verba perquam clara nullis interpretationibus indigent. Vrbanam sepulturam priores Imperatores proscripserunt; eamdem Leo restituit. Nulla heic idcirco de ecclesiastica sepultura mentio, neque id indulgetur, quod numquam antea fuerat interdictum.

Nugantur vero, seque mirum in modum torquent Jurisconsulti quidam, & Ciuilium Legum Interpretes, ut *l. 2. nemo. C. de Sacrosf. Eccles.* explicent his conceptam verbis: *Nemo Apostolorum, vel Martyrum Sedem humanis corporibus existimet esse concessam.* Hi enim sacris in Ædibus mercimonia vetita, illi habitationem prohibitam arbitrati sunt; alii etiam Laicos in choro morantes, dum sacra persoluuntur, heic damnatos somniarunt. Verum, si fontem, vnde hausta a Iustiniano Lex illa fuit, petiissent, nempe laudatam *l. 6. Cod. Theodos. Tit. de Sepulcr. viol.* primo errorem in verbis deprehendissent, quum pro *humanis corporibus* legendum sit *humandis corporibus*; tum intellexissent, humanorum corporum sepulturam in Byzantinis Apostolorum, & Martyrum Basilicis fuisse interdictam. Quum vero Imperatores præcedentes huiusmodi iure vrbana tantummodo, vt visum est nobis, Vrbis Constantinopolitanæ Templa priuarint, dubitandi relinquitur locus, vtrum per eam Legem renouatam Iustinianus non ab vrbanis tantum, sed & a suburbanis Templis sepulcra eliminarit. Equidem nego; quippe nihil amplius præstitit Imperator, quam edicta Maiorum, ac Theodosii præsertim, repetere, nouoque edicto confirmare. Et quoniam, vti dictum est, vrbanam tantum in Basilicis sepulturam Theodosius vetuerat; idem ipsum Iustinianus voluisse censendus est. Secus aliis vsus fuisset verbis, prohibitionem ad omnia Templa extensurus.

Eiusmodi autem interdicto sacra Templa extra Vrbes posita nequaquam fuisse obnoxia, exemplis quoque nonnullis in exordio disputationis huius productis palam factum puto. Quibus nunc addendum, ab ipsius Constantini M. temporibus intra ipsas Basilicas vrbanas consueuisse tumulari Imperatorum, & Episcoporum corpora, vt ex certissimis monimentis liquet, quæ Dufresnius in Constantinopoli Christiana refert Lib. 4. pag. 108. & sequ. Præterea de Iacobo Maronis discipulo, viro sanctitate singulari prædito in Vitis Patrum Cap. 21. Theodoretus hæc tradit: *Construxi*, inquit egregius Scriptor, *ego quoque locos in Æde Victoria insignium Apostolorum. Sed quum hoc resciuisset vir diuinus, sæpe me rogauit, vt in illo monte corpus mandaretur sepulturæ* &c. *Annui, & sum assensus, & feci vt scinderetur arca, & sursum ferretur* &c. *Nihilominus humilis vir: Non patiar, inquit, hoc vocari sepulcrum Iacobi, sed volo hanc fieri Ædem Martyrum victoria insignium; me autem tanquam aliquem inquilinum poni in altero sepulcro, vt qui dignus habitus sim, vt apud eos habitarem. Neque vero hoc solum dixit, sed etiam fecit, & quum multos quidem Prophetas, multos autem Apostolos, maxime autem plurimos Martyres vndique collegisset, eos posuit in vna arca, volens simul habitare cum populo Sanctorum, & desiderans cum eis resurgere, & dignari Dei contemplatione.* Itaque in Martyrum Æde suum corpus sepulturæ mandandum curauit Iacobus, vt mortuus quoque una cum iis habitaret, quorum viuens Reliquias collegerat, atque coluerat. Accedat etiam testis luculentissimus S. Hieronymus, qui ad Eustochium scribens Epist. 27. Paulæ Romanæ sepulturam his explicat verbis: *Psalmi in ordine personabant, non solum triduo, donec subter Ecclesiam, & iuxta specum Domini conderetur Paula* &c.

His igitur hactenus prolixo sermone adnotatis, absque temeritatis periculo affirmari posse mihi videtur, piam intra sacras Ædes Christianorum sepulturam ab Imperatoribus minime fuisse improbatam, sed in vna tantum Constantinopoli, idque non eiusmodi sepulturæ contemtu, sed vt ab Vrbe tot sepulcra mortuorum abessent. Nunc superest, vt perspiciamus, quæ praxis deinde fuerit in sepeliendis Christianorum corporibus. Diuersum hunc morem Ecclesiastica Disciplina fecit, & in quibusdam Prouinciis licuit apud Sanctos Martyres tumulari, in aliis vero nequaquam. Romæ id numquam interdictum, plurima antiquitatis documenta suadent. Loaysa in Notis ad Concilium Bracarense, Decretum MS. Pelagii II. P. M. Anno 580. promulgatum, se vidisse in S. Laurentii Bibliotheca testatur, in quo cautum, vt *corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam, sed si necesse est, foris circa murum Basilicæ* sepelirentur. Quantum a veritate hæc absint, Gregorii Magni, qui Pelagio in Pontificatus munere proxime successit, lucubrationes luculenter produnt. Sanctissimus enim vir piorum sepulturam intra Basilicas vbique probat, facile non facturus, si contra huiusmodi ritum pronunciasset illius decessor. Itaque Loaysam vitiato Codice, aut apocrypho monumento vsum merito suspicemur.

Neque Nicolao I. Pontifici Maximo alia sententia fuit; nam percunctantibus Bulgaris, an intra Basilicas sepeliendi forent, Christiani, respondit: *Hanc Sanctus Papa Gregorius quæstionem absoluit dicens: Quum grauia peccata non depri-*

deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur; quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulcra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt &c. Mediolani eamdem quoque etiam consuetudinem viguisse, S. Ambrosii verba, exemplaque Tom I. Anecdot. Latin. relata vberrime testantur; eamque Nolæ etiam vsurpatam fuisse ostendimus. Neque aliter in Africa factum est. In Hispaniis tamen Concilium Bracharense An. Ch. 563. celebratum consuetudini illi obuiam iuit; Canone enim XVIII. hæc statuit: *Placuit, ut corpora defunctorum nullo modo in Basilica* (alii Codices *intra Basilicas* præferunt) *sepeliantur. Sed si necesse est, de foris circa murum Basilicæ, vsque adeo non abhorret.* En locus, vnde suppositiuum Pelagii II. edictum, quod nuper notauimus, deriuatum mihi videtur.

In Galliis vero diu Christianorum corpora in sacris Ædibus sepulturæ mandata fuisse, non Gregorius modo Turonensis pluribus in locis testatur, sed alia exempla palam faciunt. Auctor Vitæ S. Cæsarii Arelatensis Episcopi, Basilicam ab eo exædificatam scribit, & sub eius pauimento arcas lapideas, ut ibi Sanctimoniales tumularentur, collocatas fuisse. *Et vt offerret*, inquit, *sacris Virginibus, quas congregauerat, curam necessariæ sepulturæ, nobiles arcas corporibus humandis aptissimas, de saxis ingentibus nouiter fecit incidi, quas per omne pauimentum Basilicæ constipatas sterni fecit ordine.* Verum quod fortasse in eam sepeliendi consuetudinem abusus irrepserant, Galliarum Patribus placuit, a Templis remouere mortuorum sepulcra. Ignotum est, quo anno Concilium Namnetense habitum fuerit; perantiquum tamen esse constat. In eius autem Canone VI. *probibetur, vt in Ecclesiis nullatenus sepeliantur vita functi, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiæ.* Canonem hunc ad Concilium Vasense refert Gratianus in c. *præcipiendum* 13. *quæst.* 2.

Theodulphus Aurelianensis in Epist. ad fratres, & Compresbyteros suos in eamdem sententiam scribit. *Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum vsus fuit, & plerumque loca diuino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata, Cæmeteria, siue polyandria facta sunt. Unde volumus, vt ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, quæ per vitæ meritum talem viuendo suo corpori defuncto locum acquisiuit.* Tum corpora, quæ antiquitus in sacris Ædibus humata fuerant, nequaquam proiicienda monet, sed altius in terram immergenda, ita vt supra pauimentum nulla tumulorum vestigia superfint: quod etiam Sanctissimus Mediolanensium Antistes Carolus Borromæus faciundum curauit, ac iussit in Concilio Prouinc. I. Cap. de Sepulturis, & in Synodo Diœcef. IV. Decr. 37 & alibi.

Porro in Theodulphi verbis duo potissimum animaduerteris. Primum est, non recenter inuectam, neque *inualescentem tunc in Galliis consuetudinem* illam fuisse, vti Clariss. Thomassinius par. 3. Lib. 1. Cap. 67. de Beneficiis minus recte appellat, sed *antiquam* plane, & multorum forsitan seculorum vsu confirmatam. Alterum est, quandoquidem tanta in locis diuino cultui dicatis cadauerum moles creuerat, vt non iam Templa, sed Cœmeteria viderentur, hunc abusum a Theodulpho sublatum, relictamque tamen huiusmodi sepulturæ facultatem tum Sacerdotibus, tum Laicis, qui explorata, dum in viuis agerent, pietatis signa dedissent. Idem quoque a Concilio Moguntino An. Ch. 813 constitutum est Can. 52. quem refert Gratianus in *c. nullus* 13. *quæst.* 2. At quum sibi quisque piæ vitæ in seculo peractæ testimonium adscriberet, ideoque pauci humanis functi a Basilicis arceri possent, Laicis quibuslibet a Carolo M. interdictum est, ne in Templis sepulturæ mandarentur: quod Capitularia nos docent Lib. 1. Cap. 159. & Lib. 5. Cap. 48. Eadem sancita reperias a Concilio Triburiense Cap. 17. Anno 895. Multorum subinde Conciliorum hanc in rem prodiere decreta, quæ quum varium Disciplinæ Ecclesiasticæ vsum præferant, atque ab aliis Scriptoribus sedulo congesta fuerint, omittenda mihi in præsentia videntur.

Cæterum quæ hactenus exposuimus, in eam nos sententiam facile ducunt, vt affirmemus, antiquis etiam Christi Fidelibus licuisse intra Templorum ambitum tumulo tradi, idque Seculo potissimum quarto, quo Nazianzenus degebat. Ne igitur piam istam nostrorum temporum consuetudinem, ac si Gregorii tantum Magni æuo nata fuerit, Sacrarumque Basilicarum decori sit minus consentanea, Heterodoxi damnent, quando illam tot veterum Patrum non exempla solum, sed ipsi etiam calculi probant. Laudabile quidem & ego arbitror iuxta sacras Ædes in Cœmeteriis sepulcra quærere, vt animi demissi confessio prodatur, simulque vt ob sacrorum reuerentiam cadauera Christianorum ab aris distent, in quibus immaculati Agni sacrificium peragitur. Verum non idcirco minus eorum pietas est commendanda, qui intra ipsas Ædes sacras humilem, & ambitionis nesciam sibi parant sepulturam, tum vt Martyres ibi contumulatos apud supremum Numen patronos sentiant, tum vt viuentes mortalitatis commonefaciant, & ab eis facilius precum, & orationum impetrent opem.

Atque hæc habui, Fontanine eruditissime, quæ in veterum Christianorum sepulcra commentarer, vt ritus nostros cum antiquis consentire ostenderem, & Nazianzeni (si tamen is Auctor) versibus quibusdam facem aliquam præferrem. Tu aut tristi argumento, aut longo sermoni ignosce, meque tui amantissimum, vt facis, amare perge.

De Translatione *corporis humati: deque* Sanctorum *seu* Martyrum *reliquiis & Sepultura, Theodosii M. lex.*

VII. (a) Idem AAA. (b) Cynegio. P. P. (c)

Humatum (d) corpus, nemo ad alterum locum (e) transferat; nemo * Martyrem (f) distrahat, nemo mercetur: Habeant (g) vero in potestate, si quolibet in loco Sanctorum est aliquis conditus, pro (h) eius veneratione, quod *Martyrium* vocandum sit, addant quod (i) voluerint fabricarum. Dat. iv. Kalen. Mart. Constantinop. Honorio nb. p. & Euodio coss. [386.]

NOTAE.

(a) *Lex pen. seu* 14. *Cod. Iust de Religiosis*: hinc desumpta est. Habet eam quoque Baronius *A.* 386. *n.* 42. Gothofr.

(b) Male *ye. Valentinianus & Arcadius*, vt etiam habetur *C. Iust. Id.*

(c) *Cynegius* PP. Orientis scil. sub Theodosio M. de quo iam sæpe: etiam ad Libanii orationes, vid. *Prosopogr. Id.*

(d) *Humanum corpus*: Cod. Iust. male: Geminus error admissus in vulgatis *Codicibus* Iustiniani, *in l.* 2. *Cod. de SS. Ecclesf.* quæ desumpta est ex *fine l.* 6. *supra. Id.*

(e) *Sine Augusti affatibus*: hæc exceptio addita *Cod. Iust. d. l.* 14. *Id.*

* *Lex* 3. *Cod. Iust. de SS. Ecclesf.* hinc desumpta est. *Id.*

(f) *Cod. Iust.* in Plurali, *Martyres.* Martyres autem, id est, Martyrum reliquias, λείψανα ἁγίων: sic enim recte Basilica, & *Harmenopulus*: & Index libri *Paratitlorum Græcorum*, Martyres accipiunt & interpretantur. Secunda porro *huius legis* sententia hæc est. *Id.*

(g) TERTIA *huius legis* sententia. Porro, *habeant* illi scil. quibus duo superiora interdicta sunt. *ID.*
(h) Supple *vt*: *vt pro eius*, &c. id est, vt addere possint. *ID.*
(i) Id est, quodcunque. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE SANCTORVM siue MARTYRVM reliquiis & sepulchris, integra hæc Theodosii M. A. D. 386. Constitutio est, ad Cynegium PP. Orientis emissa: cuius tria sunt capita nobis consideranda & exornanda.

Primum igitur caput est, de TRANSLATIONE Reliquiarum: quam Græci ἀνακομιδὴν dixerunt: Eam scil. Theodosius M. *h. l.* prohibet. Quæ sane Reliquiarum in commune translatio Iure Romano semper prohibita fuit, si iustæ sepulturæ iam traditæ reliquiæ essent, alioquin qui transtulisset, veluti corpore inquietato, læsæ Religionis & Sepulchri violati reus erat: *l. 39. D. de Religios.* Neque alio pertinet, vt omittam alias, vetus hæc Inscriptio apud Gruterum DCCLIIII. 16. *Ne quis nos inquietet ex arca nostra, neque ab ante aliam ponat nec commutet.* Quæ vetus Inscriptio respondet optime *dictæ legi 39.* Imo quamlibet iusta aliqua transferendi corporis humati causa olim esset, veluti incursus fluminis, vel alia; sine Pontificali tamen vel Principali authoritate, vel Magistratus permissione, id facere non licebat: de quo iam dictum fuit ad *l. 2. sup.* Ideo Tribonianus *legi 14. Cod. Iust. de Relig.* (quæ alioquin ex hac nostra desumpta est) hæc verba addenda putauit, *Sine Augusti affatibus*, id est, sine Principis permissu. Dixi, *si iustæ sepulturæ iam traditæ fuissent reliquiæ:* id est, si *terra iam conditum* corpus reliquiæue fuissent, vt interpretatur *d. lex 39.* & vt *lex* nostra proprie loquitur, *si corpus humatum:* proprie inquam, quod aliunde satis patet. Itaque perperam hic in Cod. Iust. *humanum*, pro *humatum*, legitur: humanum enim transferri potest, sine Principis permissu, si modo humatum non sit; *l. 3. D. §. 4. de sepulchro violato: l. 10. Cod. Iust. de Religios.* solo Præsidis permissu; cuius rei exemplum vide quoque apud Basilium, *ep. 424. ad Magistratum Sebastiæ:* quanquam & in ea specie forte iam humatus, verum in patriam transferri petitus; quod κατὰ τὴν ἐπιδημίαν τοῦ στρατοπέδου mortuus fuisset, in exercitu inquam. Geminus error residet *in l. 2. Cod. Iust. de SS. Eccles.* p.153 (quæ alioquin desumpta est ex *l. 6.* proxime præcedente *h. tit.*) Cuius lectionis corruptæ causa nugas agunt Interpretes. Certe Apostolorum vel Martyrum sedes non humanis, sed humandis corporibus denegantur. Translationem porro Sanctorum seu Martyrum nominatim, de qua hanc *legem* accipiendam contendo, ideo Theodosius M. prohibuisse videtur, quod impostores quidam ad mouendos superstitiosæ plebeculæ animos, corpora in agris suis eruta velut Sanctorum reliquias circumferrent, alioue transferrent: vel etiam quod mox sequitur, & vel maxime hic spectari puto, tanquam *Reliquias* distraherent. Alioquin, vt omittam alia, Translationis Sanctorum exemplum extat *epistola, inter Ambrosianas 54. edit. Parisin. Cardinal. Felicis de Monte Alto*, de SS. Geruasio & Protasio.

Secundum igitur caput est, ex superiore dependens; de non VENDENDIS EMENDISVE Martyrum reliquiis; cui sane causam præbuit quorundam αἰσχροκερδία, quinimo & impostura: qui, vt modo dicebam, Martyrum reliquias & ψευδολείψανα circulatorio prope more circumgestare, & empturis proponere soliti. Sane de Pseudomonachis id testatur insignis Augustini locus, *de opere Monachorum cap. 28. Callidissimus hostis, tam multos hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit, circumeuntes Prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes: alii membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant: alii fimbrias & phylacteria sua magnificant* &c. Proinde hac de causa, propter impostores inquam, huiuscemodi Martyrum commercio Theodosius M. Imperator *hac l.* interdicendum credidit, ac maxime quoniam stabilito magis magisque hac tempestate in Sanctorum reliquias, cultu & affectu (vt tertium *huius legis* caput ostendit) impostores huiusmodi siue circitores emptores hiantes (vt ille loquitur) facile inducerent, & simplicioribus imponerent: quandoquidem in eam iam venerat plebs opinionem, quam optime consultum sibi, si vel minimum de Sancto Reliquiarum haberet. Itaque minus hoc caput illustrant, atque in eius sensum minus penetrant, qui communi illo fine Sanctorum commercium a Theodosio *h. l.* prohibitum putant, quia res sacra in commercio hominum non sit. Quod etsi indubitati iuris sit, propiorem tamen scopum finemque huiusce *legis* non attingit; quo videlicet excurrenti impostorum fallaciæ Theodosius occursum voluit. Cæterum *h. l.* in transferentem corpus humatum, vel Reliquias Martyrum distrahentem, vel ementem, pœna nulla statuitur. Quam tamen statutam oportuit, ne alioquin imperfecta hæc *lex* esset. Et vero ex *titulo* ipso sub quo hæc *lex* collocata est, satis colligitur, sepulchri violati pœnam hoc facto contractam.

Tertium *huius legis* caput est, quidnam circa Reliquias Sanctorum fieri, vel licere velit Theodosius M. *hac l.* Nempe istud, vt si in loco aliquo sanctorum aliquis conditus sit vti condi eos oportere ostendit Auctor *vitæ S. Antonii*, siue *Athanasius pag. 502. Tom. II. Oper. edit. Colon. siu. Lips. Weidm.* eo ibi relicto, pro eius veneratione Martyria excitari possint. MARTYRIVM ei excitetur, id est ædificio superstructo Reliquiæ eius decorentur. *Pro eius veneratione*, inquit lex; *Veneratio* hic est, non προσκύνησις, siue λατρεία, sed σεμνότης & τιμή: quomodo & glossæ Philoxeni, αἴδεσις: quomodo & Cicero *de Natur. Deor. lib. I. cap. 17. habet*, inquit, *venerationem iustam, quidquid excellit.* Huius porro venerationis gradus varii sunt, prout quæque res est; quæ sane probatis Sanctis, eorumque Reliquiis debetur. vid. *Constit. Apostol. lib. 6. c. vlt.* Notum alioquin illud Nazianzeni *in Distichis versibus. Distich. 7. pag. 146. edit. Colon. siu. Lips. Weidm.*

Ὕβρις ἀναγνὸν ἐόντα παρεστάμεναι θυέεσσι,
Δεινότερον νεκύων λείψανα πάντα σέβειν.

Id est:

Sacrificare non pura mente graue est:
Sed grauius mortuorum reliquias omnes venerari.

Et modus hac in re optimus. Quam in rem vid. Concil. Carthag. *5. cap. 14. pag. 988. Tom. I. Concil. edit. Hard.* (Lugdun. *cap. 62.* Cabillon. *can. 43.*) & Augustin. 8. *de Ciuit. Dei, cap. vlt.* & quæ *ibi* Viues & alii, legitimum contra Sanctorum & Reliquiarum temeratores, cultum defendentes: vid. Gregor. Nazianzenum *in Iulianum Orat. 3. num. 27. 28. 29. sqq.* etsi neque omnes modum semper tenuere ἀμετρίᾳ τῆς ἐντολῆς abrepti.

Ad rem; Martyria igitur sanctis pro veneratione eorum excitari, vt mos fuit, de quo v. & Eusebium *lib. 4. cap. 15. de Polycarpo Smyrnensium Episcopo*, ita & *hac* Theodosii M. *lege* permittitur. *Martyrium* lege superiore proxima vocatur *Apostolorum & Martyrum sedes*, quæ in Ecclesias postea conuersæ, propter

propter amplam & magnificam earum structuram; cuius quidem amplitudinis & magnificentiæ licentiam tribuit Theodosius M. *h. l. Martyrium* scil. nil aliud est, quam Ecclesia siue Basilica excitata ad sepulchrum Sancti alicuius, vel Martyris *probati*: cuius etiam Conditorium, quod notum, pro Altari erat. Hieronymus, *in vita Hilarionis pag. 161. Tom. I. Oper. edit. Francf. apud Gensch. Ne sublato ad villam suam Sancti corpore Martyrium fabricaret.* Itaque & in *veteri vrbis Constantinopolitanæ descriptione, Region. 4. & 10. Ecclesia,* siue *Martyrium* promiscue vocantur. Walafridus Strabo, *de rebus Ecclesiasticis, c. 6. Martyria*, inquit, *vocabantur Ecclesiæ, quæ in honorem aliquorum Martyrum fiebant.* Hieronymus *in Chronico: Eustatius Constantinopolitanus Presbyter agnoscitur, cuius industria in Hierosolymis Martyrium extructum est.* Idem Hieronymus *eodem Chronico: Constantinopoli Apostolorum Martyrium dedicatur:* Vide & Sozomenum *lib. 2. cap. 26.* Theodorum Anagnostem, *Ecloga 2.* & Synodi Laodicenæ *can. 9.* siue *Codicis Canonum Ecclesiæ vniuersæ canon. 113. pag. 50. edit. Iustelli.* vide & *Canon. Concilii Calchedonensis 6. 8. 10.* siue *Canonem Codicis istius 184. 186. 188. pag. 63. 64. edit. Iustelli.* Itaque Ecclesia vocata est *Martyrium*: sic vt postea χωρὶς ἁγίων λειψάνων καθιεροῦν ναὸν, non licuerit, *can. 7. Concil. Nicæn. II.* siue *Oecumen. VII. p. 492. Tom. IV. Concil. ed. Harduin.* Easdem & *Memorias Sanctorum* proprie dictas alii iam monuerunt. De Martyribus & Martyriis vide plurima notatu dignissima apud Basilium M. *Sermone in Quadraginta Martyres*: & apud Theodoretum *in Θεραπευτικῇ, serm. 8. pagina* præsertim *112. 115. 116. 117. 119. 121. 122.*

Cæterum quemadmodum falsis Reliquiis *hac lege* occursum videmus, translatione videl. aut commercio earum interdictis, Martyriis tamen in earum venerationem extrui permissis; ita cum ementitis Reliquiis, gemino imposturæ genere, falsæ memoriæ superstruerentur, Concilio Carthaginiensi ei rei occursum fuit, quod habitum est A. D. 401. id est quindecim post hanc legem annis *can. 83. Cod. Canon. Eccles. African. pag. 370. 371. edit. Iustelli.* & *pag. 907. Tom. I. Concil. edit. Harduin.* cuius hæc verba sunt. *Item placuit, vt Altaria, quæ passim per agros & per vias, tanquam memoriæ martyrium constituuntur, in quibus nullum Corpus aut Reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, euertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent; vt qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione deuincti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi vbi Corpus, aut aliquæ Reliquiæ sunt, aut origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia & per manes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbicunque constituuntur altaria, omni modo improbentur.*

Illud tum ex *hac lege*, tum ex aliis huius æui Scriptoribus colligimus: Martyrum cultum hoc æuo plurimum inualuisse: Quæ causa Scriptoribus Gentilibus in id inuehendi, veluti Eunapio, Libanio, Ac nominatim per Syriam & Ægyptum, vbi Cynegius hoc tempore erat, prohibendis Gentilium sacrificiis templisque occludendis occupatus: de quo ad *l. 9. inf. de paganis.* P. 154.

AD LEGEM FABIAM, HOC EST * QVI FILIOS INVOLANT ALIENOS.

TITVLVS XVIII.

* Hæc a Gothis addita videntur.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XX. *Ad Legem Fabiam de Plagiariis.* Vide etiam Ciceronis *Orat. pro Rabirio.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Domitium (b) Celsum Vic. Afric.

PLAGIARII, qui (c) viuentium filiorum miserandas infligunt parentibus orbitates, (d) metalli pœna, cum ceteris ante cognitis (e) suppliciis tenebantur. (f) Si quis tamen (g) eiusmodi (h) reus fuerit oblatus, (i) posteaquam super crimine patuerit, (k) seruus quidem vel libertate donatus, bestiis primo (l) quoque (m) munere obiiciatur, liber (n) autem sub hac forma in Ludum detur gladiatorium, vt antequam aliquid faciat, quo se defendere possit, gladio consumatur. Eos (o) autem qui pro hoc crimine iam in Metallum dati sunt, nunquam reuocari præcipimus. Dat. Kalend. Aug. Constantino A. IV. & Licinio IV. Coss. [315.]

INTERPRETATIO. *Hi qui filios alienos furto abstulerint, & vbicunque transduxerint, siue ingenui, siue serui sint, morte puniantur.*

NOTAE.

(a) *Lex vltima, Cod. Iustin. eod. tit.* Hanc *legem* memorat quoque Papianus *Resp. t.* 4. vbi ei tribuit, quæ ea non continentur. *GOTHOFRED.*

(b) *Domitius Celsus* Vicarius Africæ sub Constantino M. Ad eundem extat Constantini M. epistola aduersus Donatistas, vt & alia Petronii PP. quam vide apud Baronium Annal. an. 314. n. 70. inter gesta purgationis Cæciliani & Felicis. Eidem inscribitur *lex* 1. *sup. de officio Iudicum omnium*: vid. *Prosopogr. ID.*

(c) De *Plagiariis* filiorum hæc *lex* duntaxat est. *ID.*

(d) *Cuius senectus & liberorum* ORBITAS *magna promittebat.* Seneca 1. *de benef.* 14. *ID.*

(e) Alciatus perperam scripsit, in *Cod. Theod.* legi *ante cognitionem. ID.* Et certe Editio Sichardina lectionem Alciati præfert. *RITTER.*

(f) *Teneantur* Codice Iustin. de quo mox plura. *GOTHOFR.* *Teneantur* MSS. W. & G. Ed. Sichard. *RITTER.*

(g) De cætero, seu imposterum, deinceps: itaque rescribat quis. *Tandem* id est deinceps, & postea demum. In Glossis Philoxeni. *Tandem*, ὅμως, δήποτε. ἢ δῆτε, μόγις. Sed nihil muto; vox TAMEN hic est alterius seu diuersæ sententiæ index. *GOTHOFRED.*

(h) *Filiorum* Plagiarius. *GOTHOFRED.* *Huiusmodi*, Cod. Iust. & MS. G. *RITTER.*

(i) *Oblatus* vel a priuatis, vel a Stationariis. *GOTHOFRED.*

(k) *Patuerit*, recte: neque id mutandum in claruerit. *ID.*

(l) *Primo quoque munere*: hæc verba Tribonianus recidit: deinde pro *obiiciatur*, reposuit *subiiciatur. ID.*

(m) γε. *Quoquo. ID.*

(n) Sequentia ita Tribonianus immutauit. *Ingenuus gladio consumatur*: vt superius, *Muneris*; ita hic *ludi gladiatorii* mentione suppressa. De cuius rei ratione mox. Cæterum *liber*, hic est ingenuus, vt ex superioribus patet. Itaque & vocem *Ingenuus* hic Tribonianus substituit. *ID.*

(o) Sequentia Tribonianus resecauit, quia scilicet *versiculus hic* in præteritum respicit. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. vnica hæc *hoc titulo* constitutio est in Plagiarios filiorum, qua pœnam in hos determinat. Pœna plagii, seu plagiariorum, variis ex causis incurrebatur, quas discere est ex *titulo Digestorum*, & *Codicis*, huic concordante: itemque ex Pauli *lib. V. sentent. tit. 30.* Vlpiani *lib. 9. de officio Proconf. Titulis* huic pariter concordantibus, quod Authorem *collation. leg. Mosaic. tit. 14. de plagiariis* §. 3. Potissima causa fuit (quæque ideo primum caput *legis Fabiæ de Plagiariis* occupabat) si quis Ciuem Romanum ingenuum, eumue qui in Italia *liberatus* (id est manumissus esset) celasset, vinctum habuisset, vendidisset, emisset, quiue eam in rem socius fuisset.

Cæterum Pœna *lege Fabia* constituta pecuniaria fuit, vt docet Hermogenianus, in *l. vlt. D. eod. tit.* & Vlpianus *d. lib. 9. de offic. Proconf.* apud *Pariatorem legum Mosaicar. d. §. 3.* imo & eandem indicat *lex 12. D. de manumiss.* Verum ea pœna in vsu esse desiit, & hoc crimen extra ordinem animadP. 155. uersionem meruit, proque delicti modo coërcitum est, plerumque metalli pœna, vt docet Hermogenianus *d. l. vlt.* & Paulus *lib. 5. sent. tit. 30. §. 1.* & *apud Pariat. Leg. Mos. tit. 14.* Quin & *lex* hæc nostra id ipsum testatur & *principio* & *fine* eius. Pœna, inquam, pecuniaria in vsu esse desiit, ac maxime quæ *primo capite legis Fabiæ* imposita fuerat in summi criminis plagium istud, quod ante dixi. Nam quæ secundo capite statuta fuerat, ea non adeo immutata vel aucta fuit: in eos inquam, qui seruo fugiendi consilium dedissent, in fuga constitutum celassent, vendidissent, vt apparet ex *lege 6. Cod. Iust. eod. tit.* (a) Plagium igitur serui pecunia deinceps quoque multatum, non obstante Pauli loco apud *Pariatorem*: ingenui vel libertini, coërcitione pro modo delicti, & plerumque metalli pœna, vt ait Hermogenianus.

Et tamen hæc *lex* nostra, non tantum metalli pœnam, verum etiam alia præterea ante cognita supplicia huic crimini imposita fuisse testatur. Et vero Paulus *l. c.* distincte rem ita proponit; *Humiliores, inquit, aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur: Honestiores adempta dimidia parte bonorum in perpetuum relegantur.* Vbi vides triplicem pœnam. Metalli, crucis, & perpetuæ relegationis. Crucis videlicet supplicium seruis impositum ob plagium ingenui vel libertini: Fuit enim, vt iam notum est, proprium ferme seruorum supplicium, Crux. In cæteros relegatio perpetua statuta, si honestiores essent: metalli, si humiliores. Neque fortassis temere est, quod Constantinus *h. l.* Crucis supplicium generalibus his verbis inuoluat, *cum cæteris ante cognitis suppliciis.* Quandoquidem hic idem Constantinus *Crucis* supplicium sustulit: & quidem, vt existimo hoc ipso anno 315. mense Martio, eo capite quod cohæsisse videtur *legi 2. inf. de pœnis*, vbi dicam: quod superiore adhuc anno 314. stabat, vt docet *lex vn. sup. Ad L. Iul. maiest.* Quare error est P. Fabri 2. *semestr.* 11. cum his verbis *cæteris ante cognitis suppliciis*, intelligi vult, deportationem ludumque gladiatorium.

Et hæc quidem Plagii circa ingenuos & libertinos admissi pœna, ad Constantini M. tempora vsque fuerat. Nulla videl. distinctione facta inter ingenuos, circa quos plagium admissum fuisset: sic quidem, vt qui FILIVM alienum patri suo plagio subduxisset, non alio pœnæ genere quam si alium ingenuum quemcunque per plagium subduxisset, plecteretur. Idque est scilicet, quod *huius L. initio* Constantinus præfatur: *Plagiarii, qui viuentium filiorum miserandas infligunt parentibus orbitates, metalli pœna cum cæteris ante cognitis suppliciis tenebantur.* Scil. de filiorum plagiariis tantum hæc Constantini M. constitutio est: qui hactenus eodem supplicii genere, quo cœteri plagiarii, neque maiore, TENEBANTVR: *tenebantur* inquam, ita enim clare editum *hoc Codice nostro*: Male omnino in Cod. Iustinianeo, *teneantur*: etsi vnica tantum litera detracta; magno tamen & incredibili pene *huius legis* & sententiæ dispendio. Quo certe factum, vt *lex* ipsa secum dissentire vulgo visa fuerit: & crucem Alciato aliisque fixerit: Sed vt veram hanc lectionem iam olim recte Viuianus suboluit, mox & Duarenus *lib. 2. Disp. ann. c. 20.* & P. Faber 2. *semestr.* 11. restituerunt, ita rem expediuit hic *Codex*, voce *tenebantur*: qua significatio significatur, quod proditum est

(a) Vide quæ monuit contra Nostri sententiam, CL. SCHVLTINGIVS ad Paullum *l. c.*

est non tantum implicite in *l. vlt. D. eod. tit.* verum expressius apud Paulum 5. *sent. eod. tit.* eo loco quem ex Auctore *collationis Legum Mosaic.* antea retuli.

Igitur filiorum plagiarii eodem hactenus quo cæteri plagiarii supplicio, neque satis acerbo tenebantur: verum Constantinus eorum supplicium exacerbatum seu auctum *h. l.* iuit: quod & initium *legis* & vltima eiusdem sententia satis euincunt: & ostendit omnino vocula aduersatiua hæc, TAMEN. Ac si diceret; Etsi olim quidem & hactenus leuiore pœna huiusmodi plagiarii tenerentur, sibi tamen nunc aliter videri, augendam videl. EIVSMODI reorum, qui scil. filiorum plagiarii essent, pœnam: nempe, quia vt eleganrer loquitur, *viuentium filiorum miserandas infligerent parentibus orbitates.* Hæc scil. exacerbandæ horum plagiariorum pœnæ causa a Constantino M. redditur. Vt cæteroquin plagiariorum facinus magnum est, ita eorum maximum, qui filios parentibus subducunt. Similis est ratio quæ redditur in *Codice Visigothico lib. 7. tit. 3. de vsurpatoribus & plagiatoribus, l. 3.* Quia parentibus venditi aut plagiati non leuius esse potest, quam si homicidium fuisset admissum. Et vero frequens id crimen fuit hac etiam ætate, vt liberis abuterentur: de quo Tertullianus *ad Nationes lib. 1. c. 7.* & 15.

Pœnam igitur hanc filiorum plagiariis imponit Constantinus seruis & libertis (sic enim *libertate donatos* accipio, contra quam P. Faber 2. *semest. 11.*) ludi gladiatorii & damnationis ad bestias: liberis, id est ingenuis (quam vocem hic Τρίβον. subiecit) ludi gladiatorii ita quidem, vt ibi abiumantur. Quo vtroque supplicii genere atrocius nil; bestiarum inquam, & ludi gladiatorii. Facilis certe in hoc ad bestias dandi supplicio (verum vt fateamur) nimium Constantinus fuit. Exemplo sunt duo *Francorum Reges, Ascaricus & Regaisus*, quos bestiis obiecisse Constantinum crudeliter refert Nazarius *in Panegyrico cap. 16.* Pariter, testatur Vlpianus *lib. 8. de off. Proconsulis*, sub *titulo, de Abigeis* (apud Pariatorem *ll. Mosaicarum & Rom. tit. 11. §. 8.*) qui sub Antonino Caracalla, Alexandro Seuero scribebát, abigeos, minaci gladio resistentes (vt in hac re loquitur Firmicus *lib. 6. Mathem.*) id est cum gladio abigentes, Romæ etiam bestiis subiectos suo tempore: *Romæ tamen etiam bestiis subiici abigeos videmus: Et sane, qui cum gladio abigunt, non inique hac pœna adficiuntur.* Quem locum ita Tribonianus interpolauit, *l. 1. §. 3. D. de abigeis. Sane qui cum gladio abigunt non inique bestiis obiiciuntur.* De bestiarum alioquin in commune supplicio est *lex* Modestini, *31. D. de pœnis.* Deque eo toties iam ab aliis inculcatum, vt monere amplius pigeat. Sane qui ad bestias dati, depugnaturi cum his inducebantur stato spectaculi die: quod MVNVS dictum, & vero *hac* quoque *leg.* dicitur: de quo pariter iam toties ab aliis dictum, vt dicere superuacuum sit. Copiose ea de re scripsit Petrus Faber *Semestrium lib. 2. c. 11.* Denique de bestiariis his, quos & damnatos in ludum, & Arenarios, Græci vero θηριομάχους dixerunt; passim legere licet: Proprie autem bestiis *obiici* dicebantur, quomodo & Polybius *lib. 1.* dixit ὑποβάλλειν τοῖς θηρίοις, Dio vero *lib. 58.* τοῖς θηρίοις ἐκ καταδίκης διδόναι, quia scilicet aut inermes in arenam ad bestias dabantur, seu bestiis obiiciebantur, vel etiam ad Stipitem deligati, bestiis in prædam dabantur: quos & ideó *Surrectos ad Stipitem* bestiis obiectos vocat Vopiscus, *in vita Aureliani, cap. 37. D. Mnestheus*, inquit, *postea surrectus ad stipitem bestiis obiectus est:* Nam quod in, *surreptus*, istud mutant, & morum veterum & linguæ imperitiam hac parte arguunt. Hinc & *subrigenda*, pro surrectione ad pœnam: quam vocem Vlpianus vsurpauit, *libris de officio Proconsulis* docente Philoxen. *in Glossar. voc.* εἰς ὑπόρθωσιν, (& quidem *nono*, vt existimo, quo videlicet Genera pœnarum Vlpianum tractasse docet *lex 6. §. vlt.* & *lex 8. D. de pœnis.* & quidem de Ludo Venatorio & Bestiario, vt ostendit *d. l. 8. §. 11.*) Eam igitur exinde vocem veteres Glossæ ita interpretantur. *Ad subrigendam*, εἰς ὑπόρθωσιν τιμωρίας. *Subrigenda*, est *Subrectio*, atque inde deligatio ad stipitem in pœnam vel ignis, p. 156
vel fumi, vel bestiarum. *Subrigit*, in iisdem *Glossis* ὑπορθοῖ, ὑποστηρίζει, *subrigo*, ἀναβιβάζω, ἀνορθῶ, *subrigo*, pro *suberigo*. In Glossis *Cyrilli*, pariter ὑπορθῶ, *erigo, subrigo, fulcio.* Et hæc de munere, subrictione, & bestiarum supplicio dicta sint. Neque dubium quin *subrigenda* illa Vlpiani ad omnem surrectionem in pœnam accipienda sit: Non de eculeo tantum, vt vult nonnemo, intelligenda. Nam & qui ad stipitem deligati, non ita deligati erant, vt terræ insisterent, verum eminuli & subrecti.

De Ludo Gladiatorio videamus, de quo & *l. 28. inf. de pœnis:* & *l. 1. inf. de gladiator.* Hoc igitur supplicii genere liberum, id est ingenuum, filii alieni plagiarium absumi iubet Constantinus, & quidem antequam aliquid faciat quo se defendere possit. Ludi scilicet gladiatorii duplex conditio fuit. Alii quippe post certum tempus liberari inde poterant, & hi proprie *in ludum gladii*, seu *gladiatorum* damnari dicebantur. Etsi vocum proprietas hæc non semper obseruetur, vt hæc quoque *lex* indicat (generali enim *Ludi gladiatorii* appellatione, posterius quod dixi supplicii genus indicatur *h. l.*) Res tamen ipsa atque hoc supplicii discrimen verum est. Vlpiani locus *lib. 8. de officio Proconsul. sub Titulo de Abigeis*, apud Authorem *Collat. Legum Mosaic. tit. 11. §. 7.* hanc in rem singularis est. *Forte* inquit, *sensit D. Adrianus, gladii pœnam dicendo, Ludi damnationem. Est autem differentia inter eos qui ad gladium, & eos qui ad ludum damnantur. Nam ad gladium damnati confestim consumuntur, vel certe intra annum debent consumi. Hoc enim mandatis continetur. Enim vero qui in ludum damnantur, non vtique consumuntur, sed etiam pileari, & rudem accipere possunt post interuallum; si quidem post quinquennium pileari, post triennium autem rudem induere eis permittitur.* Qui quidem locus in eo singularis est, quod de ludo Gladiatorio eiusque discrimine a gladii pœna proponit: de cætero geminus est hic Pauli locus 5. *sentent. tit. 17. §. 3. Sane*, inquit, *qui ad gladium dantur intra annum consumendi sunt.* Verum hoc discrimine seruorum minus seruato, vel minus intellecto, consumptionis lex siue conditio nominatim constitutionibus, quibus pœna ludi Gladiatorii imposita exprimi solita est; cuius rei exemplum præbet hæc *lex* nostra: *Liber*, inquit, *sub hac forma in ludum detur gladiatorium, vt antequam aliquid faciat, quo se defendere possit*, id optime explicat superior ille Vlpiani *locus.* Defendere scilicet sese poterant ad ludum Gladiatorium damnati, triennii præscriptione, vt rudem induere possent: id est vacationem periculosi laboris & pugnæ: vt indicat Ouidius *Amor. lib. 2. Eleg. 9. v. 22.*

Tutaque deposito poscitur ense Rudis.

Fuit scilicet hoc signum honestæ missionis Artis Gladiatoriæ, quam Gladiator a Populo petere & impetrare solebat, vt Acron *in Horatium* significat. Item signum fuit προστασίας, vt *Rudem* nonnulli interpretantur τῶν ἐπιστάτων μονομάχων. At quinquennii præscriptione pileum petere poterat & induere, id est penitus liberabatur. Tertulliani locus *de spectaculis cap. 21.* huc facit, *Et qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, idem gladiatori atroci petat Rudem, & pileum.* Imo & ante id tempus ad Populi acclamationes si placuissent, liberari poterant, si aliquid insigne fecissent. De *pileo* res nota est; cuius impositione statum publicum redditum, ad instar restitutionis cuiusdam in integrum, existimo. De capite quippe ciuis vel adimendo, populi iudicium fuit: Cuius restitutionis index proculdubio *pileus:* Et quodnam alioquin inter *Rudem* & *pileum* hac parte discrimen fuisset?

fuisset? Scilicet, *Rudis* vacationem & immunitatem decertandi indicabat: *Pileus*, statum reformabat, qui non alius quam publicus. Status enim nil aliud est, quam quo quis in ordine ciuium stat, & consistit, qui libertate & ciuitate continetur. Hactenus de gladii & ludi gladiatorii pœna.

Imo Tertia quoque gladii, seu ad gladium, adhuc pœna fuit; ad gladium ludi, inquam, de quo ita Capitolinus in Macrino: *Seruos qui a dominis fugissent, repertos* AD GLADIVM LVDI *deputabat*. Ad *gladium ludi*, id est, ad voluptates tantum populi, non etiam ad vitæ periculum seu discrimen: quale in gladii, seu ludi gladiatorii pœna.

Similis huic fuit pœna in *Ludum Venatorium* dandi, qua pariter Iuuenes afficiebantur, vt venationem seu cum bestiis congressum instituerent, atque ludos populo facerent, de quo Vlp. *libr. 9. de off. Proconf. d. l. 8. §. 11.* De quo vid. & Gallicanum *in Auidio Cassio c. 6.*

Et has quidem pœnas in futurum, in filiorum alienorum Plagiarios statuit Constantinus: id est qui deinceps in hoc crimine deprehensi, oblati & conuicti fuissent: In eos vero qui hactenus sententiam seu pœnam metalli subiissent, pro recepta hactenus pœna, nunquam reuocari, id est liberari iubet, verum metalli opere immorari & immori. Operis publici pœna scilicet quandoque perpetua fuit, vt ostendit Vlpianus *lib. 8. de offic. Proconsulis*, apud Authorem *Collationis leg. Mosaic. tit. 11.* Et *lex 28. §. 6. D. de pœnis.* Vide & *legem 22. 23. D. eod. tit. de pœnis.* Et tamen qui ad tempus in metallum damnantur, in metallum damnati proprie non dicuntur: libertas enim horum manet, id est liberi manent; *d. l. 28. §. 6.* Cuius rei argumento dici posset ad ludum gladiatorium damnatos liberos pariter manere, quandoquidem in perpetuum damnati non sunt. Verum tutius est dicamus, etsi ad ludum tantum gladiatorium damnatos seruos pœnæ, vtpote vix inde liberandos, verum ex post facto quinquennii præscriptione statum recuperare. De metalli alioquin pœna temporaria, perpetua, vide Cuiacii obseruationem *lib. 6. cap. 25.* Denique de pœna ludi gladiatorii, & ad bestias dandi, a Constantino M. postea sublata; dicetur *inf. ad l. 1. inf. de Gladiatorib.*



P. 157.

AD LEGEM CORNELIAM DE FALSO.

TITVLVS XIX.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XXII.

Ad Legem Corneliam de falsis.

PARATITLON.

LEX CORNELIA de falso, *Rubr.* falsas testamenti tabulas, *l. vlt. h. t.* testamentum, *l. 1. h. t.* Codicillos, *d. l. 1. h. t.* aliasque deficientium voluntates, *d. l. 1. h. t.* vltimas voluntates, *d. l. vlt. h. t.* falsas persequebatur, & vindicabat: Senatusconsulta vero ad Legem Corneliam testamentariam (sic enim ea quam dixi de causa proprie vocabatur) facta, alias falsi species persequebantur; puta instrumenta, *l. 1.* & *2. h. t.* publica priuataque, *d. l. 1. h. t.* Scripturas, *l. 4. h. t.* rationes priuatas, publicas, *l. 4. vlt. h. t.* pacta, epistolas, donationes, venditiones, *d. l. vlt.* Actio autem hæc falsi, *l. 2. h. t.* dicitur & quæstio falsi, *l. 1. h. t.* falsi strepitus, *d. l. 2. h. t.*

Porro de falso agi poterat vel ciuiliter, vel criminaliter: *l. vlt. h. t.* & quidem criminaliter etiam absque subscriptione, [id est inscriptione in crimen, si Iudici ita visum fuisset, *l. 2.* & *l. vlt. h. t.*) rursum criminaliter etiam, posteaquam is qui ciuiliter egisset, victus fuisset, *l. vn. Victum ciuiliter, Tit. prox. inf.* Sane incidens in ciuilem causam, falsi quæstio, ex Constantini constitutione, *l. 2. h.* t. ciuilem possessionis causam non moratur. Durat autem hæc actio anni spatio a lite contestata, *d. l. 2. circa finem.*

Processus in hoc iudicio huiuscemodi constituitur; Indago acerrima in falsi quæstione facienda argumentis, testibus, Scripturarum conlatione, aliisque vestigiis veritatis, *d. l. 2. h. t.* Item quæstionibus Tabellionum qui instrumenta conscripserunt, idque etsi Decuriones fuerint, vel postea facti fuerint, *l. 1. h. t.* exactis item ab vtraque parte probationibus, *d. l. 2. h. t.* Porro Iudex quomodo hac parte se gerere debeat, definit eleganter *lex 2. versic. sed inter vtramque.*

Pœna denique huius criminis est capitalis, vel deportationis, pro magnitudine commissi: *d. l. 2. in fine*: Vicissim obiectum falsi crimen non probantis pœnam vide in *leg. vlt.* Omitti non oportet, quod dicitur *l. vn. sup. si certum pet. de chirogr.* falsarium nil aliud agere, quam vt similitudinem veritatis imitetur.

I. (a) Imp. Constantinus A. Mechilio Hilariano (b) Correctori (c) Lucaniæ & Brittiorum.

SI quis Decurio testamentum, vel codicillos, aut aliquam (d) deficientis scribserit voluntatem, vel conscribendis publicis priuatisque instrumentis præbuerit Officium, si falsi

si falsi quæstio moueatur, Decurionatus honore seposito, (e) Quæstioni (si ita poposcerit causa) subdatur. Sed non statim (f) desinit (g) esse Decurio, qui in huiusmodi facto fuerit deprehensus. Quantum enim ad municipales pertinet necessitates, Decurio permanet: (h) quantum ad rem gestam & veritatem seruandam, (i) vti Decurionatus honore non poterit. Nec * vero is qui ante fuerit Tabellio, ad eludendam quæstionem super his quæ ante conscribsit, (k) factus Decurio defendi hac poterit dignitate: (l) Quoniam (m) *scripturæ veritas (si res poposcerit) per ipsum debet probari auctorem.* Dat. III. Kal. Feb. Acc. Kal. Aug. (n) Sabino & Rufino Coss. [316.]

INTERPRETATIO. *Si quis Curialis voluntatem morientis, aut quodlibet publicum documentum scripserit; & de falsitate accusatur, seposita primitus dignitate, si necesse fuerit subdatur examini, qui si conuincitur, a Curia non expelletur, sed Curiæ dignitate priuabitur, id est, vt honoratus esse non possit. Tabellio vero (qui Admanuensis nunc vel Cancellarius (o) dicitur)* P. 158 *etiam si ad Curiæ peruenerit dignitatem, si de falsitate fuerit accusatus aut conuictus, subdatur examini, vt per ipsum, per quem confecta est, scripturæ veritas adprobetur.*

NOTAE.

(a) *Lex 21. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem huic est *lex 3. inf. de Decurionib.* quæ huius *legis* pars prior fuisse videtur. Inseruit hanc *legem* ex *Cod. Iustin.* Annalibus suis Baronius. *A. D. 314. n. 32.* GOTHOFRED.

(b) *Necilio Hilariano*, MS. W. *Methilio*. Ed. Sich. RITTER.

(c) De *Correctoribus* Lucaniæ & Brittiorum alibi suo capite dixi. GOTHOFREDVS.

(d) *Aliquam*, id est, aliam quam, siue quamcumque: vide *Gloss.* IDEM.

(e) *Deposito*, MS. G. male; quod patet ex sequentibus, vers. *Sed non statim.* RITTER.

(f) *Non statim*, id est non ideo propterea: Hæc vis est huius vocis *statim*: vide *Glossar.* GOTHOFR.

(g) *Desinet*, MS. W. RITTER.

(h) *Permaneat*, MSS. W. & G. ID.

(i) *Reseruandam*, vel *referandam* Cod. Iust. Sed hoc nostrum *seruandam*, id est, eruendam, seruandum est. Vide Iuretum *in Symmach. lib. 7. ep. 109.* GOTHOFRED.

* Altera *huius legis* sententia, de eo qui post Tabellionatum, factus est postea Decurio. ID.

(k) *Scripserit*, Cod. Iustin. ID.

(l) *Decurionatus*, siue Curiali. IDEM.

(m) Regula hæc generalis obseruanda est. ID.

(n) De hoc mox aliquid. ID.

(o) *Vel Cancellarius*, hæc absunt a MSS. W. & G. & ed. Sichard. RITTER.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. hæc constitutio, est data A. D. 316. ad falsi materiam præcidendam lata: qua Tabellionem, vel Scribam, id est, instrumenti alicuius priuati publici *Auctorem*, *vt fine h. l.* vocatur, Scriptorem, etiam Decurionem, si de eius falsitate quæratur, *quæstioni* subiici posse definit: Scilicet, vt eleganter *fine huius legis* dicitur, quæque Regulæ vice est: *Scripturæ veritas, vbi res poposcerit, per ipsum debet probari Authorem.* Per ipsum *authorem*, id est per Tabellionem vel Scribam ipsum, per quem scriptura confecta est, vt Interpres recte explicat. Vnde tamen perperam inferunt, vile & infame vel seruile fuisse Tabellionum officium, vel etiam Scribarum, de quo ad *l. 3. infr. de Decur.* quæ huic coniungenda est ceu eiusdem Constitutionis pars.

Nunc fingamus, quæ prima *huius legis* species & pars est, Decurionem Tabellionis munere functum, in conscribendo videlicet priuato instrumento: functum, inquam, contra ius (Decuriones enim Tabellionatu prohibentur, vt constituitur *d. l. 3. inf. de Decurionib.* quæ huic vt dixi nostræ coniungenda est, & præmittenda) Fingamus inquam Decurionem Tabellionis munere functum: id est instrumentum aliquod priuatum scripsisse: vel finge, Scribam publicum, publicum instrumentum scripsisse (de cuiusmodi Scribis dixi, etiam ex veteribus Inscriptionibus ad *l. 1. sup. de lucris offic.*) Dein fingamus, quæstionem de veritate scripturæ huius priuatæ, vel publicæ, ab eo confectæ moueri: Quæritur, an huiusmodi Decurio, idemque Scriba vel Tabellio, ad eruendam de falso veritatem quæstioni subiici possit & torqueri? *Dubitandi* sane ratio maxima erat, quod Decurionibus id priuilegii tributum esset, vt a quæstionibus & tormentis immunes essent (vt docebunt complurimæ *leges, inf. tit. de Quæstionibus:* ac nominatim *lex 2. eius tit.* & *tit. de Decurionib.* & nominatim *lex 39.* (vbi prolixe dicam:) & *lex 80. eiusd. tituli.* (solo ferme Maiestatis crimine excepto, vbi dicam:) Et proin etiam in crimine falsi. Quam & ipsam dubitandi rationem ingerit exerte historia Ingentii Decurionis, eiusdemque Scribæ, qui publicam Cæciliani epistolam falsasse dicebatur: qui cum Decurionatus priuilegium ostenderet, apud Ælianum PC. Africæ, ne torqueretur, (vt docet Optatus Mileuitanus *de schismat. Donatistar. lib. 1. §. penult.*) de eo Ælianus ad Constantinum referendum putauit. Mox Constantinus Imp. epistola ad Probianum missa A. D. 315. apud Augustinum *ep. 68.* (siu. *88. num. 4. edit. Benedictin.*) & *lib. 3. contra Cresconium, cap. 70. 71.* eum ad Comitatum suum mitti iussit. Et vero *hac leg.* profligata illa dubitandi ratione, seu non obstante Decurionum priuilegio, huiusmodi Decurionem, eundemque Tabellionem vel Scribam torqueri posse definit. Sic sane etiam Decurio Censualis factus quæstioni subiici potest:

l. 4. sup. de Tabulariis. Et hæc de priore *huius leg.* quæstione.

Fingamus nunc retro, quæ altera *huius l.* quæstio est, quamque Interpretes parum aduerterunt aliquem ex Tabellione Decurionem factum (id enim prohibitum non est, vt præter *hanc l.* docet *dicta lex 3. inf. de Decurionibus:* quæ *huic*, vt dixi, coassanda, imo præmittenda est:) mox quæri de veritate scripturæ alicuius ab hoc Decurione, cum Tabellio esset, confectæ: An huiusmodi Decurio ad eruendam veritatem quæstioni subiici poterit? quandoquidem moderna seu præsens dignitas eius quæstioni refragari videtur? Et tamen definit Constantinus M. *hac l.* eum quæstioni subiici posse: Scilicet, quod in Praxin vtiliter deduci potest, cuiusque qualitas & conditio hac parte spectanda est quæ actui conuenit; non vero aut coniuncta dignitas, quæ species est prioris capitis; aut insecuta vel superueniens, quo pertinet secunda quæstio. Denique qualitas *respectiua*, vt loquuntur, actuique conueniens attendenda: Et vt qui *locos legales* scripsere, aliique, in practica inspiciendum quo dignitatis aut qualitatis respectu quid fiat, factumue fuerit; vid. Euerardum *in loco 116. de Tanquam, seu Respectiuis:* cuius etiam Respectiui ratio habetur in materia præcedentiæ. Et sic in proposito casu, vt *hac l.* eleganter dicitur, QVANTVM *ad remgestam & veritatem seruandam, vti Decurionatus honore non poterit:* Et sic TANQVAM Tabellio habebitur. Quæ quidem addi deinceps ex *hac l.* poterunt ad ea, quæ qui *locos Legales* scripserunt, commentati sunt. Summa igitur *huius legis* sententia hæc est; Si falsi quæstio incidat, Decurionem, Scribæ vel Tabellionis munere functum, siue dum Decurio esset, siue ante Decurionatum, non minus quam alium quemcunque Tabellionem vel Scribam, si de instrumenti fide quæratur, seu falsitate agatur, quæstioni subiici posse, neque ei quidquam prodesse honorem Decurionatus.

Et hæc quidem perspicua iam *huiusce leg.* sententia est, hæc vis, hic finis, quæ plerique non cepere: in quibus & illi qui putant vetus priuilegium Decurionibus *hac l.* in vniuersum a Constantino M. adimi, abrogari: quo videl. ante *hanc leg.* potiebantur, vt etiam in falsi crimine tormentis subiici non possent; quod etiam Baronius credidit. Hac enim *lege* casus tantum singularis definitur, quo Decurio in quæstione falsi torqueri potest, non vero vniuersim; scilicet si instrumentum, de cuius veritate quæritur, ipse Decurio dum Tabellio esset, scripserit.

Tandem suspicari cui libeat ad eam ipsam, quam antea dixi, Ingentii, Decurionis Scribæque publici historiam, hanc Constantini M. Constitutionem pertinere: vnde dicendum videatur, Ingentium A. D. 315. a Probiano PC. Africæ ad Comitatum Constantini M. missum, apud Rhegium Lucaniæ ciuitatem custodiendum datum: mox initio A. D. 316. *hac l.* quæstioni subiici iussum: & vero eodem tempore subiectum. Verum hæc coniectura est. P. 159.

II. (a) Imp. Constantinus A. ad Maximum P. V. (b)

I. CVM in præterito is mos in Iudiciis seruaretur, vt prolatis instrumentis si ea falsa quis diceret, a sententia Iudex ciuilis controuersiæ temperaret, eoque contingeret, vt imminens (c) accusatio, nullis clausa temporibus, petitorem possessoremue deluderet, commodum (d) duximus, vt etsi alteruter litigantium falsi strepitum (e) intulisset, petitori tamen, possessoriue Momentum (f) prolatorum instrumentorum conferret auctoritas; vt tunc ciuili iurgio (g) terminato, secunda falsi actio subderetur. II. Volumus itaque, vt primum cesset inscribtio: Sed vbi * falsi examen inciderit, tunc ad (h) morem pristinum, (quæstione (i) ciuili per sententiam terminata) acerrima fiat indago (k) argumentis, testibus, scribturarum conlatione, (l) aliisque vestigiis veritatis: Nec accusatori tantum Quæstio incumbat, nec probationis ei tota necessitas indicatur, sed inter vtramque personam sit Iudex medius, nec vlla (m) *Quæ sentiat* interlocutione diuulget; sed tanquam ad imitationem Relationis, (n) quæ solum *Audiendi* mandat *officium*, præbeat notionem: postrema sententia, *Quid* (o) *sibi liqueat,* proditurus. III. Vltimum (p) autem finem strepitus (q) criminalis, quem litigantem disceptantemque fas non sit excedere, anni (r) spatio limitamus: cuius exordium testatæ (s) apud Iudicem competentem actionis nascetur auspicium. IV. Capitali (t) post probationem supplicio (si id exigat magnitudo commissi) vel deportatione ei qui falsum commiserit imminente. PP. VIII. Kalend. Apr. in Foro Traiani, Constantino A. VII. (v) & Constantio Cæs. Coss.

N O T A E.

(a) Abest a *Cod. Iust.* integra prima hæc *huius leg.* sententia, itemque secundæ principium, ad ea vsque verba, *vbi falsi examen.* GOTHOFRED.

(b) *Maximi* huius Præfecti Vrbi nulla Anno 316. mentio extat in Notitia Præfectorum Vrbi: Verum Anno 319. 320. 321. 322. Itaque referenda videtur hæc *lex* ad Annum D. 320. id est: *Constantinum VI. & Constantinum Cæsarem Consules.* Quod ipsum existimo & de *leg. vn. sup. de hereditat. petitione:* & *l. 5. sup. de accusat.* ID.

(c) Id est, *futura:* vel etiam diu imminens, & semper, vtpote falsi accusationi exsequendæ nullo tempore præstituto. IDEM.

(d) *Commodum* vocat rem plane vtilem & necessariam. ID.

(e) *Strepitum falsi*, hic, & paulo post vocat crimen falsi, & quidem in hoc argumento proprie, quasi quo ciuili causæ obstre-

obstrepatur. Sane hæc quoque formula vsurpatur *l. 8. sup. de accusat. l. 1. inf. de abolitionib.* Imo & in ciuili causa, *l. 1. sup. de contrah. empt.* & *l. 14. inf. de Episcopis. ID.*

(f) *Momentum,* hic non tam firmamentum vel ius significat, verum proprie interdictum retinendæ vel recuperandæ possessionis: de quo Momenti significatu dixi *ad l. 4. sup. Vnde vi. ID.*

(g) *Iurgii* appellatio & hic propria: vide *Gloss. ID.*

* *Lex 22. Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est. *ID.*

(h) *Ad morem pristinum;* hæc verba resecauit Tribonianus. Porro his verbis indicatur probatio solemnis, seu modi consueti alicuius rei probandæ, vt loquitur Gellius in hac eadem re *lib. 14. c. 2.* Itaque horum verborum omittendorum Triboniano causa nulla fuit, quæ sane cohærent proximis illis, *quæstione &c. ID.*

(i) *Quæstione ciuili per sententiam terminata,* resecauit hæc Tribonianus. *ID.*

(k) De *Indaginis* appellatione, vide Glossar. vide & *l. 5. infr. de fide test. & instrum. ID.*

(l) vide pariter *l. 2. sup. de testamentis.* & *l. 4. 7. inf. de fide test. & instrum.* vbi dicam. *ID.*

(m) Traiectis verbis in *Iustin. nec vlla interlocutione diuulget, quæ sentiat. ID.*

(n) *Relatio* hic quid sit? mox expendemus. *ID.*

(o) Allusum ad veterem formulam. De qua vide Brissonium *in Formulis:* Gellium in hoc eodem argumento, *lib. 14. c. 2. Et propterea iuraui mihi non liquere. ID.*

(p) *Tertia* huius *legis* sententia. *ID.*

(q) Vt supra, *falsi strepitum intulisset. ID.*

(r) Hunc locum ita Tribonianus immutauit; *Compendioso spatio limitamus.* De cuius rei ratione mox. *ID.*

(s) Tribonianus hunc locum ita immutauit. *Cuius exordium nascetur auspicio contestatæ accusationis apud Iudicem competentem. ID.*

(t) Ita inuertit Tribonian. *post probationem supplicio capitali, &c.* Denique cum hæc *lex* elegantissima verborum traiectione floreat, contraria traiectione Tribonianus non minimum decoris & elegantiæ detractum iuit. *ID.*

(v) *γρ. VI. ID.*

COMMENTARIVS.

PROCESSVS criminalis in falsi crimine *hac* Constantini Magni *constitutione* stabilitur: Quadruplici fine: 1. Ne ciuili causæ per iniectam falsi accusationem mora fiat. 2. Ne accusator plus satis frustretur. 3. Vice versa, Ne reus in reatu diu nimis moretur: 4. Denique, Ne accusatio impune sit falso accusanti. Totidem igitur *huius legis* sunt sententiæ, quot fines: quarum priores pene duæ a Iustiniano improbatæ, atque adeo ab eius *Codice* absunt. Tertia, immutata. Quarta tantum integra retenta est.

I. Prima sententia est: INCIDENTEM falsi criminalem quæstionem in causam ciuilem, puta si ex testamento legatum, vel ex chirographo pecunia credita peteretur, vel ex instrumento auctoritatis res, reiue possessio vindicaretur (quo proprie hæc *lex* pertinet:) contra vero obiectum esset falsi crimen, aduersus huiusmodi instrumentum ciuili
p.160 causæ principali moram iniicere non debere, id est, non obstante falsi quæstione iniecta, ciuilem causam terminandam secundum instrumentum probatum, etsi falsum diceretur: abrogato hac parte iure veteri, cuius hæc perpetua fuit regula; De maiori re, ac proinde, de crimine prius quam de causa ciuili cognoscendum, *l. vlt. Cod. Iust. de ordine cognitionum l. 7. sup. ad legem Iuliam de adulteriis l. 5. §. 1. D. ad legem Iuliam, de vi publica:* vide & *leg. 3. sup. ad leg. Iuliam, de vi.* Et quidem in hoc falsi crimine *l. 20. Cod. Iust. eod. tit.* Itaque Iustinianus hanc veteris iuris Regulam & hac parte prætulit, quam causam habuit omittendæ huius sententiæ, vt & omittendorum istorum *h. l.* verborum, quæ in secunda *huius legis* sententia occurrunt, *quæstione ciuili per sententiam terminata:* quæ Cuiacius a Iustiniano retenta atque adeo hanc *legem* ab eodem approbatam *lib. XX. Obs. c. 25.* perperam tradit: quæ sane in nullis *Codicibus* occurrunt. Et si Iustinianus id voluisset, profecto primam *huius legis* sententiam quæ non alio pertinet, omissurus non fuisset. Sed errorem suum agnouisse videtur *Recitationibus in Cod. Iust. ad hanc legem.* Sane hæc verba occurrunt in *l. 23. Cod. Iust. eod. tit.* quæ ex *l. vlt. h. t.* interpolata est: verum alio sensu, vt ostendam *ad d. l. vlt.* Et tamen non inanes huiusce noui iuris constituendi causas Constantinum habuisse, ipsemet *h. l.* profitetur: nempe quod imminens accusatio nullis clausa temporibus petitorem possessoremue deluderet, & petitori possessoriue prolatorum instrumentorum auctoritas momentum non conferret. Quorum verborum sententia hæc est. Non minimam iniuriam fieri petitori vel possessori alicuius forte fundi, pro iure suo tuendo instrumentum auctoritatis proferenti. Nempe quod possessoris huiusmodi vel petitoris, fundi possessionem sibi firmari vel reformari petentis, intentio eludi vel perpetuo posset (vtpote falsi accusatione tum perpetua) vel saltem retinendæ vel redintegrandæ possessionis interdicto mora hac ratione fieret; cum tamen momenti causa celerem reformationem seu redhibitionem nullo obice interiecto requireret: Vnde & *momenti* nomen, quasi illico tribuendum: de quo vid. vel *tit. inf. si de momento appell.* & *l. 22. inf. de appell.* & *tit. sup. vnde vi.*

Secunda sententia. INQVISITIO de falso, quomodo, & quam caute fieri debeat, Constantinus constituit. Primum igitur, vetat eam fieri per modum Inscriptionis: id est non vult eum, qui crimen falsi obiicit, in crimen inscribere: quod pariter Iustiniano displicuit, deque eo plenius dicetur *ad legem vlt. inf.*

Secundo, inquisitione per modum inscriptionis sublata, inquisitionem, siue, vt loquitur, acerrimam indaginem fieri iubet ex argumentis, testibus, scripturarum collatione, aliisque vestigiis veritatis. De scripturarum collatione, videnda quoque est *lex 20. Cod. Iust. de fide instrumentor.* quam & inspectionem vocat Quintilianus *5. Instit. 5. in fine.* Falsi scilicet, & veri detegendi, non vna ratio est: modo argumentis, modo testibus, modo scripturarum collatione, modo vestigiis aliis veritatis. *Argumenta* sunt, quæ citra testium depositionem, citra scripturarum collationem, citra vestigia alia veritatis, vi animi & rationis colliguntur. Vnde illud apud Plautum, *argumentis vincere.* Horum argumentorum multa mentio in Iure nostro inter cætera elegantissima, *l. 3. §. 2. D. de testibus.* Recte Quintiliano *Instit. lib. 5. c. 10.* definitur Argumentum, *ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud: & qua quod est dubium per id quod dubium non est, confirmat;* Cicero *in Topic. cap. 2. rationem quæ dubiæ rei facit fidem.* Et *Partition. c. 2. probabile inuentum ad faciendam fidem. Vestigia* vero alia veritatis *h. l.* dicuntur cætera, quæ fidem aliquam præ-

præstare possunt; qualis est fides terminorum, fides signorum, vt loquuntur Agrimensores; tituli & inscriptiones, aliaque ex quibus coniectura & veritas duci potest.

Tertio, ab vtraque parte probationes exigi iubet Constantinus: non ab accusatore tantum: quod in Gallia non obtinet: v. Bugnyon *lib. 6. n. 103. leg. abrog.* de quo dicam ad *legem 4. infr. de fide test. & instrument.* vid. & *l. 2. sup. de testamentis.*

Ex his interim colligi videtur, Inscriptionis eam vim fuisse, vt soli Accusatori probationis necessitatem indiceret, nec quicquam præstante reo: Quod velut singulare obseruandum est; neque enim alibi quod sciam occurrit. Denique iubet Constantinus, Iudicem de falsi crimine cognoscentem, inter accusatorem & reum medium esse: sic ut nulla interlocutione diuulget quæ sentiat, id est animi sui sensum eloquatur & aperiat. Quo de officio Iudicis late differit apud Gellium *lib. 14. cap. 2.* Phauorinus. *Atque illud amplius* (inquit) *ambigi ac dubitari scio, debeatne Iudex inter cognoscendum ea, quæ dicto quæsitoque opus est, dicere & quærere, etiamsi cuius ea dici quærique interest, neque dicat, neque postulet: Patrocinari enim prorsus hoc esse aiunt, non iudicare. Præter hæc, super ea quoque re dissentitur, an ex vsu, exque officio sit Iudicis, rem causamque de qua cognoscit, interlocutionibus suis ita exprimere consignareque, vt ante sententiæ tempus, ex his quæ apud eum in præsens confuse varieque dicuntur, perinde vt quoque in loco ac tempore mouetur, signa & indicia faciat motus atque sensus sui. Nam qui Iudices, inquit, acres, atque celebres videntur, non aliter existimant rem qua de agitur, indagari comprehendique posse; nisi is qui iudicat, crebris interrogationibus necessariisque interlocutionibus, & suos sensus aperiat, & litigantium deprehendat. Contra autem qui sedatiores & grauiores putantur, negant Iudicem debere ante sententiam, dum causa vtrinque agitatur, quotiens aliqua re proposita motus est, totiens significare* QVID SENTIAT. *Euenturum enim aiunt, vt, quia pro varietate propositionum argumentorumque alius atque alius motus animi patiendus est, aliter atque aliter eadem in causa eodemque in tempore sentire & interloqui videatur.* Hæc Phauorinus, ratione, vt Gellius agnoscit, de moribus petita, & quæ Virum Philosophum decuit. Atque hæc est *audientiæ discretio* quæ dicitur *l. vlt. inf. quorum appellat.* Verum forensis & iudicialis alia ratio est; Scilicet interlocutiones hæ Iudicum vel viam salutis reis aperire solent, & eludendæ quæ ipsis imminet sententiæ: quod etiam interrogationibus quandoque fieri insigni D. Augusti exemplo, quod refert Suetonius *in eius vita, cap. 33.* liquet. Sed & hoc Tertulliani *ad Scapulam, cap. 4.* vbi de Cincio Seuero narrat, in causa Christianorum Iudice: *Qui*, inquit, *ipse dedit remedium, quomodo responderent Christiani, vt dimitti possent.* Sane sicubi a Iudicum interlocutionibus periculum est, in falsi cognitione maximum est. Nulla enim cognitio maiorem requirit Iudicis acrimoniam, nulla maiorem grauitatem, quippe quod cum falsariis res sit, quibus sensus acer est ad vim & fidem veri eludendam. Nil est falsario subtilius. Ingeniosa res est fraus & falsitas. Silentium igitur præstare iubetur Iudex in falsi cognitione, & vt Constantinus loquitur, *tanquam ad imitationem relationis quæ solum* AVDIENDI *mandat officium, notionem præbere, postrema sententia proditurus quid sibi liqueat.* Quo loco quid sit Relatio, quæ solum audiendi mandat officium, non parum dubium est. Ea verba sic interpretor, de relatione Iudici alicui im-
p.161. perata. Non raro scilicet Principes causæ cognitionem ita deferunt, vt instruendi tantum processum, vt hodie loquimur, facultatem tribuant, mox processum & Acta ad se referri velint. Ad imitationem igitur Relationis, id est relationis imperatæ. Cui non absimile quod continetur *l. 13. sup. de accusat. Intendendi quidem examinis & cognoscendi causas habeat potestatem; verum nihil de animaduersione decernens, integro non causæ, sed capitis statu referat ad scientiam nostram, vel ad inclytas potestates.* Breuiter vult Constantinus Iudicem de falsi crimine ita cognoscere ad finem vsque iudicii cum eo silentio, ac si non ipse sententiam dicturus esset vltimam, sed ad Principem relaturus.

III. *Tertia* sententia *huius l.* est de *terminandi* criminalis iudicii, de falso cœpti, tempore seu termino. Ante Constantinum scilicet, non tantum falsi accusatio perpetua erat (id est instituendæ accusationi nulla temporalis præscriptio opponi poterat: instituendæ inquam, de hoc enim casu intelligenda est *lex 12. Cod. Iust. eod. tit.*) Verum etiam accusationi institutæ exequendæ finiendæ terminandæ, nullum tempus præstitutum erat: nullus dies sic vt dicam fatalis: idque est quod Constantinus initio *huius legis* ait, *Vt imminens accusatio, nullis* CLAVSA *temporibus, petitorem possessoremue deluderet.* Tracto nempe iudicio falsi petitori vel possessori ea re magnum præiudicium fiebat: Neque petitor fortassis vnquam rem suam recuperasset, neque possessori ius suum seruatum fuisset, vel etiam ciuili causa terminata eius capiti semper *imminuisset.* Id enim est *imminens accusatio.* Itaque & ciuilem causam criminali præferri voluit Constantinus, & ad cœptam falsi accusationem exequendam, anni spatium præfixit. Præfixus scil. hic anni terminus, vt criminalibus causis aliis, ita & falsi accusationi exequendæ hac Constantini constitutione: vide *infr. tit. vt intra annum &c.* vbi dicetur plenius: ideo Tribonianus *h. l.* pro his verbis, *anni spatio*, reposuit *compendioso spatio.* Et hæc quidem huius loci sententia est: Error enim est vulgatus, hæc verba, *nullis clausa temporibus*, interpretantium de cuiuscumque temporis præscriptione, qua falsi accusatio, & in his quoque suppositi partus, non elidatur: Quod vt cum aliis *legibus* concilient, accipiunt de ordinaria præscriptione: hoc sensu, regularem falsi accusationem nullis temporibus præscribi, & tamen vicennio finiri: Perperam. Est enim hic locus non de instituenda accusatione & præscriptione aduersus eam, verum de instituta exequenda.

Porro anni huius exordium *a testata actione apud Iudicem* computari Constantinus iubet, id est, a die litis contestatæ *l. vlt. Cod. Iust. vt intra certum tempus:* ideo Tribonianus in *l. 22. Cod. Iust. h. t.* (quæ ex hac desumpta est) pro *testatæ actionis*, clarius adhuc reposuit *contestatæ accusationis;* vt mirari non possim satis Cuiacium *Paratitlo Cod. Iust. tit. vt intra certum tempus*, hæc verba huius legis, *testatæ actionis*, interpretari de Inscriptione: cum tamen discere potuerit ex *hac lege* nullam inscriptionem a Constantino in falsi accusatione requisitam, imo prohibitam. Sane vbi inscriptionis necessitas requisita fuit, tum ab inscriptione annus computari debuit, *l. vlt. infr. ut intra annum criminalis quæstio.* Cuius *legis* respectu Basilica habent ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἐγγράφων. Denique aliud est *ab inscriptionis tempore*, aliud *a contestata actione.* Nam & inscriptio litis contestatione prior est: *l. 15. §. 5. D. ad Turpillianum.*

IV. Postrema *huius legis* sententia est de POENA falsi. Scilicet etsi inscriptionis necessitas accusatori remissa sit, pœna tamen Accusatorem etiam sine solemnibus occupat; vt eleganter loquitur *lex vlt. inf.* Pœna igitur falsi, vel capitalis est pro magnitudine falsi, vel deportatio. Vide & *legem 1. inf. de falsa moneta.* Placuerat capitalis pœna Legis Corneliæ, vt docet *lex 1. 5. Cod. Iust. eod. tit.* Deportatio vero Senatusconsulti, post *Legem Corneliam* factis. Et ita accipiendus est Iustinianus, *tit. Institut. de publicis Iudiciis.* Factum igitur falsi crimen non capitale (quod clare docet *lex 18.*

prout

prout eam quoque acceperunt Græci, *Cod. Iust. de transactionibus*) Constantinus mixturam quandam fecit: vtraque pœna admissa pro modo admissi: capitalem scilicet, si exigat magnitudo commissi. Quæ verba Leo *Nouell.* 77. ita accipi vult: Si quis falsum instrumentum fecerit, quo aduersarius periret, & morte plecteretur. Quod simili recte comprobari potest in *leg.* 7. §. *vlt. D. ad L. Iul. repetund.* De Falsi pœna in Senatore dico ad *l.* 1. *infr. ad L. Iul. repetund.*

Cæterum & hæc noua Constantini *lex*, de earum numero est, quas hoc tempore a Constantino latas (& quidem populo Romano) scribit Nazarius *panegyrico cap.* 38. quem anno proximo habuit. *Nouæ*, inquit, *Leges regendis moribus & frangendis vitiis constitutæ: veterum calumniosæ ambages recisæ, captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt.*

III. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Festum (b) P. V. (c) Afric. (d)

SERENITAS Nostra prospexit, (e) inde Cælestium (f) litterarum (g) cœpisse imitationem, quod his (h) apicibus (i) Tuæ Grauitatis Officium Consultationes, Relationesque (k) complectitur, quibus Scrinia (l) Nostræ Perennitatis vtuntur: Quamobrem istius sanctionis auctoritate præcipimus, vt posthac, magistra (m) falsorum consuetudo tollatur, & communibus (n) litteris vniuersa mandentur, quæ vel de prouincia (o) fuerint scribenda, vel a Iudice; vt nemo stili huius (p) exemplum aut priuatim sumat, aut publice. Dat. v. Id. Iun. Treu. Lupicino & Jouino COSS. [367.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Festo* huic Proconf. Africæ inscribitur quoque anno superiore 366. *lex* 1. *Cod. Iust. vbi de possessione. ID.*

(c) γρ. *PC.* id est, Proconsuli. Error hic *hoc Codice* non semel admissus. *ID.*

p. 162. (d) Reponendum hic putaret quis *Asiæ*: Meminit enim hoc tempore *Festi PC.* Asiæ, Ammianus Marcellinus, *lib.* 29. *cap.* 2. Zosimus, *lib.* 4. *cap.* 15. Eunapius Sophista, *in vita Maximi, p.* 110. 113. 114. edit. Commelin. & Libanius, *de vita sua, p.* 52. *edit. Morell.* & Suidas, *in voce* Φῆστος, & *in voce* γλωσσοκόμον, proculdubio ex Eunapii Historiis. *ID.*

(e) Seu *perspexit. ID.*

(f) *Cœlestes literæ*, sunt literæ Imperatoriæ. Quo sensu complurima vide in *Gloss. ID.*

(g) *Literæ*, hic: mox *apices*: tandem in fin. *Stylus. ID.*

(h) Id est, *iisdem ID.*

(i) De hac *Apicum* voce vide pariter *Gloss.* & *infr.* in fin. *styli huius exemplum. ID.*

(k) De *Relationibus*, erit *inf.* Titulus peculiaris *lib. XI.* 29. *ID.*

(l) *Scrinia* Principis literis peculiaribus vsa, a communibus literis diuersis. *ID.*

(m) *Magistram* falsorum consuetudinem vocat: nempe quia, vt initio dixit, inde cœlestium literarum cœpit imitatio. Sic Magistram Præsumptionem dixit Cassiodorus II. *Var.* 35. *in fin. Locorum artifices facias congregari, a quibus sub terrore perquire quo ministro fuerit perpetratum: Ab imperitis enim harum rerum statuæ facilis euersio non fuisset, nisi eam tentasset mouere loco magistra præsumptio. ID.*

(n) *Communes* literas opponit literis cœlestibus, seu Imperatoriis, quæ ex Scriniis Principum emittuntur. *ID.*

(o) *De Prouincia*, an est, prouincialium nomine, de quo ad *Titulum de legatis* infra? Non: idem hoc cum illis mox *a Iudice. ID.*

(p) Qui in scriniis Principis vsurpatur. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRINCIPIS subscriptiones siue literas imitari seu fingere maximi criminis semper fuisse nemo nescit (Id vero ostendit quoque *lex* 1. *infr. de quæstionibus*:) Quare & omni opere seu studio huiusmodi falsariis a Principibus obuiam itum. Sane cum Principes Romani peculiares literas, peculiares apices a communibus literis diuersos, sibi scriniisque suis (ex quibus promonabant imperatorum iussiones) reseruarunt, non modo maiestatem suam a populi communione vindicarunt, verum etiam falsariis falsi ansam præcidisse visi sunt, vt *h. l.* clare indicatur, ceu imitatorum & falsariorum minus habituri, quo pauciores harum literarum ius & communionem haberent: Nempe, quæ populi vsibus exposita sunt, ea falsi materiam facile præbitura videntur.

Quare cum iure quodam, seu vsurpatione quadam iam inolita Proconsules siue Africæ, siue Asiæ in Relationibus nominatim suis vel Consultationibus, quibus Principem consulebant super dubiis, vel ad eum quid referebant, Principis quoque literas seu apices vsurparent, diffusa eum in modum iam per plures harum literarum vsurpatione, exinde cœpit Imperatoriarum literarum imitatio: Sic Proconsulis *consuetudo*, & vsurpatio facta est, (vt eleganter hæc *lex* loquitur) *magistra falsorum.* Edocti scilicet iam Iudices literas Principis imitari, alios quoque imitari edocuerunt. Non vulgari illa tantum ratione, qua potestatum seu Regentum exempla in populum dimanant; verum illa qua Iudicum Officialibus hoc literarum vsu edoctis, vel iisdem illis Officialibus (rapacitate alioquin notissimis) Principis literas imitari, atque ita Prouincias & Prouinciales concutere, Principis literarum obtentu, procliue fuit, vel etiam alios edocere, quas falso fabricando deinceps adhiberent.

Igitur resecandæ huic falsi materiæ, Valentinianus hac constitutione Imperialium literarum vsum extra scrinia sua non priuatim tantum, sed & publice interdicit: atque adeo Proconsuli, ipsiusque Off-

Officio, cum alioquin Proconsulum maxima fuerit dignatio siue dignitas: tanta quidem vt ab iis appellare aliquando non licuerit, de quo agetur *infra, tit. de appellationib.* Ac speciatim quoque Proconsulis Asiæ: de quo insignis est locus apud Eunapium Sophistam in *vita Maximi pag. 106. edit. Commelin.* eo loco, quo *Festi Proconsulis Asiæ* meminit: ἐςι δὲ (inquit) ἀρχῶν ἐνδοξοτάτη, καὶ ὃ κατήκοος τῆ τῆς ἀυλῆς ἐπάρχε; Ait *Proconsulatum Asiæ splendidissimum inter magistratus & Præfecto Prætorio Orientis fasces minime submisisse.*

Sententia legis hunc in modum perspecta, dispiciendum modo, quænam fuerint *Literæ* illæ, *Apices* illi, quos Principes Romani sibi suisque scriniis proprias fecerunt: quis stylus ille, cuius exemplum & publice & priuatim *sumi* (id est vsurpari) prohibetur. Certe, si Leoni Imp. ætate stamus, non alia fuerit scriptura hæc, quam SACRVM ENCAVSTVM; quo videl. decocti muricis & triti conchylii ardore paginæ signabantur: de qua iam dixi plene ad *l. 1. sup. de veteranis.* Leonis Imp. hac de re *lex* est *6. Cod. Iust. de diu. rescript. Sacri affatus, quoscunque nostræ mansuetudinis in quacunque parte paginarum scripserit auctoritas, non alio vultu penitus, aut colore, nisi purpurea tantum inscriptione lustrentur: scilicet vt cocti muricis & triti conchylii ardore signentur. Eaque tantummodo fas sit proferri vel dici rescripta in quibuscumque iudiciis, quæ in chartis siue membranis subnotatio nostræ subscriptionis impresserit. Hanc autem sacri encausti confectionem nulli sit licitum aut concessum habere, aut quærere, aut a quocunque sperare: eo videlicet qui hoc aggressus fuerit Tyrannico spiritu post proscriptionem bonorum omnium capitali non immerito pœna plectendo.* Ecce Sacri encausti descriptionem, cuius vsus omnibus omnino interdicitur, vt *hac lege nostra*, ita *d. lege 6.* solique Principi reseruatur: Quæ causa est etiam, cur *lex illa 6.* Magistro Officiorum inscribatur, vtpote sub cuius dispositione scrinia Principis fuerint, quod iuxta *Notitiam Imperii fol. 42.* & *fol. 139.* testatur *lex 6. 11. 17. sup. de proximis Comitib. dispofit. lex 2. supr. de commeatu: lex 7. 8. 9. seqq. Cod. Iust. de Proximis Sacror. Scrin.*

Ac vt encausti huius vsus omnibus dignitatibus interdicitur, etiam Proconsulibus & Præfectis Prætorio, ita pariter Quæstori & Præfecto Prætorio, cum formalibus verbis vti cœpissent, iisdem quibus Principes, puta *Nostra Serenitas, Nostra Mansuetudo*, id Iustinianus sustulit, & prohibuit *Nouella 126.* vbi videndus etiam Iulianus Antecessor.

IV. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Maximinum (b) PP.

DAMVS copiam (c) iurgantibus, (d) si apud Iudicem proferatur scribtura, de qua oritur aliqua disputatio, spatium (e) vt habeat qui perurgueat, profitendi, vtrum de falso criminaliter, (f) an de scribturæ fide statuat ciuiliter experiri. I. Quod si expetens vindictam, falsi crimen intenderit, erit (g) in arbitrio Iudicantis, an eum finat etiam
P.163 sine inscribtione certare: Iudicis enim potestati (h) committi oportet, vt de eo qui obiecta non probauerit, sumat, propositum antiquo (i) iure supplicium. Rationi (k) quoque huiusmodi plenissime (l) suffragatur Antiquitas, quæ nequissimos (m) homines & accusari voluit & coherceri legibus variis, Cornelia (n) de veneficiis, sicariis, parricidiis; (o) Iulia de adulteris, (p) ambitusue criminibus, ceterisue, ita promulgatis, vt possit (q) etiam sine inscribtione cognosci, pœna tamen accusatorem etiam sine sollemnibus (r) occuparet: (s) de qua re & Diuus Antoninus (t) rescribsisse docetur, *id in Iudicis potestate constituens*, quod nosmet in Legibus iusseramus. (v) Remouebitur itaque istius lenitate Rescribti, præcepti superioris (x) austeritas: vt (y) si quis deinceps tabulas testamenti, chirographa, testationesque, (z) necnon etiam (aa) rationes priuatas, vel publicas, pacta, & epistulas, vel vltimas voluntates, donationes, venditiones, (bb) vel si quid prolatum aliud (cc) insimulare (dd) conabitur, habeat prætermissis sollemnibus (ee) accusandi facultatem, pro (ff) Iudicis motu sententiam relaturus. II. Ciuiles (gg) autem inquisitiones inter vtrasque confligentium partes æquali motu ingruit (hh) & recurrit humanitas, (ii) cum is (kk) qui præerit Quæstioni (ll) intentiones (mm) falsas, aut conuicta (nn) crimina ex legibus pœnis competentibus possit vlcisci. PP. Romæ, (oo) XVI. Kal. Maii, Valente V. & Valentiniano AA. Coss. [376.]

INTERPRETATIO. *De falso potest & criminaliter & ciuiliter agi. Ciuiliter, cum aliquis in quibuslibet scripturis non falsi crimen obiecerit, sed* Veritatem scripturæ quærere se velle *dicit: Nam si ad Iudicem venerit accusator, & falsi crimen intenderit, Iudex tribuat accusatori spatium, vt deliberet vtrum criminaliter agere, an ciuiliter velit. Qui si reuersus ad Iudicem in obiecto falsitatis crimine perseuerauerit, in potestate Iudicis erit, vtrum inscriptionem celebrari velit, an obiectum crimen sine inscriptione discutere. Quod* (pp) *cum Iudex de obiectione falsitatis audierit, seu inscriptione habita, seu omissa, aut in accusatum, si falsitas adprobatur, aut in accusatorem, si falso obiecerit, proferatur ex lege sententia.*

NOTAE.

(a) *L. penult. Cod. Iust. eod. tit.* hinc deformata est. GOTHOFR.

(b) Ita habet omnino *Cuiaciana* Editio: male aliæ, *Maximum.* Idemque error (ac proinde Maximini nomen restituendum)

dum) *in l. 1. 2. sup. ne praeter crimen Maiest.* (vbi dixi plura) in *l. 6. inf. de annonis ciuicis*: & *l. vlt. infra de raptu Virginum.* Atque hae quinque leges *hoc Codice* occurrunt *ad Maximinum Praefectum* Praetorio; de quo prolixe agit Ammianus Marcellinus *ab initio libri 28. integro capite primo.* Memorat & eiusdem Praefecturam *eodem libro 28. dict. cap. 1.* Et *lib. 29. cap. 2. 3. & 6.* Toto autem quadriennio Praefectum Praetorio fuisse, ex *dictis legibus*, simul & Ammiano *cit. lib. 29. cap. 3. init.* colligere licet, id est A. D. 373. 374. 375. 376. *ID. Maximum* legunt MSS. W. G. Cod. Iust. & Sichard. quem librariorum errorem & in aliis legibus notaui. *RITTER.*

(c) *Licentiam*, Cod. Iustin. *GOTHOFR.*

(d) *Litigantibus*, Cod. Iust. *ID.*

(e) *Spatium vt habeat qui perurgeat*: Haec verba Tribonianus recidit. De quo mox. *IDEM.*

(f) *Vtrum de falso criminaliter statuat, qui dubitet de instrumenti fide experiri, an ciuiliter.* Ita Tribonianus, incondite. Nam hic *de scripturae fide experiri*, est omnino ciuiliter experiri: cui opponitur mox *vindictam* expetere. De scripturae fide, id est simpliciter de veritate eius (vt Interpres explicat) citra vindictae persecutionem: in rem magis seu in scripturam concepta actione, quam in personam. *ID.*

(g) Sequentia omnia recidit Tribonianus ad ea vsque verba *Vt si quis*: sententiam porro sic expleuit *tunc quaestione ciuili per sententiam terminata, criminis fiat indago, Vt si quis &c.* Quae verba ex *l. 2. sup. h. t.* mutuatus est, vel imitatus, satis incondite. *ID.*

(h) Vide legem 8. *D. de officio Praesidis*: & *l. 9. D. eod. tit. ID.*

(i) An Talionis poenam intelligit, quae antiquo iure proposita? an intelligit *inscriptionem*? vide *legem 5. & 9. sup. de Accusationib. & Inscriptionibus. ID.*

(k) Quae vult & suadet a Iudicis potestate proficisci supplicium, non ex propria accusatoris inscriptione, in poenam reciproci stylo trepidante recauentis, vt loquitur *lex 3. sup. de exhibendis reis. ID.*

(l) *Plenissime suffragari* ait, exemplum ex antiquitate desumptum. *ID.*

(m) *Quosque. IDEM.*

(n) *Legis Corneliae* tria capita fuisse hic locus docet: seu alia lex Cornelia fuit de *veneficiis*, alia lex Cornelia de *Sicariis*, alia denique Cornelia de *parricidiis.* Sane *titulo digestorum* priora duo capita continentur, *Ad legem Corneliam de Sicariis & Veneficiis.* Idem *Titulus* quoque fuit in *Codice Gregoriano*: idem Titulus apud Paulum *lib. 5. sentent.* apud Vlpianum *lib. 7. de Officio Proconsulis*: vt docet Author *Collationis legum Mosaicarum Tit. 1.* Ex quo & illud discere licet, in lege Cornelia caput primum fuisse *de Sicariis*, etsi hic Cornelia de *Veneficiis* prius nominetur. Porro, *de Veneficiis*, vt hic legitur, & in Florentinis *Tituli Digestorum*; an vero *Veneficis* legamus? nil interesse puto: etsi Cuiacius discriminis aliquid putet. Quidni enim etiam ii qui venenum dederunt, veneficii nomine veniant non minus quam qui parauerunt, habuerunt, vendiderunt: vt saepissime enim iidem & venenum parant, & propinant. *ID. De Veneficis* legit MS. W. & Ed. Sichard. & ita Paullus *in sentent.* apud Pariator. *tit. 1.* §. 2. & Vlpianus *de Off. Procos.* apud eundem §. 3. *RITTER.*

[(o) Tertium hoc caput legis *Corneliae*, seu legem *Corneliam de Parricidiis* vnico praeterea loco memorari reperio, a Pomponio inquam, *l. 2. §. 32. D. de origine iuris. Cornelius Sulla*, inquit, *quaestiones publicas constituit, veluti de falso, de parricidio, de Sicariis.* Sed versa postea *lex Cornelia* in *Pompeiam*, pristino tamen vt videmus nomine retento: Quemadmodum Regiae leges in XII. Tabulas transfusae. Regiae nihilominus dici perseuerarunt, deque Regum ipsorum nominibus laudari perseuerarunt. Ateius Capito, apud Festum *in v. Reus. Numa*, inquit, *in secunda Tabula, secunda lege, in qua scriptum est*: *Quid horum fuat, vnum iudici arbitroue, reoue, eo die diffensus esto.* *GOTHOFRED.*

(p) Vulgo *de Adulteriis. ID. Adulteriis*, legunt MSS. W. & G. Edit. Sichard. *RITTER.*

(q) Id est, ita conceptis, vt nulla inscriptionis mentio in his fiat, quo illarum legum capite Iudex quaestionis constituitur. *GOTHOFR.*

(r) *Solemnia* inscriptionum hic & postea intelligit. *Solemnia* simpliciter, pro inscriptionis solemnitate. Eodemque sensu solemnitas iuris, *l. 3. sup. ad l. Iuliam de vi.* Itemque solemni lege se vincire, *l. 3. sup. de exhibendis reis.* Plenius, solemnia inscriptionis, *l. 4 sup. de custodia reorum ID.*

(s) *Occupare*, MSS. W. & G. *RITTER.*

(t) Rescriptum hoc D. Antonini nusquam reperio alibi: quod proculdubio suppeditaret nobis *Codex Gregorianus*, si superesset. *GOTHOFR.*

(v) Sed neque hae Gratiani *leges*, seu hoc praeceptum, extant, quae hic memorantur. *ID.*

(x) Praecise scilicet, abrogata *lege 2. sup. ID.*

(y) Hinc rursum Tribonianus legem suam continuat, omissa voce *deinceps. ID.*

(z) *Attestationesque* Cod. Iust. incondite. *Testationum* vox hac in re propria & vsurpata SCo. quod ad legem Corneliam testamentariam factum, vt docet Vlpianus apud Authorem *Collationis legum Mosaicarum Tit. 8. §. 7.* Sed & Martianus *in l. 1. princip. D. de lege Cornelia de falsis. ID.* De *testationis* voce, vide late disputantem CL. SCHVLTINGIVM in not. *ad Vlpian. loc. cit.* apud Pariator. *RITTER.*

(aa) *Nec non &*, Cod. Iust. *IDEM.*

(bb) *Venditionesue*, Cod. Iust. & Sichard. quod natum occasione vocis sequentis. *ID.*

(cc) Veluti, commonitoria, nefariae scripturae, de quibus *l. 2. sup. ne praeter crim. Maiest. l. 7. inf. de fide testium.* *GOTHOFRED.*

(dd) In Cod. Iustin. male, *instituere*: nullo sensu. *ID. Instituere* etiam legit Sichard. *RITTER.*

(ee) Et haec praetermisit Tribonianus. *GOTHOFR.*

(ff) Haec rursum resecauit Tribonianus. *IDEM.*

P. 164 (gg) *Secunda* huius legis sententia *de ciuili falsi iudicio.* Caeterum Tribonianus hanc sententiam ita deformauit: *Ciuilis autem inquisitionis inter vtrasque partes confligentium leuior examinatio procedat. IDEM. Ciuilis autem inquisitionis*, Ed. Sichard. reliquis quae sequuntur in nostro Cod. retentis. *RITTER.*

(hh) Puto

(hh) Puto lectionem hanc retinendam, *ingruit & recurrit*, vel saltem, *ingruet & recurret*, id est, ingruere & recurrere debet. *Ingruere*, pro Incurrere. GOTHOFRED.

(ii) *Iudiciorum* scilicet siue Iudicum, vt apud Symmachum *lib. 7. ep. 82. iudiciorum humanitas*. Ita enim ibi legendum est, vt euincit *Epistola* 80. & 88. *ID.*

(kk) *Cum Iudex*, Cod. Iust. RITTER.

(ll) *Quaestionis* vox hac in re propria, vt & *eius qui praeesse quaestioni* dicitur. Videatur saltem caput primum *legis Corneliae de Sicariis* apud Vlpianum, referente Pariatore *Legum Mosaicarum tit.* 1. §. 3. GOTHOFR.

(mm) *Intentiones falsas* vocat actions falsas. *IDEM. Intentionis actoris falsas.* Cod. Iust. RITTER.

(nn) *Et conficta* Cod. Iust. *conficta* etiam Sichard. edidit. *ID.*

(oo) *Romae proposita* hæc *lex* dicitur: Et vero proposita Populo Romano, vt eius lenitate, præcepti siue legis superioris austeritatem remotam, qua offensus Populus Romanus, sciret. GOTHOFR.

(pp) Non intellexit Anianus postremam *huius legis* sententiam. *ID.*

COMMENTARIVS.

ACCVSATIO falsi, ne TEMERE suscipiatur, noua ratione Gratianus Imperator hac constitutione ad Maximinum Præfectum Prætorio, (tartareum illum cognitorem, de cuius actibus Ammianus Marcellinus, *initio libri 28*, prolixe agit:) emissa humaniore longe ratione, seu, vt ipse ait, *lenitate*; quam hactenus factum prouidet. Antea scilicet seu vetustiori iure, temerariæ & præcipiti accusationi, necessitate subeundæ inscriptionis occurrebatur: nam ne quis in accusationem criminalem irrueret, spatium aliquod latum erat, vt post iniectam criminis accusationem, ad actionem criminalem cum ratione veniret & consilio, atque ita in crimen subscriberet, sesesque Talionis pœnæ subiiceret, vt inter alias *leges* eleganter probat *lex 5. sup. de Accusationib.* Alia tamen, temerariæ & præcipiti accusationi ratione occursum est, & quidem *D. Antonini* rescripto; Iudicis videlicet officio rem hanc delegantis præcisa inscriptionis necessitate sublata: Id videlicet in Iudicis potestate constituerat Imp. vt dispiceret num constanti animo, & cum ratione siue consilio accusator veniret, atque ita inscriptionis necessitatem remitteret, an vero ira præcipiti & mentis perturbatione crimen siue accusationem obiiceret, atque ita & spatium daret & Inscriptionem exigeret. Hæc fuit Antoniniani rescripti, cuius hac vnica *lege* mentio fit, sententia. Post ea tempora, Iudices officii sui immemores feroces nimiumque sæui, vtroque consilio seu remedio quo de supra, iuxta rationabili, neglecto, neque inscriptione exacta, neque spatio deliberandi relicto, vbi semel quis alicui crimen obiecisset, ad necessitatem peragendæ accusationis adigebant, nullo spatio dato ad sopiendam forte iram & tranquillitatem mentis recipiendam, vt docet *d. lex 5. sup. de Accusationib.* At Constantinus hunc abusum sustulit, reducta præcise inscriptionis necessitate elegantissima illa lege 5. qui tamen paulo ante eodem anno ad eundem Maximinum Præfectum vrbi in crimine falsi inscriptionem cessare voluerat, *lex 2. sup. h. t.*

Deuentum est ad Gratianum: Is noua adhuc ratione, sed ad ius vetus accommodata, temerariæ & præcipiti accusationi, in falsi nominatim crimine, *hac lege* occursum iuit.

Primum igitur iniecta falsi mentione, apud Iudicem ei qui iniecerat electionem tribui voluit, num vellet de falso ciuiliter, vel criminaliter experiri. Et quidem SPATIO seu temporis laxamento ad id dato (quod Tribonianus omisit.) Scilicet vt in cæteris criminibus, ita & de falso ciuiliter vel criminaliter agi potest; de quo dicendi locus erit *l. vn. titulo proximo*, *Victum ciuiliter, agere & criminaliter posse.* Cuius sane alterutrius electionem is qui de domo ad accusationem prosilit, suo iure habet: quæ tamen ipsa *h. l.* tribuitur ei pariter, qui in alia causa, vt loqui solemus, *incidentauit*, id est qui cum de alia re in iudicio ageretur, & scriptura conuinceretur, per incidens ita dixit scripturam esse falsam, seque id probaturum: Igitur hoc casu huiusmodi *incidentanti* hac Gratiani constitutione electio tribuitur, & spatium, num velit ciuiliter an criminaliter experiri: Verum meliore adhuc consilio non nisi ciuiliter priuati experiuntur in Gallia, pœna tantum calumniæ imminente.

Secundo, electa criminali accusatione falsi, Gratianus non præcisam inscriptionis necessitatem requirit, imo abrogat, verum arbitrio & potestati Iudicis id committit, abrogata *lege* sua, qua præcisam necessitatem exegerat. Scilicet, ex personis Accusatorum id Iudicem æstimare vult, num vinculo inscriptionis coercendi sint, atque ita metus Talionis iniiciendus, an vero remitti oporteat. Proinde inscriptionem arbitrariam facit, & arbitrariis casibus seu iudiciis (quæ alioquin *Menochius* insigni tractatu collegit) annumerat: Vice versa præcisam inscripitonis necessitatem *austeritatis* nomine perstringit. *Austerum* nimis est ab omnibus promiscue inscriptionem exigere. Nam vt cæteroquin ex personis hominum dicta factaque æstimanda sunt (quam in rem elegans *lex* est *3. D. de testibus:* & *lex vn. sup. si quis Imperatori maledixerit*) ita & in falsi accusatione accusatoris personam explorari oportet.

Porro Gratianus hoc ius, arbitrarium inquam, inscriptionis exigendæ, vel non, & ratione præterea & exemplis duobus confirmat. *Ratio* hæc est: Falsi accusatoris pœnam non vtique præcise ex vinculo inscriptionis descendere debere, verum ex Iudicis potestate, quod his verbis significatur, *Iudicis enim potestati committi oportet, vt de eo qui obiecta non probauerit, sumat propositum antiquo iure supplicium.* Pœna ex legibus & potestate Iudicis descendere potius debet, quam ex subscriptione, vel submissione, vt loquitur, priuatorum: pœnis *legum* contenti esse debemus. Et authoritati Iudicis magis conuenit pœnas iure propositas, vt *lex* nostra loquitur, id est legales ex *legibus* descendentes, quam ex conuentione priuatorum imponere. Dignitati Iudicis magis conuenit legum sese exsecutorem præbere, quam priuatarum conuentionum. Exempla duo sunt; Primum desumptum ex *legibus* publicorum iudiciorum, veluti lege *Cornelia*, lege *Iulia*, quæ scilicet & criminosos accusari voluit & falsos accusatores coërceri, nulla tamen inscriptione exacta, vel eius mentione facta: Quod velut singulare notandum est, neque enim alibi occurrit, pariter vt Antonini Rescriptum, cuius exemplo altero Gratianus sententiam suam firmat, & de quo *initio* dixi. Et hæc de Criminali falsi accusatione & temeritate accusatoris coërcenda, non tam vi subscriptionis, quam Iudicis potestate: denique de inuito nemine ad accusationem falsi criminalem adstringendo.

CIVILEM igitur falsi actionem si elegerit is, qui falsi mentionem iniecit, quodnam Iudicis officium sit, postrema *huius legis* sententia Gratianus definit, duplici fine, ne aut vltra actoris intentionem ciuilem iudicet, aut per intentionem actoris ciuilem, vindictæ publicæ quam crimen conuictum vel calumnia P. 165.

lumnia meretur, aliquid desit. Breuiter igitur id vult; quamdiu ciuilis quæstio falsi agitatur, Iudicem non debere induere, imo sequestrare, motum & habitum *Iudicis criminalis*: æquali videlicet motu inter vtrasque confligentium partes ingruente & recurrente eius humanitate. Ciuilis inquisitionis & iudicii siue cognitionis hæc vis & natura est, vt Iudex in neutram partem inæquali humanitate propendeat: Vice versa, criminalis negotii & iudicii vis hæc est, vt asperiorem sese Iudex reo quam Accusatori præbeat; Rursum, Ciuilis negotii hæc vis est, vt quamlibet ex crimine descendat, tamen *ingruente & recurrente humanitate* Iudicis, id est habita iusta æstimatione quantum damni aduersarius falsarius intulerit, quantum damni reuera senserit is, in cuius necem falsum fabrefactum seu concinnatum est, Iudex non vltra verum interesse, reum actori condemnet, seposita criminis consideratione. *Interesse æstimari oportet non ex crimine aduersarii, sed ex vtilitate actoris.* Atque hæc est sententia huius postremæ partis obscurissimæ, quam neque Tribonianus, neque Interpres *huius leg.* intellexerunt. At finita demum ciuili cognitione falsi, vindictæ publicæ litabit. Electio quæ tribuitur Actori, ciuilis iudicii intentandi, ideo tantum tribuitur, ne cum vitæ fortassis discrimine se accusationi inuoluat criminali; sed hoc electione publicæ disciplinæ præiudicium ideo non fit: Nam post peractam caussam ciuilem superest semper officium Iudicis, qui vel actorem calumniosum puniat, vel conuictum reum pœnis subiiciat.



VICTVM CIVILITER AGERE ET * CRIMINALITER POSSE.

TITVLVS XX.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XXXI. vbi titulus aliter ita conceptus est dubitanter, suspensa sententia, & vt vocant, per casualitatem; *Quando ciuilis actio Criminali præiudicet, & an vtraque ab eodem exerceri possit.* Scil. Theodosiani Regulæ tantum Rationem habuerunt in concipiendo *titulo*, Iustinianei vero etiam Exceptionum. Sed & alio loco collocatus hic *titulus* a Iustinianeis, velut clausula publicorum iudiciorum: a Theodosianis vero hoc loco, propter *l. vlt. superioris tituli. GOTHOFR.*

* *Et* abest a MSS. W. & G. & Breuiar. LL. Rom. Guelferbyt. Edit. Sichard. prior. Cuiacian. & illa in Quarto. *RITTER.*

I. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Antonium PP. (b)

A Plerisque Prudentium generaliter definitum est, *Quotiens de re Familiari & ciuilis, & criminalis competit actio*, *vtraque licere experiri*: (c) *nec si ciuiliter fuerit actum, criminalem posse consumi.* (d) Sic denique & per vim possessione (e) deiectus, si de ea recuperanda (f) interdicto *Vnde vi* erit (g) vsus, non prohibetur tamen etiam *lege Iulia de vi*, publico iudicio instituere accusationem. Et suppresso testamento, cum ex interdicto *de tabulis exhibendis* fuerit actum, nihilominus *ex lege Cornelia testamentaria* (h) poterit crimen inferri. Et cum libertus se dicit ingenuum, tam *de operis* ciuiliter, quam etiam *lege Viscellia* (i) criminaliter poterit perurgueri. Quo in genere habetur furti actio, & legis Fabiæ constitutum. (k) Et cum (l) vna excepta sit caussa *de moribus*, sexcenta (m) alia sunt, quæ enumerari (n) non possunt, vt cum altera prius actio intentata sit, per alteram quæ supererit, iudicatum liceat retractari. Qua (o) iuris Definitione, non ambigitur, etiam falsi crimen de quo ciuiliter iam actum est, criminaliter esse (p) repetendum. Dat. prid. Id. Ian. (q) Treu. Valente VI. & Valentiniano II. AA. Coss. [378.]

INTERPRETATIO. *Causæ permixtæ* (r) *sunt, ciuiles pariter & criminales; & possunt hæ causæ ita diuidi,* (s) *vt prius ciuilis,* (t) *deinde criminalis agatur, si voluerit accusator. Ita vt si quis de re sua fuerit violenter expulsus, & rem ablatam ciuili primitus maluerit actione repetere, momentum* (v) *sibi restitui petat: & si de eius proprietate, is qui expulsus est, ciuiliter fuerit superatus, criminali postmodum actione seruata, recepto primitus momento, potest postmodum impetere violentum. De testamento etiam, si quis commendatum* (x) *a testatore testamentum,*

P.166 *mentum, in fraudem heredis fortasse suppresserit, & id heres scriptus iudicio restitui petit, testamento per iudicium momenti beneficio restituto, potest postmodum de suppresso testamento criminalem proponere actionem. Et reliquis similibus causis similis actio tribuatur.* (y)

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem *huic* est *lex 7. inf. de fide testium & instrumentorum.* GOTHOFRED.

(b) Non Galliarum, quarum PP. fuit ante biennium, vt docet *lex 11. inf. de Medicis*: *lex 2. inf. de quaestionibus.* Verum Italiae, vt ostendit hoc Anno, *lex 12. inf. de poenis.* ID.

(c) *Siue prius criminalis, siue ciuilis actio mouetur.* Hoc additum a Triboniano: Et tamen & *legis* huius sententia tota, & *Aniani* Glossa huic sententiae ita locum relinquunt, si prius ciuiliter actum sit. ID.

(d) *Et similiter e contrario*: hoc amplius Tribonianus. ID.

(e) *De possessione*, Cod. Iust. ID.

(f) *Recipienda*, MS. W. RITTER.

(g) *Fuerit vsus*, Cod. Iust. GOTHOFRED. *Fuerit vsus*, MS. W. RITTER.

(h) Lex Cornelia *Testamentaria*, cur ita dicta fuerit? notum est. GOTHOFRED.

(i) *Visellia*, Cod. Iust. vt *Titulo* Codicis eiusdem *Ad Legem Viselliam.* ID. *Visellia*, legit MS. W. *Visselia* man. recens in MS. G. RITTER.

(k) *Constitutio*, Cod. Iustin. GOTHOFRED.

(l) *Cum vna excepta sit causa de moribus.* Haec verba recidit Tribonianus: causam repete ex iis quae notaui *tit. de dotib. & de repudiis.* ID.

(m) *Plurima*, Cod. Iust. ID.

(n) *Numerari*, Cod. Iust. ID.

(o) *Quia iuris*, MS. G. RITTER.

(p) Id est, criminaliter repeti posse, imo debere: quod etiam inculcare videtur *d. l. 7.* quae *huic* coniungenda. GOTHOFREDVS.

(q) *Prid. Calend. Ian.* MS. W. & Cod. Iust. RITTER.

(r) *Permixtas causas* vocat *Anianus* actiones concurrentes. GOTHOFRED.

(s) *Diuidi causas* Anianus dixit, quae diuisim intentari possunt ab eo, qui in alterutro succubuit. ID.

(t) *Prius ciuiles deinde criminales agantur*, Prior Cuiac. & Sichard. & MS. G. MS. W. vero, tantum habet, *vt prius ciuiles*, retentis reliquis. RITTTER.

(v) *Momentum* vocat Interdictum *vnde vi*: de qua voce dixi in *Gloss.* & ad *l. 2. sup. tit. prox.* GOTHOFR.

(x) *Commendatum* testamentum a testatore saepe amico alicui. Vide & *legem 3. §. 2. 3. D.* de tabulis exhibendis. *Commendatum* porro, id est depositum. ID.

(y) *Tribuetur*, MS. W. RITTER.

COMMENTARIVS.

De CONCVRRENTIBVS actionibus est haec Gratiani constitutio: de quibus Paulus I. C.tus singularem siue peculiarem *librum* olim scripserat: vt docent duo quae supersunt tantum ex eo *libro* fragmenta: *lex 34. D. de obligationib. & actionib.* & *lex 88. D. de furtis.* Quo quidem *libro* de concursu omnis generis actionum scripserat: De concursu inquam non tantum ciuilis causae & criminalis; verum etiam de concursu plurium actionum ciuilium: item de concursu plurium actionum criminalium ex eodem facto scilicet, id enim est *Concursus actionum*, quotiens ex vno eodemque facto plures actiones competunt. At haec *lex* nostra, est de primo illo concursus genere: de concursu inquam ciuilis actionis cum criminali: de quo concursu fuit quoque *lex vlt. sup. tit. prox.*

Qua parte quaeri solet, & vero *hac lege* tractatur, non an electionem alterutrius mouendae actor habeat, id enim indubitatum est, & *d. l. vlt. superioris tituli* exploratum: Verum an electa alterutra, is qui in ea succubuit, ad alteram redire possit; an vero vnius electione is qui elegit, ius suum consumpserit, neque amplius de iure suo contendere possit? Et vero hac de re hac constitutione (quae propius accedit ad tractatum Iurisconsulti, quam ad Imperatoriam iussionem, quae, vt ille ait, iubere debet, non disputare;) Regula proponitur, exempla firmandae regulae quatuor traduntur: Exceptio vnica proponitur, extensio vnica subiicitur.

Regula est (& quidem, vt ait, a plerisque Prudentium generaliter definita, seu definitio, vt mox quoque vocat, qua de re & voce dixi *ad Titulum de responsis Prudentum*,) *Quoties de re familiari & ciuilis & criminalis competit actio, vtraque licere experiri, nec si ciuiliter fuerit actum, criminalem posse consumi.* Ait *de re familiari actionem*, id est, quae commodum priuatum persequitur: ita enim *rei familiaris* appellatio hic accipienda est. Eoque etiam numero est & collocatur *h. l.* Actio de *moribus*: quia certe etsi coercitionem & quidem publicam continet, *l. 15. §. 1. D. soluto matrim. l. 5. D. de pactis dotalib.* tamen ad lucrum & commodum dotis est, vt Papinianus docet, *l. 11. §. 3. D. ad leg. Iul. de adult.* Breuiter etsi ad pecuniariam causam huius actionis nomen non respiciat, *l. 15. §. 1. D. soluto matrim.* Tamen exitus de re familiari. At vtraque licere experiri non coniunctim scilicet aut cumulate, sed vt sequentia arguunt, & vt Interpres hic loquitur, diuisim: nos diceremus successiue, vel etiam subsidiarie, vtpote ad quam in altera victus ceu authorem confugiat. Eodemque sensu accipi oportet geminam *Hermogeniani* Regulam in *l. 22. D. de obligat.* Cum ex vno delicto plures nascuntur actiones, omnibus experiri permitti post magnas varietates obtinuit. Quibus postremis verbis hoc ipsum vult quod Gratianus *initio huius legis* his verbis: *A plerisque Prudentium generaliter definitum est.*

Exempla mox quatuor subiicit Gratianus, quae prolixius illustrare nihil attinet, per se enim patent; ac maxime cum peculiares habeant ferme *hoc Codice* Titulos. Titulum, inquam, *Vnde vi.* Tit. *ad l. Iuliam de vi.* Tit. *ad leg. Corneliam de falso*: id est, testamen-

testamentariam: Titulum *ad leg. Fabiam.* De hoc tamen postremo vid. insuper *legem 12. Cod. Inst. ad leg. Fabiam:* & Cuiacium XX. *obs. 26.* De lege sane Visellia Titulus Codicis Iustinianei satis lucis accipit ex titulo *de dotibus*, & Titulo *de repudiis sup.* quam & ipsam suppeditat Papinianus *l. 11. §. 3. D. ad l. Iul. de adulteriis.* Imo & Scæuola, *l. 47. D. soluto matrimonio.* Cum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur. Cur enim improbet maritus MORES, quos ipse aut antea corrupit, aut postea probauit? Si tamen ex mente *legis* sumet quis, vt nec accusare possit qui lenocinium vxori præbuerit, audiendus est. Cuius postremæ sententiæ hæc mens est: eos qui ex *legis* sententia colligunt, lenocinii conuictum maritum iudicio de moribus, atque adeo victum iudicio de moribus, criminalem accusationem adulterii constituere non posse, recte sentire.

Exceptionis tantum istius ratio proponenda est? cur videlicet ciuilis actio de moribus mota & electa, criminalem adulterii actionem extinguat; Nempe ideo, quia iudicium hoc ciuile *de moribus* vindictam persequitur, & coercitionem: *d. l. 15. §. 1. D. solut. matrim.* non damnum pecuniarium. Neque enim hoc iudicio agitur de rebus amotis, de re quæ absit coniugi, facto coniugis; non de damno pecuniario, sed de iniuria thori genialis. Porro vnius criminis duæ vindictæ esse non possunt. Quæ causa est etiam cur hæc actio hæredi & in hæredem non detur: *l. 1. sup. de iure dotium.* Vnicam hanc causam excipit Gratianus. Et vero vnica est, quæ etsi vindictam contineat, de re tamen familiari est: Neque adiicienda est altera, vt Cuiacius facit; iniuriarum videl. actio ciuilis: Nam etsi verum sit, eam criminalem actionem extinguere, *l. 6. in fine; l. 7. §. 1. D. de iniuriis*, tamen alterius generis est: neque enim de re ciuilis iniuriarum actio, vindictæ magis quam pecuniæ persecutionem habet: *l. 2. §. 4. D. de collatione bonorum.* Inuecto igitur hoc temperamento, Regula ita conficiatur, Actionem ciuilem de re familiari, si modo vindictam non contineat, non extinguere criminalem. P. 167

Extensio tandem seu applicatio Regulæ ad accusationem falsi ex *lege vlt. superioris Tituli*, manifesta est. Cæterum cum *huic l.* coniungi oporteat *legem 7. inf. de fide test. & instrum.* sane huic extensioni ea aptanda est: est enim de falsa & suspecta scriptura.



DE FALSA MONETA.

TITVLVS XXI.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XXIV.

Subiungitur *hic Titulus:* nam & hic falsi speciem continet: & vt lex Cornelia *Testamentaria*, de qua præcedente altero *Titulo*; ita & lex Cornelia *Nummaria*, vt eam nominatim vocat Cicero Lib. 1. in Verrem c. 42. aduersus falsarios fuit: Asconius Pedianus ad *cap. citat. Lex Cornelia* inquit *Nummaria quæ de Moneta, ne quis priuatus pecuniam faceret.* Porro quatuor tantum Imperatorum Constitutiones in falsarios *hoc Titulo* occurrunt, CONSTANTINI M. *l. 1. 2. 3. 4.* CONSTANTII, *l. 5. 6.* VALENTIS, *l. 7. 8. h. tit.* [adde tertiam *l. 1. de conl. æris:*] THEODOSII M. *l. 9. 10.*

PARATITLON.

MONETÆ nomen quandoque pro nummis ipsis accipitur, *Rubr.* & *l. 2. h. t.* & *l. 1. inf. de conlatione æris:* alias, pro Officina in qua nummi formantur, *vt l. 3. 8. h. tit.* vnde & monetæ Principis, *d. l. 3. h. t.* Monetæ publicæ seu fiscales, *l. 7. h. t.* Priore significatu, Moneta & nummus pro eodem: *l. 3. 4. h. t.* & *l. 3. inf. de conlat. æris:* Item numisma, *l. 1. h. t.* Pecunia, *l. 3. h. t.* & *Titulo 23. inf. Si quis pecunias conflauerit.* Moneta, inquam, quæ in vsu publico constituta, *l. 1. inf. Si quis pecunias:* in conuersatione publica, *l. 2. d. tit. Si quis pecunias:* & *l. 1. inf. de conlat. æris.*

II. MATERIA monetæ fuit: Primo *Æs l. 10. h. t. seu vlt.* vide *inf. Tit. de Conlat. æris.* Vnde figuratum æs pro moneta ærea, *l. 1. inf. de conlat. æris.* Hinc & æs dichoneutum, *d. l. 1.* & ex ære maiorina pecunia, *l. 6. h. t.* Secundo, *Argentum*, vnde nummus argenteus, *l. 1. inf. de expensis ludorum.* Huc pertinet & nummus decargyrus, *l. 2. inf. Si quis pecunias conflauerit.* Fit quoque mentio argenti libræ, *d. l. 1. infr. de exp. ludor.* Tertio, fuit pecunia partim ex *argento*, partim ex *ære* quæ *Maiorina* pecunia dicitur, *d. l. 6. h. t.* Quarto, *Aurum l. 7. 8. h. t.* & *l. 1. inf. de expensis ludorum: l. 3. inf. de conlatione æris:* Cuius materia, *l. 1.* & *3. inf. de ponderatoribus*, partim a Prouincialibus siue collatoribus fisco inferebatur, *l. 7. h. t.* excocta, vnde aurum *coctum* dicitur, *l. 1. inf. de Ponderatorib.* indeque aurum coquere, *l. vn. inf. de auri publici prosecutoribus.* Dicitur & pura materia, *l. 3. infr. de ponderatoribus:* itemque massa auri, *l. 13. infr. de Susceptoribus.* Denique dicitur & Obryza, *l. 3. inf. de ponderatorib.* & *l. 4. inf. de auro coronario:* Hinc & *obryziacum*, aurum scilicet, *l. vn. inf. de oblatione votorum:* Massa obryzæ, *l. 12. inf. de Susceptoribus:* materies obryzæ, *d. l. 12.* Auri obryza, *l. 13. inf. de Susceptoribus.*

toribus. Denique auri pondus, *l. 2. inf. de Susceptorib.* Partim ab Aurilegulis collectum aurum: de quo suo loco & *inf. de metallis*: Præcipua vero auri in omnibus ratio fuit: nam & solis Consulibus ordinariis nulli prorsus alteri, cum publica celebrarentur officia, dandi facultas erat *l. 1. inf. de expens. ludor.* Auream sportulam.

III. LOCUS in quo moneta cudebatur, seu monetæ publicæ & fiscales, *l. 3. 7. 8. h. t.* per orbem Romanum variæ fuerunt, tam in Oriente, *l. 16. inf. de murilegulis:* ac nominatim in Bithynia, *l. 1. inf. de murilegulis,* quam in Occidente, ac nominatim in Africa, *l. 1. 3. h. t.* Breuiter monetæ cudendæ Principi soli ius fuit, *l. 3. 7. 8. vlt. h. t.* & in publicis tantum moneris pecunia cudebatur, *d. l. 3. h. t.*

P. 168 IV. MAGISTRATUS, sub cuius dispositione erant moneta & monetarii, erat Comes Sacrarum largitionum, *l. 7. 8. 9. h. t.* & *l. 16. inf. de murilegulis.*

V. MONETARII, id est, homines erant, qui monetæ cudendæ, conflandæ adstricti erant, & in hac conditione semper durabant, eamque euitare nullo modo poterant, *l. 1. 10. 16. inf. Tit. de murilegulis & monetariis:* dicuntur & conflatores, *l. 1. inf. de conlatione æris:* itemque flaturarii. *l. 6. h. t.* memorantur, qui tamen ab illis diuersi erant. Erant & alii qui *Ponderatores* seu Zygostatæ dicebantur, qui videlicet pondus monetæ exigebant, de quibus erit *infra Titulus de Ponderatoribus.*

VI. CUSIO monetæ sequitur. Cudi scilicet moneta dicitur, *l. 3.* & *l. vlt. h. t.* indeque cusio monetalis, *l. 18. infr. de extraordinariis,* dicitur & conflari, *Rubr.* & *l. 1. inf. si quis pecunias conflauerit* (Vnde & conflatores de quibus antea) itemque exerceri, *l. 2 h. t.* fieri, *l. 1. h. t.* formari *l. 3. h. t.* & *l. 1. inf. de expensis ludorum,* fundi, vnde & fusio, *l. 3. h. t.* denique figurari, *l. 7. h. t.* indeque figuratio monetæ, *l. 8. h. t.* & *l. 2. inf. Si quis pecunias conflauerit,* & *l. 7. inf. de indulgent. criminum:* inde figuratum æs, *l. 1. inf. de conlatione æris,* figuratus solidus. *l. vn. Si quis solidi circulum: l. 1. inf. de ponderatorib.* figuratus nummus, *l. 4. h. t.* Cæterum ad monetam cudendam carbo a Prouincialibus conferebatur, *l. 15. 18. inf. de extraordinariis.* Et cudendæ monetæ operam nauabant Monetarii, de quibus suo *titulo 20. lib. 10.* vbi vide.

VII. FORMA monetæ in his consistit, in circulo solidi exteriore, de quo *infr. Tit. prox. Si quis solidi circulum,* in vultu Principis, *l. vn. inf. Si quis solidi circulum,* & *l. 1. inf. de ponderatoribus,* quæ & facies dicitur, *d. l. vn.* item Sacrum os, Diuini vultus, venerabilis formæ, *l. 6. inf. de indulgentiis criminum:* figura denique, vnde figuratio, de qua *supra,* & figuratus solidus. Porro impressus hic vultus monetæ, *d. l. 6. inf. de indulgent. crimin.* modo maiori habitu, modo angustiore expressione, *d. l vn. inf. Si quis solidi circulum.* Ad formam quoque pertinet quod alii maiores, minores alii erant: itaque mentio fit maiorinæ pecuniæ, *l. 6. h. t.* & *l. 1. inf. Si quis pecunias conflauerit,* quæ quidem ex argento & ære erat, *d. l. 6. h. t.* maioris argentei nummi meminit *lex 1. inf. de expensis ludorum.* maioris pecuniæ, *l. 2. inf. Si quis pecunias conflauerit.*

VIII. SPECIES nummorum *hoc Codice* hæ memorantur; Argentei, *l. 1. inf. de expensis ludor.* Centenionales nummi, *l. 2. inf. Si quis pecunias conflauerit,* qui Centenionales communes, *lib. 1 eod Tit. in fin.* Decargyrus nummus, *d. l. 2.* denarius (mille denarii pars sexta solidi, *leg. vlt. infr. de Suariis*) a quo denarismus, *l. 107. 123 infr. de Decurionib.* Dinummus, a quo vectigal dinummium, *l. 2. infr. de Alexandrinæ plebis primatibus;* Folles, *l. 1. inf. Si quis pecunias, l. 2. 4. sup. de Senator. & Glebali conlatione: l. 5. sup. de prætoribus: l. 3. inf. de Suariis. l. 3. sup. de Veteranis: l. 2. 3. inf. quorum appell. l. vn. inf. de mensis oleariis:* Libellæ, *l. vlt. sup. de custod. reor.* Quinquagena, vt colligo ex *l. 7. de lustr. coll* maiorina, *de qua supra:* Nummi ita specialiter dicti, *l. 1. inf. de Medicis: l. 1. inf de pretio panis Ostiensis:* Siliquæ, *l. 1. inf. de impon. lucrat. descript.* Solidi, *l. 1. inf. si quis solidi circulum: l. 2. inf. de conlatione æris: l. 12. 13 infr. de Susceptorib.* Aurei scilicet, vnde obryzæ massa solidique, *l. 12. inf. de Susceptorib.* figurati solidi antea mentio facta. Trimisses denique, *l. 4. sup. de militari veste:* & *l. 2. sup. Ne Comitibus & Tribunis lauacra.*

IX. PONDUS monetæ exactum ad libram, *l. 1. inf. de oblatione votorum: l. 13. inf. de Susceptoribus,* ad vncias, *l. 8. h. t.* & *l. 1 inf. de ponderatorib.* ad scrupulos, *l. 1. inf. de ponderatorib. l. 3. 12. inf. de metallis.* Auri libra ab initio 84. solidos efficiebat, *l. 1. de ponderatorib.* postea ad solidos septuaginta duos contracta, *l. 1. inf. de oblatione votorum:* & *l. 13. inf de Suscep-tor.* Argenti vero libra sæpe sexaginta argenteos, *l. 1. inf. de expensis ludorum*: vbi dicam. Item solidus erat quaternorum scrupulorum sub Constantino, *l. 1. inf. de ponderat.* In singulas vncias (quæ 12. in libra) septem solidi *d. l. 1.* Libræ duodecim erant vnciarum, vid. *l. 4. inf. de metallis,* vbi dicam.

X. PRETIUM & æstimatio, *l. 2. 3. inf. de conlatione æris, l. vn. infr. si quis solidi circulum: l. vn. inf de argenti pretio:* siue vnius monetæ ad aliam proportio hæc erat: Æris ad aurum, viginti quinque libræ æris pro solido, *l. 2. 3. inf. de conlatione æris:* proinde centenarius æris, cuius fit mentio: *d. l. 3.* pro quatuor solidis. Argenti item ad aurum proportio hæc erat, argenti libra pro quinque solidis, *d. l. vn. inf. de argenti pretio:* & sic proportio decupla erat.

XI. PON-

XI. PONDERATIONIS & ponderis quanta ratio habita: & vt ea æqua lance fieret: vid. *tit. de ponderator.*

XII. VENDITIO quoque nummorum siue monetæ quædam licita fuit: de qua vide *leg. vn. inf. si quis solidi circulum: leg. 1. 2. inf. Si quis pecunias conflauerit: d. leg. 1. inf. de ponderatoribus.* Huic rei Zygostatæ præpositi dirimendæ videl. controuersiæ de pondere *l. 2. de ponderatorib.*

XIII. FALSA moneta, & Falsarii tandem sequuntur, quod proprium *huius Tituli* caput est. Falsa moneta igitur, *Rubr.* & *l. 9. h. t.* dicitur, & falsa fusio *l. 3 h. t.* item adulterina moneta, *l. 2. h. t.* adulterinum numisma, *l. 1. h. t.* adulterini solidi, *l. 13. inf. de Susceptoribus*, vnde
P.169. & monetæ adulterata figuratio, *l. 7. inf. de indulgentiis criminum.* Falsæ monetæ Rei dicuntur adulteri solidorum, *l. 5. h. t.* adulteratores monetæ, *l. 1. inf. de conlatione æris:* & *d. l. 8. inf. de indulg. crim.* Paracharactæ vulgo vocabantur, *l. 9. h. t.*

Porro artes horum erant partim in cudenda moneta, *l. 6. inf. de indulg. criminum.* seu facienda, *l. 1. h. t.* extra monetas publicas, *l. 3.* vel etiam in monetis publicis, sed ex hominum priuatorum auro, *l. 7. 8. h. t.* denique figurato solido adultera imitatione, *l. vn. inf. si quis solidi circulum exteriorem inciderit, vel adulteratum in vendendo subiecerit:* Huiusmodi falsæ monetæ Rei dicuntur sacrı oris imitatores, & diuinorum vultuum adpetitores, venerabiles formas sacrilegio eruditi imprimere, *l. 6. inf. de indulg. criminum.* Hinc monetæ adulterata figuratio, *l. 7. inf. de indulg. crim.* falsa fusio *l. 3. h. t.* adulterina moneta, *l. 2. h. t.* adulterinum numisma, *l. 1. h. t.* partim vero falsæ monetæ reorum artes sunt circa publicam & probam monetam, puta eas conflando, *l. 1. inf. si quis pecunias conflauerit:* separato item argento ab ære, maiorinam pecuniam purgando *l. 6 h. t.* Item abradendo, incidendo, *l. vn. si quis solidi circulum exteriorem inciderit,* seu adrodendo, excidendo, diminuendo, *l. 2. inf. de ponderatorib.*

SINGVLARIA multa in hoc crimine recepta erant. Accusatio eius quippe publica non tantum erat; verum etiam quandoque accusatores præmiis inuitati: Et quidem ingenui, præmio partis bonorum rei delati: serui vero præmio ciuitatis Romanæ: *l. 2. h. t.* Quin & appellare ad Principem pagano huius criminis reo condemnato non licuit, *d. l. 2.* Imo reum custodiæ suæ traditum dimittens capite puniebatur, *d. l. 2. h. t.* Indulgentia denique criminum ad hos non pertinebat, *l. 6. inf. de indulg crim.*

POENA falsam monetam formantis varia, pro sexuum, conditionis, temporum etiam varietate imposita: Quandoque perpetui exilii, deportationis perpetuæ, vltimi supplicii seu capitalis: omnium bonorum confiscationis, *l. 1. 2. 3. 6. h. t.* Imo & ignis, *l. 5. h. t.* & *l. vn. inf. tit. prox.* denique Maiestatis crimen erat, *l. 9 h. t.* domus quoque confiscabatur in qua figuratus nummus esset, domumque præbens proscriptis bonis deportabatur, *l. 2. & 4. h. t.* conscius, minister, seruus, actor fundi, incola, colonus, qui ministerium præbuit, capitali pariter pœna adficitur.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Verinum. (b)

QVICVMQVE adulterina fecerit nomismata, (c) pœnam pro discretione sexus (d) & condicionis suæ diuersitate sustineat: hoc est, vt si Decurio, vel Decurionis sit filius, exterminatus genitali solo, ad quamcunque in longinquo positam ciuitatem sub perpetui exilii conditione mittatur, ac super facultatibus eius ad Nostram Scientiam referatur: Si Plebeius, vt rebus amissis perpetuæ damnationi (e) dedatur: si Seruilis condicionis, vltimo supplicio subiugetur. Dat. (f) & Acc. XV. Kalend. April. Constantino A. V. & Licinio Cæs. COSS. [319.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *Lex a Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Vicarium Africæ *l. vn. de parricidi s, & l. 1. inf. de famosis libellis.* ID.

(c) *Numisma* hic pro ipsa moneta & nummo; alias Nomisma pro forma seu charactere & Typo. Prudentius Peri Stephan. Hym. 2. v. 95. 96.

En Cesar agnoscit suum
Nomisma, nummis inditum.

vbi nihil necesse est reponi *enigma.* Eodem sensu Suidas de monetariis voc. Μονιτάριοι: Διέφθειραν inquit, τὸ νόμισμα, *monetam corruperunt*, de quo ad *leg. prox.* νομίζειν δραχμὴν, *formare drachmam.* Philostratus *lib. 1. de V. Apoll. c. 11. pag. 19. edit Fed. Morell.* Δραχμὴν ἀργυρᾶν νενομισμένην ἐς Τιβέριον, *drachmam argenteam Tiberii imagine signatam*, siue εἰκόνι Τιβερίου κεχαραγμένην. Quem locum & sensum debeo Scaligeri *Posthumo, de re numaria, p. 24.* Pollux *Onomast. lib. 9. cap. 6. segment. 79. pag. 1055. edit. Hemsterhuis.* Τοὺς μέντοι Συρακουσίους κασσιτέρῳ ποτε ἀντ' ἀργυρίου νομίζειν Διονύσιος κατηνάγκασε. *Dionysius Syracusios coëgit stannum pro argento habere.*

Ad quem locum vide quæ obseruarunt viri Docti. Quandoque & *Nomisma* speciatim est *solidus aureus*. Et vero hoc sensu *h. l.* accipio. *ID.*

(d) De hoc, *hac leg.* nihil agitur; proinde desideratur hoc caput. *ID.*

(e) *ve. deportationi.* Neque enim *damnatio*, aut *condemnatio*, vllibi pro *deportatione* accipitur, ne quidem apud Lamprid. in *Alexandro Seuero*, cuius locum expendo ad *l. 1. infr. ad leg. Iul. Repetund. ID.*

(f) Intercidit hic dies quo data hæc constitutio. Sane eodem die dari & accipi non potuit, quandoquidem Constantinus Sirmii in Pannonia constitutus hoc tempore erat, Verinus Carthagine. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. Quatuor constitutiones *hoc titulo* ordine sequuntur, quibus addenda & quinta, puta *lex vn. infr. si quis solidi circulum:* (quæ tempore omnium prima est) imo & sexta adhuc de re monetaria, & solidi libræque æstimatione: puta *l. 1. infr. de ponderator.* Et quinque quidem priores *de falsa moneta.* Ex quibus apparet, hinc quantam rei *monetariæ* curam gesserit Constantinus, inde quam frequens eius æuo falsæ monetæ crimen fuerit, quod tot legibus coërceri ab eo oportuerit: qui & accusatores præmiis euocauit, multaque alia singularia circa id statuit. Addenda eiusdem *lex 1. infr. de murilegul. & gynæceiar. & monetariis*, qua monetarios in sua semper conditione, durare voluit, neque vlla dignitate ab ea liberari.

Hac sane *lege* pœnam adulterinum nomisma id est solidum facienti (intra Africam nominatim) hoc rescripto variam, pro sexus & conditionis varietate imponit; pro varietate inquam conditionis: Decurioni scilicet vel Decurionis filio, perpetui exilii pœnam; plebeio vero perpetuæ deportationis: (nam ita lego,) seruilis conditionis homini, id est actori fundi, incolæ, colono, (hi enim omnes seruilis sunt conditionis, de quo dixi ad *l. 1. sup. de sepulchris violatis*) vltimum supplicium, quod *legi Corneliæ* conuenit, cuius & sane pars & caput fuit de *monetis*, vnde & lex Cornelia *Numaria* dicta, vt iam monui *ad Rubricam*, I. C. in *l. 1. in fine, D ad legem Cornel. de Falsis. Pœna falsi vel quasi falsi, deportatio est, & omnium bonorum publicatio: & si seruus eorum quid admiserit, vltimo supplicio adfici iubetur.* Verum de pœna legis Corneliæ *de falsis*, plenius dictum est ad *l. 2. sup. ad leg. Cornel. de falso.* Paulus *V. sentent. 25. §. 1. Honestiores*, inquit, *in insulam deportantur, humiliores autem, aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur.* Sed nihil est pœnarum modo incertius, & quidem hac parte, vt probabunt sequentes aliquot *leges.*

Illa ex *hac lege* notentur. Primum, Decuriones mitius punitos, de quo *suo titulo.* Secundo notetur, exilii species: qua non insulæ certus locus assignatur, verum certa ciuitas longinqua: Vide *legem 5. 7. D. de interdictis, & relegatis.* Tertio obseruetur, bonorum publicationem exilii comitem non semper fuisse. Quarto obseruetur, *hac lege* Decurionem non tantum Curia submoueri, sed etiam relegari, cum tamen antea excuriationis tantum pœna imponeretur ob falsum testimonium: Paulus *lib. V. sentent. titulo apud eum 15. §. 5.* apud Authorem vero *collat. legum Mosaicarum tit. 8. §. 3. Hi qui falsum, vel obliqua testimonia dixerunt, vel vtriusque parti prodiderunt, aut in exilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut Curia submouentur:* de qua Excuriationis pœna est quoque locus Lampridii in *Alex. Seuero, cap. 19.* Sed & Varro in ἱπποσύνῃ apud Nonium *cap. 1. num. 164. Apollonium*, inquit, *ideo excuriant* [Censores] *quia nihil habebat.* Vbi tamen error est in *titulo* Varronis Satyræ, scribendum enim ἱπποκύων, vt docet Gellius *lib. 3. cap. 18.* Ex eodem Gellio apparet, in *illa satyra*, Varronem egisse de Senatoribus, Equitibus, Censoribus & Curia. Quinto obseruetur, plebeium perpetuæ deportationi subiici.

II. (a) Idem A. ad Ianuarium. (b)

I. QVONIAM nonnulli Monetarii (c) adulterina moneta (d) clandestinis sceleribus exercent, cuncti cognoscant, necessitatem sibi incumbere huiusmodi homines inquirendi (e) vt inuestigati tradantur Iudiciis, (f) facti conscios per Tormenta ilico prodituri, ac sic (g) dignis suppliciis addicendi. II. Accusatoribus etiam eorum immunitatem (h) permittimus; (i) cuius modus, quoniam dispar census (k) est, a nobis per singulos statuetur. (l) *Seruos* * etiam qui hoc detulerint, Ciuitate Romana donamus, vt eorum domini pretium a fisco percipiant. III. Si quis autem Militum huiusmodi personam susceptam (m) de custodia exire fecerit, capite puniatur. IV. Appellandi etiam priuato (n) licentia denegetur: Si vero Miles aut Promotus (o) huiusmodi crimen incurrerit, super eius nomine & gradu ad nos (p) referatur. V. Si * Dominum fundi vel domus conscium esse probabitur, deportari eum in insulam oportebit, cunctis eius rebus protinus confiscandis: Si vero eo ignaro crimen commissum est, possessionem aut domum debet amittere, in qua id scelus admissum est: Actor fundi, vel seruus, vel incola, (q) vel colonus, (r) qui hoc (s) ministerium præbuit, cum eo qui fecit, supplicio capitali plectetur: nihilominus fundo, vel domo fisci viribus vindicanda. VI. Quod si dominus ante ignorans, vt primum repperit, scelus prodidit perpetratum, minime possessio, vel domus ipsius proscriptionis iniuriæ subiacebit: sed auctorem ac ministrum pœna capitalis excipiet. Dat. (t) XII. Kal. Decemb. Rom. Crispo II. & Constantino II. CC. coss. [321.]

NOTÆ.

NOTAE.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* ex *h. l.* & *l. 4.* conflata & interpolata est. GOTHOFR.

(b) Agentem vicariam Præfecturam, vt docet *lex 3. inf. de famosis libellis*: Quanquam & Ianuarium Præfectum vrbi memorat A. D. 319. *l. 1. inf. de abolitionibus*, etsi eius non meminit *Notitia Pref. Vrb. ID.*

(c) De monetariis igitur peculariter, qui monetam cudebant, hæc *lex* est; quorum simile factum sub Aureliano memorant Historici, de quibus alioquin erit Titulus *infra* peculiaris. *ID.*

(d) *Adulterinam monetam*, Cod. Iust. Vide *Commentarium init. ID.*

(e) *Publicandi* voce vtitur *lex 5. infr. ID.*

(f) Id est, iudicibus offerantur: in Cod. Iust. *tradantur Iudici. ID.*

(g) In Cod. Iust. nonnullis editionib. *ac si digna*, male: *Ac sic*, hac *lege* est, atque ita post quæstionem videlicet, & conscios proditos. *ID.*

(h) An hæc vox legitima sit? mox viderimus. *ID.*

(i) *γρ. promittimus*: vt *l. 4. supr. de desertoribus*, perdiderit pro *prodiderit*, quæ *lex* huic argumento respondet: nisi *permittimus*, pro *remittimus* accipiamus, id est *largimur, donamus. ID.*

(k) Huius vocis loco reposuit Tribonianus *patrimonium*. Et tamen hoc elegantius est. Notum illud, *Dat census honores, census amicitias.* Vide eodem sensu *census* appellationem in *l. 29. inf. de petitionibus*: *l. 4. sup. de Senatoribus. l. 3. supr. de tutoribus, l. 42. & 50. inf. de operibus publicis*: *l. vn. infr. de his qui numero liberorum. ID.*

(l) *Statuitur*, in *Cod. Iust.* male. *ID.*

* Hæc sententia a Triboniano detracta est *dictæ legi* 1. & coniecta in *leg. 2. Cod. Iust. pro quibus caussis serui pro præmio libertatem accipiunt. ID.*

(m) In Cod. Iust. *suspectam*: sed hoc nostrum legitimum est: Susceptam personam vocat militis custodiæ commissam: pariter receptarum personarum custodiam vocat *lex 5. sup. de custodia reorum. Ad Commentariensem*, inquit, RECEPTARVM *personarum custodia obseruatioque pertineat. nec putet hominem abiectum atque vilem obiiciendum esse iudiciis, si reus conditione aliqua fuerit elapsus. ID.*

(n) *Priuatum* hic opponit militi & Promoto, de quo consule *Glossarium Theodosianum. ID.*

(o) *Promotus in gradum*: ita Tribonianus. De promoto mox dicam plene. *ID.*

(p) *Ad competentes Iudices.* Tribonianus. *ID.*

* Sequentia omnia plurimum interpolata sunt a Triboniano propter *legem 4. infr.* & ex eius legis sententia. *ID.*

(q) Forte idem cum Inquilino, de quo plene ad *l. vn. sup. de inquil. & col. ID.*

(r) De *Colonis* consule *Paratitlon de fugitiuis colonis. ID.*

(s) In hoc, *ad hoc. ID.*

(t) Pro *reddita*, vel *proposita. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 171.

ERVENDIS & OPPRIMENDIS Monetariis falsæ monetæ in possessionibus priuatis figuratæ, cusæ reis, hac constitutione singularia multa a Constantino M. constituuntur: Quia scil. vt ait, *nonnulli Monetarii clandestinis sceleribus exercerent adulterina moneta. Adulterina moneta* ait, nisi malit quis cum Iustinianeo Codice, *adulterinam monetam*, id est, vt equidem existimo nummaria nota adulterata, vitiata, corrosa: Nam & ita sub Aureliano Monetarii memorantur metu pœnæ bellum excitasse vitiatis monetis, vt loquitur *Eutropius lib. 9. cap. 9.* vt vertit Auctor apud *Suidam voc.* Μονιτάριοι; *διεφθείραντες νόμισμα* (id est adulterata moneta typo & iconio, eo quippe significatu νόμισμα accipi iam ostendi ad *l. 1. sup.*) Victor Schotti *cap. 35.* quod nummariam notam corrosissent. Qua parte Eutropio & Aurelio Victori bene conuenit. Vitiare monetam, est nummariam notam corrodere: nummariam inquam notam, id est formam, typum, & iconium. Monetam seu monetæ formam vitiauerant & corroserant monetæ artifices illi, seu monetarii; id est cum maiore forma, circulo, vel pondere monetam cudere debuissent, vitiata, corrosa moneta, id est angustiore iconio, vel leuiore, monetam figurarunt, atque ita in compendium & sinum suum verterunt quantum de iusta moneta decessisset: Breuiter, ficto iconio, leuior & breuior, forma vel pondere imminutis.

Sane *monetæ* appellatione iconium, typum, exempla *χάραγμα* intelligi, iam ex *Iuuenale, Glossis Basilicorum, & Harmenopulo*, ostendi. Denique adulterinam monetam vix quisquam exercet, nisi vitiata, corrosa, adulterina nota, falsa fusione, clandestinis autem sceleribus, id est, extra monetas publicas, intra priuatorum fundos, domosue, atque extra monetas publicas, vt præter hanc *legem* ostendet *lex 3. & 4. inf.* ἐν σπηλαίοις, vt testatur Libanius *orat. in Iuliani necem, pag. 294. in f. edit. Morell.* vbi de curiosorum auaritia & improbitate agens; *διδόντες γὰρ*, inquit, *ἐξουσίαν τοῖς τὸ νόμισμα διαφθείρειν τολμῶσιν, ἀπὸ τῶν σπηλαίων, ἐν οἷς ταῦτα ἐτολμᾶτο, δόκιμον ὑπὲρ τοῦ παρασήμου φέροντες ἐτρύφων. Sed enim cum potestatem darent numisma adulterare audentibus e speluncis, in quibus hæc audacter cudebantur: probatam monetam pro adulterina referentes, gestiebant deliciantes.* Quibus clandestinis sceleribus euitandis consilium Anonymi cuiusdam qui *Notitiæ Imperii* subiectus est, satis occurrere videtur. *Ergo*, inquit, *huic quoque parti maiestatis vestræ est, vt in omnibus adhibenda correctio, ita vt opifices monetæ redacti vndique in vnam insulam congregentur, nummariis & solidorum vsibus profuturi, a societate videlicet in perpetuum contiguæ terræ prohibiti, ne commixtionis licentia fraudibus opportuna integritatem publicæ vtilitatis obfuscet. Illic enim solitudine suffragante integra fides monetæ præstabitur: nec erit fraudi locus, vbi nulla est mercis occasio.*

1. Primum igitur statuit Constantinus: INQVIRENDORVM horum Monetariorum necessitatem omnibus incumbere, id est fundorum & domorum dominos quamlibet semotos, possessiones & domos suas excutere, & peruestigare debere; alioquin reperto huiusmodi monetario, postea quamlibet ignarum dominum, extra culpam tamen non esse; atque ideo vt mox subiicitur, fundum siue domum quæ Monetario huiusmodi latebram præbuit,

buit, quamlibet ignaro domino confiscari. Necquicquam ignorantiæ prætextu se tuetur, cui inquisitionis necessitas imponitur; & curiosum hac parte domi suæ quemque agere oportet: Neque satis est scelus intra fundos vel domos suos admitti ignorasse, vel sceleri non consensisse, diligentiam insuper adhibere debuit, ne incauto atque aliud agente se, latebra reo præberetur. Ignorantia non sufficit: diligentia & exacta inquisitio præterea requiritur. Quod quidem, vt singulare valde est, ita crescentibus Monetariorum sceleribus hac noua ratione ceu bellum illis indici oportuit, omnibus certatim id agentibus, necubi lateient. Neque alia expeditior ratio eruendorum reorum, quam si dominis fundorum denuntietur, eos nequicquam ignorantiæ prætextu defendendos. Quotusquisque enim est qui sibi denunciatum hoc scit, qui non fundos suos excutiat? Sic certatim hanc operam nauantibus omnibus reum elabi impossibile est. Et tamen Constantinus idem postea, *l. 4. h. t.* æquissimum huic *legi* temperamentum addidit, octo ferme annis post hanc *legem*: Eum quippe dominum incuriæ vel negligentiæ puniri voluit, qui in proximo constitutus fuisset: si vero longissime (veluti si Romæ constitutus in Africa possessiones habuit) incuriæ eum puniri noluit: Sed & viduis & pupillis, etsi in proximo constitutis, huius rigoris gratiam fecit, sexus & ætatis infirmæ habita ratione; de quo plenius ad eam *legem* 4. Primum interim hoc politicum est Constantini Scemna ad eruendos monetarios falsæ monetæ reos. Cui adiiciendum illud, quod etiam hæc curiosorum muneris pars fuit: falsæ monetæ reos eruere, vt ex *Libanii* loco liquet, quem paulo ante protuli.

II. Secundum scemma Constantini ad eruendos Monetarios παραχαράκτας est, ACCVSATORVM per summa præmia euocatio: cuius moris accusatores, inquam, exciendi, vt alibi exempla occurrunt, ita & *lex 5. inf.* pariter occurrit, & *l. 6. ad leg. Iul. Repetundar. l. 21. infr. de pœnis*. Porro Præmium istud est liberæ scil. personæ immunitas; seruo, ciuitas Romana promittitur. De vtroque videndum est.

Ait lex: *Accusatoribus etiam eorum immunitatem permittimus:* cuius modus quoniam *dispar census est, a nobis per singulos statuetur*. Non ait, *impunitatem*: neque enim de consciis criminum sociisque hic agitur: vt putarunt, qui hunc locum non intellexerunt, atque ideo mutilum crediderunt: ait *immunitatem*, id est vacationem onerum patrimonialium, quæ *censui*, id est, *patrimonio*, vt Triboniano visum est immutare, indicuntur. Hæc est huius loci sententia, & immunitatis explicatio: quam vt sequentia satis suggerunt, ita aperte confirmat *lex 4. supr.* (seu *lex 1. Cod. Iust.*) *de desertoribus: si desertorem seruus perdiderit* [prodiderit] *libertate donetur: si mediocris loci ingenuus*, IMMVNITATE *potiatur*: Scilicet pari passu ferme ambulant libertas, & immunitas; & pro summo præmio sunt: illa, pro præmio, a iugo dominico absoluuntur serui: hac, iugo publico, pro præmio, pariter liberantur liberi. Porro immunitas *h. l.* liberis promittitur pro præmio accusationis: non tamen omnimoda aut simpliciter: sed pro ea parte quam Princeps per singulos habita census & patrimonii ratione staturus est: Valentinianus Iun. tamen *d. l. 4. supr. de desertoribus*, postea desertoris proditori mediocris loci simpliciter & indistincte immunitatem pro præmio pollicetur.

Et hæc de præmio quod liberis Monetariorum delatoribus Constantinus M. pollicetur: seruis pariter summum Ciuitatis Romanæ ius pro præmio promittit: pretio tamen dominis refuso. Vbi duo notanda sunt: *Primum*, non tantum libertatem pro præmio seruis dari, quod solemne seruorum accusatorum & proditorum præmium fuit, (vt patet ex *tit. D. qui sine manumiss. & Cod. Iust. pro* 172 *quibus causis serui pro præmio libertatem*: ex *h. l.* vnde desumpta est *lex 2. Cod eod. d. t.* & *d. lex 4. sup. de desertoribus:* & *l. 1. infr. de raptu virginum:*) verum etiam hoc casu Ciuitatem Romanam nominatim pro præmio dari, id est iustam & plenam libertatem: cum tamen alioquin seruis pro præmio Latina ferme libertas præstaretur: *l. 1. infr. de raptu virginum:* de quo discrimine dicam ad *d. l. 1.* Imo iam quoque dixi *ad l. 1. supr. de hæred. petit.* Notandum *Secundo* seruo pro præmio indicinæ ita libertate donato, serui pretium a fisco, domino præstari; scil. vbi nullum est Domini crimen, seruo pro præmio ad libertatem perducto, domino eius pretium e fisco ferme præstatur, *h. l.* contra si domini crimen sit, pretio multatur: *l. 1. 4. inf. ne Christianum mancipium*.

III. Tertia cautio, quam adhibet *h. l.* Constantinus ad opprimendos monetarios falsæ monetæ reos, est hæc: quod CVSTODI huiusmodi monetarii oblati capitalem pœnam indicit custodiam dimittenti. De pœna alioquin custodiam dimittentis vide *l. 8. 12. D. de Custod. reorum*: & Paulum V. *sent. tit. 31.* Cæterum in Milite exemplum ponit: scil. militibus custodiæ commissæ; vt præter hanc *legem*, docet *d. l. 8.* inscriptio, & *d. l. 12.* & *l. 10. D. ex quibus caus. maiores:* & Paulus *d. loco* §. *1.* *Si pecunia*, inquit, *accepta* MILES *custodiam dimiserit, capite puniendus est.* Addit; *& certe quæritur, cuius criminis reus dimissus esse videatur.* Quod & hanc *legem* nostram illustrat. Porro Militum appellatione intelligo Iudicum Officiales: argumento inter alia verborum illorum superius, *inuestigati tradantur Iudiciis:* Verum de hoc dixi plenius ad *l. 1. sup. de custod. reorum*.

IV. Quarta cautio Constantini hac parte est: quod APPELLANDI ad Principem ius huiusmodi falsæ monetæ reis admodum coarctat. Scilicet facile rei appellationis velamento elabuntur. Igitur Appellationi *priuati* (id est pagani neque promoti) ad Principem nil tribui: quin non obstante appellatione, falsæ monetæ reum paganum supplicio addici vult. Militis tantum & promoti appellationi deferri iubet Constantinus M. deque eius nomine & gradu ad se referri. Constantius quoque F. Constantini, omni dilatione submota, falsæ monetæ reos pœnæ subiici voluit: *l. 5. inf.*

De Promoto plenius videndum est, cuius *h. l.* & *duabus* præterea *legibus hoc Cod.* videl. *l. 2. inf. ad leg. Iul. de ambitu:* & *l. 2. supr. de cursu publico*, mentio fit. Promotus igitur *h. l.* iungitur militi: vterque tam miles quam promotus priuato opponitur. Ex quo vel solo satis apparet, promotum publico ministerio functum. Id hactenus ex *h. l.* colligere possumus: At *lex 2. infr. ad leg. Iul. de ambitu:* quæ Honorii Imp. est, manifeste ostendit, Promotos fuisse Officiales Iudicum ad superiorem gradum aliquem promotos, vel munere officiali per promotiones gradu factas defunctos. *Nullus omnino*, inquit, *Principatum cæteraque officia repetere audeat, cum publicæ disciplinæ semel gesta sufficiant: at si quipiam* PROMOTORVM *denuo ad id munus irrepserit, quod docebitur ante gessisse, affectus grauissimis suppliciis pœnam deportationis excipiat: ita vt Primates officii, quorum interest ambientibus obuiare, hanc propositam pœnam non dubitent.* Promotus igitur est in gradu aliquo constitutus: vnde *l. 2. sup. de cursu publ.* pro pœna, Promotus regradationis humilitate plecti iubetur. Ideo & Munifici *d. l. 2. sup. de cursu publico* opponitur: *Qui contra hanc fecerit sanctionem, Promotus regradationis humilitate plectatur: munifex pœnam deportationis excipiat.* Porro notum est vel ex *l. 18. D. de verb. signif.* & Festo, Firmico, Vegetio, Ammiano Marcellino, munifices esse gregarios qui munia obibant. Tandem ex his colligimus, Promotos esse, & in officiali, & in armata militia ad

gradum

gradum aliquem promotos: munificibus contrarios. Quibus munificibus, vt promoti opponuntur, *d. l. 2.* ita & iisdem Beneficiarii opponuntur apud Festum, qui muneris beneficio vacabant. An iidem igitur Beneficiarii, & Promoti? Putat omnino Cuiacius: cuius sententiæ argumentum hoc addi potest. Quod vt Beneficiariis vsi Magistratus in cursu peragendo, quod docet Spartianus *in Adriano cap. 2.* de quo dixi ad *l. 5. supr. de cohort.* Imo & cursus publici exhibitio iis demandata; *l. 7. supr. de cohort.* Ita & Promotis: quod docet *d. lex 2. supr. de cursu publico.* Sane Vegetius *lib. 2. c. 7.* Beneficiarios ita describit; *Beneficiarii ab eo appellati, quod* PROMOVENTVR *beneficio Tribunorum.*

Verum alia mihi mens est: Beneficiarii quidem Promoti; at non Promoti omnes, Beneficiarii. Promoti scil. alii gradu & ordine militiæ gradatim emenso: alii beneficio: vtrique Promoti: sed Beneficiarii, ex beneficio & per saltum: *Promoti*, specialiter sic dicti, qui gradu. Et vero de his Promotis hæc *lex* nostra, & *lex 2. inf. ad leg. Iul. de ambitu:* & *lex 2. sup. de cursu publ.* accipiendæ sunt. Sane *Promotionis* vox vtique apta. Suidas voc. Προμώτης. Προμώτης προκόπτων παρὰ Ῥωμαίοις. Etymologici auctor, Προμῶτος, ῥωμαϊκὴ ἐστὶν ἡ φωνὴ, καὶ δηλοῖ τὸν προκόψαντα: ὅθεν καὶ προμωτίωνες αἱ προκοπαί. Promotio, & Promotus, de ordine ad superiorem gradum promotis: notum enim, promotiones ordine factas apud Romanos. Scæua apud Lucanum *lib. 6. v. 145. 146.*

- - - - ibi sanguine multo
Promotus. Latiam longo gerit ordine vitem.

Eusebius *lib. 7. cap. 15.* de eadem Centurionis vita, de qua Lucanus agens; ἐπὶ τȣ̃το προκοπῆς τὸν Μαρῖνον ἡ τῆ βαθμῆ τάξις ἐκάλει: id est, *ad hoc promotionis, seu ad hanc promotionem Marinum gradus ordo vocabat.* Sed proprie *Promoti*, vt dixi, qui gradus ordine promoti: Beneficiarii, qui beneficio. Hinc *beneficii Tiberii Centuriones* apud Suetonium, *in eius vita, cap. 12.* verum de his suo loco plene. Huiuscemodi *Promotiones* quarum mentio in Macrini *oratione* apud Lampridium *in Vit. Antonin. Diadum. c. 2.* habita: *Commilitones pro Imperio aureos ternos: pro Antonini nomine aureos quinos, & solitas Promotiones, sed geminatas.* Scil. ce: Imperatores militibus Imperatorio nomine aucti, de more promotiones indulgebant singulas, id est, ad vnum gradum superiorem promouebant beneficio hoc suo: at Macrinus *geminatas promotiones* indulsit. Macrinus filius apud Lampridium *in Antonin. Diadum. cap. 2. Causa Imperii, causa nominis, id omne quod pater, & tantundem promitto, honoribus, vt venerandus Pater præsens promisit, duplicatis. Honores duplicatos* vocat filius, quos Pater *Geminatas promotiones.* De huiusmodi promotionibus vid. & *l. 2. sup. quis in gradu præferatur.* Tandem Promotorum Equitum mentio in *Notitia Imperii:* sed & Ammianus *lib. 31. cap. 13.* Tribunum *Promotorum* memorat.

Quinta Constantini cautio est POENARVM exasperatio in dominos possessionum, in quibus falsa moneta figurata: itemque in eos qui ministerium præbuerunt: actores, seruos, incolas, colonos; *vers. si dominum.*

Sexta cautio & vltima est POENÆ relaxatio: scil. dominis possessionum veteris incuriæ & negligentiæ atque adeo confiscandæ possessionis pœnam remittit, si comperto postea scelere id prodiderint. Præterita incuria & negligentia posteriore diligentia satis bene pensatur.

P. 173. III. (a) Idem A. ad Tertullum P. V. (b) Afric.

SI quis nummum falsa fusione (c) formauerit, (d) vniuersas eius facultates fisco (e) addici præcipimus, atque (f) ipsum seueritate legitima (g) coherceri, vt (h) in Monetis tantum (i) nostris cudendæ pecuniæ studium frequentetur. Dat. Prid. Non. Iul. Med. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. coss. [326.]

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eod. tit.* ex *hac l.* & *l. 5.* & *l. 9. inf.* desumpta est. GOTHOFR.

(b) *γρ. P. C.* id est Proconsuli: Similis error admissus *l. 3. sup. ad leg. Corn. de falso.* in Codice Iustinianeo perperam omnino hic factum, *Præfectum Vrbis Africæ*: quæ monstra sunt. *ID.*

(c) *Fusio* monetæ. *ID.*

(d) *Formare* nummum: vid. *Paratitlon. ID.*

(e) *Nostro*, Cod. Iust. *IDEM.*

(f) *Atque ipsum seueritate legitima coherceri:* hæc verba Tribonianus recidit, prælata pœna *leg. 5. infr. ID.*

(g) Quæ? vid. *l. 1. 2. sup. ID.*

(h) *In monetis etenim. ID.*

(i) *Tantummodo*, Cod. Iust. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVATO extra MONETAS publicas cudendæ monetæ, nulli ius esse vult *hac l.* Constantinus M. (de quo dicitur adhuc aliquid ad *l. vlt.*) In monetis tantum publicis scil. cudendæ monetæ studium frequentari Principis auctoritate debet, *h. t.* Quæ proinde in priuatis *extra monetas publicas* pecunia cuditur, falsa moneta est: *falsa fusio*, vt *h. l.* vocatur. Falsæ monetæ, seu falsæ fusionis non modo reus est, qui adulterinam monetam vel pondere vel materia format, fundit, subiicit; verum & qui *priuatus* pecuniam fundit *extra monetam.* Nam etsi extra monetam cusus nummus, bonus esse possit, & non παρακεχαραγμένος, attamen pecunia extra monetam formata, ἔξω τῆ ἀργυροκοπείȣ κεχαραγμένη, falsa est, & falsæ fusionis: qui figuratus adultera imitatione, vt loquitur *lex vn. infr. si quis solidi Circulum.* Legitur quoque apud Origenem *Homilia 3. in Leuit.* & *homilia 36. pecunia extra monetam formata*, vbi Ciacconius non intellexit, quid esset *extra monetam.* Denique *Falsa fusione* formatus nummus *h. l.* est, qui etsi probus δόκιμος, a priuatis nullo iure formatur; breuiter pecunia extra monetam formata. Rursum in moneta publica, formata pecunia ex *auro*, a priuatis eo illato, falsæ fusionis est: *l. 7. 8. h. tit.* Igitur regulariter priuati neque extra monetam publicam,

neque in moneta publica pecuniam iure figurant. In summam, *Priuatis* cudendæ monetæ ius nullibi est. Asconius *in Verrem lib. 1. cap. 42. Lex Cornelia nummaria, quæ de Moneta, Ne quis priuatus pecuniam faceret.* Solius Principis fuit, & est, pecuniæ cudendæ ius, Regale. Certe hodie vbique inter Regalia & imperii iura Monetæ numerantur vid. *Constitutionem* Friderici *Regalia, lib. 5. Feudorum tit. 8.* & *lib. 2. feut. tit. 56. Quæ sint Regalia:* Guntherum *de vita Friderici: cudendæ iura Monetæ.* Dodechinum Abbat. *Regalia sunt Ciuitates, Moneta, Teloneum,* &c. Inter alias pariter Imperii firmandi artes Mecenas suadet Augusto, vt vrbi nulli peculiare numisma concederetur, sed romanis omnes vterentur: μήτε δὲ νομίσματα ἴδια τὶς αὐτῶν ἐχέτω, ἀλλὰ τοῖς ἡμετέροις καὶ ἐκεῖνοι πάντες χρήσθωσαν, apud Dionem *lib. 52.* Itaque sub Demetrio Syriæ Rege Simoni sacerdoti Iudæorum inter alia priuilegia concessum, *facere percussuram proprii numismatis in regione sua.* Principum igitur proprium fuit monetæ cudendæ ius. Hinc inter Insignia Imperii delati ilico: *Monetæ nomen Antonini reddatur,* Lamprid. *in Seuero cap. 8.* & idem Lampridius *in Antonin. Diadumen. cap. 2.* de Antonino Diadumeno ad Imperium euecto, *statim apud Antiochiam moneta Antonini nomine percussa est: Macrini, vsque ad iussum Senatus dilata est.* Hocque argumento, Augusti postea probati. Vopiscus *in Firmo cap. 2. Cum ille diceret Firmum latrunculum fuisse, non Principem; contra ego illum & purpura vsum, & percussâ moneta Augustum vocitatum. Quin etiam nummos eius Seuerus Archontius protulit.* Vice versa Tyrannidis inter argumenta monetæ cusio, in Perenne, apud Herodianum *in Commodo lib. 1. cap. 9.* in *Procopio* apud Ammianum *lib. 26. c. 7.* Omitto exempla alius æui & populi, prudens. In eum finem, Monetæ publicæ, fiscales *hoc tit.* & *l. 7. 8. vlt. inf.* Similiter Capitulare Caroli M. ad Leg. Sal. *tit. 3. c. 11.* & *lib. 3. Capitul. c. 13.* & *17. De falsis monetis, quia in nonnullis locis contra Iustitiam & contra Edictum nostrum fiunt, volumus vt in nullo alio loco moneta sit, nisi in palatio nostro: nisi forte iterum a nobis fuerit aliter ordinatum.*

Et tamen (vt ex *h. l.* & *d. loco Capitularium* liquet) a priuatis monetæ cudendæ ius aliquod vsurpatum aliquando fuit: vt id prohiberi necesse fuerit. Siue quia æreæ pecuniæ cudendæ ius, singulari Principum indultu, priuati quandoque impetrarunt, vt docebit *lex vlt. inf* siue quia in *monetis* quoque *publicis*, a priuatis eo collatum æs, argentum, cudi, figurari potuisse, auro tantum excepto; ex *h. l.* & *l. 7. 8.* colligere mihi videtur.

Porro de *Monetis publicis*, quarum *h. l.* mentio fit, semel moneamus necesse est. Monetæ scil. Cæsaris, vt *h. l.* vocantur, seu vt vocantur *l. 7.* publicæ, fiscales per varia Orbis Romani loca fuere: vt ex *Notitia* Imperii Orientalis & Occidentalis seu *Breuiario* Theodosii liquido constat. Ad Orientales pertinet *lex. 7. 8. 9. 10. h. tit.* Sane memorantur quidem in *Notitia* Orientalis Imperii *Procuratores Monetarum*, neque tamen Monetæ ipsæ quibus Orientis locis fuerint, in ea *Notitia* designantur. Nos aliunde aliquot supplebimus. Constantinopolitanæ igitur meminit vetus vrbis eius descriptio *Notitiæ* præfixa. *Reg. 12.* Alexandrinam memorat Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 11.* Antiochenam, Lampridius *in Antonin. Diadumen. cap. 2.*

Cyzici quoque in Bithynia monetæ & monetariorum meminit Sozomenus *lib. 5. c. 15.* eoque pertinet *lex. 1. inf. de murilegulis & monetariis.* Et hæc quidem de monetis quæ per Orientem fuere. At in Occidente, Theodosii Iunioris & Valentiniani III. Temporibus, sex adhuc Monetas memorat Notitia Imperii sub Comite S. L. *fol. 141. Procurator Monetæ,* inquit, SISCIANÆ: *Procurator monetæ* AQVILEIENSIS: *Procurator monetæ* VRBIS ROMÆ: *Procurator monetæ* LVGDVNENSIS: *Procurator monetæ* ARELATENSIS: *Procurator monetæ* TRIBERORVM. p. 174. Tres vides tantum Monetas nominari per Præfecturam Italiæ: tres pariter per Præfecturam Prætorianam Galliæ: atque ita per totum Occidentem qui duabus his Præfecturis constabat, sex monetas. Sane *Sissianæ* in Pannonia monetæ nummi complurimi etiamnum extant: in quibus hæc ferme occurrunt SIS. ad *Aquileiensem* refero *l. 10. inf de murileg. & monet.* De *Vrbana* seu Romana complurima extant testimonia: inter cætera testis sub Aureliano vrbanorum Monetariorum intramuranus tumultus: de quo vid. *Vopiscum, Victorem, Eutropium, Suidam in* Μονητάριος: meminit & Procuratoris Monetæ *Vrbanæ* Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1. Treuericæ* monetæ & formæ infiniti extant nummi: in quibus hæ notæ *TR. P.* vel *P. TR.* id est, Pecunia Treuerica. Meminit & Pollio, *in Victoria. cap. 31. Cusi sunt,* inquit, *eius nummi ærei, aurei, & argentei: quorum hodieque forma extat apud Treuiros.* Fit & eius mentio in *veteri saxo.* Arelatensis formæ nummos quoque complurimos vidi: in quibus *P. AR.* Sane vbi in Francorum iura Arelas migrauit, aureum ibi nummum e natiuo Galliarum auro cusum, ipsorum Arelatensium insigni, seu Genio forma hominis alati impresso, auctor est Procopius. *Narbone* quoque Monetas sub Visigothorum Regibus memorat Sidonius *Carm. 23. v. 37.*

Salue Narbo potens salubritate,
Delubris, Capitoliis, Monetis.

Adde & monetas quæ per Africam: de quibus omnino accipienda hæc *lex* nostra: eoque etiam traho *l. 1. supr.*

IV. (a) Idem A. Helpidio. (b)

PRIDEM statutum † fuit, *Vt si ignorante quoque domino in fundo eius, vel domo figuratus* (c) *clam* (d) *nummus cuderetur, sedem* (e) *flagitii suo fiscus dominio vindicaret:* Nunc discretionem fieri placet, vt si (f) dominus in proximo constitutus sit, cuius incuria, vel negligentia punienda est, præceptum (g) prius valeat. Sin vero longissime ab ea domo, vel possessione afuerit, nullum sustineat detrimentum. (h) Viduas ac pupillos speciali dignos indulgentia credidimus, (i) vt viduæ nec in proximo constitutæ, domo sua vel possessione careant, si nulla apud ipsas tam grauis conscientiæ noxa resideat. Pupilli (k) vero, etiamsi conscii fuerint, nullum sustineant detrimentum; quia ætas eorum (si tamen fuerint impuberes) quid videat ignorat. Tutores tamen eorum si in proximo sint, quoniam ignorare eos quid in re (l) pupilli geritur, non oportet, hæc pœna expectabit, vt ex (m) rebus eorum si idonei fuerint, tantum fisco inferatur, quantum pupillo fuerat auferendum. (n)

Quibus

Quibus (o) ita emendatis, omnibus (p) capitulis Lex pridem lata seruabitur. Dat. IV. Non. Maii, Constantino A. VIII. & Constantio IV. coss. [329.]

NOTAE.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. titulo*: hinc & ex *l. 2. sup.* vt iam ad eam monui, conflata & interpolata est. GOTHOFR.

(b) An Præsidi Sardiniæ, vt *l. 1. sup. de feriis*? Illud potius existimo, eadem dignitate hunc Helpidium functum qua Ianuarius, cui *lex secunda sup.* inscribitur: Hæc enim, illius temperamentum est. *ID.*

† Ante octennium ferme: *l. 2. sup.* Ceterum hæc prima sententia a Tribon. recisa: ne retractationis vestigium extaret. ID.

(c) Figuratus nummus, *h. l.* figuratum æs: *l. 1. inf. de conlat. æris*: figuratus solidus, *l. 1. inf. si quis solidi circulum, l. 1. de ponderatorib.* Figuratio Monetæ. *l. 8. inf. h. t. l. 2. inf. si quis pecun. confl. l. 7. inf. de indulg. crim.* ex auro figuratum, *l. 7. h. t. ID.*

(d) Clandestinis sceleribus, *d. l. 2. ID.*

(e) *Sedem flagitii*, vocat possessionem, domum, in qua figuratus nummus cusus. *ID.*

(f) Hinc Tribonianus rursum *legem* suam deformat. *ID.*

(g) *Et si ignoret, fisco vindicetur*, hæc horum verborum loco, Τϱίβον. retractationis vitandæ causa, mox interserit sententiam vltimam *legis 2. sup. ID.*

(h) Hic Τϱίβον. inserit *versiculum, Actor. fundi vel seruus*, ex *leg. 2. ID.*

(i) Credimus, *Cod. Iust. ID.*

(k) *Impuberes vero*: ita Τϱίβον. detracta mox parenthesi, vel potius limitatione illa, *si tamen fuerint impuberes. ID.*

(l) *Rebus*, Cod. Iust. *ID.*

(m) *De*, C. Iust. *ID.*

(n) *Inferendum*, Cod. Iust. & tamen hoc nostrum non improbum est, imo aptius. *ID.*

(o) Reliqua reiecta a Triboniano, qui conflata vnica lege, ex hac, & *l. 2. sup.* nullum emendationis, aut retractationis Constantini vestigium extare voluit. *ID.*

(p) Id est, in cæteris, seu reliquis capitulis, seu capitibus. *ID.*

COMMENTARIVS.

ERVENDIS falsæ monetæ (in possessionibus videl. priuatorum cusæ, seu figuratæ) æreis, lata ante octennium ferme a Constantino M. prædura satis lex fuerat: nempe *lex 2. sup.* Eam idem Constantinus, tractatu diligentiore habito, vno eius capitulo (ceteris stantibus) RETRACTARE nunc *h. l.* instituit. Scilicet hæc *lex*, nil aliud est quam retractatio capituli cuiusdam, *ea l. 2.* comprehensi: quod (vt ipsemet profitetur) *discretione facta emendat. Discretione*, inquam, locorum & personarum facta. Ad eruendos scil. falsæ monetæ reos scemma hoc Constantinus induxerat: vt videlicet etiam ignari possessionum in quibus falsa moneta cusa fuisset, domini possessione sua multarentur.

Nunc discretionem locorum & personarum quandam facit æquissimam: LOCORVM, inquam: scilicet dominum ignarum, si in proximo sit constitutus, multari possessione iubet: at non etiam si longissime ab ea possessione absit. Nil est nempe quod imputari possit ignaro domino, possessionem suam excutere ob longinquitatem minus valenti. Dixi ignaro. Aliud enim foret, si latere in possessione sua, quamlibet abstrusa, & longissime a se
p. 175. discreta, reum sciret, neque proderet; vt nominatim definitum extat *l. 9. sup. de desertoribus.* Longinquitas possessionis, a conscientiæ crimine dominum non liberat: ab incuria & negligentia, liberat. At non etiam liberat ab incuria & negligentia, possessionis *propinquitas.* Debet scil. & præsumitur quisque scire, & excutere quisque debet quod in possessione proxima, seu in proximo fit: v. & *cap. quanto X. de præsumptionib.* idque aut nescire, aut non excutere, culpa non caret. Incuria hæc & negligentia punienda est, domini inquam, etsi criminis in possessione sua admissi, non conscii, tamen domum suam non excutientis, perlustrantis, atque hac incuria quodammodo latebræ ansam reo præbentis. Atque hæc est locorum discretio, qua *legem* 2. emendat Constantinus.

PERSONARVM discretio isthæc: quod scil. ab hac pœna liberat, Indulgentia speciali, *viduas* ac *pupillos.* Igitur vt maxime in proximo constituta fuerit vidua, constitutus fuerit pupillus, nisi tamen conscii fuerint monetæ falsæ in possessionibus suis figuratæ, nullam incuriæ vel negligentiæ pœnam sustinent. Viduæ, inquam, & pupilli curiositatis, in possessionibus suis non exercitæ pœnam non merentur. Incuriosis etiam domi suæ viduis & pupillis esse licet; viduis & sexus & luctus contemplatione; vtpote quæ secretum ament, & conspectum hominum fugiant: sic vt diligentiam eorum multa, vel in proximo constituta fugere possint. Sexus inquam contemplatione: Quam in rem est elegans *lex 1. sup. de officio Iudicum omnium*; luctus etiam ratione, quandoquidem accepto ferme claudenda est, & clauditur ianua domo: Et in luctu sese domi quisque ferme continet. Lucilius *lib. 29. Cohibet domi mæstus se Albinus, repudium quod filiæ remisit*: apud Nonium *cap. 4. num. 314. v. mæstum*, & *num. 398. voc. remissum*: Et *domi sedere* luctui conuenit. vid. *Deuteronom. cap. 21. v. 13.* Tiberius *apud Tacitum Annal. lib. 4. cap. 8. vix propinquorum alloquia tolerari, vix diem adspici a plerisque lugentium.* Plinius *lib. 9. ep. 13. Mitto ad Anteiam, rogo vt veniat, quia me recens adhuc luctus limine contineret.* vid. & *Senecam cap. 14. de consol. ad Marciam.* Quæ vt omnia de lugentibus intra luctus tempus & recenti dolore recte notantur, ita de viduabus perpetuo recte dicuntur, quæ in perpetuo luctu. Et hæc de viduabus.

Pupillis eadem indulgentia proponitur, pupillis inquam, vt ex sequentibus apparet, etiam adultis ad vicesimum quintum ætatis annum, verum alia ratione, quæ nemini non nota est. Imo & in puberibus conscientiæ gratia fit: id est, etiamsi conscii fuerint falsæ monetæ figuratæ in possessionibus suis, possessione tamen sua non multantur, ratione notissima, quia ætas eorum quid videat, ignorat. Vide in simili, *legem 1. §. 32. l. 14. D. de Senatusconsulto Syllaniano.* Tutoribus igitur, cum pupilli ipsi incuriæ & negligentiæ pœnam non sustineant, hæc incuriæ pœna imminet: Ignorare scili-

scilicet Tutores quid in re pupilli geratur, non oportet, vt Constantinus *h. l.* scribit. Tutor scilicet quantum ad prouidentiam pupillarem attinet, domini loco habetur: *l. 27. D. de administrat. tutorum:* & vice dominorum sunt, *l. 7. §. 3. D. pro emptore: l. 56. §. 4. D. de furtis: l. 157. D. de Reg. iuris: l. 11. §. 7. D. Quod vi aut clam.* Itaque incuriæ & negligentiæ non secus ac dominus punitur: scilicet a tutoribus eadem diligentia exigenda est circa administrationem rerum pupillarium, quam paterfamilias rebus suis ex bona fide præbere debet: *l. 33. D. de administrat. tutorum:* de cuius principii variis illationibus consule Iurisprudentiam Papinianeam Ant. Fabri *tit. 13. princ. 6. & 7.* vbi tamen hæc illatio nostra omittitur. Vide & quæ dixi ad *l. 2. 3. sup. de administr. & periculo tutorum.*

AVREÆ *monetæ adulterorum accusatorib. præmium promittit Constantius: ipsis, ignis supplicium denunciat.*

V. (a) Imp. CONSTANTIVS A. Leontio P. P. (b)

PRÆMIO (c) Accusatoribus proposito, quicunque solidorum (d) adulter (e) potuerit repperiri, (f) vel a quoquam fuerit publicatus, (g) ilico, omni dilatione (h) submota, flammarum exustionibus mancipetur. Dat. XII. (i) Kal. Mart. Antiochiæ, (k) Placido & Romulo coss. [343.]

INTERPRETATIO. (l) *Præmium accipiat quicunque adulterum monetarium prodiderit, & is qui proditus est, si de monetæ adulteratione conuictus fuerit, ignibus concremetur.*

NOTAE.

(a) Lex 2. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc vt iam monui, & ex *l. 3. sup.* & ex *l. 9. inf.* conflata est. Illud tamen perperam quod Tribonianus Lectori imponit, sed more suo. Nam dum hanc *legem*, legi 2. coniungit, continua serie Constantinum huius *legis* Authorem facit. GOTHOFR.

(b) *Orientis* scilicet. ID.

(c) Vide & *legem* 2. *sup.* ID.

(d) Nota solidorum, id est, *aureorum.* ID.

(e) *Adulter solidorum, h. l.* adulterator monetæ, *l. 1. inf. de conlat. æris:* & *l. 8. inf. de indulg. criminum*, ita adulterinum numisma *l. 1. sup.* adulterina moneta, *l. 2. sup.* adulterini solidi, *l. 13. inf. de Susceptoribus.* Adulterata monetæ figuratio, *l. 7. de indulgent. crimin.* paracharacten denique vocat *lex 9. infr.* ID.

(f) Id est, quem publicum Officium, vel delator produxerit. ID.

(g) Id est, accusatus fuerit a quoquam, & in publicum productus. ID.

(h) Relationis, vel appellationis: vide *l. 2. sup.* ID.

(i) XVI. Cod. W. RITTER.

(k) Vide Socratem *lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 13. & 16.* GOTHOFR.

(l) Interpretatio hæc *in Sichardina* mirum in modum deprauata, & legi contraria est. RITTER.

COMMENTARIVS.

CONSTANTII duæ leges sequuntur in falsæ monetæ reos, qui vtique sub eo multi fuere; vt præter has leges docet Libanius *Orat. in Iuliani necem p. 294. edit. Morell.* qui & his eruendis Curiosos tum incubuisse, testatur loco, quem protuli ad *l. 1. sup.* verum neque hæc ratio sufficiens visa: quare *Accusatores* Constantio excire præmiis visum, *h. l.* AVREÆ scil. monetæ falsæ reorum *Accusato-*
P. 176 *ribus* præmium (neque tamen certum & definitum) & ipsi reis POENA atrocissima, ignis & quidem omni dilatione (relationis videlicet aut appellationis) submota, *hac* Constantii *lege* constituitur, eruendis partim, partim cohibendis deinceps falsæ huius monetæ reis. Exemplo ferme patris Constantini in *l. 2. supr.* in his videlicet duobus capitulis; puta præmio accusatoribus decernendo & relationis appellationisque ad Principem iure submouendo. Et tantum asperior est quam *leges 4.* superiores, quod cum capitalis pœna, neque tamen semper Constantino placuerit, in sp. *l. 1. 2 3. 4. sup.* ignis & flammæ nominatim supplicium Constantius in sp. *huius l.* imponat. Verum notandum est, *leges quatuor* superiores, non esse de aurea moneta, hanc vero *leg.* esse nominatim de falsæ monetæ AVREÆ reis: de quo dicam ad *l. 7. inf.* Et sane eandem quoque Constantinus hac parte pœnam proposuit, *l. vn. inf. si quis solidi circulum.* Quin & *L. Cornelia nummaria*, qui falsum circa Aureos admisissent, grauius punitos docet *l. 8. D. de l. Corn. de falso.* v. & Paulum V. *sent. 25. §. 1.* Atrocissima scil. pœna atrocissimo crimini, SOLIDO, inquam, id est, Aurea moneta adulterata, quæ quibus olim delictis irrogari solita sit, diligenter colligit Fornerius 5. *Quotid. 7.* Eius exempla *hoc Codice* passim occurrunt, quæ alibi sub vnum aspectum dantur.

VI. (a) Idem. A. Limenio P. P. (b)

COMPERIMVS, nonnullos Flaturarios Maiorinam pecuniam, non minus criminose, quam crebre, separato argento ab ære, purgare. Si quis igitur posthæc fuerit in hac machi-

machinatione deprehensus, capitaliter se fecisse cognoscat: Verum & eos, qui domum agrumque præbuerint, relatis in Largitionibus (c) facultatibus esse plectendos; nostra scilicet super eorum nominibus edocenda Clementia. PP. (d) Prid. Id. Feb. Limenio & Catullino coss. [349.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *Lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Italiæ: fuit simul & Præfectus Vrbis, vt author est, qui Præfectorum Vrbi *Notitiam* scripsit: vide & *leg. a. sup. de sepulchr. viol.* ID.

(c) *In Largitiones*: sed hic stylus est huius æui; Symmachus *lib. 5. ep. 86. In paginis librarii tui referas.* Eumenius in gratiar. action. Constantino A. Flauiens. nomine dicta, *cap. 10. Et in conditis referri iussisti.* Nouella 1. Theodos. *de huius Cod. auth. Quæ in Regestis relata sunt.* Valerius Max. *lib. 8. cap. 1. num. 2. Oratione sua, quam in originibus retulit.* Vide plura apud *Iuretum ad Symmach. l. c.* ID.

(d) Romæ scilicet. ID.

COMMENTARIVS.

SEPARATIO argenti ab ære (quam fieri olim potuisse ostendit quoque *lex 12. §. 1. D. de adquir. rer. dom.*) ex pecunia Maiorina a Constantio Flaturariis, & quidem sub seuerissima pœna, interdicitur. A. D. 349. *Flaturarii* scilicet iam passim pecuniæ argento & ære mixtæ (id est, partim ex argento & ære publice seu in monetis publicis cusæ) argentum subtiliter, & vt hæc *lex* ait, *machinatione sua* detrahebant, atque ita pecuniam purgatam, id est argento detracto (id enim monetæ proprio verbo *pecuniam purgare* est, forte & *lauere* apud Paulum 5. *sentent. t. 25. §. 1.* (a) quam tamen vocem Cuiacius sollicitat) protrudebant.

Vt hæc lex probe intelligatur, de tribus videndum est; quinam fuerint Flaturarii? Quæ pecunia Maiorina: denique quomodo argentum ab ære separaretur.

Igitur *Flaturariorum* mentio fit quoque, qui Romæ scilicet erant, in tribus veteribus Inscriptionibus, quarum hæc *Prima* est, Romæ in Vinea Cardinal. Carpens. in tabula marmorea, apud Gruterum DCXXXVIII. 4.

DIS. MANIBV
M. VLPIVS. AVG. LIB. SYMPHOR
FLATVRARIVS. AVRI. ET. ARGENTI. MONETAR
SIBI. ET. VLPIAE. HELPIDI. QVAE. ET. CLAVDIA. LIB. ET. VXORI. SVA
VLPIAE. ARSINOE. FILIAE. ET. CLAVDIO. ANTHIOCIANO. FILIO
HELPIDIS. LIB. SVAE. FECIT. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. VTRIVSQVE. SEXVS
QVI. EX. FAMILIA. MEI. ERVNT. RELIQVIARVM. SVARVM
CONDENDARVM. CAVSA. ET. POSTERISQVE. EORVM. QVI
IN. NOMINE. MEO. PERMANSERINT.
EA. CONDITIONE. NE. FIDVCIENT. NE. VENDANT. NEVE. ALIO
QVO. GENERE. ID. SEPVLCRVM. SIVE. MONVMENTVM. EST
ALIENARE. VLLI. POTESTAS. SIT.
H. M. H. N. S

Secunda est Romæ, in Insula Tiberina in Templo S. Bartholomæi, Pag. ead. num. 5.

D. M.
SETLIAE. NICES
VIX. ANN. XXXV
MENS. VI. DIEB. XXI
C. SETLIVS. ONESIMVS.
FLATVRAR. DE. VIA. SAC
CONIVGI. B. M. F.

Tertia, Pag. ead. num. 6.

C. IVNIO. THALATIONI
C. MAECENATIS. LIBERTO
FLATVRARIO
SIGILLARIARIO
C. IVNIVS. EVOKATVS. FELIX
TIT. DD.

Flatoris quoque auri, argenti, æris mentio fit *in Notis* Valerii Probi. A. A. A. F. F. QV. IY. Quas notas Probus ita interpretatur, *Auri, argenti, æris flator Fabricæ Quirinalis Tyberinæ.* Apud eundem occurrunt & hæ notæ A. A. A. F. F. quas sic explicat, *Ære, Argento, Auro flato feriundo*: vel *flauo feriundo.* Extra hanc *legem* & *superiores* inscriptiones, nulla quod sciam alibi horum *Flaturariorum* mentio extat: Et ex his tamen solis quinam fuerint colligere procliue est. Erant scilicet omnes, qui æri, auro, vel argento flando, id est fundendo, atque in exemplar typum seu iconium coniiciendo, feriundo, formando operam nauabant: neque tantum in monetis eam ad rem ministerium exhibentes, verum etiam artifices publici, quique ex ære, auro, vel argento flato etiam sigillaria exprimebant, & eiuscemodi opera publice proponebant: Hinc est quod in superioribus Inscriptionibus non tantum *flaturarius auri, & argenti monetarius* memoratur, verum etiam *Flaturarius de via sacra, Flaturarius Sigillariarius.* Breuiter Flaturarii sunt, quos vocamus *fondeurs.* Quid sigilla, quid sigillaria sint? iam omnes norunt. Memorat & Pomponius in *l. 2. §. 30. D. de orig. iur. Triumuiros monetales æris, argenti, auri flatores.* Denique quid sit *flare* nummos? sciunt qui nondum ære lauantur. Itaque nil necesse est flaturarios *h. l.* monetarios tantum intelligere, vt nonnemo existimauit: de cuiuscumque generis Flaturariis quippe hæc *lex* accipi potest, imo debet, quæ & ideo Romæ proposita est publice, siue Populo. Errat & in eo idem ille, quod machinationem hanc Flaturariorum, quæ *h. l.* damnatur, in ipsa moneta figuranda, id est, cum moneta cuderetur, interuenisse tradit: de quo postea plura.

Maiorinæ pecuniæ non *hac* tantum *lege* mentio fit, verum altera insuper; *l. 1. inf. si quis pecunias conflauerit, vel mercandi causa transtulerit, aut vetitas contrectauerit,* his verbis: *Placet denique, vt si quis forsitan nummus, præter eum qui in vsu publico perseuerat, apud aliquem mercatorem fuerit inuentus, fisci dominio cum omnibus delinquentis facultatibus vindicetur, etsi forte cum mercibus ad quascumque* P. 177.
Prouincias venerint naues [mercatorum,] *cuncta solita licentia mercabuntur:* [id est loco mercium accipient:] *præter pecunias, quas more solito* MAIORINAS, *vel Centenionales communes appellant, vel cæteras, quas vetitas esse cognoscunt.*

Ex his duabus *legibus* hæc colligo: Primum, Maiorinam pecuniam ex argento & ære conflatam fuisse, vt proinde error sit viri docti *de re monetar. Freh. p. 4.* qui putabat, Maiorinam pecuniam fuisse totam argenteam, sed ex deteriore argento, & venæ secundæ, etsi postea *p. 35.* paulo aliter sentiat.

Secundo Maiorinam pecuniam a Centenionali diuersam fuisse: quæ tamen perperam Viri docti hactenus confundunt.

(a) Ad hunc locum vide, quæ notat CL. SCHVLTINGIVS.

Tertio Maiorinam pecuniam post hanc *legem* nostram (& tamen sub eodem Constantio Imperatore) prohibitam fuisse, & in vsu publico esse desiisse. Quæ ferme omnia docet pariter *lex 2. si quis pecunias conflauerit*: cuius hæc sunt verba: *Centenionalem* TANTVM *nummum in conuersatione publica tractari præcipimus, Maioris pecuniæ figuratione submota: Nullus igitur decargyrum nummum alio audeat commutare, sciens fisco eandem pecuniam vindicandam, quæ in publica potuerit conuersatione deprehendi.* Maior scil. pecunia, vel etiam Maioris pecuniæ figuratio, *ea lege* videri possit eadem cum maiorina pecunia.

Olim quoque putabam cum Maiorina pecunia decargyrum nummum eundem fuisse, vt ita decargyrus fuerit dictus, quia decima tantum eius pars argentum esset. Sicut Plinius *lib. 33. c. 3.* scribit Liuium Drusum Trib. pleb. octauam partem æris argento miscuisse; sicut electrum, quod auro & argento constabat, fuit, in quo quinta argenti portio erat, teste Plinio *lib. 3. cap. 4.* & Seruio *ad Æn. VIII. vers. 402.* quarta; vt proinde electrum hoc sensu forte non male dixeris *pentargyrum*. Verum ita nunc existimo, *decargyrum* nummum Maiorinæ pecuniæ speciem fuisse; verum ita dictum, quod decem argenteis æstimaretur: Nam & ita *denarium* Græci dixerunt δεκάχαλκον, quod videlicet decem æreis æstimaretur. Denarium argenteum hoc sensu dicerent Latini, id est, argenteum qui decem argenteis valeret: quomodo denarium aureum Heliogabalus inuenerat, qui videlicet denos aureos pendebat. Eademque ratione δίχαλκον & δίνομμον. Vt proinde in eam sententiam veniam, decargyrum fuisse tantum speciem maioris pecuniæ, decem minutis argenteis æstimatum. Denique ad huius Decargyri illustrationem omnino facit *lex 1. inf. de expens. ludorum: Cum publica celebrantur officia, sit sportulis nummus argenteus: nec* MAIOREM *argenteum nummum fas sit expendere, quam qui formari solet, cum argenti libra vna in argenteos sexaginta diuiditur: minorem dare volentibus non solum liberum, sed etiam honestum esse permittimus.* DECARGYRVS igitur sexta argenti libræ pars fuerit, ac proinde in libram argenti sex decargyri.

Nunc superest videamus, qua machinatione argentum ab ære Flaturarii separarent. Verum aquæ chrysulcæ eam vim esse omnes norunt. Stagni (nam *Stagnum* dicebatur non stannum) quoque ea vis est, vt metalla secernat. Isidorus *in originibus lib. 16. c. 22. Stagni etymologia*, inquit, ἀποχωρίζων, id est, SEPARANS *dicitur & secernens: mixta enim & adulterata inter se per ignem metalla dissociat, & ab auro & argento æs plumbumque secernit.* Hinc & in eiusdem Isidori Glossis *stagnare, secernere metalla mista.*

Illud adhuc ex *h. l.* notandum, Mixtam pecuniam apud Romanos vsurpatam: id est, ex mixtis inter se duobus metallis: de quo est, & hic Augustini locus *libr. 3. de lib. arbitr. c. 10. Argento enim nummi, id est, vel* MIXTO ARGENTO *frequentius apud Veteres fiebant*; vbi *mixtum argentum* est, quod cum alio metallo mixtum, non purum argentum. Mixtum argentum puro opponitur: *purum* enim non tantum a sordibus expurgatum, emaculatum & candefactum, sed & omni aliena materia & mixtura carens. Idque etiam his verbis significatur, *Argentum purum putum*: de quo vide & *Gellium.* Itaque sollicitanda non est lectio Augustini; neque infarcienda vox *æri*; quasi ita scripsisset, *mixto æri argento.*

VII. (a) Imppp. Valentinianus, VALENS, & Gratianus AAA. ad Archelaum (b) Com. S. L. (c)

QVIDQVID ex Auro hominum priuatorum (d) in Monetis publicis (e) reppereris figuratum, (f) id omne Nostris scias Largitionibus vindicandum: Siquidem ipse (g) se dignum condemnatione iudicauit, quisquis aurum proprium, non coactus, (h) Monetis fiscalibus sponte credidit inferendum. Dat. V. Id. Mar. Marcianop. (i) Valentiniano N. P. & Victore coss. [369.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* vt & *lex sequens.* GOTHOFRED.

(b) *Archelao* huic Comiti S. L. hoc ipso anno inscribitur *lex 1. infr. de vestibus oloueris.* ID.

(c) Monetæ sub dispositione *Comitis S. L.* fuere: *h. l.* & *l. 8. 9. inf. h. t.* & *l. 16. inf. de murilegulis.* ID.

(d) *Priuati* omnes præter Principem: v. *Gloss.* IDEM.

(e) Monetæ publicæ *hic*: mox, fiscales: Cæsaris, *l. 3. sup.* vbi dixi. ID.

(f) Figuratum aurum, *h. l.* figuratio auri, *l. prox.* dixi ad *l. 4. sup.* v. plura in *Gloss.* ID.

(g) Αὐτοκατάκριτος, v. *Glossar.* IDEM.

(h) Scil. aurum conferebatur a prouincialibus ad rem monetariam. vid. *Paratitlon.* ID.

(i) MARCIANOPOLI in Moesia Valens hoc anno constitit, qui tertius belli Gothici est: & tandem Athanarico fugato hoc ipso Anno 369. Valens cum omnibus suis Marcianopolim rediit ad hyemem agendam, vt in illis tractibus habilem, Ammianus *lib. 27. cap. 5.* idque confirmat subscriptio *l. 11. inf. de petitionibus.* Quinimo & ipse Archelaus Comes S. L. cui hæc *lex* inscribitur hoc ipso Anno Marcianopoli hæsit: vt docet subscriptio *d. l. 1. inf. de vestibus oloueris.* IDEM.

COMMENTARIVS.

VALENTIS Imp. duæ constitutiones sequuntur super monetis, quibus addenda & tertia & quidem AVREA eiusdem, puta *lex 1. inf. de collatione æris.* PRIVATO an cudendæ monetæ ius fuerit? plenius tractatum est ad *l. 3. sup.* Sane ex *h. l.* & *l. sequente* colligere mihi videor, in monetis publicis, priuatos metalla sua in facies, vt ille ait, minutas hac tempestate iure cudi fecisse: Quod ipsum etiam colligo ex *d. l. 3. sup.* AVRO tamen excepto: De auro enim nominatim hæc *lex* & *d. l. 8.* P. 178.

sequens

sequens conceptæ sunt, quasi aliud statuendum sit de aliis metallis, & nominatim de Ære: de quo dicam ad *l. vlt. h. t.* & *l. 1. inf. de conlat. æris.* Et sane quod hanc interpretationem iuuat plurimum, AVRI cum maxime & aureæ monetæ æmulos fuisse Imperatores, sic vt priuatis sæpe vsum interdicerent, quanto magis cudendi eius flandique ius? Ita Constantius, *l. 5. sup.* & Constantinus ipse, *l. vn. inf. si quis solidi circulum*: Adulteris solidorum, id est aureæ monetæ, ignis supplicium denunciat, cum falsæ alioquin monetæ pœna alia, neque tam atrox fuerit v. *l. 1. 2. 3. 4. sup.* testantur quoque Procopius, & Zonaras cum in prouinciis omnibus nummos æreos & argenteos flari fundi permissum esset, aureos flari vetitum fuisse. Quin & Theodosius M. *l. 1. inf. de expensis ludorum*, constituit ne vlli prorsus alteri Auream sportulam dandi facultas esset, exceptis Consulibus ordinariis: sic vt cum publica celebrarentur officia, esset sportulis nummus argenteus, *d. l. 1. inf. de expensis ludorum.* Pariter Iustinianus noster *Nouella 105. cap. 2.* ne Consules aurum spargerent, prohibuit: ac proinde missilia aurea: ἐ μὴν χρυσίον ῥίπτειν ἐφίεμεν, ἐ μικροτέρε τινὸς, ἐδὲ μείζονος ὅλως ἢ μέσε χαράγματος ἢ ςαθμε, id est, *non tamen aurum spargere sinimus, non minoris alicuius, non maioris omnino, non medii characteris, aut ponderis.* Rationem subiicit, ὅσῳ γὰρ ἂν μικρότερον εἴη τὸ ῥιπτόμενον τοσέτῳ πλεῖες οἱ λαμβάνοντες, id est, *Quanto enim minora sunt quæ sparguntur, tanto plures suscipientes erunt.* Qui quidem color est: vera enim causa, Maiestas Imperatoria, cui auri reseruatæ sparsiones, aurea reseruata missilia. *Donis* & *sparsionibus* solemnibus & publicis igitur Auri vsus priuatis interdictus. At quod vir Doctus pariter putabat, *expensis* in editiones seu ludos, quæ Magistratibus incumbebant, aurum erogari vetitum fuisse; id refuto ad *l. 5. sup. de Prætoribus.* Expensæ scil. aureæ non prohibitæ fuerunt: cui enim alioquin vsui aurea moneta in Imperio Rom. si priuatis erogatio eius non pateret? At auri *Dona* solemnia, publica, missiliaque aurea Maiestati Imperatoriæ reseruata iure fuere: vt hoc quoque donorum & missilium genere a priuatis distaret.

Verum ad rem. Igitur, etsi Monetis fiscalibus priuati inferre potuisse videantur æs, argentum, ibi flandum, feriundum; aurum tamen flandum feriundum inferre non licuit. Atque hanc quidem *huius l.* & *sequentis* sententiam prorsus existimo. Ac vt ad Monetæ aureæ fusionem exemplum luculentum adferam: insigne est, quod Procopius memorat 3. *Gothic. c. 33* nulli gentium Romanos permisisse, imo nec ipsi quidem Persarum Regi, *auream* monetam flare, figurare alia imagine quam Romani Imperatoris; cum pro suo arbitrio argenteum nomisma figurare liceret. Idem addit, tum temporis vnum FRANCORVM Regem id vsurpasse: certe volentibus nolentibus Romanis, quicquid prætexat Procopius. Nam & eiusdem animi fuit, ad animum & injuriam suam reuocasse FRANCICI titulum, quo se Iustinianus noster insolentius efferebat & vectabatur.

Illud denique obseruandum, errare virum Doctum *ad l. 159. D. de verbor. signific.* cum *figuratum*, *h. l.* interpretatur, priuati effigie figuratum: quasi *hac l.* prohibeatur moneta figurari priuati effigie. Quod & sententiæ *legis* quam adstruxi aduersum; & vero prohiberi nil necesse fuit. Quis enim demens adeo fuisset, qui aliam quam Cæsaris vultu effingeret? cum ita figurata ilico velut falsa respueretur. Tum etiam quid opus fuisset, id in moneta publica fieri? Tandem figurari æs, aurum dicitur, cum in pecuniam figura Principis impressa cuditur: *l. 1. inf. de conlat. æris: l. vn. inf. si quis solidi circulum: l. 1. inf. de ponderatorib. l. 4. & 8. h. t. l. 2. inf. si quis pecunias confl. l. 7. inf. de indulg. crim.*

Nunc de sententia *huius l.* Igitur priuatum aurum in publicis monetis figuratum, omne largitionibus Principis seu fisco vindicari iubet *hac l.* Valens Imp. Verum quinquennio post idem, *l. prox.* mitius hanc in partem consuluit: duabus tantum vnciis per singulas libras conferri iussis, de quo ad *eam l.* Ex fine tandem *huius l.* colligimus, aurum prouinciales quandoque coactos monetis inferre ad cudendam monetam: de quo in *Paratitlo.*

VIII. (a) Idem AAA. Tatiano (b) Com. S. L.

SOLITÆ moderationis (c) arbitrio superiorem + sententiam mitigamus, qua *Omne Aurum, quod a priuatis pro figuratione* (d) *Monetis dicebatur inlatum, fisci iusseramus commodis vindicari*, Vt pro omni summa quæ breuibus (e) tenetur inserta, binæ per singulas libras, omissa frustratione, vnciæ conferantur. Dat. XII. Kal. Iun. Antiochiæ, Gratiano A. III. & Equitio coss. [374.]

NOTAE.

(a) Abest hæc quoque *lex* a *Cod. Iust.* vt ad *superiorem* iam monui. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Tatiano* huic Comiti S. L. hoc ipso anno 374. inscribitur *lex* 8. *de murilegulis*: & *lex* 1. *inf. de Fabricensibus*: Sine die vero & Consule *lex* 2. *Cod. Iust. de commerciis*: quæ & ipsa est *de auro. ID.*

(c) Moderationis laudem Valens affectat: de quo mox non inaniter Ammianus Marcellinus *lib. vlt. cap.* 14. de eo hoc iudicium reliquit. *Super his omnibus liberalis erat cum moderatione*; Mox & eius rei e multis vnum exemplum ponit. *IDEM.*

+ id est, *legem superiorem 7. sup.* quæ lata est ante quinquennium. *ID.*

(d) id est, vt ibi figuraretur, atque in monetam & solidos cuderetur. *ID.*

(e) *Breues*, vid. *Glossarium. IDEM.*

COMMENTARIVS.

AVRVM, quod a PRIVATIS illatum fuerat Monetis publicis, vt scilicet ibi figuraretur, id omne Valens confiscari ante quinquennium iusserat, *lege septima superiore*: verum mutat nunc idem A. D. 374. sententiam pro solita sua moderatione, seu vt ipse præfatur & profitetur, solitæ moderationis arbitrio: Quam & Ammianus Marcellinus *lib. 31. cap. 14.* sic commendat; *super his* p. 179.

omnibus

omnibus liberalis erat cum moderatione: mox & eius rei *ibidem* e multis vnum exemplum profert.

Igitur in singulas libras auri, duas vncias pœnæ nomine inferri iubet, & sic duodecim solidos, quot vnciæ in libra erant, de quo alibi: idque *Omissa frustratione*, id est nulla amplius supplicatione contra hoc audienda: vt ad hoc tempus vsque toto hoc quinquennio supplicatum Principi fuerat ad deprecandam confiscationis pœnam, quæ *illa l.* statuta fuerat. Vnde apparet, quam lenta fuerint Principum sæpe decreta, supplicationibus, etiam integrum quinquennium: ad id occasionem præbente vel Magistratuum indulgentia, vel bellicis Principum occupationibus, vel denique ipsa Principis (qua vectatur *h. l.* Valens) moderatione.

Cæterum *hac l.* egregie confirmatur ea interpretatio, qua *legem* superiorem donaui. Ecce enim ait hæc lex, *Aurum a priuatis illatum Monetis publicis*, item, *illatum pro figuratione*, id est, vt *ibi*, in vultus faciesque formaretur Principum: id enim est *figuratio*. De qua voce plenius dixi ad *l. 4. sup.* Sed neque inani coniectura *huic legi* iungendam puto *legem 2. Cod. Iust. de commerciis*, quæ ad eundem Tatianum Com. S. L. sine die & Consule data est, qua aurum Barbaris pro aliis speciebus emptis præberi vetatur. Quod si ita est, tum ex duabus hisce *legibus* inter se coniunctis id efficiatur, Valentem duplici ratione *Auro* intra orbem Rom. seruando consuluisse, tum expresso interdicto auri præbendi Barbaris pro speciebus emptis, tum prohibita auri ex priuato auro figuratione.

IX. (a) Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS, & Arcadius AAA. Haue Tatiane K. NB.

FALSÆ monetæ rei, (quos vulgo (b) *Paracharactas* vocant) Maiestatis crimine tenentur (c) obnoxii. Dat. V. Kalend. Iul. (d) Constantinop. Timasio & Promoto Coss. [389.]

NOTAE.

(a) *Legis 2. Cod. Iust. eod. tit.* versiculus, *cuius obnoxii*, hinc desumptus est; qui ita habet: *Cuius* [falsæ fusionis] *obnoxii*, *Maiestatis crimen committunt.* Alioquin ea *lex* potissima parte conflata ex *l. 3. 5. sup.* GOTHOFR.

(b) Vt *l. 1. inf. si quis pec. conf. quas more solito Maiorinas appellant*: & *l. 2. inf. de ponderat. vt proprio verbo vtar cupiditatis, adrodunt.* ID.

(c) An potius teneantur. ID.

(d) Forte *Ian.* IDEM.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duæ *leges* sequuntur. Hac sane falsæ monetæ reos MAIESTATIS crimine teneri iubet: Quo ipso sensu crimen hoc sacrilegio deputatur, *l. 1. inf. si quis pecunias conflauerit*, & *l. 6. inf. de indulg. criminum.* Eodem sensu, inquam, *sacrilegium* scil. pro Maiestatis crimine sæpe. Scil. Maiestatis crimen est, in *iura Maiestatis*, in *iura Regalia* inuolare: quod vtique faciunt, qui falsa fusione nummum figurant, qui cum priuati sint, pecuniam signant, καὶ παραχαράττοντα. Qui (vt eleganter loquitur Valentinianus Iunior *d. l. 6.*) *sacri oris imitator, & diuinorum vultuum adpetitor, venerabiles formas sacrilegio eruditus impressit:* id est, qui Principis imaginem, iconium, χάραγμα, vultum, faciem falsæ monetæ imprimit. Rursum in Principis vultum inuolant, qui eius iconio abutuntur, qui solidos adradunt vultu Principis signatos. Denique Maiestatis crimen est, Imagine Principis quomodocunque abuti, vel aduersus eam aliquid audere: vid. *l. 5. 6. 7. D. ad leg. Iul. Maiestatis:* Refert Philostratus *lib. 1. cap. 11. pag. 19. edit. Morell. in Vit. Apollonii*, Maiestatis damnatum aliquem, quod seruum suum verberasset, qui drachmam siue denarium argenteum Tiberii imagine signatum palam manu gestasset: τυπτήσας τὸν ἑαυτȣ̃ δȣ̃λον φέροντα δραχμὴν ἀργυρᾶν νενομισμένην ἐς Τιβέριον. Sed & Suetonius *in Tiber. c. 58.* & Seneca *de benef. lib. 3. c. 26.* scribunt, *eo rem processisse in maiestatis crimine, vti capitale esset*, NVMMO *vel annulo impressam Augusti imaginem, latrinæ, aut lupanari intulisse.* Sed hæc Tiberianæ & similium Principum nimietatis & sæuitiæ sunt: saltem hoc voluerunt, vindicatam ab omni contumelia vel iniuria imaginem & vultum suum. Denique Tyrannidis indicium, falsæ monetæ figuratio, vt aliquot exemplis iam ostendi.

Porro Theodosius falsæ monetæ reos, vulgo PARACHARACTAS dictos ait. χάραγμα & χαράττειν quid sint, cuiuis iam notum: χάραγμα non tantum nota quæcunque, verum proprie figuratio, nota, typus, iconium, fusio monetæ: παραχάραγμα igitur falsa fusio: παραχαράκται falsæ monetæ Rei: hæc enim vis vocis est παρὰ: qua forma παρασυναγωγαὶ, παραβάπτισμα, & παραπρεσβεία falsa legatio Synesio *ep. 79. pag. 225. edit. Petau.* Suidas, καὶ νῦν εἰώθασιν λέγειν παραχαράκτας τȣ̀ς παρακόπτοντας, *& nunc consuerunt dicere Paracharactas monetam falsam cudentes*, & alio loco, παραχαράκτης διαφθορεύς. *Paracharacta, qui falsam monetam cudit.* Synesius *de regno pag. 15. edit. Petau.* ἃς ἡ φύσις ἁμαρτάνȣσα παραχαράττει, καθάπερ ἀδικȣ̃ντες οἱ τραπεζῖται νόμισμα, *quos natura deerans adulteratos edidit, vti numismata mensarii corrumpere ac deprauare solent.* (a) Paracharactæ igitur non modo falsæ fusionis Rei, sed & omnes quorum circa monetam male ambulat fides, veluti qui arrodit, circulum circumcidit: de quo *titulo proximo.* Hinc & apud Cassianum *paracharaximum nomisma*, & *paracharaximi* absolute *Collat. 1. c. 20. 21. 22.* *siue cum paracharaximis nos conatur illudere.* Item *Paracharaximo scil. illusus nomismate, dum in illo veri Regis imaginem veneratur, parum discutit an esset legitime figuratum.* Rursum: *tanquam adulterina nomismata & paracharaxima reprobemus, vtpote quæ falsam imaginem Regis non legitime signatam contineant.* Quæ loca recte vindicat, *Posthumus* Scaligeri *de re nummaria, p. 100.* a Ciacconii corruptela, qui *paracharagmo, paracharagma & paracharagmis* reponebat. παραχαραγμὸς est adulteratio monetæ: non autem moneta ipsa falsa, quod sane *paracharaximi* nomen adiectiuum significat.

(a) Alia loca vide apud CL. DV FRESNE *Glossar. Græc. voc.* παραχαράξιμος.

P. 180. X. (a) Idem (b) AAA. Rufino P. P. (c).

SI quis super cudendo Ære, vel Rescribto aliquo, vel etiam Adnotatione Nostra, sibi arripuerit facultatem, non solum fructum propriæ petitionis amittat, verum etiam pœnam, quam meretur, excipiat. Dat. IV. Id. Iul. Constantinop. Theod. A. III. & Abund. coss. [393.]

NOTÆ.

(a) *L. vlt. Cod. Iust. eod. titulo.* GOTHOFR.

(b) Rescribendum: THEODOSIVS, Arcadius & Honorius AAA. *ID.*


(c) *Orientis. ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVATIS, etsi regulariter cudendæ monetæ ius non fuerit (vt ostensum est ad *l.3.7.8.sup.*) extra ordinem tamen quandoque priuati a Principibus emerebantur & impetrabant, saltem ÆRIS cudendi facultatem; *Æris*, inquam, vt hæc *lex* aperte testatur, & *lex 1. inf. de conlat. æris* indicat, vbi dicam; at non etiam argenti, ac multo minus auri, *l.5.7.8. supr.* de quo ad *d.l.7.*

Porro cudendi æris sui facultas priuatis data primum, vt videtur; in *Monetis* tamen *publicis*: vt colligebam ex *d. l. 3. 7. 8. sup.* Mox tamen nonnullis dari cœpit petentibus, cudendi æris potestas etiam extra monetam publicam. Id enim *h. leg.* indicari omnino existimo: *Si quis*, inquit, *super cudendo Ære, vel rescribto aliquo, vel etiam Adnotatione nostra* SIBI ARRIPVERIT *facultatem*. Sibi arripit alicuius rei faciendæ facultatem, qui iure iam suo, & vel domi suæ quid agit. Verum Theodosius M. hac constitutione huiusmodi concessiones vel *Æris* a priuatis cudendi reuocat, atque inanes esse iubet; quin & impetrantem deinceps pœnæ, falsæ monetæ reorum scilicet, subiici: quamlibet speciali Principis adnotatione ius id concessum fuerit. Inter quam Adnotationem, & Rescriptum, quid sit? iam sæpe monitum est, & suo quidem *titulo de diuersis rescriptis*. Scilicet, non præcipuo modo AVREÆ aut argenteæ monetæ cudendæ, verum etiam omni omnino *Monetæ figurandæ*, formandæ iure, Principis Maiestatem a priuatorum communione secerni oportet: si Regalium quamlibet minimam stricturam, vel etiam opinione vulgi vilissimam, in priuatum transfundas, Maiestati Principis collegam associas. Nihil est in Regalibus, quod non suo & summo pondere censeri debeat. Vnum denique istud e summis Imperii arcanis, Iura maiestatis indiuidua & ἀκοινώνητα putare. Alioquin vim Principatus resoluas, vt Sallustius ad Liuiam dixit, apud *Tacitum Annal. lib. 1. cap. 6.* & Aristot. 4. *Polit.* Eaque conditio est imperandi, vt non aliter ratio constet, quam si VNI reddatur. His adde periculum a falsariis, si vel minimam cudendæ monetæ facultatem priuatis tribuas.

Sane in Gallia quoque olim Reges Prælatis & Baronibus monetæ cudendæ ius dedisse ex actis Curiæ Monetalis Parisiensis liquet; præscripto pondere & iconio. Verum concessiones huiusmodi reuocatæ postea, & redemptæ: qua re memorat Choppinus *de Doman. Franciæ lib. 2. ex thesaur. chartar. apud Lutetiam, Layette 52. pag. 238. edit. Paris. 1589. f.* A. D. 1322. nominatim sub Ludouico Huttino, Robertum Artesium Comitem Bellimontis Rogerii ius suum Regi vendidisse 6000. libris.



SI QVIS SOLIDI CIRCVLVM EXTERIOREM INCIDERIT, (a) VEL ADVLTERATVM (b) IN VENDENDO SVBIECERIT.

TITVLVS XXII.

Abest hic *Titulus* a *Cod. Iust.* Et Primæ tamen sententiæ, quæ *l. vn. h. t.* continentur, respondet *Titulus Codicis*, *de veteris numism. potest.* Sane hæc *Rubrica* angustior nigro est, vtpote quæ non capiat potissimum, & primum *huius legis* caput: Quod etiam Interpres omisit.

(a) *Circumciderit*, Interpres ad *l. vnic. h. t.* & Leges *Visigothicæ lib. 7. t. 6 leg. 2.* adraserit, *l. vn. h. t.* raserit, *l. 8. D. de leg. Cornel. de fals.* quod latius patet. Vid *not. 5.*

(b) Adultera imitatione figuratum, *l. vn. in f. h. t.* falsæ fusionis, *leg. 3. de fals. monet.*

p. 181. **I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. Leontio P. P. (b)**

OMNES (c) Solidi, (d) in (e) quibus Nostri Vultus ac veneratio (f) vna est, (g) vno pretio æstimandi sunt atque vendendi, (h) quanquam diuersa formæ (i) mensura sit: Nec enim qui maiore habitu faciei extenditur, (k) maioris (l) est pretii: aut qui angustiore expressione (m) concluditur, minoris haberi (n) credendus est, cum pondus idem existat. Quod si quis (o) aliter fecerit, (p) aut capite puniri debet, aut flammis (q) tradi, vel alia pœna mortifera. (r) Quod ille etiam patietur, qui mensuram circuli exterioris adrasserit, (s) vt ponderis minuat quantitatem: vel figuratum (t) solidum adultera (v) imitatione in vendendo subiecerit. Dat. VII. Kalend. Aug. (x) Gallicano & Basso coss. [317.]

INTERPRETATIO. *Quicunque solidum circumciderit, aut adulterum suppofuerit, aut falsam monetam fecerit, capite puniatur.* (y)

NOTAE.

(a) Abest *hæc*, vt iam dixi, *lex* a *Cod. Iustinianeo*: & priori tamen *huius legis* sententiæ respondet *Tit. Cod. eod. de veteris numismatis potestate.* GOTHOFR.

(b) *Leontius* sub Constantino M. PP. v. *Prosopogr.* ID.

(c) Principum quorumcunque: neque aliud vult voce NOSTRI. *Nostri* est Principum, qui sumus, vel fuimus. ID.

(d) *Solidi*, id est, Aurei, *h. l.* & *l. 5. sup. de falsa moneta*: & *Nouella* Valentin. *inter Theodosian. 25. de pretio solidi*, aliisque *huius Codicis* legibus. ID.

(e) Abest *in* a MS. W. RITTER.

(f) Ita *l. 1. Cod. Iust. de veteris numismatis potestate*, solidos veterum Principum veneratione formatos & *d. Nouell. Valent.* Insigniti solidi eorum nominibus. Et forte tollenda hic vox *ac*. GOTHOFR.

(g) *Inest*, Ed. Sichard. RITTER.

(h) *Vendere* solidos quid sit? mox dicam. GOTHOFR.

(i) *Forma* hic esse potest & iconium, seu imago ipsa; & habitus formæ seu iconii. ID.

(k) *Tenditur*, Edit. Sichard. RITTER.

(l) Ideo. GOTHOFR.

(m) Impresfio: Expressio faciei, vultus. ID.

(n) *Valere*, MSS. W. G. & Edit. Sichard. *Habere* Edit. prior. Cuiac. & illa in 4. RITTER.

(o) *Collybista*, mensarius, argentarius, quicunque alius. GOTHOFR.

(p) Id est, qui minorem habitu faciei, oblatum sibi minoris æstimauerit, maioris vero eum, quem maiore habitu faciei a se exigi videt. ID.

(q) Atrox hæc pœna valde, in crimine, vt videri potest, non adeo atroci. ID.

(r) Sichardus hic deesse verbum putat, cuiusmodi est, *affici*. MS. W. hic legit, *vel alia plena morte ferat.* RITTER.

(s) *Adraserit.* Et hoc rectum. Raserit simpliciter Vlpianus *lib. 7. de off. Proconsulis*: *l. 8. D. de leg. Corn. de falsis*: & Paulus *5. sentent. t. 25. §. 1.* Sic vt existimem vsurpatam eam vocem in *ipsa leg. Cornelia nummaria.* Verum latiore significatu. *Radit* solidum seu aureum, non modo qui adradit, verum & qui deradit. At *adradit* qui circulum adrodit: vt etiam non male hic positum fuisset, *adroserit*, quod alioquin proprium hac in re verbum. Iulianus Imp. in *l. 2. infr. de ponderatoribus*: *Emptio venditioque solidorum, quos excidunt, aut deminuunt, (aut vt proprio verbo vtar cupiditatis)* ADRODVNT. Sed *Adradunt* hic retineo. GOTHOFR. *Abraserit* legit MS. W. *Adroserit*, MS. G. Edit. Cuiac. & illa in quarto: *Arroserit*, Edit. Sichard. RITTER.

(t) *Figuratus* solidus *h. l.* nostris vultibus figuratos solidos *l. 1. infr. de ponderatoribus*: figuratum æs *l. 1. inf. de conlat. æris.* Denique *figurandi* vox hac in re propria. Vide *Titulum superiorem.* GOTHOFRED.

(v) *Adultera imitatione*: cui locutioni similia vide in *Paratitlo superioris Tituli*: falsam fusionem dixit *lex 3. tit. prox. supr.* ID.

(x) Dat. *Kal. Aug.* MS. W. *VI. Kal. Iun.* MS. G. RITTER.

(y) *Punietur*, MS. W. ID.

COMMENTARIVS.

AVREÆ MONETÆ Imperatorum Romanorum, suæ nominatim, cursum in orbe Romano Constantinus M. *hac lege* firmat: contra, falsæ monetæ obuiam it tuendæ & vindicandæ potissimum Maiestati Principum Romanorum, quorum vt solorum fuit monetam cudere, ita eorundem vultus & nomina monetis impressa erant. Itaque Tria capita *hac lege* cum in finem continentur.

Primo

Primo capite, quod potissimum ferme (cuius tamen in *Rubrica huius tituli* nulla habetur ratio neque in Interpretatione *huic legi* subdita:) est de *æstimatione solidi:* Nempe vetat Constantinus M. solidum vultu Principis signatum, pluris & minoris ob id solum æstimari, quod maior in vno, minor in altero seu angustior faciei habitus vel expressio sit: de cuius ratione postea. Vno nempe pretio æstimandi sunt omnes solidi siue Aurei, vnoque pretio vendendi; quamlibet diuersa in his formæ mensura sit. Denique *pondere* æstimari oportet solidorum pretium, non forma seu formæ mensura, non habitu faciei seu expressione. Proinde quorum pondus idem existit, eadem etiam æstimatio esse debet.

Qua quidem sententia occurritur, vt cæterorum omnium nummos exponentium & accipientium, ita & nominatim Collybistarum (quos Græci *ἀργυροπράτας* dixerunt) cupiditati, quorum exercitium erat, cupientibus nummos suos aliis permutare, sese dare. Quæ quidem res, vt & omnis pecuniæ expositio *venditio* dicebatur, *h. l. & l. 2. inf. de ponderatoribus*, apud Symmachum *lib. 10. ep. 42. & Nouella Valentiniani inter Theodosianas 25. de pretio solidi, & ne quis solidum integrum recuset:* apud Auctorem subditum *Notitiæ* eodem sensu, *c. 3.* Denique Emptoris & Venditoris, Emendi & Vendendi nomina hac in re vsurpabantur.

Et vt rem ex professo nunc explicem de Nummulariis istis collybistis: Eorum professio erat nummis nummos vendere. *Nummos* vendere, cum de collybistis agitur, est pro nummis, quos quis dat alios permutanti, lucelli aliquid accipere, quod dicitur *collybum accipere.* Nam *collybus* est, quod pro permutatione pecuniæ datur, vel vt D. Hieronymus ait, (agens de collybistis Templo eiectis) *munus quod pro cambio datur.* Quod Græci *collybum* dicebant, hoc Latini *aspraturam* vocabant, maxime si *asperis*, id est recens percussis nummis veteres commutentur. Itaque non male Zonaras *in Canonem Synodi Trullensis 76. pag. 247. Tom. I. Pandect. Canon. Guil. Beueregii*, Collybistas definit, *τὰς τὰ λεπτὰ νομίσματα πωλοῦντες*: id est, *qui vendunt minuta æra*, alia pecunia scilicet, accepto collybo: Atque hoc sensu quoque in *Glossis* Isodori, *collybum Cermation.* *Κέρμα* enim hic non omne æs, quale etiam aurum, argentum; verum minutum æs, stips minutissima (a) Author vetustus, qui olim in *Bibl. Budensi*, *οἱ κερματισαὶ, οἱ καλούμενοι κολλυβισαὶ*: Et mox *τὸν δὲ ἀποφερόμενον ἀργύριον καὶ μὴ δυνάμενον ἀγοράζειν ἄρτον ἢ λάχανον, ἤτον τῶν βραχυτίμων διδό-*
p. 182. *ναι τῷ κολυβισῇ τὸ μέγα ἀργύριον, καὶ ἀναλύειν αὐτὸ εἰς βραχύτατα ἤτουν δηνάρια καὶ αἰκάρια κερματίζειν αὐτὸ, τοῦτ' ἐσι κολλυβίζειν ὅθεν καὶ κερματισαὶ κέκληται οἱ τραπεζῖται.* Breuiter collybistæ isti seu Nummularii erant, quos ars & vsus longus tractandarum & permutandarum pecuniarum ita erudiuerat, vt pecuniæ qualitatem soli nosse existimarentur. Itaque & apud hos ferme pecunia soluebatur & adnumerabatur in foro, vbi mensas eum in finem positas habebant: vnde quoque *Mensarii* & *Trapezitæ* dicebantur, vt ex antiquis Comediis videre est. Hi *Collectarii* postea hac tempestate dicti sunt. Quorum certum Romæ corpus erat vendendis solidis obnoxium, & quibus pretium publice statuebatur, taxabatur, definiebatur, ne superpostularent: qua de re est insignis Symmachi *Epistola 42. lib. 10.* vbi quos initio Collectarios dixit, mox *Nummularios* vocat: VENDENDIS SOLIDIS, *quos plerumque publicus vsus exposcit*, COLLECTARIORVM *corpus obnoxium est, quibus arca vinaria statutum pretium subministrat. Huic hominum generi*, TAXATIONIS *exigua vilitate nutanti, Diuus frater numinis vestri* [Gratianus] *tantum pro singulis solidis statuit* CONFERENDVM, *quantum æquitas illius temporis postulabat, D. Imperator. Sed paulatim auri enormitate crescente, vis remedii Diualis infracta est. Et cum in foro venalium rerum maiore summa solidus censeatur*, NVMMVLARIIS *pretia minora penduntur. Petunt igitur de æternitate vestra, pro ratione præsentis iustitiæ*, DIFFINITIONIS *augmenta, qui iam tanto oneri sustinendo pares esse non possunt. Hæc est causa querimoniæ, quam diuinis sensibus vestris fides Gestorum plenius intimabit. Si petitionis genus probabile iudicatis: quæso vt huic quoque parti præcepto mansuetudinis vestræ salubre remedium deferatur:* Et Valentinianus *dicta Nouella 25. Quo præcepto etiam illud in perpetuum volumus contineri, ne vnquam intra septem millia nummorum solidus distrahatur, emptus a* COLLECTARIO *septem millibus ducentis.* In *Palamonis* Glossis, *Nummularius, Collectarius, Mensarius.* Suidas *Κολλεκτάριος, ἀργυραμοιβός, ἤτοι ὁ κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος, τραπεζίτης, ὁ ἀργυροπράτης. Κολλεκτάριος. Qui nummos viliores & minutiores argento permutat. Mensarius. Argentarius.* (b) Eundem vide *in voce ἀργυραμοιβός.* Acron etiam *in Horatium libr. 1. Satyra 6.* Coactores argentarios, *Collectarios* nominari tradit. Rufinus quoque, quem Eusebius *lib. 5. Histor. Eccl. c. vlt.* *τραπεζίτην* vocet, *collectarium* vertit.

Fit eiusdem collectarii mentio in *l. 16. Cod. Iust. si certum petatur*, quæ authorem habet Honorium: *Quisquis*, inquit, *Iudici fœnebrem pecuniam mutuauerit, si in Prouincia fuerit versatus, quasi emptor legum atque Prouinciæ: vel si quis Collectarius, honoris pretium dederit ambienti, exilii pœna vna cum ipso Iudice plectetur.* Cuius *legis* (vt id obiter moneam) sententiæ duæ sunt: Prima, Regulariter equidem Rectores Prouinciarum siue Iudices non prohiberi mutuam pecuuiam accipere, nempe quia aliis hac ratione obligantur, non alios sibi obligant, *l. 34. D. de rebus creditis*: vnico tamen casu mutuum accipere, atque adeo priuato obligari prohiberi; Nempe si Venalis sententiæ aut honoris conferendi obligationem siue conditionem hæc mutui datio in se contineat; id est si eo animo mutuum dedisse Prouincialis Iudici, vicissim eo animo Iudex accepisse notetur, vel præsumi possit, quasi honoris aut sententiæ pretium. Idque sibi volunt hæc verba ductim legenda: *Si in Prouincia fuerit versatus* QVASI *emptor legum atque Prouinciæ:* Emptor legum & prouinciæ est, qui sententiam a Iudice emercatur contra leges, quiue in prouincia prouinciam aliquam seu honorem pretio ambit. Igitur huiusmodi fœnerator (non etiam quiuis alius in prouincia constitutus nullo malo animo pecuniam mutuans) hac *lege* punitur. Similiter *Collectarius*, qui ambienti alicui honorem pecuniam dederit, velut honoris obtinendi pretium, punitur. Si in prouincia fuerit versatus *h. l.* dicitur, ad discrimen alterius prouincialis in prouincia alio animo versantis: *versari in prouincia* dicitur hic, non is, qui in prouincia moratur, sed qui quid agitat in prouincia. Collectarii scil. fœnerandæ, mutuandæ pecuniæ professionem exercebant: ideoque si fœnerassent pro Honore impetrando, & ipsi puniebantur. Breuiter Iudex mutuo accipere pecuniam non prohibetur in necessitates suas: prohibetur accipere QVASI pro sententia aut prouincia: itemque pro honore impetrando: vide quæ dicam

(a) Idem ZONARAS *ibid. in fin.* Καὶ Κέρμα δὲ τὸ νόμισμα λέγεται. *Est autem* Κέρμα *idem quod Numisma.* De Nummulariis autem BALSAMON *ad canon. citat. pag. 246. edit. Beuereg.* Τὰς Κολυβισὰς, τοῦτέσι τὰς τραπεζίτας, ἐκ τῶν ἱερῶν ἐξήλασε, κόλλυβος δὲ τὸ λεπτὸν νόμισμα καὶ τὰ κέρματα αὐτῶν, τουτέσι τὴν διὰ νομισμάτων πραγματείαν, ἐξέχεεν *Nummularios; hoc est, mensarios seu argentarios ex sacris ambitibus abegit, (*κόλλυβος *autem exiguum nummum significat.) Et æs eorum, hoc est, nummos expositos, effudit.*

(b) Vid. CL. SALMASIVM *de Trapezit. Fænor. pag. 583. seqq.* & SVIDAM *voc.* Ἀργυραμοιβός, ubi eadem verba habet.

dicam ad *l. 1. inf. de leg. Iul. de ambitu.* Igitur falsa est eorum interpretatio, qui id accipiunt de eo fœneratore, qui in prouinciam aliunde venerit cui Præses præest: Quasi facilius ab eo Præses mutuetur, qui in eadem prouincia maneat, quam ab aduenis. Quod inane est. Nam imo si rationibus putetur, facilius ab aduena mutuari permissum oportuit, quam ab indigena & incola. Græci simpliciter quoque verterunt: ἐαν ἐν τῇ ἐπαρχείᾳ ἡ ἄρχει παραγένηται quod viri docti immutant in περιγένηται. Non audio eosdem reponentes hic, *si seruatus in prouincia fuerit:* hoc sensu, quasi in sp. *huius l.* agatur de pecunia mutuo data & accepta, vt Præsidi tempus iurisdictionis & administrationis prorogaretur.

Vt eo vnde digressus sum redeam; Collectarii igitur Nummularii erant, fœnerandis pecuniis occupati, itemque permutandis: & vt proprio verbo vtar, VENDENDIS siue eodem monetæ genere siue diuerso.

Porro calliditati, cupiditatique horum & cæterorum pecunias accipientium, dantiumque (id est vendentium ementium) variis constitutionibus occursum est. Primum enim quia species suas nimio æstimarent, statutum his Collectariis fuit pretium; statutus κερμαλισμὸς solidorum, quos distraherent, atque adeo lucelli seu collybi modus; vt ex prædicto *Symmachi* loco, & *Valentiniani* Placidiæ F. Constitutione liquet. Secundo cum oblatas sibi species veterum Principum, seu vetera numismata Emptores, Collybistæ &c. vel etiam pretio minore taxarent (quod quidem factum post Constantinum augescente Principum qui imperarent veneratione, & populi quasi ad seruitutem propensione: Cum alioquin noui nummi ferme nequiores sint & despicatui habeantur: variis subinde Principum constitutionibus variisque pœnis huic calliditati obuiam itum est, Valentiniani, Theodosii M. Valentiniani III. Iustiniani, Leonis: *Solidos* (ait Valentinianus *dicta l. 1. Cod. Iust. de veteris numismatis potestate*) *Veterum Principum veneratione formatos, ita tradi ac suscipi ab ementibus & distrahentibus iubemus, vt nihil omnino refragationis oriatur, modo vt debiti ponderis sint & speciei probæ: scituris vniuersis, qui aliter fecerint, haud leuiter in se vindicandum.* Theodosius in *d. l. 3. d. t. Vniuersos auctoritas tua proposito Edicto commoneat, obryzatorum omnium solidorum vniforme pretium postulare: capitali scilicet supplicio puniendo, qui vel iussa Nostræ maiestatis auaritiæ cæcitate contempserit, vel æternales vultus dum fraudibus studet, duxerit violare:* vbi viliores alii substituunt, quod βασιλικὰ probare videntur, verum nihil opus hanc lectionem violare; *Æternales vultus violat*, qui eos æstimare nescit: qui eos recusat refutat, ἀποδοκιμάζει, de quo postea plura: violandi verbo vtitur quoque hac in re Cassiodorus *VII. Var. 32.* Valentinianus Placidiæ F. *d. Nouella 25. Frequens ad nos Quirites, temerarI ausus querela peruenit, vt in Parentum nostrorum contumeliam insigniti solidi eorum nominibus, ab omni emptore recusentur: quod diu impunitum esse non patimur. Hoc ergo Edicto agnoscat Vniuer-*
p. 183. *sitas, capitale manere supplicium, si quisquam vel Domini Patris Mei Theodosii, vel sacrarum necessitudinum nostrarum, vel superiorum Principum solidum aureum integri ponderis refutandum esse crediderit, vel pretio minori taxauerit* &c. Simile etiam Edictum Iustiniani, pragmatica sua ad Vigilii petitionem *cap. de mutatione solidorum 20.* Denique similis est Leonis *Nouella 52.* Has vel similes constitutiones intellexit Cedrenus in Nicephoro Phoca, dum scriberet *Compend. histor. pag. 516. edit. Venet.* Νόμε καὶ ἔθες ὄντων, πάντα χαρακτῆρα βασιλέως, εἰ μὴ τῷ σταθμῷ ἐλαττοῖτο, δύναμιν εἰσφέρειν καὶ ἔχειν ἰσότιμον. *Cumque esset lege & consuetudine receptum, vt omnes nummi, imagine imperatoris alicuius notati modo ponderi iusto nihil decederet, idem valerent.* Zonaras *Annal. lib. 16. pag. 159. edit. Venet.* στατῆρα πάντα, βασιλικὸν ἐκτύπωμα φέροντα, ἰσότιμον εἶναι τῷ ἄρτι κοπτομένῳ παρὰ τῦ βασιλεύοντος. *Vt omnis vetus stater, Imperatoris imagine insignitus, tantundem valeret, quantum recens ab imperatore excusi.* Eoque nomine Nicephorus Phocas male audiit teste Zonara & Cedreno, quod suos solidos aliorum Principum solidis præferret. Ita enim Cedrenus *Compend. hist. pag. citat.* ὁ δὲ τὸν ἑαυτῦ προκεκρίσθαι ἐνομοθέτισεν, ὑποβιβάσας τὺς τῶν ἄλλων ἐξ ἧς αἰτίας ὑ μικρῶς ἔθλιψε τὸ ὑπήκοον ἐν τοῖς λεγομένοις ἀλλογίοις. *Ipse sua insignes imagine præferri aliorum depressis pretiis, voluit: eaque re haut leuiter subditis in permutationibus incommodauit.* Quinimo & in commune iam ante, Lege Cornelia nummaria tenebatur, qui vultu Principum signatam monetam præter adulterinam reprobasset, haud aliter ac falsæ monetæ reus; vt testatur Paulus *5. sent. t. 25. §. 1.* Locus quoque elegans apud Arrianum *in Epictetum lib. 3. c. 3.* τὸ τῦ Καίσαρος νόμισμα ὐκ ἔξεσιν ἀποδοκιμάσαι τῷ τραπεζίτῃ, ὐδὲ τῷ λαχανοπώλῃ, ἀλλ' ἂν δείξῃς θέλει ὐ θέλει, πρέεσθαι αὐτὸν δεῖ τὸ ἀντ' αὐτῦ πωλύμενον. *Cæsaris nummum nec argentario, nec olerum venditori improbare licet: Sed ostenso eo, siue velit siue nolit, rem venditam tradere eum oportet.* Sed & Barbaræ in id leges conspirant: Visigothicæ, *lib. 7. t. 6. leg. 5. Solidum aureum integri ponderis, cuiuscunque monetæ sit, si adulterinus non fuerit, nullus ausus sit recusare, nec pro eius commutatione aliquid monetæ requirere, propter hoc quod minus forte pensauerit. Qui contra hoc fecerit, & solidum aureum sine vlla fraude pensantem accipere noluerit, aut petierit pro eius commutatione mercedem, districtus a Iudice, ei cui solidum recusauerit, tres solidos cogatur exsoluere. Ita quoque & de Tremisse seruandum.* Legum Burgundicarum additamentum 2. §. 6. *De monetis solidorum præcipimus custodire, vt omne aurum quodcunque pensauerit accipiatur, præter quatuor tantum monetas, Valentiniani Gennuensis & Gothium (qui a tempore Alarici Regis adærati sunt) & Ardaricanos. Quod si quiscunque præter istas quatuor monetas aurum pensatum non acceperit, quod vendere volebat, non accepto pretio perdat.* Ex his igitur apparet, subinde mercatorum, negotiatorum, collybistarum, fœneratorum calliditati vel potius cupiditati obuiam itum, qui oblatos sibi solidos aureos propter eorum *vetustatem* vel omnino refutabant, vel minoris taxabant: Similis calliditas, simile fastidium sed superius pene contrarium, quod *hac l.* a *Constantino M.* damnatur; eorum scilicet qui suos ideo nummos siue solidos puta vetustiorum Principum maioris vendebant, id est, exponebant, quod maioris essent formæ: contra, alienos Constantini M. recentes sibi oblatos minoris emebant, id est, accipiebant, quod minoris essent formæ, cum tamen eiusdem essent, neque maioris ponderis. Breuiter igitur ita colligamus: *Solidos, cuiuscunque formæ, cuiuscunque vetustatis, quorumcumque Principum, neque refutandos, neque maioris aut minoris æstimandos, si eiusdem sint ponderis.* Pondere scil. nummi sunt æstimandi, non forma, non ætate. Non ætate, inquam. Quod quidem arguit, Constantini M. (qui *huius l* author) imo & Theodosii (M. qui author est *legis 3. Cod. Iust. de veteris numism. potestate*) idem solidorum pondus, quod antea erat, fuisse: neque dum descitum a priscæ aureæ monetæ pondere: de quo ad *l. vn. sup. de oblatione veterum:* quandoquidem velut vnius cum vetustioribus ponderis, vniformi pretio æstimari iubentur; Quamlibet forma alia essent. Alii scil. maioris formæ, alii minoris: verum de pondere solidorum dicetur ad *leg. 1. inf. de ponderatorib.*

Porro, quod tam grauis pœna, puta capitis, ignis aliaque pœna mortifera a Constantino constituitur, non temere est. Violat scil. Principis maiestatem non parum, qui cum vultum eius videat, eum tamen æstimare nescit, imo eo solo parui du-

cere non veretur, quod angustiore expressione concludatur: vt maioris æstimet aliorum seu *anteriorum* forte Principum aureos, maiorem habitum faciei præferentes. Non minimi reatus est, *Principis*, sub quo agit, monetam legitimi ponderis, despicatui habere, vt Anteriorum vel aliorum Principum maioris æstimet: Vt ex his colligere mihi videar; *Constantini æuo* aureos etsi non minore quam antea pondere, at certe minore forma cusos, quod eius ni fallor aurei nummi satis testantur, qui etiamnum supersunt. Denique hæc a Constantino M. hac parte constituta sunt, vindicandæ Maiestati suæ, quam Gentiles proculdubio variis rationibus imminutum ibant: cum scil. solidos ab eo cusos minore forma æquali licet pondere, minoris æstimarent quam Anteriorum Principum Gentilium solidos. Atque ita veteres solidos, recentibus ea de causa præferrent: quo facto Maiestas eius non parum impetebatur; vt non mirum sit, tam graues huic facto pœnas ab eo imponi. Qua certe constitutione nil opus fuit insecutis temporibus. Quandoquidem contrarium huic fastidium ferme inoleuit: contemnendi, inquam, refutandi, minoris æstimandi *veteres nummos* præ recentibus, ea quam antea perstrinxi ratione: crescente videl. Principum seruili pene adoratione. Imo, abditi alioquin veteres nummi prorsus: testis *Nouella Leonis 52.* Hinc factum itaque, cur *Iustinianeo Codice* contineantur *leges* ad *veteris numismatis* potestatem erigendam latæ, hæc nostra seu Constantinianea ab eo *Codice* exulet, quæ scil. ad Nouorum solidorum potestatem seu æstimationem asserendam lata est: & quidem Christiani Principis, a fastidio, vt equidem existimo, Gentilium. Atque hæc est noua, & genuina Constantinianeæ huius Constitutionis sententia. Atque ita de his quatuor constabit deinceps. Primum, quam huius constitutionis sanciendæ *causam* Constantinus habuerit. Secundo, cur tam seueras pœnas idem indixerit. Tertio, quantum differat species huius constitutionis a specie *legis primæ*, & *tertiæ*, *Cod. Iust. de veteris numismatis potestate*, & similibus quas superius collegi: Imo quam contraria sit. Postremo constabit, cur Iustinianus duas illas *leges* in *Codicem* suum referri voluerit; hanc vero abdicauerit.

De *Vultu* Principum qui in monetis seu numismatis, vulgaris est obseruatio, præter hanc *legem* & *d. l. 3. Cod. Iust. de veteris numismatis potestate:* Item præter *legem 1. infr. de ponderatoribus:* & solemnia loca apud *Matheum c. 22. v. 19. 20. Marcum 12. v. 16. Lucam 20. v. 24.* præter Paulum *5. sentent. tit. 25. §. 1.* Statii *versus* obseruandi, *Syluar. III. 3. v. 104. seq.*

Quæ Diuum in vultus igni formanda liquescat
Massa, quid Ausonia scriptum crepet igne moneta.

Consulenda & Cassiodori *formula VII. Variar. 32.* Ab hac causa Iuuenalis *Satyra 14. Versu 291.*

Concisum argentum in titulos faciesque minutas.

Vbi Scholiastes vetus, id est, *in argenteolos, siue nummos:* ab hac causa Prudentius *in Laurentio, Peri Stephan. hym. 2. v. 96.* numismata Cæsarum effigie cusa, vt nonnulli volunt, *ænigmata* dixerit. Sane ita vetus Glossarium *monetam* ænigma interpretatur: Arabes *Methalia* vocant numismata Christianorum, quæ caput humanum expressum præferunt, quod verbum proprie significat εἰκόνα.

P. 184 Secunda sententia, qua Constantinus Principum Maiestatem in monetis, atque adeo monetas ipsas a paracharactis vindicatum, simul & emptioni venditioni solidorum viam patefactum it, hæc est, qua scilic. pœna persequitur solidos *ABRADENTES*, περικόπτοντας; qui mensuram circuli exterioris adradunt, de quibus est quoque *lex. 2. infr. de ponderatorib.* *Emptio venditioque solidorum, quos excidunt, aut deminuunt, aut, (vt proprio verbo vtar cupiditatis,) adrodunt, tanquam leues eos vel debiles nonnullis repudiantibus, impeditur, ideoque placet; quem ferme Græcus appellat, per singulas ciuitates constitui Zygostatem* &c. De circulo hoc, & huiusmodi arte solidos adradendi, est insignis locus apud Procopium *lib. 3. Gothicorum cap. 1. pag. 112. edit. Venet. int. Script. Rer. Byzant.* vbi narrat Byzantios Alexandrum quendam ψαλίδιον vocasse, id esse, *forficulam*; quia perquam scite nosset circulum solidorum adradere: quem locum iam consignauit Cuiacius XIX. *Obseruat. 25.* Aduersus huiusmodi rasores aureorum, qui proprie *παραψαλισαὶ in Basilicis*, vide & *legem 8. D. ad legem Cornel. de falsis:* & Paulum *libr. 5. sent. tit. 25. §. 1.* De circuli rasoribus nulla *lex* propria extat in *libris Iustinianeis:* Itaque huius *legis* authoritate vsus ante aliquot annos Lutetiæ primicerius Præses, cum de hac ipsa re recitaret Senatusconsultum. Et pœna obseruanda in hos adrasores & παραψαλισὰς eadem quæ superioribus, puta capitis, ignis, alteriusue pœnæ mortiferæ. Sane & Vlpianus *d. l. 8.* liberos eo nomine ad bestias dari, seruos summo supplicio affici debere, Proconsulem instruens scribit. De hoc crimine est & Chrysostomi locus *Comm. in cap. 1. ad Galat. ed. Commel. p. 972.* καθάπερ γὰρ ἐν τοῖς βασιλικοῖς νομίσμασιν, ὁ μικρὸν τοῦ χαρακτῆρος περικόψας, ὅλον τὸ νόμισμα κίβδηλον ἠργάσατο, οὕτως καὶ. *Quemadmodum enim in moneta regia, qui paulum aliquid amputarit de impressa imagine, totum numisma reddidit adulterinum: ita quisquis &c.*

Tertia sententia Constantini est in eos qui EXPONVNT scienter adulterum solidum. Exponunt, vel vt *lex* nostra loquitur, vendendo subiiciunt. Ita Paulus *5. sentent. tit. 25.* §. *5.* *Qui cum argentum vel aurum poneret, æs stannumue SVBIECERIT, falsi pœna coercetur.* De huiusmodi Stellionibus est *lex 1. §. 2.* & *lex. 36. D. de pignor. act.* vbi pariter *si quis in pignore pro auro æs* SVBIECISSET: & mox, *Si quidam dato auro æs subiecisset, furti teneri: quod si in dando æs subiecisset, turpiter fecisse, non furem esse.* Vide & *leg. 9. §. 2. D. ad leg. Cornel. de falsis.* Et *hæc* quidem de *huius legis* sententia dicta sufficiant, deque solidorum æstimatione & integritate.

De ipsa *solidorum* appellatione videndum aliquid est: II. Scaliger *Posthumo suo pag. 52. 53.* ait, nuperam ac nouitiam & vix tandem post tempora Diocletiani receptam hanc *solidi* appellationem, pro *nummo aureo* sibi visum iri, nisi eius mentio extaret in Epigrammatis vrbis: ET OB DEDIC. EIVSDEM STATVÆ, PATRONIS ET Q. Q. P. P. SOLID. DIVISIT. Vide inscriptionem integram apud Gruterum CCCLIV. 1. Sane solidorum ita mentionem facit Lampridius *in Alexandro Seuero cap. 39.* Constantini M. σύγχρονος: vt tamen Alexandri Seueri temporibus eam solidi vocem pro aureo vsurpatam ostendere videatur *Iussit, tremisses tantum solidosque formari. Formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius, vsque ad bilibres quoque & Centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, resolui præcepit, neque in vsu cuiusquam versari: atque ex eo bis Materiæ nomen inditum est: quum* DICERET, *Plus largiendi hanc esse Imperatori causam, si quum multos* SOLIDOS MINORES *dare possit, dans decem vel amplius vna forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur.* Nisi quis putet Lampridium sui sæculi voce vsum. Interim vindicandus hic mihi Lampridii locus a Correctorum manu, & quidem postremis eius verbis. Igitur sanus est omnino hic locus: neque vllo modo immutandus, neque vox *Dans* tollenda. Scilicet hoc voluit Alexander: Maioribus solidis maioris formæ resolutis, & ab vsu submotis: vicissim, *minoribus* solidis stantibus, qui scil. vno tantum aureo æstimabantur, etiam locum ampliorem fieri Principi plures liberalitates exercendi: quandoquidem minores solidos habens, liberalitates suas *per multos* spargere posset: neque adeo facile

exhauriretur, etsi *multos* etiam vni daret. At si in vsu perstarent huiusmodi Maiorini seu maiores solidi, tot largitatibus exercendis locus non foret; vtpote non valente nisi plurimum dare si numerum dare vellet. Breuiter, largitatis modum tenere non posset: & cum non posset, fontes largitionum cito arescerent. Atque hic est huius loci sensus. Scilicet, is qui multos minores solidos etiam vni, citra exhaustionis metum, dare potest & valet; si det maiorinos vel maiores aliquot numero (vt non aliter fieri potest) in imo nec quicquam fundo nummus respirabit: *Dans*, id est vtique dans, vel si det. De hoc *Lampridii* loco dicam adhuc aliquid ad *l. 1. inf. de expens. ludorum.*



P. 185. SI QVIS PECVNIAS CONFLAVERIT, VEL MERCANDI CAVSA TRANSTVLERIT, AVT VETITAS CONTRECTAVERIT.

TITVLVS XXIII.

Abest hic *Titulus*, & vtraque *lex* sub eo posita, a *Cod. Iust.* Superiores *Tituli* fuerunt de *falsæ monetæ* fabricatione, & fabricatæ adrasione, venditione: Hic de falsitate & delicto circa *probam* monetam, & quasdam monetas publice improbatas.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS (b) A. & Iulianus Cæs. ad Rufinum P. P. (c)

QVICVMQVE vel conflare pecunias, vel ad diuersa (d) vendendi (e) causa, transferre detegitur, sacrilegii (f) sententia (g) subeat, & capite plectatur: Portus enim, litoraque (i) diuersa, quo facilior esse nauibus consueuit accessus, & itineris tramites (k) statuimus custodiri per idoneos Officiales, ac Præpositos, a Præsidibus & (l) nonnullis præditis dignitate, vt cognita veritate, prouinciarum Rectores obnoxios legibus puniant: Officia quoque immenso periculo subiacebunt. (m) Nec vero aliquis Negotiatorum plus mille follibus, (n) pecuniæ in vsu publico constitutæ, animalibus (o) propriis, sumptuum (p) gratia portare debebit: At si ampliorem modum quisquam vehere detegatur, facultates eius fisci dominio vindicentur, & ipse adficiatur exilio. Nam (q) pecunias nauibus vectas *non* (r) *omnes* iudicamus (s) Mercatores debere *promere*, (t) quippe in vsu (v) tantum publico pecunias constitutas permittimus conuehi: itidemque, eas solas species (x) emi, quæ Mercatoribus (y) more sollemni ad diuersa portantur: Pecunias vero nulli emere omnino fas erit; Nec vetitas contrectare: *quia in vsu publico constitutas pretium oportet esse, non mercem.* Placet denique, vt si quis forsitan nummus, præter eum qui in vsu publico perseuerat, apud aliquem Mercatorem fuerit inuentus, fisci dominio cum omnibus delinquentis facultatibus vindicetur. Et si forte cum mercibus ad quascunque prouincias venerint naues, cuncta solita licentia mercabuntur, præter pecunias, quas more solito *Maiorinas* vel *Centenionales communes* appellant, vel cæteras, quas vetitas esse cognoscunt. Acc. VIII. Id. Mar. Constantina, (z) Constantio A. VIII. & Iuliano Cæs. coss. [356.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex*, vt dixi, *a Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) *γϱ. Constantius*, non, *Constantinus.* ID.

(c) Ρυφῖνος ἔπαρχος hic proculdubio est, cuius sub Constantio post Synodum Sardicensem meminit Epiphan. *hæresi Photininorum 51. vel 71. num. 1. pag. 829. edit. Coloniens. apud Ierem. Schrey.* vbi male alioquin Cornarius vertit *Præsidem.* Cuius vero Præfecturæ Prætorianæ Præfectus fuerit? liquido non constat. Sane hæc *lex* accepta dicitur *Constantina.* Cæterum Constantinæ plures fuerunt. Nouus Interpres Epiphanii Dionysius Petauius *in not. ad loc. cit. pag. 304. edit. cit. Præfectum Prætorio Illyrici* fuisse credit; adde & Italiæ, quod docet *lex 6. infr. de annona & trib.* vbi de eo plura, & ex professo. ID.

(d) *Diuersa*, id est ad diuersa loca, & Barbarica quidem. ID.

(e) *Vendendi*, id est exponendi causa: de hac voce dictum est ad *legg. super.* ID.

(f) *Sacrilegii* crimen, pro Maiestatis crimine. De quo alibi dixi. ID.

(g) γϱ.

(g) *vel. Sententiam.* *ID.*

(i) De *Litorum & itinerum* custodia fuit *supra titulus 16. lib. 7.* *ID.*

(k) *Tramites itineris* vocat, quæcunque tandem itinera quæ terra fiunt. *ID.*

(l) Forte legendum, *e nonnullis.* *ID.*

(m) Si huic rei non inuigilauerint. *ID.*

(n) De *follibus* mox dicam. *ID.*

(o) De hoc animalium significatu iam dixi ad *legem 9. sup. de re militari.* *ID.*

(p) id est, ad itineris impendia. *ID.*

(q) Hæc sententia obscurissima est; de qua mox viderimus: forte legendum hic, *Iam.* *ID.*

(r) Imo *omnes*, vt ita his deprompțis seu exhibitis appareat, vtrum vetitas pecunias acceperint: Quare rescribo, *Nos omnes.* *IDEM.*

(s) id est, iubemus. *ID.*

(t) *Promere*, id est publicis personis & custodibus in id præpositis exhibere. *ID.*

(v) *In vsu publico constitutæ pecuniæ* sunt, quæ currentes pecuniæ hodie: *Transeuntes per mercatores,* עבר לסחר כסף *Gen. 23. v. 16.* Septuaginta ἀργύριον δόκιμον ἐμπόροις ibi vertunt. Hieronymus *probam monetam* cum Græcis interpretatur. *Ambulare* quoque dicitur in Pragmatica Sanctione Iustiniani *cap. 20. de mutatione solidorum:* προχωρεῖν dicunt Græci apud Sextum Empiricum *aduersus Mathemat. c. 10.* & Arrianum *in periplo.* *ID.*

(x) Ac non etiam pecunias. *ID.*

(y) *A mercatoribus.* *ID.*

(z) Constantina hæc quæ? Iam dixi ad Inscriptionem *legis.* *ID.*

P. 186

COMMENTARIVS.

IVSTA PECVNIA in vsu publico constituta, vt conseruetur: contra ne VETITARVM pecuniarum commercium fit, cauet Constantinus Imp. hac constitutione, A. D. 356. Multiplici ratione.

Primum igitur, CONFLARI pecunias vetat: Pecunias, scilicet argenteas: Scilicet vt flare non licet, ita nec conflare. *Flare*, est conficere, cudere, de quo dixi *ad leg. 6. sup. de falsa moneta:* vide & *leg. 9. in princ. D. de lege Cornel. de falsis.* *Conflare* vero, est recudere, dissoluere, vt *hac lege.* Sic Firmicus *lib. 6. cap. 31. pag. 180. falsarios faciet, aut qui pecunias publicas conflaturarum adulterinis artificiis imitentur.* Quanquam alias quoque pro *cudere* accipitur, vt *l. 1. inf. de conlation. æris.* *Et conflatores figurati æris, adulteratores etiam monetæ capitalis animaduersio persequatur.* Lampridius nostro sensu in Alexandro Seuero *cap. 39. Quartarios iam formatos in moneta detinuit, expectans, vt si vectigal contrahere potuisset, & eosdem ederet: sed cum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos iussit, & tremisses tantum solidosque formari.* Idem mox *resoluendi* verbo vtitur: *Formas*, inquit, *binarias, ternarias & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius, vsque ad bilibres quoque & Centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, resolui præcepit, neque in vsu cuiusquam versari, atque ex eo his Materiæ nomen inditum est.* Resoluere scil. & conflare, est in materiam seu massam resoluere, indeque Lampridius *superiore loco* notat ingentibus nummis conflari seu resolui iussis, *materiæ* nomen inditum fuisse, velut quæ in materiam resoluendæ essent, vel etiam nondum resolutæ, materiam & massam potius exhiberent auri, quam solidos qui in vsu & conuersatione publica versantur. *Materia* scilicet pro massa auri proprie accipitur *l. 1. & vlt. inf. de ponderatorib.* & *l. 13. inf. de susceptorib.* & solidis opponitur; vnde & materies obryzæ, quæ mox *massa obryzæ* dicitur, *l. 12. inf. de susceptoribus.* Eodemque sensu dixit Manilius Astronom. *lib. 4. v. 246. seqq.*

- - - Scrutari cæca metalla
Depositas & opes, terraque exurere venas,
Materiemque manu certa duplicarier arte.

Quem postremum *versum* a Scaligero expunctum nollem, est enim purus putus Manilianus. (siue Manlianus.) *Materiam* scil. dixit auri massam. Ex his apparet, quam male postrema illa Lampridii verba pro suspectis habeant Viri docti, quæ vt dixi recte habent, neque emendari aut alio sensu donari oportet. Materiam igitur seu massam ex pecuniis fieri, id est pecunias conflari Constantius prohibet: Cuius prohibitionis rationem putabat hanc vir doctus Freherus, *de re monetar. pag. 3. 4.* ne nimirum ipse icon & rei impressæ memoria, cuius fine & contemplatione pecunia formata erat, periret: eadem ratione, qua nec statuas & imagines Impp. consecratas conflare citra maiestatis crimen licuit. Quod inane esse ostendent mox quæ dicam de *huius legis* ratione.

Secundo prohibet Constantius pecuniarum COMMERCIVM, id est pecunias transferri seu exportari vendendi causa a negotiatoribus, & vicissim a negotiatoribus coëmi. Non ea quidem ratione, qua aurum extra Imperium nominatim exportari Barbarisque præberi prohibetur *l. 2. Cod. Iust. de commerciis & mercatoribus:* Item non ea qua in Gallia vetita auri & argenti extra regnum exportatio: de quo vid. Bretti *Orat. 33.* verum hac, quia in vsu publico constitutas pecunias pretium esse oportet, non mercem: ac proinde eadem ratione qua & conflari pecuniæ vetantur: nam & hæc venditio pecuniarum seu commercium non alio fine quam conflandi ferme fit: Porro Constantius *h. l.* huic pecuniarum commercio non modo pœnis propositis occurrit, verum variis præterea rationibus. *Primum* quidem, littorum, portuum, itinerum custodes in id constitui iubet, qui commeantes negotiatores & naues excutiant, num pecunias vendendi causa transferant aut nauibus referant? *Secundo* pecuniæ ad itineris impendia modum constituit, quo maiorem negotiatori vehere aut portare non liceret. Porro modus his præstituitur, *Mille follium;* Quod de minutis follibus accipi non potest, qui scilicet duo λεπτὰ conficiebant, sed de follibus, cuiusmodi centum solidum conficiebant Constantini M. æuo: quique adeo duobus argyris seu duobus didrachmis æstimabantur: de quo est hic *Epiphanii* locus *de mensur. & ponderib. in fin. pag. 184. Tom. II. Oper. edit. Colon. apud Ierem. Schrey.* Φόλις ὁ καὶ ταλάντιον καλεῖται. διπλοῦν δέ ἐστιν, τὸ ὑπὸ δύο ἀργύρων συγκείμενον, οἳ γίνονται ση δηνάρια. καὶ φόλις δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρισμὸν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν. *Follis, siue talentum paruum ex duobus argenteis constat, hoc est denariis CCVIII. Item follis si ad denarios, non ad argenteos redigatur duo minuta continet.* Vide Hesychium Illustrium *in Glossar. Basilikωn* voc. Φόλις. Suidam *voc. ead.* & Etymol.

Etymologicum. (a) Verum de follibus *alibi* plene dicemus. Ergo folles non vltra decem solidorum æstimationem ad itineris impendia portari vult Constantius.

Tertia prohibendi pecuniarum commercii ratio hæc est, quod Constantius velit, Naues quæ alio nauigant ad species emendas, reuertentes, excuti, atque pecunias omnes promere debere, vt ita constare posit, num pecunias, quas conflare emereque prohibitum est, aut euehant, aut reuehant: *C'estoit donques vn bureau des consignations, où l'on estoit fouillé, & où il falloit consigner son argent.*

Quarta ratio est, quod si nummus vetitus, qui in vsu publico non est, apud aliquem mercatorem inuentus fuerit, fisco vindicari debeat, vna cum omnibus eius facultatibus.

Postrema ratio est, quod retro vetantur mercatores vice Mercium a se translatarum pecunias vetitas mercari. Ergo neque euehere mercatores pecunias adinstar mercium vendendas possunt: neque reuehere loco mercium emptas seu acceptas. Exemplum porro ponit Constantius, hic in Maiorinis pecuniis, & Centenionalibus communibus: de Maiorina pecunia iam dixi *ad l. 6. sup. de falsa mon.* de Centenionali nummo dicam ad *l. prox. 2.* quæ de eo specialis est: vbi & in rationem inquiram, cur hi nummi vetiti fuerint.

(a) De Folle a quibus plura discenda sint, monuit CL. LABBEVS *in not. ad Gloss. Basil.* & CL. DV FRESNE *in Glossar. Græc. voc.* φόλις. Sed plurima collegit CL. PETAVIVS *Diatrib. de folle*, quam vide *Tom. II. Oper. Epiphan. pag. 431. seqq. edit. Colon.*

P.187

II. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Dextro P.P. (b)

CENTENIONALEM tantum nummum in conuersatione (c) publica tractari præcipimus, *Maioris* pecuniæ figuratione (d) submota. Nullus igitur *Decargyrum* nummum alio audeat commutare; sciens fisco eandem pecuniam vindicandam, quæ in publica potuerit conuersatione deprehendi. Dat. Prid. Id. April. Med. Olybrio & Probo (e) coss. [395.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc, vt iam monui, *Lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) Italiæ. *ID.*

(c) In *Conuersatione publica.* in vsu publico, *l. super.* Neque in vsu cuiusquam versari. Lamprid. *Alex. Seuero cap.* 39. vid. *Glossar. ID.*

(d) Vid. *Glossar. ID.*

(e) *γρ. Probino:* vt docent Fasti, & recte monuit Iuretus *in Symm. lib. 5. ep. 67. ID.*

COMMENTARIVS.

VETITA (& quidem superiore Canstantii Constitutione) fuerant hæc inter alia pecuniarum duo genera: nempe *Maiorina pecunia* (de qua iam dictum est ad *l. 6. sup. de falsa moneta,*) itemque Centenionales pecuniæ, seu nummi: Id Honorius, cum oboleuisset post Constantium (vtpote reductis in vsum Centenionalibus & Maiorinis) hac constitutione partim reducit, partim abrogat. Centenionalem quippe nummum in conuersatione publica, in vsu publico, in vsu cuiusque versari, & quidem *tantum* iubet: at *Maiorinam* pecuniam submouet, atque adeo decargyrum nummum, quæ Maiorina pecunia fuit.

Quæ vt intelligantur, videndum qui nummi sint *Centenionales*, quorum *h. l.* mentio fit, & *leg. super.* quæ Maiorina, & maioris pecuniæ figuratio, qui denique nummus Decargyrus: qui omnes nummi quinam fuerint, se adhuc quærere *posthumo suo* profitetur Scaliger. Nos post eum aliquid quæremus.

CENTENIONALIS nummus qui *h. l.* vocatur, cum adiuncto *superiori lege* vocatur *Centenionalis Communis:* Communis, vt existimo, quia in communi vsu erat: De *Centenionalibus* his hæc tria comperio.

Primum, a Maiorina pecunia eos distinctos, aliosque fuisse, quod aperte & hæc *lex*, & *superior*, testantur: ac maxime hæc, quæ Centenionalium vsum inducit, Maiorinæ vero pecuniæ vsum interdicit. Vt proinde omnino errent, qui hos nummos commiscent. Vnde simul claret, Centenionales nummos non fuisse *maioris*, seu maiorinæ *pecuniæ* speciem, quin potius minoris; & quidem paruæ adeo, vt propter paruitatem suam interdicti aliquando fuerint, quemadmodum maiorinæ pecuniæ propter sui magnitudinem.

Secundo, distinguendi sunt hi *Centenionales*, vtpote toto cœlo diuersi a *Centenariis aureis:* Quæ etiam duplici significatu reperio. Primum enim Centenarii aurei ita dicti sub Heliogabalo fuerunt, ab æstimatione, quod Centenos aureos siue solidos conficiebant, de quibus est hic Lampridii locus in *Alex. Seuero cap. 39. Formas* (id est, nummos formatos, figuratos) *binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius, vsque ad bilibres quoque & Centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, resolui præcepit, neque in vsu cuiusquam versari: atque ex eo his Materiæ nomen inditum est, quum diceret, plus largiendi hanc esse Imperatori causam, si quum multos solidos minores dare posit, dans decem vel amplius vna forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur.* Qui quidem locus vt iam antea quoque probaui, sanus est vndique: Quanquam si quid mutare placeret, vocula *quum*, loco mota videri tantum posit, ac proinde locus ita legendus, *si multos solidos minores dare possit: quum dans decem* &c. Centenariæ igitur formæ erant aurei nummum centum aureorum siue solidorum: ac proinde ingentes & *maiorini* maxime; qua causa his *Materiæ* nomen inditum; vtpote qui non tam nummi quam auri massæ speciem præ se ferrent: quod *materia* nomen significare iam antea ostendi. Ab his igitur *Centenionales* toto cœlo disparati fuere, præter mentem CL. Salmasii *ad eum locum;* quippe Centenariæ formæ & ingentes seu Maiorinæ fuerunt, neque in vsu vnquam, quam sub Heliogabalo: at

lo: at Centenionales nummi erant minorini, seu minores & pisinni, aperte enim, maiori & maiorinæ pecuniæ *h. l. vt. sup.* opponuntur: deinde in vsu fuere; vnde & Centenionales forte vt antea dixi *Communes* dicti videntur, quasi in vsu & conuersatione publica constituti. Et hæc de primo Centenarii Genere.

Fuit alterum *Centenarii* genus: non quidem nummi, sed *nummi & ponderis* nomen: denique non νόμισμα, sed ὁλκὴ, ποσότης, ἄθροισμα; Glossæ Nomicæ voc. Κεντηνάριον; Κεντηνάριον νομισμάτων ποσότης, item Suidas *voc. ead.* Erat scilicet *Centenarium* collectio, seu pondus centum librarum auri signati. Isidorus ideo recte *Origin. lib. 16. cap. 24. in fin. Centenarium Numeri nomen est, eo quod centum librarum ponderis sit*, & Procopius *de bello Persico lib. 1. cap. 22. initio*, τὴν μὲν εἰρήνην πέρας οὐκ ἔχουσαν, δέκα καὶ ἑκατὸν κεντηναρίων ὡμολόγει πρὸς αὐτοὺς θήσεσθαι, *pacem perpetuam spopondit bisce conditionibus, vt sibi centenaria CX. numerarentur.* Et mox, ἕλκει δὲ λίτρας τὸ Κεντηνάριον ἑκατὸν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ ὠνόμασαι. *Centenarium vero pendet centum pondo; vnde & nomen traxit.* & Glossæ Nomicæ, Κεντηνάριον λίτραι ρ. κέντον γὰρ Ῥωμαῖοι τὰ ρ. φασί. Centenarium proinde 7200. aureos constituebat: nam libra auri 72. solidos conficiebat. Itaque quod Olympiodorus apud Photium *Biblioth. Tmemat. LXXX.* & *Tom. I. Script. Rer. Byzant. edit. Venet. pag. 146.* scribit, Ἀλάριχος ἔτι ζῶντος Στιλίχωνος, μ' κεντηνάρια μισθὸν ἔλαβε τῆς ἐκστρατείας. *Alarichus, viuente etiamnum Stilichone, militiæ mercedem centenarios quadraginta accepit.* Zosimus *lib. 5. c. 30.* τετρακισχιλίας λίτρας, *quatuor librarum millia*, reddidit: Recte; quadraginta quippe centenarii, exacte sunt quatuor mille libræ. Idem Olympiodorus *in fin.* siu. *pag. 153. edit. cit.* censum sui temporis æstimans, ὅτι πολλοὶ οἶκοι Ῥωμαίων προσόδους καθ' ἐνιαυτὸν ἐδέχοντο ἀπὸ τῶν κτημάτων αὐτῶν, ἀνὰ τεσσαράκοντα χρυσοῦ κεντηνάρια, χωρὶς τοῦ σίτου, καὶ τοῦ οἴνου, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων εἰδῶν, ἃ εἰς τρίτον συνέτεινεν, εἰ ἐπιπράσκετο τοῦ εἰσφερομένου χρυσίου. *Multas Romæ familias annuos reditus e bonis accepisse quadraginta circiter auri centenarios, absque frumento & vino, aliisque eius generis, quæ tertiam æquabant auri partem, si venderentur.* Et meminit idem sæpius horum Centenariorum: hoc inter cætera quoque loco, dum bis mille libras, & 20. Centenaria eandem summam facit, *pag. 148. edit. citat.* χρυσίον μὲν γὰρ οὐδὲ μέχρι κεντηναρίων εἴκοσιν εὕρηται: ἡ δὲ ἀκίνητος αὐτοῦ οὐσία, ΚΑΙ ΑΥΤΗ, εἰς δισχιλίας λίτρας συνέτεινε. *Auri enim nondum viginti Centenarii inuenti, & immobilium insuper bonorum ad bis mille libras.* Denique creberrima huius centenarii mentio in Historicis recentioris æui. (a) Ab his igitur Auri Centenariis pariter toto cœlo disparati *Centenionales* nostri fuere: vtpote qui *nummi* genus fuerunt non ποσότητος; & quidem minuti. Et hæc de auri Centenariis: id est de numero, collectione centum librarum auri.

Ac vt auri Centenaria, a Centenionalibus nummis diuersa prorsus fuerunt, ita & *æris centenarium.*
P.188. Nam vt centenarium auri ὁλκῆς seu ποσότητος nomen fuit, ita & centenarium æris, cuius mentio *l. vlt. inf. de conlatione æris. Perpetuo sancimus generalique decreto, ne cui deinceps, ex præcepto Comitiuæ sedis, vel per oraculum sacrum, vel per diuinas adnotationes Numinis nostri in nummo, vel in specie (nisi ita publica necessitas postularit) propria liceat tributa persoluere, sed vt magis aut ipsam speciem, si hoc vsus exegerit, aut aurum quod æstimatio certa constituit, pro centenaria æris huiusmodi possessor exsoluat.* Centenarium æris, est pondus centum librarum æris; vt centenarium auri, centum librarum auri pondus. Auri Centenaria quoq; memorantur in *l. 12. C. I. de cursu publ. Quoniam veredorum quoque cura pari ratione tractanda est, sexaginta libras auri sella cum frenis, sexaginta itidem auerta non transeat &c. exceptis Auri Centenariis, quæ necessarium est ab hippocomis insolitis sacculis reportari.* Vbi Cuiacius nescio quæ ornamenta veredorum Auertis applicita somniabat. Centenaria enim auri ibi videntur, quæ hippocomi, id est serui cursus publici ad largitiones deferebant: in solitis sacculis scil. quorum formas exhibet *Notitia Imperii* in *Com. S. L.* Mentio quoque fit illorum Auri Centenariorum apud Suidam, *in v.* Πρίσκος. ibi: τό, τε ὡμολογημένον ἐν τούτοις δὴ τοῖς καταπλάσοις γραμματίοις, ξυνῄει οὐχ ἧσσον ἢ ἐς ἑκατὸν κεντηνάρια. *Summa autem pecuniæ debitæ in falsis illis libellis expressa decem millia pondo colligebat.* Ac vt auri, ærisque Centenaria, a centum solidis, vel libris: ita Centenariæ dictæ quæ longiores essent res materiæue quoque centum pedum; vt *Balistæ centenariæ*, Lucillio & Sisenæ apud Nonium *cap. 18. voc. balistæ, num. 22.* quomodo quinquagenarias longioresq; materias dixit Ammianus Marcellinus *lib. 18. cap. 2.* (vt *quinquagena*, pro quinquaginta solidis *l. 7. infr. de lustral. conlat.*) Eadem ratione *centenarias rosas* dixit Tertullianus, *de corona militis, c. 14.* Dixit idem & *Centenarias cœnas*, a centenis Sestertiis, *Apolog. c. 6.* Denique & maxima quæque seu Maiorina, *Centenarii* nomine quoque donata: ita maximam turrem *(Comme la grosse tour de Bourges, ou de Londres:)* Curiæ magnæ Constantinopolitanæ *Centenariam* vocatam reperio: Nicetas, *in Andronico Comneno lib. 2. pag. 182. edit. Venet. int. Script. Rer. Byzant.* καὶ ἰὼν τοῦ μεγίστου πύργου (τοῦ μεγάλου ἀρχείου) διασφάγων, ὃς κεκλήσκεται κεντηνάριον, ἀφιεὶς τοῖς ἐπιοῦσι βέλεμνα. *ex maximæ turris, quæ Centenarium appellatur, pinnaculis, sagittas in accedentes coniicit.* De Centenariis auri, vel æris, hæc dicta sint.

Vnde liquet *Centenarios* nummos dictos, ingentes *Aureos* Centum Solidorum, Maiorinos: *Centenarium* vero designasse ποσότητα, centum auri vel æris librarum. Quæ sane omnia cum Centenionalibus nostris nummis siue pecuniis nil commune habent, imo plane contrarii sunt: Neque enim Centenionales ποσότητα significarunt, cum nummorum fuerint species, Neque nummorum maiorum genus, cum maiorinæ pecuniæ opponantur.

Quinam igitur fuerint Centenionales isti nummi? Sane facilius est dicere, qui non fuerint quam qui fuerint. Vir doctus, vt dixi, eundem fuisse putabat, cum *Centenario* nummo, id est qui centum aureorum pondus habebat, quod iam ante refutaui. Et Casauboni quoque error est, qui centenionalem nummum grandiorem fuisse ait, eundemque cum maiorina-pecunia. Imo enim ex aduerso hæc opponuntur. An igitur *Centenionales* argentei nummi fuerunt, qui quamlibet minuti, centum tamen æreos, seu *minutissimas* stipes conficiebant: Centenio, Centenionalis. Ita in Glossis *Biniones* δηνάρια, *Binio* δυνῆμα. *Binio* duos æreos seu stipes conficiebat. *Centenio*, seu Centenionalis, centum æreos seu stipes minutissimas: æris denarios centum, vel centum folles. Quomodo Valerianus Aureliano per Epistolam, apud Vopiscum *in Aurelian. c. 9. in fin.* ad impendia diurna decernebat *aureos Antoninianos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum.* Quos etiam *Centenarios* dictos putet quis: de quibus Codini locus *in Orig. Constant.* καὶ ἔδωκε κεντηνάρια τῷ λαῷ διὰ στρατηγίου μαγίστρου. (b)

(a) Vide, quos citat CL. DV FRESNE *Glossar. Græc. voc.* Κεντηνάριον.

(b) Vide alia loca collecta *de Centenario*, apud CL. DV FRESNE *Gloss. Græc. voc.* Κεντηνάριον. Adde eundem in *not. ad Cinnamum pag. 455.*

Ita Denarii argentei nummi dicti, quod *denos æris* valebant, δεκάχαλκον ὄντως ἐκαλεῖτο δηνάριον. Plutarchus, *in Camillo*, & Varro *de LL. lib. 4. pag. 28. edit. Dionys. Godofred. inter auct. LL.* Centenarii igitur Centenionales fuerunt argentei, qui centum æreos, vel folles valebant. Sauotus *p. 3. c. 25. p. 238.* centenionalem nummum ita vocatum scribit argenteum, qui centum assaria valeret, eundemque cum miliaresio facit. Ego putem, *Centenionales nummos communes* dictos denarios argenteos, qui centum in libram signati, quique adeo centesimum libræ argenti conficiebant. Cum alias denarii per hæc tempora 60. tantum in libram cuderentur, vt docet *lex 161. de exp. ludor.* quam mox consignabo, vel certe Plinii æuo octaginta quatuor in libram signabantur, vt testatur *lib. 33. c. 9. Miscuit*, inquit, *denario, Triumuir Antonius ferrum, miscuit æri, alii e pondere subtrahunt, cum sit iustum LXXXIV. e libris signari:* Quod & ipsum Corn. Celsus *l. 5. c. 17.* ad Natalem palam scribit. Et hæc de Centenionalibus dicta sint: quos Honorius Imp. in conuersatione publica tractari, & quidem tantum *hac l.* præcipit: Constantius vero inter vetitas pecunias posuerat, *l. superiore.* De Maioris pecuniæ, id est Maiorinæ pecuniæ figuratione, & prohibitione dixi ad *l. 6. sup. de falsa moneta.*

Superest de *Decargyro* videamus; quanquam & de eo iam pleraque dixerim ad *d. l. 6. sup. de falsa moneta.* Sane Scaliger, *posthumo suo de re nummaria*, adhuc quærere se profitetur, quinam illi sint? Vel illud ex *h. l.* apparet, eum & *Maioris* pecuniæ seu maiorinæ speciem fuisse: & prohibitum quandoque. Verum id non satis est. Repetendum igitur *Libram argenti* per hæc tempora modo in 60. argenteos, modo in plures (veluti inde *Centonialium* nomen) diuisam: atque adeo in libram argenti modo 60. modo plures, modo pauciores argenteos minutulos cusos. De quo est insignis hæc Theodosii M. constitutio, *l. 1. inf. de expensis ludorum. Cum publica celebrantur officia, sit sportulis nummus argenteus* &c. *nec maiorem argenteum nummum fas sit expendere quam qui formari solet, cum argenti libra vna in argenteos sexaginta diuiditur: minorem dare volentibus non solum liberum, sed etiam honestum esse permittimus.* Ex hoc singulari inquam loco apparet, Argenteorum tria quodammodo genera fuisse: quorum alii 60. in libram argenti cuderentur: alii vero pauciores quam 60. (atque adeo MAIORES seu MAIORINI) alii denique plures (id est MINVTVLI argentei.) Inter Maiores seu Maiorinos igitur fuerunt Decargyri isti nostri: qui scilicet *Decem argenteos* conficiebant: ac proinde sex tantum in argenti libra (cum scil. in argenteos 60. ea diuidebatur) erant: & sextulam Argenti libram conficiebant. *Decargyrus* scilicet, eadem ratione qua Græci denarium δεκάχαλκον dixerunt: & δεκατάλαντον, Talentum auri quod decem talenta argenti conficiebat: auri quippe potestas decupla erat ad argentum: de quo ad *l. vn. inf. de argenti pretio.* Pollux ideo *lib. 9. cap. 6. Segmen. 76. pag. 1050. edit. Hemsterhuis.* quod & ab aliis citatur. τὸ δὲ χρυσίον, ὅτι τοῦ ἀργυρίου δεκαπλάσιον ἦν, σαφῶς ἄν τις ἐκ τοῦ Μενάνδρου παρακαταθήκης μάθοι προειπὼν γὰρ

Ὅλκὴν ταλάντου χρυσίου σοὶ παιδίον

Ἔστηκα τηρῶν.

Ἐπάγει μετὰ ταῦτα περὶ τούτου λόγον. Μακάριος ἐκεῖνος, δεκατάλαντον καταφαγών. *Aurum vero argento decuplo præstantius fuisse: manifeste quis ex Menandri Deposito discat. Præfatus enim:*

Opes talenti aurei tibi sunt

O puer expensæ:

his statim de iisdem loquens, subiungit, diues hic decem talenta abliguriens. (a) Polybius super fœdere Ætolico, *ex Excerptis Legation. pag. 833. edit. Polyb. Is. Casaubon. Paris 1609.* τῶν δέκα μνῶν ἀργυρίου χρυσίου μνᾶν διδόντες, *dum pro argenteis decem minis, unam auri penderent.* Quod Liuius *lib. 38. cap. 11.* vertit: *Dum pro argenteis decem, aureus vnus valeret.* Ita & apud Siculos in ære minus P. 189. ἄθροισμα dicebatur τὸ δεκάλιτρον quod quidem æreorum 133. & trientis erat: maius τὸ λιτροδεκάλιτρον, quod 1303. & trientis.

His ita de Decargyro, deque Nummo Centenionali & de Maiorina pecunia cognitis, superest vltima inquisitio, qua ratione Nummi isti prohibiti fuerint. Maiorina igitur pecunia ideone prohibita, quod Flaturarii passim eam argento ab ære separato lauarent & purgarent, vt docet *d. lex 6. sup. de falsa moneta?* An potius, quod magis existimo, Maiorina hac pecunia & Decargyrum eius species a vulgi vsibus submota, immo & a Magistratuum vsu, vt soli Principi eius vsus reseruaretur, atque adeo huius Maiorinæ pecuniæ vsu Maiestas Principum tanquam discerniculo distingueretur. Et quo casu Principis largitate huiusmodi pecuniam priuatus nactus fuisset, eam cum alio nummo commutare non posset, tum huius ipsius *legis* verbis inductus, tum *d. l. 1. inf. de expensis ludorum.* Qua *lege* disertis verbis Iudicibus seu Magistratibus interdicitur maiorinæ pecuniæ argenteæ per officia publica erogatio. Habuit hæc scilicet ætas huiuscemodi Imperii & Maiestatis simulachra in omni ferme vitæ genere parteque: In vestitu, scriptura, peculiari monetæ vsu, aliisque Imperii insignibus. In hoc censu igitur fuerit vsus Maiorinæ pecuniæ: de peculiari alioquin quandoque & reseruato soli Principi auri vsu, dixi plenissime *ad legem 7. sup. de falsa moneta.* Centenionales vero nummi communes antea, id est in conuersatione publica constituti, cur inter vetitas non minus quam maiorinæ aliquando habitæ fuerint? non aliam comminisci possum causam, quam quod facile supponi possent in communi conuersatione, & exponi pro denariis, cuiusmodi Sexaginta in libram cudebantur; vel octoginta quatuor.

(a) Ad hunc locum vide, quæ obseruat CL. HEMSTERHVISIVS.

DE RAPTV VIRGINVM VEL VIDVARVM.

TITVLVS XXIV.

LIB. IX. COD. IVST. Tit. XIII. in vnum *Titulum*, hic & sequens coierunt

runt, *De raptu Virginium ſeu Viduarum nec non ſanctimonialium.* A quo tamen ipſo Titulo, omnes huius & ſequentis Tituli *leges* exulant: prælata prolixisſima Iuſtiniani conſtitutione. Baſilii *epiſtola 244.* ſiu. 270. *edit. Benedictin.* περὶ ἁρπαγῆς huc pertinet. Adde & Paratitli vice *legem 1. ſup. de accuſat.*

CONSTANTINI M. *Edictum aduerſus raptum Virginum.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Populum (b)

SI quis nihil (c) cum Parentibus Puellæ ante depectus, (d) inuitam eam rapuerit, vel volentem abduxerit, (e) patrocinium ex eius reſponſione ſperans (quam propter (f) vitium leuitatis, & ſexus mobilitatem atque conſilii, a poſtulationibus, & teſtimoniis, (g) omnibusque rebus iudiciariis *Antiqui* penitus arcuerunt) nihil ei ſecundum (h) *Ius Vetus* proſit puellæ reſponſio; ſed ipſa puella potius ſocietate criminis obligetur. (i) Et * quoniam parentum ſæpe cuſtodiæ *Nutricum* fabulis, (k) & prauis ſuaſionibus deluduntur, his primum, quarum deteſtabile (l) miniſterium fuiſſe arguetur (m) redemptique (n) diſcurſus, (o) pœna immineat, vt eis meatus oris & faucium, qui (p) nefaria hortamenta protulerit, (q) liquentis plumbi ingeſtione claudatur. (r) Et * ſi voluntatis adſenſio detegitur in *Virgine*, eadem qua raptor, ſeueritate plectatur: cum neque his impunitas præſtanda ſit, quæ rapiuntur inuitæ; cum & domi ſe vſque ad coniunctionis diem ſeruare (s) potuerint; Et, ſi fores raptoris frangerentur audacia, vicinorum opem clamoribus quærere, ſeque omnibus tueri conatibus. (t) Sed his pœnam leuiorem imponimus, ſolamque eis parentum negari (v) ſucceſſionem præcipimus. *Raptor* * autem, indubitate (x) conuictus, ſi appellare voluerit, minime audiatur. Si * quis vero *Seruus*, raptus facinus diſſimulatione præteritum, aut pactione tranſmiſſum, *detulerit* in publicum, Latinitate (y) donetur: aut ſi Latinus ſit, Ciuis fiat Romanus. *Parentibus*, * quorum maxime vindicta intererat, ſi patientiam præbuerint ac dolorem compreſſerint, deportatione plectendis. Participes * etiam & *miniſtros* raptoris citra diſcretionem ſexus, eadem pœna præcipimus ſubiugari: Et (z) ſi quis inter hæc miniſteria ſeruilis condicionis fuerit deprehenſus, citra ſexus diſcretionem eum concremari iubemus. Dat. Kal. April. Aquil. Conſtantino A. VI. & Conſtantio C. coss. [320.]

p. 190. INTERPRETATIO. *Si cum parentibus puellæ nihil quiſquam ante definiat, vt eam ſuo coniugio debeat ſociare, & eam vel inuitam rapuerit, vel volentem; ſi raptori puella conſentiat, pariter puniantur. Si quis vero ex amicis,* (aa) *aut familia, aut fortaſſe nutrices puellæ conſilium raptus dederint, aut opportunitatem præbuerint rapiendi, liquefactum plumbum in ore & in faucibus ſuſcipiant, vt merito* (bb) *illa pars corporis concludatur, de qua hortamenta ſceleris miniſtrata noſcuntur. Illæ vero quæ rapiuntur inuitæ, quæ non vocibus ſuis de raptore clamauerint, vt vicinorum, vel parentum ſolatio adiutæ, liberari poſſent, parentum ſuorum eis ſucceſſio denegetur. Raptori conuicto appellare non liceat, ſed ſtatim inter ipſa diſcuſſionis initia a Iudice puniatur. Quod ſi fortaſſe raptor cum parentibus puellæ paciſcatur,* (cc) *& raptus vltimo parentum ſilentio fuerit prætermiſſa, ſi ſeruus iſta detulerit, Latinam percipiat libertatem: ſi Latinus fuerit, ciuis fiat Romanus. Parentes vero qui raptori in ea parte conſenſerint exilio deputentur. Qui vero raptori ſolatia præbuerint ſint, ſiue viri ſiue feminæ, ignibus* (dd) *concrementur.*

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* potiſſima ſui parte: Deſignatur ea & temperatur a Conſtante *l. 2. prox. ſequ.* Tria tantum ex *hac lege* capitula, id eſt quartam, ſextam, ſeptimam ſententiam, inductis & abolitis cæteris, memorat & ſequitur Iuſtinianus *l. vn. Cod. Iuſt. eod. tit.* *GOTHOFR.*

(b) Vrbis Romæ. *ID.*

(c) Sponſus ergo ſi ſponſam ſuam rapiat, raptus non tenetur: cui concinit ius Pontificum, *can. 5. & 9. cauſ. 36. qu. 2.* Accedit argumentum ex initio *Nov.* 143. & *Nouell. Leonis* 35. Contrarium tamen aſſeritur in *l. vn. verſ. quibus connumer. Cod. Iuſt. eod. tit.* & Harmenopulo *lib. 6. t. 7. §. 1.* Verum de hoc vide Burgium *1. Elect.* 15. *ID.*

(d) Alii *Depactus*. *Depecti* vox, vt ex hoc loco apparet, non ſemper turpi pacto denotando inſeruit: itaque recte Interpres vertit, *definiat. ID.* *Depactus* legit MS. G. & Edit. Sichard. *RITTER.*

(e) *Abducendi, & rapiendi* κυριολογίαν obserua. GOTHOFR. MS. G. *vel violenter abduxerit.* RITTER.

(f) Non has veras rationes, præcipuas saltem causas esse alibi ostendam. GOTHOFRED.

(g) Huc omnino facit *l. 1. D. de postulando*; & *l. 2. D. de regulis iuris*, & similes, quas frustra fuerit congerere. Vide & scholion apud Harmenopulum, *lib. 1. Tit. 13.* ID.

(h) Vide hanc ad rem omnino Gellium, *lib. 6. c. 7.* & *Nouellam* Leonis *elegantissimam* 48. ID.

* SECVNDA sententia, de *Nutricibus*, internunciis & suasoribus. IDEM.

(i) *Alligetur*, MS. W. RITTER.

(k) *Fabulæ* nutricum, sunt affatus nutricum, sæpe fabulosi, quibus inescantur virgines, sed & viduæ: Seneca *lib. 4. Controuers. 29. Duxi uxorem, nullis adhuc inquinatam* FABVLIS: *nec miror innocentem tunc fuisse, adbuc puella erat.* Apuleius *Apol. p. 301. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire. Tot annis viduitatis sine culpa, sine fabula.* Quanquam hæc de fabula vulgi potius accipienda videntur. GOTHOFRED.

(l) Intelligit interuentum, opem, & auxilium nutricum. ID.

(m) *Arguimus*, Edit. prior Cuiac. & illa in Quarto. Sichardin. ita: *ministerium fuisse argui possit, pœna immineat*, neglectis illis, *redemptique discursus.* RITTTER.

(n) Et quarum arguentur redempti discursus. GOTHOFREDVS.

(o) *Discursus* hic sunt, non Διαλογισμὸς (vt voluit Ammiani Marcellini Interpres) sed internuncia, *allées & venuës, portepaquets*: Quo sensu proximo, saltem discursus nomen de salutatoribus, apud Martialem, *lib. 7. Epigr. 38. lib. 4. Epigr. 79. v. 3.* Iuuenalem, *Satyra 1. v. 86.* Senecam, *de breuitate vitæ, cap. 3.* Firmicum, *lib. 8. c. 6.* quam inanitatem traducit Lucianus *in Nigrino*: vbi περιθέοντας ἐν κύκλῳ τὴν πόλιν vocat. ID.

(p) Meatus scilicet. IDEM.

(q) *Protulerint*, MS. W. *protulerunt*, MS. G. RITTER.

(r) *Claudantur*, MS. W. ID.

* TERTIA sententia, de *Virgine ipsa* rapta. GOTHOFRED.

(s) *Segregare*, MS. G quod glossator intrusit. RITTER.

(t) Scilicet potuerint, quod ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum. GOTHOFRED.

(v) *Denegari*, MS. G. RITTER.

* QVARTA sententia, de *Raptore*, & appellandi iure ei denegando. Quod capitulum memorat & sequitur Iustinianus, *l. vn. Cod. Iust. h. t.* GOTHOFRED.

(x) *Indubitanter*, MS. G. RITTER.

* QVINTA sententia, de *seruorum præmio* Raptus crimen deferentium: ex qua interpolata est *lex 3. C. Iust. pro quibus causis serui pro præmio libertatem accipiunt.* GOTHOFRED.

(y) *Latinitati*, MS. W. & Ed. Sichard. RITTER.

* SEXTA sententia de *Parentibus* Raptum postea dissimulantibus. Quam sequitur Iustinianus *d. l. vn.* GOTHOFR.

* POSTREMA sententia, de *Participibus* & *Ministris* Raptus. ID.

(z) Hanc sententiam verbotenus memorat & sequitur Iustinianus *d. l. vn. h. t. §. vlt. init.* ID.

(aa) Hoc amplius habet Interpres: vix tamen admittam, quod de *amicis* dicit: de familia seu familiaribus facilius admitterem. IDEM.

(bb) Ratio hæc Interpretis recta est. ID.

(cc) Hoc scil. est, quod in *textu* dicitur, *Raptus facinus pactione transmissum.* ID.

(dd) Nimis indistincte Interpres: de seruis enim id verum, non de aliis. ID.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. istud aduersus virginum raptum Edictum est. Constantini M. inquam, qui Christianæ disciplinæ iam dudum operatus, atque ad totam illam veterem & squalentem *legum* antiquarum syluam nouis Rescriptorum & Edictorum securibus truncandam cædendamque conuersus, vindicandæ inter cætera Virginum pudicitiæ, atque adeo & honestati, (cuius non tanta iure veteri hactenus habebatur ratio,) hoc seuerissimo prouidentissimoque Edicto, raptum virginum insectandum sibi duxit: iuris veteris seu Gentilitii mollitie, & quadam veluti conniuentia, emendatis. Vt proinde hæc quoque *lex* de earum Constantini M. constitutionum numero sit, de quibus Nazarius, *panegyr. cap. vlt.* anno prox. 321. *Nouæ leges regendis moribus, & frangendis vitiis constitutæ.* Hac vero nominatim in re prudens & efficax eius Edictum est, quo omnes aditus admittendi raptus, vel euadendi postea, variis rationibus obstructum it. Quod quidem Edictum ego plurimi æstimare soleo: velut νομιμώτατον καὶ πολιτικώτατον.

Ac primo quidem capite, quod ipsam *Puellam* attinet, tollitur discrimen Inuitæ & Volentis: *Consensu* scilicet *virginis* Raptorem excusari non vult; cum iure veteri hactenus excusaretur: *Nihil ei*, inquit Constantinus, *secundum ius vetus prosit puellæ responsio: Secundum ius vetus*, id est, vt iure veteri obtinebat. *Responsio* hic, & mox rursum est, consensus puellæ in ipso Raptu, siue post Raptum. Quod & ipsum in Raptu Sanctimonialium & viduarum a Constantio Constantini huius filio constitutum: *l. 1. inf. tit. prox. Nec vllus*, inquit, *sibi ex posteriore consensu valeat raptæ blandiri: Responsio* pro assensu eius qui ad alterius animum respondet. Excusabatur igitur iure veteri Raptor consensu puellæ: nam & Rapta Raptorem in maritum exposcere poterat, *l. 1. C. Iust. eod. tit.* Quinimo iure antiquissimo *lex* Declamationibus decantata, *Raptori Raptæ ducendæ necessitatem imponebat*; iure etiam diuino, de quo omni vide Forner. 1. *Quotid.* 5. Quod huc proprie non facit, & vetustissimi quoque iuris est, quod & iure Ciuili Romano non obtinuit: imo tantum abest Raptori Raptæ necessitas *eo iure* ducendæ imposita fuerit, vt contra Raptus virginis pœnam publicam meruerit: vnico tantum casu excepto, si videl. virgo in sui Raptum consensisset, & si maritum Raptorem exposceret. Quod hoc Constantini Edicto abrogatur: Puellæ inquam consensus Raptori nequicquam prodest. Quam quidem in rem Constantinus, ad ius vetus abolendum, iuris nihilominus veteris authoritate & prærogatiua, siue ratione a sexus videlicet muliebris leuitate & mobilitate P. 191.

litate vtitur: cui illustrandæ sufficere possunt *lex 1. D. de postulando: lex 2. D. de regulis iuris:* & quæ Scholiastes Harmenopuli notat *lib. 1. tit. de Mulieribus 13.* & P. Faber 3. *semestr. 14.* vbi *p. 200.* hanc *leg.* hac parte explicat. Frustra scilic. eius consensus exploratur, cui innatum leuitatis vitium, cuiusque sexus & consilium mobile est: Ideoque facta parentibus iniuria patrocinium sperare non debet ex puellæ consensu.

Quinimo (quod Secundum caput est, sed Tertia ordine *huius legis* sententia,) Constantinus eo prouehitur, distinctione hac parte iam inter *Inuitam* & *Volentem* inducta; vt virginem in sui Raptum consentientem eodem crimine inuoluat, eademque cum Raptore pœna plecti velit: Inuitam vero raptam, parentum, a quibus abducta est, successione hactenus multari iubeat. Quod quidem etsi acerbitatis plenissimum in speciem, iis tamen rationibus id Constantinus tuetur, quæ eo recidunt, quod puella non omni semper culpa hoc etiam casu caret: Quin & quadantenus in sui Raptum consensisse, etsi inuita raperetur, videatur. Primum quia, si extra domum paternam rapta proponatur, nonnihil sit, quod illi imputari debeat, quæ domo progressa sit; cum ea sese continere potuisset, *ante coniunctionis diem*, id est, antequam a parentibus desponsata in mariti domum deduci necesse haberet, rapiendi sui occasionem ea re præbuerit. Si vero domi inuita rapta proponatur, neque hic omni culpa eam vacare; quandoquidem dum fores franguuntur, dum vis intentatur, POTVERIT vicinorum opem inclamare; potuerit etiam sese tueri variis conatibus dum reluctatur, dum quiduis aliud molitur & intentat quod in puellarum armis est; vt Philo hac in re loquitur *de specialib. legib. pag. 788. edit. Francf. apud Ierem. Schrey 1691.* Ἐνταῦτα μὲν γὰρ βοηθὸς ὐδεὶς ἐςὶ τῇ παιδὶ, πανθ' ὅσα περὶ τῦ διατηρῆσαι τὴν παρθενίαν ἄψαυςον καὶ ἀνεπιβύλευτον λεγύσῃ τὲ καὶ δρώσῃ. *Hic enim nemo poterat succurrere puellæ vociferanti, reluctanti, & nihil non tentanti ad seruandam virginitatem integram.* Non est scil. crimine vacua, nisi quæ fecit omnia quæ POTVIT: nisi quæ non crimen tantum, quod probas adcurare addecet, sed & criminis siue consensus suspicionem omni a se opere segregat & amolitur. Vnde proculdubio ita colligendum, si fecit omnia quæ POTVIT, quæ probam addecent, si domi se continuit, Constantinum huiusmodi virginem pœnæ subiici noluisse: At eam demum, quæ etsi διαῤῥητικῶς in sui raptum non consenserit; quod suum tamen erat, quod POTVERAT, non peregit. *Nullum crimen* scil. *patitur*, seu nulla iniuria afficitur, *qui non prohibet, cum prohibere potest l. 109. D. de R. I.* vbi dixi. Qua ipsa æquitate & ratione dubium nullum est, imo ex huius ipsius Edicti verbis aperte liquet, quiritationem & vociferationem ita demum requiri, si vicini aliqui fuerint: *Vicinorum*, inquit Constantinus, *opem clamoribus quærere.* Quid enim si in agro, in villa, a parentibus relicta, vbi vicini nulli? Frustra quiritatio requiritur, vbi Quiris nullus. Et sane eadem & gemina æquitas vertitur in specie *legis 4. sup. de falsa moneta.* Imo in hoc ipso Raptus crimine ex *lege* diuina *Deuter. XXII. 23.* quam exornat pluribus & eleganter in hanc omnino sententiam Philo de *specialibus legib. pag. 788. seqq. edit. Francf. apud Ierem: Schrey.* eoque exemplo consuluit sibi Susanna, vt ex eius historia patet *vers. 24.* Quod exemplum Ambrosius *libro ad virginem lapsam c. 4.* etiam vrget: vbi quod *huic l.* conuenientissimum est, excusantem se virginem lapsam induens: *Sed dicis nolui hoc malum, sed violentiam passa sum:* ita respondet. *Respondebit tibi fortissima illa Susanna &c. Tu ab vno ineptissimo adulescente, & in media ciuitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia vltro voluisti violari? Quis denique tuas voces audiuit? Quis obluctationes sensit?* Eadem plane ratione, seruis, qui pereuntes dominos, quibus vis intentatur, vel voce salutari, id est, inclamatione iuuare tenentur, impune est, si nulli vicini sint, qui vocem audire possint, *l. 1. §. 28. 29. 35. 36. D. de S. C. Silaniano.* Neque ab hac Constantini ratione etiam abludit, quod IC. scribit in *l. vlt. D. quod metus causa:* Scilicet vt non est verisimile in vrbe aliquem vim passum, cum potuerit ius publicum inuocare, ita non verisimile est in domo vim passam, quæ potuerit vicinos inuocare.

At, inquiet aliquis, ob tantillam suspicionem sæuum minus & atrox videri, virginem paterna multari successione? Huic responderet Constantinus, Senatusconsulti Silaniani ratione: Aliter, nullam domum tutam futuram, aliter tantum facinus e Republ. non amoliendum, nisi periculo sui, sui custodiam quoque præstare virgines cogantur: Vide *leg. 1. in princ. D. de S. C. Silan.*

Multo magis, si quis quærat (quod vulgo quæri & tractari solet) an ob consensum parentum in nuptiis non adhibitum, virgo a patre exheredari possit? Ex Constantini sane mente hoc Edicto id comperiet liquido, exheredatione ne quidem opus esse, quandoquidem iure ipso paterna successione multetur. Frustra de exhæredatione quæritur eius, quæ iure ipso incapax est, & iure redditur.

De ipso matrimonio per raptum quæritur, vtrum diuellatur? Iure veteri nullas fuisse nuptias procliue est respondere, neque tamen ideo solutas, propter publicam vtilitatem, vt scribebat Paulus IC. Sed tamen hoc Christianorum Impp. æuo aliter obseruatum, nempe solutum matrimonium ob defectum consensus paterni ex *legibus Impp.* Quod apertissime testatur Gregorius Nazianzenus *ep. 176. 181. 211.* etsi Episcopis id minime probaretur, diuortiumque adeo seu ἀποςάσιον ob eam causam. Et hæc de secunda Constantini siue asperitate siue cautione, qua virginum raptui occurrendum, castitatique adeo consulendum putauit.

Tertia asperitas, vel potius iusta seueritas est in huius criminis *Pœna*, quam Constantinus diffundit in quinque personas. 1. in ipsummet Raptorem. 2. in *Nutrices* internuncias. 3. in *Virginem*, quæ consensum præbuit, (de quo *supra*) 4. in *Parentes* dolorem suum remittentes. 5. in *Participes* & ministros. Quæ pleraque qualia sint, etsi vel ex ipsa solaque legis lectione satis constare possit, nonnulla tamen delibari non abs re fuerit. Et *primo* quidem de ipso *Raptore*: vbi duo notanda; I. Appellationis ius a Constantino denegari Raptori: quod & ipsum Iustinianus Constitutione sua complexus est, *l. vn. Cod. Iust. eod. tit.* de quo dicendi locus erit plenior *lib. 11. infra tit. 30.* *Secundo* de ipsa *Pœna.* Enim vero quamnam nominatim pœnam Raptori imposuerit Constantinus? hoc Edicto haud satis constat, quandoquidem pœnæ genus non exprimitur: illud enim tantum indicatur, eum *seueriter plectendum*: quanquam deportationis pœna maiorem fuisse, arguit *versiculus, parentibus.* Verum quamnam pœnam intellexerit, vel indixerit Constantinus hoc Edicto; aperire eius filius Constans videtur *l. 2. sequ.* qua hanc ipsam temperat, vbi dicam plenius.

Secundo nunc de *Nutricibus*, quæ internunciæ p. 192.
adhibitæ sunt: & vero plerumque adhiberi redemptas mos est huiusmodi assas, vt tota vetus Scena comprobat: Huc pertinet illud Hieronymi *ad Furiam ep. 10. de viduitate seruanda, pagin. 52. Tom. I. Oper. edit. Francf. apud Christ. Genschium. Caue Nutrices & gerulas, & istiusmodi venenata animalia, quæ de Corio tuo saturari ventrem suum cupiunt. Non*

suadent quod tibi, sed quod sibi prosit, & saepe illud obganniunt.

Solane perpetua maerens carpere iuuenta,
Nec dulces natos, veneris nec praemia noris?

Addatur & Chrysostomi locus, (quem attuli etiam ad *l. 1. sup. de nupt.* qui & ipse huc pertinet,) ἐν Ἐγκωμίῳ εἰς Μάξιμον, καὶ περὶ τῦ ποίας ἄγεσθαι δεῖ γυναῖκας, *in Encomio Maximi, & quales ducendae sint vxores, Tom. VIII. Sauilian.* & *Tom. III. edit. Benedictin. num. 5. pag. 219.* ὁ γὰρ δὴ μακρωπιὺς καλέσας γυναῖκας, καθάπερ οἱ νῦν, ὐδὲ προμνηστρίας, ὐδὲ γραΐδια μυθεύοντα, ἀλλὰ τὸν οἰκέτην τὸν ἑαυτῦ, τύτῳ τὸ πρᾶγμα ἐνεχείρισεν. *non enim adhibuit perductrices mulierculas, vt nunc fit, neque pronubas aut anus garrulas, sed famulo suo permisit hoc negotium.* Poena vero Nutricibus haec imponitur. Scilicet vt liquente plumbo in os infuso puniantur. Quod poenae genus obseruandum est: De quo illud Horatii quoque nonnulli accipiunt, *1 Carm. 35. v. 19.*

- - nec seuerus
Vncus abest, liquidumque plumbum.

Perperam omnino. Eo enim loco *plumbum* pertinet ad vinctionem vncorum ferreorum, de quibus Arnobius quoque *aduers. gentes lib. 6. pag. 203. edit. Lugd. B. 1651. apud Ioan. Maire, in 4. In basibus vnci retinent, & plumbeae vinctiones.* Etsi Acron quoque ita accipiat: *Nam resoluto,* inquit, *plumbo Reipuniri consueuerunt.* Rationem porro huius poenae hanc reddit Interpres: *vt merito,* inquit, *illa pars corporis includatur, de qua hortamenta sceleris ministrata noscuntur.* Quod quidem recte additur respectu subiecti, seu loci, partisque corporis quae plectitur: sed poenae huius semper proportio seu mensura, vt dicitur *leg. prox.* quaerenda est. Mihi haec igitur huiusce poenae ratio videtur; quod Nutrices ferme pretio *redemptae*, redemptique earum discursus essent, vt hic aperte dicitur; & ideo liquentis plumbi ingestionis in os poena in huiusmodi redemptas Nutrices sancita, ad testandam simul vindicandamque earum habendi cupiditatem. Non abludit etiam quod memorat Plinius *lib. 33. c. 3. Regem Mithridatem, non iam Quiritium aliquo* [seu vno forte] *sed vniuerso nomine Romano infami,* [propter auaritiam] *Aquilio Duci capto, aurum in os infudisse:* & subdit, *haec parit habendi cupido.* Vbi memorat quoque historiam seu factum Septimuleii C. Gracchi familiaris, qui auro repensum caput eius excisum ad Opimium tulit, *plumboque in os addito*, parricidio suo etiam Rempublicam circumscribit. Quam historiam memorat quoque Cicero *2. de Oratore cap. 25.* Plutarchus *in V. Gracchi pagina 842. edit. Wechel.* Valer. Maximus *lib. 9. cap. 4. §. 3.* Hebraei certe, vbi poena ignis in *lege* est, plumbum feruens in os fundere soliti: de quo Grotius *ad Leuiticum 10.*

Tertio, *Puellam* ipsam, quae in sui raptum consentit, eadem, qua ipsemet Raptor, poena puniri iubet Imp. imo & inuitam, si tum vociferando, tum reluctando nihil non tentauit ad seruandam virginitatem integram, vt loquitur Philo *l. supr. cit.* etiam parentum successione multari: de quo iam dixi ad *secundum caput huius leg.*

Quarto sequuntur *Parentes:* Et hos quoque si patientiam praebuerint, dolorem suum comprimentes, deportationis poena plecti iubet Constantinus M. Plectibilis scil. haec parentum patientia dolorisque compressio visa: vtpote *quorum maxime vindicta intererat:* vt dicitur hic. Iniuriam suam quoque hoc casu remittere non licet, vbi disciplina publica vindicanda venit. Et hoc quidem casu, vt omnis ita impunitatis spes Raptori praecideretur, viaque omnis obstrueretur ad hoc crimen admittendum. Neque igitur Raptae consensu, neque parentum ratihabitione, patientia, silentio, hoc crimen elui voluit Constantinus M. Raptumue sustineri hoc *patrocinio*, Raptorem denique sibi ea re blandiri.

Postremo capite, *Participes & ministros* (de quibus alibi) persequitur, distinctione facta (quam Interpres hic insuper habet) nempe liberae conditionis, eadem deportationis poena subiugari vult Constantinus: seruilis vero conditionis, ignis supplicio affici: de qua seruili ignis poena iam semel. Et haec quidem, quae Ampliatio notanda est, nullo sexus discrimine. Quod & ipsum singulare est, vt ita Raptori omne patrocinium denegetur, omnis praetextus adimatur, cum alias sexus quandoque ratio habeatur etiam in criminibus.

Et hactenus quidem seculares poenae, quae *hac l.* proponuntur: quibus similes sunt & sequentes *leges*, in Raptorem virginis. Quaenam vero Ecclesiasticae poenae exercitae fuerint in Raptorem, vt & participes & ministros eius, τὺς συνεπελθόντας αὐτῷ: imo & in κώμην ipsam, seu villae incolas, τὴν ὑποδεξαμένην τὴν ἁρπαγεῖσαν καὶ φυλάξασαν ἤτοι ὑπερμαχήσασαν: vid. apud Basilium *ep. in id expressa, ὑπὲρ ἁρπαγῆς, 244. siu. 270. edit. Benedictin.*

Quarta & postrema Constantini cautio & euermaticum ad crimen Raptus inhibendum puniendumue, est *Delatorum*, per praemia euocatio, & quidem seruorum, & libertorum praemio libertatis, de quo more iam saepius dictum. Caeterum ideo serui euocantur, at non etiam liberi, quandoquidem de facto domestico agitur, cuius indicium & delatura seruos exposcit. Praemium tamen libertatis ita decernitur: vt seruo *Latina* hactenus libertas promittatur: Latino vero, ciuitas Romana. Ad cuius rei intellectum vide, quae iam notauimus ad *l. 1. supr. de haeredit. petit.* & ad Constantini pariter *legem 2. supr. de falsa moneta.* Scilicet iam notum est, *Iustam* libertatem fuisse Ciuitatem Romanam: imperfectam vero, Latinorum conditionem: de quo ad *d. leg. 1.* Sic vt pro praemio Latinis, ciuitas daretur: Quandoque a patronis, iteratione, de quo Vlpianus *fragm. tit. 3. §. 4.* & Plinius *lib. 7. ep. 16.* melioreque auspicio vt Plautus *in Men.* ait: Quandoque publico beneficio, vt in specie *huius l.* aliisque relatis ab Vlpiano *in fragm.* Et vicissim pro poena Ciues Romani Libertini in Latinorum gradum degradati, vt in sp. *d. l. 1. sup. de petit. haered.* Verum, quoniam sublata haec postea differentia, ideo Tribonianus hunc *huius leg.* locum seu *versiculum* interpolatum, consignauit *l. 3. C. Inst. pro quibus causis serui pro praemio:* & *d. leg. 1. sup. de haered. petit.* a suo Codice abesse voluit.

P. 193. CONSTANTIS *Lex aduersus raptum Virginum. Eiusque Criminis poena.*

II. (a) Imp. CONSTANTIVS (b) ad Tatianum. (c)

QVAMVIS Legis + prioris extet auctoritas, qua Inclytus Pater Noster (d) *Contra Raptores* (e) *atrocissime* (f) iusserat *vindicari,* tamen Nos tantummodo capitalem (g)

poenam

pœnam constituimus; videlicet, *Ne sub specie atrocioris iudicii aliqua in vlciscendo crimine dilatio nasceretur.* In audaciam (h) vero seruilem dispari supplicio mensura legum impendenda est, vt perurendi sublciantur (i) ignibus, nisi a tanto facinore saltem pœnarum aceruitate k) reuocentur. Dat. II. (l) Id. Nouemb. Limenio & Catullino Coss. [349.]

NOTÆ.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* vna cum cæteris *legibus* huius Tituli. GOTHOFRED.

(b) Tribuenda hæc *lex* videtur *Constanti*, Galliarnm videlicet Imperatori, pariter vt *lex* 3. *sup. de remilit.* quæ Tatiano pariter inscribitur. Proinde inscriptio ita restituenda fuerit: *Constantius & Constans* AA. *ID.*

(c) Forte *Titianum*, pariter vt *d. l.* 3. PP. Galliarum scilicet: vt ad *d. l.* 3. ostendi. *ID.*

(t) Intelligit *legem* 1. *sup. ID.*

(d) Intelligit Constantinum Patrem. *ID.*

(e) Virginum scil. *ID.*

(f) Neque tamen designatur *ea lege* pœna. *ID.*

(g) *Capitalis* pœna hic, pro pœna capitis, & gladii; alioquin latius *capitalis pœnæ* appellatio extenditur: vide *leg.* 28. *D. de pœnis. ID.*

(h) *Audaciæ* voce hac in re pariter vtitur *dicta lex* 1. *sup.* & *lex vlt. infr. ID.*

(i) *Subiiciantur. ID.*

(k) *Acerbitate. ID.*

(l) Alii III. *ID.*

COMMENTARIVS.

POENA a Constantino M. *lege superiore* Raptoribus imposita fuerat atrocissima, & quidem indefinite. Eam *legem* Constans hac sua temperat: Capitis pœna, id est gladii, liberis indicta: quam etiam sequitur. Iustinianus *l. vn. Cod. Iust. eod. tit.* Exercita vero ea hoc æuo: testis Amm. Marcellinus *lib.* 15. *cap.* 7. vbi exemplum proponit eius, qui virgini pudorem eripuisset capitali supplicio addicti a Patruino consulari Piceni. Et idem tamen *lib.* 16. *cap.* 5. de Iuliano, qui *aditus a parentibus virginis raptæ, eum qui violarat, conuictum relegari decreuit.* De quo conquesti parentes: subiicit Marcellinus. *Hisque indigna pati querentibus, quod non sit morte multatus.* Quibus respondit Iulianus, *Hactenus incusent iura Clementiam, sed Imperatorem mitissimi animi legibus præstare cæteris decet.* Seruis vero ignis pœna, *hac l.* imponitur, seruata in hoc *superiore* Constantini *lege*: Quænam autem pœna a Constantino Raptoribus indicta fuerit, neque ex Constantini ipsiusmet *lege* colligi potest, neque hæc satis exprimit: Capitali sane id est gladii pœna maiorem impositam, & atrocissime in hos Constantinum vindicare iussisse filiis, *hac lege* testatur: vel de ignis igitur, vel de bestiarum supplicio senserit Constantinus. Hæc enim atrocissima supplicia fuere, vel denique de Ludo gladiatorio. Et alioquin Constantinus M. si quis alius Principum, in bestiarum supplicio facilis fuit, vt ostendi ad *l. vn. sup. ad legem Fabiam.* Qua *lege* huiuscemodi pœnæ in gemino raptus crimine imponuntur, id est in filiorum alienorum plagio: quod & ipsum raptus crimen est. Ego putem ignis supplicium indistincte impositum, nullo discrimine. Mitior enim iam Constans ignis supplicium non nisi seruis imponit, *dispari* iam *supplicio*, vt *hac l.* dicitur: Quam quidem eandem pœnam Constantinus participibus & ministris seruilis conditionis imposuerat *extremo legis superioris.*

Placet interim valde Constantis in mitiganda Raptorum pœna ratio. *Ne sub specie atrocioris iudicii aliqua in vlciscendo crimine dilatio nascatur.* Vt remissæ scil. nimiæ pœnæ reis ipsis habenas laxant, ita retro atroces nimium in vlciscendo remissiores Iudices faciunt. Et tamen Constans sibi ipsi propemodum contrarius & inconstans videatur, cum de seruis mox agit: *A tanto*, inquit, *facinore saltem pœnarum acerbitate reuocentur.* Atque id est, quod eleganter hic dicit Imperator; *In audaciam seruilem dispari supplicio legum mensuram impendendam esse.*

Porro vt hæc lex Constantis est aduersus Raptores, & quidem, (argumento *Rubricæ huius tituli*, & legis, ad quam hæc sese refert.) aduersus Raptores *virginum*; ita & Constantii aliæ fuerunt, quæ tamen *hoc titulo* non occurrunt. Sane extat Libanii locus in *βασιλικῷ ad Constantium & Constantem* quem hoc ipso anno 349. scripsisse puto, *pag.* 146. 147. *edit. Morell.* de munita coniugii sanctitate a Constantio aduersus Raptores Coniugum alienarum: & quidem militares, οἱ τὰς πολεμίας ἀνείργοντες. Eiusdem alioquin Constantii aduersus Raptores viduarum & virginum sanctimonialium est *lex* 1. *infr. tit. prox.* Ex quibus omnibus apparet, quanto odio Constantius quoque omnis generis Raptores, virginum, coniugum, viduarum, sanctimonialium, prosequutus sit; & pudicitiam castitatemque stabilitam voluerit.

---

p.194

GRATIANI *Constitutio, de Quinquennii præscriptione in crimine Raptus.*

III. (a) Imppp. Valens, (b) GRATIANVS, & Valentinianus AAA. ad Maximum (c) P. P.

QVI coniugium raptus scelere contractum voluerit accusare, siue propriæ familiæ dede-

dedecus (d) eum mouerit, (e) seu commune odium delictorum, inter ipsa statim exordia insignem recenti flagitio vexet (f) audaciam. (g) Sed si quo casu (h) quis vel accusationem differat vel reatum, & opprimi e vestigio atrociter commissa nequiuerint, ad persecutionem criminis ex die sceleris admissi quinquennii tribuimus facultatem: Quo, (i) sine metu interpellationis, & complemento accusationis exacto, (k) nulli deinceps copia patebit arguendi, nec de coniugio aut subole (l) disputandi. Dat. XVIII. Kalend. Decembr. Gratiano A. III. & Equitio coss. [374.]

INTERPRETATIO. *Si accusationem raptus, vel per metum, vel per voluntatem per quinquennium quisquam distulerit, a die raptus expleto quinquennio, accusandi vltra non habeat potestatem, sed post quinquennium nec de tali coniunctione rapteribus aliquid opponatur, & filii omnes legitimi habeantur.*

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* a *Cod. Iust.* abest: huius enim & cæterarum vice fungitur *lex vn. Cod. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *γε. Valentinianus, Valens, & Gratianus:* nisi forte ad sequentem Consulatum hæc *lex* potius referenda est. *ID.*

(c) *γε. Maximinum* vt iam ostendi ad *leg. vlt. sup. de falso.* Hic scil. & ferox ille Maximinus, de quo tam multa habet Ammianus Marcellinus *initio lib.* 28. & de quo pleraque dixi *ad l.* 1. 2. *supr. ne præter crim. Maiest.* v. & *Prosopogr.* *ID.*

(d) *Decus*, Sichard. *RITTER.*

(e) *Commouerit*, MS. G. *ID.*

(f) Ita Iuuenalis *Satyra* 2. v. 43.

Quod si vexantur leges ac iura: citari
Ante omnes debet Scantinia.

vexare, est negotium exhibere: vide Glossar. *Theod.* & Turneb. 15. *Adu.* 15. GOTHOFR.

(g) *Audaciæ* vox hac in re propria: vt ostendi ad *leges superiores.* *ID.*

(h) *Vel per metum, vel per voluntatem.* Interpres. *ID.*

(i) *Quod sine*, MSS. W. & G. *RITTER.*

(k) Præterlapso, finito. GOTHOFR.

(l) *Et filii omnes legitimi habeantur.* Interpres. *ID.* *De Coniugio aut subolis*, MS. W. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

PRÆSCRIPTIONE quinquennii a die sceleris computandi accusationem coniugis per raptum ductæ tolli, iubet Gratianus *h. l.* A. D. 374. vide & Papianum *resp. tit.* 9. Finge; Titius virginem rapuit: coniugium cum ea contraxit: quinquennium vel forte amplius matrimonium stetit, quinimo & soboles forte ex eo matrimonio lata est; Raptus accusatio amplius intentari non potest. Tria alioquin criminum genera sunt in quibus præscriptioni varie locus est. Vicennali scilicet præscriptione crimina ferme omnia tolluntur, *l. 12. Cod. Iust. ad legem Corneliam de falsis.* Et hoc primum criminum genus est: Duo alia criminum genera sunt quæ hac Vicennali præscriptione non tolluntur, qua de causa *dictæ legi 12.* addita est particula *fere.* Quæ quidem duobus modis accipienda est.

Primo quod quædam crimina sint, quæ ne vicennali quidem præscriptione tolluntur, atque adeo perpetua sunt, vt est crimen aperti testamenti aduersus Senatusconsultum Silanianum ab eo, qui parricidii pœna teneri potest, *l. 13. in fin. D. de SC. Silaniano:* vt est Apostasiæ crimen, *ex l. vlt. inf. de Apostatis:* seu *l. 4. Cod. Iust. de Apostatis*, vt est crimen suppositi partus, quam in rem est expressa *lex 19. §. 1. D. ad leg. Cornel. de falsis.* Græcorum etiam, *lib. 60. Basil. tit. 41. cap. 19.* Et Glossarii Nomici: Denique, vt est tandem parricidii crimen, *l. vlt. D. de leg. Pompeia de Parricidis;* & crimen Maiestatis: Quicquid de parricidii & suppositi partus crimine contra sentiat Cuiacius, quem *Obseruation. 4. cap. 14.* refutabit.

Secundo particula illa, *fere*, indicatur tertium criminum genus esse, quod videlicet citeriori quam vicennii præscriptione extinguitur, puta quinquennali: cuius generis sunt crimina quæ descendunt ex lege *Iulia* peculatus, *l. 7. D. ad L. Iuliam peculatus:* ex senatusconsulto Silaniano *d. l. 13. D. de Senatusconsulto Silan.* ex lege *Iulia* de adulteriis, *l. 29. §. 5. D. ad L. Iuliam de adulteriis:* & *l. 31. Cod. Iust. eod. tit.* de quo vide Brisson. *ad caput* 21. *ad Leg. Iul. de adulteriis.* His adiungitur raptus crimen *h. l.* Qua parte derogatur hac constitutione legi *Iuliæ* de vi: *l. 5. §. vlt. D. ad l. Iul. de vi publ.* Ex quibus in *Cod. Iust.* relatis magis est, vt Raptus persecutio 20. annis tantum excludatur, iuxta *d. l. 12. Cod. Iust. ad leg. Cornel. de falsis.* Quanquam legibus Visigothorum, tricennali præscriptione: *V. Visigoth. lib. 3. tit. 3. leg. 7.* Ita & olim Apostasiæ crimen *l. 3. inf. de Apostatis.*

Porro quinquennalis huius præscriptionis, qua raptus crimen tollitur, *Ratio* his verbis extremo *legis* innuitur; *Nulli deinceps copia patebit arguendi, nec de coniugio aut subole disputandi:* hæc inquam ratio indicatur, ne alioquin matrimonia bene concordantia, liberisque forte subnixa turbentur, vt loquitur *lex 1. §. vlt. D. de liberis exhibendis.* Et Paulus *5. sent. tit. 6. §. 15.* Quibus adde & Afranium *in diuortio* apud Nonium *cap. 4. in voce spurcum num. 425.* Denique ne liberorum status semper titubet. In genere alioquin huius in criminalibus quinquennalis præscriptionis rationem eleganter hanc reddit *lex 3. inf. de Apostatis.* *Ne vel mortuos perpetuo vexet criminationis iniuria, vel hereditariæ quæstiones temporum varietate longorum* 195. *prorsus*

prorsus emortuæ in rediuiuos semper exagitentur conflictus.

Primis interim huius *legis* verbis publicum hoc crimen esse innuitur, neque tantum agnatis vel cognatis patere: *siue propriæ*, inquit, *familiæ dedecus eum mouerit, seu commune odium delictorum.* Recens etiam flagitium vocat non eo sensu quo flagrans delictum, sed eo quo culpam calentem vocauit Sidonius *lib. 5. epist. 19.* quo loco pariter de Raptu agit. Porro quod notandum superest, proculdubio pertinet hæc *lex* ad Maximini illa quæ memorat Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1.* de Anepsia, quæ vim se perpessam asseuerabat in domo Aginatii.

DE RAPTV, (a) VEL MATRIMONIO (b) SANCTIMONIALIVM VIRGINVM, VEL VIDVARVM. (c)

TITVLVS XXV.

Hic, & superior *titulus*, vt iam monui, in vnicum, *Codice Iustinianeo*, coaluerunt; qui est XIII. Lib. IX. *De Raptu Virginum vel sanctimonialium.* Pertinet autem hic *titulus* integer ad Historiam *Ecclesiasticam.* *GOTHOFRED.* MS. G. in Rubric. legit: *vel de matrimonio*, & MS. W. cum Edit. Sichard. *Virginum & viduarum.* *RITTER.*

(a) *l. 1. 2. 3. h. t.*

(b) *l. 2. h. t.*

(c) *l. 1. h. t.* Cœterum hæc vox ad Viduas non pertinet.

PARATITLON.

1. SANCTIMONIALES *Rubr.* & *Nouella* Maioriani 8. *de sanctimonialibus*, sunt Virgines sacrosanctæ, *l. 1. h. t.* Sacratæ, *l. 2. h. t.* dicatæ Deo Virgines, *l. 3. h. t.* vt & *l. 12. de Scænicis.* Absolute, Virgines: *l. 22. de Episcopis*, in virginitate perpetua viuentes, *l. 4. inf. de censu:* quæ se sacræ legis obsequio perpetuo dedicarunt, *l. 6. inf. de censu:* vnde & Deo dicata virginitas, *d. Nouell. 8.* Quæ a seculari permixtione translatæ, Christianæ fidei præcepta seruant continuata virginitate, *d. Nouell. 8.* II. Habitu porro peculiari eæ publice vsæ, vt docet *d. l. 12. de Scænicis:* quem *ea lege* vsurpare prohibentur mimæ, & quæ ludibrio corporis sui quæstum faciunt. III. Has vero virgines rapere, *l. 1. 2. 3. h. t.* aut attentare matrimonii causa, *d. l. 2.* aut inuitare *d. l. 2. h. t.* Christianorum Imp. constitutionibus vetitum magna seueritate a Constantio, *leg. 1. h. t.* ac nominatim sub pœna capitali a Iouiano *d. l. 2. h. t.* deportationis & bonorum proscriptionis ab Honorio, *l. 3 h. t.* Accusatione etiam omnibus permissa, *d. l. 3. h. t.* & *d. Nouell. 8.* Quarto, *Viduam* rapientis pœna eadem est, *d. l. 1. h. t.* Plura v. *in Paratitlo, de Episcopis.*

VIRGINIS *sanctimonialis & Viduæ raptus, æquantur: & posterior raptæ consensus crimen non eluit.*

I. (a) Idem CONSTANTIVS (b) A. ad Orfitum. (c)

EADEM vtrumque (d) raptorem seueritas feriat: Nec sit vlla discretio inter eum qui pudorem (e) Virginum Sacrosanctarum, & castimoniam Viduæ, labefactare scelerosi (f) raptus aceruitate (g) detegitur. Nec vllus sibi ex posteriore (h) consensu valeat raptæ blandiri. (i) Dat. XI. Kal. Septemb. Constantio VII. & Constante C. coss. [354.]

INTERPRETATIO. (k) *Quicunque vel sacratam Deo virginem, vel viduam fortasse rapuerit, si (l) postea hiis de coniunctione conuenerit, pariter puniantur.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* & Annalibus suis eam Baronius *suo loco* non inseruit: Meminit eius, nec plene tamen, A. D. 363. n. 129. GOTHOFRED.

(b) Constantino M. perperam hæc *lex* tribuitur a nonnullis. *ID.*

p.196 (c) P. V. Romæ: vide *l. 7. supra de Pretoribus.* Et Ammianum Marcellinum hoc ipso anno *lib. 14. cap. 6.* & Authorem *Notitiæ Præfectorum vrbi. ID.*

(d) Tam viduæ, quam virginis Sacrosanctæ. *ID.*

(e) Κυρολογίαν obserua: *pudor* Virginis: *castimonia* viduæ. Vide Nonium *in voce Castitas cap. 3. num. 45. ID.*

(f) *Scelerosa*, MS. W. RITTER.

(g) Acerbitate. Vid. *leg. 2. supr. de Raptu virgin.* GOTHOFR.

(h) Quid si concurrat consensus? mox dicam. *ID.*

(i) Quinimo *pariter puniantur.* Anianus. *IDEM.*

(k) Interpretatio hæc, hinc translata ex *lege Romana*, inserta *Canoni 20. Concilii Turonensis II. pag. 362. Tom. III. Concilior. edit. Harduin.* quod habitum sub Chariberto R. A. 567. nisi quod pro *pariter puniantur*, habetur ibi, *Capitis sententia feriantur. ID.*

(l) Dicere debuit Anianus, *etsi. IDEM.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII hæc Constitutio est, de raptu *Viduarum.* De cuius odio aduersus omnis generis Raptores dixi iam ad *l. 2. sup tit. prox.* VIDVÆ sanctæ (scilicet) raptum pari pœna affici iubet Constantius *h. l.* A. D. 354. qua raptum Virginis Sanctimonialis: Nempe quia paris est continentiæ, pudor intemeratus, & castimonia viduæ: Et, vt Hieronymus censebat, *ep. 16.* de Marcella vidua agens *pag. 76. Tom. I. Oper. edit. Francf. apud Christ. Gensch. Non facienda vlla inter sanctas fœminas differentia.* Sic & Ambrosius eas exæquare videtur *initio libri de viduis. Neque enim inhonoras eas* [viduas] *debuimus præuenire, & a virginum præconio separare, quas Apostolica sententia cum virginibus copulauit: iuxta quod scriptum est: Et mulier innupta & virgo cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu. Quodammodo enim magisterium virginitatis viduarum valescit exemplis,* &c. *Et propemodum non inferioris virtutis est ab eo abstinere coniugio quod aliquando delectauerit, quam coniugii oblectamenta nescire* &c. Ad eundem plane modum Maiorianus, *Nouella de Sanctimonialibus & viduis 8. Illis autem, quæ spontaneo, laudabilique proposito sanctimoniæ obseruantiam virginitatis amore susceperint, in tantum fauemus, vt si forte profana cupiditas improborum deuotam Deo mentem per crimen Raptus violare tentauerit, non solum diualium Constitutorum, qui id admiserit subiaceat vltioni, verum etiam cuiuslibet accusationi reddatur obnoxius: ita vt qui pollutum tanto scelere hominem rebus probatis post hæc constituta pertulerit, addicti censu facultatibusque potiatur. Quod nos vsque adeo a religiosis feminis iubemus arceri, vt etiam siquis simile aliquid in quamcunque tentauerit, pari se nouerit supplicio esse feriendum.* Et hæc de prima *huius l.* sententia.

Ampliationem quandam addit Constantius *hac l.* Nempe addit, Raptorem non excusari posteriore consensu raptæ, de quo iam dictum *ad l. 1. superioris tituli.* Quinimo addit Interpres, vtrumque puniri, quod & ipsum *d. l. 1.* continetur. Nempe præcidendam hanc spem credidit Constantius, ne quis de huiusmodi raptu cogitaret, quia facile & ferme inuitæ nuptiæ in volentes postea transeunt. E contra de *posteriori consensu* ideo hic nominatim tantum agitur (quia vt ex hac voce tuto colligere est) si viduæ consensus concurrat seu accedat, Raptus non est: vt & si virginis Sanctimonialis consensus accedat: Ex Constantii proculdubio mente, non rapitur, quæ vltro transit ad aliud vitæ propositum & institutum, & nuptias virumque sibi delegit. Qua parte alia ratio est virginis, sub custodia parentum constitutæ, cuius vtique consensus etsi accedat, Raptorem necquicquam excusat, *l. 1. sup. tit. prox.* Et alia ratio viduæ Sanctimonialisque. Nam nondum hac tempestate ἐπάγγελμα & ὁμολογία seu sponsio sanctimonialium tantæ religionis erat, vt contrahi postea matrimonium vetaret; quod ex *can. 19. Ancyrano pag. 277. 278. Tom. I. Concil. edit. Harduin.* & Epiphanio discere est *hæresi 60. n. 7.* (quod plerumque tamen fiebat) & *Can. 16. Concilii Chalced. pag. 607. 608. Tom. II. Concil. edit. citat.* Idque recte notat Petauius, *in Epiphanium, p. 343. edit. Coloniens. apud Ierem. Schrey.* de quo plenius *ad l. 2. inf.* Sed & Maiorianus Imp. expresse constituit, *Nouella de Sanctimonialib. 8. Neque enim sacrilega iudicanda est, cum Christianæ religionis instituta atque doctrina melius esse censuerit, virgines nubere, quam impatientia ardore naturali professæ pudicitiæ non seruare virtutem.* Quanquam Maiorianus de iis virginibus ibi speciatim agit, quæ non spontaneo proposito, verum a parentibus velatæ fuerant ante quadragesimum ætatis annum.

Porro obseruandum est, ex octo constitutionibus, quæ hoc *Codice Theodosiano* occurrunt de Sanctimonialibus virginibus, siue de viduis (quas coniunctio omnes in *Paratitlon de Episcopis, Eccles. & Clericis, infr.*) hanc primam omnium & antiquissimam esse: & ad vrbem Romam eiusque Præfecturam pertinere. Et sane, vt maxime Iustinus *Apol. 1. pag. 22. edit. Londinens. Styan. Thirlbii.* testetur, iam multas ἑξηκοντούτας καὶ ἑβδομηκοντούτας ἀφθόρους mansisse: vtcunque Ancyranum Concilium *c. 19.* (quod habitum A. D. 314.) agat de his qui virginitatem præ se ferrent, & promitterent παρθενίαν ἐπαγγελλομένοις; vtcunque in Ægypto & Africa iam diu Sanctimoniales virgines hæsorent, vt ex Tertulliano, Origene, & Cypriano liquet; Etsi sub Constantino M. iam virgines sanctimoniales fuerint, quas Imperator ille in pretio habuit: teste Athanasio *Apol. ad Imp. Constantium p. 698. edit. Lipsf. Weidman.* attamen, quindecim abhinc tantum ferme annis (vix vltra) hæ sanctæ Fæminæ, saltem Nobiles, post Constantinum M. primum *Romæ* inualuerunt: exemplo videlicet Alexandriæ (vbi maxime virgines sacratas docet Ambrosius, *lib. 3. de virginibus, p. 484. T. IV. Op. ed. Paris. Felicis Card. de Mont. Alto.*) primum allato per Athanasium & Petrum, initio facto a Marcella vidua, quod diserte docet Hieronymus *Ep. 16. ad Principiam, de Marcellæ viduæ epitaphio. Nulla eo tempore Nobilium fœminarum nouerat Roma propositum monachorum, nec audebat propter rei nouitatem, ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc* [Marcella] *ab Alexandrinis sacerdotibus Papaque Athanasio, postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant,* vitam

vitam beati Antonii adhuc tunc viuentis monasterium-que in Thebaide Pachomii & Virginum ac Viduarum didicit disciplinam: nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat. Huius nuptias Cerealis (qui sane P. V. fuit anno superiore 353. & fine anni 352. vt docet *Notitia Praefectorum Vrbis*, & *l. 5. inf. de paganis: l. 2. inf. de indulg. crim. l. 9. inf. quorum appellationes*, & Coss. A. 358.) *ambiuit*. Vt forte non adeo inanis coniectura sit, Cerealem omnem lapidem mouisse, quo hac Marcella vidua potiri posset: Quae caussa forte fuerit legis huiusce ferendae: Quod non temere affirmo. Sane huic coniecturae blandiatur tum inscriptio *huius l.* inscribitur enim ea, *Orfito* (Praefecto vrbis scil.) tum haec ratio, quod in specie *huius legis*, de *viduae raptu* potissimum quaesitum fuerit, vt verba eius apertissime indicant, virginis enim raptui exaequatur raptus viduae. Caeteroquin harum virginum in Oriente Christiano ritu cultui diuino sacratarum in Constantii rebus quinquennio post meminit quoque Ammianus Marcellinus *extremo libr. 18.*

Porro & haec *lex* ostendit, quo in honore Con-P. 197 stantius Imp. sacrosanctas virgines habuerit. Quod etiam diserte, biennio post hanc *legem*, A. D. 355. Athanasius in *Apolog. sua prima ad Constantium* testatur *pag. 698. Tom. I. Oper. edit. Lips. siu. Colon. apud Weidm.* ταύτας καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ὁ τῆς μακαρίας μνήμης ὁ εὐσεβέστατος σου πατὴρ Κωνσταντῖνος ὁ Αὔγουστος ἐτίμα, ταύτας καὶ ἡ σὴ εὐσέβεια γράφουσα πολλάκις τιμίας καὶ ἁγίας ὠνόμασεν: ait, Constantinum Constantii patrem eas in pretio habuisse, & Constantium, virgines *sacrosanctas* saepe (Rescriptis videl. & constitutionib. suis) vocasse: Quod sane *hac* quoque *lege* fit.

In genere tandem Virginum Sacrarum raptum quonam odio persecuta sit haec aetas, docent *tres huius tituli* constitutiones, & trium quidem Imppp. Constantii *h. l.* Iouiani *l. prox. 2.* Honorii *l. 3.* Testantur & variae de eo Patrum querelae. In his Ambrosius *lib. ad virginem lapsam:* Et Gregorii Nazianzeni *ep. 130. ad Adelphium*, qua eum eo nomine acriter reprehendit: πολλῷ δὲ δεινότερον τὸ καὶ γυναῖκας παρθένους, ἃς καὶ οἱ σοὶ γονεῖς, καὶ αὐτὸς, ὡς ἡμᾶς ἔπειθες, καθιέρωσας τῷ θεῷ, ταύτας ἱεροσυλεῖν καὶ ἁρπάζειν, καὶ τὰς μὲν, ἔχειν ἤδη. τὰς δὲ πλοεῖν ὡς τὰ αὐτὰ πεισομένας. *At longe grauius & acerbius virgines & foeminas, quas, & tui parentes, tu etiam, vt nobis fidem fecisti, Dei cultui consecrasti, sacrilega manu rapere, atque alias quidem iam habere, aliis autem, tanquam idem perpessuris, terrorem iniicere.*

Iouiani *Imp. Lex aduersus raptum Sanctimonialium.*

II. (a) Imp. Iouianus A. ad Secundum P.P.

Si quis, non dicam rapere, sed vel (b) adtemptare matrimonii iungendi causa, Sacratas (c) Virgines, vel inuitas, (d) ausus fuerit, capitali sententia (e) ferietur. (f) Dat. (g) XI. (h) Kal. Mar. Antiochiae (i) Iouiano (k) A. & Varroniano Coss. [364.]

Haec lex expositione non indiget.

NOTAE.

(a) Lex 5. *Cod. Iust. de Episcop. Ecclesiis, & Clericis*: memorat hanc *legem*, simul & eius ferendae causam refert Sozomenus, & ex eo Nicephorus, vt mox ostendam. Memorat & Papianus, *Resp. t. 9.* vbi ei tribuit, quae ea non continentur: inserta ea quoque, ex lege Romana, *Canoni 20. Concilii Turonensis II.* Sub Chariberto R. A. 567. *pag. 362. Tom. III. Concil. Edit. Harduin.* Ita: *Si quis non dicam rapere, sed attentare matrimonii iungendi causa, sacram Virginem ausus fuerit, capitis sententia feriatur*: Tandem Canonizata ea est, eo tamen modo, quo in *Cod. Iustinianeo* continetur, in *Decreto, de Poenitentia, Distinct. 1. can. 6.* Inseruit eam quoque Baronius *Annalibus suis*, sed minus recte A. D. 363. *n. 128. 129.* GOTHOFRED. Papianum, quem Noster vituperat, defendit CL. SCHVLTINGIVS *in not. ad loc. cit.* RITTER.

(b) *Adtentare tantum*, Cod. Iust. GOTHOFR. Sichard. *Sed vel attrectare*, in MS. G. abest. *vel.* RITTER.

(c) *Sacratissimas*, Cod. Iust. Istud nostrum, proprium magis. Sacratae παρθένοι αἱ ἀναγεγραμμέναι ἐν τῷ τῶν ἐκκλησιῶν κανόνι. GOTHOFR.

(d) Verba haec, de quibus mox, a *Cod. Iust.* absunt. *ID.* Sichard. *virgines volentes vel inuitas.* CL VALESIVS *in not. ad Sozom. in lib. 6. c. 3.* legit: *Sacratas virgines vel viduas.* Nam, inquit ille, inter sanctimoniales tam viduae, quam virgines recensentur, vt titulus ipse declarat. RITTER.

(e) *Poena* Cod. Iust. GOTHOFRED.

(f) *Feriatur*, Cod. Iust. MS. G. & Sichard. RITTER.

(g) Nisi *data*, pro *reddita* accipiamus; dies emendandus hic fuerit, quandoquidem iam superioris anni fine Iouianus Antiochia recesserat, ipsisque Kal. Ianuariis huius anni, Ancyrae Consulatum iniit: & *die XIII. Kal. Martii* Iouianus iam obierat, vt docet Socrates *lib. 3. cap. vlt. in fin. & lib. 4. c. 1.* Vide quoque Ammianum Marcellinum *lib. 26. in princ.* & Chron. *Alexandr. pag. 699. edit. Raderi*, & Consularia *Idacio* subdita. Pancirolus 2. *var.* 167. substituit, *IV. Non Februar.* GOTHOFRED.

(h) *XV*, MS. G. RITTER.

(i) *Antiochiae* hoc tempore non constitit Iouianus. Vid. *Chronicon.* GOTHOFR. CL. REINESIVS legit *Ancyrae*, quae emendatio omnino sana est. Vide eum Epistol. 27. *ad Rupertum.* RITTER.

(k) In Cod. Iust. perperam omnino, *Gratiano A. III.* (imo IV.) & *Merobaude COSS.* Emendanda igitur haec in *Cod. Iust.* subscriptio, non etiam in inscriptione *legis*, Imperatoris nomen; Et sic haesitationi Leonclauii, *in Paratitl. p. 188.* satisfit. GOTHOFRED.

COMMENTARIVS.

Iouiani Imp. haec constitutio est, aduersus raptores Sanctimonialium: qua non cum modo qui Sanctimonialem rapere, sed etiam eum qui vel attentare eam tantum matrimonii iungendi causa

causa ausus fuerit, vel *inuitare* (nam ita reponat quis) capitali pœna puniri iubet.

Quam quidem constitutionem siue causam designat Sozomenus, *lib. 6. cap. 3.* (ex quo habet & Nicephorus *lib. 10. cap. 39.* & Tripartita *lib. 7. c. 4.*) Προσεφώνησε δὲ καὶ Σεκούνδῳ τῷ τότε τὴν ὕπαρχον ἐξουσίαν διέποντι, γενικὴν νομοθεσίαν, εἰς κεφαλὴν τιμωρεῖσθαι παρακελευομένην τὴν ἱερὰν παρθένον μνᾶσθαι πρὸς γάμον πειρώμενον, ἢ καὶ ἀκολάστως μόνον προσβλέποντα, μήτι γε διαρπάζειν ἐπιχειροῦντα. ἔθετο δὲ τοῦτον τὸν νόμον, καθότι μοχθηροί τινες ἄνδρες ἐπὶ τῆς ἡγεμονίας Ἰουλιανοῦ, ἔτυχον τοιούτων παρθένων γάμους ἐπιτελέσαντες, καὶ ἀνάγκῃ ἢ καὶ πειθοῖ προσφθαρέντες, ἅτε φιλεῖ τῆς αἰσχρᾶς ἐπιθυμίας ταῦτα τολμᾶν, ἀκινδύνως ὑποθεμένης, δυσπραγούσης, τῆς θρησκείας. Qui Sozomeni locus neque vbique feliciter versus est ab Interprete, & nonnihilum habet quod ἐπίστασιν quandam requirat: Locus ita vertendus est. *Emisit item ad* SECVNDVM *Præfectum tum Pretorio legem generalem, qua iubebat eum capite plecti, qui sacratam virginem attentaret matrimonii iungendi causa, vel etiam ad libidinem tantum intueretur* [vel inuitaret] *non modo si rapere ausus fuisset. Porro hanc legem ideo tulit, quoniam improbi quidam viri imperante Iuliano extiterant, qui huiusmodi virginum matrimonia sibi conciliassent, quique qua vi qua inductione corrupissent, quemadmodum hæc audere solet turpis libido infelici religionis statu impunitatem sibi promittente.* Hactenus Sozomenus: vbi videri possit in exprimenda huius legis sententia, haud modicum errasse, cum hæc verba addidit, ἢ καὶ ἀκολάστως μόνον προσβλέποντα; quandoquidem neque tale quidquam in Iouiani constitutione occurit, vt hodie legimus; & ratio ipsa contra stat, cum cogitatio nuda pœnam non mereatur, & nuda animi cogitatio, nudus aspectus, quamlibet libidinosus, pœnis legum non subiaceat; nuda inquam cogitatio, quæ ad actum aliquem externum non processit, sed in nudis vt loquuntur merisque propositi terminis constitit; denique quæ intra solum consilium & animi propositum stetit, sic vt nullus actus assumatur, nulloue facto initium criminis mente deductum fuerit, *l. 225. D. de V. S.* vide & *Canon. cogitatio, de pœnitentia, Distinct. 1.* Quo sensu etiam Cato apud Gellium *lib. 7. cap. 3.* *Voluntates nudas, inanesque, neque legibus neque pœnis obnoxias* scribit. Bene Tertull. *Mediocritas humana de factis solum iudicat, quia voluntatis latebris par non est.*

P.198 Aliæ sunt scil. hac parte leges *Christi* dicentis, πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα &c. & post eum *Pauli*: Aliæ *Papiniani*: in illis nudæ cogitationis & concupiscentiæ reatus est, in illis vel oculi, homicidii & libidinis tenentur: in his vero externi tantum actus plectuntur. Neque probant illud Iuris Conditores quod Iuuenalis scribit *Satyr. 13. v. 208.*

Patitur pœnas peccandi sola voluntas.

Item *ibid. v. 209.*

Nam scelus intra se tacitum qui cogitat vllum
Facti crimen habet: - -

Quod & Propertius voluit *lib. 2. eleg. 32. v. 1.*

Qui videt, is peccat; qui te non viderit ergo
Non cupiet: facti crimina lumen habet.

Ouidius *III. Amor. Eleg. 4. v. 4. seqq.*

Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
Vt iam seruaris bene corpus, adultera mens est;
Nec custodiri, ni velit, illa potest.
Nec mentem seruare potes, licet omnia claudas
Omnibus occlusis intus adulter erit.

Seneca pariter, *Incesta est etiam sine stupro, quæ stuprum cupit.* Et *de benef. lib. 4. cap. 14.* *Non immerito in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præstitit non sibi.* Vide his similia plura apud Grot. in *N. T. p. 89. 90.* Et ipse de hoc plura ad *l. 1. inf. de Ambitu.* Et tamen Sozomenum a scopo non, vel non adeo, aberrasse putet quis. Proculdubio enim tertium illud, ἢ καὶ ἀκολάστως, μόνον προσβλέποντα, &c. (quomodo & Chrysostomus 8. *ad Rom.* ὁρᾷν ἀκολάστως, & Latini *aspicere*, pro ἐπιθυμεῖν apud *Quintil.* patrem, Lactantium, *lib. 6. c. 23.* Contra Tertull. *de velandis virginib.* *Christianus saluis oculis fœminam videt, animo aduersus libidinem cæcus est.*) Ex his huiusce legis verbis expressit, *vel inuitas ausus fuerit.* Tria scil. *h. l.* prohiberi videantur, non tantum scil. Raptus Sanctimonialium, de quo dubium nullum erat; sed duo præterea, Religionis veneratione, circa easdem admissa plectuntur, (quæ & ipsa complecti videtur Maiorianus *Nouella 8. de Sanctimonial. vers. quod nos vsque adeo.* Itemque Honorius *l. 3. prox. inf.* *Ambiendi* verbo: vbi dicam) Primum istud est: vt ne matrimonii quidem causa, seu ad matrimonium eas attentare, seu sollicitare liceat: Tentare, siue attentare matrimonii iungendi causa, est ad nuptias sollicitare: Quo pariter sensu potestate in prouincia præditi prouincialis mulieris nuptias attentare prohibentur, & attentantes puniuntur, *l. vn. sup. Si quacumque præditus potestate.* *Quia tamen*, inquit, *contra latentem malitiam parum quasdam domos, vel quosdam parentes intelligimus muniendos, iubemus vt quicumque iis & quæcumque erit latentibus per Iudicem promissis minisue* TENTATA *ad eius matrimonium, cui aspernatur, &c.* Vbi vid. quæ dixi. Ergo nec ad nuptias sollicitare Sacram Virginem licet, quia scil. & hoc ipso a voto suo, & pucitia, continentia saltem, abducere studet qui sollicitat. Alterum quod augendæ adhuc magis magisq; Sanctimonialium Sanctitati & Religioni a Ioviano constituitur, istud fuerit, quod capitali pœna plecti velit, non eos modo qui Sanctimoniales rapere, non modo qui ad nuptias sollicitare, verum etiam qui (*ad libidinem scil.*) *inuitare* (ita enim legat quis forte) ausi fuerint. *Inuitare*, est de stupro compellare; quod & ipsum proprie *appellare* dicitur *l. 15. §. 15. 20. 23. D. de iniuriis*: ac nominatim §. 20. & 22. *Appellare*, inquit Iurisconsultus, *est blanda oratione alterius pudicitiam attemptare, hoc enim non est conuitium facere, sed aduersus bonos mores adtemptare: qui turpibus verbis vtitur, non temptat pudicitiam, sed iniuriarum tenetur.* Item *aliud est appellare, aliud adsectari: appellat enim qui sermone pudicitiam adtemptat*, &c. Eodemque sensu *appellandi* vocem vsurpant Valerius Maximus *lib. 6. cap. 1. n. 7.* Seneca *lib. 2. Controuers. 15.* Quintilianus *in Declamatione 3. pro milite contra Tribunum*, & Institutionum *lib. 4. cap. 1.* Cæterum *appellare*, & *inuitare*, pro eodem. Hoc igitur voluerit Iouianus, eum quoque puniendum qui Sanctimonialem de stupro appellare, seu ad libidinem *inuitare* ausus fuerit. Quæ quidem ad libidinem seu stuprum inuitatio, etsi non ea, neque tanta pœna coërcita iure Romano fuerit, pœnam tamen variis casibus meruit: Nam & qui virginem appellauit, tanquam facto aduersus bonos mores edito, iniuriarum tenetur; *d. l. 15. §. 15. D. de iniuriis*: sed & Paulus I. Consultus in *l. 1. D. de extraord. criminib.* & *5. sent. tit. 4. §. 5.* *Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possunt, propter voluntatem perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur.* Quo loco *Sollicitator alienarum nuptiarum est*, qui alteri desponsam de stupro appellat. *Matrimoniorum* vero *interpellator*, qui iam matrimonio iunctam. Sic enim hæc distingui malo, quam quomodo Cuiacius fecit. Huc etiam pertinet quod Valerius Maximus scribit, *lib. 6. cap. 1. n. 8.* Cneium Sergium hoc vno damnatum, quod matrifamilias nummos stupri causa promisisset: *Non enim*, inquit, *factum tunc, sed animus in quæstionem adductus est, plusque voluisse peccare nocuit, quam non peccasse profuit.* Iam igitur reponendum fuerit

h. l.

h. l. vel inuitare ausus fuerit: Quod quidem Sozomenus ita expresserit ἢ καὶ ἀκολάστως μόνον προσβλέποντα. Quod si ita est, tum fatendum fuerit Sozomenum vnum ex his admisisse: vel, inquam, *inuitandi* verbum non plene assecutum, quasi videlicet *inuitare* (ad libidinem scilicet) *h. l.* dicatur, qui oculis inuitat, cum de inuitatione quæ verbis aut promissis fit, Iouianus senserit: Quanquam non diffitendum, oculos primos in amore duces esse: ἀρχὴ τοῦ ἔρωτος ὅρασις: vt alius, ἡ ἐπιθυμία διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἔρχεται: v. & Plutarchum *Sympos. libr. 3. Quæstion. 6.* Saluianum *de Gubernat. Dei lib. 3. cap. 8.* Quo pertinet & illud *2. Petr. v. 14.* oculi pleni adulterii. Nisi hoc placeat, videri possit, Sozomenum scripsisse προτρέποντα. Quæ vox omnino *inuitandi* verbum exprimit; *Sollicitandi, flectendi:* Si & hoc non placeat, videri possit Sozomenus abusus verbo προσβλέπειν. Putabam aliquando Sozomenum inductum in errorem corrupta *huius legis* lectione. Quasi ita scriptum fuerit, non *inuitus*, aut *inuitare*, sed *intuitas* passiuo significatu, vel *intuitus*, quod vocem προσβλέπειν exprimit potius. Denique Iouiani sententia hæc fuerit, Raptorem Sanctimonialis non eum tantum videri, vel esse 1. qui vim adhibuit: 2. sed & qui ad nuptias: 3. aut libidinem sollicitauit, ambiuit: de quo ad *l. prox.* quoque. Illud liquidum ex apertissimis *huius l.* verbis, etiam in *Cod. Iust.* & exinde alibi quamlibet immutatis, etiam apud Sozomenum, duo illa distinctim hic puniri; & raptorem Sanctimonialis, & eum qui tantum eas attentat matrimonii iungendi gratia. Quare si qui sunt qui vtrumque hic designari & desiderari coniunctim putant vt virgines ab eodem & raptæ fuerunt, & matrimonii iungendi causa attentatæ, næ illi oppido media luce errant; quantum de Balduino non recte reprehendi eum patior.

Huius etiam *l.* argumento eluceat, quantum Christianæ virtutis & honestatis Iouiano studium fuerit. Quod alioquin studium eius celebrant Scriptores Ecclesiastici, Sozomenus *lib. 6. c. 3.* Socrates *lib. 3. c. 24.* Theodoretus *lib. 4. cap. 4.* Ammianus quoque Marcellinus *extremo lib. 25.* Succurrit mihi & illud, legendum hic nonnullis posse videri: *Sacratas virgines, vel* INVIRAS. *Inuiras* autem non pro iis, quæ virum non habent, vel nunquam habuerunt, sed quæ habere desierant: *Inuira*, sicut *vniuira:* ἄνανδρος: Et sic *Inuiras*, pro viduas. Nam P. 199
& ita quoque & *Rubrica* & *l. 1. h. tit.* Virgines Sanctimoniales & viduæ iunguntur, raptusque exæquatur. Exæquantur & ab Ambrosio *initio libri de viduis:* qui pariter vt Augustinus *de bono viduit. c. 2.* ἄγαμον de vidua interpretatur apud Paulum *1. Corinth. 7. v. 34.* contra quam Hieronymus qui ἄγαμον & τὴν παρθένον pro eodem ibi sumit. Sic & Prudentius *Peri Stephan. hym. 2. in Laurentium a. v. 303.*

Cernis sacratas virgines;
Miraris intactas anus,
Primique post damnum tori
Ignis secundi nescias.

Imo tandem hic reponendum videatur *volentes vel inuitas* vt Symmachus Papa in Decret. ad Cæsarium Episcop. Arelatens. *cap. 4. pag. 958. Tom. II. Concil. edit. Harduin.* & *can. 2. Caus. 36. qu. 2.* ἀνάγκῃ ἢ καὶ πειθοῖ Sozomenus *l. c.* vel quod in Manuscriptis nonnullis hic legitur, *vel non inuitas*, id est etiam volentes; quod diserte hac in re statuitur, *l. 54. Cod. Iust. de Episcopis.*

Vt redeam ad id quod secundo loco *hac* Iouiani *lege* prohibetur, matrimonium inquam cum Sanctimoniali Virgine; de eo iam semel dixi ad *leg. super.* Et Iouiano id placuit *hac lege*, vti nuptiæ cum Sanctimoniali illicitæ essent, placuit & Patribus nonnullis, veluti Ambrosio: quo nomine a nonnullis, interpellatus in culpam vocatus, vt ipsemet testatur *lib. 3. de virginibus, pag. 482. Tom. IV. Oper. edit. Paris. 1614. Cardinal. de Monte Alto.* Vt & Honorio *l. vlt. inf. h. tit.* vbi dicam.

HONORII *Lex de* POENA & ACCUSATIONE *Virginum Sanctimonialium.*

III. (a) Impp. HONOR. & Theod. A. A. Palladio P. P. (b) Post alia. (c)

SI quis dicatam Deo Virginem, prodigus (d) sui, raptor ambierit, (e) publicatis bonis deportatione plectatur: Cunctis Accusationis huius licentia, absque metu delationis, (f) indulta: *Neque enim exigi* (g) *conuenit proditorem, quem pro pudicitia* (h) *Religionis* (i) *inuitat humanitas.* Dat. VIII. Id. Mart. (k) Rau. Theod. A. IX. & Constantio II. (l) V.C. Coss. [420.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic legi, *lex 44. infr. de Episcopis:* seu *lex 19. Cod. Iust. eod. tit.* Meminit huius *legis* Baronius A. D. 420. *n. vlt.* Inserta quoque hæc *lex* Constitutioni, quam sub Honorii ad Palladium P. P. nomine ex Cod. Lugd. & Anic. edidit nuper Sirmondus, *in Append. Cod. Theod. n.* 10. cui inserta & *lex 44. infr. de Episcop.* quæ huic vt dixi iungenda est, ceu eiusdem constitutionis pars. GOTHOFRED.

(b) Cod. Iust. *d. l. 19.* P. V. male: *vid. l. 12. infr. de indulg. debitor. ID.*

(c) Quæ continentur *d. l.* 44. seu *d. l.* 19. Quæque ad eundem finem collineant. *ID.*

(d) ita *famæ suæ prodigus* dicitur *l. 1. supr. de his qui potentiorum nomina &c. IDEM.*

(e) *Ambierit*, id est, *adtemptauerit* matrimonii iungendi causa, vel ad libidinem inuitauerit: vt *lege* Iouiani *superiore. ID.*

(f) Sine inuidia delationis: *l. 9. infr. de hereticis. IDEM.*

(g) *Exigi*, id est, dici, censeri. *IDEM.*

(h) Castitate, *d. l.* 44. *ID.*

(i) id est, Religiosarum personarum: quales Clerici, *d. l. 44.* Dicatæ Deo Virgines, *h. l.* An potius coniungenda hæc vox cum voce humanitas; vt ita, *Religionis humanitas* dicatur affectio, quam quis pro Religione gerit? *IDEM.*

(k) Maii, *d. l.* 44. & *d. l.* 19. *ID.*
(l) al. *III.* vide *Chronol.* & quæ noto ad *d. l.* 44. *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII hæc constitutio est aduersus raptum virginum Sanctimonialium. Scilicet cum Honorius, Occidentis (ac nominatim Italiæ) Imperator, comperisset, hac tempestate Religiosarum personarum quæ continentiæ votum professæ erant, CASTITATEM, siue pudicitiam tum virorum tum fœminarum labefactari, constitutione sua ad Palladium PP. emissa; cuius hæc pars est, simul & *lex 44. infr. de Episcop.* (quæ huic nostræ coniungenda est) enixe occurrendum putauit, simul & inuidiam a Religionis obtentu dispellendam.

Igitur duo hæc constituit. Primum de Viris, ne Ecclesiastici vel Clerici extranearum mulierum consortium sibi adsciscerent: atque ita ne probabilem seculo disciplinam consortio sororiæ appellationis decolorarent; quæ sententia est *d. l. 44. inf. de Episcop.*

Secundo de Feminis (quæ huius *legis* sententia est) ne Sanctimonialium castitati seu pudicitiæ macula inferretur, vel insidiæ struerentur; duplici cautione proposita. Primo, *pœna* proposita in eum qui dicatam Deo virginem ambiret: *Si quis*, inquit, *dicatam Deo virginem prodigus sui raptor ambierit*: Quibus verbis intelligitur is qui Sanctimonialem non tantum vi rapit; verum qui ad libidinem, imo matrimonii causa, inuitat: argumento eorum quæ mox *fine Legis* de Iouiniano dicam: Hæc scil. *ambiendi* significatio est. Hic igitur non minus raptor est (& vero *hac lege* ita vocatur) quam qui vim aperte intentat.

Cæterum pœna hæc huiusmodi ambitori ab Honorio statuitur, deportatio, cum bonorum proscriptione: quæ quidem mitior est ea, quam Iouianus statuerat *superiore l. 2.*

Alterum, quo Honorius sanctimonialium pudicitiæ consultum *h. l.* it, istud est; quod huius rei *Accusationem* publicam facit, remissa delationis & delatorum inuidia, quam quia huius rei conscii euitare volebant, accusationem instituere non sustinebant. Nam vt cæteroquin ita & hac parte nominatim delationis inuidiam vix effugere poterant; maxime quia potentes in inuidiam vocarent: Ideoque necesse quodammodo fuit, ad detegenda huiuscemodi crimina, accusandi licentiam citra delationis inuidiam relaxare omnibus. Si quando & *delatorum* nomen odiosum fuit, si quando huius inuidiæ declinandæ obtentu crimina silentio inuolui contigit, hoc Honorii sæculum fuit: quo vt cæterarum rerum ruina, ita criminum impunitas, imo & im-
p.200 puritas creuit; sic vt vix quisquam foret, qui etsi compertissima sibi, potentiorum crimina detegere aut deferre auderet, metu videlicet conciliandæ sibi delationis inuidiæ. Igitur exciti hac ratione delatores ab Honorio, remissa delationis inuidia, elegantissima hac ratione; *Neque enim exigi conuenit proditorem quem pro pudicitia religionis inuitat humanitas:* Delatorem vel proditorem censeri non oportet, qui quamlibet potentis personæ crimen, dum pro Religione excubat, in apricum & apertum producit: Et hæc est *huiusce legis* sententia. Eademque mens Maioriani *Nouella de Sanctimonialibus 8.* sic quidem etiam vt delatori præmium polliceatur: *Si forte*, inquit, *profana cupiditas improborum deuotam Deo mentem per crimen raptus violare temptauerit, non solum Diualium constitutorum qui id admiserit subiaceat vltioni, verum etiam cuiuslibet accusationi reddatur obnoxius, ita vt qui pollutum tanto scelere hominem rebus probatis post hæc constituta pertulerit, addicti censu facultatibusque potiatur.* Huc quoque proxime accedit Valentiniani *Nouella 5. de sepulchris*, qua, posteaquam in sepulchrorum euersores inuectus est, subiicit; *quod ita obseruari oportere censemus, vt nec Ministris nec Antistitibus sacræ Religionis in tali causa statuamus esse parcendum. Facessant querelæ, nullius innocentiam sanciamus, nocentes tantum lex nostra persequitur.* Et mox: *Quisquis voluerit accusator emergere, habeat liberam facultatem, nec delatoris formidet inuidiam, cum præmio magis dignus sit, qui se constanter improbos odisse monstrauerit.* Sed bene habet, quod Principes ea crimina ad IVS COMMVNE subinde reuocarunt: de quo dicendi locus erit plenior ad *tit. inf. de Episcop. Ecclesiis & Clericis:* ac nominatim ad *legem 23. 37.* & *vlt. eiusce tit.*

Porro *hanc leg.* ab Honorio latam omnino censeo aduersus *Iouinianum:* qui quidem Iouinianus adhuc ante octennium, id est, A. D. 412. conuentus suos extra vrbis Romæ muros agebat, vt docet *l. 53. infr. de hæreticis.* Notum scil. inter cætera, Iouinianum hæreticum Virgines Sanctimoniales in nuptias deiecisse: & Virginitatem nuptiis æqualem dixisse. De quo cum plurima alia sint testimonia, apud Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, inter alios hic Augustini *Retract. lib. 2. c. 22.* locus notetur. *Iouiniana hæresis, sacrarum virginum meritum æquando pudicitia coniugali tantum valuit in vrbe Roma, vt nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, deiecisse in nuptias diceretur, hoc maxime argumento cum eas vrgeret, dicens; Tu ergo melior es quam Sara, melior quam Susanna, siue Anna? & cæteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas fœminas, quibus se illæ meliores vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam Virorum sanctorum cœlibatum commemoratione Patrum coniugatorum prædicatione frangebat. Huic Monstro S. Ecclesia, quæ ibi est, fidelissime ac fortissime restitit.* Restitisse ait Augustinus Ecclesiam Rom. Iouiniano felicissime & fortissime. Itaque inter cæterea, querela de eo ad Honorium Imp. perlata: qui ad has querelas hanc *legem* omni dubio procul sanciuit. Qua obseruatione *Ecclesiastica Historia* A. D. 420. deinceps illustranda venit.

AD LEGEM IVLIAM DE AMBITV.

TITVLVS XXVI.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XXVI.

Hic titulus occurrit Magistratuum *ambitioni:* sequentes duo eorundem

dem Magiſtratuum cupiditati ſeu *auaritiæ*. Rurſum, ſuperiores duo *Tituli* fuerunt de *muliebri ambitu*: hic de *honorum ambitu*. Huius argumenti fuit in partem Varronis *Satyra*, Seranus περὶ ἀρχαιρεσιῶν, *in fragment. Veter. Poetar. pag. 1539. Volum. II. Corpor. Poetar. edit. Londinenſ.*

PARATITLON.

LEX IVLIA DE AMBITV, *Rubr. h. t.* & *l. vlt. ſup. ad leg. Cornel. de falſo*: ex hac conſtitutionum diſciplina eſt, quæ punit eos omnes qui dignitates & officia ambiunt, veluti qui ad illuſtrem Palatii Principis ambit dignitatem, atque ad eos honores aſcendere ambitione tentat, qui non niſi probatis Principi Viris eiuſdem iudicio deferuntur, de quo *l. 1. h. t.* Item qui Repetere ſeu iterare tentant, de quo ſunt cæteræ *leges*, puta officium aliquod, *l. 2. 3. vlt. h. t.* ſeu munus inter Officiales Rectoris Prouinciæ, *d. l. 2. h. t.* veluti Principatum, *d. l. 2.* & *vlt. h. t.* cæteraque officia, *d. l. 2. h. t.* Proconſularem item, aut Vicariam poteſtatem, vel Conſularitatis faſces, aut vexilla Præſidialia atque Comitiuas diſcuſſionum, *d. l. vlt. h. t.* Aduerſus ambitum honorum, vide quoque *l. vn. ſup. de Comitib. vacantibus*: *l. 1. de honor. codic.*

P 201. I. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. ad Cæſarium P. P. (b)

SI quis ad (c) Inluſtrem Palatii Noſtri ambierit dignitatem, atque ad eos honores aſcendere ambitione (d) temptauerit, qui non niſi probatis (e) nobis viris, Noſtro (f) iudicio deferuntur, cuiuslibet ille ſit loci, (g) ordinis, dignitatis, amiſſis bonis, & fiſco noſtro protinus vindicatis, deportationis multetur exilio: Neque aliud inter (h) cœptum ambitum, atque perfectum eſſe arbitretur; cum *pari ſorte Leges ſcelus, quam* (i) *ſceleris puniant voluntatem.* Dat. XIV. Kal. Mar. Conſtantinop. Cæſario & Attico Coss. [397.]

N O T A E.

(a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſt.* vt & cæteræ ferme *huius tituli*, ſecunda tantum excepta. GOTHOFRED.

(b) *Cæſarius* PP. Orientis ſub Arcadio: v. *Proſopogr.* ID.

(c) *Ad dignitatem ambire* nouiter dictum. Eodem modo, *l. 14. ſupr. de cohortalibus*, ad Senatoriæ dignitatis nomen ambiit. Contendere honores dixit Varro in *Serano*, Satyra huius argumenti, *pag. 1539. Volum. II. Corp. Poetar. edit. Londin.* IDEM.

(d) *Ambitio* pro ambitu, *hic*, & alibi ſæpe, & ſic pro ſuffragio & gratia virorum potentium. Eodem ſenſu non ſemel Am. Marcellinus *lib. 20. c. 5. lib. 22. cap. 4.* & *lib. 31. cap. 14.* Græci quoque ita περιδρομὴν dicunt apud Iſidorum Peluſiotam *ep. 145.* & Memnonem in Excerpt. Hiſtoriarum apud Photium. Suidas voc. ἐξ ἀμβιτίωνος. ἐκ περιδρομῆς τι πρᾶττειν παρὰ Ῥωμαίοις. Ἐξ ἀμβιτίωνος, *apud Romanos ſignificat, per ambitionem, vel ambitum.* Vnde intelligendus eſt locus quidam in Actis Concilii Epheſin. κἂν δὲ τοῦτο προσταχθῇ ἐξ ἀμφιτίωνος, vt notauit Valeſius ad Marcellinum *lib. 22. cap. 4.* ID.

(e) Atque adeo meritis ſuffragantibus. De quo vide quæ notaui ad *l. vn. ſup. ſi certum petatur de ſuffragiis.* Sic in Theodoſiii Iun. *l. vlt. C. Iuſt. ad leg. Iul. repetund.* qui ad *honoris* inſignia non ambitione vel pretio, ſed probatæ vitæ *teſtimonio ſolent promoueri.* ID.

(f) Non etiam prece vel pretio, ſuffragio vel ambitu: vide & *l. 2. ſup. de honorariis Codicillis*: & *l. 4. ſup. de Agentib. in reb.* ID.

(g) Cuiuſcunque loci, ordinis, dignitatis. Ita pariter *l. 4. ſup. de accuſationib.* ID.

(h) *Inter eſſe*: τμῆσις quod hoc eodem modo, *l. 54. D. de rei vindicat.* Sic & alii Authores loquuntur plerumque. Eadem Tmeſis in voce *Abeſſe.* ID.

(i) Πρωθύστερον hic admiſſum, cuius exempla alia quoque *hoc Cod.* ID.

COMMENTARIVS.

ARCADII conſtitutio iſthæc eſt, aduerſus Ambitum: qua POENA honorum ſeu dignitatum ambitui & ambitionibus ab eo imponitur. *Ambire* hic dicitur, qui clam pecunia corruptis ſiue redemptis Palatinorum & Cæſaris Miniſtrorum, veluti Cubiculariorum, id genus hominum, *ſuffragiis* Magiſtratum vel dignitatem ſiue honorem a Principe captat. Non male ſcilicet Iſidorus *lib. 5. Origin. cap. 26. Ambitus iudicium*, inquit, *eſt in eum qui largitione*, (ita enim ſcribendum, non *largiorem*) *honorem capit* (forte etiam *cupit.*) Ambire breuiter eſt poteſtatem, honores auro vel donis emere, qui vt *lex* noſtra ait, *non niſi probatis Principi viris eiuſdem Principis iudicio deferuntur.*

Sane res hæc ſiue ambitus frequenter legibus delegata fuit, ſtante primum adhuc Republica, quo tempore Tribuum & Tribulium prenſationes in vſu fuere, honoribus ambiendis *Lege Calpurnia*, itemque *lege Iulia*, quarum *illa* cautum fuerat Ambitus damnatos, μήτε ἄρχειν, μήτε βουλεύειν, id eſt vt Senatu & honoribus perpetuo mouerentur: *hac* vero Ambitus Rei quinquennio tantum Senatu & Dignitatibus

tatibus moti, vt author est Dio *lib* 36. & 56. Ad harum alterutram legem vel ad vtramque potius allusit Sidonius *lib. 1. Epist. 3.* cum scribit: *I nunc, & legibus me ambitus interrogatum Senatu moue.* Forte easdem *leges* intellexit Iulianus *in l. 1. sup. si certum petatur de suffragiis:* quod vix est vt existimem. Mox hæ *leges* in vrbe cessarunt, posteaquam videlicet ad Principes translata Republ. simul etiam ad curam Principum, non ad Populi fauorem Magistratuum creatio pertinuit, vt Modestinus scriptum reliquit, *lib. 2. de pœnis, l. 1. in prin. D. de lege Iulia Ambitus.* Quo pertinet etiam Iuuenalis locus *Satyra X.* qui sub Domitiano scribebat, vbi de Populo agens *a v. 77.*

> - - *Iam pridem, ex quo suffragia nulli*
> *Vendimus, effudit curas. nam, qui dabat olim*
> *Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se*
> *Continet.*

Et tamen vt maxime non ad Populi fauorem amplius, sed ad curam Principis, Magistratuum creatio pertineret, ambitui tamen cummaxime locus fuit. Non tantum loquor de corruptis illis Principum temporibus, quibus id volentibus Principibus dignitates pretio addictæ venales erant; verum & de illis, quibus etsi *Principis iudicio* dignitates ferme conferrentur, nihilominus non tam Principi probatis viris, neque meritis, suffragantibus: denique non bonorum merito, vt loquitur Iulianus *d. l. vn.* deferebantur, sed *fœdis commentis*, id est, non iam populi fauore redempto, verum eorum qui apud Principem gratia valebant, *suffragiis*, intercessionibus redemptis. Itaque qui Palatinis & ministerialibus suis Principes obnoxii magis fuerunt, his suffragiis, huic ambitui vela laxauere. Non iam loquor de suffragiis & suffragatoribus officiosis & gratuitis, qui sane sub optimis quoque Principibus ferendi, etsi non facile neque semper his credendum, quod Marcum fecisse *extremo vitæ eius* Capitolinus scribit. De suffragatoribus & suffragiis loquor redemptis, de quibus Alexander Seuerus hanc sententiam vsurpabat: ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δὺς ἐκφεύξεται: id est, *qui multa rapuerit, pauca suffragatoribus dederit, saluus erit.* vid. Lamprid. *in Vit. Alexandr. Seuer. cap. 18. in fin.* idemque Senatores non nisi ad summorum in Palatio virorum suffragium fecit, dicens, Magnum virum esse oportere, qui faceret Senatorem.

Vt vetustiora Principum tempora omittam, atque ad eos Principes descendam, ex quorum constitutionibus hic *Codex* conflatus est: sub *Constantino* Imp. fœdam hanc honorum per suffragia mercandorum nundinationem institutam, exercitam, iam docui *ad l. 4. sup. de Accusationib.* & *ad l. 1. sup. de honorariis Codicillis:* quam *legibus* conatus est reprimere, sed conatus: Sub liberis eius malum hoc stetit, etsi quandoque repressum, mulcta inflicta: *l. 2. sup. de Honorariis Codicillis.* vid. & *l. 6. Cod. Iust. de dignitatibus.* Sane sub Constantio suffragiorum & ambitus huius vsum non modo Ammianus, & Victor testantur, verum etiam *lex 3. sup. de Honorariis Codicillis:* & Libanius *in legatione ad*
P.202 *Iulianum Imperatorem.* Secutus est *Iulianus*, is fæda hæc commenta atque adeo redempta suffragia sustulit, de quo est insignis locus apud Ammianum *lib. 20. cap. 5.* idque abunde testatur *lex vn. sup. si certum petatur de suffragiis.* Itaque & Mamertinus ad ipsummet Iulianum scribens *in gratiar. act. cap. 21. At nunc*, inquit, *quisquis Prouincias, Tribunatus, Præfecturas, Consulatus cupit, nihil necesse est pecuniam per fas & nefas quærat*, de quo dixi plenius ad *d. l. 1.* Horum suffragiorum huius nundinationis vsus post Iulianum recruduit sub Valentiniano: sed mox repressus: Ammianus Marcellinus, *lib. 30. cap. 9. Scrupulosus in deferendis potestatibus celsis, nec Imperante eo prouinciam Nummularius rexit, aut administratio venumdata, nisi inter initia, vt solent, occupationis spe, vel impune quædam scelesta committi.* Sub Valente (per Orientem) potestates tarde & caute delatas, testis Ammianus Marcellinus *lib. 31. c. 14.* Malum hoc sub Theodosio M. maxime recruduit: de quo Chrysostomus *Orat. 16. ad pop. Antiochenum, num. 3. pag. 164. Tom. II. Oper. edit. Benedictin.* ἐκεῖναι μὲν γὰρ αἱ ἀρχαὶ, ὃ πάντως εἰσὶ τῆς κατὰ ψυχὴν ἀρετῆς ἀποδείξεις: χρημάτων γὰρ εἰσὶν ὠνηταὶ, καὶ φίλων κολακείαις γίνονται. *Illi namque magistratus non penitus sunt animi virtutes demonstrationes: pecuniis enim sunt venales, & amicorum vendicantur assentationibus.* Zosimus *lib. 4. c. 28.* οἱ πλεῖστοι τούτων [εὐνούχων] ἄρχοντας τέως οὓς ἠβούλοντο παρῆγον εἰς μέσον, καὶ τῆς βασιλείας ἁπάσης τὴν ἐπικράτειαν ἔχον, τὴν τοῦ βασιλεύοντος, εἰς ὅπερ ἐβούλοντο μεταφέροντες γνώμην. id est; *spadonum plerique quos vellent Rectores subuehebant, & totius Imperii potestatem habebant: principis animum quo vellent flectentes.* Et mox. Ἐπειδὴ γὰρ ὡς ἔτυχε, καὶ περὶ τοὺς ἀναξίους τὰ δημόσια δαπανῶν, πλειόνων εἰκότως ἐδεῖτο χρημάτων, καὶ τὰς τῶν ἐπαρχῶν ἡγεμονίας ὠνίους προὐτίθει τοῖς προσιοῦσι, δόξῃ μὲν ἢ βίῳ σπουδαίῳ παντάπασιν οὐ προσέχων ἐπιτήδειον δὲ κρίνων, τὸν ἀγρὸν ἢ ἀργύριον προσάγοντα πλεῖον. καὶ ἦν ἰδεῖν ἀργυραμοιβοὺς, καὶ ὀβολοστάτας, καὶ ἄλλους ἐπ' ἀγορᾶς τὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων αἴσχιστα μετιόντας, ἐπιφερομένους τὰ τῶν ἀρχῶν σύμβολα, καὶ τοῖς πλείονα ἔχουσι χρήματα τὰς ἐπαρχίας παραδιδόντας, &c. *Cum enim temere & in indignos publica insumeret, pluribus egere cœpit pecuniis, eaque re Prouinciarum administrationes venales proposuit quibusuis accedentibus, nulla existimationis aut honestæ vitæ ratione habita; quin cum idoneum iudicans qui agri* (perperam hanc lectionem sollicitat Leonclauius & Silburgius) *vel argenti plus afferret, adeoque videre erat Collectarios & Nummularios aliosque professiones in foro fœdissimas obeuntes Magistratuum insignia ferre, maioremque pecuniæ vim habentibus prouincias tradere* &c. Qui quidem Zosimi locus eo insignis est, quod & superiorem illum Ammiani locum illustrat, quo *de Nummulariis Prouinciarum Rectoribus* agit, itemque *legem 6. Cod. Iust. de dignitatib.* & *l. penult. Cod. eod. si certum petatur.* Fuit scilicet tempus, quo Nummularii, Collectarii, Stationarii similiaque officia, vel ipsi Prouincias regerent vtpote pecuniis præualentes; vel saltem nisi ipsi Prouincias regerent, per alios regerent, vel venundatis administrationibus, quas ipsi comparassent, vel honoris pretio ambientibus & empturis dato. *Si quis*, inquit Honorius *in d. l. penult. Collectarius honoris pretium dederit ambienti, exilii pœna, vna cum ipso Iudice plectetur.* At *legis 6.* verba hæc sunt (& quidem Constantii ad Orfitum P. V.) *Ne quis ex vltimis negotiatoribus vel monetariis, abiectisque officiis, vel deformibus ministeriis, vel stationariis, omnique* (veluti venditoribus farciminum, quod de Barga refert Zosimus, *lib. 5. cap. 9.* hoc ipso tempore) *Officiorum fece, diuersisque pastis, turpibus lucris aliqua frui dignitate pertentet: Sed & si quis meruerit, repellatur: repulsos autem etiam propriis reddi consortiis oportebit.* Quæ tamen *lex* verum vt fatear, non tam ad Prouinciarum administrationes pertinet, quam ad dignitatem Senatoriam. In *hac* etiam *lege*, *Stationarii* sunt, mercium vilissimarum institores, qui in foro stationes habebant. Nam & ita Zosimus hos expressit *l. c.* ἐπ' ἀγορᾶς τὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων αἴσχιστα μετιόντας: eoque modo etiam recte accepit Cuiacius *II. Obseruat. vlt.* Non ita bene in interpretatione *dictæ legis 6.* veluti venditore farciminum. Ex diuerticulo in viam. Zosimi loco optime concinit quod Claudianus *lib. 1.* de Eutropio Eunucho his

his Theodosianis & Arcadianis temporibus *a v. 196.*

- - Quicquid se Tygris ab Æmo
Diuidit, hoc certa proponit merce locandum
Institor Imperii, caupo famosos honorum.
Hic ASIAM *villa pastus regit: ille redemit*
Coniugis ornatu SYRIAM: *dolet ille paterna*
BITHYNOS *mutasse domo; suffixa patenti*
Vestibulo pretiis distinguit regula gentes.
Tot GALATÆ: *tot* PONTVS *eat, tot* LYDIA *nummis:*
Si LYCIAM *tenuisse velis, tot millia ponas:*
Si PHRYGAS, *adde parum: propria solatia sortis*
Communes vult esse notas, & venditus ipse
Vendere cuncta cupit, certantum sæpe duorum
Diuersum suspendit onus, cum pondere Iudex
Vergit, & in Geminas nutat prouincia lances.
Non pudet, heu Superi! populos venisse sub hastam
Vendentis: certe pudeat quod iure sepultum
Mancipium tot regna tenet, tot distrahit vrbes.

Et mox. *v. 220.*

In mercem veniunt CILICES, IVDÆA, SOPHENE
Romanusque labor, Pompeianique triumphi.

Et mox insigni loco *lib. 2. ad fin. v. 584. seqq.*

- - Nec perdita curant,
Dum superest aliquid. Ne quid tamen orbe reciso
Venditor amittat, prouincia quæque superstes
Diuiditur, geminumque duplex passura tribunal
Cogitur alterius pretium sarcire peremtæ;
Sic mihi restituunt populos: hac arte reperta
Rectorum numerorum terris pereuntibus augent.

Ventum igitur ad Filios Theodosii Arcadium & Honorium. Sane inter initia Arcadii sub Rufino hanc nundinationem exercitam, qui anno 296. interfectus; testis est Zosimus *initio lib. 5.* Sed & Synesius *ad Arcadium de Regno* idem satis indicat *p. 30. edit. Petau.* Hi huic ambitui & nundinationi obuiam iuere; Claudianus testis sub finem Panegyrici in Tertium *Honorii* consulatum, A. D. 396. vbi de Arcadio & Honorio agens, inquit *a v. 182. seqq.*

- - - Qui mente serena
Maturoque regunt iunctas moderamine gentes,
Secula qui RVRSVS *formant meliore metallo:*
Luget auarities stygiis innexa catenis,
Cumque suo demens expellitur Ambitus auro:
Non dominantur opes, non corrumpentia sensus
Dona valent, emitur sola Virtute Potestas.

Quæ quidem Claudianus vno tantum ante *hanc legem* anno scribebat. Quomodo idem A. 400, inter laudes Stilichonis (penes quem summa Imperii sub Honorio) id quoque prædicat *lib. 2. a v. 113.*

Trudis Auaritiam: cuius fœdissima nutrix
Ambitio: quæ vestibulis, foribusque Potentum
Excubat, & pretiis commercia poscit honorum.

In id igitur vterque Princeps incubuit, vt malum, 203.
quod sub P. Theodosio inoleuerat, eradicarent. De Honorio fidem facit *lex penultima, Cod. Iust. si certum petatur. Si quis*, inquit, *Collectarius honoris pretium dederit ambienti, exilii pœna vna cum ipso Iudice plectatur*: de qua iam paulo ante dixi. De *Arcadio* fidem facit hæc *lex* seuerissima. Pœnam quippe deportationis & bonorum proscriptionis huiusmodi ambitori imponit. Virtute scil. quemque ambire vult, non fautoribus, sibique probatis, non suffragio commendatis honorum ascensum patere iubet. Ait *deportationis exilio:* quo pariter sensu *exilii* pœnam accipio in *d. l. Honorii penult.* quam vberius explicaui ad *l. vn. sup. Si quis solidi circulum.*

Huic autem *Legi* Arcadianæ occasionem præbuit, Eutropiana nundinatio, de qua paulo ante ex *Claudiano* egi: de qua videndus & Zosimus *lib. 5. cap. 9.* vbi notatur, Bargum quendam Laodicenum ex venditore farciminum eo progressum, vt inter primos in palatio militaret; sed eum meritas mox pœnas dedisse. Sane Chrysostomus passim in hanc honorum nundinationem inuehitur: inter alia in *Coloss.* λογ. 7. ἐν τῷ ἠθικῷ, *tomo 4. Sauiliano p. 115.* siu. *pag. 1363. edit Commelin.*

Illud præterea Arcadius addit, ad augendam Ambitus pœnam; *Ambitus crimen incurrere non modo eum, qui cupito honore potitus fuerit:* id est, qui honorem suffragio exambierit; verum etiam eum, qui etsi non exambierit, tamen ambiuit, id est, qui pecuniam suffragatori dedit, neque tamen honore potitus est. *Neque aliud*, inquit, *inter cœptum Ambitum atque perfectum esse arbitretur:* addit eleganter (in quo tamen πρωθύστερον admissum) *cum pari sorte leges scelus, quam sceleris puniant voluntatem.* Quemadmodum & apud M. Tullium *legimus*, sæpe pluresque accusatos Ambitus in toga candida, cum adhuc petebant honores, aut cum tantum erant designati. Huiusmodi scil. scelera, quamuis citra exitum subsederint, vt Seneca 7. *declamat.* scribit, puniuntur. Elegans inter alia istud eiusdem Senecæ *lib. quod in sapientem non cad. iniur. c. 7. Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixtum cibo perdidit. Venenum illud dando, scelere se obligauit, etiamsi non nocuit: Non minus latro est, cuius telum opposita veste elusum est. Omnia scelera etiam ante effectum operis quantum culpæ satis est, perfecta sunt.* Seruius ad illud Virgilii *Æneid. 6. v. 624.* Ausi omnes immane nefas: *Secundum morem Romanum*, inquit, *dicit, quo non tantum exitus punitur, sed voluntas.* Maximus Tyrius quoque *Dissertat. 2. pag. 11. edit. Heinsii.* καὶ γὰρ μοιχὸν κολάζει ὁ νόμος οὐ τὸν δράσαντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν βουληθέντα. καὶ τοιχωρύχον τὸν ἀπιχειρήσαντα, κἂν μὴ λάθῃ δράσας. καὶ προδότην τὸν μελετήσαντα, κἂν μὴ πράξῃ. *Sicut mœchum lex punit, non qui mœchatus est tantum, sed & qui voluit, & furem qui tentauit furtum, licet præventus fuerit, & proditorem qui animum habuit, sine euentu.* Quæ sane omnia Primum non in atrocibus delictis tantum, sed omnibus obtinent, non tantum Maiestatis: ex eiusdem Arcadii hoc ipso Anno. *l. 3. supr. ad leg. Cornel. de sicariis.* Raptus, *l. 2. 3. vlt. sup. tit. prox.* Homicidii, Paulus apud Authorem, *Collat. leg. Mosaic. tit. 1. §. 7.* verum & in specie *leg. vn. sup. si quacunque præditus potestate: l. 5. D. de extraord. crim. l. 20. Cod. Iust. de furtis: l. 225. D. de V. S.* de insidiatoribus denique Quintilianus *declamat. 274. Insidiatus ciui etsi non effecerit scelus, pœnas tamen legibus soluit.* Apuleius *Florid. 3. pag. 517. edit. Lugd. B. apud. Ioan. Maire. Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est: ita vt contra in maleficiis etiam cogitata scelera non perfecta adhuc vindicantur, cruenta mente; pura manu.* Item hæc omnia assumpto actu intelligi oportet: de quo elegans

gans *lex 225. D. de V. S.* id est, ita si non in nudis cogitationis terminis crimen steterit, sed (de quo iam etiam aliquid dictum ad *l. 2. sup. de raptu virg. Sanct.* Si cœptum crimen fuerit, quod *h. l.* nominatim exprimitur: si (vt eleganter dicitur *d. l. 225.*) ipso facto initium mente deductum fuerit. Et ita *in l. 3. ad l. Corn. de sicar.* non sola voluntas punitur quod male colligunt: sola voluntas perduellionem non facit, sed initium criminis mente deductum, id est factio vel coniuratio. Nam quis erit explorator nudæ voluntatis, nisi cœpit facto aliquo initium deducere, id est, voluntatem suam prodere. Id enim est MENTE DEDVCERE, facto vel initio cogitationem suam prodere: sicvt actus iam assumi possit. Atque hac quidem ratione ambitui hoc tempore obuiam itum: postea enim Theodosius Iun. cum hac vna ratione Ambitui non satis occurreretur, iusiurandum insuper præstare voluit Iudices, quod nihil Ambitus gratia dedissent, vel fecissent, *l. vlt. Cod. Iust. ad leg. Iul. Repetund.* Quod & Iustinianus voluit, *Nouella, vt Iudices nullo suffragio 8.* de quo alibi.

II. (a) Idem AA. Pompeiano Proc. (b) Africæ.

NVLLVS omnino Principatum, (c) ceteraque Officia repetere audeat, cum publicæ disciplinæ semel gesta sufficiant. At si quispiam promotorum (d) denuo ad id munus (e) inrepserit quod docebitur ante gessisse, (f) affectus grauissimis suppliciis, pœnam deportationis excipiat: ita vt Primates Officii, quorum interest ambientibus obuiare, hanc propositam pœnam non dubitent. (g) Dat. Prid. Kal. Iun. (h) Med. Stilicone & Aureliano c. Coss. [400.]

NOTAE.

(a) Lex *vn. Cod. Iust. eod. titulo,* ex *hac lege & sequente* conflata & interpolata est. Porro *huic* iungendæ sunt lex 3. *supr. de concuss. Aduocat.* lex 28. *inf. de annona & tribut.* lex 27. *inf. de Susceptorib.* Forte etiam lex 166. *inf. de Decurionib.* & lex 18. *inf. de lustrali collat.* GOTHOFR.

(b) In *Cod. Iust.* perperam *P. P. ID.*

(c) *Vel Numeratum seu Commentariensis gradum:* hoc amplius Tribonianus: vide *l. 16. sup. de Nummerariis. ID.*

(d) De *Promotis* dixi ad *l. 2. sup. de falsa moneta. ID.*

(e) *Etiam per sacras literas:* hoc amplius τρίβων. ex *leg. sequ. ID.*

(f) Reliqua Tribon. recidit: his tamen subiectis ex *l. sequ. Cassatis quæ hoc modo sunt impetrata, ad solutionem debiti primitus vrgeantur: & qui contra fecerint pœnam deportationis adinstar legis Iuliæ Ambitus excipiant. ID.*

(g) An reponendum, *non euitent?* Nil opus: istud ita construendum & intelligendum, Primates officii non dubitare oportere hanc propositam in se pœnam esse. *ID.*

(h) *γρ. Ian.* vt dictis *legibus* tribus, quas *huic* coniungendas docui. *ID.*

COMMENTARIVS.

p.204 HONORII Imp. constitutiones tres aduersus *Ambitum* sequuntur: & quidem aduersus REPETITIONEM eiusdem officii: de quo vid. quæ Gratianus *tomo 1. discept. for. c. 184.* scilicet repetere officia ad ea semel Promotos, iisque functos, vetat Honorius Imp. Ac nominatim *hac lege* Principatum officii, cæteraque officia inter Officiales Magistratuum. *Hac* inquam *lege*, quæ pars est prolixæ Constitutionis Honorianæ, emissæ ad Pompeianum PC. Africæ ad Africanorum querelam per Mecilianum legatum: vt ostendit *lex 166. sup. de Decur.* quæ inde desumpta huic inter alias iungenda est. Inter cæteras autem querelas aliquam multæ rem tributariam respexere, qua miseri Africani atterebantur: partim potentiorum immunitate, quo pertinet *lex 28. infr. de annona & trib. l. 18. infr. de lustrali collat.* partim Compulsorum deprædationibus, quo spectat *lex 3. sup. de concuss. Aduocatorum:* Tandem Susceptorum & Tabulariorum, aliorumque Officialium rem tributariam tractantium, quo pertinet *lex 27. inf. de decurionib.* et *hac* nostra. Principatus scilicet, de quo *hac lege* agitur, est Principatus Numerariorum, vel Tabulariorum, & similium: & *l. 15. 16. supr. de Numerariis:* dixi *supr. libr. 8.* prolixe, *tit. de cohortalibus Principibus*, qui ratiocinia tractabant: de quo agitur rursum *l. vlt. infr.* item *supr. de Numerariis, Actuariis:* Quod etiam Tribonianus hic vidit; cum *legem* hanc ita mutauit: *Nullus Principatum, vel Numeratum, seu Commentariensis gradum* &c.

Cæteraque officia, ait lex: veluti Actuariorum, *l. 15. & 16. supr. de Numerariis:* (quæ vtique Theodosii Iunioris est.) Ergo functi iis semel officiis, ea repetere vetiti, qui dicuntur Promoti scilicet. Promoti *hac lege*, & *l. 2. sup. de falsa moneta*, & *l. 2. supr. de cursu publ.* (de quibus alioquin ad *l. 2. de falsa moneta*, dixi:) sunt, Officiales ad superiorem in officio gradum siue locum promoti, vel etiam officialibus muniis omnibus, etiam Principatu, functi. Quod hæc *lex* manifestissime ostendit.

Igitur *promotis* officium, quo defuncti semel, repetere non licet: Duplici ratione; quam vtramque Honorius *hac lege* suppeditat: *Prima* (quam & ipsam perstringit *l. 3. prox.*) his verbis continetur: *Cum publicæ disciplinæ semel gesta sufficiant:* Lex 3. prox. his verbis: *Non absque publicæ dilacerationis incommodo officia peracta repetuntur.* Scilicet, publice inutile est, huiusmodi officia ab eodem bis geri. Publicæ disciplinæ id contrarium est: & cum publicæ dilacerationis incommodo coniunctum. *Lacerari publicum commodum* dicitur, cum quid vtilitati publicæ aduersum admittitur, committitur, ac maxime cum rationes publicæ lacerantur: vt *l. 6. sup. de Numerariis: l. 1. infr. de fisci debitorib.* Sed & *l. 36. infr. de decurionib. Plebeiam quoque sustineant functionem, ne commoda publica sub vmbratili suffragiorum pactione lacerentur.* Laceratur itaque seu distrahitur commodum publicum, si Officialis Promotus eundem actum quem gessit semel repetat. At quomodo? scilicet, ne eruditior iam factus, mille rapinarum sinus & artes exercere possit: idque est quod Honorius pariter, indicat *l. 9. supr. de executorib.* quod exacto spatio modico exactor regionis visceri-

ſceribus tanquam prædator iam inſideat. Id rurſum & quod *l. 22. inf. de ſuſceptoribus:* ne continuato munere vexandorum prouincialium poteſtatem ſuſceptor habeat, & in concuſſionum dominatione teneatur. Sufficiunt proinde PVBLICÆ DISCIPLINÆ officia ſemel geſta. *Diſciplina publica*, eſt illæſio, pax, quies, ſecuritas publica, *h. l.* & *l. vlt. ſup. de defenſorib. ciuit. l. vn. de his qui plebem audent contra publ. diſcipl. coll. l. 2. inf de Quæſtionib.* Ac nominatim huius diſciplinæ veteris & publicæ obſeruantia huiuſmodi officialibus iniungitur: *l. 9. ſup. de Curioſis:* & *l. 59. inf. de appellat.* Nempe vt officia (non modo *Magiſtratus*, quod dixit Florus *l. 1. c. 9.*) ſolitudine & MORA deprauantur: omniſque potentia ſaluberrime breuitate conſtringitur (quod Albutius apud Senecam *lib. 7. Contr. 8.* dicebat.) Ita geſtum ſemel officium, ſeu Officialis munus repeti, Reipublicæ & publicæ diſciplinæ inutile eſt. Et hæc quidem principalis ratio eſt.

Altera ratio hæc *h. l.* adſignatur, vel indicatur: ne videlicet ſequentium in militia officialium ſpes & promotiones hac ratione, inſititio iam promoto admiſſo, retardentur: Idque eſt quod ſignificant hæc verba: *Primates officii, quorum intereſt ambientibus obuiare.* Inſititio aliquo, vel aduentitio, aut Regreſſo ordinem promotionum, & ſpem promouendorum interturbari non oportet. Quod & ipſum in Scholis ſeu militiis Palatinis pariter conſtitutum, veluti in Schola Agentium in rebus, *l. 7. 9. 14. ſup. de Agentibus in rebus.* Domeſticorum, *l. 7. 8. 10. vlt. ſup. de Domeſticis.* Palatinorum Sacrarum Largitionum, & Rerum Priuatarum: *l. 5. 9. ſup. de Palatinis.* Caſtrenſianorum, *l. 1. ſup. de Caſtrenſianis.* Decanorum, *l. vn. ſup. de Decanis.* Itemque in Numeris militaribus, *l. vlt. ſup. de re milit.* Promouendorum ordo interturbari non debet quocunque ambitionis aut ambitus genere: Non Principis promotione, de quo *ad leg. 7. & 9.* dixi, non tranſgreſſione ab vno Scrinio vel numero ad alium, de quo agitur *d. l. 5. ſup. de Palatinis:* & *l. vlt. ſup. de re milit.*

Denique nec Promotorum iam regreſſu, quæ *huius* eſt *legis* ſententia, itemque *d. legis 1. ſup. de Caſtrenſianis. In Officio Spectabilitatis tuæ, ſecundum formam Diualium Reſponſorum poſt completum tempus præfinitum, id eſt biennium, prioribus decedentibus, ſequentes ad locum pro merito laborum ſtipendiorumque ſuccedant: nec vlla licentia tribuatur his qui impletum depoſuerunt Officium denuo ad eandem militiam vel ſolicitudinem remeandi.*

Eademque ſententia *l. 16. ſup. de Numerariis. Nemo de Numerariis tui Officii, ſeu Domeſticis, vel Scriniariis ſiue Adiutoribus, poſt completum ſui temporis Actum ad eandem rurſus ſollicitudinem audeat adſpirare, decem auri librarum condemnatione propoſita ſi hanc violare voluerit ſanctionem: eadem pœna Officio quoque propoſita, ſi per ambitionem vel auaritiam ex his aliquid temerari conceſſerit.*

Et hæc de Officiis publicis ſeu militiis Palatinis armatis Officialium, quarum Scholæ certæ fuerunt, atque adeo promotiones per gradus fiebant. De Muneribus publicis an & quando repeti poſſint, ad *legem* proximam dicetur; quin & ad *legem 27. inf. de Suſceptorib.* quam *huic* noſtræ inter cæteras coniungendam docui, cuius interim verba apponere lubet: *Si autem aliquid a Suſceptore vel Tabulario fraudis admiſſum, & poſſeſſor deprehendat, nemo eorum ſemel in interuerſione conuictus, id rurſum officium gerat, in quo ante decoxit: etſi reſcribtum noſtrum elicitum clandeſtina ſupplicatione detulerit.*

III. (a) Idem AA. & Theod. A. Strategio (b) Vic. Africæ.

P. 205 NON abſque publicæ dilacerationis (c) incommodo Officia (d) peracta repetuntur. Quare huius præcepti auctoritate cenſemus, (e) vt eadem (f) rurſus Officia ſubrepticiis nemo ſupplicationibus admittatur; ſed caſſatis, (g) quæ hoc modo ſunt impetrata, ad ſolutionem debiti (h) primitus (i) artentur: Et qui contra fecerint, pœnam in futurum deportationis excipiant. Dat. III. Kal. Iun. (k) Rau. Theod. A. I. & Rumorido Coss. [403.]

NOTÆ.

(a) Lex *vn. Cod. Iuſt. eod. tit.* ex *hac*, & *ſuperiore*, vt dixi, *lege*, conflata vel potius interpolata eſt. GOTHOFR.

(b) *Strategius* Vicarius Africæ ſub Honorio. *ID.*

(c) De hac *dilacerationis* voce iam dixi in anteceſſum ad *legem ſuperiorem*. *ID.*

(d) Non exprimit de quibus officiis ſenſerit. *ID.*

(e) Cenſemus, id eſt iubemus, vide *Gloſſarium*. *ID.*

(f) Deeſſe videtur vocula, *Ad:* Niſi *admitti officia* dictum quis putet pro, *mitti ad officia*. *Mitti ad officia*, vt *mitti ad negotia* Tertulliano, id eſt negotiorum & bonorum adminiſtrationem concedi. Non admittam, ſi quis reponat *eadem officia ſubire ſubreptitiis*, &c. *ID.*

(g) Hinc pars *d. legis vn.* deſumpta eſt. *ID.*

(h) Hinc adnotaſſe videntur Græci, ideo repetitionem officiorum prohibitam, quia nonnulli dum vitant ſolutionem eorum quæ debent ex officio, dent operam, vt in eodem officio conſtituantur. *ID.*

(i) *Primitus*, id eſt, quam primum: non vero quaſi poſt ſolutionem repetendi officii ſpes fiat. *ID.*

(k) al. *Ian.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE NON REPETENDIS officiis eſt ſecunda iam *hoc tit.* Honorii conſtitutio: ad cuius illuſtrationem ſufficere poſſunt quæ ad ſuperiorem iam notata ſunt. Duo tantum hic tum notanda, tum inquirenda erunt. *Primo* notandum pertinere hanc *legem* ad Africam: *Africa* ſcil. variis per hæc tempora incommodis laceratæ Honorius variis conſtitutionibus conſuluit poſt Gildonis cladem, idque toto hoc quinquennio: de quo vide *Chronologiam huius Cod.* Ergo & *hac leg.* Africæ laceratæ conſultum iuit Honorius.

Secundo inquirendum eſt de quibuſnam officiis Honorius *h. l.* ſenſerit; itaque videri omnino poteſt de NVMERARIIS nominatim hanc *legem* accipiem-

piendam; idque duobus argumentis: Primum argumento vocis *dilacerationis*. Ferme enim *lacerationis* vox de iis qui rationes conturbant: vt liquido probat *lex 15. sup. de cursu*, ac nominatim publicas, *l. 1. infr. de fisci debitoribus*: *l. 6. sup. de Numerariis*: *Numerarii*, inquit, *qui publicas rationes ciuitatum versutis fraudibus lacerare didicerunt*: Item *l. 1. infr. de fisci debitoribus*: *de Diacathocis quosdam comperimus ita fiscales lacerasse rationes, vt satisfieri ærario nostro sine patrimonii eorum venditione non possit* &c. Vide & nonnulla in *Glossario Theodosiano*. Secundo hoc ipsum confirmant hæc verba: *ad solutionem* DEBITI *primitus attentur*: Ex quibus verbis apparet, de huiusmodi officio in specie *huius legis* agi, quod publicas rationes tractabat, quique ex eius officii administratione quid debet, id enim *debiti* vox indicat. *Debitum* secretiore significatu de publico, vt innumeris authoritatibus probat *Glossarium*. Et sane de *Numerariis* nominatim, ne idem officium repetere possint, speciatim cauetur *l. 15.* & *16. sup. de Numerariis*. Imo & eodem pertinuit *lex 2. supr.* quod etiam ostendit ea *lex*, vt eam Tribonianus in *Cod. Iust.* mutauit: *l. vn. Cod. Iust. ad leg. Iul. de Ambitu*. Sed & prohibitionis huius in Numerariis enixa ratio. Quia Numerarii versutis fraudibus famosi, cuius rei plene fidem facit *titulus*, *de Numerariis*. Nihilominus prohibitio *huius legis* ad omnia officia pertinet, non minus quam *lex superior*. Alia est susceptorum ratio & Tabulariorum ex Honorii mente, *l. 27. infr. de susceptoribus*: hi enim officium repetere possunt, dummodo non conuicti fuerint in interuersione: de quo dicam ad *eam legem* plenius.

IV. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Palladio (b) P. P.

SI quis Proconsularem, aut Vicariam potestatem, vel Consularitatis fasces, aut vexilla Præsidalia, adque in Discussionibus Comitiuas, vel Officia (c) Principatus, contra definitionem nostram, iterare temptauerit, fisco, eius omne patrimonium sociari decernimus. Dat. Id. Mar. Rauenn. DN. Theod. A. VII. & Palladio V. C. Coss. [416.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex à Cod. Iustin*. Huic forte *Legi* cohæsit *illa*, quam memorat Valentinianus *Nou. 10.* quamque retuli *sup. in fine tituli de his quæ administrantibus*. GOTHOFR.

(b) *Palladius* P. P. Italiæ sub Honorio An. 416. V. *Prosop.* ID.

(c) An ita disiunctim legendum: *Officia*, *Principatus*, quod suadet *lex 2. supr.* an vero retinenda lectio? Quod si ita est, non male etiam legas, *Officia Principatus*. IDEM.

P.206 ## COMMENTARIVS.

DE non REPETENDIS seu ITERANDIS officiis est & hæc Tertia iam *hoc tit.* & quidem eiusdem Honorii *lex*. Verum hæc latius multo porrigitur; ad *Dignitates*, inquam, *Spectabiles* & *Clarissimas*. Non tantum scil. Principatum officii, vt *l. 2. sup.* quod & ipsum *hac leg.* repetitur vltimo loco: Verum & Dignitates sequentes iterari, repeti, prohibetur: *Proconsulis*, inquam, *Vicarii*, *Præfectorum Prætorio*, *Consularis Præsidis*, *Comitis discussionum*. Nempe quod de officiis ad *d. legem 2.* dixi, id multo magis in his obtinet, vbi maior vexandorum prouincialium copia suppetit. Recte enim scripsit Florus *lib. 1. cap. 9.* *Potestatem mora corrumpi*. Et vere Mamercus apud Liuium *lib. 4. cap. 24.* *Maximam libertatis custodiam esse, si magna imperia diuturna non essent, & temporis modus imponeretur, quibus iuris imponi non posset*. Et illud Latronis apud Senecam *controuers. 8. lib. 7.* siu. *Controuers. 23. lib. 3.* *Nil tam vtile quam breuem potestatem esse quæ magna sit*. Omitto alia. Itaque non modo *breuitate omnis potentia nimia saluberrime constringitur*, vt dixit Albutius apud Senecam patrem *Controuersia 23. lib. 3.* vt contra iteratione cupiditas augetur. Quid quod diuturnior mora, repetitioque dignitatum Prouincialium, rerum nouarum sæpe materies esse potest: quandoquidem hac ratione Imperium pene efficitur, quod erat procuratio, vt loqueretur Seneca *Præfatione in librum 4. Naturalium*. Proinde & Prouincialium & Imperii interest eandem dignitatem ab eodem ibidem non repeti. Addidi *ibidem*, quod omnino addendum est, ea ratione quam modo attuli. Cessat enim illa, si eadem quidem dignitas, vel potius eiusdem nominis, verum in alia geritur Prouincia: itaque cum hoc temperamento *hac* Honorii *lex* dubio procul accipienda est. Id quod præter superiorem rationem huius qui exempla firmant prope infinita. Eiusdem videl. dignitatis ab eodem gestæ, sed alibi, sic vt qui modo vnius Prouinciæ Rector primum fuit; mox alterius prouinciæ gubernacula gessisse legatur. Eademque & Illustrium potestatum ratio fuit, puta Præfectorum Prætorio: Nam vt maxime repetitas ab eodem Præfecturas legamus, paucis tamen & raro eiusdem Præfecturæ repetitio concessa: quin potius vna Præfectura defuncti, ad alteram designati destinatique: Quod infinitis exemplis ex *hoc Codice* petitis comprobari potest. Salustii inquam, Probi, Ausonii, Theodori, & aliis. Consulendus & Ammianus, quin & Zosimus. Præfecturæ vrbanæ sane repetitæ exempla non hic tantum *Codex* suppeditat, sed præterea Author *innominatus*, qui *Notitiam Præfectorum Vrbi* scripsit, quemque Cuspinianus primus *scriptis suis* intexuit. Eiusdem igitur Prouinciæ gubernacula idem repetere prohibetur. Et repetiti tamen Proconsulatus Africæ biennio ante hanc *legem* exemplum suppeditat inscriptio *l. 3. supr. de integri restitutione*: & *l. vlt. supr. vnde vi*. Itemque repetitæ Præfecturæ Prætorianæ ante octo vel nouem annos, *lex 45.* & *46. infr. de hæreticis*. Sed & anno *hanc legem* proxime sequente, *lex 2. inf. de crim. pecul. lex 8. supr. de donat. l. 22. inf. de Iudæis*: *l. 57. 58. inf. de hæreticis*: *l. vlt. supr. de Salgam*. Vt non aliud magis æuum, quam hoc ipsum Honorii repetitarum Dignitatum & administrationum exempla suppeditet. Et hæc quidem de *huius leg.* sententia. Nunc de aliis, quæ *hac l.* notatu digna occurrunt.

Primum obseruandum, *Fasces* tribui Consularibus, Præsidibus vero *Vexilla*. Et tamen in Notitia Imperii inter insignia Consularium est *Vexillum*: vide Notitiam in *Consulari Palestinæ fol. 107.* item in *Consulari Campaniæ fol. 181. verso*: vice versa, *Fasces* tribuuntur Præsidibus. De Consularium quoque fascibus Cassiodorus III. *Var. 5.* *sume post Consulares*

fasces

fasces emeritos, *Patriciatus insignia*. & VI. *Var. 20.* in formula Consularitatis. *Quamuis dignitatem tuam a consulibus descendere nominis ipsius videantur testimonia declarare, tamen & insignia tanta circumstant, vt nullus possit ambigere, te de illius lampadis claritate lucere: Secures enim & FASCES, quos illi dicauit genio Antiquitas, tuis videntur faleris deputata, vt iurisdictio concessa vel tacita possit admonere prouincias.* Memorantur, & *l. vn. inf. qui a præbit. tyronum:* fasces ciuilium partium. Cassiodorus rursum *lib. VII. Var. 1.* in formula Comitiuæ prouinciæ. *Tua dignitas, gladio bellico, rebus etiam pacatis, accingitur. Vide quo iudicio frueris euectus, quando aliis vigorem FASCIUM videas esse creditum, tibi autem ab ipsis legibus ferrum constet esse porrectum.* Alludit & *ep. 2. lib. eod.* in formula Præsidatus.

Secundo, *hac leg.* idem statuitur & de *Comitiua discussionum:* Quam memorat quoque Symmachus, *lib. 5. ep. 76.* *Bonoso*, inquit, *Optimo viro, & post militiam Palatinam geminæ administrationis integritate conspicuo, discussionem Pontis ac Basilicæ nouæ præceptio Augusta mandauit. Quod munus summa fide & vigilantia perimpleret, si solus istiusmodi examinis ius haberet. Nam Cyriades V. C. COMES & Mechanicus, qui dudum impensas operis vtriusque tractauit, in societatem DISCVSSIONIS admissus sæpe, vt dicitur, a Bonosi inuestigatione dissensit. Hinc fit vt inquisitio, quæ per vnum strenue posset agitari, artificio quodam interpositi certaminis differatur.* Et mox: *Quapropter orat Bonosus, vt si quis est qui V. C. Cyriadem putat eius operis quod idem ante curauit etiam* DISCVSSOREM *esse debere, sibi hac molestia detrahatur. Si vero ipse negotio videtur adcommodus, ad se vnum disquisitionis summa pertineat. Ergo amore Reipub. cuius vtilitates inter præcipua & prima complecteris, Clarissimo & Illustri viro Præfecto dignare conferre; quatenus lacuna tantorum sumptuum remotis intentionibus detegatur. Spero enim fore vt cessantibus nouis expensionibus, vtriusque operis perfectioni vsurpatorum summa sufficiat.* Huic epistolæ iungenda est *38. & 39. lib. 10.* *Comes* igitur *Discussionum* est, cui discutiendum, inquirendum opus publicum vel discutiendæ rationes seu impensæ publicæ aliquæ committuntur extra ordinem. De quo discussorum genere est quoque Cassiodori epistola, vel potius Theodorici R. I. *Var. 21.* & *Nouella Theodosii 11. l. 1.* Et generaliter *Discussores* sunt, qui rationes publicas, fiscales examinant, indagant. Hinc *Discussor* λογοθέτης: *Discussio* λογοθεσία, in Glossar. Cyrilli: iique varii generis, de quo *inf. tit. de Discussor.* Huiusmodi igitur quoque discussionum Comitiuas iterari seu repeti vetat Honorius: id est, eundem eiusdem operis, vel eiusdem ratiocinii discussorem fieri. Quemadmodum is qui impensas operis primus tractauit, non recte Discussor eiusdem operis est, vt Symmachus *superiore loco* indicat: ita qui semel Discussor excitit, iterum eiusdem rei discussor recte non est.

P. 207

AD LEGEM IVLIAM REPETVNDARVM.

TITVLVS XXVII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XXVII.

Cæterum *hoc titulo* Magistratuum cupiditati seu auaritiæ occurritur: itemque *titulo sequente*. Huius argumenti fuit Varronis *Satyra Flexabula* περὶ ἐπεχόντων, vbi probo *flexabula*. Scilicet ea Satyra Varro insectatur Rectores prouinciarum inconstantes. Constantia scilicet, vnica Iudicum virtus: neque FLECTI πάθων aliquo, cupiditate videl. ira, misericordia: vide *leg. 19. D. de offic. Præsidis.* Iuuenalis *Satyra VIII. v. 135.*

Quod si PRÆCIPITEM RAPIT *ambitio, atque libido:*

Denique monet a Flexabulis & illecebris vitiorum sibi caueant. *Flexabula* sunt illecebræ, ἑλκυστικά: vide eius *fragmenta Volum. II. Corpor. Poetar. edit. Londinens pagin. 1534.*

PARATITLON.

REPETVNDARVM crimen, *Rubr.* est, & dicitur male vsæ administrationis crimen, *l. 2. h. t.* Quoties videlicet cognitores, siue Iudices, *l. 1. 4. 5. 6. h. t.* Administrantes, *l. 2. & 6. h. t.* priuatarum litium Cognitores, *l. 5. h. t.* Comites domorum, *l. vlt. h. t.* Duces, *l. 3. h. t.* eorumque domestici manipularii, ministri, *l. 3. h. t.* se furtis & sceleribus maculasse conuincuntur, *l. 1. h. t.* in Republica sinisterius versati sunt, *l. 2. h. t.* prouincias nudarunt, *l. 3. h. t.* a prouincialibus quid rapuerunt, sustulerunt, acceperunt, *d. l. 3. h. t.* a pecuniis & Patrimoniis [prouincialium] manus non abstinuerunt, & alienum iurgium putarunt suam prædam, *l. 5. h. t.* Mercator idem & cognitor fuit, *d. l. 5. h. t.* Concussit aliqua ratione forte Honoratum, Decurionem, possessorem, Colonum aut cuiuslibet ordinis aliquem, *l. 6. &*

 vlt.

vlt. h.t. Venalem habuit sententiam, *d. l. 6. h. t.* veluti si pœnam vel pretio remisit, vel vitio cupiditatis ingessit, *d. l. 6. h. t.* Postremo quacunque de causa improbum Iudicem fuisse adprobari potest, *d. l. 6. h. t.*

POENÆ porro hæ huic crimini impositæ. Honore exuti inter pessimos quosque & plebeios habiti, *l. 1. h. t.* Dignitates eis omnes legitimæ, honorariæ in perpetuum deinceps præclusæ, *l. 2. h. t.* Quadrupli pœna, *l. 3. h. t.* (sic vt in hæredes quoque hæc pœna seu actio competeret, *l. 4.*) Quinimo ex Valentiniani Iun. constitutione, capitis & vitæ pœna pariter, vt peculatus reis, imposita, *l. 5. h. t.*

In hos etiam in bonis Principibus exciti delatores præmiis, *l. 6. h. t.* sic tamen, vt accusatio institui constante administratione non posset, sed finita demum administratione *l. vlt. h. t.* & quidem intra annum post eam depositam, *d. l. vlt. h. t.*

P.208 I. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & THEOD. AAA. Neotherio P.P. (b)

IVDICES, (c) qui se furtis & sceleribus fuerint (d) maculasse (e) conuicti, ablatis Codicillorum insignibus, & honore exuti, inter pessimos (f) quosque & plebeios habeantur: Nec sibi posthac de eo (g) honore blandiantur (h) quo se ipsi (i) indignos iudicauerunt. Dat. XVIII. Kalend. Feb. Thessal. (k) Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

Ista lex tam euidens est, vt expositione non indigeat.

NOTAE.

(a) Relata hæc *lex* a Triboniano in *Cod. Iustin. L. 12. Cod. de dignatibus.* GOTHOFR.

(b) *Neotherius* PP. Orientis sub Theodosio M. v. *Prosopogr. ID.*

(c) *Iudices*, id est, Rectores prouinciarum, Administratores, Cognitores. v. *Gloss. ID.*

(d) Voluerint, MS. W. *RITTER.*

(e) *Maculæ & Maculandi* verbum de sceleribus prædicatur: vide *Glossar. Theod.* Poëta quoque ait:

- - ne crimine vero,
Neu dubio maculer: - -

Ita & interuersorum maculosæ fraudes, *l. 10. inf. de iure fisci*: vide & *l. 41. inf. de Episc. l. 6. infr. de indulg. crimin. l. 3. sup. de iurisdict. l. 19. inf. de hæretic. l. 6. inf. de Apostatis.* GOTHOFR.

(f) *Pessimos*, id est, vilissimos, vltimos scilicet: *h. l. & l. 6. §. 5. Cod. Iust. de postulando*: & *l. 1. inf. de Canone frument. Vrbis Romæ*: *ne pessimus panis populi Romani vsibus ministretur*: pessimus & panis est vltimæ qualitatis: in Glossis *pessimus*; ἔσχατος, κάκιστος, χείριστος, χήρων. Sallustii Codd. quidam in *Iugurthino, c. 102. primus pessimusque. ID.*

(g) Eo, abest a MS. W. *RITTER.*

(h) *Blandiri sibi*, est alicuius rei fiducia inniti, eaque se efferre iactareque, *h. l.* veluti blandiri sibi, auctoritate, *l. 15. inf. de Paganis*: consensu, *l. 1. supr. de raptu vel matrimonio Sanctimonialium*: honore, *h. l. & l. 12. inf. de infirm. his quæ sub Tyr.* iussione, *l. 99. inf. de Decurionibus*: obiectu criminis, *l. vlt. sup. de accusationib.* priuilegio, *l. 127. infr. de Decurionib. l. 16. inf. de Iudæis*: Statuto, *l. 9. inf. de metallis*: speciatim vero hic *honore sibi blandiri*, est per honoris causam vindicare sibi προκαθεδρίαν ἢ ἐν δικαστηρίοις συνεδρίαν, vt Theodorus Græcus Interpres ad hanc *legem* recte notauit GOTHOFR.

(i) *Se ipsos*, Cod. Iust. Hoc tamen rectum est, αὐτοκατακρίτους Græci dicerent: de quo alibi. *ID.*

(k) *Thessalonicæ* constitit hoc tempore Theodosius M. post victoriam de Gothis, vt testatur Zosimus, *lib. 4. cap. 27.* Socrates *lib. 5. c. 6.* Sozomenus *lib. 7. c. 4. ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc constitutio est, aduersus Iudices Repetundarum reos, quomodo & quatuor aliæ insuper eiusdem puta Imperatoris *lex 2. 3. 4. 6. inf. h. t.* *Hac lege* POENA (de ea enim tantum hic quærebatur,) Iudicibus seu Rectoribus Prouinciarum Repetundarum conuictis, damnatis imponitur: a THEODOSIO M. duodecimo hoc Imperii sui mense, & quidem in vrbe Thessalonica (Macedoniæ metropoli) post partam de Gothis victoriam constituto: HONORIS, inquam ablatio; atque inde in pessimos & plebeios (id est in vilissimorum ordinem) retrusio & regradatio. Breuiter pristini honoris priuatio, atque in ordinem plebeiorum submotio. Quæ pœna sane postea quoque exercita in Aruandum P.P. Galliarum, Repetundarum inter cætera damnatum sub Anthemio, vt testatur Sidonius *lib. 1. Epist. 7. Confestim*, inquit, *priuilegiis geminæ Præfecturæ exauctoratus & plebeiæ familiæ, non vt additus, sed vt redditus* &c. Neque absimiliter prorsus Clerici, in specie *leg. vlt. inf. de his qui ad Ecclesias confugiunt*, submoti & reiecti in ordinem plebeiorum. In nullo igitur pristinus honor Repetundarum damnatis prodesse potest, & vt *lex* nostra loquitur, de eo honore sibi posthac blandiri non possunt, quo se ipsi indignos iudicauerunt: Proinde neque in Senatu sedere, neque inter Senatores Principem salutare, neque ordinis prærogatiuam tenere possunt: μήτε προκαθεδρίαν, μήτε ἐν δικαστηρίοις συνεδρίαν, vt Theodorus ad *hanc legem* recte notauit. Ad eandem sane mentem pertinet & hic Lampridii locus, in *Alex. Seuero, cap. 17. Quum quidam* [Iudex] *Septimius Arabinus famosus crimine furtorum, & sub Heliogabalo iam liberatus, inter Senatores Principem salutatum venisset, exclamauit* [Alexander] *o Numina! o Iupiter! o Dii Immortales! Arabinus non solum viuit, verum etiam in* SENATVM

VENIT:

VENIT? *fortassis etiam de me sperat, tam fatuum tam stultum esse me iudicat?* Eodem pertinet Plinii locus *lib. 2. Epist. ad Priscum 12.* vbi de Firmino Legato Repetundarum reo agit. *Cornutus*, inquit, *Tertullus censuit ordine mouendum.* Et mox: *quid publice minus aut congruens aut decorum? notatum a Senatu, in Senatu sedere, ipsisque illis, a quibus sit notatus, æquari?* Verum de Plinii loco, mox plura. Paulus quoque *in sententiis lib. 5. tit. 28.* Et in *l. 38. §. 10. D. de pœnis* scribit, Iudices pedaneos, si pecunia corrupti dicantur, a Præside quandoque Curia submoueri. Huc etiam pertinet, quod in falsi crimine pariter Senatores curia submoti: de quo est insignis Lampridii locus, *in vita Alexandri Seueri cap. 19. Senatorem*, inquit, *nunquam sine omnium Senatorum qui aderant, consilio fecit, ita vt per sententias omnium crearetur, testimonia dicerent summi viri: ac si fefellissent vel testes, vel ii qui sententias dicebant, postea* IN VLTIMUM REIICERENTVR LOCVM CIVIVM CONDEMNATIONE *adhibita, quasi falsi rei approbati, sine vllius indulgentiæ proposito.* Ita enim locus ille vndequaque sanus est, quem vulgo corrumpunt & prauam illi sententiam affingunt. Vnum scilicet hoc loco pœnæ genus proponitur, quo Alexander falsos illos suffragatores e Senatu puniebat, nempe Curia submotio, atque adeo in vltimum ciuium locum reiectio: haud aliter ac Repetundarum reos ex hac Theodosii M. constitutione, dignitate, atque adeo Senatu motos in vltimum ciuium locum, reiici videmus.

Cæterum pœna hæc Senatu motionis solennis ferme fuit in Senatores delinquentes ac nominatim falsi reos. Ecce Paulus *lib. 5. sentent. tit. de testibus*, apud Authorem *Collationis legum Mosaicarum t. 8. § 3.* Item in ipso Sententiarum Corpore *lib. 5. tit. 15. §. 5. Hi*, inquit, *qui falso vel varie testimonia dixerunt, vel*
P. 209 *vtrique parti prodiderunt, aut in exilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut Curia submouentur.* Tribonianus more suo harum pœnarum vice in *l. 16. D. de testibus* hæc adscripsit; *A iudicibus competenter puniuntur.* Falsi igitur pœna in Senatore curia submotio, idque est scilicet, quod Lampridius dixit, *condemnatione adhibita*, quasi falsi rei approbati. Quorum hic sensus est: Alexandrum suffragatores illos qui falsam commendationem in Senatum cooptando dedissent, in vltimum ciuium locum reiecisse, & in ipsa hac reiectionis sententia condemnationem hanc adhibuisse, id est hoc elogium hanc sententiæ causam addidisse, quod hunc vel illum suffragatorem ob falsum suffragium in vltimum ciuium locum reiiceret, quasi falsi reum approbatum, id est, Quasi falsi testimonii reum conuictum. Solemnis scilicet, vt dixi, Senatorum pœna fuit criminis alicuius reorum Curia submotio, veluti falsi idemque ambitus; vt iam monui *ad l. 1. sup. ad leg. Iul. de Ambitu.*

Quinimo veterem hanc Repetundarum neque a Theodosio primum inuectam pœnam fuisse, satis colligat quis ex *l. 7. §. vlt. D. de leg. Iulia Repetundarum.* Et aliunde manifestum est. Nam cum ante *legem Iuliam* Repetundarum pœna exilium fuisset simul & æstimatio, vt Asconius Pædianus notat *Act. in Verr. c. 13.* & Cicero quoque *non semel* subindicat, secuta lex *Iulia* id immutauit: ex ea scilicet, pœna fuit *amissio ordinis, & æstimatio*, nihil vltra: id est qui damnatus eo crimine esset, Senatu moueretur, & Iudices acciperet ad æstimandam litem. De ordinis amissione docet Suetonius *in vita Iulii, c. 43. Repetundarum*, inquit *conuictos etiam ordine Senatorio mouit.* Exempla ordinis ex hac causa amissi suggerit & Suetonius *in vita Othonis cap. 2.* & Tacitus, & Plinius. De incerto quodam ita Suetonius *l. c. Tantum potentia*, inquit, *Otho valuit, vt damnatum de Repetundis Consularem Virum, ingens præmium pactus, priusquam plane restitutionem ei impetrasset, non dubitaret in Senatum ad agendas gratias introducere.* Indicat scil. Suetonius Repetundarum damnato restitutione opus fuisse, vt Senatum ingredi posset: Ordinem igitur amiserat damnatus. Tacitus eodem sensu *lib. 14. An. c. 48.* de Cossutio Capitone Repetundarum lege damnato; *Qui nuper*, inquit, *Senatorium ordinem precibus Tigellini soceri sui receperat.* Amiserat igitur damnatione. Sed apertissime idem *1. Historiar. c. 77. Redditus*, inquit, *Cadio Rufo, Pedio Blæso, Senatorius locus, qui Repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant.* Neque minus aperte Plinius *lib. 2. Epist.* In tota illa perimachia iudicii Repetundarum de Mario Prisco *Epistola 11. 12.* his locis: *Marius Priscus accusantibus Afris, quibus Proconsul præfuit, sponte Senatu abiit, omissa defensione Iudices petiit: Ego & Cornelius Tacitus adesse Prouincialibus iussi, existimauimus fidei nostræ conuenire, notum Senatui facere, excessisse Priscum, immanitate & sæuitia, crimina, quibus dari Iudices possent, cum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset. Respondit Fronto Catius, deprecatusque est, ne quid vltra Repetundarum legem quæreretur. Magna contentio, magni vtrinque Clamores: aliis cognitionem Senatus lege conclusam, aliis liberam solutamque dicentibus, quantumque admisisset reus, tantum vindicandum. Nouissime Consul designatus Iulius Ferox Vir rectus & sanctus, Mario quidem Iudices interim censuit dandos: euocandos autem quibus diceretur innocentium pœnas vendidisse. Quæ sententia non præualuit modo, sed omnino post tantas dissensiones fuit sola frequens.* Et post: *Stabat modo Consularis, modo Septem vir Epulonum, iam neutrum. Erat igitur perquam onerosum accusare damnatum, quem vt premebat atrocitas criminis, ita quasi peractæ damnationis miseratio tuebatur.* Et mox; *Pompeius Collega Marium Repetundarum pœna, quam iam passus esset, censuit relinquendum.* Item *Epist. 12.* de eodem iudicio agens, & quidem de Firmino Legato Marii, qui permixtus causæ erat: *Firminus*, inquit, *inductus in Senatum respondit crimini: sequutæ sunt diuersæ sententiæ Consulum designatorum: Cornutus Tertullus censuit Ordine mouendum: Acutius Nerua in sortitione Prouinciæ rationem eius non habendam: quæ sententia tanquam mitior vicit, cum sit alioquin durior tristiorque. Quid enim miserius quam exectum & exemptum honoribus Senatoriis, laboribus & molestia non carere? quid grauius quam tanta ignominia adfectum non in solitudine latere, sed in hac altissima specula conspiciendum se monstrandumque præbere? Præterea quid publice minus aut congruens aut decorum, notatum a Senatu in Senatu sedere? ipsisque illis a quibus sit notatus æquari? submotum a Proconsulatu, quia se in legatione turpiter gesserat, de Proconsulibus iudicare? damnatumque sordium vel damnare alios vel absoluere? Sed hoc pluribus visum est: Numerantur enim sententiæ, non ponderantur.* Sed & *lib. 4. Epist. 9.* cum de Basso agit: *Censuit*, inquit, *Bebius Macer, Consul designatus, lege Repetundarum Bassum teneri: Cæpio Hispo salua dignitate Iudices dandos. Vterque recte. Qui fieri potest, inquis, cum tam diuersa censuerunt? Quia scilicet & Macro legem intuenti consentaneum fuit damnare eum, qui contra legem munera acceperat: & Cæpio, cum putaret licere Senatui, sicut licet, & mitigare leges, & intendere, non sine ratione veniam dedit facto, vetito quidem, non tamen inusitato. Præualuit sententia Capionis.*

Hæc ergo ordinaria fuit pœna ex *Lege Iulia Repetundarum.* Verum postea pro modo delicti varie in id crimen animaduersum, vt docet IC. *in d. l. 7. §. vlt. D. eod. tit.* Sed & Plinius *superioribus illis verbis libri 2. Epist. 11.* Itaque Tacitus quoque memorat de Vibio Secundo *lib. 14. cap. 28. Accusantibus Mauris Repetundarum damnatur, atque Italia exigitur: ne grauiore pœna afficeretur, Vibii Crispi fratris opibus enixus:* Quemadmodum & idem *lib. 3. Annal. c. 66. 67.* memorat *C. Silano P C. Asiæ Repetundarum damnato aqua & igni interdictum ob insignem scil. sæuitiam.* Et hæc de pœna criminis Repetundarum ex *Lege Iulia*, Senatu inquam motione.

Sane

Sane huius curiæ submotionis vis hæc quoque fuit, vt inter intestabiles quodammodo essent: quod *pessimorum* etiam appellatione *h. l.* Theodosius forte indicat. Et vero Paulus *lib. 2. Sentent.* in *l. 15. D. de testibus.* Itemque Vlpianus in *l. 20. §. 5. D. Qui testam. fac. poss.* Repetundarum damnatum intestabilem esse dicunt. Qua tamen parte inter Vlpianum & Paulum dissidium est. Ait *Paulus*, Repetundarum damnatum nec ad testamentum nec testimonium adhiberi posse: *Vlpianus* contradicit: Eum qui lege Repetundarum damnatus est; ad *testamentum adhiberi posse existimo, quoniam in iudicio testis esse vetatur.* Ita enim in *Pandectis Florentinis* hoc Ideo deest Negatio. Et recte, quidquid Cuiacius contra sentiat. Aperte enim Vlpianus inter testamenta & iudicia distinguit; & distinctionis suæ seu opinionis rationem reddit, hoc sensu: In *lege Iulia repetundarum* nominatim hoc comprehendi, vt Repetundarum damnatus testis in iudicio esse non possit: Itaque cum iudicii tantum fiat mentio, existimare se ait, leg. Iuliam a testimonio tantum iudiciali Repetundarum damnatum submouisse, non etiam ab extraiudiciali. Et sane Vlpiani argumentatio bona est: siquidem omnis Repetundarum damnati pœna eo pertinuit, & satis grauis, vt Senatu tantum & iudiciis submoueretur: siue de consessu, siue de sententia dicenda, siue de testimonio P.210. perhibendo, siue de postulando ageretur. Ecce Venuleius Saturninus *lib. 1. publicorum iudiciorum, in l. 6. §. 1. D. h. t.* legem Iuliam Repetundarum ex professo explicans: *Hac lege*, inquit, *damnatus testimonium* PUBLICE *dicere, aut iudex esse postulareue prohibetur:* Vides actus tantum iudiciales recenseri: Et sane nusquam legas, Repetundarum damnatum infamium numero & intestabilium prorsus recenseri. Equidem quoad Iudiciales actus pertinet, seu quoad Senatum pertinuit, a Senatu & in Senatu infamis fuit Repetundarum damnatus: atque hoc sensu Iuuenalis *Satyra 1.* de Repetundarum damnato agens *a v. 47.*

- - *& hic damnatus inani*
Iudicio (quid enim saluis infamia nummis?)
Exsul ab octaua Marius bibit, & fruitur DIS
Iratis: at tu victrix Prouincia ploras.

Neque contra vrget Cuiacii argumentum, quod plus aliquid sit in testamento testem esse, quam in iudicio: Itaque & mulieris testimonium in iudicio admitti, non in systaticis: ac proinde Repetundarum damnatum, si in iudicio testis esse prohibeatur, multo magis in systaticis, seu in testamento testimonium eius reprobandum. Attendere enim debuit, quod & antea dixi, præter ipsam pecuniarum a Prouincialibus ereptarum Repetitionem, seu æstimationem, vt proprio vtar verbo, qua Prouincialibus consultum, totam Repetundarum damnati pœnam eo pertinuisse, vt a limine Iudiciorum & Senatus submoueretur, tanquam qui sese indignum eo iudicasset, vt *lex* nostra loquitur: Item ne huiusmodi homine, qui Senatus olim & iudiciorum pars fuit, Senatus & iudiciorum oculi cœtusque contaminarentur. Quam ipsam rationem ex Plinio superius adducebamus. Satis pœnæ scil. subire visus, si iudiciorum limine submoueretur, & in plebeiorum ordinem reiecto, cætera cum plebeiis ipsis communia essent, id enim fuit *in plebeios reiici.* Mulieris longe olim ratio est, quæ cur in systaticis testis esse non possit, in iudiciis possit, nemini ignotum esse potest. De eo certe locus est solemnis apud Scholiastem Harmenopoli, *lib. 1. tit. 6. §. 52.*

Denique non satis recte ex *hac lege* a Cuiacio colligitur, Repetundarum iudicium *infamiam* infligere: inter pessimos enim quosque & plebeios haberi, non est infamium numero haberi, sed vt Lampridius dixit, *in vltimum ciuium locum reiici.* Pessimi sunt, non infames, sed vilissimi & vltimi loci. Glossæ Philoxeni, *Pessimus* ἔσχατος. Apud Sallustium qoque *in Iugurthino c. 102.* in Codd. nonnullis, *primi, pessimique* opponuntur. Eodemque sensu *l. 1. inf. de canone frument. Vrbis Romæ:* pessimus panis vltimæ qualitatis dicitur. Hanc autem vocem non admitto apud Spartianum *in Hadriano, c. 7. Ad honores explendos non solum amicis, sed etiam pessimis aliquantis multa largitus est:* etsi ita locus ille & in veteribus editionibus & in manu exaratis legatur. Eo quippe loco vox, *pessimi*, stare non potest, cum honoratorum numero fuisse indicentur illi ipsi: atqui honoratis pessimi *h. l.* opponuntur. *Pessimus* scilicet, vel *Pessumus*, a veteri voce *pessum*, quæ significat κάτω, infimum & solo proximum: vnde & *pessum dare.* Eodem sensu Nequissimus Varroni *Papiapapæ* περὶ ἐγκωμίων apud Nonium *cap. 3. v. iuxta n. 233.* id est similiter: *Qui potest laus videri vera? Innoxius æque furaci est seruus: ac* NEQUISSIMUS, *ciuis iuxta ac P. Africanus:* vbi opponitur nequissimus ciuis P. Africano Scipioni, id est vilissimus nobilissimo.

Vt ad Theodosium *huius legis* Authorem redeamus, non possum quin Zosimi locum adscribam, quia ab hoc tractatu non adeo abludit *lib. 4. cap. 25.* (vide & *cap. 29. 30.*) Θεοδοσίȣ τȣ͂ βασιλέως κατὰ τὴν Θεσσαλονίκην διατρίβοντος, πολλοὶ πανταχόθεν κατὰ ΚΟΙΝΑΣ καὶ ἰδίας συῤῥέοντες χρείας, τῶν προσηκόντων τυγχάνοντες ἀπηλλάττοντο; id est: *Dum Theodosius Imperator Thessalonicæ commoratur, multi vndique ex publicis & priuatis necessitatibus eo confluentes, impetratis ab eo, quæ par erat, discedebant.* Inter communes necessitates κοινὰς χρείας proculdubio fuerunt querelæ de furtis Iudicum, eorumue concussionibus. Quibus sane Theodosius M. QUINQUE *huius tituli* legibus occurrit: nempe *h. l. 1. l. 2. 3. 4. 6.* sunt enim hæ *leges* omnes Theodosii. Illud obseruandum *hac lege* a Theodosio M. Præfectis Prætorio hanc potestatem dari, vt Iudices honore exuant, & ab administratione remoueant: quod idem Theodosius M. dat *l. 3. Cod. Iust. de off. P. P.* Cui haud absimilis potestas defertur Præfecto prætorio *l. 2. prox.*

II. (a) Idem AAA. Eutropio P. P. (b)

HII, qui in Republica versati sinisterius (c) sunt, perpetuo sibi omnes dignitates, vel legitimas, vel (d) honorarias, sciant esse præclusas. Quocirca Iubemus, vt Inlustris Magnificentia Tua nullum omnino, qui superiore tempore male (e) vsæ administrationis crimen excepit, ad prouincias patiatur accedere: sed de his ad Nos referat. Dat. XV. Kal. Iul. Thess. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) Hæc *lex* abest a *Cod. Iustin.* Quænam *leges* huic sociandæ sint? mox dicam. GOTHOFR.

(b) *Eutropius* PP. Orientis scil. sub Theodosio M. *v. Prosopogr.* IDEM.

(c) In

(c) *In Republica versati sinisterius* dicuntur Repetundarum conuicti, vel damnati. *ID.*

(d) Dignitates aliæ legitimæ, aliæ honorariæ: de quo *lib. 6. ID.*

(e) *Male vsæ administrationis crimen*, pro Repetundarum crimine. *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORIS antegesti priuilegia, prærogatiuas, Theodosius M. Repetundarum conuictis Iudicibus superiore constitutione pro pœna subtraxerat, sic vt nullo antegestus honos eis prodesse posset. Hac vero *lege* NOVI deinceps HONORIS alicuius accessum eisdem denegat. Non modo veteris & antegesti honoris priuilegia Repetundarum P.211. reus amittit, sed & portæ dignitatum ei omnino in posterum præcluduntur, & vt propriis verbis vtar, in sortitione prouinciarum & honorum ratio eius nulla habetur: vid. Plinii *locum lib. 2. epist. 12.* quem ad superiorem *legem* protuli. Dignitatum, inquam, (quæ prima hic extensio) non modo legitimarum, id est, ἐμπράκτων, verum etiam honorariarum seu imaginariarum: de qua dignitatum distinctione dixi *sup. lib. 6. tit. 22. de honorar. Codicill.* Ne quidem vmbram dignitatum seu vmbratiles honores Repetundarum semel damnatus, deinceps capessere potest: vt ita rapo, qui *vmbram quoque spei deuorasset* (vt loquitur Varro in *Satyra Papiapapæ περὶ ἐγκωμίων*, apud Nonium *cap. 1. voc. Rapones num. 108.*) ab vmbra quoque honorum arceatur. Quamlibet (quæ secunda extensio est) longum tempus a damnatione effluxerit, vel saltem quamlibet sub anteriore Principe huius criminis reus factus fuerit: id quod indicatur his *huius l.* verbis: PERPETVO *sibi dignitates sciant esse præclusas:* Item, *Nullum omnino qui superiore tempore male vsæ administrationis crimen excepit, ad prouincias patiatur accedere.* Superiore tempore, id est, etsi iamdudum, etsi sub alio Principe; veluti sub Constantio, Iuliano, Iouiano, Valente: quem proxime excepit Theodosius noster. *Superius tempus*, quod in superiorum Principum tempora incurrit. Ita *superiores*, pro anterioribus Principibus. Quo sensu Lampridius in *Alex. Seuero, cap. 24. Ex eoque* [vectigali] *iussit Thermas, & quas ipse fundauerat, & superiores, populi vsibus exhiberi.* Porro Valentis Imperium maxime indicari puto: sub quo Repetundarum crimen seuere exactum, de quo dicam ad *l. 7. inf. de famosis libellis.* Vulpes scilicet pilum, non animum mutat: & admissa semel cupiditas cum animo senescit, ægreque eiicitur. Non est ei vnquam prouincialium tutela committenda, qui cupiditati vela semel laxauit, suas vt impleret auro domos. Tritum est illud, *semel malus* &c. Qui irato sibi habenas dedit semel, neque cupiditati imposuit frenos (vt Varro in huius argumenti *Satyra, Flexabulis, περὶ ἐπαρχιῶν* scribit) ei miserorum tutela misere committitur: quandoquidem non tam facile eiicitur in animi possessionem missa cupiditas. Tertio quamlibet Princeps ipse Repetundarum & cupiditatis semel damnato Prouinciæ administrationem commiserit, obreptione forte sibi facta, non ideo magis ad Prouinciæ gubernacula admittendus is est. Scilicet, vt non omnium cognitionem vel memoriam, ac maxime quæ superiore tempore, id est sub anterioribus Principibus gesta Principes habere possunt, ita veteres Prouincialium querelas Principes reponi sibi, vt vice versa laudes bene gestæ administrationis ingeri sibi (de quo vide Lampridii locum *in Alex. Seuero, cap. 22. l. 3. Cod. Iust. de off. Rector. prouinciæ:*) facile patiuntur. Ideoque *h. l.* iubet Theodosius a Præfecto Prætorio refutari & reiici huiusmodi nouos Rectores, quibus administratio Prouinciæ commissa, si ipsi nouerint aut recordentur superioribus temporibus eundem illum iam antea Repetundarum damnatum. Tanta fuit Præfectorum Prætorio potestas, vt missum ad prouinciam gubernandam a Principe prohibere possent ad Prouincias scilicet regendas accedere: interea dum iusta ex causa ad Principem de eo referrent, quæ sibi viderentur. Quod quidem bono publico introductum hac parte a Theodosio vtiliter vsurpatur. Quinimo & Iudices fures pœnis subiiciendi potestas data citra referendi ad Principem necessitatem, *l. 3. Cod. Iust. de off. P. P. Orientis.* Et ita quidem hæc accipienda de his, quibus Princeps cum eos Repetundarum & malæ administrationis reos fuisse nesciret, administratione aliqua donauit. Aliud enim fuerit (neque eo pertinet *hæc lex* vt ipsa satis prodit) si ex certa scientia veterem Repetundarum reum honore dignatus fuerit, atque adeo restituerit: Principis enim est maculosas notas abstergere: & sacrilegii instar est dubitare, an is dignus sit quem ELEGERIT Princeps *l. 3. C. Iust. de crim. sacril.* &c. Postrema ampliatio isthæc est, quod in *omnibus* id obseruari iubet. Nullius scil. tanta auctoritas esse potest, vt Prouincialium vtilitatem eius contemplatu insuper haberi oporteat, vel vt is vmbram saltem honorum, quibus semetipsum indignum iudicauit, assequatur. Breuiter, Repetundarum semel damnato portæ dignitatum deinceps præclusæ sunt. Neque ea re tamen efficitur, vt extra actus iudiciales *infamium* numero sit.

Tandem obseruandum, *hanc legem*, partem esse constitutionis Theodosianæ, qua furtis, concussionibus, potentatui Iudicum seu prouincialium Rectorum prolixe & enixe occurrit: cuius complures aliæ partes sunt; ac proinde huic *legi* sociandæ seu iungendæ *lex 8. 9. inf. de bonis proscript. lex 6. supr. de sponsalib. lex vn. sup. si prouinciæ Rector, vel ad eum pertinentes sponsalia dederint: lex vn. sup. de vsur. rei iudicatæ:* itemque *lex 16. Cod. Iustin. de testamentis:* quam expendi ad *leg. quicunque, sup. de iis quæ adm.* Quæ omnes leges Eutropio PP. pariter inscribuntur. Quinimo iungendæ huic, hisque omnibus sunt, & subscriptionis paritate & argumenti similitudine, *lex vn. sup. si quacunque prædit. potest. lex, quicunque, sup. de iis quæ administr.* quamlibet Neoterio PP. & Floro inscribantur.

Ex hac lege, & plerisque aliis, quas huic nostræ coniungendas dixi; itemque ex aliquot aliis huius tituli legib. apparet enixum Theodosii M. studium in reprimendis Iudicum *furtis*, concussionibus. Ad hanc *legem* non incommode referetur hic Lampridii locus in *Alex. Seuero cap. 28. Cum quidam ex Honoratis vitæ sordidæ, & aliquando furtorum reus, per ambitionem nimiam ad Militiam* [aliquam seu dignitatem] *adspirasset, idcirco quod per Reges Amicos ambierat, admissus, statim in furto præsentibus patronis detectus est, iussusque a Regibus audiri, damnatus est re probata. Et cum quæreretur a Regibus quid apud eos paterentur fures? illi responderunt, Crucem. Ad eorum responsum in crucem sublatus est. Ita & patronis authoribus damnatus ambitor est: & Alexandri, quam præcipue tuebatur, seruata clementia est.*

P. 212

III. (a) Idem AAA. Matroniano Duci & Præsidi (b) Sardiniæ. (c)

VT (d) vnius pœna, metus possit esse multorum, Natalem, (e) quondam (f) Ducem, (g) sub custodia Protectorum, (h) ad prouinciam quam nudauerat, (i) ire præcipimus, vt non solum, quod eius non (k) dicam Domesticus, (l) sed Manipularius (m) & Minister accepit, (n) verum etiam quod ipse a prouincialibus nostris rapuit, (o) ac sustulit, in quadruplum inuitus exsoluat. Dat. Prid. Id. Iun. Constantinop. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

N O T A E.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. titulo.* GOTHOFRED.

(b) Nonnullæ Prouinciæ eundem & Ducem & Præsidem habuerunt: id est, eidem & ciuilium rerum seu partium, & militarium cura commissa fuit, vt præter *hanc legem*, docet quoque *lex* 32. §. 1. *Cod. Iust. de appellationib.* ID.

(c) *Sardiniam* Præses hoc tempore rexit, vt complures aliæ *leges hoc Cod.* ostendunt: Sed & Sextus Rufus in *Breuiario ad Valentem cap.* 4. IDEM.

(d) De hac sententia seu hoc altero pœnarum fine, ἐς παράδειγμα, consulendi alii: e multis hoc Cypriani *sermone* 5. *de lapsis p.* 132. *edit. Ioannis Episcop. Oxoniens. Brem. recus. Exempla sunt omnium tormenta paucorum*: vid. & *l.* 28. §. 15. *D. de pœnis l.* 31. *D. depositi.* Hieronymus, *ad Demetriadem ep.* 8. de Ananiæ & Saphiræ iudicio *Tom. I. Oper. p.* 44. *edit. Francf. apud Christ. Gensch. Petrus Dei iudicium Prophetico spiritu annunciat, vt pœna duorum hominum sit doctrina multorum.* Vegetius 3. *de re militar. cap.* 4. quod huic proximum est, *vt ad omnes metus, ad paucos pœna perueniat.* ID.

(e) Hæc verba, *Natalem quondam,* Tribonianus induxit, quæ scil ad horum temporum historiam pertinent. Quis autem hic *Natalis* fuerit, & quando Dux Sardiniæ fuerit? nusquam reperio. Existimo sub Valente. Ex *hac* interim *lege* Theodosii apparet: Sardiniam his temporibus Orientalis Imperii prouinciam fuisse; quæ postea Occidentali, & quidem Italiæ primum, postea vero Africæ attributa fuit, de quo *alibi.* ID.

(f) Vide quæ dicam ad *l. vlt. infr.* ID.

(g) *Qui male egit,* hoc addit Tribonianus quo nihil opus fuerat: id enim *nudandi* verbum, quod mox sequitur, ipsum significat. Quinimo & quæ sequuntur satis indicant. ID.

(h) *Cum custodia competenti*: Ita Tribonianus. ID.

(i) *Nudare* prouinciam, est spoliare, concutere. Tribonianus autem hic reposuit, *nudauerit*, vt ita in futurum hanc *legem* traduceret, quæ ad horum temporum historiam speciatim pertinebat. ID.

(k) *Non dicam*, id est, non modo: ita *l.* 2. *supr. de raptu vel matrim. Sanctim. Si quis non dicam rapere, sed vel adtemptare matrimonii iungendi causa, vel inuitare, &c* ID.

(l) De *Domesticis* his, *titulus supr. libr.* 1. *de adsessoribus domesticis & Cancellariis.* ID.

(m) *Manipularius.* Vno sensu Gloss. ταξιάρχος, *Ordinarius, Manipularius*: vide plura in *Commentario.* ID.

(n) *Acceperit*, Cod. Iust. RITTER.

(o) *Rapuerit, aut sustulerit*: Ita Tribonianus, ratione quam superius perstrinxi. GOTHOFRED.

COMMENTARIVS.

REDIRE seu REDVCI in Prouinciam Iudex seu Rector Prouinciæ, & Dux idem in *sp. huius leg.* sub Protectorum custodia (his enim prosecutio reorum & custodia sæpe commissa, de quo *suo titulo sup.*) quam scilicet spoliasse dicitur, a Theodosio M. *h. l.* iubetur: Nempe vt querelas Prouincialium ibi excipiat, singulique qui ab eo spoliati, quod suum est, apud nouum Prouinciæ Iudicem repetant. Haud absimiliter Valentinianus iubet, *l.* 13. *inf. de operibus publicis*: *Ducem, qui administrationis suæ tempore in limite sibi commisso, turres quæ refectione indigebant, non refecit, vel etiam nouas locis opportunis seu necessariis non extruxit, finita administratione reuocari seu reduci ad limitem oportere, vt ex propriis facultatibus eas extruere cogatur, quas administrationis tempore adiumentis militum debuerat, & potuerat fabricare.* Repetundarum igitur reus prouincia administrata digressus, antequam Prouincialium querelas exciperet, vel etiam quacunque ratione delusis Prouincialium querelis; (forte superiorum temporum conniuentia vel iniquitate) sub bono Principe in Prouinciam recte remittitur, vt Prouincialium querelas excipiat: vt ita in locis ipsis constituto eo, suum singuli quoque apud nouum Iudicem repetere & recuperare possint. Qua certe non alia melior Prouincialibus miseris & nudatis consulendi ratio est. Nam quo cæteræ Repetundarum pœnæ quamlibet graues, quibus disciplina publica vindicari potest, nisi singulis suum repetentibus redditur? ne alioquin sit illud, quod & antea laudabam: ex Iuuen. *Sat. I. v.* 47. *sqq.*

> - - *& hic damnatus* INANI
> IVDICIO (*quid enim saluis infamia nummis?*)
> *Exsul ab octaua Marius bibit, & fruitur* DIS
> *Iratis: at tu* VICTRIX PROVINCIA
> PLORAS.

Huc pertinet etiam illud Capitolini, in *Antonino Pio, c.* 10. *Si quos Repetundarum damnauit, eorum liberis bona paterna restituit, ea tamen lege, vt illi prouincialibus redderent, quod parentes acceperant.* Denique huc pertinet, quod de Æstimatione & Iudice in id accepto in iudicio *Repetundarum*, notaui ad *l.* 1. *supr.*

Hoc vt æquum, ita quod dixi non alia temere melior ratio, quam si Repetundarum Rei ipsi sub oculis Prouincialium constituantur: cum alioquin miserrimorum querelæ ad Principem vel nunquam vel serius perueniant, vel etiam Iudices ad æstimationem ineundam dati, non omnibus suum reddere possent: forte non conqueri valentibus omnibus: vel iudice absente non satis damnum

æstimare

æſtimare valente. In rem igitur præſentem deſcendi oportet, ne prouincialium querelæ pereant. Quod & ipſum probat *lex 33. ſup. de erogatione milit. annona.*

Et vero hac de cauſa quoque poſtea conſtitutum, vt Cancellarii & Domeſtici Iudicum poſt depoſitam adminiſtrationem tempus aliquod in Prouincia facerent ſeu manerent, *l. 3. Cod. Iuſt. de Adſeſſoribus & domeſticis* (quæ lex eſt Honorii) *Conſiliarios*, inquit, *Iudicum & Cancellarios, & eos, qui Domeſticorum funguntur officio poſt depoſitam adminiſtrationem quinquaginta dies reſidere in Prouinciis præcipimus, pro confeſſo autem tenebitur qui accuſatus huiuſmodi perſonam ſubtraxerit, &c.* Ait, *quinquaginta dies*, non Honorius, vt puto, ſed Tribonianus ex *l. Zenonis.* Triennium ſane integrum Theodoſius Iun. requirit, *l. 3. ſupr. de Adſeſſoribus domeſticis*, vbi dixi. De Iudicibus ipſis quoque poſtea conſtitutum tale aliquid. Ac primum quidem a Valentiniano *Nouella, inter Theodoſianas 23. in fine*, ſancitum, vt Africæ Iudices ante trimeſtre integrum exactum Prouincia excedere non poſſint; hac ratione addita, *vt coram poſitus bene acta rei fruatur laudibus, aut certe ſi direptionis alicuius docebitur conſcius, diſceſſus celeritate ſe non ſubtrahat.* Poſtea a Zenone iuſſi ſunt omnes Iudices, tam ciuiles quam militares, poſt adminiſtrationem depoſitam quinquaginta tantum dies (pariter vt de Conſiliariis, Cancellariis, & Domeſticis cauetur *d. l. 3. Cod. Iuſt. de aſſeſſoribus*, in Prouincia manere: Et quidem in Metropolibus Prouinciarum, vel illuſtrioribus Prouinciæ ciuitatibus, in celeberrimis inſuper earum locis ante omnium, quos gubernauerant ora: vt pateat omnibus facultas libera ſuper furtis aut criminibus querimoniam commouendi: *l. vnic. Cod. Iuſt. vt omnes Iudices.* Vbi etiam illud ſtatuitur, §. 2. quod *huic legi* apprime conuenit. *Ipſe autem qui præſentem fugiens non obſeruauerit legem, vbicunque repertus fuerit, licet in hac florentiſſima ciuitate,* AD PROVINCIAM *ſine vllo penitus obſtaculo, præceptione Tui Culminis, cura etiam V. C. Rectoris Prouinciæ in qua repertus fuerit,* DEDVCETVR, *per ſex menſium curricula ibidem moraturus, quatenus interea minima poſſint crimina vel furta celari.*

p. 213.

Sic igitur teneamus, ad Prouincialium querelas excipiendas ante hanc *leg.* Iuliani & Valentis Conſtitutionibus, *l. 6. & 9. ſupr. de Numerariis*, conſtitutum fuiſſe, vt Numerarii ſeu Tabularii peracto officio, anno, vel biennio in prouinciis reſiderent, vt ederent rationem torporis & ſegnitiæ. Verum eo tempore de Iudicibus eorumque domeſticis nihil dum tale quid conſtitutum fuerat; verum & legem Iuliani & poſt hanc demum legem, poſt Theodoſii M. inquam tempora hanc cautelam repertam temporis ſcilicet alicuius faciendi a Iudice eiuſque domeſticis, poſt finitum actum & adminiſtrationem in prouincia. Ac primo quidem de *Domeſticis* & Cancellariis Iudicum id ab Honorio Imp. cautum, vt poſt depoſitum actum aliquod tempus in prouincia faciant, *l. 3. Cod. Iuſt. de aſſeſſor. domeſt.* Honorium quoque ſecutus Theodoſius Iunior, qui & ipſe cauit, vt poſt depoſitam a dominis ſuis adminiſtrationem integro triennio intra Prouinciam manerent, vt ex his quæſtio, ſi quando opus haberetur & veritas erui poſſet: Toto inquam triennio, id enim *l. vlt. ſupr. de Aſſeſſoribus*, a Theodoſio Iuniore conſtitutum. Idque ipſum proculdubio antea cautum fuerat, & ab Honorio eius patruo *in l. 3. Cod. Iuſt. eod. tit.* quam Tribonianus interpolauit. Hæc ita inquam primo de Domeſticis Iudicum cauta. At mox ipſi Iudices iuſſi depoſita adminiſtratione tempus aliquod in eadem prouincia facere *d. Nouell.* Valentiniani, *d. l. vn.* Zenonis. Atque hic eſt genuinus huiuſce iuris progreſſus nondum obſeruatus.

Ex quo etiam apparet, perperam a Cuiacio emendari *legem vlt. ſupr. de Adſeſſoribus* ſimul & de Triboniani flagitio *in d. l. 3. Cod. Iuſt. de Adſeſſor.* Quid ergo? Theodoſius M. ea cautione, quam *h. l.* inducit, Prouincialibus nihilo ſecius cauet, remiſſo videlicet in Prouinciam Iudice Repetundarum accuſato. Porro Iudicem, ſeu Ducem, Repetundarum reum Theodoſius M. *h. l.* duabus POENIS ſubiicit: Primo ſuorum quoque nomine eum Repetundarum teneri vult: id eſt, ſi quid eius domeſticus, manipularis, aut miniſter deliquit ſiue rapuit: Domeſticorum ſcilicet & miniſtrorum comitumque & cohortis ſuæ furta, rapinas, Iudex præſtare tenetur. Quod ſingulare eſt: extra coniugem enim ſeu vxorem, cuius delicti ratio & vindicta a marito exigebatur, *l. 4. §. 2. D. de officio Proconſulis*, Iudices Repetundarum domeſticorum vel cohortis aut Comitum nomine conueniri potuiſſe non lego. Contra in ipſos cohortales comites, iudicium Repetundarum datum, apparet ex *l. 1. in pr. l. 5. D. de lege Iulia Repetundarum.* Verum iure id ita a Theodoſio conſtitutum, vtpote cum Iudices rapinas ſuas clam per huiuſmodi domeſticos, & miniſtros exercerent, vel certe exercentibus conniuerent. Quo pertinet illud Iuuenalis, *Satyra 8.* ad Rectorem Prouinciæ, *a v. 127.*

Si tibi ſancta cohors comitum, ſi nemo tribunal
Vendit Acerſecomes, ſi nullum in coniuge crimen
Nec per conuentus & cuncta per oppida, curuis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno:

De domeſticis porro Iudicum dixi *ſuo titulo de aſſeſſoribus domeſticis & cancellariis:* & nominatim quatenus ad inuidiam Rectorum porrigantur, ſecus geſta a domeſticis: vide *l. vn. ſupr. ſi prouincia Rector:* quæ *legi ſuperiori 2. ſup. h. tit.* coniungenda eſt.

Quinimo, non de domeſticorum tantum crimine ſeu furto teneri Iudicem vult *h. l.* Theodoſius ſed & de Manipularii & Miniſtri. De Manipulis hoc æuo Marcellinus *lib. 21. cap. 13. lib. 23. cap. 5.* & Vegetius *lib. 2. c. 13.* At *Manipularius* hic quis? *Manipularius* vno ſenſu eſt manipuli ductor, Gloſſ. ταξιάρχος, *Ordinarius. Manipularius:* aliæ Gloſſæ *Manipularius*, ἀρχηγὸς λόχου. Alio vero ſenſu *Manipularius* eſt, infimi ordinis miniſter & miles. Feſtus *voc. Ordinarium: Sunt quidam etiam, qui manipularem eum, qui infimi ordinis ſit, appellatum credant Ordinarium:* Quanquam & Feſti locus accipi poteſt, de infimi ordinis ductore. Λοχιτὴς Syneſio *ep. 44.* eſt *apparitor* quicumque, vbi de Ioannis Ducis λοχιταῖς ac nominatim de Spatalo, quo vſus videbatur ad interficiendum Æmilium. (quod de ordinariis adiicit *Gloſſarium:* de eo dixi ad *l. 16. ſup. de cohortalib.* & *l. 3. de iis quæ adminiſtr.*) An igitur priore ſenſu hic manipularius accipiendus? quo etiam ſenſu dixit Spartianus *in Hadriano cap. 10. Ipſe quoque inter manipulares vitam militarem magiſtrans.* Cuius loci ſenſus eſt: Hadrianum quaſi manipularium, id eſt manipuli ductorem, milites ſeu commanipulos docuiſſe vitam militarem: ſcilicet Manipularii fuit, cuiuſque manipuli milites vitam militarem magiſtrare, id eſt artem militarem docere. Eodemque ſenſu Feſtus *in voce, magiſterare.* Putem *hac l.* manipularium accipiendum pro vili & gregario milite: ſic enim Theodoſius a maiori ad minus hic procedit: *non ſolum quod eius non dicam Domeſticus, ſed Manipularius & miniſter accepit.* &c.

Miniſtri denique *h. l.* diſtinguuntur a Manipulariis & domeſticis, & quidem minores & inferioris ordinis. Erant igitur miniſtri priuatæ vitæ quos ſibimet ipſi magiſtratus eligebant. Domeſticos enim

enim publice electos accipiebant. Et hæc de primo pœnæ genere.

Alterum pœnæ genus est pœna *Quadrupli*, quæ solemnis alioquin furti & rapinæ pœna, de qua v. & Chrysostomum *homilia 52. in Matth. in f. pag. 536. Tom. VII. Oper Edit. Benedictin.* cum antea ordinibus motis æstimationis pœna simpli videlicet imponeretur: vt notaui *ad l. 1. supr.* Quadrupli scilicet pœna Repetundarum reo imposita, *h. l.* & *l. 3.* p. 214. *Cod. Iust. de Adsessorib.* quæ & ipsa pœna peculatus fuit, *l. penult. D. ad leg. Iuliam peculatus.* Et paulus *5. sentent. tit. 27.* de qua Peculatus & Repetundarum similitudine dicetur ad *tit. prox.* & ad *l. 5. h. t.* Et quidem totum Quadruplum prouinciali spoliato cedere voluisse Theodosium *h. l.* verosimile est. Et tamen *l. 3. Cod. de Assessorib.* quadruplum hoc, inter fiscum & spoliatum diuidi iubet.

Duo obiter ex *hac lege* notanda, Primo *Protectoribus*, de quibus fuit *titulus 24. l. 6.* vt corripiendorum, exhibendorum, prosequendorum, retrahendorum reorum, munus impositum, quod ostendit Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 7.* & *lib. 29. cap. 3.* & *lib. 15. cap. 3.* ita|& custodiam reorum commissam. Quod & ipsum duobus exemplis ex Ammiano Marcellino firmatur, *lib. 14. cap. 7. Præfecti,* inquit, *custodiam Protectoribus mandauerat fidis.* Et *lib. 29. cap. 5. Romanum cum domesticis custodiendum Protectoribus committi mandauit.* Sed & Symmachus *lib. 10. ep. 49. Cum de Macedonio sequius de Repub. merito* (id est Repetundarum reo) *itemque Aminiano, dudum mihi iudicium Perennitas Vestra legauerit, Aminianum quidem Protectorum attestatione cognoui, cum vrbis vicina contingeret, languore consumptum: de Macedonio varia iactantur, quem iampridem debuit custodum sollicitudo perducere.* Et mox: *Si forte designatum reum cognitioni meæ prosequentium cura tradiderit.* vide & quæ dixi ad *legem 4. supr. de executoribus.*

Postremo notanda hypothesis Historica *huius l.* de *Natali*, inquam, Duce quondam Sardiniæ, qui prouinciam nudauerat, seu prouinciales spoliauerat: quem ideo reduci sub Protectoribus in prouinciam iubet Theodosius M. Quis autem hic Natalis fuerit, & quando Dux Sardiniæ fuerit, nuspiam reperio: sub Valente fuisse videtur. Ex hoc interim colligimus, *Sardiniam* hoc tempore Orientalis Imperii prouinciam fuisse, quæ postea Occidenti, & quidem Italiæ, postea Africæ attributa fuit: de quo alibi.

IV. (a) Idem. AAA. Floro P. P.

SCIANT Iudices super admissis propriis, (b) aut a se, aut ab heredibus suis, pœnam esse repetendam. (c) Dat. X. Kal. Septemb. Antonio & Syagrio COSS. [382.]

INTERPRETATIO. *Omnes Iudices sciant, quicquid male rapuerint, si ipsi non reddiderint, a suis heredibus esse reddeudum.* (d)

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* Forte *huic legi* iungenda *lex 3. sup. de sentent. ex peric. recit.* vbi vide quæ dixi. *GOTHOFR.*

(b) Alii tentant *probris*, quod etiam *Anianei Codices* quidam præferunt. Tentet quis *properiis.* Properium est scelus, crimen & nominatim rapina Iudicum. Quo tamen nil necesse est: *admissa propria* vocat *lex*, respectu hæredum. *Admissa* autem, id est, rapta, vt præter *Rubricam*, vidit quoque *Anianus. ID. Probris*, legit MS. W. *RITTER.*

(c) Hinc *Repetundarum* crimen. *GOTHOFR.*

(d) *Soluendum*, MSS. W. & G. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

HÆREDES quoque Repetundarum Rei, pœna Repetundarum teneri definit *hac l.* Theodosius M. scilicet & hac ratione Iudicum cupiditati occurrendum putauit, vti scirent, quanquam ipsi forte euaderent, ab hæredibus tamen suis pœnam vel sero repetendam, quamlibet aduersus eos lis contestata non fuerit, neque conuenti aut condemnati fuerint. Neque tamen hoc etiam primum Theodosius excogitauit: iam olim enim crimen Repetundarum eorum criminum numero fuit, quæ etiam mortuis reis cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit: *similiter* aduersus hæredem, id est, similiter atque in ipsum reum exerceretur si viueret. *l. 20. D. de accusationib.* & *l. 2. D. de Lege Iulia Repetundarum:* & *l. vlt. D. ad leg. Iuliam Peculatus.* Eiusque rei rationem adsignat Papinianus *in d. l. vlt. Nec immerito*, inquit, *cum in hoc iudicio quæstio principalis ablatæ pecuniæ moueatur.* Cuius rationis hæc est sententia: Quemadmodum principalis quæstio ablatæ scil. pecuniæ adhuc & similiter exerceri potest, ita pœnæ quoque persecutionem cum principali quæstione exerceri posse: Si principalis quæstio transit in hæredem, ergo & pœna. Plinius quoque *lib. 3. Epist. ad Minutianum 9.* de Classico Repetundarum reo agens, *Bætica*, inquit, *etiam in defuncti accusatione perstabat: prouisum hoc* LEGIBVS, *intermissum tamen, & post longam intercapedinem tunc reductum.* Et mox: *Bona Classici, quæ habuisset ante prouinciam, placuit Senatui a reliquis separari: illa filiæ, hæc spoliatis relinqui. Additum est, vt pecuniæ quas creditoribus soluerat, reuocarentur.* Ipsa igitur lege Iulia *Repetundarum* id cautum fuerat, quod præter Plinium, *d. lex 2. D. eod. tit.* comprobare videtur: Ex qua tamen ipsa discimus hanc actionem in hæredes datam *intra annum duntaxat* a morte eius qui arguebatur. Quod tamen non ita Theodosio placuisse videtur: quandoquidem pœnam repeti vult indistincte ab hæredibus, cito vel sero; de quo ad *leg. vlt.*

Porro pœnam *Quadrupli* intelligit *hic* Theodosius: quod etiam Græci recte viderunt: quam *superiore lege* quoque constituit. Et fallitur Interpres, qui hanc *legem* interpretatur de sola rei persecutione; seu *de reddendo* (tantum) *eo quod male raptum fuit:* cum contra aperte *h. l.* dicatur, POENAM *repetendam.* Itaque recte quoque Græci ὑποκείσθω τῷ νόμῳ.

V. (a)

p.215. V. (a) Idem AAA. Haue Marcelline (b) K. NB.

OMNES Cognitores, & (c) Iudices, (d) a pecuniis atque patrimoniis manus (e) abstineant: neque alienum iurgium, putent suam prædam. Etenim, priuatarum (f) quoque litium Cognitor, idemque mercator, parem (g) capitis ac vitæ, quæ Peculatus reos consueuit inuoluere, cogetur subire iacturam. Dat. Prid. Non. April. Med. Merob. II. & Saturnino COSS. [383.]

NOTAE.

(a) *Lex* 3. *Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFR.*

(b) *Marcellinus* hic videtur fuisse in maiore aliqua supra Ordinarios Iudices dignitate constitutus: Quandoquidem de Cognitorum, id est Rectorum Prouinciarum pœna agitur. Nisi putemus *Marcellino* extra ordinem negotium datum, cum potestate ad inquisitionem facinorosorum prauorumque Iudicum. An vero hic Ammianus Marcellinus noster est, qui historiam vulgarit? Sane id ita omnino censeo. Nam & tempora conueniunt: Hoc quippe tempore Romæ in magna gratia erat, vt testatur Libanii *ad eum* Epistola. *ID.* Vide si placet, HENRICI VALESII doctissimam præfationem ad Marcellini historiam, in qua & epistolam Libanii integram inuenies, & alia multa huc pertinentia. Adde CLAVD. CHIFLETII *Μονοβίβλιον de vita Ammiani*; & illa denique, quæ de Marcellino HADR. VALESIVS in fronte editionis suæ monuit. *RITTER.*

(c) Pro *vel*, seu *id est*. Idem scilicet Cognitor & Iudex, & vterque Iudex Ordinarius, Rector Prouinciæ: vide *Gloss. Theod.* Quare inepte *Glossa*, cum hæc distinguit ita, Cognitores scil. delegatos: Iudices ordinarios. Et certe mox solus *cognitor* nominatur. *GOTHOFR.*

(d) Rectores Prouinciarum singularum. *ID.*

(e) Manus abstinentes, seu manus puræ in Iudicibus requiruntur. Vide *Nouellam Iustiniani* 8. *præfat.* §. 1. *init.* & *Nouella* 17. *cap.* 1. & Symmachum, *lib.* 9. *Epist.* 39. ideoque Iudicum imagines sine manibus Thebanos in publico proposuisse memorat Plutarchus, *de Iside & Osiride pag.* 355. *Tom. II. Oper. edit. Wechel.* *ID.*

(f) Priuatarum litium cognitor, opposite ad Iudices seu Magistratus & Rationales. *ID.*

(g) *Statutam legibus cogetur subire iacturam.* Ita Tribonianus hunc locum deformauit. *ID.*

COMMENTARIVS.

POENA Repetundarum reis a Valentiniano Iuniore hac Constitutione, eadem quæ peculatus reis imponitur: non senatu motionis tantum aut æstimationis (de quo ad *l.* 1. *sup.*) vel quadrupli, verum capitis & vitæ. Repetundarum, inquam, reis, *Cognitoribus* omnibus, id est, Iudicibus, seu prouinciarum Rectoribus: hi enim *Cognitores* & *Iudices* proprie dicuntur: priuatarum litium cognitoribus, id est, iis qui inter priuatos cognoscunt (καθ' ἀντιδιαστολὴν scilicet, seu ad differentiam eorum qui *inter priuatum* & *fiscum* cognoscunt, qui Procuratores sunt vel *Rationales*.) At non omnibus, sed iis speciatim, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperint: ibi, *neque alienum iurgium putent suam prædam:* vbi IVRGIVM indicat quoque, imo proprie significat causam ciuilem & pecuniariam: vt proinde male Glossator negauerit *huius legis* pœnam pertinere ad causas ciuiles, sed tantum ad criminales. Quem alioquin confutant generalia & propria hac in re *huius legis* verba; nempe *Priuatarum litium cognitor idemque mercator.* Hæc vero ipsa pœna, *leg. XII. Tabul.* imposita fuerat, vt testatur Cæcilius apud Gellium *lib.* 20. *cap.* 1. Verum Tribonianus prælata Quadrupli pœna hanc legem interpolandam sibi duxit.

Illud præterire non possum, male hanc *legem* referri a pragmaticis ad Ergolabos, siue redemptores litium: Est enim hæc *lex* de cognitoribus & Iudicibus, qui venalem quoquomodo habent sententiam, vt loquitur *l. prox.* 6. *inf.* quas hæc *lex* proprie *mercatores* vocat. Mercator iudex est, qui, alienum iurgium putat esse suam prædam: id est, qui sententiam venalem habet. Author incertus, subditus *Notitiæ Imperii*, *cap. de Iudicum prauitate*, 4. *Ad hæc*, inquit, *incommoda*, *quæ Prouincias auaritiæ artibus vexant*, *accidit etiam Iudicum execranda cupiditas collatorum vtilitatibus inimica: Nam hi despecta reuerentia dignitatum, velut mercatores in Prouincias se missos existimant eo grauiores*, *quod ab his procedit iniquitas*, *vnde debuit sperari medicina.* Alio sensu, quanquam proximo & ferme contiguo, *mercatores potestatum*, dicuntur apud Lampridium in *Alexandro Seuero cap.* 49. *Mercatores prouinciarum*, Cicero *in orat. post reditum cap* 9. & in ea quam habuit *ad Senatum c.* 4. Dixi *contiguo significatu:* A mercaturis enim potestatum procliuis sæpe transitus ad venalitium sententiarum. Quare & veteris editionis & scripturæ lectio apud Lampridium in *Alexandro Seuero c.* 49. probabilis: *Honores iuris gladii nunquam vendi passus est*, *dicens: Necesse est*, *vt qui emit*, *vendat: Ego non patiar mercatores potestatum: quos*, *si pariant*, *damnare non possim.* *Erubesco enim punire illum hominem*, *qui emit*, *& vendit.* (a) Si *pariant*, id est, si paria faciunt, ac proinde si itidem vendunt, vt emerunt. Par & proximum mercaturæ potestatum est mercatura iudiciorum, & paria facit, qui vendit quod emit: *iuris gentium est vendere quod emeris;* vt alicubi Seneca loquitur: & Martialis *lib.* 2. *Epigrammat.* 20.

Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

Senecæ verba merentur quæ adscribantur, 1. *de beneficiis*, 9. *in fin.* *Nam Prouincias spoliari*, *nummarium tribunal*, *audita vtrinque licitatione alteri addici*, *non mirum: quando quæ emeris*, *vendere gentium ius est.* Quanquam & vulgata apud Lampridium lectio defendi potest, *quos si patiar*, *damnare*

(a) Vide ad hunc locum CL. SALMASIVM, cuius obseruationem Noster huc transtulit.

nare non possim: damnare scil. peccantes, & mercaturam deinceps exercentes multare. *Nummarii* denique Iudices *hac* Valentiniani *lege* plectuntur. Nam ita proprie vocantur mercatores hi: & hoc sensu *nummarium tribunal* dixit *superiore loco* Seneca, & *nummarium iudicium*, Cicero *lib. 3. in Verrem c. 57.* ac nominatim *Nummarii iudices* apud Ciceronem *pro Cluentio cap. 28.* & *lib. 1. ad Atticum ep. 16.* & Suetonium *in vita Domitiani, cap. 8.* Eodemque modo dixit Hieronymus, *Sacerdotes nummarios* Epistol. ad Onasum, *pag. 244. Tom. II. Oper. edit. Francf. apud. Christ. Gensch.* sed & *l. 4. supr. ne quid publicæ lætitiæ nunt. Iudices nummarios esse prohibemus* (neque enim *ibi* legendum *Iudices*, vt nonnulli faciunt:) Interim *superiori* Lampridii *loco* respondet quoque de Pariatione mercaturæ potestatum & iudiciorum hic Zosimi locus *libr. 4. c. 29.* Quo loco de venalitate Magistratuum sub Theodosio M. agens, hæc de ipsismet mercatoribus subiicit. Τὰς γὰρ μὴ θεραπεύοντας τὴν αὐτῶν ἀπληςίαν, τοῖς ἐκ συκοφαντίας πράγμασι περιέβαλλον, μονονουχὶ βοῶντες, ὡς ὅσα ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς δεδώκασιν, ἀνάγκη πᾶσα συναγαγεῖν. Id est, *Eos enim, qui ipsorum inexplebilem cupiditatem non explerent, calumniis opprimebant a-* p.216 *perte dicentes, omnia sibi necessario colligenda esse, quæ pro Magistratu dedissent.*

Tandem putet quis, *Marcellinum*, cui hæc *lex* inscribitur, eundem esse cum Ammiano Comite R. P. cui inscribitur hoc ipso anno *lex 41. inf. de appellat.* & sic ad Comitem R. P. *hanc legem* emissam, quod & hæc verba suadeant, *Priuatarum quoque litium cognitor:* quæ certe idem valent atque si diceret, non modo fiscalium, sed & priuatarum. Neque temere *Comiti* inscripta fuerit *hæc lex:* eo quod bonorum proscriptio pœnam *huius legis* sequeretur. Quare de eo moneri Comitem R. P. operæ pretium visum. Verum longe aliter de isto censeo: Quare putet quis potius, Marcellinum istum ciuilem iudicem aliquem fuisse, siue Illustrem, siue Spectabilem, veluti Vicarium, sub cuius diœcesi & dispositione fuerint Iudices & priuatarum litium Cognitores, qui his exæquantur cum fiscalium seu publicarum pecuniarum interuersoribus. Ergo priuatarum litium Cognitores, & spoliatores, opposite ad Iudices, & publicarum prouinciarum spoliatores Rationales. Et sic ciuilem Iudicem esse oportet eum, cui hæc *lex* inscribitur: vtpote ad cuius iurisdictionem ciuiles & priuati iudices illi eorumque pœna pertinuerat. Verum mens mihi, hunc eundem Marcellinum videri cum historico, cui hoc tempore agenti in Italia, & Romæ, potestas extra ordinem data fuerit ad inquisitionem Iudicum improborum.

VI. (a) Idem AAA. (b) & Arcad. A. Edictum ad Prouinciales.

IVBEMVS, hortamur (c) vt si quis forte Honoratorum, Decurionum, Possessorum, postremo etiam Colonorum, aut cuiuslibet Ordinis, a Iudice fuerit aliqua ratione concussus: si quis scit venalem de iure (d) fuisse sententiam: si quis pœnam vel pretio remissam, vel vitio cupiditatis (e) ingestam: si quis postremo quacumque (f) de causa improbum (g) Iudicem potuerit adprobare, is vel administrante eo, vel post administrationem depositam, in publicum prodeat, crimen deferat, delatum adprobet: cum probauerit, & victoriam reportaturus, & gloriam. Dat. X. Kal. Iul. Constantinop. Honorio NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) *Lex 4. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Male: quem tamen errorem tuetur quoque Codex Iustinianeus: Gratianus enim iam defunctus fuerat, & quidem ante triennium ferme: deinde ineptum & inauditum, quatuor Augustos fuisse. Itaque repone, *Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS, & Arcadius AAA.* Et consequenter *legis* proximæ inscriptio ita restituenda, *Iidem AAA.* Est igitur hic inter alios *huius Codicis* Conditorum error. *ID.*

(c) *Iubemus atque hortamur.* Cod. Iustin. Quo nil opus, neque ita eleganter. *Asynteton* enim hoc est, elegantiæ non vulgaris. *ID.*

(d) Id est, iuris & iudicialem sententiam, vel potius iudicium venale, de iure priuatorum ciuili. Mox enim pœnale iudicium opponitur. *ID.*

(e) *Cupiditatis* vox hac in re propria, de eorum qui in officio publico sunt, auaritia nummaria: vide & *leg. 5. sup. de officio Rectoris Prouinciæ: & l. 1. inf. de superexactionib. ID.*

(f) Ciuili, pœnali. *ID.*

(g) *Improbi* vox hoc in crimine *Repetundarum* propria. Iuuenalis *Satyra 13. v. 3.*

- - Improba quamuis
Gratia, fallaci Pretoris vicerit vrna.

De *improbi* voce vide alia nonnulla in *Gloss. ID.*

COMMENTARIVS.

ACCVSATORES, vel etiam DELATORES omnes Iudicum, Repetundarum reorum, ac nominatim eorum, qui priuatarum litium cognitores, iidemque *mercatores* sunt, (vt *lex superior* loquebatur) id est qui ciuiles vel pœnales sententias venales habent, seu pecuniam ob iudicandum decernendumue acceperunt, (quæ ipsa *legis Iuliæ Repetundarum* verba fuisse colligo ex *l. 3. D. eod. tit.*) Theodosius M. hoc Edicto ad Prouinciales omnes emisso euocat; Cui perquam simile est & prope

geminum Constantini M. edictum, *in l. 4. sup. de accusationib.* Et vero vtrumque enixi studii hac parte argumentis non leuibus inspersis: Qualia illa hoc edicto, *Iubemus*, *hortamur*, aliaque quæ mox expendam. Quin & vtrumque pari iuxta occasione emissum, post varias videlicet Prouincialium de Iudicum concussionibus, furtis, improbitatibus, turpitudine, *αἰσχροκερδίᾳ*, querelas. Quod vt de Constantini edicto *ad eam legem* probauimus, ita de Theodosii temporibus, atque adeo de huius edicti emittendi occasione fidem facit Zosimus *lib. 4. Histor. cap. 29.* Τὰς δὲ πόλεις ἀπολελοίπει τὰ χρήματα, τὰ μὲν ὑπὸ τῶν ἐπιτεθέντων φόρων ὑπερβαινόντων τὸ μέτρον, τὰ δὲ εἰς τὴν τῶν ἀρχόντων ἐκενοῦτο πλεονεξίαν. τοὺς γὰρ μὴ θεραπεύοντας τὴν αὐτῶν ἀπληστίαν, τοῖς ἐκ συκοφαντίας πράγμασι περιέβαλλον, μονονουχὶ βοῶντες, ὡς ὅσα ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς δεδώκασιν, ἀνάγκη πᾶσα συναγαγεῖν. Ἐκ τούτου τοιγαροῦν οἱ τὰς πόλεις οἰκοῦντες, πενίᾳ τε καὶ ἀρχόντων κακίᾳ τρυχόμενοι δυστυχῆ καὶ οἴκτιστον ἔτριβον βίον, ἱκετεύοντες τὸν θεὸν καὶ δεόμενοι τῶν τοσούτων αὐτοῖς ἀπαλλαγὴν εὕρασθαι συμφορῶν: id est; *Vrbes vero pecuniis destituebantur, quæ partim per imposita tributa modum excedentia, partim vero per Iudicum exhauriebantur pluris habendi cupiditatem: Hi enim inexplebilem suam auaritiam non explentes, calumniis opprimebant, aperte dicentes, omnia quæ pro magistratu dedissent, necessario sibi esse colligenda. Hinc igitur Vrbium incolæ tum paupertate tum Iudicum improbitate attriti, infelicem & miserabilem maxime vitam degebant, Deumque suppliciter orabant, vt talibus tantisque calamitatibus liberarentur.* Characterismum temporis subiicit Zosimus, id videlicet factum, antequam Theodosius Gentilibus templa adeundi, & patriis ritibus Numina placandi potestatem omnino præclusisset: id est, ante Annum Domini 385. seu ante *legem 9. infr. de paganis:* vel saltem ante annum 391. seu *legem 11. inf. de paganis.*

Igitur hoc Edicto Theodosius primum inuitat
P.217. omnes ad accusationem vel delationem, siue ipsi a Iudice concussi fuerint, siue alios concussos mouerint; publicam scilicet accusationem facit: De quo exciendi accusatores more iam sæpius actum. Secundo Iudicem non tantum post administrationem depositam, verum etiam constante administratione accusari permittit. Cum alioquin regulariter Maior huiusmodi Iudex constante magistratu accusari non possit: *l. 32. D. de iniuriis: l. 15. in pr. & l. 38. §. vlt. D. ad Leg. Iul. de adulteriis:* vt nec in ius vocari, vel aliter conueniri, *l. 2. D. de in ius voc. l. 26. §. 2. D. ex quib. caussis maiores: l. 48. D. de iudiciis. l. 12. D. iudicatum solui: l. 5. §. 7. D. de oper. noui nuntiat.* Ne quidem tutelæ gestæ, *d. l. 48.* sola protestatione, constante Magistratu, licita, vt *d. l. 5. §. 7.* vel in criminalibus, sola rei postulatione, *d. l. 38. §. vlt.* atque exinde cautione Iudicis. Id autem vt ne Magistratus accusari posset, constitutum ex sententia Lentuli, dicta *Sulla & Trione* Consulibus, vt testatur Venuleius *l. 12. D. de accusationibus:* ex sententia inquam, Lentuli, quæ proculdubio Senatusconsulto firmata fuit, quod sub Tiberio Imperatore factum: ad cuius interpretationem mox secutum rescriptum illud Tiberii, de quo *d. l. 38. §. vlt.* Seneca quoque *controu. 11. lib. 2. Non potes*, inquit, *accusare eum, in cuius arbitrio positum est, moriaris an viuas; non magis quam Magistratum in ius vocare.* Et tamen comperio ius hoc antiquius adhuc esse, etiam in Repetundarum crimine: Varronis enim locus est singularis in *Satyra Papiapapæ* περὶ ἐγκωμίων, apud Nonium *cap. 1. in voce Rapones num. 108. Prætor noster eripuit mihi pecuniam: de ea questum ad annum veniam ad nouum Magistratum, quum hic Rapo vmbram quoque spei deuorasset.* In tabula ænea *Legis Seruiliæ* Romæ reperta, quam publicauit Sigonius *de Iudic. lib. 2. cap. 27.* DE. HISCE. id est, de pecuniis repetundis, DVM. MAG. AVT. INPERIVM. HABEBVNT. IOVDICIVM. I. N. (*ne*) FIET. (*fiet.*)

At enim in crimine Repetundarum singulariter a Theodosio M. constitutum, vt constante quoque administratione iudex Repetundarum accusari possit: quod & ipsum postea probauit Iustinianus *Nouella 80. cap. 7. Nouella 86. cap. 4.* Nempe eo Theodosium adegit, vt modo dixi, Iudicum rapacitas, auaritia, *turpitudo* (vt proprie Repetundarum crimen vocatur, *l. 2. D. de Senatoribus.*) seu *αἰσχροκερδία*, *sordes:* odio igitur maximo fuit Theodosio Repetundarum crimen, cum cætera non liceat intendere durante Magistratu, at hoc liceat. Nempe quia hoc crimen ipsam administrationem inficit, & ratione ac occasione officii delinquitur, & prouincialium interest, ne ei vlterius grassandi in facultates prouincialium facultas detur, exemplo suspecti tutoris: v. Glossam, Cynum, & Salicetum. Verum de hoc rursum agetur *ad leg. prox.*

Tertio seu postremo loco, enixo suo studio testando Theodosius, reportaturum eum gloriam pollicetur: quomodo Constantinus Edicto suo fecit, *d. l. 4. sup. de Accusationib.* accusatori, conuicto Reo, & dignitates & res seu pecunias pollicetur: vbi *Gloriæ* appellatione, intelligit, non tantum habitum illum iri tanquam virum de Republ. benemeritum; verum adeo honoribus mactandum, & dignitatibus & rebus augendum. Sane accusatoribus huius criminis honores publice habitos, exemplum *Carbonis, Cottæ* accusatoris, Consularibus honoribus exornati, apud Dionem *lib. 36.* fidem facit. Sic & apud Am. Marcellinum *lib. 27. c. 3.* Terentius humili genere in vrbe natus & pistor, ad vicem præmii, quia Peculatus reum detulerat Orfitum ex Præfecto, Tusciam Prouinciam Correctoris potestate administrasse dicitur.

VII. (a) Imppp. (b) VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. Seuerino (c) Com. R. P.

VNVSQVISQVE Procurator, (d) Præpositus Gynæcio, (e) Tabularius, (f) Susceptor, (g) Colonus, (h) vel quicunque, se a Comite Domorum meminerit esse concussum, cum ipse cui pecuniam numerauerit, (i) administratione (k) decesserit, intra anni spatia (l) ad iudicium Spectabilitatis (m) Tuæ, quicquid dederit repetiturus, adcurrat: (n) vt prosit pensionibus, (o) quidquid ille (p) reddiderit. Sin (q) vero ex tempore depositæ administrationis præstituti (r) temporis curricula transfluxerint, nulla vox (s) Aduocationis emergat, sed ipsos Procuratores, Præpositos, Colonos, Tabularios, Susceptores obnoxios ad solutionem (t) iubemus (v) artari. Dat. Prid. Non. Iun. Med. Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) *L. 5. Cod. Iust. eod. titulo.* GOTHOFRED

(b) Scribendum hic fuerat, *Idem AAA.* vide quae notaui *ad l. superiorem.* ID.

(c) An hic idem cum *Seuero* Comite & Castrensi, cui hoc ipso anno inscripta *lex 12. sup. de Palatinis S. L.*? Non puto. *Seuerinus* Comes S. L. dicitur in inscriptione *l. 4. Cod. Iust. de off. P. V.* ID.

(d) *Procuratores*: veluti Procuratores saltuum: vide *Notitiam Imperii.* Procuratores domorum rei priuatae, vide *tit. inf. de domib. ad rem pr. pert.* & *tit. de actoribus, procuratorib. & conductoribus rei priuatae.* IDEM.

(e) De *Gynaecio*, Gynaeciariis, Praepositis Gynaecio, dicetur *infr. sub titulo libr. 10. de murilegulis & Gynaeciariis.* ID.

(f) De *Tabulariis* fuit superius *lib. 8.* titulus *de Tabulariis logographis &c.* ID.

(g) De *Susceptoribus* erit *infr.* Titulus peculiaris *lib. 12.* ID.

(h) Vide *infr. tit. de conductoribus & hominibus Domus Augustae.* ID.

(i) *Numerauit*, Cod. Iust. RITTER.

(k) *Ab administratione*, Cod. Iust. GOTHOFR.

(l) *Spatium*, Cod. Iust. ID.

(m) *Spectabilitatis* titulum a Valentiniano Iun. Comiti R. P. tribui obserua. An non igitur iam inter Illustres? vide quae dico *lib. 6. tit. de Quaestorib.* &c. ID.

(n) *Occurrat*, Cod. Iust. IDEM.

(o) *Pensiones* rei priuatae. ID.

(p) *Comes Domorum.* ID.

(q) *Si vero*, Cod. Iustinian. ID.

(r) *Anni.* IDEM.

(s) *Vox Aduocationis*, proprie, vide *Gloss. Theodos.* ID.

(t) Pensionum. ID.

(v) *Volumus coarctari*, Cod. Iustinian. ID.

COMMENTARIVS.

P. 218. ACTIO siue ACCVSATIO Repetundarum seu concussionis aduersus *Comitem domorum* in specie *huius legis* post depositam ab eo administrationem, sub eius dispositione quondam positis & ab eodem concussis, intra annum a Valentiniano Iuniore *hac l.* apud Comitem rerum priuatarum, sub quo Comes Domorum erat, indulgetur: post annum vero denegatur. Cuius occasione de quatuor videndum nobis est.

Primum, de *Comite domorum.* Comes domorum erat, qui possessionibus, praediis, domibus, eorumdemque hominibus, ad Principem spectantibus, praeerat; de quo dixi plenius ad *l. 2. sup. de Palatinis S. L.* Huiusmodi Comites domorum per diuersas Imperii Romani Prouincias fuere, non tantum in Oriente, sed etiam in Occidente. Sane talis fuit in Oriente Comes domus diuinae, seu Comes domorum per Cappadociam; de quo plene dixi *ad d. l. 2.* Sed errant Interpretes Graeci ad hanc *legem*, cum Comitem domorum, de quo *h. l.* nostra agitur, Comitem Cappadociae interpretantur: Κόμης τῶν οἰκῶν, ἐςὶ δὲ οὗτος ἐν Καππαδοκίᾳ ὑποκείμενος τῷ Κόμητι τῶν πριβάτων. Quem Graecorum errorem tuentur deinceps omnes, & in his quoque Cujacius *de Praescriptionibus, cap. 20.* & alibi. Sed male. Est enim haec *lex* Valentiniani Iunioris (non etiam Theodosii) qui Occidenti praefuit: quique Mediolani, hoc tempore subsistebat, cum Theodosius Constantinopoli versaretur. Atquin Mediolani haec *lex* data ad Seuerinum Comitem R. P. ad quem eundem, ex eadem vrbe, hoc eodem anno, ab eodem Valentiniano data videtur *lex 12. sup. de Palatinis S. L.* Scilicet, quod in errorem eos induxit, istud est, quod crediderunt nullum alium Comitem domorum fuisse, quam vnum illum, qui per Cappadociam erat: quos non tantum *haec lex* refutat, verum apertissime *lex 16. infr. de bonis proscript.* Neque mirum videri debet in *Notitia Imperii* nullos Comites domorum (vnico tantum Comite Gildoniaci patrimonii excepto) memorari: Eosdem quippe Comites domorum cum Procuratoribus Rerum priuatarum fuisse, compertum habeo ex *d. l. 16.*

Secundo obseruetur, quod & Graeci obseruarunt; post administrationem demum depositam aduersus Comites domorum, Repetundarum accusationem institui posse; cum aliter visum fuerit Theodosio in specie *leg. sup.* Sane hoc Valentiniani constitutum ad iuris veteris normam est, vt ad *d. l. 5.* ostendi.

Tertio obseruetur *Annalem* hanc actionem constitui: Quod & ipsum iuri veteri conueniens videri possit locus Varronis, quem ad *legem* superiorem, sed alia occasione, laudaui, ex *Satyra eius Papiapapae* περὶ ἐγκωμίων apud Nonium *cap. 1. in voce Rapones num. 108. Praetor vester*, inquit, *eripuit mihi pecuniam, de ea* AD ANNVM *veniam, ad nouum Magistratum: quum hic rapo vmbram quoque spei deuorasset.* Quo loco, *Ad Annum*, idem putaret quis quod intra annum ab administratione deposita. Verum ibi (vt recte Cuiacius obseruauit *ad l. 38. §. vlt. D. de adulteriis, in Quaest. Papin.*) *ad annum*, idem est, atque ad nouum Magistratum, nam annui erant ferme tum magistratus: saluberrimo Reipubl. instituto: proinde & ante annum, id est antequam Magistratu obierit, Iudex accusari non poterat. Quid igitur? Scaeuola quidem *in l. 2. D. eod. tit.* scribit, dari ex *Lege Iulia Repetundarum & in haeredes actionem intra annum duntaxat a morte eius, qui arguebatur.* Fuerit igitur ex *Lege Iulia Repetundarum* in ipsius haeredem annalis actio, si forte antequam moueretur sibi, vel moueri posset actio, decesserit. At Valentiniano hic etiam annalis praescriptio aduersus ipsum Iudicem, quae Theodosio displicuit, vt probant *l. 3. 4. & 6. sup.* Putat tamen Cuiacius Valentiniani mentem *h. l.* non fuisse, vt denegaret actionem seu repetitionem aduersus ipsummet Comitem domorum post annum, verum Valentinianum tantum voluisse Procuratoribus, colonis, & id genus hominibus, si non inferant pensiones debitas, quod dicant sibi pecunias ereptas a Comite domorum, inducias annuas ad id probandum dari. Hoc sensu: cum a Procuratoribus, colonis, pensiones peterentur fisci nomine, negabant ibi pensionibus sese soluendis pares, quandoquidem superiore anno vel superioribus annis a Comite domorum concussi fuissent. Proinde, ne querelis huiusmodi diutius locus foret, anni spatium deinceps ad probandum concussionem huiusmodi procu-

procuratoribus Præpositis &c. præstitui: ita quidem, vt si intra anni spatium mota hac actione Comes domorum *Repetundarum* conuictus fuerit, id quod restituerit in pensionem a Procuratore inferendam imputetur: si vero anno tacuerint, nullam ipsis accusationem amplius patere: nullam allegationem concussionis, nulla voce aduocationis vlterius admissa, sed pensiones fisco debitas præstare cogi absque vlla tergiuersatione vlteriore: verum, contra dici possit; vt maxime hæc, quam dixi, huius legis ferendæ *occasio* fuerit, nempe Procuratorum mora in soluendis pensionibus, obtentu concussionis sibi factæ a Comite Domorum: tamen Valentinianum non modo *fisco* consultum *h. l.* voluisse, verum etiam ipsismet Procuratoribus: Quibus ideo Anni integri spatium concedit ad repetendas res suas: *Quicunque*, inquit, *se a Comite domorum meminerit esse concussum, cum ipse cui pecuniam numerauerit, administratione decesserit, intra anni spatia ad Iudicium Spectabilitatis tuæ quicquid dederit repetiturus adcurrat* &c. Sane Græci quoque ad hanc *legem* adnotant, hinc notandum, quando crimen de Repetundis anno finiatur. Denique, quocunque tandem fine concussionem sibi factam huiusmodi Procuratores allegent: quacunque occasione *meminerint* sese concussos, annus his datur ad repetendas res suas: siue tum maxime *meminisse* solent, cum pensionum præstandarum tempus recurrit. Maneat igitur annalem Repetundarum actionem a Valentiniano constitutam in *huius legis* specie.

Quarto ex *hac lege* obseruetur, Comites domorum sub dispositione Com. R. P. fuisse: quod & ipsum probat *lex 2. supr. de Palat. S. L.* Quod ipsum Græci ad hanc *legem* adnotarunt, ἐστὶ δὲ ἔτος ὑποκείμενος τῷ Κώμητι τῶν πριβάτων. Verum postea sub Præpositi S. Cubiculi dispositione fuit Comes domorum per Cappadociam: vt docet *Notitia Imperii: fol. 40.* & *lex 9. inf. de indulgent. debit.* Vid. quæ dixi *ad leg. vn. supr. de Præpos. S. cubiculi.*

P. 129

DE CRIMINE PECVLATVS.

TITVLVS XXVIII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XXVIII.

PARATITLON.

PECVLATVS (de quo præter hunc *titulum*, vide *l. 2. infr. de abolition.* & *l. 5. sup. tit. prox. ad Leg. Iuliam Repetund.* Crimen, *Rubr. l. 1. 2. h. t.* Flagitium, delictum, nefas, scelus, *d. l. 1.* & *2. h. t.* admittitur a Iudicibus, *d. l. 1. h. t.* qui prouincias quassant, *d. l. 1. h. t.* rapinis & prædis, *d. l. 2. h. t.* Itemque ab iis qui rapinis & prædis [eorum] fidem adhibent, qui ei qui rapuerit, rapta seruant *d. l. 2. h. t.*

Pœna porro huius criminis aliquando multæ dispendium fuit, *d. l. 1. h. t.* Postea capitalis, *l. 1. h. t.* capitis & vitæ pœna imposita, *l. 5. supr. ad leg. Iuliam Repetund.* Abolitio quoque huius accusationis peti non potest, ne quidem reo consentiente, *l. 2. infr. de abolition.*

I. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & Honor. (b) AAA. Rufino (c) P. P.

PRIDEM (d) fuerat constitutum, † *Vt hi Iudices, qui peculatu Prouincias quassauissent, multæ dispendio subiacerent*; Sed quoniam nec condigna crimini vltio est, nec par pœna peccato, placuit tam seueram animaduertendi esse censuram, (e) vt, cum vix par pœna his possit flagitiis inueniri, neque condignis tantum nefas cruciatibus expiari, capitale hoc esse præcipiamus, adque animaduersione seuerissima coherceri. Dat. IV. Id. Septemb. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino COSS. [392.]

NOTAE.

(a) Lex vn. *Cod. Iust. eodem tit.* proculdubio ex *hac lege*, & *l. 2. inf.* a Triboniano deformata est: sic quidem, vt nihil in ea agnoscas ex his, nisi quod huius inscriptionem seruauit, at subscriptionem *legis 2.* sic *humano capiti ceruicem equinam* aptauit. GOTHOFR.

(b) Pleræque huius anni constitutiones post Valentiniani Iun. mortem *Honorii* nomen præferunt: & tamen anno demum sequente. *IV. Id. Ianuar.* Honorium a patre Augustum creatum testatur Socrates *lib. 5. c. 25.* & Marcellinus, *in Chronico. ID.*

(c) *Rufino* P. P. hanc *legem* inscribi nota: de quo vide quæ obseruo in *Chronologia* huius anni, & quæ mox dicam. *ID.*

(d) Quam pridem? In id mox inquiram. *ID.*

(†) Constitutionem anteriorem & veterem obserua. *ID.*

(e) *Censura*, pro pœna. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. Constitutio hæc est, data ad Rufinum P. P. A. D. 392. qua POENA Iudicibus Peculatus reis capitalis infligitur; cum hactenus veteribus constitutionibus multa tantum pecuniaria imposita fuisset, vt ipsemet Theodosius *initio h. l.* testatur: *Pridem*, inquit, *fuerat constitutum, vt hi Iudices, qui peculatu Prouincias quassauissent, multæ dispendio subiacerent. Pridem*, id est iure antiquissimo. Sane Paulus 5. *sentent. tit. 27. §. 1.* testatur, fiscalis pecuniæ peculatum Quadrupli multa, seu condemnatione coercitum. Sed & Modestinus, in *l. penult. D. ad leg. Iul. peculatus*, scribit; *Eum qui prædam ab hostibus captam surripuit, (atque adeo peculatus reum) in quadruplum damnari.* Sed & Vlpianus *l. 6. §. vlt. D. eod. tit.* eum qui aurum ex metallo illicite habuerit, atque adeo Peculatus reum, in Quadruplum condemnari. Et hæc quidem Quadrupli pœna, siue multa, imposita fuit Peculatum in fiscali pecunia admittentibus, vt tribus illis Pauli, Modestini, Vlpiani, testimoniis ostendi. Quid est igitur, quod Martianus scribit *in l. 4. §. 4. 5. D. eod. tit.* eum, qui publicam pecuniam in vsum aliquem acceptam retinuit, nec erogauit, *hac lege* teneri: moxque subiicit, *qua lege damnatus, amplius tertia parte quam debet punitur.* Id scilicet ita interpretandum, de Quadrupli pœna, cuius tres partes meram pœnam continent: *Tertia pars*, pro trina, seu tribus partibus. (a)

Neque tamen circa fiscalem tantum pecuniam Peculatus admittitur, verum etiam re ciuitatis, vel etiam totius prouinciæ subrepta: quod docet *d. l. 4. §. vlt. D. ad leg. Iul. pecul.* Quarum *legum* conciliatio non alia tutior, quam distinguentium inter *legem Iuliam*, & Constitutiones. Sane hæc *lex* nostra de huiuscemodi Peculatu (si modo de *Peculatu* proprie dicto) est, non inquam de fiscalis pecuniæ Peculatu, verum de Ciuitatum & Prouinciarum pecuniis subreptis: id enim significant hæc verba, *qui peculatu prouincias quassauissent.* Neque enim qui fiscalem pecuniam intercipit, Prouincias quassat, sed fiscum & Cæsarem.

P.220 Quare ita censeo, *Peculatus* appellatione hic intelligendum Repetundarum crimen, quod & ipsum Peculatus est, quoque genere Prouinciæ quassantur. Et sane *Peculatus*, est omnis νοσφισμὸς διαρπαγὴ, omnis denique rapina. Quin & huic interpretationi suffragatur omnino enixum Theodosii M. *hac lege* studium, quo prouincialibus consulit, & dum crimen hoc miris modis exaggerat, vt cum ait: *Sed quoniam nec condigna crimini vltio est, nec par pœna peccato.* Et mox; *cum vix par pœna his possit flagitiis inueniri, neque condignis tantum nefas cruciatibus expiari.* Tandem coniecturam hanc, altera suffulcit: siquidem pertinet omnino hæc *lex* ad iudicium, quod hoc ipso tempore exercitum a Rufino, cui *hæc lex* inscribitur, in Tatianum Præfectura deiectum, Repetundarum damnatum: vt docebit *lex 12. 13. infr. de bonis proscriptorum*, & *lex 9. infra, de indulg. crimin.* adeo quidem, vt non dubitem amplius, *legem* hanc, partem esse Rescripti illius Theodosiani, quo *Rufino* iudicium de *Tatiano* commissum est, adiunctis in speciem Rufino aliis, vt testatur Zosimus *lib. 4. cap. 52.* Iam itaque tuto pronuntiare licet ad prouinciarum spolia, vt volebat Rufinus, a Tatiano exercita, hanc *legem* pertinere: quemadmodum vicissim *l. 14. inf. de bonis proscriptorum* pertinet ad spolia Prouinciarum a Rufino, cui hæc *lex* inscribitur, exercita, vt ad *eam legem* plenius dicam.

Porro cum antea crimen hoc multa plecteretur, vt *hac lege* dicitur, & vero Quadrupli ex eiusdem Theodosii M. *l. 3. sup. tit. prox.* vbi dixi, capitalem pœnam nunc statuit Theodosius, quæ sane Peculatui non tantum, verum etiam Repetundarum crimini a Valentiniano Iuniore in Occidente imposita fuerat, *l. 5. supr. tit. prox.* Alias hic pœnas commemorare nil moror, vel antea vel postea constitutas. Illud tantum monendum, Accursium errare, cum per *capitalem* pœnam hic intelligit pœnam deportationis.

Illud tandem omittere non possum, quod & ipsum firmandæ sententiæ nostræ confert, de *Iudicibus* nominatim hanc Theodosii *legem* esse, quorum proprium, vt ex superiore *titulo* liquet, crimen fuit, crimen Repetundarum & Peculatus prouinciarum. Neque alio proculdubio sensu Ammianus Marcellinus de Valente *libr. 31. cap. 14. Furibus*, inquit, *& in Peculatu deprehensis Iudicibus inimicus asper & vehemens. Nec sub alio Principe in huiusmodi negotiis melius secum actum esse meminit Oriens.*

(a) Hæc verba *legis* 4. Nostrum minus recte, de pœna Quadrupli exponere, docet CL. SCHVLTINGIVS *not. ad Paull. Sent. V. tit. 27.*

II. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Aureliano P. P. II. (b)

NON est Sanctitatis (c) negotium, rapinis & prædis fidem (d) adhibere: quandoquidem hæc scelera, velut contagium (e) quoddam funestæ pestis, debeant declinari: *Nec* * enim *crimen dissimile est, rapere, & ei qui rapuerit, rapta* (f) *seruare.* (g) Dat. III. (h) Non. Mar. Constantinop. Honorio X. (i) & Theod. VI. AA. Coss. [415.]

NOTÆ.

(a) Lex vn. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc, vt iam ad *superiorem* monui, in partem deformata est, eiusque subscriptio a Triboniano retenta. GOTHOFRED.

(b) De iterata huius *Aureliani* Præfectura, repete plura ex *Chronologia*, & *Prosopogr.* ID.

(c) Tertullianus 2. *de cultu femin. c.* 11. de ægrotorum visitatione, de processione ad sacrificium, vel ad Sermonem Dei. *Quiduis horum grauitatis & sanctitatis negotium est, cui opus non sit habitu extraordinario & composito & soluto.* ID.

(d) *Fidem adhibere*, id est sinum præbere, & latebram: *rapta seruare*, vt *fine leg.* dicitur seu explicatur. ID.

(e) De hac *contagii* appellatione plura vide in *Glossario*: *Contagium* pestis nominatim. Ita Rutilius *Itinerar. lib. 1. v. 397.* de Iudæis:

Latius excisæ pestis contagia serpunt. ID.

* Lex 9. seu *penult. Cod. Iust. ad leg. Iul. de vi*, hinc desumpta est. ID.

(f) Et

(f) *Et ei, qui rapuit, raptam rem scientem delictum seruare.* Ita Tribonianus. *ID.*
(g) *Receptare.* *IDEM.*
(h) Ita quoque in *d. l. penult.* at male in *d. l. vn. V. ID.*
(i) Ita quoque recte in *d. l. vn.* vicissim male *in d. l. penult. IX. IDEM.*

COMMENTARIVS.

DE RECEPTATORIBVS rapinarum & prædarum, id est, rerum ablatarum, crimine Repetundarum vel Peculatus (referri enim potest hæc *lex* vt & *rapinarum prædarumque* appellatio, non minus ad *superiorem titulum*, quam ad *hunc:*) est hæc Theodosii Iun. constitutio, A. D. 415. qua definit, Receptatoris huiusmodi par crimen idemque esse, atque raptoris ipsiusmet. De quo alioquin in commune sententiæ sunt vulgares. Etiam Phocylidis *sentent. v. 129.*

Ἀμφότεροι κλῶπες, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ κλέψας.
Vtrique fures sunt, & qui recipit, & qui furatur.

Si crimen idem, pœna quoque eadem. Plato *XII. de legib. pag. 955. Tom. II. Oper. edit. Serrani.* ἐάν τις κλεμμάδιον ὁτιοῦν ὑποδέχηται γιγνώσκων, τὴν αὐτὴν ὑπεχέτω δίκην τῷ κλέψαντι. *Si quis rem furto sublatam volens sciens receperit, eandem culpam quam ille ipse, qui furatus est, subito.* Plura hanc in sententiam nonnisi fastidiose cumulauerim.

Cæterum vt hæc *lex* est de receptatoribus rerum, ita de ipsorummet reorum receptatoribus erit *Titulus* proximus.

Illud cumprimis in *h. l.* specie obseruandum est, *Ecclesiasticas* quasdam personas ea perstringi videri: *Non est*, inquit, SANCTITATIS NEGOTIVM, *rapinis & prædis fidem adhibere.* Sanctiorem quippe vitam, sanctius propositum profitentur Ecclesiastici. Sic *l. 31. inf. de Episcopis: Cui* SANCTITAS *ignoscendi soli gloriam dereliquit.* Sic & Sulpitius Seuerus *lib. 1. Sacræ historiæ*, sub hoc ipso *Honorio*, cuius nomen *huic legi* inscriptum, in Ministros, id est Clericos sui æui inuehens, & quidem munera expectantes, & omne vitæ decus mercede corruptum habentes, *quasi venalem*, inquit, *præferunt sanctitatem.* Tale igitur istud est, quale illud: *Professio & desiderium tuum inter se discrepant: Nam cum Philosophum te esse proponas*, [fuit sane Philosophia Christiana quoque, quæ alias secta Ecclesiastica, vt alibi ostendo. Et ita omnino Maiorianus *Nouella de Sanctimonialibus 8.* Philosophiam tribuit Virginibus Sanctimonialibus] *vinceris auaritia & rapacitate: l. 6. Cod. Iust. de munerib. patrimonior.* Rursum tale erit, quale illud: *Etenim vere Philosophantes pecuniam contemnunt, cuius retinendæ cupidine fictam adseuerationem detegunt, l. 8. §. 4. D. de vacat. munerum:* vide & *leg. 6. §. 7. D. de excusationibus.* Item huc illud pertinet, *Quippe animos diuina obseruatione deuinctos non docet patrimoniorum desideriis occupari, l. 104. inf. de Decurionib.* Tandem tale erit, quale illud Saluiani, *lib. 3. de gubern. Dei cap. vlt. in fin. Vita a professione discordans abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem.* Igitur in *huiusce legis* specie videntur nonnulli ex Ecclesiastico ordine, peculatus vel repetundarum reis *fidem adhibuisse*, id est, accommodasse, sinum præbuisse, *fidem exhibuisse*, vt Ambrosius 2. *offic. 29.* loquitur, & cum ipsi vel maxime huiusmodi prædas & prædones *velut contagia seu pestes* declinare deberent, nescio quo tandem, siue auaritiæ næuo, siue lenitatis velamento, eorum prædis latebram præbuisse, *raptaque seruasse*, vt *fine l.* dicitur. Quod vtique a negotio sanctitatis vitæque sanctioris proposito alienum vel maxime est. Similiter vt qui diceret, *Non esse sanctitatis negotium, charitates & affectus inter se committere:* Item *Sanctitatis non esse negotium, reos debitæ pœnæ per vim & iniuriam eripere:* aduersus quod vide plures *leges, infr. de pœnis.* Non esse sanctitatis negotium, aucupia hæreditatum, continentiæ & grauitatis simulatione, per eos qui ex Ecclesiastico Ordine sunt, de quo v. etiam Ambrosii locum 3. *offic. cap. 9.* In hac vero specie sanctitatis negotium posuisse nonnulli ex Ecclesiastico ordine videntur: quia inter cætera Ecclesiasticorum officia, illud quoque fuit, & vere inculcatur ab Ambrosio 2. *offic. 29. vt Deposita apud se viduarum & pupillorum, imo & omnium aliorum intemerata seruarent, denique depositis fidem seruarent.* Et vero in specie *huius l.* in fraudem fisci id factum videtur, rapinas Peculatus vel Repetundarum Rei alicuius perquirentis. Imo tale omnino est, quod de Clericis sepulchrorum violatoribus Valentinianus Tertius, *Nouella de Sepulchris 5. Intolerandum, nimis execrabile, non ferendum, induere nomen & titulum* SANCTITATIS, *& abundare criminibus.*

P.221.

Ex iis interim, quæ hic cumulauimus, id conficitur in summam, Ecclesiasticos, aliosue quoscunque, nequicquam sanctitatis negotium peragere, cum lenitatis alicuius specie, vel res seruare aliis male partas, vel sibi adquirere, vel reos pœnæ eripere, satagunt.

Posset tamen & *sanctitatis* verbo hic quispiam intelligere Christianam in vniuersum disciplinam, vt ita Christiani videantur hic perstringi. Ego tamen priorem interpretationem prætulerim.

DE HIS QVI LATRONES, VEL ALIIS (a) CRIMINIBVS REOS OCCVLTAVERINT. (b)

TITVLVS XXIX.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XXXIX. Adde Paratitli vice *l. 7. sup. de desertoribus.*

(a) Aliorum criminum reos.

(b) De *Desertorum* occultatoribus fuit *supra titulus 18. lib. 7.* cuius tituli *lex 8.* Legi secundæ *huius tituli* coniungenda est. Cæterum obseruandum *hoc titulo, & duobus sequentibus* contineri tria remedia ad *Latronum* conatus debilitandos: Nempe primo, occultatoribus reorum pœna proposita, *h. tit.* Secundo, equorum vsus in commune denegatus, *tit. prox. 30.* Tertio pastoribus nutricatio filiorum alienorum prohibita, *tit. 31.* Quæ tria media, seu remedia Politicis notanda veniunt: aliisque adiicienda, quorum vsus etiam hodie multis in locis sæpe necessarius est.

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens, & Gratianus AAA. Simplicio Vic. (b)

EOs, qui secum (c) alieni (d) criminis reos occulendo (e) sociarunt, (f) par atque (g) ipsos reos pœna expectet. (h) P. P. Rom. X. Kal. April. Gratiano A. III. & Equitio V.C. Coss. [374.]

P. 222

NOTAE.

(a) Lex 1. *Cod. Iust. eod. tit.* ex *hac* & sequente *lege* conflata est. GOTHOFRED.

(b) *Simplicius* sub Valentiniano Sen. Vicarius Vrbis Romæ scil. vt vel subscriptio *huius legis* docere potest: Sed expresse id testatur Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1.* loco quem mox consignabo: Meminit & Gratianus rescripto suo ad Aquilinum Vicarium Vrbis, quod extulit Baronius *in Annal. ad an. 381. n. 1.* & deinceps Sirmondus edidit cum *append. Cod. Theodos. pag. 426. Tom. I. Oper. edit. Venet.* ID.

(c) Quid si legas: *eos qui se, cum alieni criminis reis, eos occulendo, sociarunt?* Sed nil temere muto. ID.

(d) *Alieni criminis reos* cur dicat? mox ostendam. ID.

(e) *Occultando*, Cod. Iust. IDEM.

(f) *Eum eamue sociarunt*, Cod. Iust. RITTER.

(g) *Par ipsos & reos*: Ita Tribonianus: satis incondite. GOTHOFRED.

(h) *Expectet*, id est, maneat. IDEM.

COMMENTARIVS.

POENA reum occultanti eadem quæ ipsi reo, hac Valentiniani Senioris constitutione A. D. 374. imponitur. Cujus rei tum dubitandi tum decidendi ratio primis *huiusce legis* verbis continetur, ibi *alieni criminis*: Nempe etsi a crimine sit occultator alienus, societatem tamen criminis, dum occultat, fatetur & subit.

Cæterum notandum, ad Simplicii relationem rescriptum hoc esse Valentiniani, in ea specie quam memorat Ammianus Marcellinus (quod post hæc ita a me scripta, Valesio quoque probatur, *not. ad l. c.*) *lib. 28. cap. 1. Vrsicinus*, inquit, *vt cunctator contemptus, & ad hæc fortiter exequenda parum conueniens, e* VICARIA *potestate discessit. Huic successit Hemonensis* SIMPLICIVS, (is est cui hæc *lex* inscribitur.) *Maximini Consiliarius ex Grammatico post administratam* [vicariam scil. ἀπὸ τοῦ κοινοῦ] *nec erectus nec tumidus, sed obliquo adspectu terribilis: qui compositis ad modestiam verbis acerba meditabatur in multos. Et primo Rufinam cum vniuersis authoribus adulterii commissi, vel consciis interfecit, super quibus Vrsicinum retulisse prædiximus, alios deinde complures, nullo noxiorum discrimine vel insontium. In cruento enim certamine cum Maximino velut antepilano suo contendens, superare eum in succidendis familiarum Nobilium neruis studebat: Busirim veterem & Anteum imitatus & Phalarim, vt taurus ei solus deesse videretur Agrigentinus. His in hunc modum ac talibus actitatis, Hesychia quædam Matrona ob intentatum crimen, in domo Apparitoris cui custodienda est tradita, multa pertimescens & seua, fulcro plumeo vultu contracto incubuit, & animam occluso narium spiramento effudit. Adiunctum est his aliud haud mitius malum. Eumenius enim & Abienus ambo ex cœtu Amplissimo, infamati sub Maximino in Fausianam fœminam non obscuram, post Victorini obitum* [abitum] *quo iuuante vixere securius,* SIMPLICII *aduentu perterrefacti, non secus volentis magna cum minimis,* [minis] AD SECRETA RECEPTACVLA *se contulerunt. Sed Fausiana damnata, inter reos recepti,* VOCATIQVE EDICTIS [videtur omnino hæc *lex* horum EDICTORVM pars esse] *semet abstrusius amandarunt, quorum Abienus apud Anepsiam diu* DELITESCEBAT. *Sed vt solent insperati casus adgrauare miserabiles clades, Apaudulus nomine seruus Anepsiæ verberatæ coniugis dolore perculsus, negotium ad Simplicium detulit nocte progressus, missique Apparitores indicatos e latebris abstraxerunt. Et Abienus quidem exaggerato crimine stupri, quod intulisse dicebatur Anepsiæ* [imo Fausianæ] *morte multatus est. Mulier vero, vt continendæ vitæ spem firmam dilato posset habere supplicio, appetitam se nefariis artibus vim in domo Aginatii perpessam asseuerauit. Hæc vt gesta sunt, mugitus ad Principem Simplicius retulit:* Et post alia, ait *Aginatium occisum, parique sententia Anepsiam interfectam.* Vbi etiam subiicit, *Simplicio in Vicaria successisse Doryphorianum:* Denique Simplicium sub Gratiano postea in Illyrico trucidatum.

Cæterum idem ius constitutum & in Donatistarum Clericorum occultatores postea Honorii constitutione A. 412. 414. *l. 52. & 54. infr. de hæreticis, Sciat*, inquit, *se pœnam quæ his proposita est, subiturum.*

Ergo qui reum criminis occultat, puniendus venit *h. l.* & *l. prox.* veluti qui, quæue reum stupri vel adulterii occultat: vt in sp. *huius l.* vel latronem

vt *l. prox.* Imo & qui latronem inuenturum sese spopondit, veluti Decurio, nisi eum exhibeat, ad Præfectum Prætorio, vel ad Præsidem remittendus, atque adeo puniendus venit: hæc enim sententia est *legis 13. Cod. Iust. de fideiussoribus* quæ hactenus perperam accipitur, eoque tantum pertinere creditur, quasi dicatur, non satis esse in sp. *huius l.* latronem inuenisse, nisi idem exhibeatur. *Transmittendus* scil. *ea l.* dicitur Decurio, qui latronem non exhibuit, vt videl. causa cognita pœna in eum statuatur a Præfecto Prætorio, vel a Præside; id enim est quod *transmittendi* voce indicatur. Nempe non nude ex sponsu seu sponsione conueniendum Decurionem, qui quod spopondit non præstitit, verum insuper transmittendum ad P. P. vel ad Præsidem, vt velut latronum conscius puniatur.

II. (a) Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS, & Theod. AAA. ad Flauianum PP. (b) Post alia. (c)

LATRONES quisquis sciens susceperit, vel (d) offerre Iudiciis (d) supersederit, supplicio corporali, aut dispendio facultatum, pro qualitate personæ, ex (f) Iudicis æstimatione plectatur: (g) Si (h) vero Actor, siue Procurator latronem domino ignorante occultauerit, & Iudici offerre neglexerit, flammis vltricibus concrementur. Dat. III. Kal. Mar. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

INTERPRETATIO. *Si quis sciens in domo sua latronem susceperit, aut eum occultare voluerit, aut eum Iudici tradere fortasse neglexerit, si ingenua & vilior persona est, fustigetur. Si vero melior,* (i) *damno ad arbitrium Iudicis feriatur. Si vero actor aut procurator inscio domino hoc fecerit, incendio concremetur.*

NOTÆ.

(a) Prima *huius legis* sententia a Triboniano in *Legem 1. Cod. Iust. eod. titulo*, coniecta est, reiecta posteriore. Iungenda autem *huic* est *lex 8. sup. de Desertoribus & occultatoribus eorum.* GOTHOFR.

(b) *Illyrici & Italiæ*, vt probat *lex 13. inf. de pœnis.* vbi tamen dicam. Eius multa mentio apud Symmachum. Proinde tribuenda est hæc *lex* seu hoc edictum Valentiniano Iuniori. *ID.*

(c) Quæ continentur scilicet in *d. l. 8. sup. de desertoribus. ID.*

(d) *Et eos.* Cod. Iust. *ID.*

(e) *Iudicibus*, Cod. Iust. *ID.*

(f) *Et*, Cod. Iust. *ID.* Cum Cod. Iust. legit Sichard. sed MS. W. & *Iuris existimatione. RITTER.*

(g) *Plectetur*, Cod. Iust. *ID.*

(h) Reliqua vt dixi Tribonianus resecauit. *GOTHOFRED.*

(i) *Nobilior*, Sichard. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

LATRONEM nominatim occultantis pœna hac Valentiniani Edicti parte posteriore sancitur, pro qualitate personæ & status: Et quidem maior, quam desertorem occultanti, priore huius Edicti parte, *l. 8. sup. de desertoribus.* Quæ huic nostræ coniungenda est: quæque adeo Edicti Valentinianei quo latrociniis occursum voluit prior pars est; vt hæc nostra posterior: ad quam arcessere potest lector quæ ad *legem* illam notaui.

Ad has *leges* pertinet, atque adeo huius Edicti promulgandi causam suggerere videtur locus Symmachi ex eius *Epistola 22. lib. 2.* ad hunc ipsum *Flauianum*, cui Edictum hoc inscribitur. *Symmachus* FLAVIANO. *Reparassem iamdiu corpusculi mei valetudinem si frui agrorum salubritatem potuissem* (id est si rus proficisci, & nominatim in Campaniam) *sed nunc intuta est* LATROCINIIS *suburbanitas, atque ideo præstat macerari odio* (al. otio) *ciuitatis, quam pericula ruris incidere.*

 QVI

QVIBVS EQVORVM VSVS CONCESSVS EST, AVT DENEGATVS.

TITVLVS XXX.

Abeſt hic *titulus* a *Codice Iuſtinianeo* totus. Cæterum vt *ſuperiore titulo*, ita & *hac* quoque ſingulari cautione latrociniis occurritur.

PARATITLON.

LATRONVM *l. 2. h. t.* vide & *l. 3. h. t.* ac nominatim ABACTORVM, *l. 1. in fin.* & *d. l. 2.* & *3. h. t.* conatibus *d. l. 2. h. t.* aſſiduis rapinis, *l. 3. h. t.* debilitandis, *d. l. 2. h. t.* in Italia (eo quippe pertinent omnes *huius Tituli* leges) per Vrbicarias inquam regiones, *l. 3. h. t.* item per Italiæ (ſpecialiter ſic dictæ) regiones, puta per Picenum, *l. 1. 4. vlt. h. t.* atque Flaminiam, *d. l. 1. h. t.* Apuliam & Calabriam, Brittios & Lucaniam atque Samnium, *d. l. 1. h. t.* Campaniam item, *l. 2. h. t.* Valeriam denique, *l. vlt. h. t.* vſus equorum, *Rubr.* & *l. 3. 4. h. t.* equi habendi vel equæ copia, *d. l. 1. h. t.* habendi equini pecoris licentia, *l. 2. h. t.* ſeu ſedendorum equorum poteſtas, *l. 3. h. t.* vtendorum equorum facultas, *l. 4. h. t.* equinis animalibus vtendi facultas, *l. vlt. h. t.* præcluditur, *l. 1. h. t.* denegatur, *l. 2. h. t.* a Valentiniano Seniore *quatuor primis huius tituli legibus:* ab Honorio, *l. vlt.* (exceptis quibusdam perſonis: puta Senatoribus, Honoratis, iis qui Prouincias adminiſtrant, Veteranis & Decurionibus: *l. 1. h. t.*) cæteris omnibus, *l. 1. h. t.* paſtoribus, *l. vlt. h. t.* etiam rei Principis, id eſt ouium pecudumque cuſtodibus, *l. 2. h. t.* itemque procuratoribus & Actoribus Senatorum, *d. l. 2. h. t.* Suariis item, *l. 3. h. t.* quod tamen ipſum quodam modo abrogatum, *d. l. 3. h. t.* Denique his equo vehi tantummodo licentia data quos ab Abactorum & Latronum ſceleris ſuſpicione locus aut dignitas vindicaret, *d. l. 3. h. t.* in quibus & Palatini fuerunt, *l. 4. h. t.*

---

p. 224. I. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. ad Mamertinum PP. (b)

EXCEPTIS Senatoribus (c) atque Honoratis: (d) ſed & his, qui prouincias (e) adminiſtrant, Veteranis etiam, qui ſub armis militia functi ſunt, & Decurionibus, (f) ceteris (g) omnibus per Picenum atque (h) Flaminiam, nec non etiam Apuliam & (i) Calabriam, Brittios & (k) Lucaniam, atque Samnium, (l) habendi (m) equi, vel equæ (n) copiam præcluſam eſſe ſancimus. Hii vero, qui minime animos ab huiuſmodi vſurpatione deflectunt, abactorum ſupplicio teneantur. Dat. Prid. Kalend. Octob. Altino, (o) diuo Iou. & Varroniano COSS. [364.]

NOTAE.

(a) Abeſt hæc *Lex* a *Cod. Iuſt.* Vt & ceteræ omnes *huius tituli.* *GOTHOFR.*

(b) *Mamertinus* PP. Sub Valentiniano Sen. de quo plura in *Proſopogr.* Cæterum Præfectum Prætorio Italiæ fuiſſe, vel ex deſignatis *h. l.* Prouinciis facile colligere eſt: Amm. Marcellinus nominatim *lib. 26. c. 5.* in huius anni geſtis. *Orientem*, inquit, *regebat poteſtate Saluſtius: Italiam vero cum Africa & Illyrico Mamertinus, & Gallias Prouincias Germanianus. ID.*

(c) At non etiam Procuratoribus & Actoribus Senatorum, *l. 2. inf. ID.*

(d) De *Honoratis* dixi plene ad *leg. vii. ſupr. de offic. Iudicum ciuil.* Certe Miſcellaneorum Scriptor, *lib. 3. p. 207.* cum Palatinos *h. l.* colligit, Palatinis per has Prouincias *h. l.* equorum vſum fuiſſe conceſſum. Nam imo id demum fit *l. 4. inf. ID.*

(e) Rectores Prouinciarum intelligit, veluti Conſularem Piceni & Flaminiæ: Correctorem Apuliæ & Calabriæ, Correctorem Lucaniæ & Brittiorum; Præſidem Samnii, atque adeo quatuor hos Rectores. *ID.*

(f) De

(f) Decurionum priuilegium obserua. *ID.*

(g) Possessoribus & colonis. Prouinciales ex his ordinibus constabant: Senatoribus, Honoratis ipsis, Prouinciarum Rectoribus, Veteranis, Decurionibus, Possessoribus, Colonis. Itaque cum omnes Prouinciales constitutionibus comprehenduntur, hæc omnia speciatim ferme designantur *h. l.* & *l. 6. supr. ad leg. Iul. Repetund.* Breuius tamen ita, Honorati & Possessores vt *l. 5. inf. de indulg. debit.* & *Nou.* Valent. *inter Theodos.* 40. *ID.*

(h) Quid ex his verbis colligant nonnulli vide *in Comment. ID.*

(i) *Apuliæ* pariter & Calabriæ administratio iuncta fuit, de quo iam alibi. *ID.*

(k) *Brittiorum & Lucaniæ* quoque administratio iuncta fuit: de quo alibi pariter. *ID.*

(l) *Samnium* separatim ambulabat, & peculiarem suum Consularem habebat. *ID.*

(m) Ita quoque *l. 2. inf.* at *l. 3.* vehendi aut sedendi: vtendi, *l.* 4. & 5. Quod eodem tamen recidit. Non habet nisi qui vtitur, aut vti posse sperat, ac maxime in Italia, vbi non equis, sed bubus rus exercetur. Itaque in ea equum habere, & equo vehi, & sedere idem est. *ID.*

(n) Magnam cautionem Valentinianus & anxiam adhibet, *h. l.* non ita *l.* 3. & 4. Satis enim equorum appellatione, equæ comprehenduntur: *l. 65. §. 6. D. de legatis* 3. & Paulus 3. *sent. tit. 6. §.* 74. Sane equini pecoris, & equini animalis appellatio præcisior est *in l. 2.* & *l. vlt. ID.*

(o) Valentinianus ex Thracia, Macedonia, Mysia, Pannonia, Istria, tandem hoc anno Aquileiam, mox Altinum ingressus est: vide *Chronolog.* Itaque octo in ea ciuitate *leges* Septembris mensis fine & Octobris initio datæ occurrunt. *ID.*

COMMENTARIVS,

VALENTINIANI SENIORIS quatuor constitutiones ordine sequuntur, de Equorum vsu prohibitio, ad latrocinia prohibenda: quarum 1. ad septem Italiæ Prouincias pertinet. 2. ad Campaniam. 3. ad Vrbicarias regiones. 4. ad Picenum. Igitur Italiæ septem Prouinciis hic designatis Abactoribus consulit *h. l.* Nam vt cæteroquin Roma & circumiecta, imo tota Italia grassatorum periculo perpetuo obnoxia fuit: (quo ne nunc quidem caret:) quo pertinet & Appiani locus *lib. 5. ciuilium:* & Iuuenalis querela, vbi de Pompeia palude & Gallinaria pinu: Ita & inter initia ferme Imperii Valentiniani Abactoribus infestari eam contigit.

Cæterum notandus est hic eorum error, qui *legem 3. huius tit.* ad hanc primam trahunt, quique adeo designatas *h. l.* prouincias, velut vrbicarias Lectoribus obiiciunt. Vt ita Vrbicarias Regiones iisdem terminis includant, quibus Vicaria vrbis Romæ tandem inclusa legitur. Quos hac occasione in viam veritatis reducere iuuat: Et quidem omnibus deiectos præsidiis, omni sic, vt dicam, velo leuato & sipario omni reducto, vt ita totum hoc negotium semel conficiatur, neque eos aut falli aut fallere amplius contingat: Etsi nisi frons de rebus periisset, confectum iam antea alibi hoc negotium propemodum sit.

Tota controuersia siue quæstio est: An designatæ *h. l.* prouinciæ septem, vrbicariæ Regiones sint, & quidem quæ ita *l. 3. h. t.* nominantur? Igitur vt ostendam Vrbicarias Regiones, de quibus *l. 3. h. t.* non eas esse, quæ *h. l.* 1. designantur, seu ad *hanc legem*, legem tertiam *h. t.* non recte trahi, non vtar ea ratione, quam nonnemo attulit, duas has *leges* ad diuersas Personas esse datas, quod argumentum nihili est: Nam vt maxime ad diuersas personas datæ sint, eundem tamen Magistratum vterque gessit: vterque enim Præfectus Prætorio dicitur (Italiæ scilicet) ac proinde iisdem vterque Prouinciis præfuit. Vnde efficitur, non recte ex diuersitate personarum colligi Prouinciarum disparitatem: quandoquidem, etsi dispares sint personæ, easdem nihilominus Prouincias in administratione sua habere possunt, altero alteri in Magistratu succedente. Et sane Rufinum Mamertino successisse in Præfectura Prætoriana (Italiæ scilicet) testis est Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap. 7.* vide & de eo *cap. 11.* de quo ad eam *l. 3. h. l.* plura.

Aliis igitur & veris argumentis vincendum est: Prouincias videlicet *h. l.* designatas, non esse vrbicarias, de quibus *l. 3.* Primum igitur, has Prouincias aut vrbicarias aut Vicarianas V. R. hoc tempore non esse, hoc argumento conficitur: Quia Picenum & Flaminia, quæ *h. l.* exprimuntur, liquido vrbicariæ & Vicarianæ vrbis Romæ non sunt. Picenum siquidem hoc quod cum Flaminia iungitur, non Vrbicarium, sed Annonarium fuit, & a Piceno vrbicario seu suburbicario diuersum fuit: scilicet vbicunque Picenum cum Flaminia iungitur, Picenum Annonarium intelligendum esse, ne diuersarum quidem partium viri negare possunt. P. 225. *Notitia Imperii* (seu Theodosii Iunioris *Breuiarium*, ne multos dem Auctores) sola sufficiet. *Consulares* inquit *fol. 114.* (in Imperio scil. Occidentali) *viginti duo* (& quidem) *per Italias octo. Venetiæ & Istriæ: Æmiliæ: Liguriæ: Flaminiæ & Piceni Annonarii: Tusciæ & Vmbriæ: Piceni suburbicarii: Campaniæ: Siciliæ.* Rursum *fol. 116. sub dispositione viri Illustris Præfecti Prætorio Italiæ, Prouinciæ Italiæ decem & septem. Venetiæ: Æmiliæ: Liguriæ: Flaminiæ & Piceni Annonarii: Tusciæ & Vmbriæ: Piceni suburbicarii: Campaniæ: Siciliæ* &c. En ambulantem Piceni Annonarii scil. prouinciam cum Flaminia: eamque Piceno suburbicario oppositam. Picenum igitur Flaminiæ iunctum neutiquam suburbicarium, seu vrbicaria regio fuit. Picenum igitur hoc & Flaminia Vrbicariæ non fuerunt: sed nec Vicarianæ vrbis Romæ. Eadem sc. *Imperii Notitia fol. 149.* sub Vicarii Vrbis Romæ dispositione Picenum suburbicarium quidem collocat, at Picenum & Flaminiam, non item: *sub dispositione*, inquit, *Viri Sp. Vicarii vrbis Romæ prouinciæ infra scriptæ. Consulares* (hæ) *Campaniæ: Tusciæ & Vmbriæ: Piceni suburbicarii: Siciliæ.* Ex his iam conficitur, Picenum & Flaminiam *h. l.* nominatas, neque vrbicarias, neque Vicarii vrbis Romæ dispositioni suppositas fuisse. Vnde sequitur, *legem* 3. quæ de vrbicariis est, ad *hanc leg.* non trahendam: Quandoquidem aliæ *hac l.* comprehenduntur, quæ vrbicariæ liquido non sunt. Præterea, cæteræ quæ *hac l.* nominantur prouinciæ; puta *Apulia, Calabria, Brittii, Lucania, Samnium;* nihilo magis Vrbicariæ sunt quam *Flaminia & Picenum.* Siquidem extra centesimum ab vrbe Roma miliarium hæ prouinciæ omnes sitæ sunt: ceterum Vrbicarias seu suburbicarias Regiones omnes Centesimo inclusas fuisse, tam certis, tam liquidis argumentis ostendam ad *l. 12.* & *14. infr. de indulg. debitorum:* imo iam quoque ostendi ad

ad *l. 13. sup. de accusat.* vt qui de eo deinceps dubitaturus sit, is mero dio lucere negaturus sit: quanquam & Coniectura de suburbicariis *prima cap. 2. 3.* Itemque vindiciæ *Prima cap. 4.* & Apolytici *Primi cap. 3.* id iam satis præstiterant.

Atque hæc prima ratio sit, qua ostensum est, designatas *h. l.* prouincias extra vrbicarias fuisse omnes: imo & Flaminiam & Picenum, (Vicarii vrbis Romæ dispositioni subiectas neutiquam fuisse. Vnde conficitur, *vrbicarias* regiones, quæ *l. 3. h. t.* dicuntur, *h. l. t.* comprehensas & designatas non complecti: sed neque Vrbicarias eas regiones recte dici, quæ *Vicario vrbis Romæ* parerent: quandoquidem Flaminia & Picenum (quas vrbicarias fuisse volunt,) Vicarii vrbis Romæ dispositioni subiectæ non fuerint.

Secundum argumentum, quo probatur neque vrbicariarum regionum appellatione in *l. 3. h. t.* hac *lege* designatas intelligi; neque Vicarianas & Vrbicarias easdem esse, istud est: quod *Lege 3. vrbicariis Regionibus anteriore lege prospectum* dicitur: Indefinite inquam & omnibus vrbicariis Regionibus. Hæc enim indefinitæ huius orationis vis est. Qua sane appellatione quæ & quot prouinciæ venerint, constabat tunc temporis: ideoque nec eas speciatim enumerari oportebat: & nisi omnes *anteriore lege* comprehensæ fuissent, eas speciatim designari oportuisset. Atquin alias insuper prouincias Vrbicarias fuisse, quæ *h. l.* non nominantur: itemque alias Vicarianas, quæ *h. l.* non designantur, liquidum est & apertum. Vbi enim quæso in *huius l.* censu *Tuscia suburbicaria*, seu *vrbicaria?* vbi *Picenum vrbicarium* seu *suburbicarium?* vbi rursum Campania, Tuscia Annonaria, vbi Vmbria, vbi Sicilia, vbi Sardinia, vbi Corsica, vbi Valeria? quæ sane omnes Vicarianæ prouinciæ fuerunt, id est Vicario vrbis Romæ suppositæ. Quid igitur apertius, neque vrbicarias Prouincias seu Regiones *h. l.* designatas esse, neque Vicarianas cum Vrbicariis easdem, quandoquidem non omnes Vrbicariæ, non omnes Vicarianæ, *h. l.* comprehenduntur, quas vtique comprehensas oportuit, si vrbicariæ regiones *l. 3.* designatæ *hac lege* designatis responderent.

Breuiter igitur dictorum hæc sit coniectio: Vrbicarias regiones *lege tertia* designatas non esse eas, quæ *hac lege* recensentur, quia nonnullæ in *hac lege* enumerantur, quæ liquido fatentibus aduersariis vrbicariæ non fuerunt, vt Flaminia & Picenum: Vice versa, quia in *h. l.* aliæ non numerentur quæ fatentibus aduersariis vrbicariæ fuerunt, vt Tuscia & Picenum. Item nec vrbicarias cum Vicarianis easdem fuisse, quandoquidem Flaminia & Picenum, quas vrbicarias volunt, Vicarianæ non fuerint: Tandem quia Vicarianas omnes *b. l.* recensitas oportuit, ac non etiam paucissimas tantum, easque minoris momenti, si vrbicariæ, de quibus *l. 3.* eædem Vicarianæ essent. Consequenter, vt vnde digressa est, oratio redeat, liquido iam constat, de aliis Prouinciis *hac lege* tractari, quam de quibus *d. lege tertia.*

Ad Valentiniani mentem & sententiam redeamus, vt Abactoribus Italiæ Prouincias SEPTEM *hac lege* designatas repurget, eorumque conatus, rapinas, debilitet, retundat; equorum possessionem atque adeo vsum (de quo ad *l. prox.*) possessoribus omnibus & colonis interdicit: Exceptis tantum quinque hominum generibus, puta Senatoribus, Honoratis, ipsisque Prouinciarum Rectoribus. Veteranis & Decurionibus Nempe, quia ab Abacturæ suspicione locus & dignitas hos vindicaret, vt *d. lege tertia* quoque dicitur. Extra hos, possessoribus & colonis omnibus interdicitur in Italiæ prouinciis his septem, equorum possessio; atque adeo vsus quoque: sicuti & intra vrbicarias regiones, exceptis iisdem, *d. l. 3. h. t.* In Campania ῥητῶς, *l. 2. inf.* interdicit Pastoribus rei Principis & Procuratoribus seu Actoribus Senatorum.

Huius prohibitionis *Rationem* etsi satis innuant pleræque huius tituli *leges*, etiam hæc *in fin.* ibi, *abactorum supplicio teneantur:* nulla tamen expressius quam *lex 2.* & *3. vt omnes*, inquit *lex 2. latronum conatus debilitati conquiescant.* in fin. *abactorum supplicia tolerare cogantur.* At lex *3. cum omnifariam vrbicarias regiones ab omni crimine & adsiduis Abactorum rapinis quietas esse cuperemus.* Scilicet latrociniis & abacturis patrandis opportunus admodum est equitatus: & irruptioni faciendæ & prædæ subducendæ, suique subducendi. Denique obseruandum est ex designatis *hac lege* Prouinciis nonnullas armentis abundasse, ac nominatim Calabriam: Horat. I. *Carm. Ode 31. a v. 3.*

> - - *Non opimas*
> *Sardiniæ Segetes feracis*
> *Non æstuosæ grata Calabriæ*
> *Armenta: non aurum aut ebur Indicum*
> *Non rura quæ Lyris quieta*
> *Mordet aqua taciturnus amnis.*

De Lucania & Brutiis alibi: quanquam & de his postremis vide interea Cassiodorum *VIII. Variar. 31.* De Lucania pariter & Samnio vide *Nouell.* Valent. *15. de Suariis, boariis, & pecuniariis.* De Apulia con- P. 226 testatissimum; nempe armentis & pastoribus abundasse iam olim, iam inde ab Annibalis æuo, quo non solum octo millia seruorum in militiam empta, quod Liuius aliique produnt, sed etiam pastores ex Apulia aliquot ferociores in Equites adsumpti. Docet Valerius (quod alii silent) *lib. 7. cap. 6. num. 1.* Ex APVLIA *quoque & Fidiculis 70. atque 200. ad supplementum equitatus sunt empti.* Atque hos ipsos statim appellat, *a pastoralib. casis collecta mancipia.* Sane male in APVLIA & feroces pastores ac Pompeius etiam bello in Cæsarem eodem illo [Apuliæ scil.] tractu seruos pastores armat, atque his equos adtribuit: quod ita in Cæsare scriptum *ciuilium lib. 1. c. 24.* Repetit & occulte idem *Commentariorum 3. c. 4.* cum in equitibus Pompeii recenset 800. quos ex seruis suis Pastorumque suorum coëgerat. Vbi vir Doctus reponit, *quos ex seruis Pastoribusque suorum coëgerat.* Ita in eodem Cæsare *eodem libro 3. c. 21.* M. Cœlius in Thurinum ad solicitandos pastores missus. Item & Domitius colonis pastoribusque quos secum adduxerat, naues Massiliensium &c. *commentario 1. cap. 56.*

Tandem notandum ex verbis his, *Picenum atque Flaminiam* nonnullos colligere, iunctam harum duarum Prouinciarum administrationem fuisse hoc æuo, Piceni scilicet & Flaminiæ: Quomodo sane iuncta, fuit *Notitiæ Imperii* tempore, Piceni inquam Annonarii. Nam vbicunque Flaminia Piceno iungitur, Annonarium accipere oportet. Suburbicario enim Piceno cum Flaminia nil commune fuit. Quinimo Picenum istud suburbicarium vel separatim ambulabat, & peculiarem suum Consularem habebat, vt ex eadem *Imperii Notitia* liquet, vel saltem cum cæteris suburbicariis ambulabat; vt sane hoc ipso Valentiniani tempore simul ambulasse eas ostendit *lex 9. inf. de annona & tributis.* Eodem modo Trebellius Pollio *in Tetrico Senior.* Annonarias regiones recensens Picenum & Flaminiam iungit. Aliis mens ea, Flaminiæ administrationem separatam a Piceno fuisse, quod Consularem Piceni legamus *l. 4. inf. h. t. l. 2. supr. de exhibendis reis: in l. 5. supr. de pactis: l. 17. inf. de operib. publicis: l. 71. inf. de Decurionib.* Quod de Piceno annonario sentiendum est, quicquid contra scribant nonnulli.

II. (a)

II. (a) Idem AA. ad Buleforum Conf. Campaniæ. Post alia.

VT omnes Latronum (b) conatus debilitati conquiescant, Pastoribus Rei Nostræ, (c) (id est lanigerarum (d) ouium pecudumque custodibus) nec non etiam Procuratoribus, & Actoribus Senatorum, habendi (e) equini pecoris (f) licentiam denegamus: Sub hac videlicet interminatione, vt hii qui Nostræ Mansuetudinis statuta temptauerint violare, abactorum supplicia tolerare cogantur. Dat. III. Non. Octob. Altino, diuo Iouiano, & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Iungenda *huic* est *lex vn. infr. Quorum vsus interdictus est*: cui hæc subiicienda. GOTHOFRED.

(b) In quibus Abactores, adeo quidem vt latrones pro Abactoribus in *lege* 9. §. 4. *D. locati*, accipiantur. *ID.*

(c) Obserua rem priuatam Principis per Campaniam, & in ea Greges Principis. *ID.*

(d) Imitatio Virgiliana, apud quem non semel *lanigeræ oues*, *lanigeræ pecudes*, *lanigeræ bidentes*, *lanigeri greges*. *ID.*

(e) Vide quæ dixi ad *l.* 1. *sup.* & adhuc dicam. *ID.*

(f) Probus apud Vopiscum *in Vit. Prob. cap.* 15. *Equinum pecus nostro iam fœtundatur Equitatui. Fœtundatur* enim *ibi* legendum, vt alibi probo. Symmachus *lib.* 4. *ep.* 59. *Cum sit diues equini pecoris Hispani. ID.*

COMMENTARIVS.

CAMPANIÆ a Latronibus Abactoribus *h. l.* consulit Valentinianus Senior, pariter vt ante paucos dies septem aliis Italiæ Prouinciis *superiore lege* consuluerat: Campaniæ inquam quæ & ipsa armentorum ferax, atque adeo carnes ad Vrbis annonam suppeditabat, vt docet *lex 3. infr. de Suariis, pecuariis:* & *Nouella* Valentiniani *15. de Suariis, boariis & pecuariis.*

Cæterum duplici ratione Valentinianus latronibus his & Abactoribus per Campaniam occurrit, quarum prior continetur *dicta lege vn. infr. Quorum vsus interdictus est*, quam huic nostræ coniungendam esse dixi, eaque & ordine prima & re ipsa potior & generalior est, puta armorum vsu OMNIBVS interdicto. Quandoquidem gladio ferroque & sæpius etiam conducta manu abigeatus exercetur, vt docet *lex 1. §. 3. & lex 2. D. de Abigeis.* Paulus quoque *lib. 5. sentent. tit. 18. §. 2.* & apud Authorem *collationis legum Mosaicarum*, sub *titulo de Abigeatoribus 11. §. 2. Atroces*, inquit, *Abactores sunt, qui equos & greges ouium de stabulo, vel de pascuis abigunt, si vel id sæpius, aut a ferro conducta manu faciunt.* Ita enim locus hic legendus est. De quo dicam ad *eam legem vnicam* plenius.

Altera ratio ea ipsa est, qua & septem Prouinciis superius consuluerat: Sic quidem vt per Campaniam equorum possessionem ῥητῶς interdicat pastoribus rei priuatæ Principis, itemque Actoribus & Procuratoribus Senatorum. Vnde interim colligere licet, hæc duo hominum genera latrociniis & abigeatu famosa fuisse: de Pastoribus dicam *ad l. vlt.* An igitur prohibitio *huius legis* per Campaniam, non tam late pateat, quam quæ *superioris legis* per septem alias Italiæ Prouincias; ibi enim omnibus præterquam ibi exceptis equorum vsus interdicitur: hic vero omnibus permittatur præterquam duobus hominum generibus? Id vero aliquando putabam, cæteris omnibus per Campaniam equorum vsum licitum fuisse propter frequentes Romanorum in Campaniam commeatus, & secessus, cum plerique inuitante Prouinciæ illius venustate, amœnitate, eo secederent turmatim fere, sic vt eo commeantibus equorum vsum interdici non oportuerit. Omitto de huius prouinciæ amœnitate locos passim obuios, itemque de secessu in eam prouinciam Romanis vsitatissimo. Vnus Symmachus horum ferme temporum scriptor ei rei fidem abunde facit. Contra, cur solis Pastoribus illis, & Procuratoribus, equorum vsu interdiceretur? hanc putabam; quia duo hæc hominum ferme genera per Campaniam abigeatus infamia laborabant. P. 227. Denique & ibi commorantibus tantum, & iis tantum qui hac infamia laborabant in Campania equorum vsu interdicendum fuit. Primum pastoribus rei priuatæ Principis: vnde apparet Principes in Campania suas habuisse greges ouium & pecudum, de quibus aliisque Principum gregibus, *suo titulo* dicetur *infra, de grege domin.*

Secundo Procuratoribus & Actoribus Senatorum, scilicet Senatores Romani plerique suas inibi villas, sua prætoria habuerunt, voluptati inseruientia, quorum Actores & Procuratores criminibus, puta deprædationibus & latrociniis infames erant. Verum cum rem attentius perpendo, mihi potius videatur Valentinianus integra constitutione sua (vnde hæc *lex* desumpta est) omnibus equorum vsu pariter, vt *leg. sup.* interdixisse, in tantum vt ne pastoribus quidem rei priuatæ, & Actoribus & Procuratoribus Senatorum id licere vellet: qui cæteroquin ceruices erigebant, sibique quædam licere putabant obtentu Principalis & Senatorii nominis; quomodo & omnibus pariter armorum vsu interdicitur *d. l. vn. quorum vsus.*

III. (a) Idem AA. Rufino P.P. (b)

CVM omnifariam Vrbicarias Regiones ab omni (c) crimine, & adsiduis abactorum rapinis quietas esse cuperemus, eousque intentio + nostra prospexit, *Vt istis in locis equo vehi his tandummodo liceret, quos ab huiusmodi sceleris suspicione Locus, (d) aut Dignitas vindicauit.* Sed postea Sanximus, + *Vt Suarii (e) equis quidem vterentur, verum ad periculum (f) suum pertinere cognoscerent, si quid in his Regionibus sceleris esset admissum.* Nunc, + quia aduertimus, a Suariis qui propriis officiis occupantur, hanc necessitatem alienam esse debere, Excellentia Tua ita his sedendorum (g) equorum potestatem

datam esse cognoscat, vt nullo prioris (h) sanctionis timore teneantur: per ea sane loca, quæ neque abactoribus, neque aliis (i) criminationibus infamata sunt. Dat. XI. Kal. Iul. Med. Valentiniano & Valente AA. (k) Coss.

NOTAE.

(a) Iungenda forte huic, *lex 66. infr. de Decurionibus*, alterutrubi emendata loci subscriptione. Quod vix tamen credo. *GOTHOFRED.*

(b) *Rufinus* PP. sub Valentiniano Sen. Italiæ, vt vel ex *Vrbicariarum* regionum mentione liquet. Vide plura in *Commentario*, & in *Prosopogr. ID.*

(c) Non tantum ab Abigeatu, verum ab aliis quoque criminibus & Latrociniis, vt *fine legis* quoque ostenditur. *ID.*

† Primam hanc *legem* obserua, quæ nusquam comparet, vt iam probatum est *ad legem* 1. *IDEM.*

(d) Quid inter *locum & dignitatem* est? vide *leg. 4. sup. de accusationibus.* Omittitur hic ordo, qui & alioquin loco & dignitati iungi solet, vt *d. l. 4. & l. 1. sup. ad leg. Iul. de ambitu*: Et Decurionum appellatione, *l. 1. sup. h. t.* continetur: *Ordinis* appellatio ad Decuriones pertinet: *dignitatis* ad Senatores, Honoratos, Prouinciarum Rectores; *loci* vero, ad Veteranos quia & similes in officio publico constitutos. *ID.*

† Secundam Valentiniani constitutionem obserua in hoc argumento de Vrbicariis Regionibus, quæ & ipsa intercidit. *IDEM.*

(e) In illis Regionibus commorantes. *ID.*

(f) *A leur risque & peril. ID.*

† Tertia igitur hæc Valentiniani constitutio de Vrbicariis Regionibus quæ sola superest. *ID.*

(g) *Sedendorum equorum*, pro *insidendi equi*: Spartianus *Adriano cap. 22. sederi equos in ciuitatibus non siuit. ID.*

(h) Secundæ, sed quæ hac prior. *IDEM.*

(i) Vide quæ notaui ad vocem, *ab omni*, supra. *ID.*

(k) An reponendum, *Valentiniano & Valente II. AA. COSS.* id est A. D. 368? vide quæ *supra* dixi, & *Chronol. ID.*

COMMENTARIVS.

VRBICARIIS nominatim Regionibus ab Abactoribus, quin & ab aliis Latronibus, *hac lege*, post duas alias hac ipsa de re latas consulit Valentinianus: Vrbicariis inquam Regionibus, quæ & alibi *Suburbicariæ*; non modo quia Vrbi Romæ proximæ, περίχωροι, verum etiam quia vrbi eiusque administrationi connexæ, cumque Vrbe ambulantes, eiusque Diœcesim constituebant, denique comprehensæ cum vrbe Roma. De quibus alibi iam dixi, & plene quidem. Cuiusmodi quatuor fuisse colligitur ex *l. 1. inf. de calcis coctorib. vrbis Romæ.* & in his *Tuscia* & *Picenum* in partem. Quæ sane ab Italia specialiter sic dicta (eaque adeo comprehensis prouinciis) & in his septem illis quæ *l. 1. sup.* recensentur, vel *hoc Codice* satis aperte distinguitur. Denique quæ cum Italiæ regionibus nil commune habebant: vt vel *lex nona infr. de annona & tributis* docet; quæ ad Mamertinum, cui Rufinus noster successit, data est.

His igitur vt caueret a latrociniorum omni genere, & nominatim Abactorum, varias constitutiones Valentinianus edidit, cuiusmodi tres *hoc titulo* occurrunt, quarum hæc *Tertia* est, qua ipsa & duarum aliarum meminit, quæ nuspiam comparent: quarum prior ita generalis fuerat, vt equo vehi in vrbicariis Regionibus his tantummodo permiserit, quos ab huiusmodi sceleris suspicione locus aut dignitas vindicaret: Secuta est igitur postea Secunda Valentiniani lex, quæ officii genus quoddam excipit, quod in regionibus istis vrbicariis consistens, equo vehi posset. Et vero hi sunt *Suarii*, de quibus erit dicendi locus peculiari *titulo* suo. Speciali scilicet priuilegio id emeruerant Suarii. Et tamen dura satis huic priuilegio lex siue conditio imposita fuerat, hæc videlicet, vt eorum periculo foret, id est vt ipsi præstare tenerentur, si quid in his regionibus sceleris, id est latrocinii vel abigeatus, esset perpetratum. Verum vt dixi dura hæc lex erat ita scripta; Quandoquidem Suarii in officiis suis occupati, ipsi sceleribus seu latrociniis ne admitterentur, animum attendere non possent: Non potest vnius animus in plura sese bona fide diffundere. Et sæuum fuerit ab eo admissi rationem
p. 228 exigere, qui nequ[i]quam admisisset, neue admitteretur, vtpote officio suo districtus prohibere non potuisset. Denique non oportuit priuilegium his concessum, in eorum odium retorqueri: Secuta est igitur hæc *lex* hac de re *Tertia*, hæc inquam nostra, qua diram & sæuam a Suariorum capitibus legem remouit, leuiore inuicem substituta. Nam cum a Suariis alieni criminis ratio exigeretur ex illa secunda *lege*, hæc conditio *h. l.* his relaxatur. Suariis igitur permittitur sedendorum equorum in vrbicariis Regionibus potestas, dummodo tamen per ea loca non vehantur, quæ Abactoribus, aut alio latrociniorum genere infamia sunt. Nempe vt ad officium suum exercendum libera solutaque Suariis eius vtendi potestas sit, ita hoc huiusce priuilegii obtentu facile *legi* fraus fieri potest, & quia fieri potest ne extra officii exercitium pateat, omni modo caueri oportet. Nihil est alioquin huiusmodi priuilegiis ad velanda scelera opportunius: ad quæ alioquin satis ipsa natura facti sunt Suarii. Interim hinc obseruetur, partem criminis esse in infami loco versari, & criminis inuidia facile stringi quemque ea re, etsi aut officium, aut priuilegium intendat. Denique suburbanitatem a latronibus assidue infestatam non hæc tantum *lex* ostendit, verum & *lex vlt. supr. de his qui lat. tit. prox.* Et Symmachus *l. 2. ep. 22.*

Videndum adhuc nonnihil de *Rufino*, cui hæc *lex* inscribitur. Memorat sane Vulcatii huius Rufini Præfecturam Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap. 7. & 11.* eumque Mamertino in Præfectura successisse testatur, & quidem posteaquam Gratianus a patre suo Valentiniano Ambianis in Gallia renunciatus est. *His*, inquit *d. c. 7. ex sententia Rectoris & militum ordinatis* [id est Gratiano in Augustum cooptato] *vix dies intercessere pauci, cum Mamertinum Præfectum Prætorio ab vrbe regressum* (quo quædam perrexerat correcturus) *Auitianus ex Vicario peculatus detulerat reum. Cui ideo Vulcatius successit Rufinus omni ex parte perfectus, & velati apicem senectutis honoratæ prætendens, sed lucrandi opportunas occasiones, occultationis spe nunquam prætermittens. Qui nactus copiam Principis, Orsitum ex Præfecto vrbis solutum exilio, patrimonii redintegrata iactura remitti fecit in lares.* Quo Ammiani Marcellini loco inducatur quis, vt *legis* nostræ subscriptionem emendandam putet. In Præfectura quippe Prætoriana Italiæ, si ita est vt Ammianus Marcellinus scribit,

Mamertinus ad annum vsque 368. perstiterat: Gratianus enim (post quem Augustum demum creatum, Rufinum Mamertino suffectum ait Ammianus Marcellinus) sub finem anni 367. Augustus creatus est. Igitur anno demum 368. Rufinus Præfectus Prætorio Italiæ creatus fuerit, *Valentiniano & Valente II. AA.* Coss. Et alioquin frequens in hoc Consulatu error *hoc Codice*. Idemque error admissus fuerit in aliis *legibus*, quæ eidem Rufino inscribuntur: puta *l. 1. sup. de tract. & statiuis: l. 2. de pascuis: l. 11. de Numerariis:* & *l. 66. infr. de Decurionib.* quam quidem postremam parum abest, quin huic coniungendam putem: est enim ea data ad eundem Rufinum, eodem die, mense, Consule; loca tantum discrepant, hæc *Mediolani*, illa *Rauennæ* data dicitur. Sed tamen multa alia obstant quæ faciunt, vt subscriptio *huius legis* & illarum emendanda non videatur. Et primum quidem subscriptio *d. l. 11. de Numerariis*, dat. *Parisiis:* Certum enim est Valentinianum Parisiis fuisse fine anni 365. vt non tantum plures aliæ *leges* id edocent, verum etiam diserte Ammianus Marcellinus *lib. 26. c. 5.* Deinde extant aliæ duæ constitutiones ad eundem Rufinum PP. duobus sequentibus consulibus *Gratiani NB. P. & Dagalaiphi*, i. e. A. D. 366. & *Lupicini & Iouini*, i. e. A. D. 367. puta *lex 12. inf. de susceptor. lex 4. inf. de Aduocat. fisci.* Quare mens mihi ea, Ammianum Marcellinum in tempore Rufinianæ Præfecturæ designandæ, ordinem non tenuisse, seu seruasse: eumque adeo iam anno 365. Mamertino suffectum. Cui tamen rursum obstant *leges* nonnullæ hoc ipso anno post hanc *legem* ad Mamertinum datæ. Imo anno 365. *lex 3. supr. ne quid publ. læt.* Sed & *legem 4. infr. de annonis ciuicis*, quæ Mamertino inscribitur, ad annum 368. referendam, ad eam *legem* ostendo.

IV. Idem AA. ad Valentinum (a) Cons. Piceni. (b)

PALATINI, vtendorum equorum per Picenum, ad itinerum necessitatem, habeant facultatem. Dat. XVII. Kal. Ianuar. (c) Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS. [365.]

NOTÆ.

(a) *Valentinus* Consularis Piceni sub Valentiniano Sen. Eidem inscribitur *lex 2. sup. de exhibendis reis*, vbi pariter Valentinus dicitur. Sed Valentinianus dicitur *l. 5. supr. de pactis: l. 17. infr. de operibus publicis.* GOTHOFR.

(b) Annonarii scil. de quo mox. *ID.*

(c) Malim *Iunias*. vide *Chronologiam. IDEM.*

COMMENTARIVS.

PER PICENVM, vt iam vidimus, ex *lege 1.* & rursum constabit ex *lege vlt. inf.* imo quod ipsum ex hac *lege* nostra colligitur, equorum vsus ea quam diximus de causa, interdictus a Valentiniano fuerat: pariter vt per cæteras Italiæ Prouincias, *lege 1.* designatas, & per Campaniam, *l. 2.* per Vrbicarias, *l. 3.*

Rursum vt ab hac prohibitione generali excepti fuerunt *d. l. 1.* Senatores, Honorati, Prouincias administrantes, Veterani, vt & *l. 2.* Suarii: ita *hac* eiusdem Valentiniani *lege* per Picenum *Palatini* excipiuntur; quia ad officium suum peragendum seu ad itinerum necessitatem equis omnino opus habebant, vt sine equis officia sua minus commode obire possent.

Porro obseruandum, Picenum, cuius *h. l.* fit mentio: cuiusque Consularis erat Valentinus seu Valentinianus, pariter vt *l. 17. infr. de oper. publ.* & *l. 5. sup. de pactis*, non aliter quam *l. 1. sup.* de Piceno annonario intelligendum esse: Non (vt nuper putauit Miscellaneorum scriptor *lib. 3. c. 23.* p.229. *p. 206.*) Suburbicarium. Neque enim (vt omittam alia argumenta) hoc anno Picenum suburbicarium suum Peculiarem Rectorem habuit, verum suburbicariis regionibus vnus Consularis præfuit, vt docet exerte eiusdem Valentiniani *lex 9. inf. de annona & tribut:* quæ hoc ipso anno data est. Et sic falluntur, qui *hanc legem 4.* trahunt ad *leg. 2. sup.* cum trahenda sit ad *leg. 1.* Eorundem error est, cum Picenum & Consularem, de quo agit Ammianus Marcellinus in Gestis A. D. 356. *lib. 15. cap. 7.* de suburbicario & solo quidem, pariter accipiunt, cum videlicet a Leontio P. V. Petrum Valuomerem ad Picenum eiectum scribit: *Vulgus omne ita euanuit, vt turbarum acerrimus concitor, tanquam in Iudiciali secreto exaratis lateribus ad Picenum eiiceretur: vbi postea ausus eripere virginis non obscuræ pudorem, Patruini Consularis sententia supplicio ob id capitali addictus.* Et quo argumento de Piceno suburbicario, & quidem solo, quod intra centesimum, id accipitur? Nempe quod Leontius P. V. in id Valuomerem relegasse dicatur: atquin certum sit Præsidibus relegare non licuisse in ea loca, quæ ad eius Prouinciæ formam non pertinebant, quam administrabant *l. 7. §. 1. D. de interdict. & relegat.* Verum scire debuerunt illi, Præfecti vrbi potestatem cum Præsidis potestate non recte componi. Nam & Præfectus vrbi iam olim in insulam quam vellet, deputare potuit & relegare ab Italia, quod docet *lex 1. §. 3. & 13. D. de off. P. V. l. 2. §. 1. D. de pœnis: l. 6. §. 1. D. de interdictis & relegatis.* Idque ex *epistola* Seueri ad *Fabium Chilonem P V. d. l. 6.* Quare Triboniani assumentum est in *l. 1. §. 3. D. de off. P. V.* cum addidit, *quam Imperator adsignauerit.* Quid ergo? vsque ad annum 365. vt Corrector Tusciæ, ita Consularis Piceni, vtrique Tusciæ & Piceno præfuisse videntur. At enim mox anno 365. sub Valentiniano suburbicariæ regiones vni Consulari commissæ fuere, vt docet exerte *lex 9. inf. de Annona.* Qua tamen appellatione Flaminiam quoque absorberi videri possit alicui, quandoquidem Picenum Flaminiæ administratione aliquando iunctum ex dictis ad *l. 1.* constat. Mihi tamen alia stat sententia, diuisas nempe hoc æuo administratione has duas Prouincias fuisse, atque adeo suum & specialem Piceno consularem hoc æuo fuisse. Atque hoc sensu Valentinianus hic noster *Consularis Piceni* simpliciter vocatur, *quatuor huius Codicis legibus:* Itemque Sophronius *l. 71. inf. de decurionib.* Sed huc quoque trahenda est Inscriptio vetus ista apud Gruterum CCCCLXXI. 8.

ANICIVS. ACILIVS. GLABRIO. FAVSTVS
V. C. CONSVL. DICAVIT
TARRVT
TARRVTENIO. MAXIMILIANO. V. C
ELOQVENTISSIMOQVE. CONSVLARI
PICENIANO. AETATIS. NONODECIMO
VICARIO. VRBIS. ROMAE. LEGATO. AMPLIS
SIMI. SENATVS. SECVNDO. SOCERO
EXOPTATISSIMO. ANICIVS. ACILIVS
GLABRIO. FAVSTVS. V. C. LOCI. HVIVS
ORNATOR. TOGATAM. STATVAM
φ LIBENS. POSVI. φ

Vbi est, qui *Consulari Piceniano* legit: Alius, *Piceni, anno ætatis.* Tertius tentabat: *Piceni Ano:* id est *Piceni Annonarii:* Nam & ita Magno *in Notis* PIC. ANN. interpretatur *Piceno Annonario*, sicut illas notas PIC. VRB. *Piceno vrbicario:* Quicquid huius sit, inter omnes liquet, *Maximilianum Consularem Piceni* indicari. Sed *Annonarii* nominatim accipiendum, Valentini & Sophronii exemplo coniicio. Nam vt maxime Notitiæ tempore Picenum Annonarium & Flaminia administratione iunctæ fuerint, non ideo tamen semper ita obseruatum fuisse necesse est. Obuia passim, diuisarum modo, modo iunctarum inter se Prouinciarum exempla, quæ afferri possent non pauca, de quo vide Dionem *lib. 53. pag. 504. edit. Wechel.* Æmiliam & Liguriam nominasse sufficiat: quam in rem, *legem 4. sup. de denunciationib.* conferri oportet cum *lege vn. supr. de vectigalibus:* & *l. 4. supr. vnde vi.* Certe Flaminiæ non semper Picenum, sed Vmbriam quandoque iunctam fuisse, fidem facit vetus Inscriptio, quæ *Arimini ad portam S. Andreæ* apud Gruterum MXCIII. 3.

C. CORNELIO
C. F. QVIRIN
FELICI. THRALLO
IVRID. PER. FLAM
ET. VMBR. C. V. LEG
PROV. ACHAIAE. PRAET
TR. PL. QVAEST. PROV. SICIL
PATRONO. COLONIAE
VICANI. VICORVM. VII. ET
COLLEG. FAB. CENT. DEND
VRB. IVRIDICATVS. EIVS. OB. EXIMIAM
MODERATIONEM. ET. IN. STERILITATE
ANNONAE. LABORIOSAM. ERGA. IPSOS. FIDEM
ET. INDVSTRIAM. VT. ET. CIVIBVS. ANNONA
SVPERESSET. ET. VICINIS. CIVITATI
BVS. SVBVENIRETVR
L. D. D. D.

Tandem Valentinum hunc nostrum, siue Valentinianum, Piceni Annonarii Consularem fuisse euincit subscriptio *legis 5. sup. de pactis:* vt ad eam *legem* docui, & docebo *alibi.* Accedat hoc vltimum argumentum, iuberi hunc Valentinum ad Præfectos Prætorio referre *l. 2. sup. de exhibendis reis*, quod omnino euincit Piceni Annonarii Consularem fuisse: alioquin enim ex Vrbicario ad Præfectum vrbi referre iussus fuisset; vt expresse docet *lex 13. sup. de Accusationibus*, quæ decennio post hanc *legem* lata est.

V. (a) Impp. Arcad. & Honor. AA. Benigno (b) Vic. Vrbis Romæ.

PASTORES Valeriæ prouinciæ, vel (c) Piceni, vti equinis animalibus non iubemus: (d) alioquin, si interdictus vsus animalium vindicetur, conscios vsurpationis huius, seu Dominos vel Procuratores, relegationis pœna retinebit. Dat. Kal. Dec. Med. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* velut temporaria: iungenda illi *lex 162. inf. de Decurionib. lib. 12.* GOTHOFRED.

(b) *Benignus* Vicarius vrbis Romæ sub Honorio: eidem inscribitur *d. lex 162. inf. de Decurionib.* & anno sequente *lex 26. inf. de Susceptoribus.* De eodem est Symmachi locus *lib. 9. epist. 39.* Vbi hunc *Benignum* Rectorem Sardiniæ fuisse ostendit: Neque dubium, quin ex admistratione Sardiniæ tanquam pro merito bene procuratæ annonæ vrbicariæ, Vicarius ipsius vrbis factus fuerit. *IDEM.*

(c) *Vel,* pro *&:* quod frequens, in historicis præsertim narrationibus: Vid. Blondellum *de primatu in Eccl. pag.* 986. 987. *IDEM.*

(d) *Non iubemus*, pro vetamus, prohibemus, inhibemus, συγχύσει quadam, pro *non vti equinis animalibus iubemus.* Quod quidem a Fornerio Patre ad *legem 237. D. de verb. signific.* primo notatum est. Quanquam σύγχυσις, vt dixi, seu vocum tantum est transpositio, pro, *Non vti equinis animalibus iubemus:* Sicut apud Cassiodorum *IV. Variar. 19. In frumentis vino & oleo dari siliquaticum non iubemus.* Pro, *Non dari siliquaticum iubemus.* Nil simile cum hoc habet Spartiani exemplum *in Æl. Vero cap. 4. in fin.* neque vlla inibi transpositio. *Iussusque*, inquit, *ab Hadriano, quia vota interueniebant, non lugeri.* Sed nec illud Lampridii *in Alexandr. Seuer. cap. 15. Fures iudicare iussit in ciuitatibus vllis nunquam videri.* Neque enim, vt hoc loco fit, *iubendi* verbo negatiua additur. Simile vero est istud *in l. 14. inf. de operibus publicis: Cum neque nouam constitui fabricam iusserimus, antequam vetera reformentur. ID.* Obseruo hic Nostrum disputare contra CL. CASAVBONVM, qui ex Lampridii *l. c.* legi huic lucem dare studuit. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

P. 250.

HONORII hæc *lex* est; quæ pars est prolixioris Honorianæ constitutionis, vnde desumpta est quoque *lex 162. inf. de Decurionibus:* quæ proinde huic coassanda venit: Qua Latebris & consortio abactorum & refugarum occurrit per Vicariam Vrbis Romæ, ac nominatim per Valeriam & Picenum. Per Valeriam, inquam, & Picenum equorum vsu pastoribus interdicit: pariter vt pastoribus rei priuatæ per Campaniam Valentinianus Sen. *l. 2. sup.* pœna quoque consciis vsurpationis huius imposita.

posita. Pariter vt Curialium collegiatorumque latebris, eorumque occultatoribus seu consciis idem occurrit *l. 162. inf. de Decurionib.* quæ *huic* nostræ, vti dixi, ceu eiusdem constitutionis pars coniungenda est. De nonnullis *hac lege* videndum est.

Primo, notandum, Pastores abigeatus & latrocinii infamia laborasse, vt ex *hac lege*, & *l. 2. sup.* discere licet. Ea scil. de causa equorum vsus his *h. l.* & *d. l. 2.* interdicitur: eademque ratione Prouinciales pastoribus filios suos nutriendos dare vetiti, *leg. vn. tit. prox.* vbi dicam plenius.

Secundo obseruandum, Pastoribus nominatim per Valeriam & Picenum equorum vsu hac Honorii constitutione interdici. Illud vero quæri potest, an his solis, sic vt cæteris permissum id tum fuerit: quæ & ipsa dubitatio fuit *d. l. 2. sup.* Quod putet quis, quasi hi soli ea tempestate in illis prouinciis latrocinii infames fuerint, ea inquam tempestate, quod & ipsum confirmabit *lex vn. infr. ne pastoribus: tit. proximo.* Et tamen putet quis, vt in sp. *d. l. 2.* ita & in hac sp. pastoribus ideo equorum vsu nominatim interdici, quod hi quasi necessariis sibi equis ad pastoris munus vterentur, quibus magis quam aliis propter latrocinii suspicionem interdictum oportuit.


Tertio obseruandum, relegationis pœnam huiusmodi consciis imponi. Quæ certe relegationis pœna olim in abigeatorum occultatores statuta: *l. vlt. inf. D. de abigeis*: quinimo & in abigeos certis casibus, *l. 1. §. 3. D. d. tit.*

Quarto, vt hæc *lex* est de abigeorum quodammodo occultatoribus, ita *dicta lex 162.* huic coniungenda, est de occultatoribus Curialium & Collegiatorum, Curias & Collegia defugientium.

Quinto de *Valeria* Prouincia videndum est. Sane non alia antiquior huiusce Prouinciæ mentio mihi occurrit, quam in *hac ipsa lege*. Neque procul ab his temporibus, imo forte iisdem, apud Balbum Agrimensorem, seu Augusteum, inter Scriptores Augusteos siu. *Rei Agrar. pag. 142. 144. 145. edit. Goes.* vbi *Picenum* pariter & *Valeriam* coniungit: & in hac Prouincia *agrum Amiterninum* ponit, itemque *Veios*, *Corfinium*, *Coloniam Superæquanam*, *Coloniam Peltinorum*, *Marsum municipium*, & *Coloniam Solomontinam*. Altum vero huiusce Prouinciæ apud Anteriores Scriptores silentium. Etiam apud *Pollionem in Tetrico Seniore*. Imo & in *Indice peruetusto prouinciarum Schonbouiano*, quem Ph. Berterius *Pithanon Diatrib. 1. cap. 4. pag. 817. Tom. IV. Thes. Iur.* aliis argumentis ante Notitiam conscriptum recte censet. Addo & hoc quoque *huius leg.* argumento, ante hæc Arcadii & Honorii tempora, vt mirari non debuerit Vir Doctus *dict. diatrib. 1. cap. 5.* in eo *Indice* omitti *Valeriam*. Dicta autem hæc Valeria Prouincia, a *Via Valeria*, cuius viæ etsi antiquum nomen sit, recens tamen prouinciæ ab eo denominatæ appellatio est: vt alibi plenius probo, eosque refuto qui antiquiorem nobis faciunt Valeriam. Simul & *limitum* Authores a corruptorum manu vindico, qui ex *Varia* regione, vel etiam ex *Aurelia*, sub Augusto iam & Claudio, Valeriam, si Deo placet, faciunt & reponunt, vid. *pag. 111. edit. Goes.*

De Valeriæ finibus maior est quæstio, quandoquidem Paulus Diaconus *lib. 2. Historiæ Longobardicæ, cap. 20. pag. 433. Tom. I. Script. Rer. Ital.* scribit Valeriam complexam esse Tiburim, Carseolos, Reate, Furconam. *Tertia decima*, inquit, *Prouincia Valeria, cui est Nursia annexa, inter Vmbriam & Campaniam Picenumque consistit, quæ ab Oriente Samnitum regionem attingit. Huius pars occidua, quæ ab Vrbe Roma initium capit, olim ab Etruscorum populo Etruria dicta est. Hæc habet vrbes Tyburim, Carsiolis, Reate, Furconam & Amiternum, regionemque Marsorum & eorum lacum qui Fucinus appellatur. Marsorum quoque regionem, ideo intra Valeriam Prouinciam æstimo computari, quia in catalogo Prouinciarum Italiæ, minime ab antiquis descripta est. Si quis autem hanc per se Prouinciam esse, vera ratione comprobauerit, huius rationabilis sententia modis erit omnibus tenenda.* Verum Valeriam procul dubio describit Paulus Diaconus, prout ipsius æuo erat: quo tempore iam suburbicariarum Prouinciarum nulla amplius erat mentio: & Prouinciarum fines penitus immutati erant, quibusque temporibus, Valeria Picenum Vrbicarium in partem peruasit: Certissimum enim, potissimam partem, quam Valeriæ Paulus Diaconus adscribit, eam in Piceno fuisse, argumentis alibi ostendo: Vnico Reatis exemplo nunc id probare contentus. Eam scilicet Siculus Flaccus *de condit. agr. pag. 2. in fin. edit. Goes.* & *pag. 3. edit. Rigalt.* aperte in Piceno collocat, quam Paulus in Valeria. Itaque sic habeto: Valeriam primum, id est hanc nostram eam partem Valeriæ viæ complexam qua moriebatur: postea totam Valeriam viam in Valeriam regionem seu prouinciam transiisse: Ita sane primum moris fuit, vt prouinciæ a viis Vrbis Romæ denominatæ, eam viarum partem complecterentur qua morerentur: Exemplo sit Æmilia, Flaminia.

Denique obseruandum, *Valeriam* & *Picenum* sub Vicarii Vrbis Romæ dispositione fuisse *h. l.* demonstrari. Quod & ipsum testatur *Notitia Imperii fol. 149.* Sed perperam hinc colligitur, Valeriam hanc Vrbicariam fuisse. Nam sub Vicario Vrbis Romæ præter Vrbicarias, aliæ præterea Prouinciæ fuerunt, vt ex *Notitia Imperii* liquido apparet. Quid quod quo tempore Vrbicariæ regiones sunt dictæ & constitutæ (sub Constantino inquam, vel Constantio, vt ostendam ad *l. 9. inf. de extraordin. muneribus*) nulla adhuc erat Valeria Prouincia, nisi in Vtopia. Verum nihil attinet hanc segetem hic demetere, alibi ex professo demessam; ac maxime cum in cæteris aduersantem, hic assentientem *Aduentoriæ* Authorem habeamus *parte priore cap. 5. pag. 47.* A quo tamen dissentit doctissimus ille & humanissimus Alexander *dissertat. 1. cap. 5. pag. 37. 38.* cuius nænias ad ludibrium prostratas alibi videbis.



P. 231. NE PASTORIBVS DENTVR FILII NVTRIENDI.

TITVLVS XXXI.

Abest hic *Titulus* a *Cod. Iustin.* & tamen ad aliquid facit *lex 11. Cod. eod. de accusationibus*, quam mox plenius explicabo.

 I. (a) Impp.

I. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Cæciliano P. P. (b) Post alia.

NEMO Curialium, (c) Plebeiorum, Possessorumue, filios suos nutriendos Pastoribus tradat: aliis vero Rusticanis, (d) vt fieri solet, (e) nutriendos dari non vetamus. Si vero, post istius legis publicationem, quisquam nutriendos (f) Pastoribus dederit, societatem Latronum videbitur confiteri. Dat. XII. Kal. Feb. Rau. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTAE.

(a) Abest, vt dixi, hæc *lex a Cod. Iust.* Iungenda vero illi & *lex* 6. *sup. de exhibendis reis: lex* 2. *infr. vt intra annum crimin. lex* 3. *inf. de superexactionibus: lex* 13. *inf. de fide testium.* quinimo & *lex* 12. *supr. de maleficiis:* & *lex* 4. *infr. de abolitionib. lex* 7. *supr. de custod. reorum.* GOTHOFR.

(b) *Cecilianus* PP. Italiæ sub Honorio. vid. *Prosopogr. ID.*

(c) *Curiales, Plebeii, possessores.* His ferme tribus hominum generibus (præter eos qui in dignitate & officiis constituti essent) constabant prouinciæ & prouinciales. *ID.*

(d) Vide *titulum Cod. Iust. ne Rusticani. ID.*

(e) Rusticanis plerumque filii nutriendi dati. *ID.*

(f) *Filios. IDEM.*

COMMENTARIVS.

PASTORIBVS nutriendos filios suos dare parentes hac Honorii constitutione prohibentur: cæteris rusticis, pro more hactenus recepto, iidem dare permittuntur. Prohibitionis istius ratio, tum ex ipsa *huius tituli* cum *duobus superioribus* connexione (quibus videlicet latrociniis occurritur) non obscure colligi potest; tum huius legis sanctione disertis verbis ea continetur: his inquam, *si vero post istius legis publicationem quisquam nutriendos Pastoribus dederit, societatem* LATRONVM *videbitur confiteri.* Eandem suggerunt duæ *leges* tituli superioris. *Quibus equorum vsus concessus est: lex* inquam 2. & *lex vlt.* Ratio igitur hæc est, quod pastores latrociniis infames fuerint. Quo pertinet quod scribit Liuius *lib. 39. cap. 29. Tarentum*, inquit, *Prouinciam L. Posthumius Prætor habebat. Is de pastorum coniuratione qui vias latrociniis, pascuaque publica infesta habuerant, quæstionem seuere exercuit. Ad septem millia hominum condemnauit, multi inde fugerunt.* Nota est alia quoque seditio, quam olim in Sicilia concitauit Athenio pastor, vt Florus scribit *in epitome Rerum Romanarum, lib. 3. cap. 19.* de quo etiam Tullius, *in Frumentaria*, siu. *lib. 3. in Verrem cap. 54.*

Huc pertinet rursum insignis, vt recte indicauit Duarenus, *2. disp. 12.* Diocletiani & Maximiani constitutio in *l. 11. Cod. Iust. de accusationib.* ad *Crispinum* (Prouinciæ cuiusdam proculdubio Rectorem) quæ sic habet: *Si quis homicidii crimen existimat persequendum, secundum iuris publici formam debebit eum, qui in primordio homicidii postulauerit reum, neque probauerit, ideoque reus absolutus est, præuaricationis arguere. Id enim salubriter statutis Principum Parentum nostrorum, iurisque forma præscriptum est. Vel si id non putaueritagendum, ad sequens crimen (id est pastorum latronumue) descendere eum coges, atque id exsequi iudicio tuo: cum siquidem id ab incusato appareat esse commissum, ob vltionem publicam obnoxius legibus fiat:* Cuius *legis* species hæc est. Titius Sempronium pastorem eundemque latronem homicidii accusauit: is cum de homicidio non probasset, Sempronius homicidii absolutus est. Quæritur an huius Sempronii accusatio ab alio institui & repeti possit? ab alio inquam, qui homicidii crimen existimat persequendum, & cuius forte interest, propinquitatis ratione, vindictam eo nomine deposcere? Et rescribit Imperator, ad homicidii accusationem repetendam secundum, seu nouum acusatorem non aliter admitti, quam si primum accusatorem præuaricationis arguerit, id est probauerit primum accusatorem causam prodidisse & lusorie peregisse. Scilicet qui criminis publici ab aliquo reus factus est & absolutus, ab alio eiusdem criminis reus fieri amplius non potest: Iniquum enim est, vt sæpius de eodem crimine quæratur, & qui vno accusante absolutus est, rursus eodem crimine ab alio accusetur: alioquin nunquam cuiquam innocentiæ ratio constabit. Excipitur inter alios hic casus, si posterior accusator præuaricationis reum peragat priorem, vt præter illam *legem 11.* docet *lex 3. §. 13. D. de homine libero exhibendo.* Ex eo- P.232. dem igitur crimine ab vno accusatus & liberatus non aliter peti potest ab alio, quam si præuaricatus prior probetur. In proposita igitur specie, si quis pastorem eundemque latronem homicidii alio accusante liberatum homicidii rursum accusare velit, non aliter admittetur, quam si priorem accusatorem præuaricatum ostenderit. Quid si nouus accusator id noluerit agere, id est noluerit se implicare præuaricationis probandæ necessitati? non admittetur ad eandem homicidii causam peragendam. Quid igitur fiet, si in vindicta huius pastoris eiusdemque homicidiæ persistat? non aliter audietur quam si descendat ad secundum crimen, id est, quam si nouam & secundam Pastoritii & latrocinii accusationem instituat; Neque aliter ad accusationem eum admittet. Proinde si in vindicta huius persistat, coget eum nouum hoc crimen persequi Iudex. Et hæc ideo; Quia iam non obiicitur idem crimen, etsi ex eodem facto descendens. Regulare scilicet est, vt cum ex eodem facto plura crimina nascuntur, de vno in accusationem deductus & liberatus, de altero nihilominus ab alio accusari possit: *l. 9. Cod. Iust. de accusationibus.* Idque publica partim vtilitas suadet, ne factum impunitum elabatur: partim vero priuata vindicta, ne præuaricante vno & tamen nouo accusatore præuaricationis accusationi inuoluere se & implicare verenti, iustæ adhuc vindictæ exsequendæ locus superesset. Et hæc quidem est illius *legis* sententia.

Ex qua iam apparet, quid sit in ea lege, *sequens crimen*, proximum scilicet homicidio, id est, vt *lex* ipsa præfert, pastoritium seu *pastorum, latronumue.* Latronibus igitur pastores proximi, & vtrique homicidis. Et hæc quidem *lex* Maximiano tribuenda videtur, vtpote quam referendam omnino

no existimo ad famosum latrocinium Bagaudarum Rusticanorum & Latronum sub Diocletiano & Maximiano: de quo ita Mamertinus in Panegyrico *c. 4.* quem Maximiano Augusto dixit, Anno Domini 298. *An non illud malum simile monstrorum biformium in hisce terris* (intelligit Belgicam) *fuit, quod tua Cæsar nescio vtrum magis fortitudine repressum sit, an clementia mitigatum, cum militares habitus ignari Agricolæ appetiuerunt: cum arator peditem; cum pastor equitem; cum hostem barbarum suorum cultorum rusticus vastator imitatus est? quod ego cursim prætereo. Video enim te (qua pietate es) obliuionem illius victoriæ malle, quam gloriam.* Cuius latrocininii Rusticorum Bagaudarum, Ducibus Æliano & Amando excitati meminerunt Eutropius *lib. 9. cap. 13.* Hieronymus *Chronico*, Orosius *lib. 7. cap. 25.* Theophanes continuator *Georgii Monachi*, & quædam historica collectio, quam *Eusebio* iunxit *Scaliger*, itemque Zonaras *Annal. lib. 12. Tom. I. pag. 483. edit. Venet.* & Paulus Diaconus *hist. miscell. lib. 10. pag. 69. Tom. I. Script. Rer. Ital.* & ante hos omnes Eumenius pariter *in oratione de scholis instaurandis*, quam dixit *Constantio*, *cap. 4.* Et Victor Schotti *c. 39.* cuius hæc verba: *Vbi comperit*, inquit, *Diocletianus*, *Carini discessu*, *Helianum Amandumque per Galliam excita manu* AGRESTIVM AC LATRONVM, *quos Bagaudas incolæ vocant*, *populatis late agris*, *plerasque vrbium tentare*, *Maximianum statim Imperatorem iubet. Is in Galliam profectus*, *fusis hostibus aut acceptis*, *quieta omnia breui patrauerat. Quo bello Carausius Menapiæ ciuis factis promptioribus enituit.* Omnia quam optime respondent: sed & tempora ipsa. Maximianus enim a Diocletiano cooptatus fuit A. D. 286. hæc *lex* data est A. D. 292. Quo medio tempore Rusticanum hoc latrocinium & Pastoritium profligatum fuit. Ad Carausium & rusticanos hos pariter pertinet *lex 1. Cod. Iust. ne Rusticani ad nullum obsequium deuocentur.* De Carausio hic pariter Eutropii locus est *lib. 9. c. 13. Carausius vilissime natus*, *in Serenæ militiæ ordine famam egregiam fuerat consequutus:* vbi pro *Serenæ*, (aliæ Editiones habent *strenuæ*, vel *strenuo:* Pæanius vertit πολιτικὰ ἔργα) legendum quis existimet *Rusticanæ:* quod satis remotum. Fuit tempus, cum crederem hanc *legem* Diocletiano potius adscribendam, & ad Bucolos, id est Pastores in Ægypto latrones notissimos eam referendam. Bucolicorum horum per Ægyptum latrocinantium, & ex pastoribus arma commouentium mentio est apud Capitolinum *in Marco Ant. Philos. cap. 21. init.* Vulcatium *in Cassio cap. 6.* Xiphilinum *in Marco Ant. Philos. p. 364. edit. Sylburg.* a quibus & *Bucolia*, de quibus alibi.

Pastores igitur iidem & latrones, vt Strabo quoque scribit de Achæis Heniochis, quos ait viuere latrocinanter & pastoritie *Geograph. lib. XI. pag. 758. edit. Almelqueen.* Eusebius *in Chronico: Collecta pastorum & latronum manu.* Iuuenalis quoque vtrosque iunxit *Satyra 8. extrema:*

Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut Pastor fuit, aut istud quod dicere nolo.

Id est, *latro*, quod etiam vetus Scholiastes agnouit. Vide & Aristotelem 1. *Politic.* 11. Frangendis igitur horum conatibus & latrociniis a Valentiniano equorum vsus his interdictus *l. 2. vlt. sup. quibus equorum vsus.* Hac vero Honorii constitutione filiorum alienorum alumni esse prohibentur. Sane e priscis legibus Agrariis (& quidem vt videtur e *lege Licinia*) refert Appianus *lib. ciuil. 1.* pecuariam facientibus, iussum, vt certum numerum ingenuorum hominum penes se haberent. Quam *legem* postea in vsum reduxit Iulius teste Suetonio *in eius vita*, *cap. 42. Octoginta*, inquit, *ciuium millibus in transmarinas colonias distributis*, *vt exhaustæ quoque vrbis frequentia suppeteret*, *sanxit ne quis &c. neue hi qui pecuariam facerent*, *minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent.* Verum non omnino hoc simile est. Neque enim pertinet id ad alienos filios nutriendos, educandos; sed alio prorsus, & alio quoque fine. Nempe voluerunt suos ciues aliquantum a studiis bellicis ad pacis artes retrahere, & quo exhaustæ vrbi continuis bellis & crebris ingenuorum ac ciuium nihilominus copia suppeteret.

Illud denique obseruandum, hanc *legem* esse partem immensæ *legis* ab Honorio hoc tempore latæ: cuius *hoc Codice* fragmenta nouem continentur, vt iam superius monui, quam videlicet tulit de *Processu criminali*, de reis comprehendendis, prosequendis, custodiendis, interrogandis, humaniter tractandis, eorum iudicio accelerando, testibus exhibendis, id genus aliis, in quibus processus criminalis consistit. Quinimo & de Latrocinio, præter hanc *legem*, est quoque *lex 5. supr. de exhibendis reis:* quæ & ipsa inter cæteras *huic* coniungenda est.

p. 233.

DE NILI AGGERIBVS (a) NON CORRVMPENDIS. (b)

TITVLVS XXXII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XXXVIII.

(a) *Escluses, chaussées.* De LIGERIS aggeribus, vide *Capitular. lib. 4. Cap. 10.* de PADI aggeribus eosque rumpentium pœna statutum Patauii sub *Rubr. de possess. turb. c. qui per se vel alium.*

(b) *Rumpendis*, Cod. Iust. Istud hic significantius.

THEO-

P.233. THEODOSII *Iun. Constitutio*, *de Nili aggeribus præmature non rumpendis.*

I. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Anthemio PP. (b)

SI quis posthac, per Ægyptum, intra duodecimum cubitum, fluminis Nili vlla (c) fluenta, de (d) propriis ac vetustis vsibus, præter fas præterque morem antiquitatis, vsurpauerit, flammis eo loco consumatur, in quo vetustatis reuerentiam, & propemodum ipsius Imperii adpetierit securitatem: Conscii & consortibus eius, Oasenæ (e) deportationi constringendis: Ita, vt nunquam supplicandi (f) eis, vel recipiendi (g) ciuitatem, vel dignitatem, vel substantiam, licentia tribuatur. Dat. X. Kalend. Octob. Constantinop. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

N O T A E.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. titulo.* Iungenda autem *huic* est, *lex 2. seu vlt. sup. Quis in gradu præferatur.* GOTHOFR.

(b) *Anthemius*, PP. sub Theodosio Iun. Orientis: vide *Prosopographiam. ID.*

(c) Ita recte hic legitur: perperam in Iustinianeis nonnullis *valla fluenta*: quem errorem Græci quoque tuentur cum reddunt τὸ τάφρον: quam lectionem verbum *vsurpauerit*, quod sequitur, non admittit, quia non apte diceret: *Si valla vsurpauerit* sed *si ruperit*: at dicit, *si vlla fluenta vsurpauerit*, id est, vllos riuulos, vlla *rigua Nili*, vt Plinio vocantur; riuos διώρυγας e Nilo ductas ὀχετὺς ἀρδείας riuo ductas apertis aggeribus ante tempus eriguauerit. Denique si commata vel diacopos vllos fecerit. Sed nec vox *fluenta* subiecta hanc scripturam admittit. Postremo constitutio hæc non est de vallis seu aggeribus Nili vsurpandis, sed de aggeribus non *rumpendis. ID.*

(d) Id est, a propriis & vetustis vsibus, seu præter proprios & vetustos vsus a propriis fluxibus & cursibus. *Vsus fluminis proprius*, est cursus proprius fluminis. *ID.*

(e) Hanc vocem *Oasenæ* Tribonianus sustulit: de quo mox. *ID.*

(f) *Supplicandis*, in quibusdam Codd. Iust. male. *ID.*

(g) Deportatione enim hæc tria amittuntur, ciuitas, dignitas, & bona: vide *leg. vn. in fin. de sententiam passis & restitutis. Vt deportationis*, inquit, *ipsum per se nomen rerum omnium spoliatio est, ita indulgentiæ reditus, bonorum ac* DIGNITATIS *vno nomine amissorum omnium sit recuperatio.* vide & *leg. 3. sup. ad leg. Iul. de vi:* & *l. vn. infr. Ne sine iussu Principis. ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris hæc constitutio est, aduersus eos qui aggeres Nili corrumpebant, adque fauore annonæ Vrbis Constantinopolitanæ: cui annona Ægypti seu Alexandrina dicata, seu affectata erat. Quæ *lex* vt intelligatur, sequentia obseruanda sunt.

Primo, de *Nilo* ipso. Nilum, Ægyptium amnem, in Ægypto fœcunditatis parentem, ἀντίμιμον ὀρανῦ γεωργὸν, ἐργατικὸν ποταμὸν πελαγίζοντα, coloni cœlique vicem in irriganda opimandaque Ægypto præstare, atque ideo εὐεργέτην *beneuolum* amnem dictum, res est compertissima, vt testimoniorum molem vel aggeres id non requirat.

Secundo notandum est, *Aggeres* seu tumulos manu factos Nilo oppositos fuisse, quibus aqua Nilotica coërcebatur, quibus contra apertis, vbi ad iustum incrementum seu cumulum & excessus Nilus excreuisset, aqua per Ægyptum immittebatur, de quibus est & Hieronymi locus, *Comment. in Ezechiel. lib. 9. cap. 30. pag. 415. Tom. V. Oper. edit. Francf. apud Christ. Gensch.* Quos primus dicitur excitasse Hercules. Qua de re etiam est inter cætera insignis *lex penult. D. de extraordin. criminib.* quæ Vlpiani est, *ex lib. 9. de offic. Proconsulis. In Ægypto*, inquit, *qui* CHOMATA *rumpit, vel dissoluit (hi sunt* AGGERES, *qui quidem solent aquam Niloticam continere) æque plectitur extra ordinem, & pro conditione sua, & pro admissi mensura: Quidam opere publico, aut metallo plectuntur: & metallo quidam secundum suam dignitatem, si quis arborem Sycaminonem exciderit.* p 234 *Nam & hæc res vindicatur extra ordinem non leui pœna, idcirco quod hæ arbores colligunt aggeres Niloticos, per quos incrementa Nili dispensantur & coërcentur, & diminutiones æque coërcentur. Chomata etiam & diacopi qui in aggeribus (Nili) fiunt, plecti efficiunt eos qui admiserint.* Aggeres igitur hi in ipsa Ægypto Græco vocabulo χώματα dicebantur, vt constat ex *d. l. penult. de extraord. crim.* & *vlt. inf. de patrociniis vicorum:* ex Diodoro Siculo *lib. I. Bibl. Histor. pag. 11. in fin. edit. Henr. Stephani*, & Arriano *de expedition. Alexandri lib. 2. cap. 18. seqq.* vbi de Tyri obsidione disserit: vnde in Glossis χῶμα *tumulus, agger.* Curtius vocat *moles lib. 4. cap. 2.* de Tyriis obsessis scribens: & Plinius de Nilo, *lib. 5. cap. 9. cum stetere aquæ, apertis molibus emittuntur.* Alter Plinius *in Panegyrico Traiani cap. 37. colles* vocat: *Neque enim*, inquit, *solum vagus ille expanditor amnis intra vsurpata semper collium substiterat, atque hæserat, sed supino etiam ac detinenti solo, placido se mollique lapsu refugum abstulerat, necdum satis humentes terras addiderat arentibus.*

Illud omitti non oportet, quod Diodorus scribit, Sabacum Æthyopum R. Ægypto potitum, vt aduersus Nili inundationes Ægyptum muniret, neminem facinorosum plecti voluisse, sed pro delicti magnitudine ad aggerem vrbis, quam incolerent, effodiendum compulisse. Alias, quadam Ægypti parte huiusmodi aggeres fuere non hominum manu facti, sed hirundinum nidis extructi: de quo

de quo muro *Chelidonio* (nam ita dictus) iam olim Thrasyllus *in Ægyptiacis*, & ex eo Plutarchus *de fluminib.* Hinc Statio *Sylu. l. 3. 2. v. 110. Ripa Nili, Cecropio stagnata luto:* de cuius loci sensu videatur Gronouius, *in Statium lib. 3. c. 28.* Plinius rem ita refert *lib. 10. c. 33. In Ægypti*, inquit, *Heracleotico ostio molem continuatione nidorum, euaganti Nilo inexpugnabilem opponunt*, (hirundines) *stadii fere vnius spatio: quod humano opere perfici non posset. In eadem Ægypto iuxta oppidum Copton insula est sacra Isidi, quam ne laceret amnis idem, muniunt opere incipientibus vernis diebus, palea & stramento rostrum eius firmantes, continuatis per triduum noctibus, tanto labore, vt multas in opere emori constet: ea militia illis cum anno redit semper.* In eo diuersus Plinius a Thrasyllo, quod hic murum hunc Chelidonium factum scripserit ex lapidibus, qui Collotes dicti, quos hirundines colligant, & ex iis murum faciant. Aggeres illos Copti hirundineos Apuleius *lib. 2. Metamorphos. pag. 35. edit. Lugd. Bat. apud. Ioan. Maire* & *pag. 39. edit. Pricæi*, vocat *adsepta Coptica. Miserere ait Sacerdos per adsepta coptica, & per incrementa Nilotica, & arcana Memphitica, sistra Phariaca.* Male enim hactenus ibi legitur *adepta*, quod etiam nonnulli mutant in *Adyta*, aut *Adypta chomata.*

Vt ad aggeres manufactos reuertamur, *Deuteron.* quoque *cap. 11. vers. 10.* horum aggerum fit mentio, vbi dicitur: *Terram Ægypti totam perinde atque hortum humana opera irrigari:* de cuius tamen loci sensu *alibi* dico. Dicebantur & *catadupa*, Cicer. *de Som. Scipion. cap. 5.* & *Catarractæ*, de quibus vide Strabonem *lib. 16. pag. 1075.* & *lib. 17. pag. 1172. edit. Almelouen.* & Heliodorum in *Æthiopicis lib. 9. pag. 410. 411. edit. Commelin.* nempe quod his apertis aquæ cumuli, augmina seu agmina, ponderaque in Ægyptum ruerent & fluerent: v. & locum Trogi Pompei *lib. 2. cap. 1.* His igitur aggeribus continebatur, arcebatur aqua Nili, vsque quo ad iusti incrementi initium peruenisset, tum enim apertis illis aggeribus, aquæ seu incrementa Nili immittebantur, atque ita dispensabantur: vicissim vbi aqua admissa fuerat intra Ægyptum, aqua detinebatur, donec visa fuisset satis humentes terras irrigasse, lutoque fertili obduxisse, Ægyptusque mersa satis palanti amne. Quæ omnia superior Vlpiani *lex* egregie ostendit: & Plinius quoque *lib. 5. cap. 9.*

Ergo, vbi ad iustam iam aliquam cubitorum mensuram & accessionem vel excessum incrementa Nili peruenerant, iam licebat agricolis seu possessoribus aggeribus incisis, aquam ex Nilo in agros suos deriuare. Quod *hæc lex* aperte testatur, cum id vetet fieri intra duodecimum cubitum: Istæ incisiones διακοποὶ & χώματα vocabantur, vt docet Vlpian. *d. leg. penultim. de extraordin. criminibus:* διώρυγας & παραχώματα vocat Strabo *lib. 17. pag. 1136. 1172. edit. Almelouen.*

Iusti porro incrementi quod hic Tertio notandum, initium Nilotici erat, vt aggeres aperiri possent, cum Nili incrementa duodecimum cubitum excessissent. Per cubitos enim, πήχεις, Nili incrementa indicabantur, vt quoque testatur Philostratus *de Vit. Sophist. in Dionysio Mil. pag. 525. edit. Paris. Feder. Morelli*, vbi legitur prouerbium: πήχεσι διαμετρεῖν τὴν γλῶτταν, ὥσπερ τὰς Νείλου ἀναβάσεις. *Linguam vlnis veluti Nili ascensionem dimetiri:* & Himerius Sophista apud Photium *orat.* εἰς τὴν νέηλυν Αἰγύπτιον, *in crudelem Ægyptium, Cod. CCXLIII. pag. 1128. edit. Schotti.* πήχεις, inquit, οἱ Αἰγύπτιοι τὴν αὔξησιν τοῦ Νείλου προσαγορεύουσι, καὶ μέτρῳ μετροῦσι τὰ νάματα, καὶ πανήγυρις αὐτοῖς ὁ πῆχυς γίνεται. *Ægyptii incrementum Nili per cubitos denunciant, & mensura metiuntur aquas, & cubitus illis materia laudis est.* Quare intra duodecimum cubitum nondum iusti incrementi initium erat ad aperiendas illas moles, vt hæc Theodosii Iunioris *lex* aperte testatur. Quam ipsam in sententiam præter Strabonem *lib. 17. pag. 1136. edit. Almelouen.* varii sunt loci apud Plinium. Primus est, *lib. 5. cap. 9. Auctus Nili*, inquit, *per puteos mensuræ notis deprehenduntur: Iustum incrementum est cubitorum* SEDECIM: *minores aquæ non omnia rigant: ampliores detinent tardius recedendo: hæ serendi tempora absumunt solo madente; illæ non dant sitiente. Vtrumque reputat Prouincia:* IN DVODECIM CVBITIS FAMEM SENTIT: *in Tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt; quindecim* SECVRITATEM, *sexdecim delicias.* Alter locus est, *lib. 18. cap. 28. Si* DVODECIM, inquit, CVBITA *non excessit, fames certa est: nec minus si sedecim exsuperauit, &c.* Vide eundem & *lib. 36. cap. 7.* & Senecam *lib. 4. Natural. cap. 2.* Huc pertinet & Solini locus *cap. 35. Tradunt maximos eius exitus cubitos duodeviginti consurgere: iustissimos* SEDECIM *temperari: nec in* QVINDECIM *abesse prouentus fructuarios: sed quicquid intra sit, famem facere.* Et Ammiani Marcellini locus *lib. 22. c. 15. abunde luxurians ita est noxius vt infructuosus, si venerit parcior; eumque nemo aliquando extolli* CVBITIS *altius* SEDECIM *possessor optauit.* Ergo, post duodecimum cubitum, iusti incrementi & excessus initium fuit & auspicium: sedecim cubiti iusti incrementi finis. Hinc adeo Nili simulachrum, seu statua, Romæ cum sedecim pueris quasi eam scandentibus, manuque cornu copiæ tenens. vid. Plinium *lib. 36. c. 7.* Et Strabo *lib. 17. pag. 1136. edit. Almelouen.* pro re extraordinaria notat, maximam aliquando fuisse frugum vbertatem, cum duodecim tantum cubitos Nilus implesset. Iulianus quoque *ep. 50.* Ecdicio Præfecto Ægypti nunciat, Nilum ad quintumdecimum cubitum excreuisse iam vicesima Septembris, atque inde hilaritatem concipit: Πολὺς φησὶν ὁ Νεῖλος ἀρθεὶς μετέωρος τοῖς πήχεσιν ἐπλήρωσε πᾶσαν τὴν Αἴγυπτον. εἰ δὲ καὶ τὸν ἀριθμὸν ἀκοῦσαι ποθεῖς, εἰς τὴν εἰκάδα τοῦ Σεπτεμβρίου ΤΡΙΣ ΠΕΝΤΕ. μηνύει δὲ ταῦτα Θεόφιλος ὁ στρατοπεδάρχης. εἰ τοίνυν ἠγνόησας αὐτὸ, παρ' ἡμῶν ἀκούων εὐφραίνου. *Nilus vt ferunt, multis in altum cubitis elatus, in vniuersam exundauit Ægyptum. Ac si cubitorum quoque numerum audire vis, A. D. XII. Cal. Octob. quindecim deprehensi sunt. Significauit hoc Theophilus castrorum præfectus. Quamobrem, si id nescisti hactenus, a nobis audiens gaudeto.* Vbi neque omittendus dies cuius hic meminit Iulianus, quo Nilus ad iustum iam quindecim cubitorum incrementum venerat, vicesima scil. die Septembris: post quem postero statim die hæc ipsa *lex* Theodosii Iun. data est, cum de præmatura aggerum Niloticorum ruptura, seu aquæ Niloticæ deriuatione a priuatis quibusdam facta, querela ad eum perlata fuisset. Tempus scil. incrementorum, excessuum, ἀναβάσεων Nili incipiebat a Solstitio æstiuo ἀπὸ θερινῶν τροπῶν a medio mense Iulio, exindeque continuabat mense Augusto, Septembri ad Octo- p. 235.
brem vsque: Post Canis scil. ortum incipiebat, id est, cum Cancro Sole ingrediente in Leonem: vnde & Nilotici incrementi ortus symbolum apud Ægyptios *Leo* erat, vt scribit Orus: quem etiam Natalem Mundi Ægyptii statuebant teste Solino, Porphyrio, Scholiaste Arati: Inde æquinoctio autumnali reuocabatur Nilus in, seu intra ripas, Sole in Virginem transgrediente, vel vt alii in Libram, de quo Herodotus apud Plinium *Lib. 5. c. 9.* & Lucanus *lib. 10. a vers. 225. seqq.* Diodorus, Plinius, Solinus, Am. Marcellinus, *lib. 22. c. 15.* Quare & Ægyptiis Æstatis principium fuit ab incremento Autumni a decremento: sementemque adeo faciebant mense Nouembri: messem Maio: v. Plinium *lib. 10. c. 7.* Verum quid nos hanc sementem nunc

facimus, cum iusti hac de re tractatus extent plures? Auctoris *libri de Nilo*, qui Aristoteli tribuitur. Goropii de *Niloscopio*: Ramnusii *de incremento Nili*. Ioannis Baptistæ Scorciæ *de natura & incremento Nili, lib. 2. c. 2.* & 3. Wendelini *de admirandis Nili c. 7.* Prolixe etiam Salmasius *ad Solinum a p. 427. ad p. 436.* Nos ad *huius leg.* sententiam redeamus.

Nemini igitur licebat huiusmodi aggeres præter morem & præter fas aliqua ratione corrumpere. Quod quidem triplici ratione fieri poterat: quas omnes singularis illa Vlpiani lex continet. Primum enim vel aggeres isti rumpebantur & dissoluebantur publico crimine, non etiam ad priuatum aliquem vsum. Secundum crimen erat, si quis ad vsum suum arbores quibus aggeres illi colligabantur, excidisset: sic enim fiebat cæsis arboribus, vt aggeres paulatim dissoluerentur. Tertium & postremum crimen est (de quo *lex* nostra loquitur) si videlicet quis non expectato iusti Nilotici incrementi initio, ad irrigationes agrorum suorum furtiuis meatibus Commata & diacopos fecisset, vt loquitur *d. lex* Vlpiani, vt *lex* nostra; *Si, intra duodecimum cubitum, fluminis Nili vlla fluenta de propriis ac vetustis vsibus præter fas præterque morem antiquitatis vsurpasset*, vt recte Græci πρὸ τῆς ἀναβάσεως τῆς δωδεκαπήχεως, *vlla fluenta*, id est, vel minimum aquæ vsurpasset per furtiuos meatus, furtiuas incisuras, furtiua aquarum illicia, per *commata & diacopos*, & inde Aquationes quæ Græcis ἀρδεῖαι. Ἀρδεῖα Græcis adaquatio riuis factis ducta, ποτισμός. Hi *riui* apud Virgilium quoque: aliis *rigua*, quæ riuo fiunt & sulco. Vnde *rigua* Nili, Plinio, riui scil. & διώρυγες ex Nilo ductæ. De quibus est quoque locus *Deuteronomii c. 11. v. 10.*

Porro, ne qua harum rationum aggeres corrumperentur; contra, vt vndiquaque bene obsepti essent, Officii seu Ministerii genus quoddam erat, quod vicani possessores præstabant, qui *Logographi commatum* dicebantur, & vero ita vocantur eiusdem Theodosii Iun. *l. vlt. inf. infr. de patrociniis vicorum:* Parte altera, vt de Nili incremento constare posset, atque adeo quando fas esset aggeres Niloticos aperire, atque ita Nilum admittere seu immittere, auctus eius fluminis per Puteum mensuræ notis deprehendebatur, vt testantur Strabo, *lib. 17. pag. 1173. edit. Almeloueen.* Diodorus Siculus, *lib. 1. pag. 23. edit. Hen. Stephan.* Plinius, *superiore loco.* Cuiusmodi mensura siue *Nilometrium* in Serapidis templo constitutum erat, vt docet Heliodorus *Æthiopicæ histor. lib. 9. pag. 443. edit. Commelin.* & Memphis quidem Nilometrium istud olim fuit, teste Diodoro Siculo *lib. 1. d. p. 23.* Quæ Memphis ideo Lucano *l. 8. v. 477.* dicitur *custos Nili crescentis in arua.* Id vero ad Christianorum Ecclesiam translatum a Constantino M. auctores sunt Ecclesiasticæ historiæ Scriptores, mox vero veteri loco repositum id a Iuliano Apostata. Exhibet tandem hoc Nilometrium depictum Notitia Imperii *sub Comite limitis Ægyptiaci* ad Memphim: in cuius medio erecta columna cum cruce in eius edito. Tandem erant quibus hoc negotii datum erat, vt per epistolas Ægyptiis vrbibus viciisque incrementa Nili significarent, teste Diodoro, *lib. 1. pag. 23. edit. Henr. Stephan.*

Nunc de *huius l.* sententia. Ea a Theodosio pœna sancitur in postremos huiuscemodi Nili aggerum corruptores, & quidem seuerissima, ignis inquam, in ipsum auctorem, & quidem in eo ipso loco vbi aggeres corrupti: De quo supplicii sumendi genere in eo loco ipso vbi crimen admissum, dicendi locus est alius: v. interim, *l. 28. §. 15. D. de Pœnis l. 3. in pr. D. de re milit.* Exacerbandi porro huius ita supplicii, vt ex superioribus alioquin colligi satis potest, ita *h. l.* nominatim his verbis exprimitur; *Flammis eo loco consumatur, in quo vetustatis reuerentiam & propemodum ipsius Imperii adpetierit securitatem.* Vbi *securitatis* vox quam in hac ipsa re pariter vsurpauit Plinius *superiore loco*, accipienda pro *annonæ abundatia*, quæ ipsa videlicet securitatis publicæ causa est. Notum enim, annonam & frumentum Ægyptiacum Constantinopolitanæ ciuitati adfectatum: si minus large procederet, (pariter vt Romæ, si Africani commeatus cessarent) seditionis causam sæpe fuisse. Itaque *securitatis* vox hac in re propria, quam Symmachus quoque vsurpat non semel: veluti *lib. 2. ep. 7. lib. 5. ep. 47.* & *94. lib. 9. ep. 14.* In conscios vero & consortes huius facti, deportationis pœnam Theodosius *hac l.* constituit, abscisa omni restitutionis spe.

Quod vero ait Theodosius, *vetustatis reuerentiam* appeti hoc facto, in memoriam mihi quoque reuocat, reuerentiam ipsorum incrementorum Nili apud Gentiles, religiosam. Ægyptii quippe olim ipsas incrementi Nilotici mensuras venerabantur: neque fas erat Regibus & Præfectis ad Nilum nauigare cum cresceret, teste *Plinio lib. 5. c. 9.* Apud Apuleium quoque obseruo *lib. 2. pag. 35. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire & pag. 39. edit. Pricæi.* Sacerdotem implorantem misericordiam *per incrementa Nilotica*, tanquam rem sacram. Cæterum *Oasena* nominatim deportatio *hac l.* infligitur, cuius mentionem sustulit hic Tribonianus in *Cod. Iust.* propter *l. vlt. Cod. eod. de pœnis*, qua vltra annum in Oasin quemquam relegari vetat. Huius alioquin Oasenæ deportationis seu relegationis fit mentio non tantum *h. l.* & *l. vlt. C. Iust. de pœnis:* Sed & *l. 7. §. 5. D. de interdictis & relegatis.* De quo nil dici ferme potest amplius quod non a Cuiacio adnotatum fuerit prius: eum consule *lib. 8. Obseruat. 27.* & *lib. 20. Obs. 31.* Tres tantum Scriptores addendi; adhuc Athanasius, *non vno loco:* Zosimus, *lib. 5. cap. 9.* Olympiodorus *de Oasi, apud Photium Cod. LXXX. pag 191. edit. Schotti, & inter Script. Rer. Byzant. Tom. I. pag. 150. edit. Venet.*

Illud postremo non omittendum, inscribi hanc leg. *Anthemio Præfecto Prætorio*, proculdubio ad eius relationem, quo tempore Theodosius Imp. admodum iuuenis erat; ipse vero Anthemius pro annona Alexandrina in Vrbis Constantinopolitanæ vsum apprime laborabat: quod docent aliæ quoque Theodosii Iun. Constitutiones, ad eius relationem & suggestionem vel dispositionem datæ: & quidem hoc ipso anno *l. 32. inf. de Nauicular.* & *l. 1. inf. de frumento Alexandrino.* Huius tandem Anthemii elogia v. in *Prosopogr.*

P. 236 # DE HIS QVI PLEBEM AVDENT CONTRA PVBLICAM COLLIGERE (a) DISCIPLINAM. (b)

TITVLVS XXXIII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XXX. *De Seditiosis, & de his qui plebem contra Rempublicam audent colligere.*

(a) *Colligere*, ὀχλαγωγὰν ποιεῖν Græci, recte: vide *infra, titulum, de his qui ex publ. conl.*

(b) *Publicam disciplinam*, id est, pacem, tranquillitatem: quod in *Rempublicam* a Triboniano male mutatum: vide ad hunc Titulum, & *l. 2. inf. de Episcop. Iudic.*

I. (a) Imppp. Gratianus, (b) Valentinianus, & THEOD. AAA. Florentio (c) PF. Augustali. (d)

SI quis, (e) contra euidentissimam iussionem, † suscipere (f) plebem, & (g) aduersus publicam disciplinam (h) defendere, fortasse temptauerit, (i) multam (k) grauissimam sustinebit. (l) Dat. XIII. Kalend. Ian. Constantinop. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

INTERPRETATIO. *Si quis populum ad seditionem concitauerit*, (m) *damnis grauissimis subiacebit.* (n)

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* Et iungenda huic, *lex* 9. *inf. de fide testium*, cuius hæc sunt verba: *Non oportet in absentem, quasi in præsentem atque conuictum, verum statim putari, quidquid ab eo solo dicitur, qui accusat.* GOTHOF.

(b) Perperam hi Imperatores, *h. l.* & *l.* 9. inscribuntur: Reponendi enim hi, *Valentinianus*, *Theodosius*, & *Arcadius.* IDEM.

(c) *Florentius* sub Theodosio M. Præf. Augustalis. V. *Prosopogr.* ID.

(d) id est, Præfecto ÆGYPTI, quod obseruandum in huius *legis* explicatione. ID.

(e) *Si qui*, Sichard. RITTER.

† Quamnam *iussionem* intelligit Theodosius? Mox eam eruere tentabo. GOTHOFR.

(f) *Suscipere*, est tumultuanti Patrocinari: vt *suscepti*, sunt clientes: vid. *Glossar.* Itaque quæ sequuntur, sunt horum verborum interpretatio. ID.

(g) *Et*, pro, *id est.* ID.

(h) *Disciplinam publicam*, vocat *pacem* & tranquillitatem: vt vocatur ab eodem Theodosio in simili argumento ad Præfectum Augustalem pariter *l.* 31. *inf. quorum appell. non recip.* de quo vide *Glossar.* ID.

(i) Temptauerint, MS. W. & Sichard. RITTER.

(k) *Multa*, forte pro pœna. GOTHOFR.

(l) *Sustinebunt*, MS. W. & Sichard. RITTER.

(m) De hac *Concitandi* voce consule, quæ Sauaro notat ad Sidon. *lib.* 1. *epist.* 11. quæ vtique propria seditionum authoribus: vide *leg.* 16. *D. de appellat. l.* 38. §. 2. *D. de Pœnis*: Paulum V. *sent.* 22. §. 1. GOTHOFRED.

(n) Damna grauissima sustinebit, MS. G. RITTER.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc constitutio est: qua DVCES sese TVMVLTVANTI plebi præbentes (contra iussionem aliquam) grauissima multa puniri iubet A. D. 384. cui iungenda quoque est *lex* 9. *infr. de fide testium.* Idque per Ægyptum.

De Ducibus inquam factionum est hæc *lex*, vt vocantur, *l.* 16. *D. de appellation.* Neque enim est proprie de primis concitoribus vel concitatoribus, seu tumultus & seditionis Authoribus (vt hactenus creditur, & Græca quoque Basilicon scholia acceperunt, ὁ τὸν δῆμον παρασκευάζων ποιεῖν στάσιν.) verum de his qui concitato iam populo duces sese præbent. Sæpe enim qui plebem concitare verentur, vbi concitata ea semel est, ducatum præstare minus dubitant. Et sane Modestinus (cautus differentiarum obseruator) seditionum concitatores, a factionum ducibus distinguit *d. l.* 16. Quanquam negandum non est, duces factionum, eosdem & concitores dici posse.

Porro duo *hac lege* obseruari oportet. Primum pertinere hanc legem ad *Ægyptum* & *Plebem Alexandrinam*, cuius Præfecto hæc *lex* inscribitur. Sicubi scilicet leuis & pendula Prouincia fuit, sicubi ciuitas perturbata, sicubi plebs seditiosa & enormis libertatis, ea fuit Ægyptus, & in ea Alexandria: de quo dictum *ad l.2. supr. de defensoribus ciuit.* & dicetur adhuc *ad leg.31 inf. Quorum appel-* P.237 *lat. non recip.* & *leg.3. infr. de his, qui super religione.* Itaque cum maxime laborarunt Principes vt seditioso populo tumultuandi materiam præciderent, fomitemque & faces subducerent, hac ratione, de Religione disputare populo admisso vel corrogato idem Theodosius noster per Ægyptum prohibuit, *d. l.3.* Eadem ratione idem Theodosius de defensorum officio tulit *legem 2. supr. de Defensoribus ciuitatum*, vbi nonnulla dixi: Eadem nunc ratione tumultuantem plebem a quoquam suscipi vel defendi vetat. Videntur quippe Procerum nonnulli furenti plebeculæ duces se de more præbuisse. Quæ causa etiam est cur cum Proconsulari & fascium potestate nemo Alexandriam mitteretur, de quo est Pollionis locus *in Æmiliano ab init.* Denique familiaris huic populo furor fuit, de quo singularis cum primis locus est Pollionis. *Et hoc*, inquit, *familiare est populo Ægyptiorum, vt vel furiosi, ac dementes de leuibus quibusque ad summa Reipubl. pericula perducantur. Sæpe illi ob neglectas salutationes, locum in balneis non concessum, carnem & olera sequestrata, calceamenta seruilia, & cætera talia, vsque ad summum Reipub. periculum seditionis (ita vt armarentur contra eos exercitus) peruenerunt.* &c. Igitur vt in concitores, ita & in duces factionum seuerissimam in Ægypto pœnam constitui oportuit; qui scilicet plebem susciperent, & contra publicam disciplinam defenderent.

Idque, quod secundo loco obseruandum, *contra euidentissimam iussionem.* Quibus verbis forte indicatur generalis aliqua *lex* præcedens, qua non contentus Theodosius specialem quoque hanc in Ægypto *de pace tenenda* promulgandam duxerit: quomodo idem Theodosius non contentus *Generali lege*, qua super Religione contendi publice prohibuerat, *specialem* insuper *legem* ea de re per Ægyptum promulgandam duxit, *d. l.3. inf de his qui super Religione.* Proinde *euidentissima iussio* fuerit lex, siue iussio generalis. Non improbabiliter tamen dici possit, innui peculiarem quandam iussionem, qua populus Alexandrinus commotus tumultuatus sit hoc tempore. Itaque sic existimabam aliquando, pertinere *hanc legem* ad Theodosii M. *iussionem*, qua per Ægyptum nominatim & Alexandriam *sacrificiorum* vsum aboleri volebat, misso ad id exequendum Cynegio Præfecto Prætorio, de quo Theodosii facto, vide *leg.9. inf. de Paganis:* itemque Zosimum *lib.4. cap.37.* Possit etiam, & omnium quidem iudicio meo probabilissime, referri ad tributariam aliquam indictionem quæ emissa fuerat: *Iussio* scilicet, pariter vt *iussa*, pro tributorum delegationibus, *l.7.20. infr. de extraord.* Item *plebs*, pro plebe rusticana. Atque adeo hæc *lex* referenda videatur, ad patrocinia plebis & vicorum aduersus tributorum exactores: De quo alioquin est *infr. tit. de patrocin. vicor.* & oratio Libanii περὶ προςασιῶν. Sane extat *Cod. Iust. lex 1. de off. Præf. August.* eidem Florentio Præfecto Augustali inscripta, de possessoribus, qui ad inferenda tributa quæ debent, contumaces se præbent, a Præfecto Augustali ad solutionem compellendis etiam militari auxilio; vt parum etiam absit, quin putem eam *legem huic* coniungendam. De *suscipiendi* & *publicæ disciplinæ* significatu, *Glossarium* consule. De pœnis seditiosorum, vide Paulum *V. sent. 22. §.1.* & *legem 38. §.2. D. de pœnis.*



DE FAMOSIS LIBELLIS.

TITVLVS XXXIV.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XXXVI.

Cæterum Tribonianus reiectis cæteris omnibus *huius tituli* legibus, ex sola *l.7.* & *9.* vnicam *legem* in suum *titulum* interpolatam coniecit.

PARATITLON.

FAMOSI LIBELLI: *Rubr.* & *l.1.3.5.6.7.8.9.* & *vlt. h.t.* famosa scriptio libellorum, *l.4. h.t.* famosa series scriptionis, *d.l. vlt. h.t.* libelli, absolute: *l.2. h.t.* [quanquam ea *lex* est proprie de indiciis] item absolute, famosus *in leg.7. h.t.* item chartæ, *d. l.7. h.t.* charta, vel chartula famosa, Interpreti ad *l.1.* & *l.9. h.t.* est, quæ contra iuris ordinem, *l.8. h.t.* nomine accusatoris carens *l.4. h.t.* cuius author nullus existit, *l.3. h.t.* caput alterius pulsat, *l.8. h.t.* vnde & captiosa atque occulta conscriptio vocatur *l.4. h.t.* & ad detestationem eius, furor famosorum libellorum dicitur *l.8. h.t.* venenatum telum, *l. vlt. h. tit.*

His vero Imperatores enixe subinde obuiam iuere: Constantinus M. quatuor constitutionibus, puta *l.1.2.3.4. h.t.* Constantius & Constans, *l.5.6. h.t.* Valens, *l.7.* & *8. h.t.* Theodosius, *l.9. h.t.* Arcadius, *l.vlt. h.t.* Idque per Africam nominatim, quo pertinent tres *leges* puta *l.1.2.5. h.t.* Romæ, *l.3.6. h.t.* per Phœnicem, *l.4. h.t.* per Orientem, *l.7.8.9.* & *vlt. h.t.* Quid de his autem, vel in hos constitutum? ex ipsismet legibus procliue est discere.

CON-

P.238 CONSTANTINI M. e quatuor, in famosos libellos PRIMA *Constitutio.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Verinum (b) Vic. Africæ.

SI quando famosi libelli repperiantur, nullas exinde calumnias patiantur hii, quorum de factis vel (c) nominibus aliquid continebunt, sed scriptionis auctor potius requiratur, & repertus cum omni vigore cogatur his de (d) rebus quas proponendas (e) credidit, comprobare: (f) nec tamen supplicio, etiamsi aliquid ostenderit, (g) subtrahatur. PP. IIII. Kalend. (h) April. Karthag. (i) Constantino A. V. & Licinio Cæs. Coss. [319.]

INTERPRETATIO. *Qui famosam chartam* (k) *ad cuiuscunque iniuriam*, (l) *& maculam conscripserit, in secreto aut in publico adfixerit, inueniendamque* (m) *proiecerit, illi contra quem proposita est chartula non nocebit, nec famæ eius aliquid derogabit. Sed si inueniri potuerit qui huiusmodi chartulam fecit, constringatur vt probet quæ conscripsit, qui* (n) *si, etiam quæ scripsit probare potuerit, fustigetur*, (o) *qui* (p) *infamare maluit quam accusare.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex*, vt cæteræ ferme omnes a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Verinus* Vicarius Africæ sub Constantino M. eidem inscribitur *lex vn. sup. de parricidio: lex 1. supr. de falsa moneta.* De eo mox plura in interpretatione legis: & in *Prosop.* ID. *Valerianum* legit MS. G. male. RITTER.

(c) *Atque nominibus*, Sichard. *Factis vel moribus*, MS. G. RITTER.

(d) Mira constructio: *his de rebus comprobare.* GOTHOFRED. *His rebus*, MS. G. RITTER.

(e) In famoso libello: seu publicandas. GOTHOFR.

(f) id est probationes præstare. ID.

(g) id est, etiam si aliquid probauerit, & vt loquitur *lex 7. inf.* si adsertionibus veri fides fuerit opitulata. ID.

(h) *IV. Kal. April.* Sichard. & priores Cuiac. & illa in quarto. *III. Kal. Iun.* MS. W. RITTER.

(i) *Carthagine* agebat Vicarius Africæ, itemque Proconsul: *l. prox.* de quo peculiari capite. GOTHOFRED.

(k) *Charta famosa*, seu *chartula famosa* Interpreti *h. l.* & *ad l. 9.* chartas quoque vocat *lex 7.* ID. *Chartulam* vt *infr.* hic quoque legit Sichard. Cuiac. prior & illa in 4. RITTER.

(l) *Cuiuscunque iniuriæ maculam scripserit* MS. W. ID.

(m) id est, vt eam alius colligeret, & inueniret. GOTHOFRED.

(n) *Qui etiam, etsi quæ conscripsit*, MS. G. RITTER.

(o) *Fustigationis* pœnam nota apud Gothos. *Fustis* sane supplicium famosi criminis auctori iam olim leges XII. Tabul. imposuerant. GOTHOFR.

(p) id est, *Vt qui*, &c. hæc enim ratio est. ID.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. quatuor constitutiones *de famosis libellis*, quos *Pasquillos* vocant, ordine sequuntur: quæ omnes absunt a *Cod. Iustin.* Ex quibus apparet, quam enixo studio Constantinus M. famosis libellis contra iuerit, securitatemque libellis appetitorum fundatam voluerit. Sane de eo id filius eius quoque testatur *l. 5. h. t.* *Libellis*, inquit, *quos famosos vocant, si fieri possit, abolendis Inclytus Pater noster prouidit: & huiusmodi libellos, ne in cognitionem quidem suam, vel publicam iussit admitti.* Eæ vero in summam Constantini *legibus* accensendæ veniunt, de quibus Nazarius *in Panegyr. cap. vlt.* *Nouæ leges regendis moribus & frangendis vitiis constitutæ.* De hac prima *lege* nunc videamus.

Tria *hac lege* statuit Constantinus. Primum respicit securitatem eorum, qui libello famoso adpetiti fuerant: Scilicet famoso libello adpetitum nullam exinde calumniam vereri iubet: id est metu omni absolutum securitate perfrui; neque metuere, ne his libellis fides habeatur, siue examinentur. Famosi libelli neque notam aliquam adpetito adspergunt, neque his fides adhibenda est, aut eorum fides examinanda venit: neque de his ad Principem referendum: vt *l. 3.* cauetur: denique non vita cuiusquam, non dignitas aut existimatio cuiusquam his machinis concussa vacillare debet. Quod ipsum omnibus ferme *huius tituli* legibus continetur, & inter alias, Constantinianeis: Ac maxime notanda est ratio *legis sextæ*: *innocentem eum credi, cui defuit accusator, cum non defuerit inimicus.* Quam & ipsam de suo Interpres quoque ad *hanc l.* reddit. Et hæc quidem de libello famoso, deque eo appetito, quamdiu author eius nescitur.

Sed quid circa Authorem libelli? Primo requiri authorem oportere: Deinde repertum libello contenta probare cogi iubet Constantinus *cum omni vigore*, id est, vi quoque tormentorum. Ergo multum interest, auctor libelli sciatur, necne: Quamdiu auctor nescitur, fides libelli examinanda non venit: vbi tenetur auctor, examinanda est.

Et tamen, quod tertium, vt maxime auctor famoso libello comprehensa probauerit, nihilominus eum affici supplicio iubet; VERITAS proinde a famosi libelli crimine pœnaque non liberat. Nam vt eleganter idem Constantinus M. ait *lege 4. h. t.* *Qui accusationis promotione confidebat, libera potius intentione, quam captiosa atque occulta conscriptione, alterius vitam debebat in iudicium vocare.* Semel videlicet contra iuris ordinem caput alterius pulsauit. Et tamen moderandam hoc casu pœnam, & constitutionibus alicubi sancitum, & Pragmaticorum consensu receptum est. Quinimo in specie *legis 4.* & *l. 7. infr.* libelli Auctor veritate non modo excusatur, sed etiam laudem & præmium consequitur: de

 quibus

quibus species *ad eas leges* videbimus. Tribonianus certe perperam extra speciem suam *l. 7. infr.* traxit, & generalem fecit, *legique vnicæ C. Iust. de famosis libellis*, ea de causa inferendam putauit, quasi veritas semper famosi libelli Auctorem excusaret. Sane Paulus quoque scripsit in *l. 18. in pr. D. de iniuriis*. *Eum qui nocentem infamauit, non esse bonum, æquum, ob eam rem condemnari:* hac addita ratione, *Peccata nocentium nota esse oportere & expedire.* Nulla scilicet est contumelia, quæ fit dignis. Verum hæc Pauli species a nostra multum distat: Is quippe qui famosum libellum scribit, nomen suum non profitetur, neque ad veritatem probandam vltro prosilit: at qui conuitium nocenti fecit, qui eum infamauit, liberam sibi intentionem, non captiosam & occultam fuisse ostendit: Ideo si veritatem dicti probet, nihil est cuius nomine plecti eum oporteat. Breuiter aperte hic grassatur, cuniculis ille: hic dum infamauit, notus esse voluit; ille ita infamauit, ne notesceret: hic latine loquebatur, dum latronem, *latronem* vocabat: ille ne quidem loquebatur, dum nomen suum reticere cupit. Et Trebatius quoque olim noster apud Horatium *Sermon. II. Satyr. 1. in fin.*

P. 239.

Si quis
Opprobriis dignum lacerauerit integer ipse,
Soluentur risu Tabulæ, tu missus abibis.

Vbi Acron & Porphyrion. Acronis hæc verba sunt: *Ridebunt legem XII. Tabularum (de malis carminibus) tu veniam mereberis:* Ex quo apparet, olim, veritate famosi carminis auctorem excusatum. Ex communi sane quoque opinione infamantem veritate excusari probat Clarus 5. *sent. 10.* Gayll. 2. *obs. 99.* Quod pœnam attinet: *supplicio* affici auctorem vult Constantinus: id est vltimo supplicio, gladiique pœna; sic & capitali sententia subiugari iubetur *l. 7.* In genere pœna indicitur *l. 9.* Gladii denique pœna statuitur *l. vlt.*

Porro parum abest, quin credam hanc & sequentem constitutionem, quæ Constantinum M. authorem habent, imo & *leg. 5.* quæ est Constantini Iunioris, ad causam Cæciliani pertinere, argumento eorum quæ scribit Augustinus *lib. 3. contra Cresconium c. 70.* & *ep. 68.* (*88. n. 4. edit. Benedict.*) *ep. 50.* (*185. n. 4. 5. 6. edit. cit.*) *ep. 152.* (*141. n. 8. 9. ed. cit.*) & aduersus Donatistarum in Catholicos furorem, seu Circumcellionum audaciam coërcendam, latas: qui videlicet Catholicos *rabida furoris audacia* (vt Constantinus de his dicebat) Catholicos modis omnibus infamatos cupiebant & traductos. Cui coniecturæ facile assentietur, qui Donatistarum huius æui historiam exploratam habuerit. Sane neque parum hanc coniecturam iuuat & *Carthaginis* nomen, vbi proposita hæc *lex* dicitur, & *Verini Vicarii Africæ* cui hæc *lex* inscribitur, nomen; quandoquidem hic idem Verinus ille est, cuius non vna mentio in Donatistarum rebus occurrit his Constantini annis. Memoratur sane Constantini ad hunc Verinum Indulgentia seu rescriptum & Epistola A. D. 321. in collatione Carthaginiensi (quæ sub Honorio habita fuit inter Catholicos & Donatistas) in indice *collat. 3. cap. 548. 549. 550. 551. 552. Tom. I. Concilior. pag. 1143. edit. Harduin.* & ab Augustino *in eius breuiculi die tertio*, *sub f.* & *post collat. cap. 31. 33.* & *epistola 52.* qua Donatistas libero arbitrio dimitti iubet a se iussos ab exilio remeare: In quibus literis eos tanquam pessimos & pacis Christianæ inimicos ostendit grauiterque detestatur, & furori suo & Domini iudicio, qui iam in eos cœperit vindicare, dimittit, & sic ignominiosissima indulgentia de exilio eos relaxauit.

Nisi hoc placeat, ad crimen forte *Maiestatis* & *Rebellionis*, nonnullis quibuscunque tandem impactum in Africa hæc *lex*, & *sequens* pertinere videantur.

CONSTANTINI *e quatuor in famosos libellos* SECVNDA *Constitutio.*

II. (a) Idem A. ad Helianum (b) Proc. Afric.

LICET seruentur in Officio (c) Tuo, & Vicarii, exemplaria Libellorum, qui in Africa oblati (d) sunt, tamen eos, quorum nomina continent, metu absolutos securitate perfrui sinas; solumque moneas, *Vt ab omni non solum crimine, sed etiam suspicione verisimili alieni esse festinent:* Nam qui accusandi fiduciam gerit, oportet comprobare, nec occultare quæ scierit: quoniam prædicabilis (e) erit ad dicationem publicam merito peruenturus. PP. V. Kal. Mar. Carthagine. Constantin. A. VI. & Constantio Cæs. Coss. [320.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) *Helianus* seu *Aelianus* PC. Africæ sub Constantino M. Eidem inscribitur hoc anno ipso *lex 3. infr. quorum appellat.* & forte huic iungenda. v. plura in *Prosopogr. ID.*

(c) Officium Proconsulis Africæ nota, vt & Vicarii Africæ. *ID.*

(d) An *oblatos* libellos vocat, qui cum sparsi fuissent & collecti seu reperti, Magistratibus postea ab inuentoribus oblati fuerunt? Minime: de quo mox. *ID.*

(e) De hoc loco mox dicam. *ID.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc e quatuor Constantini M. *hoc titulo*, de famosis libellis, Constitutio est, qua per Africam pariter (vt *l. 1. sup.*) iubet ADPETITVM seu nominatim *indicio* seu libello incerti accusatoris nullam calumniam vereri, quin omni metu absolutum securitate perfrui debere.

Quæ sententia est plerarumque *huius tituli* legum circa famosos libellos. Huius sane sanciendæ occasio hæc fuisse videtur: quod Ælianus ad Proconsulatum Africæ recenter euectus, cum reperisset seruari indicia se libellos in officio suo, quinimo & Vicarii Africæ (id est in scriniis Proconsularibus

& Vica-

& Vicarianis) dubitasset, an in eorum veritatem inquirendum sibi foret? Igitur rescribit Constantinus, Licet *seruarentur* huiusmodi libelli in scriniis publicis, nullum tamen exinde inibi nominatis præiudicium fieri oportere, neque eos iudicio ideo sine accusatore subiiciendos a Iudice. Aduersus aliquem præsumptio iusta criminis non capitur ob nominationem eius in libello incerto auctore factam. Proinde iudex nominatis nullam molestiam exhibere debet: quamlibet, quæ maxima hic dubitandi ratio fuisse videtur, libelli hi collecti publice asseruarentur.

P.240 Quodnam igitur Iudicis officium erit huiusmodi iudicio prolato & in publico adseruato? Aut quam inde vtilitatem capiet? Monendi solummodo ait Constantinus: Iudex scil. nominatos monere debebit, *vt ab omni non solum crimine, sed etiam suspicione verisimili alieni esse festinent:* vt Constantinus *h. l.* eleganter rescribit: id est monere debebit Iudex, libello nominatos, vt ita sese gerant deinceps, ita sese contineant intra modestiæ vitæque inculpatæ fines, vti ne crimine tantum vacent, sed ne cui verisimilem saltem criminandi occasionem præbeant in posterum. Vulgatum est Cæsaris verbum hanc in sententiam apud Suetonium *Iulio, cap.* 47. & Plutarchum; *Meos tam suspicione, quam crimine iudico carere oportere.* Liuiæ apud Dionem *lib.55.* δεῖ σε ὦ Αὔγουστε, μὴ μόνον μηδὲν ἀδικεῖν, ἀλλὰ μηδὲ δοκεῖν. *Tuum est autem, Auguste, non modo ab iniustitia, sed ab opinione quoque eius abesse.* Plauti iam olim *Trinummo, Actu 1. sc. 2. v. 41. Omnes bonos, bonasque accurare addecet suspicionem* Vt *culpam* (ita enim puto legendum) *vt abs se segregent.* Ausonii his temporibus propioris *Ephemer. Orat. v. 62. seqq.*

- - nec vero crimine lædar
Nec maculer dubio: paulum differre videntur
Suspectus, vereque Reus:

Ex superioribus igitur efficitur, suspectum non fieri quemquam ex Indicio seu ex nominatione libello incerto Authore facta, atque adeo Reum fieri non posse: Quod & *l. 1. sup.* cauetur: & tamen cautionis vitæ hanc occasionem cuique esse debere, ne accedente aliqua postea verisimili suspicione, velut adminiculo hoc Reus fieri possit. Quod nuda & incerta nominatio non facit, id vitæ tenor postea perficit. Quod notari oportet, cum quæritur seu tractatur, an ex suspicione reus aliquis fieri possit? Atque istud quidem Iudicis officium est nominatos in famoso monere, si videlicet (vt in specie *huiusce legis*) Iudex, id velit. Neque enim quicquid Iudicis officio relinquitur, id necessitati quoque subiicitur. Aliud igitur fuerit si Magistratus id nolit: Tum enim tantum abest nominatos monere debeat, vt contra nominatione secreta habita nominatorum actibus & vitæ deinceps Iudex inuigilare debeat, vt ita verisimilem notitiam vel suspicionem ad famosi fidem eruat. Et hactenus quidem famosi libelli vtilitas quædam est, sed exitiosa semper, & modis omnibus inhibenda.

Subiicit Constantinus, *eum qui* Accusandi *fiduciam gerit, oportere comprobare, nec occultare quæ sciat.* Quæ quidem sententia videri possit non pertinere ad eum qui ipse libelli author fuit, propter rationem quæ mox subiicitur, cui respondent quæ ad legem superiorem diximus. Et tamen contrarium omnino verum est in sp. *huius leg.* Neque enim hæc *lex* proprie pertinet ad libellos famosos in vulgus sparsos, sed ad *libellos oblatos Magistratibus*, vel eorum Officialibus, suppresso tantum Indicis, seu Indicium facientis nomine: id quod huius *legis* initium apertissime ostendit: *Licet seruentur in officio tuo & Vicarii exemplaria libellorum, qui in Africa* Oblati *sunt, tamen eos quorum nomina continent* &c. Proinde est hæc *lex* de *Indiciis*, id est de criminis nuntiatione Magistratui facta, quorum multa mentio *hoc Codice* & *toto iure*, & apud Senecam, Plinium, Tacitum, Curtium. Etsi nescius non sim *oblatos* dici, qui primo sparsi mox collecti ad Magistratum perlati sunt.

Porro huiusmodi indicia fiebant seu deferebantur, non tantum expresso nomine indicium facientis: verum quandoque subtimidi & (vt *lex* nostra loquitur) *accusandi fiduciam non gerentes*, indicium quidem faciebant, sed nomina indicio suo non profitebantur. Huiuscemodi igitur Indiciis nominatum calumniæ obnoxium fieri vetat Constantinus: vice versa *Indices* ipsos inuitat ad accusandum & indiciis suis adsistendum, atque adeo ad nomina sua prodenda: idque sub spe gloriæ; *Quoniam,* inquit, *prædicabilis erit ad dicationem publicam merito peruenturus.* Quibus verbis quidnam Constantinus voluerit, manifestius est, quam ipsa verba vulgo intelligi possunt. Itaque sunt qui ea sic restituunt. *Quoniam prædicabilis erit ad vindicationem publicam; & vindicationem*, id est vindictam, interpretantur. Verum locus vndequaque sanus est. *Prædicabilis*, primum *h. l.* est inclytus, gloriosus, prædicatione laudeque dignus, ἔνδοξος, laude dignus, ἐπαίνου ἄξιος; deinde *dicatio publica* est deuotio quæ publice debetur & præstatur, quæque exinde laus sequitur. Glossæ Philoxeni, *ad dicationem,* πρὸς καθοσίωσιν. *Dicatio* ἀφοσίωσις, καθοσίωσις: Ita *l. 1. sup. de Veteranis*, ad Præsidem quendam: *Edictum autem continens indulgentiam nostram ad Deuotionem Tuam misimus, vt & tua Dicatio & cuncti alii recognoscant quid præstitimus memoratis.* Et ad Correctorem, *l. 1. inf. de appellationib.* Iam dicationis tuæ est. Ad Proconsulem: ad Dicationis tuæ officium reuertantur: *l. 21. inf. de appellat.* In Glossis quoque Cyrilli καθοσίωσις *Deuotio, Dicatio, Maiestas.* In veteribus monumentis: *Numini maiestatique dicatus & deuotus.* Dicatio igitur, & deuotio, idem est. Tandem igitur *huius legis* sensus est, Criminis Indicem si notoriæ suæ adsistat & prædicatione dignum & laudem maximam consequuturum, vt in simili specie loquitur *lex 7. infr.* & rursum in simili, Gloriam reportabit: *l. 6. sup. ad legem Iuliam repetundarum.*

His omnibus perspectis apparet, hanc *legem* ad hunc *titulum* non adeo proprie pertinere, vel saltem de alio libellorum genere esse, quam de quo reliquæ ferme *huius tituli* leges sunt. Et primus igitur hic casus obseruetur, quo libelli (famosum iam dicamus) author veritate excusatur; quin & gloriam reportat: de quo *ad l. 7.* plenius, quæ liquido est de famoso libello.

III. (a) Idem A. ad Ianuarium Agentem Vicariam Præfecturam. (b)

Vt accusatoribus patientia (c) præbenda est, si quem persequi in Iudicio volunt, ita famosis libellis fides habenda non est, nec super his ad Nostram Scientiam Referendum, cum eosdem libellos flammis protinus conducat (d) aboleri, quorum auctor nullus existit. PP. Prid. Non. Decemb. Rom. Constantino A. VI. & Constantio Cæs. Coss. [320.]

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Ianuarius* Agens Vicariam Præfecturam sub Constantino M. Vrbis Romæ, vt ex *huius legis* subscriptione patet. *ID.*

(c) *Patientiam præbere*, est audientiam præbere. vide *Glossar. ID.*

(d) Conducat, id est, non tantum expediat, sed etiam oporteat, & quidem expediat ne innocentia subiecta fiat, &c. *ID.*

COMMENTARIVS,

P. 241. TERTIA hæc Constantini M. constitutio est *hoc titulo* aduersus libellos famosos; qua fidem famosis libellis nullam adhibendam rescribit A. D. 320. Ratione *h. l.* insuper adsignata: sed & duobus præterea additis. *Ratione* inquam quam & ipsam repetit *l. 4. prox.* cuique hæc Scipionis respondet apud Ciceronem 4. *de Republ. in fragm. Ciceron. pag. 1316. edit. Lugd. B. apud Elzeuir. 1661. in 4.* quo loco de carmine famoso pariter agit: *Iudiciis*, inquit, *ac Magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non Poëtarum ingeniis habere debemus.*

Duo vero hæc Constantinus adiicit. Primum, vt de huiusmodi libellis ad se non referatur; quam Constantinianæ *legis* sententiam filius Constantini citat *l. 6. inf.* Secundo, huiusmodi libellos flammis protinus aboleri iubet. Quod & ipsum Constantini filio placuit, *d. l. 5.* & Valenti, *l. 7.* & Arcadio, *l. vlt.*

Ait autem, libellos *quorum author nullus existit*, vt *quarta lege prox.* qui nomine accusatoris carent: sine nomine, *l. 5. §. 9. D. de iniuriis.* charta carens indice, Sidonio, *lib. 1. Epist. 11.* ἀνώνυμον βιβλίον Gloss. Nomico in Φάμωσα. Hinc & captiosa & occulta conscriptio *d. l. 4. prox.* Cæterum id a Constantino recte constitutum, melius quam antea cum seruari huiusmodi libellos aliquando mos esset, vt docuit *l. 2. sup.* Libellos, inquam seu *Notorias.* Nam & hæc quoque *lex*, itemque *lex prox. 4.* & *l. 5. 6.* & *8.* ad Indicia nomine carentia pertinere videntur: vt *l. 1. 7. 9. vlt.* proprie ad famosos libellos in vulgus sparsos.

Porro vt duæ superiores *leges* & *lex 5.* ad Africam pertinent, ita hæc ad vrbem Romam: quod subscriptio docet *PP. Rom.* Quarta ad Phœnicem spectat.

IV. (a) Idem A. ad Dionysium. (b)

FAMOSA scribtio libellorum, quæ nomine (c) accusatoris caret, minime examinanda est, sed penitus abolenda; (d) nam qui accusationis promotione (e) confidat, libera (f) potius intentione, (g) quam captiosa atque occulta conscribtione, alterius debet vitam in *Iudicium* deuocare. PP. Tyro, (h) XII. Kalend. Nou. Ianuarino & Iusto Coss. [328.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *Lex a Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Dionysius* sub Constantino M. Comes, de quo ad *ipsam legem* mox plura: v. & *Prosopogr. ID.*

(c) Dixi ad *legem superiorem. ID.*

(d) Ignibus scil. vide *legem* superiorem: *Abolere* libellos, est igne abolere, & adolere. *ID.*

(e) *Promotio* accusationis, est accusationis probatio: Proinde, *promotione accusationis confidere*, est accusandi *fiduciam gerere*, vt loquitur *lex 2. sup.* & certo persuasum habere se posse accusationem probare. *ID.*

(f) *Libera*, id est, aperta, publica. *ID.*

(g) *Intentione*, id est actione, seu accusatione, vid. *Gloss.* & nominatim *legem* 4. *supr. finium regundorum:* & *leg. vn. supr. de dolo malo. ID.*

(h) *Tyri*, proposita hæc *lex*, de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

QVARTA hæc e quatuor Constantini super *famosis libellis* constitutio est: qua examinari in iudiciis oblatos ibidem Indices libellos nomine carentes rursum vetat A. D. 328. Quinimo eos rursum aboleri iubet, flammis scil. addita ratione, quam *superiori lege* iam expendimus. Cæterum indubie hæc *lex* est de Indicibus libellis iudicio oblatis, id quod postrema verba satis indicant.

Dicitur autem hæc lex *proposita Tyri*, itemque inscribitur ea *Dionysio:* Proinde videri possit hæc *lex* pertinere ad Synodum, quæ *Tyri* congregata: cui sane hic *Dionysius*, Comes scilicet, Constantini iussu præsedit: vt testatur ipsiusmet Constantini Epistola ad *Synodum Tyri*, apud Auctorem *vitæ Constantini lib. 4. cap. 42.* & Theodoretum, *lib. 1. cap. 29.* videndus & Athanasius *non vno loco.* Et Socrates, *lib. 1. cap. 28.* quibus locis etiam hic Dionysius vocatur ἀπὸ ὑπατικῶν, id est, ex Consulari. Extant apud Athanasium quoque *Apologia 2. p. 797. 798. edit. Lips. Weidm.* duæ ad hunc *Flauium Dionysium Comitem* Epistolæ aliæ: Vna, Ægyptiorum Episcoporum, qui Tyri conuenerant: altera Alexandri Episcopi Thessalonicensis. Itaque videri rursum posit, hæc *lex* pertinere ad crimina, quæ in Athanasium, partim libera intentione seu palam

Iam, partim captiosa & occulta conscriptione iactata.

Quod si ita est, Synodi, quæ in Tyro habita characterismus hinc colligatur: Alius ab A. D. 335. in quem alioquin annum vulgo hæc Synodus conjicitur. Verum non ea mihi stat sententia, neque puto ad Athanasii causam *hanc leg.* quicquam facere: quæ vtique si faceret, satis fuisset eam accipi a Dionysio Cognitore, vel in Synodo legi: vt solent Mandata, quibus cognitoris notio instruitur vel informatur: ac non etiam *Proponi* in Vrbe, vti solent ea quæ in commune spectant, publice proponi: Sed & apertis duobus argumentis probat Baronius, id Concilium habitum tricennalibus Constantini, seu Anno 335.

---

p.242

V. Imp. CONSTANTIVS (a) A. ad Afros. (b)

LIBELLIS, quos *Famosos* vocant, (c) si fieri possit abolendis, Inclytus Pater † Noster prouidit: & huiusmodi libellos, *Ne in cognitionem quidem suam, vel publicam* (d) jussit *admitti.* Non igitur vita cuiusquam, non dignitas concussa his machinis (e) vacillabit: Nam omnes huiusmodi libellos concremari decernimus. Dat. XIV. Kal. Iul. Vrso & Polemio Coss. [338.]

NOTÆ.

(a) Tribuenda hæc *lex* est non Constantio, sed Constantino Iuniori. Consule *Consularia.* GOTHOFR.

(b) Ad quos pariter pertinet *lex* 1. & 2. *sup.* quas hæc *lex* indicat. *ID.*

(c) Et quidem absolute dicam ad *l. 7. ID.*

(†) Constantinus M. & intelligit *leges* superiores quatuor: ac nominatim *legem* 1. & 2. *ID.*

(d) Iudicum, *l. 2. 4. sup. l. 6. inf. ID.*

(e) Machinas famosorum libellorum, vocat *captiosas & occultas scripturas*, vt vocantur *l. 4. sup.* clancularias & cunicularias, a machinis clancularìis hostium & maleferiatorum hominum desumpta locutione, quibus videlicet ædificia concutiuntur. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII duæ Constitutiones sequuntur in famosos libellos: si modo Constantii est, Constantino quippe hanc potius adscribam. Et hac quidem definitur, necquicquam PRÆIVDICARE cuiusquam vitæ aut dignitati seu honori, libellos famosos; atque adeo ad se de his referri, vel in iudiciis examinari, vetat Imp. quin potius concremari exemplo Patris Constantini iubet, & quidem hac Constitutione ad Afros pariter emissa, vt *lex 1. & 2. supr.* & rursum de iudiciis pariter: ad Afros, inquam, & eorum Legationem, qui hac de re ad Principem querelas suas pertulerant, multorum salutem & securitatem famosis libellis appetitam dolentes, de quo querelarum & Legationum genere est *inf tit. de Legatis & Decretis Legationum.* Ac nescio an non hæc quoque *lex* pertineat ad eos tumultus & seditiones quæ inter Constantini, Constantii & Constantis initia exorta, de quo Iulianus *Orat. 1. pag. 20. 26. edit. Lips. Spanhem.* Libanius βασιλικῷ *p. 113. 114. edit Morelli.* pariter vt eodem trahi possit *lex 4. infr. de petitionibus.*

VI. (a) Idem (b) A. ad Populum (c)

NEMO prorsus de famosis libellis, qui neque aput Me, neque in Iudiciis vllum obtinent locum, calumniam patiatur: *Nam & innocens creditur, cui defuit accusator, cum non defuerit inimicus.* Dat. Prid. Kal. Nou. Med. Arbitione & Lolliano Coss. [355.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Constantii hæc *lex* est. *ID.*

(c) Vrbis Romæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

EADEM est *huius legis*, quæ *prioris* sententia. In ea tamen hæc duo consideranda. Primum emissum hoc Edictum Mediolano a Constantio *ad Populum*, Vrbis Romæ scilicet: & ad securitatem eius: & quidem statim, vt is ex procinctu Alemanico Mediolanum ad hyberna reuertit; vt de hac Constantii Mediolani mora, præter *huius legis* subscriptionem docet Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 4. 5.* Vt omnino existimem *hanc legem* pertinere ad ea quæ post Galli Cæsaris cladem, seu cædem, gesta; auribus Imperatoris tum patentibus susurris insidiantium clandestinis; cuius rei historiam pertractat Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 1. 2. 3.* Itaque Constantius, qui patulis alioquin auribus delata sibi exciperet, cuiusque animus ad suspiciones mollis & penetrabilis erat, famosis tamen libellis obuiam eundum putauit.

Alterum est quod eleganter ait: *Nam & innocens creditur, cui defuit accusator, cum non defuerit inimicus*: Innocens scilicet creditur, quem nemo libera intentione, nemo iuris ordine accusat, latenter tantum & venenato telo seu machinis concutere satagit. Vulgatum est, Neminem sine accusatore reum fieri: quo spectat nobile Saluatoris nostri dictum Iohannis *cap. 8. v. 10.*

VII. (a) Impp. Valentinianus, & VALENS AA. Edictum. (b)

P. 243. FAMOSORVM infame nomen est LIBELLORVM. Ac si quis vel colligendos, vel legendos putauerit, ac * non statim chartas (c) igni consumpserit, sciat se capitali sententia subiugandum. Sane * si quis deuotionis (d) suæ ac salutis publicæ custodiam gerit; nomen suum profiteatur, & ea quæ per famosum (e) prosequenda (f) putauit, (g) ore proprio edicat: (h) ita vt absque vlla trepidatione (i) accedat, sciens, (k) quod si adsertionibus (l) veri fides fuerit opitulata, laudem maximam ac præmium a Nostra Clementia consequetur. Dat. XIV. Kal. Mar. Constantinop. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic, *Lex 9. sup. de Numerariis.* GOTHOFR.

(b) Ita recte Parisiensis vltima: anteriores omnes editiones *ad Edictum*: male. Edictum igitur ad prouinciales: vt ostendent quæ dicam. *ID.*

* *L. vn. Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata prima sententia. *ID.*

(c) *Chartæ* famosæ: charta vel chartula famosa, Aniano *ad l. 1. & ad l. 9. infr.* Sidonius Apoll. *lib. 1. ep. 11.* in eadem re: *Temporibus Augusti Maioriani venit in medium* CHARTA *Comitatum, sed carens indice, versuum plena satyricorum mendacium. ID.*

* Hinc desumptus *legis vn. Cod. Iust. eod. tit.* versiculus. *ID.*

(d) Hæc mox expendam. *ID.*

(e) *Famosum libellum*, τεῦχον. sed *famosum* hic absolute pro libello famoso dixit Valens: de quo mox plura. *ID.*

(f) *Persequenda*, Cod. Iust. *ID.*

(g) *Putauerit*, Cod. Iust. *ID.*

(h) Ita quoque MSS. Cod. Iustin. Male editiones nonnullæ, *dicat. ID.*

(i) Vide in hoc similem *legem 4. supr. de accusationib.* ibi, *Intrepidus, & securus accedat. ID.*

(k) *Sciens quidem*, Cod. Iust. *ID.*

(l) *Adsertionibus suis*, Cod. Iust. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTIS duæ Constitutiones sequuntur aduersus famosos libellos. Et hæc quidem, *Edictum* est ad Prouinciales emissum. *Edictum* inquam: Nam ita recte habet postrema Editio Parisiensis, & male omnes anteriores editiones, *ad Edictum*; quod Genus Inscriptionis præfert *lex 3. inf. de extraordin. l. 7. inf. de decurionibus. l. 1. inf. de susceptoribus* & alium longe sensum habet: de quo *ad d. l. 3.* Ergo hoc *Edictum* est, quo Imp. & odium suum erga famosos libellos publice ostensum iuit: & abolendorum rationem modumque præscribendum putauit. Cuiusmodi Edicta ad populum subinde proponi, publicari, publice interest, vt ita famosis libellis occurratur, securitatique populi consulatur, sollicitudinique & anxietati aliorum succurratur. Et vero de eodem genere fuit iam *lex 5. sup.* ad *Afros* data: & *l. 6.* ad *populum V. R.* scil. Ad hos igitur fines, tres sunt huius Edicti sententiæ: Generalis primum hæc præmittitur. *Famosorum libellorum nomen esse infame.* Quibus verbis Valens Imp. prouinciales ab horum libellorum vsu dehortatur qui plus nimio percrebuerat. Hac sententia generaliore præmissa, duas iam speciales subiicit, quarum prior extensionis cuiusdam vice est: altera Exceptionis. Illa COLLECTOREM & LECTOREM respicit, pariter vt duæ aliæ, puta *lex pen. & vlt.* Igitur Valens capitali quoque supplicio iubet COLLECTOREM eundemque LECTOREM, id est publicatorem, id enim est *legendos libellos putare.* Collegisse enim aut collectum legisse, dummodo discerpat aut non publicet nulli crimini esse potest aut probro *h. l.* & *l 9. inf.* Proinde dum ait *lex*, *vel colligendos*, *vel legendos*, id est collectos alteri legendos, vel ita, colligendos simul & alteri legendos, particula *vel*, pro *&*, accepta. Denique (quæ certissima interpretatio est) *colligendos*, id est retinendos, *legendos*, publicandos. Extra crimen est simpliciter collegisse, extra crimen collectum legisse: Nam qui libellum colligit, quid colligit nescit: vt & qui ad legendum animum applicat, idem quid lecturus sit, nescit. Totum crimen igitur est in Retinendo, & publicando. Atque ita quidem hæc prima sententia accipienda est, quam confirmat insuper *lex 9. & vlt. infr.* cuius *legis nona* verba Tribonianus hisce *legis* nostræ verbis præferenda duxit.

Totum viceuersa Collectoris & Lectoris officium est, chartas repertas abolere, & quidem flammis nominatim ex hoc Valentis Edicto. Et tamen si alter aboleuerit, corruperit, (vt *l. vn. Cod. Iust. eod. tit.* cuius pars ex *hac l.* desumpta est) discerpserit, idem fuerit ex *d. l. penult. & vlt.* quæ Theodosium & Arcadium Auctores habent. Quod tamen Valenti non ita visum videtur: præcise enim *flammis aboleri* vult: ea quippe ratio potissima, vel vnica ferme, abolendorum illorum penitus: Aliter si corrumpas veluti discerpendo, fragmina tamen supersunt, quæ non raro colligentis alterius industria rursum coalescere possunt. Et tamen Triboniano nostro magis placuit *Omnis corrumpendi ratio.*

Cæterum capitalem pœnam publicatori minitatur

tur Valens gladii videlicet, quasi auctori: Quæ & ipsa sententia est *dictæ legis penult. & vltimæ*, & *d. l. vn. Cod. Iust. eod.* De famosi carminis pœna ex XII. Tabularum *lege* capitali, ac nominatim fustuario supplicio, nemo est qui nesciat.

Altera sententia, quæ exceptionis cuiusdam vice est, & *d. leg. 1. Cod. Iust. eod. tit.* hinc inserta, de AVCTORE *ipso est:* Nempe Auctorem ipsum euocat hoc Edicto Valens Imp. & impunitatis spe & præmii pollicitatione. Non modo inquam impunitum fore edicit Valens, verum etiam laudem & præmium eidem pollicetur, si videlicet post sparsum a se famosum libellum Auctore carentem, ipse postea mutata sententia studioque veræ laudis accensus solemni accusatione vel delatione ex ordine iudiciorum constituta sponteque prodiens, atque ore proprio crimen enuncians reum criminis peregerit. Est igitur hic casus singularis, quo famosi libelli Auctor & excitur, & veritate excusatur aduersus ea, quæ diximus ad *legem 1.* quæque *ipsa l. 1.* constituuntur. Singularitatis ratio in genere, si
p.244 eam quæras, hæc fuerit; quod sponte prodierit. Ignoscitur ei qui sponte se detulit, quique iusta pœnitentia ductus, vel potius animo recollecto, quod antea dicere & docere mussabat, & chartæ ceu scrobi infodere tantum non audebat, palam atque ore proprio edicere & docere voluerit, deuotionis & salutis publicæ amore. Non attenditur quid aliquando voluerit, frontis teneritudine, sed quid tandem voluerit & peruoluerit commasculato animo. Aliud igitur fuerit, si Auctor non sponte prodierit, sed publica inquisitione repertus & erutus. Hic scilicet, etsi probauerit, veritate tamen non excusatur. Atque ita concilianda est *lex 1. sup.* cum *hac lege* & *l. 2. sup.*

Quanquam & illud singulare in huius Edicti specie mihi videtur, quod suspicio fit non inanis, pertinere hoc Edictum ad libellos famosos sparsos a miseris Prouincialibus aduersus publica officia gerentes: cuiusmodi Prouinciales miseri spargere soliti, vt vel ita cum vix aliter possent, ipsorum querelæ ad Inclytas Potestates, vel ad Principem peruenirent, atque hoc vnum quasi solatium illis superesset sese vindicandi de occultis Rectorum & similium spoliis & rapinis. Eiusque coniecturæ rationes sequentes habeo. Primum similia alia ac prope gemina Constantini M. & Theodosii M. Edicta iisdem prope verbis in *l. 4. sup. de accusationib.* in *l. 6. sup. ad leg. Iuliam repetundarum*, concepta, quibus eodem laudis seu gloriæ præmiique munere *accusatores* in Iudices similesque euocantur, omni prodeundi fiducia facta.

Secundum argumentum duco ex coniunctione *legis 9. sup. de Numerariis:* quæ & ipsa eodem die data, publica officia gerentium criminibus occurrit.

Tertium argumentum desumo ex illis *huius legis* verbis: *Sane si quis deuotionis ac salutis publicæ custodiam gerit* &c. & mox: *absque vlla trepidatione accedat.* Imo eo omnino pertinere videri possit hoc Edictum, quod inter cætera, quæ Procopii Tyrannidem, præcessisse memorat Ammianus Marcellinus, *lib. 26. cap. 6.* non tantum *de rumusculis tunc incusantium multorum Valentem Constantinopoli, quasi cupiditate aliena rapiendi succensum;* uerum etiam aduersus Petronium Patricium socerum eius, *prouincialium & militum paria gementium, sic vt votis licet obscuris & tacitis præsentis status permutatio concordi gemitu posceretur.*

Tandem ex iis argumentum duco quæ Ammianus Marcellinus de Valente, Edicti huius Authore memorat *lib. 31. cap. 14. Furibus & in peculatu deprehensis Iudicibus inimicus asper & vehemens: nec sub alio Principe in huiusmodi negotiis melius secum actum esse meminit Oriens:* vide & *l. Princeps, supr. de iis quæ administr. l. 1. sup. Ne quid publ. lætit.* Ergo singularem *huius leg.* casum esse oportet: ac proinde non passim eius exemplum imitandum. Et vero satius, quod aliæ *leges* volunt, nullam famosorum libellorum haberi rationem neque authores eorum exciri, præmiique spe animari, probationis velamento. In statu tandem Monarchico huic exemplo facilius quandoque locus esse potest, sicut & ibi Principum edictis exciti delatores & accusatores Iudicum, *d. l. 4. de accusat.* & *d. l. 6. infr. ad leg. Iul. Repetund.* quod in statu populari haud æque imitandum. Postremum Triboniani hic quoque næuus est, quod *huius leg.* sententiam *miscellæ legi vn. Cod. Iust. eod. tit.* absolute & periculose inseruerit.

Ad vltimum notandum, quod *famosum* hic absolute pro libello famoso dixit Valens. Græci quoque latina voce *φάμωσα* dixerunt. Incertus apud Suidam *in voce* Ἰοβιανός: *Ἀπέσκωπτον οὖν αὐτὸν ᾠδαῖς καὶ παρῳδίαις, καὶ τοῖς καλουμένοις φαμώσοις διὰ τὴν τῆς Νισίβιδος προδοσίαν. Quare carminibus, & parodiis, & famosis libellis eum insectari cœperunt, propter proditam Nisibin.* Eccloga Basilic. *lib. 35. tit. I. c. 19. pag. 322. edit. Leonclau.* *ὁ ἄσωτος οὔτε διατίθεται, οὔτε μαρτυρεῖν ἐν διαθήκῃ δύναται οὔτε ὁ διὰ φαμοῦσον καταδικασθείς. Prodigus neque testamentum facere potest, neque testis ad testamentum adhiberi. Nec etiam is, qui ob carmen famosum damnatus est.* Phot. *Nomoc. t. 9. c. 36.* bis *pag. 1022. edit. Iustelli.* *ποιούντων φάμουσα:* vide *ibidem* Balsamonem: Glossæ Nomicæ, *φάμουσα, λίβελλος περὶ ἀνωνύμων βιβλίων τῶν δηλούντων φλυαρίας*, vbi *ἀνωνύμων βιβλίων* recte. (a) Libelli enim famosi sunt, quorum auctor nullus existit, qui accusatoris nomine caret, charta carens indice: dixi ad *l. 3. supr.* Locus quidam apud Capitolinum *in Antonino Pio, c. 8.* ita legit: *Sed Repentinus famosa voce percussus est, quod per concubinam Principis ad Præfecturam venisset.* Alii codices habent, *famosa*; *voce*, non addito: alii *famose.* Verum sana est illa lectio: neque enim Repentinus famoso libello percussus, sed *famosa voce*, id est, vulgi sermone famoso, malis rumoribus, vt vocantur apud Suetonium *Tiberio c. 28.* Proinde fallitur, qui famosum libellum inibi somniat. Porro, *Percuti famosa voce*, dictum quod alius obseruauit, vt *percutere cogitatione* apud Tullium: & his similia.

(a) Loca alia vide apud CL. DV FRESNE *in Glossar. Græ. voc.* φάμωσον.

VIII. (a) Idem AA. ad Florianum Com. (b)

IAMPRIDEM † aduersus Calumnias firmissima (c) sunt præsidia comparata. Nullus igitur calumniam metuat: Contestatio (d) vero, quæ caput alterius contra iuris ordinem (e) pulsat, depressa nostris Legibus iaceat; Intercidat furor (f) famosorum, (sæpe † vt constituimus) libellorum, &c. Dat. V. Id. Nouemb. Martianop. Valentiniano & Valente AA. (g) Coss.

NOTAE.

(a) Iungendæ *huic* ſunt *lex* 10. 11. *ſup. de Accuſationib. & Inſcript.* GOTHOFRED.

(b) Comitem rei priuatæ præf.^t *lex* 20. *ſup. de curſu publ.* & *lex* 11. *inf. de exactionib.* quod tamen vix eſt vt hic admittam, quandoquidem de iudicio criminali *hic*, & *dictis legibus*, quas huic coniungendas dixi, agitur. *ID.*

† Non edicto perpetuo tantum, ſub *titulo de calumniatoribus*: itemque *lege Iulia Repetundarum*: & *leg. Iulia publicorum iudiciorum*: & *L. Iulia de iniuriis*: Verum & recentiorib. Principum conſtitutionibus, etiam ipſius Valentis de quo mox. *ID.*

(c) De quibus mox. *IDEM.*

(d) *Conteſtationis* voce, hic nihil aliud intelligendum, quam criminis obiectio non ſolemnis, non iuſta. *ID.*

(e) *Ordinem iuris*, vocat ſolemnitatem accuſationis & inſcriptionis, argumento etiam *d. l.* 11. *ſup. de accuſ.* quæ huic coniungenda eſt, nam & ita *ordo accuſationis* eodem ſenſu, *l. vlt. ſupr. de accuſationib.* IDEM.

(f) *Furor famoſorum libellorum.* *ID.*

(†) Valens aduerſus famoſos libellos plures a ſe Conſtitutiones emiſſas hic profitetur, & tamen vnica tantum de eo *lex* ſuperior occurrit. *ID.*

(g) *IV.* Ita habent *leges* illæ duæ, quas huic coniungendas docui. Malit tamen quis ad annum 368. referre: eo quippe anno Valens Martianopoli conſtitit, vt docet Ammianus Marcellinus *lib.* 27. *c.* 5. & Zoſimus *lib.* 4. *cap.* 10. non etiam Anno 373. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 245 DIFFAMATIONIBVS variis occurrit *hac l.* Valens Imp. Contra, famæ, exiſtimationi, ſecuritati ſingulorum aduerſus eas conſulit, *h. l.* a tribus: 1. a calumniis: 2. ab accuſatione temeraria: 3. a famoſis denique libellis: De his, inquam tribus *h. l.* agitur, non modo de famoſis libellis, quod alioquin *huius tituli* proprium eſt.

De ſingulis videamus. Ac primum de calumniis: *Calumniarum* ſcilicet appellatione hic intelligi oportet, non actionem vel accuſationem calumnioſam, quo pertinebat Edictum, itemque *lex Iulia Repetundarum*, aliæque ſimiles, verum diffamationem, quomodo recte Nonius calumniam malitioſam & mendacem infamationem interpretatur. Denique calumnia hic eſt occentatio, de qua lex XII. Tabularum, ſeu vt loquitur Capitolinus *in Anton. Pio c.* 8. *famoſa vox*: Diffamatio, de qua ad *Legem, Diffamari* 5. *Cod. Iuſt. de ingenuis manumiſſis*, prolixe Interpretes. Porro aduerſus huiuſmodi calumnias firmiſſima præſidia comparata eſſe Valens ait, ſcilicet non modo *lege Cornelia de iniuriis*, & ſimilibus, verum & Principum conſtitutionibus.

Secunda *huius legis* ſententia eſt de *Temeraria accuſatione.* Nempe Valens *conteſtationem* (id eſt, accuſationem) qua caput alterius pulſatur, depreſſam iacere iubet, ſi contra iuris ordinem fiat, id eſt, ſi citra inſcriptionem fiat: proinde ſenſus eſt: Accuſatorem non audiendum, niſi in crimen prius inſcribat. Hic ſcil. eſt *iuris ordo*, vt docuit *titulus de Accuſationibus & Inſcriptionibus*, *ſupra*, ac nominatim *lex* 11. *illius tituli*: quæ *huic* noſtræ coniungenda eſt.

Tertia ſententia, quæ *huius legis* propria eſt, eſt *de famoſis.* His pariter nullum alteri præiudicium fieri neque vllam fidem mereri. Vt accuſans citra inſcriptionem non admittitur, ita famoſi nulla ratio habenda, vt qui accuſatoris nomine careat. Denique, vt habeat quis quod ſibi metuat, vt reus fiat, & accuſator & inſcriptio requiritur. Diffamatio necquicquam nocet, neque accuſator ſine inſcriptione, neque conſcriptio ſeu iudicium ſine authore vel accuſatore.

Obſeruandum porro hanc *legem*, vnam eſſe, e tribus, Valentis conſtitutionis prolixioris, quæ *hoc Codice* occurrunt, portionem: huic enim *legi* iungendæ ſunt *l.* 10. 11. *ſup. de accuſation.* Ex quibus diſcimus Valentem id ea conſtitutione egiſſe, vt criminalia iudicia iuſtis accuſationibus & iudiciis peragerentur: non accuſatione ſeu conteſtatione quacunque ſed inſcriptione prius facta, *h. l.* & *d. l.* 11. *ſup. de accuſat.* non ex calumnia, non ex famoſis libellis, *h. l.* non in peregrino iudicio, ſed ſuo, *l.* 10. *ſup. de accuſ.* Et ita quidem hæ tres *leges* inter ſe coaſſandæ ſunt & conſolidandæ, coniunctæque adeo & Valentis inſtitutum & ſingularum illarum legum rationem ingerunt: denique hanc vel maxime explicant. Valentis, inquam, inſtitutum, omnis generis calumniæ occurrentis, cui Valens odium internecinum indixerat, quod teſtantur quoque verba quædam ex oratione Valentis ad Senatum Vrbis Conſtantinopolitanæ: quæ memorat Themiſtius *in Φιλαδέλφοις*, *orat.* 16. *pag.* 364. *ed. Petau. ſeu orat.* 6. *pag.* 81. *edit. Harduini.* Imperij morbum periculoſiorem eſſe cum ſubditi calumniatoribus ſuppoſiti ſint, quam cum Barbaris ſeruiant: *ὅτι χαλεπώτερον νόσημα τῆς ἀρχῆς, τοῖς συκοφάνταις ἐκκεῖσθαι τοὺς ὑπηκόους, ἢ τοῖς βαρβάροις: ὥσπερ σώμασι* (hæc poſtrema ſintne ipſius Valentis, an Themiſtii? incertum) *χαλεπώτερα τὰ ἔνδον, ἀῤῥωστημάτων τῶν ἔξωθεν ἐμπιπτόντων.* *quodque difficilior imperii ſit morbus, ſubditos Sycophantis quam barbaris eſſe ſubiectos, ſicut difficiliores ſunt ægritudines, quæ intus ſunt, quam quæ foris accidunt.* In quibus Valentis verbis Interpres primus perperam omnino *ἐκκεῖσθαι* accepit pro fauere, & addictum eſſe, contrario plane ſenſu: ſignificat enim *ſubiacere, ſuccumbere.*

IX. (a) Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS & Arcadius AAA. Cynegio P. P.

SI quis famoſum libellum ſiue domi, (b) ſiue in publico, vel quocunque (c) loco ignarus (d) offenderit, aut diſcerpat prius quam alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum: Nemini denique, ſi tam curioſus eſt, referat, (e) *Quid legendo cognouerit.* Nam quicunque obtulerit (f) inuentum, certum eſt ipſum reum ex lege retinendum, niſi prodiderit auctorem: Nec euaſurum pœnam huiuſmodi criminibus conſtitutam, ſi proditus

ditus fuerit cuiquam retulisse *Quod legerit.* Dat. XIV. Kalend. Feb. Constantinop. Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

Interpretatio. *Si quis chartulam famosam in cuiuscunque iniuriam vel infamiam in publico propositam, viderit & legerit, & non statim discerpserit, sed cuicunque quæ in ea legerit fortasse retulerit, ipse velut autor huius criminis teneatur.*

NOTAE.

(a) *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* ex *hac lege*, vt iam dixi, ex parte conflata est. *GOTHOFR.*

(b) Nil interest quo loco famosus colligatur. *ID.*

(c) Veluti palatio Principis, Æde sacra seu Ecclesia. *ID.*

(d) Vox hæc addita non ad distinctionem scientis, sed quia nemo offendit nisi ignarus. Repertum igitur famosum rursum proiicere nemini licet. *ID.*

(e) Id est, communicet, offerat. *ID.*

(f) Id est, communicauerit, publicauerit. *ID.*

P.246

COMMENTARIVS.

Theodosii M. *lex* sequitur de famosis libellis in repertores, collectores famosorum libellorum, eosdemque publicatores: nempe Repertori vel Collectori famosi libelli tria hac Theodosii constitutione, interdicuntur: contra, e duobus alterutrum agere iubetur. *Primum* prohibetur repertum relinquere, vel rursum proiicere: id enim est quod ait, *Aut discerpat prius quam alter inueniat*; vt figere aut proiicere non licet, ita nec relinquere aut reiicere. Nam & hic auctor creditur. *Secundo* Collector prohibetur alicui confiteri, seu offerre, id est publicare seu communicare & legere *vt l. 7. sup.* inuentum. Vt relinquere vel proiicere publicandum, ita collectum publicare non licet: nam & hic auctor quoque creditur, quamdiu auctorem non prodit, vt hæc *lex* disertis verbis ait. *Tertio* prohibetur collector etiam referre quid legerit. Æque criminosum est textum famosi publicare, id est quid famoso contineatur, quam famosum ipsum conficere, figereque. Denique paria sunt hæc quatuor, repertum libellum famosum, *relinquere*, *reiicere*, *publicare*, & *textum eius aperire:* seu vt habetur *l. vn. C. Iust. eod. vim chartularum manifestare:* vt *l. prox. seriem scriptionis.* Imo & quintum, ex sententia *leg. 7. sup. colligere*, id est, retinere & asseruare. Quodnam igitur colligentis officium? famosum discerpere, Breuiter, id agere ne se medio famosus colligatur, aut textus eius publicetur. Quæ & ipsa prope fuit *legis 7. supr.* sententia: & erit rursum *leg. prox. infr.* Discerpendi porro voce, num omnis corrumpendi ratio contineri possit? vide dicta ad *leg. 7. sup.* Et tamen Arcadius maluit *leg. prox.* specialius dicere, *discerpserint vel flammis exusserint.*

Illud etiam *hac l.* notandum, quod & *singulare* habet præ aliis, nil interesse quo in loco libellus famosus repertus fuerit, siue in publico, siue *domo:* nam vt maxime in *domo* priuata repertus libellus minus noxæ habere videatur, quam in publico expositus fixusque, attamen & hunc ibi aboleri non minus interest, ne postea publicetur facto colligentis æque, ac cum facto proponentis in publico publicatur.

X. (a) Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Anthemio (b) P. P. & Patricio. (c).

Vniversi, qui famosis libellis inimicis suis velut venenatum (d) quoddam telum iniecerint, hii etiam, qui famosam seriem scriptionis inpudenti (e) agnita lectione (f) non illico discerpserint, vel (g) flammis exusserint, vel lectorem (h) cognitum prodiderint, (i) vltorem (k) suis ceruicibus gladium reformident. Dat. IV. Kal. Maii, Constantinop. Arcad. A. VI. & Probo Coss. [406.]

NOTÆ.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* *GOTHOFRED.*

(b) *Anthemius* PP. sub Arcadio: v. *Prosopogr.* *ID.*

(c) *Patriciatus* dignitas iuncta Præfecturæ Prætorianæ. *ID.*

(d) *Venenatum telum* famosi libelli, vide *Gloss.* Cicero *orat. pro P. Quintio. c. 2. si falsum crimen quasi venenatum aliquod telum iecerint.* Sic Synesius *ep. 44. pag. 184. edit. Petau.* ὁ λογοποιὸς ὁ τιτρώσκων ἐξ ἀφανοῦς, *famigerator, qui ex obscuro vulnus infligit.* *ID.*

(e Impudens lectio famosi libelli. *ID.*

(f) *Lectio*, hic est contextus, non actio legentis. *ID.*

(g) Theodosius *discerpendi* tantum voce vsus fuerat *lege superiore.* *IDEM.*

(h) An rescribendum *Authorem*, vt *leg. prox. supr*? de hoc mox. *ID.*

(i) Supplendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *non.* *IDEM.*

(k) *Vltor gladius.* *ID.*

COMMENTARIVS.

ARCADII hæc constitutio est in famosos libellos, quorum odium & exitium *initio* statim profitetur, cum ait: *famosis libellis inimicis suis velut venenatum quoddam telum inijci:* sicut Constantius *l. 5. vitam cuiusque & dignitatem his machinis concuti*: & *furorem famosorum libellorum*, dixit Valens *l. 8. sup.* Ea vero tria hominum genera eadem gladii pœna prosequitur, non authores scil. tantum, sed & publicatores famosi libelli: Imo & eos *qui lectorem cognitum non prodiderint:* vbi vi ipsa ostendit, quid officii cuiusque sit, reperto libello famoso, vel agnito lectore; de quo ad *leges super.* nempe vt ipsum libellum *discerpat vel flammis exurat*: (pater eius Theodosius *discerpi* generalius voluit, *leg. super.*) & *lectorem cognitum prodat.* Quæ verba, si recte habent, tum hic sensus fuerit; Eum quoque gladii pœna puniendum qui vidit legentem famosum libellum, neque prodidit. Quod vtique atrox nimis: quod tamen ad cohibendum grassantem famosorum licentiam & furorem, repertum & constitutum ab Arcadio quis putet. Prodere equidem atrocia crimina, quæque ad Rempublicam eiusque salutem pertinent, quisque tenetur: & qui non prodidit, punitur; vt est perduellionis crimen: adeo quidem vt nullum *Confessionis*, aut aliud qualecunque sigillum a pœna reticentiæ excusare posse recte censeant. Verum vt *lectorem* tantum non prodidisse, capital sit, id atrox nimis. Quare semper visum mihi, pro *lectorem*, reponendum hic, *authorem*, (libelli scil. famosi) de quo & *l. 1. 3. 9. sup.* Id enim demum capital recte habetur, si author libelli cognitus non probatur. Et vero id *legibus* diserte sanciri oportuit: quod tamen nullis aliis legibus *huius tit.* continetur. Vnde hac parte *singularis hæc lex* fuerit.

Quod pœnam attinet; Gladii pœna hic indicitur: in genere capitalis pœna, *l. 7. sup.* & *l. vn. C. Iust. eod.* supplicium, *l. 1.* de quo ad *d. l. 1. sup. h. t.* In praxi, criminum distinctio fit quæ famosis libellis impinguntur, vt si capitalia sint, authoribus gladii pœna imponatur; non, si capitalia non sint. Et ita *constitutionibus* cautum.

P. 247

DE QVÆSTIONIBVS.

TITVLVS XXXV.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XLI.

De Quæstionibus habendis; ita titulus conceptus in Breuiario MS. Leg. Rom. Guelferbytan. *RITTER.*

PARATITLON.

QVÆSTIONES, *Rubr.* & *l. 1. 4. vlt. h. t.* & *l. 1.* & *2. sup. ad leg. Corneliam de falso: l. 2. 3. inf. de naufragiis:* quæstiones criminales, *d. l. 4. h. t.* Tormenta, *l. 2. 3.* & *vlt. h. t. l. 2. sup. de falsa moneta: l. 6. sup. de maleficiis: l. vn. sup. ad leg. Iul. Maiest. l. 80. inf. de Decurionib.* dicuntur & adstrictior inquisitio, *d. l. vn ad leg. Iul. Maiest.* seuera indagatio, *l. 3. h. t.* cruciatus, *d. l. 6. de maleficiis:* cruciatus & tormenta, *d. l. 6. de maleficiis:* cruenta conditio, *l. 2. h. t.* iniuriæ corporales, *l. 6. h. t.* & *l. 10. infr. de fide test.* & *l. 16. inf. de nauicul. l. 11. de Numerariis.* Hinc & iniuria quæstionis, *d. l. 10. infr. de fide test.* quibus videlicet tum rei ipsi subiiciuntur, si conuicti ad proprium facinus detegentibus repugnent pernegando. *d. l. 6. sup. de maleficiis.* In crimine conuicti, *d l. vn sup. ad leg. Iul. Maiest.* vt facti conscios prodant, *d. l. 2. sup. de falsa moneta:* itemque serui, *l. 4. sup. ad leg. Iul. de adulteris.* Quandoque etiam accusatores, itemque ii quorum consilio atque instinctu accusator ad accusationem accessit, vt in specie *legis vn. sup. ad leg. Iul. Maiest.* Tum & Testes, *l 10. infr. de fide testium: l. vlt. inf. de abolitionib.* Idque in omnibus criminibus, veluti Maiestatis, *d. l. 1.* in crimine maleficii, *d l. 6. sup. de maleficiis:* falsi, *l. 1. sup. ad leg. Cornel. de falso.* falsæ monetæ, *l. 2. sup. de falsa moneta.*

Vsus vero hic quæstionum in seruis etiam probrosus & postremus dicitur, *l. 39. de Decurionib.* Sed & perstringitur tanquam fallax, quia scil. multi confiteri sæpe vel repentinæ formidinis, vel impositorum tormentorum coguntur immanitate, *l. 7. quorum appellat.*

Huiusmodi autem quæstiones seu tormenta hæc *hoc Codice* memorantur: Eculeus, *l. 6. sup. de maleficiis: l. 4. sup. de Numerariis,* (hinc eculeo dedi *d. l. 6.* eculeis subiacere *d. l. 4.*) quo videlicet artus tabescere contingebat atro sanguine permixta sanie deluentes, *l. 1. sup. de emendat. seruor.* fidiculæ, *l. 1. 2. h. t.* vngulæ latera secantes, *d. l. 6. sup. de maleficiis.* lacerationes, *d. l. 4 sup. de Numerariis:* ferratarum vestigia quibus latera persecantur, *l. 1 sup. de emendat. seruor.* ignes quibus admotis membra exuruntur, *leg. ead.* Excipiebantur tamen a quæstionibus ac tormentis olim nonnulli præsidio dignitatis: veluti Senatores, *l. 3. h. t.* Honorati, *l. 75. inf. de Decurionib.* Honoribus præditorum corpora, *d. l. 6. sup. de maleficiis:* Militiæ auctoramento vel generis aut dignitatis defensione muniti, *l. 1. h. tit.* Palatini, *l. 1. in fine, h. tit.* Equites Romani, *l. 1. sup. de Equestr. dignit.* vbi tamen vide quæ dixi, & *l. 16. inf. de nauicul.* Curiales omnes a summo ad infimum: hoc enim priuilegium eorum fuit *l. 4. de Tabular.*

Tabular. *d. l. 1. sup. ad leg Corneliam de falso:* & *l. 2. h. tit.* & *l. 39. 80. 85. inf. de Decurionib.* plumbatarum tamen ictibus subditi, *l. 117. 126. de Decur.* reducta, *l. 2. h. tit.* Quinque primates Alexandrini ordinis immunes fuere, *l. 190. de Decur.* Item Presbyteri citra iniuriam quæstionis testimonium dicebant, *d. l. 10. de fid. test. & instrum.* Sacerdotes & Principales, *l. 39. 61. 75. 85. 126. 190. infr. de Decurionib.* Exceptis his rursum criminibus Maiestatis, *l. vn. sup. ad l. Iul. Maiestatis: d. l. 6. sup. de maleficiis:* & *l. 1. 2. h. tit.* (quod crimen committunt etiam ii qui in comitatu Principis vel Cæsaris malefici sunt, aut Magi, *d. l. 6.*) In crimine quippe Maiestatis omnibus æqua conditio est, *d. l. 1. h. tit.* & cuiuscumque dignitatis homines cruciatus & tormenta non effugiebant, *l. 6. de maleficiis.* Denique & tempora quædam immunia erant ab his quæstionibus agitandis, puta dies Pascharum, *l. vlt. h. t.* item dies Quadragesimæ, *l. 4. 5. vlt. h. t.* Exceptis tamen rursum Isaurorum latronum quæstionibus, *d. l. vlt. h. tit.* Quæstionum vsus quoque fuit in naufragiis ad veritatem indagandam: de quo *l. 2.* & *3. inf. de naufragiis:* Cancellarii quoque ad detegenda Iudicis flagitia quæstioni subiiciebantur: *l. vlt. de adsessorib.* De Quæstione officiorum, vid. *l. 4. 6. 7. 9. 11. de Numerar. l. 4. de tabular. l. 8. de Cohortalibus.* De quæstionibus seruorum, v. *l. 14. de accusat.* & quidem in crimine adulterii, v. *l. 4. ad leg. Iul. de adulter.* De quæstione in crimine Maiestatis, vid. *l. vn. sup. ad Leg. Iul. maiestatis.*

P. 248 I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens, & Gratianus AAA. ad Olybrium P. V. (b)

NVLLVS omnino ob Fidiculas (c) perferendas, inconsultis ac nescientibus nobis, vel Militiæ (d) auctoramento, (e) vel Generis, (f) aut Dignitatis (g) defensione nudetur: (h) Excepta tamen (i) Maiestatis causa, in qua sola omnibus æqua condicio est. Hi quoque citra Consultationis modum (k) subiiciantur quæstioni, qui euidentibus (l) argumentis subscriptiones (m) nostras finxisse prodentur: qua in re ne Palatini quidem nominis adsumptionem huius esse volumus quæstionis exortem. Dat. (n) VIII. Id. Iulias, Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTAE.

(a) *Lex 4. Cod. Iust. ad leg. Iul. Maiest.* hinc desumpta est; posteriore tamen sententia omissa, sed & priori immutata. GOTHOFR.

(b) Romæ scilicet: vide & *legem 13. infr. de Nauicul. l. 13. inf. de pistorib. l. 6. inf. de fide testium; l. 2. inf. de centonariis: l. 1. sup. de fructib. & lit. expensis: l. 4. inf. de reparat. appellat.* quæ *leges* omnes a Valentiniano Seniore hoc anno datæ sunt, ad hunc ipsum *Olybrium* Præfectum Vrbis Romæ. *ID.*

(c) De *Fidiculis* est quoque *lex 2. prox. inf.* Porro hunc locum ita deformauit Tribonianus: *Nullus omnino, cui inconsultis ac nescientibus nobis, fidicularum tormenta inferuntur, militiæ vel generis aut dignitatis defensione vti prohibeatur. ID.*

(d) Vide *legem 8. Cod. Iust. eod. Tit. ID.*

(e) Hanc vocem, *auctoramento,* Tribonianus sustulit, quæ tamen hic propria est: Consule *Glossarium,* & eos qui de re militari scripsere. *ID.*

(f) Curiales scilicet, *l. 2. infr. prox.* vel Senatorii, *l. 3.* vide & *l. 11. Cod. Iust. eod. tit. ID.*

(g) Senatoriæ, *d. l. 3.* vel Palatinæ, *h. l. in fine. ID.*

(h) *Nudetur,* id est *vti prohibeatur,* vt hic mutauit Τρίβων. *ID.*

(i) *Tantum,* Cod. Iust. cuius rei rationem mox reddam. Quare vox hæc, *Tamen,* hic legitima est. *ID.*

(k) id est, necessitatem. *ID.*

(l) Nam & a tormentis initium sumi non oportet, sed argumentis primum verisimilibus probabilibusque vti, *l. 8. Cod. Iust. eod. tit. ID.*

(m) Vide *legem 3. sup. ad leg. Cornel. de falso. ID.*

(n) Medio scilicet aliquo loco inter *Altam ripam,* & *Brisiacum;* vide huius anni *Chronologiam. IDEM.*

COMMENTARIVS.

IMMVNES sunt, seu excipiuntur a Quæstione seu tormentis nonnullæ personæ, triplici ex fonte. Primum, *Militiæ* auctoramento, id est quia milites fuerunt: Veterani quippe a tormentis immunes sunt, *l. 8. Cod. Iust. eod. tit.* Secundo, *Generis* defensione, id est ii qui Curialis sunt aut Senatorii generis: De Senatoribus dicetur *ad l. 3. inf. h. t.* de Decurionibus *ad l. 2. prox.* Eodemque pertinet *lex 11. Cod. Iust. eod. tit.* qua Eminentissimorum & Perfectissimorum liberis vsque ad tertium gradum eadem immunitas tribuitur. In qua lege *Eminentissimi* sunt & dicuntur illi, quos postero seculo *Illustres* dixerunt. Quæ quidem appellatio in vsu maxime fuit, cum Illustrium & Spectabilium gradus non ita distinguerentur. Eaque appellatio vsurpata apud *Historiæ Augustæ,* id est illorum temporum Scriptores. Sed & Constantinus M. ipse adhuc in *l. 2. sup. de veteranis: Cum introisset,* inquit, *Principia, & salutatus esset a Præfectis & Tribunis & Viris Eminentissimis, adclamatum est &c.* Tertio excipiuntur ipsimet in *dignitate* constituti, & quidem multo magis, Senatores inquam, & Palatini,

tini, vt de his *fine huius legis* docetur. Hæ scilicet exemptiones fuerunt *hoc iure* a quæstionibus siue tormentis.

Excipiebatur tantum solum crimen Maiestatis: & vetustiore iam ex iure (vt docet *lex vn. sup. ad leg. Iul. Maiest.* & *l. 6. supr. de maleficiis*) & ex hac Valentiniani Sen. constitutione, & altera quæ continetur *l. 2. prox.* Ad quam mentem iam antea Constantinus M. *d. l. vn. In huiuscemodi re minime quisquam priuilegio dignitatis alicuius a strictiore inquisitione defendatur.* Et Constantinus, *d. l. 6. Etsi excepta tormentis sunt corpora honoribus praeditorum, praeter illa videlicet crimina quæ legibus demonstrantur* &c. Valentinianus tandem noster *l. 2. prox. Maiestatis*, inquit, *tantummodo reos, & quæ nefanda dictu sunt, conscios, aut molientes ex ordine municipali maneat cruenta conditio.* Ammianus quoque Marcellinus horum temporum scriptor, *lib. 19. cap 12. Vbi maiestas pulsata defenditur, a quæstionibus vel cruentis nullam Corneliæ leges exemere fortunam.* Chrysostomus quoque *Homilia 13. ad populum Antioch. num. 4. in fin. pag. 139. Tom. II. Oper. edit. Benedictin.* ἔνθα ἂν ἦ καθοσίωσις, ἀξίωμα οὐδὲν ὀφέλει: id est, *vbi læsæ maiestatis crimen est*, (Interpres primus male, *vbi capitis deuotio,*) *nil prodest dignitas.* Quæcunque igitur dignitas in hoc crimine quæstioni subiacet; quæcunque item ætas, *l. 10. §. 1. D. de Quæstionibus* & in quoscunque etiam dominos: de quo fuit *supra*, *Titulus*, *Ne præter crimen maiestatis.*

Cum *Maiestatis* crimen dicimus, crimina proxima, vel quæ huic connumerantur intelligi oportet, vt est Magiæ crimen, si in comitatu Principis, vel Cæsaris, exerceatur: nam & hoc crimine ipsa pulsatur propemodum Maiestas, *d. l. 6. sup. de maleficiis:* vbi de eius rei ratione dixi.

Alterum crimen, vel Maiestati connumerandum, vel proximum, hac Valentiniani Senioris constitutione dicitur, crimen Principis manus siue subscriptionis falso effictæ, de quo crimine agitur *l. 3. sup. ad leg. Cornel. de falso.* Tribonianus sane primum illud crimen Maiestati proximum Magiæ inquam admisit, at non hoc posterius; qua causa & posteriorem *huius legis* sententiam reiecit; & priore, *maiestatis tantum crimen* excepit, voce *tantum*, pro *tamen* subiecta. At quæsitus hic Maiestatis color a Principibus ad sæuitiam suam exercendam persæpe, vt in multis aliis, ita & hac parte nominatim, vbi de quæstionibus & tormentis ageretur. Et vero ea quoque fuit Valentiniani Senioris sæuitia, vt vel
p.249 *hæc lex* ostendit, Maximino Præfecto annonæ id agente, & quidem in duobus; scilicet non in eo tantum, quod Maiestatis crimini computet imitationem Principis manus, atque adeo in eo crimine, si inconsulto, omnes quæstioni subiici velit, verum in eo insuper quod de aliis quoque criminibus ad se referri iubeat, vt ita pro ingenita sæuitia omnes promiscue quasi imminutæ Maiestatis reos tormentis subiici a Iudicibus ex authoritate sua iubere posset. Et vero huc omnino pertinet insignis Ammiani Marcellini locus, de hoc Valentiniano nostro, vbi & huius ipsius *Olybrii Præfecti vrbis* (cui hæc *lex* inscribitur) meminit. Denique locus ille ad historiam huiusce legis prorsus pertinet. Est locus ille *libro* eius *28. cap. 1.* in huius ipsius Anni gestis, *Chilo*, inquit, *ex Vicario, & coniux eius Maxima nomine, questi apud* OLYBRIVM *ea tempestate* VRBI PRÆFECTVM, *vitamque suam venenis petitam asseuerantes, impetrarunt, vt hi quos suspectati sunt, illico rapti compingerentur in vincula. Verum negotio tepescente ob diuturnam morborum asperitatem, qua tenebatur* OLYBRIVS, *morarum impatientes, hi qui rem detulerunt, libello petiuerunt oblato, vt examinandum iurgium Præfecto mandaretur annonæ:* [Maximino] *idque studio celeritatis concessum est. Accepta igitur nocendi materia Maximinus, effudit genuinam ferociam pectori crudo adfixam: vt sæpe faciunt amphibeatrales feræ, diffractis tandem solutæ posticis. Cumque multiformiter quasi in proludiis negotium spectaretur, & quidam* SVLCATIS LATERIBVS *nominassent*, NOBILES (id est *Senatorii* GENERIS) *aliquos, tanquam vsos artificibus lædendi per clientes, aliosque humiles, notos reos & indices: supra plantam (vt dicitur) euagatus tartareus Cognitor*, RELATIONE *maligna docuit Principem, nonnisi suppliciis acrioribus perniciosa facinora scrutari posse, vel vindicari, quæ Romæ perpetrauere complures. His ille cognitis efferatus, vt erat vitiorum inimicus acer magis quam seuerus, vno proloquio in huiusmodi causas, quas arroganter proposito* MAIESTATIS *imminutæ miscebat*, OMNES *quos iuris prisci iustitia, Diuorumque arbitria* QVÆSTIONIBVS EXEMERE CRVENTIS, *si postulasset negotium, statuit* TORMENTIS *affligi.* Et post, *eodem libro & cap. pag. 559. edit. Gronou. Ob hæc, & huiusmodi multa, quæ cernebantur in paucis, omnibus timeri sunt cœpta. Et ne tot malis dissimulatis paulatimque serpentibus aceruі crescerent ærumnarum, Nobilitatis Decreto legati mittuntur: Prætextatus, ex vrbi Præfecto, & ex Vicario Venustus, & ex Consulari Mineruius, oraturi, Ne delictis supplicia sint grandiora: Neue* SENATOR *quisquam inusitato & illicito more* TORMENTIS *exponeretur. Qui cum intromissi in Consistorium hæc referrent, negantem Valentinianum se id* STATVISSE, *& calumnias perpeti clamitantem, moderate redarguit* QVÆSTOR *Eupraxius: hacque libertate emendatum est crudele præceptum, supergressum omnia diritatis exempla.* Et hæc de Valentiniano, *huiusque legis* historia.

Ad exemptionem a tormentis, quæ Nobilibus data, redeamus. Et vero de ea est quoque nobilis hic Prudentii locus *carmine 10. Peristephanon, in martyrio Romani, a versu 108.*

Incensus his Asclepiades iusserat
Euiscerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & vncis vinculisque [γρ. *vngulisque*]
crescere:
Apparitores sed furenti suggerunt
Illum vetusta NOBILEM *prosapia,*
Meritisque multis esse primum ciuium.
Iubet amoueri noxialem stipitem,
Plebeia CLARVM *pœna ne damnet virum:*
Tundatur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumboque ceruix verberata extuberet,
Persona quæque competenter plectitur;
Magnique refert, vilis an sit NOBILIS,
Gradu reorum forma tormentis datur.

Qui quidem Prudentii locus ad illustrandam quoque *legem 2. prox.* faciet: itaque inibi quoque expendetur, vbi agendum erit de fidicularum & plumbatarum discrimine. Nam quæ de exemptione a fidiculis *hac lege* statuuntur, non eadem omnia obtinent in *plumbatis:* Imo qui illis subiici non possunt, his affici queunt.

II. (a) Idem (b) AAA. ad Antonium (c) P.P. Gall.

DECVRIONES, siue ob alienum, siue ob suum debitum, exortes omnino earum volumus esse pœnarum, quas *Fidiculæ*, (d) & *Tormenta* (e) constituunt. Quod quidem

dem capitale Iudici erit, si in contumeliam Ordinis exitiumque temptetur, Maiestatis (f) tantummodo reos, & quæ (g) nefanda dicto (h) sunt conscios, aut molientes, (i) ex Ordine Municipali, maneat tam cruenta (k) condicio: (l) Debitores * vero, & quos Allectos, (m) aut Susceptores (n) memorant, a summo vsque ad infimum ordinem Curiales exortes talium volumus esse pœnarum: Habet seueritas multa, quæ sumat ad sanciendam (o) publici officii disciplinam, vt abstineant (p) tam cruentis. *Plumbatarum* vero ictus, quos in ingenuis corporibus non probamus, non ab omni Ordine submouemus; sed Decem-Primos tantum Ordinis Curiales ab immunitate (q) huiusmodi verberum segregamus: ita vt in ceteris animaduersionis istius habeatur moderatio commonentis. (r) Dat. XV. Kalend. Octob. Treu. Valente V. & Valentiniano AA. Coss. [376.]

N O T A E.

(a) Priorem tantum *huius legis* sententiam, vsque ad ea verba *Debitores vero*, reliquis resecatis, Tribonianus coniecit in *legem 16. Cod. Iust. de quæstionib.* GOTHOFREDVS.

(b) Malè. Reponendi quippe hi Imperatores, *Valens, Gratianus & Valentinianus*: iam enim Valentinianus Senior ante annum ferme obierat. *IDEM.*

(c) Eidem *Antonio Præfecto Prætorio Galliarum* inscribitur hoc ipso anno *lex 11. inf. de Medicis*: quem cum Ausonio Scaliger *Lection. Auson. lib. 2. cap. 17.* perperam confundit. Hic idem postea Præfectus Prætorio Italiæ fuit: vt docet *lex 12. infr. de pœnis. ID.*

(d) De *Fidiculis* actum quoque fuit *l. 1. sup. ID.*

(e) Aliud igitur *Fidiculæ*, quam *tormenta*, de quo mox plura. *ID.*

(f) Dixi de hoc iam ad *legem superiorem. ID.*

(g) *Ea quæ. IDEM.*

(h) γρ. *Dictu*, vt habet Cod. Iust. RITTER.

P. 250 (i) Δυσφημίαν euitat: itade Magis hac voce proprie vtitur *lex 3. 4. sup. de maleficiis.* GOTHOFRED.

(k) *Cruenta conditio*, de fidiculis & tormentis: Eodem sensu Ammianus Marcellinus locis duobus, quos ad *superiorem legem* protuli, *quæstiones cruentas* dixit. *IDEM.*

(l) Ab hac *Conditionis* voce *Conditionales*, qui quæstioni & tormentis vitæ suæ conditione subiiciuntur; *l. 3. 5. 7. 8. sup. de Numerariis, Actuariis. ID.*

* Sequentia, vt dixi, omnia absunt a *Cod. Iust. Debitores* vero, hic sunt *decoctores pecuniæ publicæ*, *l. 117. inf. de Decurionib.* quæ *huic* concordat. *ID.*

(m) De *Allectis* dicam plene ad *l. 11. 12. 13. inf. de Susceptoribus. ID.*

(n) De *Susceptoribus* suo illo *Titulo* dicetur. *ID.*

(o) id est ad vindicandam, stabiliendam publicam disciplinam. *ID.*

(p) γρ. *Abstineat.* Scilicet sat pœnarum habet seueritas, sat tormentorum, vt merito abstinere debeat tam cruentis. Nisi forte *Abstineant*, hic ad Curiales referendum, vt *abstineant* accipiamus pro *absint*, & *immunes* sint. Denique forte referenda hæc vox ad *Iudices. ID.*

(q) Necessario reponendum est *immanitate*: id enim & sensus huius loci requirit, & ipsa Gratiani de hoc supplicio mens. *IDEM.*

(r) Repono *commonendis*, hic enim sensus est: Etiam in cæteris Decurionibus commonendis, id est, plumbatarum ictibus admonendis, moderationem quoque adhibendam. Nisi *commonentem* hic Iudicem vel exactorem accipiendum quis contendat. *Commonendi & admonendi* vox de castigatione: vide *Glossarium. ID.*

COMMENTARIVS.

DECVRIONES omnes, a fidiculis & tormentis immunes esse iubet Gratianus *hac lege* pariter vti immunes præstantur, *l. 80. inf. de Decurionib.* & *l. 1. sup. ad leg. Cornel. de falso*: & *l. 11. Cod. Iust. de quæstionib.* Id quod *in honorem ordinis Curialis* constitutum Gratianus *hac ipsa lege* indicat: de quo dixi *ad l. 15. sup. de accusat.* idque etsi Decurio proponatur debitor (id est, etsi euersor vel decoctor pecuniæ publicæ) item etsi proponatur debitor, veluti si aut Allectus, susceptor, Reliquator ex susceptione sit & rationes conturbarit. De Allectis & Susceptoribus dicetur *infr. tit. de susceptorib. ad l. 11. 12. 13.* Breuiter, etsi *publici officii disciplina sancienda* proponatur, vt *h. l.* dicitur, id est, etsi Curialis in publico officio fraudulenter & immoderate versatur, dicatur. Magna equidem est rei tributariæ, magna item publicæ disciplinæ ratio, sed quæ tamen aliis remediis sarta esse possit, quam cruentis. Quod & ipsum in alia specie confirmat *lex 3. 7. inf. de exactionib.*

Excipiuntur tantum a Gratiano *h. l.* duo criminum genera, ob quæ videlicet Decuriones a fidiculis & tormentis immunes non sunt. Primum est, Maiestatis crimen, quod & ipsum cautum *l. 1. sup.* de quo ad *l. vn. supr. ad leg. Iul. Maiest.* Alterum crimen, seu reorum genus, his verbis indicatur. Et *quæ nefanda dicto sunt conscios aut molientes.* Quibus verbis omnino indicari existimo proxima Maiestati crimina: de quibus ad *legem superiorem*: ac nominatim crimen Magiæ, de quo ad *l. 6. sup. de maleficiis.* Et δυσφημίας hac in re ab Imperatoribus vitatæ exempla occurrunt alibi. Et hæc quidem de Decurionum exemptione a fidiculis & tormentis.

PLVMBATARVM eadem ratio non est. A plumbatarum enim ictibus Decuriones noxii vel debitores immunes non sunt *h. l.* & *l. 117. inf. de decurionib. l. 15. sup. de accus.* & *l. 6. inf. h. t.* Quod tamen aliquando immutatum atque ita constitutum fuerat, vt Decuriones omnes a plumbatarum quoque ictibus immunes essent, vt docet *lex 80. 85. inf. de Decurionib.* Verum id post hanc *legem* demum inductum, & quidem per Orientem, neque diu mansit. Rursum enim vetus, vt dixi, & legitima consuetudo reducta,

reducta, vt a plumbatarum ictibus Curiales noxii vel debitores immunes non essent, vt docet *lex 15. sup. de accusationib.* & *l. 117. infr. de Decurionib.* Et tamen speciali priuilegio Gratianus *h. l. Decem-primis* hanc plumbatarum quoque immunitatem tribuit.

Denique Gratiani *h. l.* sententia est curiales a fidiculis penitus immunes esse: a plumbatis non item: duplici temperamento tamen. Primum enim immunitatem plumbatarum tribuit Decem-Primis; de quibus erit dicendi locus *infr. suo Titulo*, *de Decurionib.* Secundo cæteros etiam Curiales non nisi moderate plumbatis commonendos constituit: id est nonnisi noxios aut debitores: quæ & ipsa sententia est *legis 15. sup. de accusat.* & *l. 6. inf. h. t.*

Breuiter tota hæc Gratiani *lex* Decurionibus consulit, in quos Iudices seu Rectores Prouinciarum impotenter sæuire soliti, sanciendæ publicæ disciplinæ obtentu: & quidem per GALLIAS, quæ a Iudicib. hac tempestate summopere attrita.

De *Plumbatis* nunc videndum est. Plumbatarum supplicii seu verberum mentio fit *decem huiusce Codicis legibus*, puta *h. l. l. 80. 85. 117. inf. de Decurionib. l. 3.* & *7. inf. de exactionib. l. 40. 53. inf. de Hæreticis: l. 14. sup. de cohortalib. l. vn. sup. de his qui potentior. nomina.* Neque tamen vna aut eadem semper formula: *plumbatarum ictus* dicuntur *h. l.* & *d. l. 80. 85. 117.* plumbatarum cruciatus, *d. l. 85.* plumbatarum verbera, *h. l.* & *l. 3. inf. de exactionib.* plumbi verbera, *l. 7. inf de exactionib.* plumbo affici, *d. l. vn. sup. de his qui potent. nomina:* plumbo coerceri, *l. 40. inf. de hæreticis:* plumbo contundi, *l. 53. inf. de hæreticis:* plumbatis coerceri, *l. 14. sup. de cohortalib.* plumbatis denique cædi dixit Ammianus ad *d. l. vn.* Has omnes formulas pene vnico loco congessit, & expressit Prudentius *in Martyrio Romani, Peristephan. hym. 10. v. 116. seq.*

> TVNDATVR, inquit, *terga crebris* ICTIBVS
> PLVMBOQVE *ceruix* VERBERATA *exextuberet.*

Et mox: *v. 121.*

> PVLSATVS *ergo Martyr illa* GRANDINE
> *Postquam inter* ICTVS *dixit hymnum* PLVMBEOS.

Plumbatarum μολυβδῶν meminit quoque Libanius variis locis *orat.* κατὰ τῶν εἰσιόντων *ab init.* (vid. *p. 76. ed. Gothofr.* & *p. 418. edit. Oper. minor. Gothofred. Cl. Trotz.*) vbi iam aliquid dixi: & *orat. 7. pro Aristophane, p. 214. edit. Morelli* & *orat. 23. de honorib. ad Eustath. pag. 559. ed. cit.* Fit & multa mentio in martyrologiis, & apud Zosimum *lib. 5. cap. 2.* Eodem pertinet & Libanii locus περὶ ἀγγαρειῶν *pag. 36. edit. Gothofred.* & *pag. 386. ed. Trotz. aduersus Icarium, pag. 464. edit. Morell.* Ex his interim satis apparet Plumbatarum seu plumbi verbera, nil aliud esse, quam commonitionis seu admonitionis genus. vel etiam supplicii, quo tergum ferme crebris ictibus cædebatur grandinis instar, (sic vt ad cædem εἰς θάνατον res ea sæpe procederet, vt præter Prudentii locum superiorem, quin & *legem* nostram *in fine*, docet Ambrosius *Epistolar. lib. 5.* & Libanius *dicta orat. pro Aristoph.* & Martyrologia, quæ Brissonius noster congessit *de V. S.* in *voce. plumbata:*) Et proprie *grandinem* dixit Prudentius, sicut Libanius *dict. orat. pro Aristoph. pag. 214. edit. Morell.* τὰς ἐκ μωλίβδου σφαίρας. Πληγὰς μὲν, inquit, τοι πολλὰς p. 251. καὶ χαλεπὰς καὶ πανταχοῦ ταῖς ἐκ μολίβδου σφαίραις· ἃς ἡγήσατο Παῦλος εἰς θάνατον ἀρκέσειν. *Plagas multas atque acerbas: vbique terrarum vero plumbeis globulis, quos existimarat Paulus ad exitium sufficere.* Fuit enim *plumbata* flagellum, cuius lora plumbum seu plumbeos globulos & glandulas in extremo innexum habebant. Suidas voc. πλουμβάτοις Πλουμβάτοις. μολίβδοις κατὰ γλῶτταν. *Plumbatis, siue pileis plumbeis secundum glossam.* Et *vetus Glossar.* Plumbatæ μωλέβδοται. Itaque apud Basilium M. *in Homilia in martyrem Gordium num. 4. pag. 145. Tom. II. Oper. edit. Cl. Garnier Benedictin.* ποῦ δὲ αἱ μόλιβδες, ποῦ δὲ αἱ μάστιγες, vbi interpres, *laminas plumbeas* vertit, cum debuerit *plumbatas.* Ibi interim vides plumbatas flagellis iungi, nam & hæ flagellorum species fuere. Psellus quoque in MS. περὶ Γραμματικῆς, (quem citat & emendat Meursius *in Glossar.*) πλουμβάτον τὸ μολίβδινον. Meminit & Honorius *Sermone de sancto Laurentio:* & *Sermone de S. Cæcilia:* & Anastasius *in Cornelio.* Glossæ *Basilicorum*, πλουμβατίζεται, ὀξυτάτοις βέλεσι καταστίζεται: *Plumbatizatur, id est, crebris ictibus depungitur.* Et hæc de plumbatarum supplicio & quæstione. (a)

Dictæ & *plumbatæ*, teli genus quoddam, de quo vide Vegetium *lib. 1. cap. 17.* & Authorem qui *Notitiæ Imperii* subiectus est. Tandem fuit & tertium *plumbatarum* genus, quæ quidem erant plumbi pondera, & ipsa inter cruciatus. Hinc *l. 3. infr. de exactionibus* non tantum plumbatarum memorantur verbera; verum etiam *pondera.* Sed & Ammianus Marcellinus *lib. 29. cap. 1. Intenduntur*, inquit, *eculei, expediuntur pondera plumbea, cum fidiculis & verberibus: resultabant omnia truculentæ vocis horroribus inter catenarum sonitus, Tene, Claude, Comprime; Abde, ministris officiorum tristium clamitantibus.* At enim Græci, Basilica, inquam *lib. 7. tit. 10. §. 1.* & scholion ad ea, quod edidit V. CL. Labbeus amicus noster, *obseruat. ad Synopsin, p. 16.* aliud plumbatarum genus constituunt, numellarum inquam plumbearum, deque iis accipiunt *legem vn. Cod. Iust.* & *sup. de his qui pot. nomina*, perperam omnino, vt ibi ostendi. Et hæc de Plumbatis.

FIDICVLÆ, quæ *hac l.* memorantur, & *leg. super.* itemque *superiore* Amm. Marcellini *loco.* quid sint? explicare conatus est Isidorus *Origin. lib. 5. c. 27.* cum scribit; *Fidiculas dictas Tormenti genus, quo Rei in Equuleo ad fidem inueniendam & eruendam torquentur.* Verum de his alibi dictum, & vt Tormenta a Fidiculis distinguenda sint.

(a) Loca hæc omnia ante Nostrum iam collegerat CL. MEVRSIVS, quem vide in *Glossar. vocc.* πλουμβατίζειν, & πλουμβάτον. Alia dedit ex editis & ineditis CL. DV FRESNE *in Glossar. Gr. vocc.* πλουμβον, πλουμάτιζειν, & πλουμβάτον. Adde eiusdem *Gloss. Lat. vocc. plumbatæ* & *plumbatum.*

III. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS, & Valentinianus AAA. ad Grachum PP. (b)

SEVERAM indagationem per tormenta (c) quærendi a Senatorio (d) nomine (e) submonemus.

uemus. Dat. Prid. Non. Ianuar. (f) Treu. Gratiano A. IV. & Merobaude Coss. [377.]

NOTAE.

(a) *Lex* 10. *Cod. Iust. de dignitatibus.* GOTHOFR.

(b) In Cod. Iustinian. *leg. vn. ne quis in sua causa iud.* P. V. de quo mox. *ID.*

(c) Vide quæ dixi ad *leg.* 13. *supr. de accusationib.* *ID.*

(d) *Clarissimo homine.* Ita Tribonianus, quod eodem recidit. Clarissimi sunt Senatores: vide *Glossar.* *ID.*

(e) Nomen Senatorium, pro Senatoribus; ita *nomina nostra* crediderit lacessenda: *l. vn. sup. si quis Imp. maledix.* id est, *Nos. ID*

(f) In nonnullis Codicibus Iustinianeis, *Iun.* Sed hoc verius est. *ID.*

COMMENTARIVS.

SENATORES a quæstionibus seu tormentis immunes esse iubet Gratianus hac constitutione A. D. 377. Gratianus inquam, qui videlicet, etsi in Imperio Occidentali collegam fratrem Valentinianum Iuniorem haberet, ad annum tamen Domini vsque 379. solus reuera Imperium occidentale administrabat.

Seueram autem interrogationem vocat *hæc lex* per tormenta, quam *lex vn. sup. ad leg. Iul. Maiest.* adstrictiorem inquisitionem: Cruentas quæstiones, Ammianus; Cruentam conditionem *lex 2. supr.*

Porro hæc *lex* a Gratiano lata est, sublato e medio Valentiniano Seniore patre, & ad Senatus Romani petitionem, cum paulo ante sub Valentiniano patre passim Senatores tormentis subiicerentur, id agente Maximino Præfecto Prætorio, qui superiore anno adhuc Præfecturam administrabat. Cuius rei historiam exequutus sum ad *l. 1. sup h. t.* ex Ammiano Marcellino *lib. 28. c. 1.* qui & nominatim hæc scribit: *Ob hæc & huiusmodi multa, quæ cernebantur in paucis, omnibus timeri sunt cœpta. Et ne tot malis dissimulatis paulatimque serpentibus, acerui crescerent ærumnarum,* NOBILITATIS *decreto legati mittuntur: Prætextatus ex vrbi Præfecto, & ex Vicario Venustus, & ex Consulari Mineruius, oraturi ne delictis supplicia sint grandiora, neue* SENATOR *quisquam inusitato & illicito more tormentis exponeretur. Qui cum intromissi in consistorium hæc referrent, negantem Valentinianum se id statuisse, & calumnias perpeti clamitantem, moderate redarguit Quæstor Eupraxius: hacque libertate emendatum est crudele cœptum supergressum omnia diritatis exempla.* Plene igitur Gratianus hac constitutione Senatus petitioni & Senatoribus consultum iuit: Qui & antea iam aliis constitutionibus Maximini Præfecti Prætorio ferociæ obuiam iuerat, puta *l. 13. supr. de Accusationibus*, quæ ad Senatum data est superiore anno 376. item *lege 1. 2. sup. Ne præter crimen Maiestat.* & *l. vlt. sup. ad leg. Cornel. de falso.* quæ tres *leges* ipsimet Maximino PP. inscribuntur anno superiore 376. quinimo & *l. vn. supr. ne in sua causa quis iudicet:* quæ & ipsa eidem Gracho inscribitur, cui hæc *lex* nostra, fine superioris itidem anni. Atque vt constitutionibus suis Gratianus Maximini P. P. ferociæ modum imposuit, ita tandem ferocientem occidit, vti testatur Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1. in fin. Hæc agitante Maximino, cum adesset, perque emissarios cum procul ageret, funera vrbs deplorauit æterna. Sed accelerarunt vltrices* (vltimæ) *diræ cæsorum. Namque & idem Maximinus sub Gratiano intoleranter se efferens damnatorio iugulatus est ferro.* Id vero factum omnino censeo fine anni superioris: vtpote iam Graccho Præfecturæ admoto.

Cæterum Gracchus hic, cui duæ tantum *hoc Codice* constitutiones inscribuntur (puta *hæc lex*, Anno 377. & Anno 376. *d. lex vn.*) in vtriusque *legis* inscriptione Præfectus Prætorio dicitur, atque ita editum est vtrobique *hoc Codice*, & tamen *Codex Iustinianeus* in *d. l. vn. Ne quis in sua causa:* præfert *Præfectum vrbi*, quod & verius puto. P. 252. Meminit quippe Hieronymus *Ep. 7. ad Latam de institut. filiæ, pag. 35. Tom. I. Oper. edit. Francf. apud. Christ. Gensch.* Præfecturæ vrbanæ a Graccho isto administratæ: *Ante paucos*, inquit, *annos propinquus vester Gracchus nobilitatem patriciam sonans nomine, cum Præfecturam gereret vrbanam, nonne specum Mithræ, & omnia portentuosa simulacra, quibus Corax, Niphus, miles, leo, Perses, Helios Bromius, pater initiantur, subuertit, fregit, exussit, & iis quasi obsidibus ante præmissis impetrauit Baptismum Christi.* De eodem accipiendus est Prudentius *lib. 1. contra Symmachum* cum ita scribit. *a vers. 562.*

Iam quid plebicolas percurram carmine Gracchos
Iure potestatis fultos & in arce Senatus
Præcipuos, simulachra Deum iussisse reuelli,
Cumque suis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse regendos.

Quod si ita est; vt hic idem Gracchus sit, cui *lex* hæc inscribitur, dicendum est perperam omnino ea, quæ Hieronymus & Prudentius de hoc *Graccho* narrant, in Annum Domini 383. a Baronio referri, metachronismo sexennii, quin potius ad hunc annum 377. vel sane superiorem referenda fuisse, in qua sententia subsisto.

Similis error eorundem, qui *Aram victoriæ* a Gratiano eradicatam volunt A. D. 382. quod certe longe ante gestum oportet; siquidem ab Anno 379. Gratianus Italiæ & vrbi Romæ amplius non præfuit, sed frater ipsius Valentinianus Iunior. Et sane Aram Victoriæ Gratiani Imp. decreto sub Gracchi huius P. V. euersam omnino puto A. D. 376. Hæc enim omnino suadent quæ Prudentius & Hieronymus *superiorib. locis*, de simulachris a Graccho P. V. euersis scribunt. Verum de his, si Deo placet, alibi commodius & plenius.

IV. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Albuciano (b) Vic. Macedoniæ. (c)



QVADRAGINTA diebus, qui, auspicio cærimoniarum, Paschale tempus anticipant, omnis

omnis Cognitio inhibeatur criminalium Quæstionum. (d) Dat. VI. Kalen. April. Theff. Gratiano A. V. & Theod. A. I. Coss. [380.]

INTERPRETATIO. *Diebus Quadrageſimæ, pro reuerentia Religionis, omnis criminalis actio conquieſcat.*

NOTAE.

(a) *Lex 6. Cod. Iuſt. de feriis.* Inſeruit hanc *legem* recte *Annalibus ſuis* Baronius A. D. 380. *n.* 3. Fugitiuam hanc *legem* ab hoc *titulo* eſſe mox oſtendam, pariter vt *lex prox. ſeq.* GOTHOFR.

(b) *Luciano*, in *Cod. Iuſt.* male. *ID.*

(c) *Macedonia* fuit Diœceſis Illyrici Orientalis, vt docet vel Notitia Imperii, quod non fruſtra a me moneri ſequentia oſtendent. *ID.*

(d) Hac *Quæſtionum* voce inducti ſunt in errorem huius Theodoſiani *Codicis* Conditores, vt hanc *legem* in hunc *titulum* referrent: perperam, vt mox oſtendam. *ID.*

COMMENTARIVS.

QVADRAGESIMA tota, quæ ante Paſcha eſt, omnis cognitio criminalium quæſtionum (omniſque adeo torturæ ſupplicium) hac Theodoſii M. conſtitutione inhibetur, A. D. 380. vt & altera *l. 5. prox.* itemque 3. Theodoſii Iunioris *l. vlt. inf.* Et nominatim quidem *h. l.* per Macedoniam: *Criminalium*, inquam, *quæſtionum cognitio*, id eſt, criminalium iudiciorum cognitio; & vt Anianus recte interpretatur, omnis criminalis actio. *Quæſtio criminalis*, eſt iudicium criminale, & Quæſtioni præeſſe dicitur Iudex in criminali negotio. Itaque huius vocis ambiguitate in errorem inducti ſunt Theodoſiani huius Codicis Conditores, vt hanc *legem* in hunc *titulum* referendam crederent. Perperam omnino. Theodoſii M. quippe mens eſt *h. l.* non tantum prohibere in Quadrageſima reos *quæſtioni* (id eſt tormentis) ſubiici, verum omnem omnino Cognitionem criminalem eo tempore interdicere; quia ſcilicet hoc tempus (vt eleganter vocat) *Auſpicium ceremoniarum eſt*: vbi *ceremoniarum* appellatione intelligit Ieiunium & Caſtimoniam: denique vt Plautus loqueretur, *ferias Eſuriales*. De qua *Ceremoniarum* appellatione, alibi.

Porro Ieiunii & Caſtimoniæ huius Ante-Paſchalis τῆς πρὸ τοῦ πάσχα νηστείας, cum alia alibi *lex* & conſuetudo fuerit, legitimum ſane tempus per *Macedoniam* Quadrageſimam integram fuiſſe, ſeu quadraginta dies, hæc *lex* noſtra oſtendit. Quod & ipſum diſerte Socrates teſtatur *lib. 5. cap. 21.* & Sozomenus *lib. 7. c. 19.* Alioquin Antepaſchale ieiunium alibi aliter obſeruatum, mira varietate; quod præter Socratem & Sozomenum *dictis locis*, Irenæus quoque apud Euſebium *lib. 5. c. 24.* teſtatur, ac nominatim Socrates tradit, τοὺς μὲν ἐν Ῥώμῃ, ſeu Romæ, continuum trium tantum Septimanarum ieiunium obſeruaſſe: exceptis adhuc diebus Sabbathi & Dominicis, πλὴν Σαββάτου καὶ Κυριακῆς: cui poſtremo non obſtat quod mox *eodem capite* tradit: ἐν Ῥώμῃ πᾶν σάββατον νηστεύουσι. Quia id accipiendum eſt, vel (quod ſuadere videntur antecedentia & ſubſequentia immediate) de Nouatianis, vel de aliis Sabbathis præter Quadrageſimam. Neque audiendus, qui Socratem hac parte hallucinatum putat, vel quæ *priore loco* dicit, ad νέαν Ῥώμην referenda. At in Illyrico, vt dixi; Quadrageſima integra obſeruata, cuius diœceſis erat *Macedonia*, ad cuius Vicarium hæc *lex* data eſt. Socratis verba ſunt: Τὰς πρὸ τοῦ πάσχα νηστείας; ἄλλως παρ' ἄλλοις φυλαττομένας ἐστὶν εὑρεῖν, οἱ μὲν γὰρ ἐν Ῥώμῃ, τρεῖς πρὸ τοῦ πάσχα ἑβδομάδας, πλὴν σαββάτου καὶ Κυριακῆς, συνημμένας νηστεύουσιν. οἱ δὲ ἐν ΙΛΛΥΡΙΟΙΣ καὶ ἀνὰ τὴν Ἑλλάδι, καὶ οἱ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, πρὸ ἑβδομάδων ἓξ, τὴν πρὸ τοῦ πάσχα νηστείαν νηστεύουσι, ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΗΝ αὐτὴν ὀνομάζοντες. *Ieiunia illa, quæ ante Paſcha fiunt, aliter apud alios obſeruari reperias. Nam qui Romæ ſunt, tres continuas hebdomadas ante Paſcha, exceptis Sabbatho & dominico die, ieiunant. Qui vero in* ILLYRICO *& per vniuerſam Achaiam, & qui Alexandriæ degunt, ſex ante Paſcha ſeptimanas ieiunant, idque ieiunium* QVADRAGESIMAM *vocant.* Sozomeni ſunt hæc: Τὴν καλουμένην ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΗΝ ἐν ᾗ νηστεύει τὸ πλῆθος, οἱ μὲν εἰς ἓξ ἑβδομάδας ἡμερῶν λογίζονται, ὡς ΙΛΛΥΡΙΟΙ, καὶ οἱ πρὸς δύσιν, Λιβύη τε πᾶσα, καὶ Αἴγυπτος σὺν τοῖς Παλαιστινοῖς. QVADRAGESIMAM, *in qua populus ieiunare ſolet, alii quidem, ſex dierum ſeptimanis computant, vt* ILLYRII *& occidentales, totaque Africa & Ægyptus ac Paleſtina.* Et hæc de Quadrageſima quæ in Illyrico P. 25. tota Ieiunio deſtinata erat: cum Romæ tres tantum Septimanæ deſtinatæ eſſent. Alibi quoque alia varietas: de qua Sozomenus *d. lib. 7. c. 19.* his verbis: οἱ δὲ; ſubi cit ſuperioribus verbis, ἑπτὰ, [ἑβδομάδας] ὡς ἐν Κωνσταντινουπόλει, καὶ τοῖς πέριξ ἔθνεσι, μέχρι Φοινίκων. ἄλλοι δὲ, τρεῖς σποράδην ἐν ταῖς ἓξ ἢ ἑπτὰ νηστεύουσιν. οἱ δὲ, ἅμα τρεῖς πρὸ τῆς ἑορτῆς συνάπτουσιν: οἱ δὲ, δύο ὡς οἱ τὰ Μοντανοῦ φρονοῦντες. *Alii vero ſeptem hebdomadas computant; vt Conſtantinopoli & per cunctas in circuitu prouincias uſque ad Phœnicem. Nonnulli e ſex aut ſeptem illis hebdomadis, tres per interualla ieiunant. Alii tres ſimul hebdomadas Paſchale feſtum proxime antecedentes continuant: quidam duas tantum, vt Montaniſtæ.* Socrates item *d. lib. 5. c. 22.* ἄλλοι δὲ παρὰ τούτους, ἄλλοι πρὸ ἑπτὰ τῆς ἑορτῆς ἑβδομάδων τῆς νηστείας ἀρχόμενοι, καὶ τρεῖς μόνας πενθημέρους ἐκ διαλημμάτων νηστεύοντες, οὐδὲν ἧττον, καὶ αὐτοὶ τεσσαρακοστὴν τὸν χρόνον τοῦτον καλοῦσι. καὶ θαυμάσαι μοι ἔπεισι, πῶς οὗτοι περὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἡμερῶν διαφωνοῦντες, τεσσαρακοστὴν αὐτὴν ὀνομάζουσι: καὶ ἄλλος ἄλλον λόγον τῆς ὀνομασίας εὑρεσιλογοῦντες ἀποδιδόασιν. *Alii rurſum diuerſum ab illis morem ſecuti, ſeptima hebdomade ante Paſcha ieiunium ordiuntur; ac tres duntaxat ſeptimanas, quinque dierum ſingula per interualla ieiunantes, nihilominus hoc tempus ipſi quoque quadrageſimam appellant. Ac mihi quidem mirari ſubit, qua ratione iſti, licet de numero dierum inter ſe diſſentiant, eodem tamen nomine quadrageſimam vocent. Huius vero appellationis pro ſuo quiſque ingenio alius aliam rationem affert.* Aiunt Socrates & Sozomenus alibi *ſeptem ſeptimanas* ieiunio obſeruatas, id eſt, Quinquageſimam integram: & quidem Sozomenus nominatim ait, id factum Conſtantinopoli, & in

& in vicinis regionibus vsque in Phœniciam: de quo *ad leg. prox.* Aiunt rursum Socrates & Sozomenus, alios in hac Quadragesima tres vel duas tantum septimanas ieiunare: sic vt non continue, sed per interualla ieiunarent, & quidem per dies semper quinos πενθημέρυς. Quod obseruatione dignum est; τρεῖς πενθήμερ☉, sunt dies quindecim, *quinze iours.* Apud Photium quoque *num.* CVII. *pag. 281. 282. edit. Schotti*, Basilius Cilix Nestorianus aduersus Ioannem Constantinopolitanum scribens, obiicit inter alia, ὅτι τὴν ἁγίαν τεσσαρακοςὴν εἰς τρεῖς ἑβδομάδας συγκλείων, *quod sacrum Quadragesimæ tempus ad tres tantum hebdomadas reuocauerit* &c. At enim omnes ex æquo suum illum dierum numerum τεσσαρακοςὴν dixere.

Neque etiam *h. l.* omittendum, hanc constitutionem *Macedoniam* nominatim spectare, & Thessalonicæ Macedoniæ metropoli a Theodosio M. ibi hoc tempore iamdiu commorante, datam. Vt omnino his argumentis, hæc Constitutio Ascholio Ep. Thessalonicensi accepto ferenda videatur: a quo per hæc tempora Theodosius M. Fidei mysteria edoctus, Christo initiatus seu baptizatus; cuius conuersatione summopere delectatus, gauisus, & adiutorem in stabilienda fide Catholica habuit. Et sane eidem quoque Ascholio accepto ferendam *legem 2. inf. de fide Catholica:* & *l. 25. inf. de Episcop.* quæ data fuit hoc ipso anno ante mensem, vt ad eam *legem* ostendam: item *lex 2. sup. de nupt.* Et obseruanda hæc Sozomeni *lib. 7. c. 4.* de Theodosio & Ascholio, ἤδη τότε Ἀχολίῳ ὧδε δοξάζοντι. καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ καὶ συλλήβδην, ὡς εἰπεῖν, πρὸς πᾶσαν ἱερωσύνης ἀρετὴν τεταγμένῳ. Nempe ait, Theodosium Ascholio delectatum, velut bono Adiutore, & breuiter ad omnem sacerdotalem virtutem facto. Et obseruandum Ascholium hunc ab Ambrosio vocari *murum fidei, gratiæ & sanctitatis.* Neque dubium, Catholicæ fidei reuerentia hanc *legem* per Macedoniam emissam a Theodosio M. quem summo gaudio perfusum idem Sozomenus ait, quod Macedoniam & Illyricos vniuersos Catholicam fidem tenere comperisset.

Ad *legem* illam redeamus. Ergo totis Quadraginta diebus antè Paschalibus Theodosius M. causas Criminales agitari *h. l.* vetuit. Non eadem ratio fuit causarum Ciuilium, & multo minus Romæ. Hinc adeo Valentinianus Iunior non nisi quatuordecim dies Paschales, eosque partim Pascha præcedentes, partim subsequentes, iuridicis diebus Romæ exemit, *lege 2. supr. de feriis.*

Tandem obseruandum hanc *legem* datam VI. Kal. Aprilis ipso Quadragesimo tempore. Procul dubio de cognitione quadam tum quæsitum fuerat, quæ maxime fauorabilis & ad publicam disciplinam spectare visa: Sed Theodosio M. visum, hac peremptoria constitutione, *vt* OMNIS *cognitio inhiberetur criminalium Quæstionum*, quæcunque tandem illa esset. Et postea tamen A. 388. Quadragesimæ tempore Theodosii iussu quæstiones ob tumultum agitatæ, mox & repressæ.

V. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Tatiano P.P. (b)

SACRATIS *Quadragesimæ* diebus nulla supplicia sint corporis, quibus absolutio expectatur animarum. Dat. VIII. Id. Septemb. Foroflamini, (c) Timasio & Promoto Coss. [389.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* *a* *Cod. Iust.* vtpote cuius eadem videatur quæ *superioris* sententia. Inseruit eam recte *Annalibus suis Ecclesiasticis* Baronius *A. 389. n. 74.* Et hæc quoque vt superior ab hoc *titulo* fugitiua est. GOTHOFR.

(b) *Tatianus* PP. sub Theodosio M. vid. *Prosopograph. ID.*

(c) *Forum flaminii*, cuius quoque mentio fit in *Itinerario Peutingeriano*: quo Theodosius Imperator, (Roma egressus Kalendis Septembris, vt auctor est Marcellinus *in Chron.* in huius anni gestis) mox peruenit vna cum Valentiniano Iuniore. *ID.*

COMMENTARIVS.

QVADRAGESIMA tota hac altera Theodosii M. constitutione supplicia de reis sumi prohibentur (vel etiam de his Quæstiones agitari) Quæ & ipsa eiusdem sententia ante decennium ferme fuit, *l. 4. prox. superiore.* Atque vt illa Illyricum ac Macedoniam nominatim spectat; ita hæc Orientem proprie.

Nempe Tatianus, cui *lex* hæc inscribitur, Præfectus Prætorio Orientis fuit, & quidem Cynegio anno superiore 388. in ea præfectura suffectus a Theodosio iam inde a mense Iunio, cum in Macedonia versans aduersus Maximum Tyrannum moturus esset, quod docet *l. 2. inf. de his qui super Religione contendunt*, vbi vide quæ dicam, & *l. 119. inf. de Decurionibus:* & Zosimus *lib. 4. cap. 45.* Nominatim vero Præfectum Prætorio Orientis fuisse testatur *d. l. 119.* & *l. 19. inf. de extraordinariis siue sordidis munerib.* Neque quicquam obstat, Primum *l. 19. de hæret.* vbi vrbis & Suburbanorum fit mentio: id enim de Constantinopoli & eius Suburbanis intelligendum puto. Secundo non obstat *l. 18. inf. de extraord. munerib.* vbi Rhetiarum & Illyrici fit mentio: id enim non eo fit, quod Rhetia aut Illyricum eius dispositioni supposita fuerint, verum P. 254.
quia de necessitatibus eorum ibi agitur, quibus vtriusque Imperii viribus, tum occurrere necessum fuit. Tertio non obstat *l. 16. inf. de hæret.* & *l. 17. sup. de cohortalib. l. 23. infr. de susceptorib. l. 5. infr. tributa in ipsis speciebus*, quæ leges omnes hoc ipso anno Cynegio PP. Orientis inscribuntur, de quarum inscriptionum vel subscriptionum vitio ad singulas dicam.

Maneat igitur ad Præfecturam Orientis hanc *legem* spectare: ac proinde & Quadragesimam, quatenus ea in Oriente obseruata: quæ Quadragesima etsi passim ita vocata, alibi tamen aliter obseruata; vt ex Irenæo, Socrate, & Sozomeno, in horum temporum ipsorum historia ad *l. superiorem* notaui. Quare cum *superiore lege*, Quadragesima sex septimanarum spatio accipienda sit, seu Quadraginta dierum, vt exerte loquitur, vtique Macedoniam spectet, hæc, de qua *h. l.* agitur, septem Septimanarum

manarum spatio definienda est. Author enim est Sozomenus, septem Septimanarum spatio, Quadragesimam ante Paschali ieiunio agitasse Constantinopolitanos, cæterasque circumiacentes Orientis Prouincias Phœniciam vsque (vlteriores, Lybiam inquam, & Ægyptum cum Palæstinis: sex tantum:) ita tamen vt quindenis diebus tantum ἐκ διαλημμάτων ieiunauerint, quod Socrates scribit, sic tamen rursum, vt & hanc Quadragesimam dixerint. De Quadragesima, eiusque totius ieiunio, vide *canonem 50. Laodicenum in Phrygia pag. 789. 790. Tom. I. Concil. edit. Harduin.*

Porro huic Theodosianæ constitutioni simile Valentiniani Iun. responsum memorat Ambrosius *in oratione funebri de eius obitu pag. 108. Tom. V. Oper. edit. Paris. Felicis Cardinal. de Mont. Alto. Quid de pietate*, inquit, *eius loquar? Qui cum homines Nobili ortos genere & locupleti prosapia (quæ cito mouere inuidiam solet Regiæ cupiditatis) accusator vrgeret, Præfectus insisteret, respondit: Vt nihil cruentum*, SANCTIS *præsertim* DIEBVS *statueretur.*

Illud *h. l.* quoque notari oportet, quod dicitur *animarum absolutionem expectari Quadragesimæ diebus*: Nempe quia tempus illud castimonia & ieiunio transactum. Non sunt seculari iudicio corpora supplicio afficienda, quando a cælesti iudicio absolutio animarum expetitur: Quæ huius *legis* ratiocinatio est: Corporibus saltem laxamentum tribui oportere ab hominibus, cum a Deo refrigerium animabus exposcunt.

Denique obseruandum hanc *legem* non minus quam *superiorem* ab hoc *titulo* fugitiuam esse.

Tandem vt ad historiam *huius legis* descendam, suspicari possit quis, hanc *legem* pertinere ad tumultum Antiochenum ob statuas euersas, quo nomine Antiocheni afflictati fuere, atque in metu summo versati: interea dum de relatione ad Theodosium mittenda, persuasis cognitoribus legationibusque, Flauianus Episcopus aliique, Theodosii animum mollire adlaborarent. Et quidem circa Quadragesimæ tempus: quo tempore Chrysostomus media Quadragesima in hoc argumento versans, *decimam octauam* ad populum Antiochenum habuit *homiliam*, vt eius exordio docet. Quare omnino Theodosii animus cum hoc tempore aliquantum delinitus a Flauiano, qui inter alia, quibus ad indulgentiam eum commoueret, proprium ipsi exemplum, nempe Indulgentiæ Paschalis missæ proposuit, vt testatur *ea oratione* Chrysostomus. Hinc adeo Theodosius a Flauiano placatus statuere voluit, etsi non tum statim, verum postea mense Septembri, ne deinceps Quadragesimæ tempore de vllo supplicium sumatur: Ratione addita: *quod eo tempore absolutio animarum expectetur.* Quod omnino geminum est, vel sane ad eandem mentem, ei quod Chrysostomus refert: Theodosium a Flauiano delinitum respondisse, exemplo aduocato Saluatoris. Sane idem Chrysostomus refert (quod ad temporis huius circumstantiam admodum pertinet) Flauianum remissum a Theodosio ante solemnitatem Paschalem, & vt eam cum ciuibus Antiochenis celebraret: & vero Flauianum Pascha cum suis ciuibus celebrasse. His tamen omnibus obloquitur, quod tum Theodosius Constantinopoli versabatur, vt ex Chrysostomo & Libanio liquet: vbi sane hoc anno non fuit. Item refragatur dies & mensis huic *legi* subscriptus. Diserte Libanius docet *in Ellebichum, p. 526. ed. Morell.* id contigisse Decennalibus Theodosii, Quinquennalibus cœptis scilicet Arcadii, & sic initio anni 388. Male Idacius & Marcellinus scribunt Anno 387. Arcadium cum patre suo quinquennalia celebrasse editionib.

VI. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. ad Messalam P.P. (b)

NIHIL sibi deflectens a iustitia indignatio (c) Cognitorum, (d) nihil venalis Exigentium terror in eas quæ aut innocentiæ (e) auctoritate securæ, aut Principalitatis (f) sunt honore munitæ, intellegat licere personas, ad inferendas (g) iniurias corporales. Habeat hanc mercedem laboris, multorum Munerum testimoniis commendata deuotio, (h) &c. Dat. XII. Kal. Septemb. Theodoro V.C. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) *Lex 17. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda huic, *lex 8. sup. de contrahenda emptione*: & *lex 161. inf. de Decurionib.* (in cuius subscriptione dies emendandus) sed & *lex vlt. Cod. Iust. de modo mulctarum.* GOTHOFR.

(b) *Messala* P. P. sub Honorio: v. *Prosopogr. ID.*

(c) Vide pariter, *l. 167 inf. de Nauicul. ID.*

(d) *Cognitorum*, id est, Iudicum, qui sub dispositione P. P. *ID.*

(e) *Innocentia securæ*, ita Tribonianus; Eleganter interim hic dicitur *Innocentiæ auctoritas*, pro præsidio innocentiæ: quo sane nullum maius. *ID.*

(f) Ita recte: non ita bene Tribonianus, *Principali sunt honore munitæ. ID.*

(g) *Eis*, scilicet, *ID.*

(h) De *deuotionis* vocabulo vide *Glossar.* In *Cod. Iust.* porro hæc subiiciuntur: *Idemque & si munera Decurionatus quis deposuerit. Nam & ipse propter pristinam dignitatem quæstionem non patitur.* Quæ sententia comprobatur *l. 75. inf. de Decurionib. ID.*

P. 255.

COMMENTARIVS.

DECVRIONVM securitati aduersus Iudicum seu Rectorum prouinciarum nimietatem & Exactorum terrorem consultum it *h. l.* Honorius Imp. Quæ pars est prolixæ Honorianæ constitutionis, qua Honorius ab vna parte Curialium fraudibus in perniciem Curiarum occurrendum putauit; quo pertinet *lex 8. sup. de contrah. empt.* & *lex 161. de Decurionib.* vice versa Curialibus consultum fuit aduersus geminam Iudicum nimietatem: tum in multis nimiis infligendis, quo spectat *lex vlt. Cod. Iust. de modo multarum.* (Quæ quidem tres *leges* ceu ex eadem constitutione desumptæ *huic* coassandæ veniunt) tum in Quæstionibus exercendis: Quo pertinet hæc *lex.* In duobus scilicet his Iudices seu Rectores prouinciarum in miseros Curiales de more exardescebant: quod

quod docet, quoque *lex 47. inf. de Decurionib.* vbi pariter vtique Iudicum hac parte nimietati occurritur.

Huius *legis* sententia hæc est: Decuriones innocentes, Principales etsi nocentes iniuriis corporalibus nequaquam afficiendos. Iniuriis inquam corporalibus, id est plumbatarum ictibus, quæstionibus & tormentis: iniuriæ corporales sunt quæstiones & tormenta: quo ipso sensu iniuria, seu corporis iniuria & contumelia, corporales iniuriæ & molestiæ dicuntur in hoc ipso argumento, *l. 47. 61. 75.* (vbi dixi) 80. 126. 127. 190. *infr. de Decurionib. l. 10. inf. de fide test. l. 4. inf. de Decur. V. R. l. 2. inf. de abolit.* Principales igitur ab omnibus tormentis immunes erant, etiam plumbatarum, de quo & ad *leg. 2.* iam dictum fuit & dicetur, ad complures *leges* ac nominatim *l. 85. 117. 126. 153. infr. de Decurionib.* Tributum scil. hoc priuilegium ab Honorio Principalibus propter multorum munerum testimonia. Gradatim quippe & per ordinem muneribus expletis Decuriones ad Principalitatis munus conscendebant, *h. l.* & *l. 5. 75. 77. infr. de Decurionib.* etsi quandoque sine ordinis præiudicio consensu Curiæ probatissimi eligerentur, *l. 171. infr. de Decurionib.* Verum de his principalib. dicetur plenius *eo titulo de Decurionib.*

Additur, Ne innocentes quoque, siue Decuriones siue alii iniuriis corporalibus subiiciantur. Vt maxime Decuriones alii torqueri, plumbatis cædi possint, innocentes tamen verberandi non sunt: Quod & ipsum *fine legis 2. supr.* & *l. 15. sup. de accusat.* constitutum est: vt Principalis honos a tormentis & plumbatis eximit munitque, ita cæteris Decurionibus idem præstare debet innocentiæ auctoritas, vt *h. l.* eleganter dicitur (quod tamen Tribonianus sustulit. Proinde fieri quædam adtemperies tum Iudicibus tum Exactoribus in Decuriones aliosque immodice sæuientibus, hac Honorii constitutione imponitur. Innocentes scilicet neque criminis conscios, neque publico quicquam debentes, iniuriis corporalibus non esse subiiciendos. Quod tamen passim factum tam a Iudicibus, quam ab Exactoribus, illis inquam, nullius criminis conscios Decuriones torquentibus, his vero, id est Exactoribus eosdem torquentibus tanquam publico quid debentes. Atque ita huius *legis* initium accipiendum est. Eademque sententia est *d. l. 2. sup.* & *d. l. 15. sup. de accusat.* Ex quo apparet vice versa Decuriones hac tempestate tormentis & plumbatis subiici potuisse: Quod ipsum colligitur ex altera eiusdem Honorii constitutione puta *d. l. 153. infr. de Decurion.* quod non ita semper obtinuit, vt docui ad *l. 2. supr.*

VII. (a) Impp. Honor. (b) & THEOD. AA. ad Anthemium P. P. (c)

PROVINCIARVM (d) Iudices (e) moneantur, (f) vt in Isaurorum (g) latronum Quæstionibus nullum Quadragesimæ, (h) nec venerabilem (i) Pascharum diem existiment excipiendum: ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per latronum (k) tormenta quærenda est; Cum *facillime in* (l) *hoc Summi Numinis speratur* (m) *venia, per quod multorum* (n) *salus & incolumitas procuratur.* Dat. v. Kal. Maii, (o) Constantinop. Basso & Philippo COSS. [408.]

NOTAE.

(a) *Lex 10. Cod. Iust. de feriis.* GOTHOFRED.

(b) Arcadii nomen huic *legi* adscribi non fero. Quin potius subscriptio leuiter restituenda. *ID.*

(c) *Anthemius* PP. Orientis scil. sub Theodosio Iun. v. *Prosopogr. ID.*

(d) Quæ videlicet Isauriæ conterminant, veluti Pamphilia, Cilicia, Lycaonia, Pisidia, vt ex ipsa Topographia patet, ac præterea ostendit Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 2.* & *extremo lib. 19.* & *libr. 27. cap. 9.* & Vopiscus *in Probo cap. 16. 17.* Quinimo & ipsa Isauria cuius Metropolis Seleucia, vide Ammianum Marcellinum *d. lib. 14. cap. 2.* IDEM.

(e) Maluit Triboni anus, *Præsides*: quod idem est. *ID.*

(f) A te scilicet Præfecto Prætorio: Fuit quippe hoc Præfectorum Prætorio munus, cuius rei testimonia *hoc Codice* infinita occurrunt. *ID.*

(g) *Vt in quæstionibus Latronum, & maxime Isaurorum*: ita Tribonianus: aduersus *h. l.* sententiam Historicam, de quo mox. *IDEM.*

(h) *Nullum Quadragesimæ diem*, repetita voce, *diem*, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, nullum diem totius Quadragesimæ. Tribonianus tamen ita maluit, quasi iam clarius: *Nullum Quadragesimæ tempus. ID.*

(i) De *Paschalis* diei sanctitate dictum est *ad l. 2. sup. de feriis*: & dicetur ad *titulum infr. de indulgent. crimin.* & *ad leg. vlt. infr. de Spectaculis. ID.*

(k) Isaurorum. *ID.*

(l) *Et in hoc*, ita *Cod. Iust.* vocula, *Et*, addita: id est non tantum in cæteris, verum etiam in hoc. *ID.*

(m) *Speretur*: Et ita habet *Codex Iust.* quanquam nostrum hoc defendi potest. *ID.*

(n) Prouincialium; imo Prouinciarum integrarum. Non absimilis porro est ratio *legis 2. Cod. Iust. de feriis. ID.*

(o) *Martii*, C. Iust. forte hic scribendum compulsis literis: *Datu. Kal. Maii*: non *Dat. V.* id est, ipso Arcadii die denatali seu emortuali. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 256

ISAVROS latrones nullo non totius Quadragesimæ quæ Pascha præcedit, imo vel ipso Paschalis die, quæstionibus & tormenris subiici iubet hac constitutione Theodosius Iunior A. D. 408. Ea ratione quam addit, quæque ex iis quæ mox subiiciam plenius elucebit. De quibus etiam nonnulla iam occuparunt Alciatus *3. Dispunct. 20.* Duarenus *2. Dispunct. 1208.* Si in priuatis scilicet rebus ad

ad publicam tamen vtilitatem quodammodo pertingentibus, ferias non seruare licet, (de quo est *lex 2. Cod. Iust. de feriis: & Capitulum 3. X. de feriis*, & decantatum Scæuolæ responsum *apud Macrobium Saturnal. lib. 1. cap. 16.*) multo magis in quibus Reipub. summa versatur, & quibus neglectis ciuitas & Respub. stare non possit. Quam in rem est insignis & geminus locus Ciceronis *orat. pro Cælio, cap. 1. init.* vbi de Cælii accusatione festis diebus agitata agit; *Si quis nunc adsit, ignarus legum, iudiciorum, consuetudinis nostræ, miretur profecto, quæ sit tanta atrocitas huiusce causæ, quod diebus* FESTIS *ludisque publicis, omnibus negotiis forensibus intermissis, vnum hoc iudicium exerceatur. nec dubitet, quin tanti facinioris reus arguatur,* VT EO NEGLECTO, CIVITAS STARE NON POSSIT. *Idem cum audiat legem, qua, De seditiosis consceleratisque ciuibus, qui armati Senatum obsederint, magistratibusque vim attulerint, Rempublicam oppugnarint,* QVOTIDIE QVÆRI *iubeat, legem non improbet, crimen, quod versetur in iudicio, requirat?* Tale igitur omnino est Isaurorum latronum crimen, de quibus hæc *lex* est, quæ tota arguit quam infesti Isauri his Theodosii Iunioris temporibus, quamque scelerata horum consilia fuerint, in infestandis sibi vicinis Prouinciis, veluti Lycia, Pamphilia, Cilicia, Lycaonia, Pisidia & Isauria ipsa, vt de his captis quæstiones per ferias Paschales agitari voluerit ad procurandam multorum salutem & incolumitatem. Sane *Isaurorum* gentem ab antiquo latrociniis semper infamen fuisse disces ex Strabone, *lib. 12. pag. 853. 854. edit. Almeloueen.* Dione *lib. 55. ad an. V. C. 759.* Eutropio *lib. 6. cap. 3.* Floro, *lib. 93. Liuii Epitomati*, Trebellio Pollione *in Trebelliano Tyranno n. 25.* Vopisco *in vita Probi Imperatoris c. 16, 17.* vbi videbis etiam qua ratione Probus Isauris istis obuiam iuerit: sed præstat ipsum Vopiscum audire. *His gestis Orientem petiit, atque in itinere potentissimo quodam Latrone Palfurio capto & interfecto, omnem Isauriam liberauit: Populis atque Vrbibus Romanis legibus restitutis, Barbarorum qui apud Isauros sunt, vel per terrorem, vel per voluntatem loca ingressus est: quæ cum peragrasset, hoc dixit, Facilius est ab istis locis Latrones arceri, quam tolli. Veteranis omnia illa quæ anguste adeuntur Loca priuata donauit: addens, vt eorum filii ab anno octauo decimo mares duntaxat ad militiam mitterentur; ne ante latrocinari quam militare discerent. Pacatis denique omnibus* PAMPHILIÆ *partibus, cæterarumque Prouinciarum quæ sunt* ISAVRIÆ *vicinæ, ad Orientem iter flexit.* Pollionis quoque locus insignis *in Trebelliano n. 25.* sternendus hic est: Posteaquam enim Trebellianum in Isauria Tyrannum a Gallieni Duce victum & occisum dixit; subiicit: *Neque tamen postea Isauri, timore ne in eos Gallienus sæuiret, ad* ÆQVALITATEM *perduci quauis Principum humanitate potuerunt. Denique post Trebellianum pro Barbaris habentur: & quum in medio Romani nominis solio Regio eorum sit, nouo genere custodiarum quasi Limes includitur, locis defensa non hominibus. Nam non sunt statura decori, non Virtute graues, non instructi armis, non consiliis prudentes, sed hoc solo securi, quod in editis positi adiri nequeunt: quos quidem Diuus Claudius pene ad hoc perduxerat, vt a suis semotos locis in Cilicia collocaret, daturus vni ex amicissimis omnem Isaurorum possessionem, ne quid ex ea postea rebellionis oriretur.* Qui quidem Pollionis locus eo notabilis est, quia scribebat ista Trebellius sub *Diocletiano Imperatore & Constantio Cæsare*, cui Constantinus successit, & quod de illis temporibus testatur, *Isauros ad æqualitatem*, id est, ad vitam ciuilem & pacatam, Principum humanitate nulla perduci potuisse, ideoque regionem eorum, etsi in medio imperio Romano sitam, nouo tamen custodiarum genere non aliter ac limitem Imperii inclusam. Quod vtrumque secuta tempora testantur, id est tempora illa omnia Imperatorum Christianorum, quorum constitutiones *hoc Codice* continentur. Sane de *Constantii* (qui illius, quem Pollio memorat, nepos fuit) temporibus, duobus locis fidem facit Ammianus Marcellinus in Gestis Anni 353. prolixissime *lib. 14. cap. 2. & extremo lib. 19.* in Gestis Anni 359. Inter alia hæc eius verba notentur *d. c. 2. Isauri*, inquit, *quibus vsitatum est sæpe pacari, sæpeque inopinis excursibus cuncta miscere, ex latrociniis occultis & raris, alente impunitate adulescentem in peius audaciam, ad bella grauia proruperunt, diu quidem perduelles spiritus irrequietis motibus erigentes, hac tamen indignitate perciti vehementer, vt iactitabant, quod eorum quidam capti consortes, apud Iconium Pisidiæ oppidum in Amphitheatrali spectaculo feris prædatricibus obiecti sunt præter morem*, &c. vbi vides pariter insolens supplicii genus in hos Isauros latrones exercitum, pariter vt *hac lege*, insolens, quæstionis genus, vel potius ad id faciendum tempus: Quamquam alias quoque idem supplicii genus captiuis & irrequietis maxime & latrocinii specie Imperium Romanum subinde lacessentibus populis impositum comperio, veluti Francis & Saxonibus. De Francis iam alibi dixi: de *Saxonibus* fidem facit Symmachus *in Epistolis.*

Ad propiora *legi* nostræ tempora descendamus. Sub Valente Ammianus Marcellinus rursum in Gestis Anni Domini *369. lib. 27. cap. 9.* & Zosimus *lib. 4. Histor. cap. 20.* Isauros in Lyciam, Ciliciam, & Pamphyliam irrupisse, & latrocinia sua peregisse testantur. Vbi & illud notandum, quod Zosimus ait, Isauros ab aliis dictos *Pisides*, ab aliis *Solimos*, ab aliis *Cilicas Montanos.* Quin & (vt ad hanc *legem* proxime accedam) sub *Arcadio* multa de his Ioannes Chrysostomus queritur ante quadriennium A. 484. cum in exilium iret, Cæsareæque esset, mox & exilii sui Cucusi in Tauro in Cicilia tempore: Nempe ad *Olympiadem ep. 13. & 14.* ad *Diogenem ep. 134. & ad Gemellum 194. & ep. ad Theodotum, ex Consularibus 61. & ep. ad Theodotum Lectorem 136. & ep. ad Theodotum Diaconum 140.* & aliis multis: quibus locis ostendit, quam formidabiles illi fuerint & quot mala patrauerint. Videndus etiam Theodoretus, vbi de Iacobo Anachoreta *in Religios. Historia*, siue *de vita Sanct. Patrum, in Iacobo, c. 21. pag. 865. Tom. III. Opp. edit. Paris. 1642.* Sed & Synesius, non *vna epistola* hoc ipso tempore; & Zosimus superiore Anno 404. *lib. 5. c. 25.* Isauros eo tempore in Pamphiliam incursasse prolixe narrat, & ad hos comprimendos missum ducem Arbazacium (cuius meminit etiam Synesius *ep. 134.* vbi Artabazacus vocatur) in Pamphiliam, qui Isauros latrones fuga dilapsos intra montes persequutus fuerit, complures eorum vicos cœperit, virorum multitudinem non exiguam interfecerit. Subiicit hunc eundem Ducem in potestatem eos prorsus facillime redacturum fuisse, & vicinis oppidis securitatem pa- P. 257.
raturum, nisi deliciis fœdisque voluptatibus deditus de vigore suo multum remisisset, & pecuniis ab Isauris acceptis corrumpi se passus fuisset. Addit, ob hanc præuaricationem Ducem illum in aulam reuocatum sistendum & condemnandum iudicio: Verum instans iudicium eum effugisse parte pecuniæ ab Isauris acceptæ Imperatoris vxori tradita.

Tandem subiicit (quod ad hanc *legem* nostram omnino pertinet) Isauros latrones hactenus clandestina latrocinia exercuisse: mox vero aperte, *vicinas Prouincias* & gentes infestasse: τὰ μὲν Ἰσαύρων ἐν λαθραίαις ἦν ἔτι λῃστείαις, οὔπω πρὸς φανερὰν ἐπανάστασιν κατὰ τῶν πλησιαζόντων ἐθνῶν ἀναστάντα. Hæc scilicet illa sunt, quæ *hac l.* dicuntur *Scelerata Isaurorum consilia*: Quibus mox vt Imperio potitus Arcadii F. Theodosius *h. l.* occursum voluerit. Tandem in *Glossario Nomico*, Ἴσαυροι οἱ ἅρπαγες, οἱ φονεῖς

φονεῖς καὶ οἱ χοσιάριοι: de Isauris vide & *l. vlt. Cod. Iust. ad leg. Iul. de vi.* vbi Buccellarios Isauros & seruos armatos in ciuitatibus & agris habere interdicitur. Nempe enim his multi vsi, siue ad præsidium, siue ad vim inferendam, tanquam armatis & ferocibus. Et vero hac causa prætenturæ militum in Isauria collocatæ quod alterum in *Pollionis* verbis notandum dixi, atque adeo Comes Isauriæ institutus cum tribus legionibus, vel etiam duabus, de quibus vide Ammianum Marcellinum *d. l. 14. c. 2. & extremo lib. 19. & lib. 27. cap. 9. & Notitiam Imperii*, quæ sub Theodosio Iuniore *huius legis* authore confecta, & viginti ferme post annis conscripta fuit; cum alioquin insolitum fuerit, vt in medio Romani Imperii solo, regio aliqua, aliquo custodiarum militarium genere includeretur, quod in limite Imperii tantum factum, vt Trebellius Pollio *superiore loco* obseruabat. Postremum de Isauris ad hanc rem plura dicenda haberemus, si superessent Capitonis Lycie *Isauricon libro octo*, quorum meminit Suidas *in voci* Καπίτων: qui & idem de Lycia & Pamphylia scripserat.

Porro Theodosio Iun. *hanc l.* tribuendam, non vero Arcadio, ostendit *huius l.* Inscriptio; vtpote in qua solius *Honorii & Theodosii* nomina occurrant. Et subscriptio tamen reclamat, quæ adnotatum habet diem *V. Kal. Maii:* in Cod. Iust. *V. Kal. Mart.* quo sane tempore Arcadius adhuc viuebat, vtpote qui Kal. Maii primum diem obierit, teste Socrate: nil enim Theophanem moror, qui *XI. Kal. Sept.* mortuum scribit. Itaque Arcadio potius tribuenda videatur, cuius nomen exciderit in Inscriptione: pariter vt videatur excidisse in *l. vlt. inf. de equorum collat.* quæ iisdem Coss. data dicitur, *III. Id. April.* De quo vide quæ Petauius *de Doctrin. Tempor. lib. 13. ad an. 408.* & Petitus in *leges Atticas*, *p. 53.*



VT INTRA ANNVM CRIMINALIS ACTIO TERMINETVR.

TITVLVS XXXVI.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XLIV.

Vbi *Titulus* ita immutatus: *Vt intra certum tempus criminalis quæstio terminetur. GOTHOFRED.* MS. W. habet, *criminalis quæstio terminetur*, MS. G. *crimin. quæstio conquiescat.* Sichard. prior. Cuiac. & illa in Quarto, loco vocis *actio*, exhibent *quæstio. RITTER.*

PARATITLON.

CRIMINALEM ACTIONEM, *Rubr.* Criminalem causam, *l. 2. h. t.* accusationem, *l. 1. h. t.* cœptam, *d. l. 1. h. t.* terminare, *Rubr.* prosequi, *l. 1. h. t.* accusator, *d. l. 1. h. t.* debebat intra annum, *Rubr.* intra anni tempus, *l. 1. h. t.* intra anni curricula, metas, seu spatium, *l. 2. h. t. & l. 2. sup. ad leg. Cornel. de falso.* Qui quidem annus a die Inscriptionis numerabatur, *d. l. 2. h. t.* vel etiam a testatæ apud Iudicem competentem actionis auspicio, in specie *d. legis 2. sup. ad leg. Cornel. de falso.* Hunc igitur finem litigantem disceptantemque fas non erat excedere, *d. l. 2. de falso:* alioquin hoc spatio emenso accusator pœnam subibat, quasi ab accusatione destitisset, de qua vide *legem 1. & 2. h. t.* Nisi intra annum consensus partium abolitionem poposcisset, *l. 2. h. t.* de quo suo *tit. de abolitionibus.*

P. 258 I. (a) Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS, & Arcad. AAA. Desiderio (b) Vic. Asiæ.

QVISQVIS accusator reum in iudicium sub inscriptione (c) detulerit, si intra anni (d) tempus accusationem cœptam prosequi (e) supersederit, vel (quod est contumacius) vltimo (f) anni die adesse neglexerit, quarta bonorum omnium parte multatus, aculeos consultissimæ Legis incurrat; scilicet manente infamia, quam Veteres † iusserant (g) sanctiones. Dat. IV. Id. Iul. Treu. (h) Arcad. A. I. & Bautone Coss. (385.)

INTERPRETATIO. *Quicunque inscriptione* (i) *præmissa cuiuscunque criminis reum accusare voluerit, ab eo die quo inscripsit, intra annum peragat propositam actionem,* (k) *qui si distulerit, infamis effectus, bonorum suorum quarta parte multabitur.*

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) *Desiderius* Vicarius Asiæ sub Theodosio M. *ID.* MS. G. legit, *Desiderato.* RITTER.

(c) Vid. *sup. tit.* 1. *de accusat. & Inscriptionib.* GOTHOFRED.

(d) *Statutum tempus.* Ita Tribonianus. *ID.*

(e) *Persequi,* Codex Iustinian. *ID.* *Persequi* legit MS. W. & Sichard. RITTER.

(f) *Vltima die.* Ita Tribonianus. GOTHOFR.

(g) *Iusserunt.* MSS. W. G. & Ed. Sichard. RITTER.

(h) Vel hæc subscriptio vitiosa est, vel inscriptio: *Treueris* enim hoc tempore nemo Imperatorum consistebat, sed Maximus Tyrannus ei incubabat, qua causa & *Treuericus Imperator* dici meruit. Deinde non idem Treuerim in Imperii sui parte habere potuit, & idem Asiam; cuius Vicario hæc *lex* inscribitur. Itaque alia hic vrbs quam *Treueris* Galliarum accipienda est. GOTHOFR.

(i) *Scriptione* MS. W. quomodo & in lege ipsa *supra*, *sub scriptione,* quam lectionem etiam MS. G. habet, & Edit. in 4. RITTER.

(k) *Propositas actiones,* MSS. W. G. IDEM.

(l) *Quod si,* MS. W. IDEM.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc constitutio est, de spatio seu tempore, intra quod criminalis actio terminari debet: TERMINANDIS scil. criminalibus causis seu cœptis exequendis, iure Romano Tempus breue præstitutum erat, & breuius quidem quam ciuilibus causis postea a Iustiniano: reorum scilicet fauore, ne diu in reatu aliquis esset, atque in situ & squalore carceris conficeretur: Breuiter vt vel conuictum velox pœna subduceret, vel innocentem diuturna custodia non maceraret, *l. 6. sup. de custod. reorum.* Qua ipsa ratione Augustus apud *Suetonium cap. 32. Diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud, quam voluptas inimicis quæreretur nomina aboleuit,* &c. Qua item ratione constitutum, vt si diutino tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus pœna eius subleuaretur: *l. 25. D. de pœnis.* Reorum igitur fauore maxime breue tempus præstitutum, & criminalibus causis cœptis, exequendis. Ne iudicio protracto diutius affligantur, vt Græci Interpretes hanc quoque quæstionem tractantes senserunt ad *lib. 60. Basilic. tit. 65.* Quæ ipsa causa etiam est, cur Iustinianus breuiorem, quam ciuilibus causis, criminalibus terminum præstituerit, *l. 13. Cod. Iust. de Iudiciis:* & *l. vlt. Cod. eod. vt intra certum tempus.* Quandoquidem iniquissima conditione sunt, qui dum ex vinculis causam dicunt, nec manumittere possunt: *l. 8. D. de manumiss.* nec donare, *l. 15. D. de donat.* nec testimonium dicere, nec accusare, *l. 12. sup. de accusat. leg. 3. §. 5. D. de testib.* nec honores petere, *l. 7. D. de munerib. l. vn. Cod. Iust. de reis postul.* vide & Salustium & Asconium *de Catilina.*

Porro huic rei annus præstitutus erat vetustissimo iure, quod *h. l.* & *l. 2. prox.* & *l. 2. sup. ad leg. Cornel. de fals.* quoque constitutum. Idque etiam indicat Seruius in illum locum Virgilii 1. Æneid. *v. 102. Si omnes vno ordine habetis Achiuos.* Verum id immutatum postea biennio a Iustiniano. Hinc factum, vt cum hasce *leges* in *Codicem* suum Tribonianus referret, in *legem 1.* inquam, & *secundam, Tit. vt intra certum* &c. & in *leg. 22. Cod. Iust. de falsis,* eas sic interpolauit, vt *anni* mentionem vbique tolleret: quin & *Titulum* huic respondentem ita conciperet, *Vt intra certum tempus criminalis quæstio terminetur.* Quod & ipsum fecit *l. 21. §. 5. D. ad municip.* Et idem tamen Tribonianus huius annui temporis criminalibus causis exequendis præstituti vestigium reliquit *in l. 7. D. de munerib.* & alterum in *l. 15. §. 5. D. ad SC^tum. Turpill.* quæ quidem Tribonianeæ oscitantiæ seu non curantiæ exempla sunt, quod Cuiacius notauit, *I. Obs. 8.*

Porro hic notanda, Primo, pœna intra annum cœptam accusationem non exequentis, negligentis, moratoris frustratorisque. Scilicet duplex pœna huic imponitur. Prima quidem *infamiæ*, quæ & olim imposita erat; qui intra tempus legitimum non perageret reum; iure veteri seu veteribus sanctionibus constituta erat, vt hæc *lex* testatur, *Infamia,* atque adeo in pœnam Sc.ti Turpilliani incidebat, *d. l. 15. §. 5.* Quod vt *hac lege* constituitur, ita & ipsum rursum statuitur *l. 2. prox. Quo* inquit [anno] *emenso habeat accusator, quia destitit, pœnam sibi legibus constitutam: & si persona vilior fuerit cui* DAMNVM FAMÆ *non sit iniuria, pœnam patiatur exilii.* Altera pœna *h. l.* adiicitur, multæ *quartæ partis bonorum.*

Secundo obseruandum, a die inscriptionis annum hunc numerari, quod vt *h. l.* ita *l. 2. prox.* inculcatur: Si videlicet accusatio sub inscriptione fieret, id est, quibus casibus ab accusatore inscriptio requireretur: si vero inscriptio non requireretur, a die litis & actionis simpliciter contestatæ, vt docuit *lex 2. sup. ad leg. Cornel. de falso.* Quod ipsum probauit Iustinianus *in l. vlt. C. Iust. hoc eod. tit.* & *l. 22. C. eod. ad leg. Cornel. de falsis.* Breuiter hoc iure vbi & quando inscriptio in crimen exigebatur, ab inscriptione annus numeratus est, vbi vero inscriptio non exigebatur, a die litis simpliciter contestatæ. Quæ posterior distinctio Cuiacio, cum in mentem non venisset, *d. l. 2. supr. de falso:* minus recte interpretatus est, vt *ad eam legem* ostendi. Idemque *IX. Obs. 21.* inter ius vetus & nouum non recte distinxit: quasi iure veteri ab Inscriptione tempus anni duceretur: nouo a lite contestata: cum tamen *l. 2. sup. de falso*, quæ iuris veteris est, a lite contestata ducatur. P. 259

Tandem *h. l.* obseruentur hæc verba: *Vel quod est contumacius, vltimo anni die adesse neglexerit.* Contumacia scil. maior est, vel extremo anni die abesse: Non tanta est medio tempore accusationem non prosequi. Potuit enim vel vltimo die si adfuisset iudicium terminari. Similis contumaciæ exemplum vide *l. 1. §. 1. D. si quis ius dicenti.* Denique qui obdurat in negligentia ad diem extremum vsque temporis legitimi, amplius punitur, quia tunc palam est, reum non distulisse, sed plane destitisse, vt ait *lex 2. infr.*

II. (a) Impp. Honor. & Theod. AA. Cæciliano P. P. (b) Post alia.

NOverint Iudices, cuilibet culmini honoriue præsidentes, necessariis vtrique parti (si petantur) dilationibus non negatis, a (c) die inscribtionis, intra anni (d) curricula criminales causas limitandas: (e) quo emenso, habeat (f) accusator, quia (g) destitit, pœnam sibi legibus constitutam: Et, si persona vilior fuerit, cui damnum famæ (h) non sit iniuria, pœnam patiatur exilii: Nisi forsitan (i) intra anni (k) metas consensus (l) partium abolitionem poposcerit. In (m) Iudicum autem debet esse diligentia, vt si nulla rationabilis a reo, vel accusatore dilatio postuletur, vrgueant talium causarum notionem, non expectatis anni (n) moris: Si (o) vero accusator, vel reus, (propter documenta forsitan sibi necessaria) annum voluerint custodiri, dare adsensum debet patientia Cognitoris, in alteram partem seueriorem formatura sententiam, &c. Dat. XII. Kalend. Feb. Rau. Honorio VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

Interpretatio. *Iudices qui inscriptione præmissa criminalia negotia audire cœperint, a die inscriptionis si inducias aut accusator aut reus petierit,* (p) *intra annum præstare debebunt, vt hæc actio intra anni curriculum finiatur. Quod si accusator intra annum quæ proposuit probare distulerit, absoluto reo, pœnam suscipiat lege superiori* (q) *comprehensam. Quod si talis persona sit, ad cuius deformitatem infamia non pertineat, exilio deputetur.* (r) *Tamen si inter accusatorem & reum, ita Iudice præsente conuenerit, vt pro instructione* (s) *vtriusque partis anni integri induciæ tribuantur, debet a Iudice non negari, futurum, vt pars quæ post inducias fuerit superata, districtiori sententia feriatur.*

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem *huic* est *lex 5. & l. vlt. sup. de exhib. reis: lex vn. sup. ne pastoribus dentur: l. 3. inf. de superexactionibus: lex 13. inf. de fide testium.* Imo & *lex vlt. sup. de custod. reorum: l. vlt. sup. de maleficiis: lex vlt. inf. de abolitionib.* quæ tres postremæ *VIII. Kal. Feb.* diem subscriptum habent. *GOTHOFR.*

(b) *Cæcilianus* PP. (Italiæ scil.) sub Honorio vid. *Prosopogr. ID.*

(c) *Præcedentibus scilicet inscriptionibus:* ita Τρίβον. *ID.*

(d) *Intra certum tempus:* Τρίβον. Huius immutationis causa repetenda ex dictis ad *l. superiorem. ID.*

(e) id est, terminandas, & tanquam limite finiendas. *ID.*

(f) *Subeat,* Cod. Iust. *ID.*

(g) *Qui destitit,* C. Iust. non ita bene. Hoc enim verbo indicatur causa: *Destitisse* videtur, qui anno causam criminalem non terminat: & velut destitisset, in Turpilianum incidit. *IDEM.*

(h) *Damnum famæ,* est infamia. *ID. Damnum infamiæ,* MS. W. *cui infamiæ non sit iniuria,* MS. G. *RITTER.*

(i) *Forte,* Cod. Iust. & Sichard. *IDEM.*

(k) *Intra statuti temporis metas,* Τρίβον. eadem causa, qua *supra. GOTHOFRED.*

(l) *Consensu,* MSS. W. G. & Sichard. *RITTER.*

(m) *Iudicum autem debet esse diligentia.* Ita *Codex Iustin. GOTHOFR. In iudicio,* MS. G. *RITTER.*

(n) *Expectatis moris,* Τρίβον. subducta hic tertium iam *anni* mentione. *GOTHOFR. Expectata anni mora,* MS. G. *RITTER.*

(o) Sequentia recidit omnia Tribonianus. *GOTHOFRED.*

(p) *Petierint,* MS. G. *RITTER.*

(q) *Superius,* MS. G. & Sichard. *ID.*

(r) *Deputabitur,* MSS. W. & G. *ID.*

(s) *Inscriptione,* MS. G. & Ed. Sichard. *ID.*

COMMENTARIVS.

HAc Honorii pariter constitutione Terminandis causis criminalibus, vt superiore Theodosii M. *lege,* annus a die Inscriptionis præstituitur: Quæ quidem *lex,* pars est maioris constitutionis ab Honorio promulgatæ, *de processu criminali,* vt ostendunt *leges* illæ omnes quas huic nostræ coniungendas iam in *Notis* docui: In quo tractatu hæc duo capita occurrunt; Primum *de accelerando iudicio criminali:* Alterum vero de *temerarii & Moratoris accusatoris pœna.*

Potissima *huius legis* pars ad prius caput pertinet. Anno scil. terminandæ actioni criminali præstituto (de quo *ad legem superiorem* plenissime) an & quatenus dilationes in iudicio criminali dari debeant, *hac lege* definitur. Vult itaque Honorius dilationes vtrique parti, id est tam accusatori quam reo a Iudice quidem dari; sed neque *passim,* neque *longiores.* Non passim: Non nisi necessaria quippe de causa dilationes dari vult, proinde si nulla sit rationabilis causa, causam accelerari & a Iudice terminari iubet, non expectato anni termino: si vero necessariæ sint dilationes forte propter documenta siue instrumenta necessaria, nihilominus causa annum egredi non debet. Quæ duo ostendunt annum criminalibus actionibus terminandis præstitutum; non vt aut Iudici aut Accusatori integrum hunc ferme annum ducere liceat, intacto rei iudicio, sed ne hunc annum *transgredi* liceat, vt maxime dilationes rationabiles vel necessariæ siue reo siue accusatori tribuendæ sint. Annus denique præstitutus,

tus, ne cum egredi liceat, non etiam vt neciteriore termino criminalis actio terminari possit & debeat. Quod & ipsum *initio legis superioris* indicari videtur. Est scilicet hoc breue tempus anni in rei fauorem
p.260 constitutum, ne diutius in squalore & reatu maneat. Quo pertinet etiam *lex vlt. sup. de custodia reorum:* quæ huic inter cæteras coniungenda est: At non etiam in accusatorum fauorem, quasi delato semel reo liceat ei accusationem morari, & iudicium toto ferme anni tempore protelare. Simile temporis laxamentum est, quod quidem rei contemplatu tantum tribuitur, neque Accusatori quidquam prodest, quod constituitur *l. vlt. sup. de exhibendis reis*: quæ & ipsa *huic* nostræ coniungenda est. Beneficio denique quod reo tribuitur, accusator non vtitur.

Alterum *huius legis* caput est de pœna, Negligentis, moratoris accusatoris. Qui & ipse quodammodo ab accusatione desistere dicitur: destitit quoque qui intra tempus accusationi præstitutum, non peregit; *hac leg.* vt nominatim dicitur & *l. 1. §. 10. l. 6. §. 2. D. ad SC. Turpill.* Pœna igitur *desistentis* est, vt iam quoque dictum *lege superiore*, infamiæ, vel etiam exilii, si vilis sit persona, & cui famæ detrimentum non sit pœnæ loco. Scilicet quæ in honestioribus pœna infamiæ est, ea exilii pœna est in vilioribus. Huc pertinet *lex 35. D. de iniuriis.* Excipitur ab hac desistentis pœna, si vtriusque partis consensu *abolitio* impetrata fuerit, de quo erit dicendi locus ad *l. vlt. infr. tit. prox. de Abolitionib.* quæ & ipsa huic *legi* nostræ coniungenda est. Et sane proximus ille titulus de Abolitionibus huic *exceptionis* vice cohæret, vt ex eo apertius constabit: & quæ dicam ad *l. 3. illius tituli.*

Item hæc *lex* ostendit, consensum partium non posse efficere, vt liceat Iudici iudicium criminale proferre vltra annum. Non plus valere potest pactio priuatorum, quam ius publicum. Constitutio siquidem hanc *legem* Iudici dixit, scilicet si non sit causa proferendæ criminalis causæ in annum, si possit eam Iudex citius dirimere & nulla sit causa dandæ dilationis, debet Iudex eam mox finire, non expectatis anni moris, *nisi actor & reus* (inquit *lex*) voluerint communi consensu annum a Iudice obseruari, dum sperant interim se habituros complura documenta litis suæ: nam Volentibus litigatoribus annum obseruare, assentiri debet Iudex. Voluntas igitur litigatorum aliquid potest, sed intra legitima tempora: vltra legitima tempora nil potest. Itaque si voluerint vltra annum seu legitima tempora proferri, consensus eorum nil efficiet. Ex *huius* igitur *legis* argumento deciditur quæstio Interpretum ad *l. properandum*, an tempora terminandis causis præscripta, partium consensu prorogari possint? Quod ex *hac l.* omnino negandum est: siquidem hæc tempora, non modo fauore reorum, sed & excitandæ Iudicum diligentiæ præstituta sunt: vt docet hæc *lex*, & hæc nominatim eius verba: *In iudicum autem* DEBET *esse* DILIGENTIA &c. Et quidem, quod notandum, quicunque Iudices sint, *cuilibet culmini honoriue præsideant*, id est, etsi Illustres, etsi Præfecti Prætorio, cuiusmodi erant Cæcilianus, cui hæc *lex* inscribitur. Quare nulla hic dignitatis habetur ratio, quin par omnium Iudicum conditio esse debet, par studium in terminandis actionibus criminalibus, ea ratione quam edisserui ad *l. 1. sup.* Denique non adeo deterior reorum conditio esse debet, vel accusatoribus vela laxanda, quod apud Illustrem potestatem criminalis actio instituitur. In quo tamen indulsisse sibi ex *hac leg.* eos colligimus: forte obtentu negotiorum.



DE ABOLITIONIBVS.

TITVLVS XXXVII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XLII.

Quam recte autem hic *Titulus* superiori cohæreat, ostendit illius *lex 2.* huius vero *lex vlt.* In *Cod. Iust.* hic titulus superiori præmittitur: sed eadem ratione. *GOTHOFRED.* In MSS. W. & G. Titulus cum glossemate Gothico apparet: *De Abolitionibus. Abolitio est obiecti criminis;* additum in Cod. G. *absolutio. RITTER.*

PARATITLON.

ABOLITIO, *Rubr.* & *l. 1. 2. 3. 4. seu vlt. h. t.* & *l. 2. seu vlt. sup. tit. prox. Vt intra annum criminalis &c.* & *l. 2. sup. ad leg. Iul. de adulteris.* alia est publica, *l. 3. h. t.* quæ & Indulgentia criminum dicitur, de qua erit *Titulus proximus.* Alia vero abolitio priuata, *l. 3. h. t.* quæ huius *Tituli* propria est. Est autem ab accusatione desistendi, accusationis omittendæ, Symm. 10. *ep. vlt.* facultas, quam accusator post strepitum accusationis exortæ, *l. 1. h. t.* postulabat, *d. l. 1. h. t.* petebat, *l. vlt. h. t.* & Symmachus *d. ep. vlt.* poscebat, *l. vlt. sup. tit. prox.* accipiebat, *l. 2. h. t.* ei præstabatur, *d. l. 2. h. t.* tribuebatur, *l. vlt. h. t.* qua accepta accusator ad docenda ea quæ detulerat non vrgebatur, seu de quæstione liberabatur, *d. l. 2. h. t.* Hinc latebra abolitionis dicitur, *d. l. 2. h. t.* & petitio ipsa abolitionis, nouæ miserationis vox: *l. 1. h. t.* postulata humanitas, *d. l. 1. h. t.* Porro abolitione compesci poterant pleraque crimina, etiam adulterii, *l. 2. ad leg. Iul. de adulteris:* Alioquin non dabatur abolitio nisi causa inquisita, *d. l. 1. h. t.* Primum enim non dabatur fallaciter incusantibus, maxime post exhibitionem accusati, *l. 3. h. t.* Item non dabatur, nisi Rei consensu accedente, postquam reus iam aliquid iniuriæ tolerasset, veluti carcerem, tormenta, verbera, catenas: *l. 2. h. t.* vel si triginta dies postquam officii custodiæ fuerat traditus, p.261. efflu-

effluxissent, *l. vlt. h. t.* Nam si non effluxissent, inuito etiam reo abolitionem accusator petere poterat, *d. l. vlt.* Denique non dabatur, etsi consentirent partes in nonnullis criminibus, puta in Maiestatis crimine, perduellionis, peculatus, desertæ militiæ, &c. *l. 2. h. t.* Item si testes iam tormentis vexati fuissent: *l. vlt. h. t.* Postremo si depectione accusator ab accusatione desisteret, *l. 1. h. t.* Breuiter sic generali hac sententia totum hunc *Titulum* includo: Abolitionem accusatori dari nisi reus manifestus reus sit, *l. 1. h. t.* nisi accusator manifestus calumniator, *l. 3. h. t.* Postremo, nisi ea abolitione Reipub. *l. 2. h. t.* vel reo, *d. l. 2. h. t.* aut testibus, *d. l. 2. h. t.* iniuria fiat.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Ianuarium (b) P. V. (c)

SI post strepitum (d) accusationis exortæ abolitio postuletur, causa nouæ miserationis (e) debet inquiri, vt si citra depectionem (f) id fiat, postulata humanitas (g) præbeatur: sin aliquid suspicionis extiterit, quod manifestus reus, depectione (h) celebrata, Legibus subtrahatur, redemptæ miserationis (i) vox minime admittatur, sed aduersus nocentem reum inquisitione facta pœna conpetens exeratur. Dat. VI. Kal. Decemb. Serdicæ, Constantino A. V. & Licinio C. Coss. [319.]

INTERPRETATIO. (k) *Si quem pœnituerit accusasse criminaliter, & inscriptionem fecisse de eo quod probare non potuerit, si ei cum accusato innocente conuenerit, inuicem se absoluant. Si vero Iudex eum qui accusatus est, criminosum esse cognouerit, & inter reum & accusatorem per corruptionem de absolutione reatus conuenerit, is qui reus probatur, remoto conludio, pœnam excipiat legibus constitutam.*

NOTAE.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est. *GOTHOFR.*

(b) *Ianuarinum*, MS. W. & impressi omnes præter Sichard. *RITTER.*

(c) Ita quoque *Codex Iustin.* Et tamen Achaiæ Proconsulem hunc eundem fuisse ostendere videtur *lex 2. sup. de accusationib.* Sane autor peruetustus qui *Notitiam Præfectorum Vrbis centum annorum, ex temporibus Gallieni*, id est, ab A. D. 254. ad annum 354. conscripsit; huius non meminit. *GOTHOFR.* Vide quæ obseruat Noster in *Chronologia* h. a. *RITTER.*

(d) *Strepitus* accusationis exortæ, est iam inchoata accusatio, iam contestata, iam inscriptione facta, iam exhibito reo, vide *l. 1. C. Iust. ad SCtum. Turpill.* Pari sensu negotii criminalis strepitus, *l. 8. sup. de accusat.* *GOTHOFR.*

(e) *Miserationis* voce hic, & mox, abolitionis petitio significatur. *ID.*

(f) In Codice Iust. legitur, *deceptionem.* *Depectio* hic, & mox, est turpis pactio habita cum reo, vt accusator ab accusatione desistat & abolitionem petat. *Corruptionem* Interpres recte interpretatur. De quo consule *Glossarium.* v. & Cuiac. II. *Obseru.* 15. *ID.*

(g) *Humanitas*, pro abolitione & facultate desistendi ab accusatione. *ID.*

(h) Id est, accusatore pecuniis a reo corrupto, vt Tribonianus recte interpretatur. *ID.*

(i) Ita redempti nutricum discursus, *l. 1. sup. de raptu Virginum.* & alia his similia, quæ vide in *Gloss.* *ID.*

(k) Relata hæc interpretatio & ex parte interpolata in *Capitularia c. 175.* & exinde in *Decretum 2. q. 3. c. si quem 8.* & apud *Iuonem.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CAVSA abolitionis per accusationem petitæ a Iudice examinanda est (vt maxime partibus consentientibus id fieri dicatur) datur enim, *post strepitum accusationis exortæ*, id est, inscriptione iam facta vel reo etiam exhibito, ex SC. Turpilliano, vel quæstionibus iam agitatis: *si per errorem vel calorem ad accusationem quis prosiluit:* (quod Tribonianus *huic legi* addidit) calorem puta iuuenilem, inconsultum calorem, qui vt Papinianus ait, calumniæ vitio caret, *l. 1. §. 5. D. ad Sc. Turpilianum.* Item ob incautam adolescentiam, vt in specie quam tractat, Symmachus *lib. 10. Epist. vlt.* *Eo denique*, inquit, *res rediit, vt a partibus Africani accusationis omissio* [id est abolitio] *desperatione peteretur: superauerat vt crimine non probato in accusatorem formidata reis pœna* [id est talionis pœna] *transiret: Sed cum me Africani militia pariter* [erat enim Africanus Agens in rebus] *atque incauta adolescentia permoueret, malui iudicium de eo Clementibus reseruare.* Item datur, si quis suam, suorumue iniuriam defendit, vt & si propinquum in reatum deduxit, cuius postea misereatur. (Itaque & *l. 2. sup. de adulteris*, statuitur, vt personæ proximæ quos verus dolor ad accusationem impellit, crimen abolitione compescere possint) vt a Triboniano pariter additum est. At non item abolitio datur, si cum reus manifestis probationibus vrgeretur, is accusatorem pecuniis corrupit: atque ita *depectione* habita accusator abolitionem petat. *Vltronea* abolitionis petitio admittitur, non quæ ex depectione proficiscitur. Miseratio admittitur, id est accusator auditur ex iusta miseratione abolitionem petens, at non etiam *redempta miseratio:* vt hæc *lex* eleganter loquitur. Accusatori rei misereri licet, dum ne redemptus, aut depectus sit: Neque enim omnis cuius quis miseretur, miser ilico est, aut pro conuicto habendus: at qui accusatorem redimit, aut cum eo depaciscitur, pro conuicto habetur. Denique maneat hæc Regula *Abolitionem recte peti, nisi reus manifesto conuictus sit aut pro conuicto habeatur.* Vide & *legem 4. D. de iure fisci.* vel *Abolitionem ab accusatore ob iuuenilem forte errorem recte peti: non ob depectionem.* Ergo non obstante petitione abolitionis hoc casu, in reum inquiri, pœnaque ei imponi potest: quod extrema

huius l. verba volunt: *desperatis iam probationibus*, seu *desperatione*, vt Symmachus *d. ep. vlt.* Quæ verba Alciatus perperam *5. paradox. 11.* de accusatore accepit, qui quod ab accusatione destitit, reus factus est: Quam interpretationem etiam refutant hæc, *inquisitione facta*; quæ ad reum, non ad accusatorem pertinent. Quod de *depectione* hic dicitur, P.262. eo pertinet omnino Symmachi epistola 75. *lib. 2. Cum in iudicio Præfecturæ famosa causa penderet; Discolius, qui furti detulerat actionem, multosque nostri ordinis varia criminatione perstrinxerat, occulte cum reis inita* PACTIONE, *non sine Disceptatoris inuidia, elusit examen. Ad huius inuestigationem missus Apparitor, si Prætorianorum adminiculum sortiatur, procliuior facultas retrahendi* ACCVSATORIS *eueniet. Interest igitur publicæ disciplinæ, simulque ad famam pertinet Cognitoris, vt eum summo studio conquisitum reduci in iudicium sub custode præcipias, ne innocentiam Senatorum obnoxia rumoribus suspicio decoloret.*

II. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens, & Gratianus AAA. ad Probum PP. (b)

ACCVSATOR, qui se laqueo (c) legis adstringit, agnoscat, nullum sibi fore ad latebram (d) abolitionis recursum, postquam aliquid iniuriæ (e) merito scribtionis (f) inlatæ tolerarit inscribtus, (g) id est, (h) si vel carcerem sustinuerit, vel tormenta, vel verbera, (i) vel catenas: nisi forte ille, qui hæc pertulit, contemnat, & donet, in se (k) quod pertulit, ac par fuerit tam petitoris, quam petiti in accipienda abolitione consensus. Prius (l) tamen, quam aliquis de quæstione liberetur, sequitur illud, vt plerisque criminibus nec consentientibus quidem partibus præstetur abolitio: vt sunt illa, in quibus aut violata Maiestas, aut patria (m) oppugnata vel prodita, aut Peculatus admissus, aut sacramenta (n) deserta sunt, omniaque ea quæ iure Veteri continentur: In quibus Iudex non minus accusatorem ad docenda quæ detulit, (o) quam reum (p) ad purganda quæ negat, debet vrguere. Dat. Prid. Id. (q) Octob. Treu. Valentiniano NB. P. & Victore COSS. [369.]

Ista lex expositione non indiget.

NOTAE.

(a) *Lex 3. seu vlt. Cod. Iust. eod. tit.* ex *hac lege & duabus sequentibus* conflata est. *ID.*

(b) Italiæ. *ID.*

(c) *Laqueus legis*, hic est inscriptio in crimen. De quo consule *Paratitlon Tituli de Accusationibus sup. ID.*

(d) *Latebram abolitionis* vocat, quia scilicet abolitione impetrata ab accusatione instituta, impune sese quis subducit. *ID.*

(e) *Iniuriæ* appellatione quid veniat hoc loco mox indicabitur. *ID.*

(f) *Scriptio* pro inscriptione in crimen. *ID.* *Inscriptionis*, legunt MSS. W. G. Ed. Sichard. & illa in Quarto. *RITTER.*

(g) *Inscriptus*, pro reo, aduersus quem accusator in crimen inscripsit. Ita inscriptione conscriptus, *l. 8. sup. de accusationibus* pro accusatore. *GOTHOFRED.* *Toleraret scriptus*, MS. W. *RITTER.*

(h) *Idcirco si*, MS. W. *ID.*

(i) *Verbera* a tormentis *h. l.* & *l. vlt. inf.* separantur. De quo vide *Tit. de Quæstionib. sup. ID.*

(k) Alii, *ipse*: hoc tamen legitimum est. Contemnit & donat in se qui iniuriam sibi factam remittit. *ID.* *Ipse* MSS. W. G. Sichard. Cuiac. prior & illa in 4. *RITTER.*

(l) Sensus hic est: Prius hoc obseruandum. *GOTHOFR.*

(m) Perduellionis crimen designat. *ID.*

(n) Desertæ militiæ crimen designat. *ID.*

(o) *Ad docendum, quæ detulerit*, Ed. Sich. *RITTER.*

(p) Vid. quæ dicam *ad l. 4. inf. de fide test. & instrum.* *GOTHOFR.*

(q) *III. Id. Oct.* MS. W. *II. Id. Oct.* Cod. Iust. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

CONSENTIENTE non nisi reo abolitionem accusator petere potest *h. l.* & *l. vlt. in pr. §. 1. D. ad SC. Turpill.* Si videlicet reus post inscriptionem ab accusatore celebratam (neque enim ante fieri potest) iniuriam aliquam pertulerit, id est si carcerem sustinuerit, vel tormenta, vel verbera vel catenas, ac maxime si diu lis tracta est, *d. l. vlt. in pr.* Potest scilicet accusator etiam *inuito* reo abolitionem petere ex *h. l.* si nihil horum reus adhuc pertulit: imo etsi iam traditus est custodiæ officialium; dummodo intra triginta dies id faciat: *l. vlt. infr. h. t.* At hoc tempore elapso, vel reo iniuriam passo, non potest accusator, nisi reus iniuriam suam remittat & donet, abolitionem petere: Et non nisi ex iusta causa abolitio indulgetur, etiam reo consentiente, multo magis non nisi reo consentiente eadem tribui debet, si reus iam aliquid iniuriarum pertulerit. Iusto equidem errori leges sub-

subueniunt, vel incautæ adolescentiæ, sed hactenus ne alterius iniuria remittatur. Suæ quisque iniuriæ vindex est, idemque abolitor: alienam iniuriam ne leges quidem remittunt. Vice versa, vt læsi iniuriam *lex* remittere non potest, ita nec Reipublicæ iniuriam, læsus. Proinde pleraque crimina sunt quæ ne quidem consentiente reo abolitione petita compesci possunt. Iniuriam quisque suam remittere potest, at non & publicam. Cuius generis sunt crimen Maiestatis, perduellionis, peculatus, desertæ item militiæ, omniaque præterea crimina quæ iure veteri continentur. Quibus verbis cætera crimina indicantur, quæ publica abolitione seu indulgentia aboleri siue compesci non possunt, de quibus *infra Tit. prox.* Consequens enim videtur, vt quibus non prodest publica & generalis abolitio, iisdem nec priuata seu specialis dari posit: vt *l. 3. prox.*

Cæterum pertinet hæc *lex* proculdubio ad eandem historiam & stragem, quo & *lex 1. sup. de quæstionibus:* quæ hoc ipso anno data, in cuius anni gestis vide quæ narrat Ammianus Marcellinus de hoc eodem Probo *lib. 28. c. 1.*

---

p. 263.

III. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & THEOD. AAA. Floro PP.

FALLACITER incusantibus, maxime post exhibitionem (b) accusati, nullius iuris color, vel vt (c) deriuata excusatione, proficiat; non publica (d) abolitio, non priuata talibus prospiciat subueniatque personis; non specialis Indulgentia; ne Beneficium quidem eos generale subducat: Sciant * cuncti, præmeditentur, (e) ante præcaueant, eam se rem deferre debere in publicam notionem, quæ munita sit testibus, (f) instructa (g) documentis, signis (h) ad probationem luce (i) clarioribus expedita. Dat. XV. Cal. Iun. Constantinop. Antonio, & Syagrio Coss. [382.]

NOTÆ.

(a) Principium *huius l.* a Triboniano in *legem vlt. Cod. Iust. eod. tit.* coniectum est, & in *legem 9. Cod. eod. de calumniatoribus* Videtur & huic *legi* iungenda *lex 2. supr. de secundis nuptiis.* GOTHOFR.

(b) Vide *supra Titulum, de exhibendis reis. ID.*

(c) γρ. *velut*, vt *Cod. Iustin. veluti. ID.*

(d) De ea *Abolitione* erit *Titulus proximus. ID.*

* *Lex vlt. Cod. Iust. de probationibus*, hinc desumpta est. *ID.*

(e) *Præmeditentur, ante præcaueant.* Hæc Tribonianus omisit; voluit enim hanc *huius legis* sententiam ad nudum probationum tractatum traducere, ab Abolitionum argumento: eaque etiam de causa sub *Titulo de probationibus* eam collocauit, eoque etiam modo relata est in *Decretum, Can. 2. caus. 2. Quæst. vlt. ID.*

(f) *Idoneis testibus*, Cod. Iustin. *ID.*

(g) *Vel instructa apertissimis documentis*, C. Iust. *ID.*

(h) *Indiciis*, reposuit Tribonianus pro *signis: signa* sunt indicia: alibi *argumenta* dicuntur. *ID.*

(i) *Indubitatis & luce clarioribus.* C. Iust. *ID.*

COMMENTARIVS,

CALVMNIATORI manifesto, ac maxime si reus iam exhibitus fuit, (id est carcerem & id genus pertulit) nullum abolitionis genus dari, vel prodesse potest. Hæc vulgo huiusce *legis* Theodosianæ creditur sententia: vt enim si manifestus sit reus, abolitio non datur, *l. 1. sup.* ita pariter si accusator manifestus sit calumniator. Et vero Tribonianus cum *huius l.* primam sententiam in *Codicem* suum seu *l. vlt. Cod. Iust. de Calumniatorib.* referret, ita quoque hanc *leg.* accepit: Et tamen cum totam *hanc leg.* propius intueor, suspicio mihi vera suboritur, Theodosium *h. l.* voluisse a præcipiti & temeraria accusatione quemque deterrere: omni *abolitionis* spe temerario & præcipiti accusatori citra consensum aduersarii præcisa. Quam hactenus accusatores passiuitus impetrare poterant, non tamen ante exhibitionem rei, verum & post exhibitionem quoque, (si errore quodam iuuenili in accusationem irruissent: vt ostensum est ad *l. 1. sup.*) quod Senatusconsulto Turpilliano quoque expressum fuerat: vid. *l. 1. §. 5. D. ad SC. Turpil.* atque adeo desperatis probationibus, vt docuit Symmachi locus *lib. 10. ep. vlt.* quæ quidem biennio post *hanc leg.* data est: A. D. 384. At Theodosii mens fuit: Desperatis iam probationibus abolitionem petentem nequicquam audiendum: nullius iuris colorem velut deriuata excusatione ei profecturum: id est quamlibet iustum errorem aut iuuenilem calorem abolitioni petendæ prætexat. *Iuris color* est error aut iuuenilis calor, quo quis excusari, atque adeo abolitionem sibi dari petit. *Fallaciter incusare* perinde dicitur, non modo qui calumniandi animo, mala malitia falsam accusationem instituit, verum omnis qui probatione deficitur, qui rem iudici non probat cuius accusatio fallax est & falsa. Quod tota *huius l.* sententia integro contextu lecta comprobat, non vt a Triboniano descripta in lacinias. *Sciant*, inquit, *cuncti, præmeditentur, ante præcaueant, eam se rem deferre debere in publicam notionem, quæ munita sit testibus, instructa documentis, signis ad probationem luce clarioribus expedita.* Sane scil. monitos voluit omnes Theodosius, ne in accusationem alterius temere irruerent, sed probationibus munitissimis ante viderent, num probationes sufficientes haberent ad aliquem conuincendum: frustra alioquin & sero abolitionem petituros, desperatis demum probationibus. *Palæstritam sero duelli pœnitet.* Et vero nihil est, quod fallaci accusationi imo calumniosæ viam magis sternat, quam spes abolitio-

nis reposita, qua sibi blandiri quisque potest & ad eam impetrandam nemo non colorem aliquem iuris vel excusationem allegaturus, dum accusationi temere susceptæ atque ideo pœnæ, quæ fallaces accusatores manet, sese subducere gestit: Pœnæ inquam Senatusconsulti Turpilliani quod in huiusmodi tergiuersatores & *desertores* seu desistentes sancitum est. Tria quippe accusatorum genera Leges persequuntur, *1. Moratores*, qui videlicet intra annum criminalem accusationem non exequuntur, de quibus *tit. prox. 2. Desertores* seu desistentes, id est, fallaces accusatores, qui desperatis probationibus palam ab accusatione desistunt, in quos est Senatusconsultum Turpillianum, vt apparet ex *titulis Digestorum*, & *Codicis*, *ad SC. Turpillianum. 3.* Tertium genus est *Calumniatorum*, quos scilicet litis exitus, reoque absoluto, falsam accusationem instituisse apparet: Et de his erit postea separatus titulus, *de Calumniatoribus*. Proinde perperam Tribonianus *hanc legem*, vel saltem potissimam eius sententiam in *titulum de Calumniatoribus* coniecit. Quid quod abolitioni locus non fuit lite finita, atque adeo si calumniator extiterit accusator, verum pendente cognitione criminali, ac proinde accusatore vel iudicium morante, de quo fuit *titulus sup. prox.* vel iudicium deserente. Atque hæc est ratio cur *hic titulus* hoc loco collocatus sit, eique etiam mox *titulus*, *de indulgentiis criminum* cohæreat: Et vt semel connexionis huius rationem dicam; Accusator, morator, vel desertor litis, ex P.264 plerisque Imperatorum constitutionibus non punitur, si aut accusator ipse abolitionem impetrauerit, de quo *h. tit.* si reo indulgentia criminum ob interuenientem forte diem Paschalem facta fuerit: de quo *tit. prox.* Tandem quisque iuris obseruantissimus Princeps fuit, idem abolitionibus locum minus vel minime superesse voluit, ab accusatore, non consentiente reo petitis, vt præter hanc *legem* ducuit *lex superior*, & docebit *lex prox. vlt.* Denique idem Senatusconsultum Turpilianum qua parte de abolitionibus egit, coarctauit.

Illud adhuc monedum superest, in fine veteris cuiusdam Exemplaris *Codicis Theodosiani*, quandam haberi constitutionem, inter alias, quæ in *hoc Cod.* non reperiuntur, quæ huic nostræ socianda videtur:

Impp. Valentinianus & Theodosius A. A. Floro PP. sub titulo....

Professio vniuscuiusque immutari contra statuta legum nostrarum pro Calumniantium inconstantia ac varietate non poterit. Dat. III. Kal Iun. Antonio & Siagrio Coss.

Et quid si hæc tantum Interpretatio fuit *huic legi* subdita? cuius hic sensus sit: Accusatorem delationem seu accusationem suam mutare non posse, neque eius abolitionem ei dari. Vt sic *professio* hic accipiatur, pro accusatione instituta: quæ alioquin accusationi opponitur *l. 5. sup. de accusationib.* professio, inquam, nuda criminis, nudo sermone ex ore fugiens: vbi & *professionis licentia* dicitur. Sed tamen Professio de Accusatione dicitur: dixi ex Ambrosio & Symmacho ad *de leg. 5.*

IV. (a) Impp. Arcad. (b) & HONOR. AA. Cæciliano P. P. (c)

ABOLITIONEM inuito reo postquam fuerit Officii (d) custodiæ traditus; intra dies XXX. (e) accusatori petenti dari permittimus: post hoc tempus, nisi reus consentiat, censemus (f) non esse tribuendam. Si (g) vero ingenuos aliquos, velut Testes criminis petitos, ab accusatore deductos esse constiterit, solam (h) custodiæ iniuriam tolerasse, qui testes dicantur esse non conscii, (i) eorum ab accusatore sumptibus consulendum est. (k) Quod si ingenuorum, licet plebeiorum, corpora fuerint læsa (l) verberibus, (m) tormentisque vexata, abolitionem etiam duarum partium consensu petitam, iubemus vigore Iudicum denegari, & crimen propositum, cuius examen tormentis iam cœperat, (n) agitari, nec ante a Iudice dimitti, quam in reum probato crimine vindicetur, aut in accusatorem pari (o) forma sententiæ damnatio referatur, &c. Dat. VIII. Kal. Feb. Rau. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

INTERPRETATIO. *Si criminis accusator intra XXX. dies abolitionem petierit, etiam inuito reo a Iudice concedatur: vt liberi & accusatus & accusator abscedant: post XXX. vero dies, quam accusatus custodiæ fuerit traditus, nisi abolitionem & reus & accusator a Iudice petierint, accusatori solo non esse præstandam. Quod si testes exhibiti ad petitionem accusatoris fuerint, & in custodiam missi fuerint, & abolito petita præstitaque fuerit, sumptus quos fecerunt testes, eis accusator exoluat: Nam si testes exhibiti ab accusatore pœnæ subiacuerint, etiam si consentient partes, abolitio a Iudicibus denegetur, sed aut in accusatum, si conuictus fuerit, aut in accusatorem, si non conuicerit legibus, ex sententia Iudicis pœnam, quam passurus erat reus, accusator excipiat.*

NOTAE.

(a) *Lex vlt. Cod. Iust. eod. tit.* hinc quoque vt iam monui, conflata est. Porro iungenda *huic* est *lex vlt. sup. de custodia reor.* & *lex vlt. sup. de maleficiis:* Imo & *lex 5.* & *lex vlt. sup. de exhibendis reis*, *lex 2. seu vlt. inf. vt intra annum criminalis actio*, quæ & ipsa de Abolitionibus agit: & *lex vn. sup. Ne pastoribus dentur: lex vlt. inf. de fide testium; l. 3. inf. de superexactionibus.* GOTHOFRED.

(b) *vr. Honor. & Theod.* vt ex dictis *legibus* apparet, & ex ipsa temporum ratione. *ID.* In MS. G. lego, *Impp. Honorius Theodosius.* RITTER.

(c) Italiæ. GOTHOFR.

(d) Officii custodia quid sit? mox explicabo. *ID.*

(e) De triginta diebus agitur pariter *d. l. vlt. sup. de exhibendis reis:* quae huic iungenda est. *ID.*

(f) Iubemus. *ID.*

(g) Altera *huius legis* sententia de testibus. Cui argumenti praeterea paritate iungenda est *d. lex vlt. inf. de fide testium.* *ID.*

(h) Id est, tantum custodiae iniuriam, non etiam verbera, aut tormenta. *ID.*

(i) Et abolitio duarum partium consensu petatur, vel etiam solo accusatore petente intra triginta dies. Porro hanc sententiam Tribonianus induxit. *ID.*

(k) Et sic abolitio dabitur. *ID.*

(l) *Cesa*, in edit. Cuiacii: quod probo. *ID.*

(m) Verbera a tormentis separantur, *h. l.* & *l. 2. sup.* *ID.*

(n) Id est, inceperat, moxque locus vt feci hic, interpungendus est. *ID.*

(o) Intelligit poenam Reciproci. De qua consule *Paratitlon sup. de accusation.* *ID.*

COMMENTARIVS.

REo inuito vel consentiente accusator abolitionem petere quando possit, quando etiam ne quidem consentiente reo; *Honorius* diligentius praecauet hac constitutione: quae est portio prolixioris constitutionis, quam *de processu criminali* promulgauit, vt docent *leges* illae quas *huic* nostrae committendas dixi.

Sane veteri iure accusator abolitionem petere poterat quandocunque inuito reo, antequam lis ad finem perduceretur: Excipiebatur tantum ex Antonini & Veri rescriptis hic casus: Si videlicet lis diu satis traxisset; id est, si lis non procul abesset a termino, qui finiendis causis criminalibus praestitutus est. Abolitio scil. non visa fuit tribuenda accusatori, qui reum tamdiu vexasset. Quod sane ipsum *h. l.* comprobatur, & *l. vlt. sup. vt intra annum:* quae *huic* inter caeteras iungenda. Inuito igitur reo accusator huiusmodi abolitionem non impetrabit, adeo quidem, vt reus euidenter consentire probari debeat, vt docet *lex vlt. in principio,*
P.265. *& §. 1. D. ad SC. Turpillianum.* Postea eadem ratione, qua tracto diu iudicio inuito reo abolitio peti iure veteri non poterat, eadem inquam magis adhuc coarctata fuit haec abolitionis petendae licentia, ita quidem vt posteaquam reus aliquid iniuriarum pertulisset, id est carcerem vel tormenta, iam amplius inuito reo accusator abolitionem petere non posset. Id quod a Valentiniano constitutum est, *l. 2. sup.* cui constitutioni ad aliquid etiam accedit *l. 3. sup.* in his verbis: *maxime post exhibitionem accusati.* Tandem secuta haec *lex*, qua magis adhuc abolitionis petendae licentia coarctatur. Intra triginta quippe dies tantum ex quo reus officii custodiae fuerit traditus, abolitionem accusator petere potest citra consensum rei, post illud vero tempus, non nisi consentiente aduersario. Vt laxamentum hoc triginta dierum reis datur, e longinquo deducendis ad componendos maestos penates suos, resque suas disponendas, *l. 3.* & *l. vlt. sup. de exhibendis reis,* quarum vltima *huic* nostrae coniungenda est, ita pariter triginta quoque dierum laxamentum accusatori tribuitur, posteaquam reus inscriptione completa custodiae officii traditus fuerit, ad deliberandum adhuc, num velit in accusatione persistere, an vero ab ea desistere, atque ita abolitionem petere: post id tempus deliberationi locus amplius non est, neque abolitioni petendae, nisi reo consentiente. Quia scilicet post id tempus iam iniuriarum aliquid pati censetur, & vero solet reus. Custodia officii aliud est, quam custodia carceris, de qua agitur *l. vlt. sup. de cust. reorum,* quae *huic* nostrae coniungenda est. De eadem officii custodia agitur *l. 2. sup. de exhibendis reis.* Scilicet Rei comprehensi vel accusati officialium Iudicis seu Rectoris Prouinciae custodiae committebantur; vt docet *d. lex 2.* postea demum in carcerem mittebantur, vbi videlicet ad quaestiones & tormenta deueniendum esset. De quo consule *titulum, De custodia reorum.* Quin & quorundam ea dignitas fuit vt non carcere continerentur, sed in libera & honesta custodia: Rursum pro meritis causarum, vt Augustinus scribit *Commentariis in Ioannem*; receptiones in custodiam adhibebantur: *Alios*, inquit, *iubentur custodire lictores, humano & miti officio atque ciuili; alii traduntur optionibus; alii mittuntur in carcerem, & in ipso carcere non omnes, sed pro meritis causarum, in ima carceris detruduntur.* De dignitatis ratione hac parte vide quoque *legem vlt. sup. de accusationibus* & Symmachum *lib. 10. Epist. vlt.* Hoc igitur casu, officii custodia, etsi pro carcere quodammodo habetur, tamen non statim atque illi reus traditus fuerit, accusator abolitionis petendae ius amittit, sed post triginta tantum dies cum reo in carcerem misso statim amittat *d. l. 2. sup. h. t.* vt omnino existimem Honorium *h. l.* differentiam constituere voluisse inter carceris custodiam, & officii custodiam. Ea carceris iniuria est, vt nisi reus iniuriam remittat, accusator abolitionem petere non possit. Maneat igitur haec Regula: Vbi semel reus exhibitus iniuriam passus creditur, (porro iniuriam passum varie creditum docui) abolitionem eo inuito, accusator petere non potest.

TESTIVM eadem est quadamtenus ratio, neque tamen par omnino. Sane si testes iam verberibus caesi, vel tormentis subiecti fuerint ad veritatem eruendam (de quo agetur *suo titulo 11. l. infr. de fide testium*) iam amplius abolitio peti non potest. Vt reo iam iniuria affecto, ita & teste inuito eo abolitio non tribuitur. Si vero testis solam custodiae iniuriam tolerauerit, abolitio peti potest, quodcunque tempus effluxerit a custodia. Et in eo differt testis a reo; nempe quia non eodem fine custodia testes coërcentur, ac Rei. Reus enim cum criminis infamia & conscientia, testis vero ad rei tantum & criminis probationem. Proinde si talis testis producatur, qui idem quoque criminis conscius vel consocius sit, idem de hoc teste dicetur quod de reo. Quod his huiusce legis verbis quoque indicari potest, *Qui testes dicantur esse, non conscii.* Et de iisdem agitur *l. vlt. infr. de fide testium:* quae *huic* nostrae coniungenda est. At si conscius non sit, abolitio inuito eo recte petitur; idem tamen accusator eius sumptibus consulat. Sumptus quippe cum praestet is, qui testes producit, si abolitio petatur, accusator solus praestat, quia abolitio est accusatoris beneficium, de quo dicetur plenius ad *leg. vlt. infr. de fide testium.* quae *huic* iungenda. Itaque ita rursum nisi socius & particeps criminis dicatur, huic enim sumptus non praestantur abolitione petita, *h. l.* & *l. vlt.* Hinc interim discimus, testes quoque ob testimonii dictionem, in custodia habitos: quod etiam Libanius περὶ τῶν δεσμωτῶν testatur *p. 159. edit. Gothofred.* & *pag 403.* num.

num. 7. Oper. minor. Gothofred. edit. Cl. Tretz. vbi dixi. Et quod mirum; cum etiam quæstioni subiecti fuerint quod præter *hanc l.* docet *l. vlt. de Episcopali iudicio.*

Porro quæ de testibus dicta sunt, de *Ingenuis* nominatim cauentur, & quidem quamlibet plebeiis, at non etiam de libertinis, aut seruis. Non eadem hic est ingenuorum & libertinorum seruorumque ratio. Verbera vel tormenta testibus seruis vel libertinis inflicta abolitionis petitionem non impediunt, etsi ad seruorum tormenta non deueniatur, quam accusator in crimen inscripserit, *l. 14. sup. de accusationib. & inscriptionib.* Item neque his impendia dantur: vt ex *h. l.* colligi posse videtur, & *d. l. vlt.* vbi de hac re plura.

Postremum, horum temporum circumstantia, tum etiam tot illarum *legum*, quas *huic* coniungendas dixi, argumento, mens ea mihi, *hanc* quoque *legem* ad legationem Senatus Romani, atque in ea ipsiusmet Cæciliani (qui inde mox ad Præfecturam promotus) quod Zosimus testatur *l. 5. cap. 44.* ab Honorio datam. Memorat enim idem Zosimus *dict. lib. 5. cap. 35. & 44.* varias Stilichone cæso agitatas quæstiones de Stilichonis consciis testibus multos fustibus cæsos, tandem cum nihil resciri posset, ab huiusmodi conatu destitum *d. c. 35.* τῶν μὲν τοιαύτης ἐγχειρήσεως οἱ ταῦτα πολυπραγμονοῦντες ἀπέστησαν: *ab huiusmodi conatu homines in rebus talibus indagandis curiosi destiterunt.* Igitur Legati Senatus inter alia legationis suæ capita, aliasque vrbis miserias, & id conquesti.

P. 266

DE INDVLGENTIIS CRIMINVM. (a)

TITVLVS XXXVIII.

Abest hic *Titulus* a *Cod. Iust.* vt autem superioribus Titulis cohæreat, iam dixi ad *l. 3. sup. tit. prox. de Abolit.*

(a) Id est, *Des Lettres de Remission & Pardon ou Grace.* *De Indulgentiis debitorum*, erit infra *Titulus*, *lib. XI. 28.*

PARATITLON.

INDVLGENTIA criminum, *Rubr. h. t.* & *l. 7. inf. de pœnis:* quæ & *publica abolitio* dicitur, *l. 3. supr. de abolit.* absolutio, *l. 6. h. t.* est munus, *l. 3. h. t.* humanitas, *l. 10. h. t.* indultum Principis, *d. l. 6. h. t.* liberalitatis Augustæ humanitas, *d. l. 6. h. t.* remissio veniæ, *d. l. 6. h. t.* qua rei criminum securi esse iubentur, *l. 2. h. t.* absoluuntur, *l. 4. 5. h. t.* liberantur, *l. 5. 10. h. t.* dimittuntur, *l. 8. h. t.* pœnæ eis gratia fit, *d. l. 5. h. t.* omnibus quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissoluuntur, *l. 3. h. t.* carcere non amplius teneri, insuetis illorum luminibus carcer horridus patere iubetur *l. 6. h. t.* periculo carceris metuque pœnarum rei eximuntur, *l. 7. h. t.* nullum tenet carcer inclusum, omnium vincula soluuntur, *l. 8. h. t.* requiem vinculorum omnes accipiunt, *d. l. 8. h. t.* relaxantur, *l. vlt. h. t.*

Hanc indulgentiam criminum variis occasionibus Principes faciebant, vel spontanee, vel ad Postulationem siue generalem siue specialem, sic vt septem Indulgentiæ species *hoc titulo* memorentur; puta *I Natalitia* quædam seu γενεθλιακὴ indulgentia erat: veluti ob Partum Cæsarum, *l. 1. h. t.* si vulgatæ lectioni stamus: exceptis adhuc atrocioribus criminibus: verum, vt *ibi* ostendo, pertinet *lex* illa ad indulgentiam ob *Aduentum Principum. II. Paschalis* indulgentia, ob diem Paschatis: cuiusmodi continentur quinque *huius tituli* constitutiones, *l. 3. 4. 6. 7. 8. h. t.* (quæ dicitur Paschæ celebritas, *l. 4. h. t.* Paschalis lætitiæ dies, *l. 6. h. t.* religio anniuersariæ obsecrationis, *l. 7. h. t.* Paschalis diei gaudium, lætitiaque communis, *l. 8. h. t.* dies sanctus, tempus castitatis, summa quies, gaudium commune, *d. l. 8. h. t.*) In tantum, vt tandem non expectata Principis iussione Iudices ipsi hanc indulgentiam exequerentur, *d. l. 8. h. t.* Porro Indulgentia hæc Paschalis ad leuioris tantum criminis reos pertinebat, *l. 7. h. t.* contra, excipiebantur ab ea crimina atrocia, seu scelera sæuiora, vtputa sacrilegii, *l. 7. & 8. h. t.* Maiestatis, homicidii, veneficii, maleficii, adulterii, incestus, raptus: *l. 1. 3. 4. 6. 7. 8. h. t.* sepulchri item violatio *d. l. 7. & 8. h. t.* vt & monetæ falsæ crimen, *d. l. 6. 7. 8. h. t.* Iterata quoque crimina, etsi læuiora, hac indulgentia non continebantur: *l. 6. h. t. in fine. III. Tyrannide* quoque liberata Republica (veluti Magnentii, in specie *leg. 2. h. t.* Attali, in specie *leg. 11. 12. h. t.*) Vniuersi quandoque iubebantur esse securi, *l. 2. h. t.* veluti hi qui Tyrannicæ præsumptionis sacramenta sectati essent, *d. l. 11. h. t.* omnium criminum rei relaxari præcipiebantur, *d. l. 12. seu vlt. h. t.* Exceptis tantum quinque criminibus quæ capite vindicantur, *d. l. 2. h. t.* item si lentum regressum necessitas desperationis his qui Tyrannum sectati erant, indixisset, *d. l. 11. h. t.* IV. Sub clade etiam depopulationis Barbaricæ indigne inuidioseque commissorum indulgentia præbita, *l. vlt. de infirm. his quæ sub Tyr.* *V. Prouinciis* quoque nonnullis quandoque certis & integris, quæ offensionem Principis incurrerant, indulgentia dabatur: veluti si quæ ob offensionem alicuius Iudicis, ex ea oriundi proscriptique, infamata fuerat, prior fama & meritum inter cæteras

teras Principis indulgentia reuocabatur, vtputa Lyciæ Prouinciæ in specie *legis 9. h. t.* VI. *Corporibus* quoque certis indulgentia data quandoque: Senatui tamen vrbis Romæ toti, ex quo multi Senatorum maleficii accusati fuerant, indulgentiam petenti Valentinianus Senior denegauit, *l. 5. h. t.* VII. *Pœna* denique iam affectis & pœna fungentibus, pœnæ continuandæ necessitas quandoque remittebatur indulgentia Principis: & quidem omnibus, vt *l. 10. h. t.* & *l. 7. inf. de pœnis.* Qua tamen indulgentia non continebantur, in Pistrina Vrbis Romæ condemnati, *d. l. 7. de pœn.*

Quibusdam tamen quandoque reis indulgentiam se non daturos Principes Edictis denunciabant: exemplum in *l. 15. de cohortalib.* vbi vide rationem.

P. 267 *Ob* APPARATVM *itineris ad vrbem Romam Crispi & Helenæ Constantini M. criminum indulgentia A. D. 322.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Maximum P. P. (b)

PROPTER Crispi adque Helenæ partum (c) omnibus indulgemus: (d) præter (e) veneficos, homicidas, Adulteros. (f) Acc. (g) III. Kal. Nouemb. Romæ Probiano & Iuliano Coss. [322.]

NOTAE.

(a) Abest hæc Constitutio, siue indulgentia, velut temporaria, a *Cod. Iust.* Eam retulit, deque ea egit, Baronius A. D. 322. *num.* 3. GOTHOFR.

(b) Rescribendum videtur P. V. Romæ scilicet, vt colligere est in partem ex huius *legis* subscriptione, ibi, *Acc. Romæ:* & testatur nominatim vetus Auctor incertus *Notitiæ Præfectorum Vrbi*, qui olim apud Cuspinianum, & hodie apud Peyrescium extat, & a Bucherio editus est, sed & aliæ *leges* hoc ipso anno ad eundem Maximum datæ, vbi diserte *P. V.* vocatur, puta *lex* 1. *sup. de liberali causa*, *l. 5. Cod. Iust. de dilationib.* quarum hæc quoque dicitur *PP. Romæ.* Quamquam idem quoque Præfectus Prætorio esse potuerit: Quod tamen de Maximo isto non puto. *ID.*

(c) De hac voce mox. *ID.*

(d) *Indulgemus*, absolute, pro indulgentiam seu veniam tribuimus, ignoscimus. *ID.*

(e) *Præter Veneficos* &c. id est, exceptis Veneficis &c. Eadem voce eodem sensu vtitur sæpe Aurelius Victor. *ID.*

(f) Vide quæ dixi de Constantini M. odio in adulteros, & adulterii crimen, ad *tit. de adulteriis*: & ad *l. 4. inf. quorum appellat.* Sane præter hanc *legem* id testatur eiusdem Constantini *lex* 1. *inf. de pœnis*, *l. 1. quorum appellat.* & ea quam memorat Iustinianus, *Nouella* 134. *c.* 10. & *l. 30. §. 1. Cod. Iust. ad leg. Iul. de adulter. ID.*

(g) Ita quoque *Dat. Romæ*, id est reddita, hoc ipso Anno *lex* 2. *inf. de alim. quæ inop. par.* & PP. Romæ, *d. l. 5. Cod. Iust. de dilationib. ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. prima omnium hæc *hoc tit.* criminum indulgentia occurrit, Data An. D. 322. eaque propter *Partum*, (vt hactenus quidem legitur) *Chrispi atque Helenæ*: Quæ vt Baronio, ita mihi quoque negotii plurimum semper facessiuit, exinde vt Codici huic serio manum mentemque adhibere cœpi. Filiorum equidem causa a Principibus olim criminum indulgentiam seu ἀμνηστίαν, imo & debitorum quandoque indulgentiam tributam constat; ad testandam videlicet lætitiam communem, & nominatim quidem ob accessionem filiorum, seu natalitia liberorum, seu γενέθλια, partumque adeo liberorum, id est ob natos Principi liberos, si forte liberis auctus esset: ob puerperium denique, de quo locus quoque apud Libanium *in* Βασιλικῷ *ad Constantium & Constantem pag. 108. edit. Morell.* vbi de hoc ipso Constantino agit, deque susceptis ab eo liberis, non sine insigni aliquo tum temporis facinore: nam & hoc inter cætera memorat; ἢ δεσμωτηρίων χρόνιος συμφορὰ, φιλανθρωπίᾳ τοῦ κρατοῦντος ἐλυέτο: id est, *aut diuturna carcerum* [seu vinculorum] *calamitas, Imperatoris humanitate, soluta est.* Item de Indulgentia debitorum *ob tantum filium*, apud Chrysostomum (*homil. 3. in Matth. c. 3.*) *Solent enim Reges nato sibi filio indulgentiam in regno suo donare, sed ante transmittunt acerbissimos exactores, qui omne quod inuenerint exigant, ita vt indulgentia ipsa crudelior esse videatur quam ipsa exactio: vt nihil indulgentia habeat præter nomen, vt lugentes illam homines & nudi suscipiant.* Sed & insecutis deinceps temporibus, & Francicis quidem, Gregorius Turonensis *lib. 6. cap. 23.* Historiæ Francicæ: *Dehinc, inquit, Chilperico Regi, post multa funera filiorum, filius nascitur. Ex hoc iubet Rex omnes custodias relaxari, vinctos absolui, compositioneque negligentium fisco debitas præcepit omnino non exigi:* vid. & Aymoinum *lib. 3. c. 54.* Neque solum ortu Principis redempti noxii, sed etiam serui manumissi. Extat & apud Marculphum *lib. 1. formula 39.* præceptum Regis, vt pro natiuitate Regis, id est, Regis filii in vnoquoque prædio fiscali, tres serui vtriusque sexus manumittantur; & *lib. 2. form. vlt.* ad præceptum, quod dixi Regis, *qualiter ex ordinatione Regis pro natiuitate filii sui, Domesticus de villa Regis per suam epistolam relaxat ingenuos.*

Sed enim id ad hanc *legem* pertinere non posse videtur: quod etiam recte sensit Baronius in *Annalib. Ecclesiast. An. 322. n. 3.* Sane namque vt verba sonant, videatur Indulgentia a Constantino M. dari, quasi eo tum aucto liberis hisce duobus Crispo videl. & Helena. Quod verum tamen non est. Constat equidem, Filium Constantini M. fuisse Crispum, & quidem natu maximum, ex Mineruia priore coniuge susceptum: Item constat, Helenam filiam Constantini M. fuisse, quæ Iuliano Cæsari postea nupsit: de qua videndus Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 10. lib. 16. cap. 11. lib. 21. initio.* Zosimus

mus *lib. 2. cap. 2.* Verum quid hic faciat partus Crispi, aut cur ob eius partum, hoc demum anno 322. a Constantino M. indulgentia edicatur, tribuaturue? 1. cum Crispus hoc tempore iam adolescens, iam quinquennium Cæsar, iam Francorum & Alemannorum domitor fuerit, vt nominatim discere est ex Panegyrico Nazarii, quem is Romæ dixit Anno superiore 321. & ex Panegyrico Publii Optatiani Porphyrii. 2. Itaque diuinabam ego olim legendum in hac lege, *propter Crispi & Helenæ pactum:* vt ita conuentio quædam de nuptiis inter Crispum & Helenam indicari videatur: *Pactum* scil. absolute pro pacto siue conuentione nuptiali dici, vix quisquam est, qui hodie ignoret: & *pactæ* pro desponsis. Virgil. *lib. 10. Æneid. v. 79.*

Quid soceros legere, & gremiis abducere pactas?

Iuuenalis Satyra *6. v. 25.*

Conuentum tamen, & pactum, & sponsalia nostra
Tempestate paras.

Idem Satyra *ead. v. 200.*

Si tibi legitimis pactam iunctamque tabellis
Non es amaturus.

Et Arnobius *lib. 4. aduersus gentes pag. 140. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire 1651. in 4. Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas.* Plenius Tacitus *lib. 12. Annal. cap. 5. Pactum*, inquit, *inter Claudium & Agrippinam ma-*
P. 268 *trimonium.* Vide & Nonium *cap. 5. num. 69.* vbi explicat, quid intersit inter *Speratam, Dictam, & pactam, & Sponsam: & l. 1. 4. 6. 7. sup. de sponsalib.* Quod si ita est, alia iam nobis Helena quærenda fuerit: alia, inquam, ab ea, quæ ipsiusmet Crispi soror; Iuliano, vt dixi, postea nupsit, quæ tamen nuspiam apparet. Sane Indulgentiam prouinciis datam ob pactum nuptiale, exemplo quoque Ahasueri liquet *2. Esther vers. 28.* Denique abolitionis publicæ seu indulgentiæ, ob honorem domus diuinæ, mentio fit in *l. 12. D. ad SC. Turpill.* Itemque ob diem insignem & publicam gratulationem, *l. 8. D. d. tit.* Verum id hic non admittimus. 3. Vti neque illud, quod Baronius quoque suspicatus est, quasi *partus Crispi & Helenæ* hic dicatur de fœtu edito ex Crispo & Helena: Neque enim huius Helenæ, quæ Crispi vxor fuerit, vlla vspiam mentio occurrit. 4. An igitur ea *Helena* ipsa intelligenda fuerit, quæ Iuliani postea coniux fuerit, cui Crispus hac Indulgentia societur, hac causa, quod eorum Natales in idem tempus concurrerent, siue vno partu, siue dispari editorum, vt ita hæc Natalitia Indulgentia videri possit; non quasi Constantinus M. hac prole recenter tum auctus fuerit, verum in memoriam iam olim natorum, & sic ætate nunc prouectiorum, & recurrente vtriusque die Natalitio? Minime: nam & *partus* vox renititur, quæ vtique recenter edito fœtui conuenit: Et cur horum potius quam cæterorum liberorum suorum, Constantini inquam Iun. Constantii, & Constantis, qui tum editi, Natales hac indulgentia prosequeretur Constantinus M? Quare neque hæc diuinatio placere potest, vel sensus hic admitti, quem tamen germanum magis credidit Baronius. 5. An igitur hic per *Helenam*, illa ipsa quæ Iuliano postea nupsit, intelligenda fuerit? 6. Quid si tandem id accipiamus de gemino partu seu prole Faustæ Aug. coniugis Constantini M. Peruenit sane in ius meum Nummus quidam paruus æreus FLAV. MAX. FAVSTÆ AVG. quæ Constantini M. vxor erat, in cuius auersa parte exhibetur Genius alatus, pectore aperto, duos infantes seu Gemellum partum exhibens, cum hac inscriptione, SPES REIPVBLICÆ. P. TR. cui conueniunt duo Nummi, quos exprimit Occo *p. 538.* eiusdem Faustæ, argentei & æreí, in quorum vno, fœmina repræsentatur duos gestans puerulos, alterum dextra, alterum sinistra: in altero stans cum duobus puerulis, sicut hic sinu continentur: quorum quidem puerulorum vno partu editorum, vni *Crispi* nomen fuerit, alteri *Helenæ*; verum mox mortui? Verum de hoc duplici Faustæ partu altum apud omnes silentium. Et cui etiam verosimile *Crispi* nomen alteri Constantini filio inditum, cum hoc ipso tempore & anno 322. Crispus Cæsar viueret, & in gratia apud patrem esset? Vnum suffugium superest; forte hanc *legem* referendam ad *Paulinum & Iulianum Coss*, id est A. D. 325. quo ipso Maximus P. V. fuit, & Crispus C. cæsus.

Verum hac coniectura omissa, mihi omnino hic legendum videtur *propter Crispi atque Helenæ* PARATVM, vel APPARATVM: id est apparatum itineris ad vrbem Romam, quem exinde secuta profectio, ἐπιδημία ad vrbem Romam, aduentusque eo Crispi & Helenæ: nempe enim, non *Apparatus* tantum, sed & *Paratus*, tralatitia hoc potissimum æuo voce, non in genere modo omnem apparatum & *parationem* (quomodo id etiam Nonius Marcellus explicat *in verb. Paratus cap. 3. num. 173.*) significat, verum signate omnem cultum, parationem, & apparatum seu pompæ genus omne, quo & aduentaturi Principes sese parabant, & aduentantes ipsi excipi soliti. Hoc sane sensu, vox hæc, *paratus*, occurrit apud Mamertinum *panegyrico pro Consulatu, c. 10.* Imo Tacitus hac voce sæpe vsus. Idemque sæpe nominatim de Principis Regumque apparatu, vt *lib. 6. Annal. cap. 37.* & *lib. 11. cap. 12.* & alibi. De apparatu itineris & bellico, Crispus *in fragm. histor. apud Gellium l. 2. c. 27. Paratu militum & armorum.* Tacitus *2. hist. cap. 84. nauium, militum, armorum paratu strepere prouinciæ* &c. & in Vit. Agricolæ *cap. 25. paratu magno, maiore fama, vti mos est de* &c. Gellius *lib. 17. cap. 2. magnum viaticum pro magna facultate & paratu magno nove positum est.* Claudianus *de bello Gildonico vers. 180.*

Splendet tartareo furialis mensa PARATV.

id est, qui ad Tartara ducit. Idem 1. in laudem Stilichonis, *vers. 336.*

- - - suscepto Martis grauiore Paratu.

Idem *2. in Rufin. v. 340.*

Atria Regifico iussit splendere Paratu.

Ita quoque Symmachus *lib. 9. ep. 14. Annonarios vrgeri iubens paratus:* vbi *annonarios paratus* dixit quos alibi, *commeatus*, id est, felicem embolum. Denique *Paratus* est omnis παρασκευή, vt iam dixi ex Nonio Marcello, & adstipulatur Suidas. *voc.* παράτον. ἡ παρασκευὴ παρὰ Ῥωμαίοις: qui alias *Apparatus:* qua certe *Apparatus* voce hac ipsa in re vsus est Ammianus Marcellinus *lib. 16. c. 10.* agens de Constantii Romam profectione: *Vt igitur multa quæque consumpta sunt in Apparatu Regio*, de quo mox: quomodo idem agens de Iuliani dispositione reuertendi Tarsum ex Persica expeditione, *lib. 23. c. 2. scripsisseque ad Memorium Præsidem, vt in eadem vrbe cuncta sibi congrua pararentur.* Claudianus in *6. Honorii Cos. vers. 374.*

Iamque parabantur pompæ simulacra futuræ
Tarpeio spectanda Ioui.

Vt omittam, *Paratus* pro quacunque paratura & cultu quocunque accipi, Tertullianus in nonnullis Codicib. *de patientia, cap. 13. omnem fidei subuertendæ vel puniendæ paratum*, pro quo alii habent, *paraturam*, voce Scriptori isti passiua; sic & idem dixit *de Corona militis. sub fin. cælesti parato.* Ouidius etiam dixit, *Tyrios paratus*, id est vestitum siue cultum: idem, *opus impar festis paratibus.* Apparatus alioquin vox magis vsitata circa apparatum itineris, seu profectionum ἐπιδημίαν, vt ex hoc loco quoque & altero Marcellini liquet, de Constantii Romam occurrentis tendentis apparatu *lib. 16. c. 10. Vt igitur multa, quæque consumpta*

sunt

sunt in APPARATV REGIO, *Secunda Orphiti Præfectura, transcurso ocriculo, elatus honoribus magnis, stipatusque agminibus formidandis, tanquam acie ducebatur instructa* &c. *cumque Vrbi propinquaret* &c. sic quoque *apparatum itineris* dixit Symmachus *lib. 9. ep. 102.*

Quare ita censeo Crispum Cæsarem Constantini M. filium, e Gallia ad Constantinum M. qui in Pannonia tum erat, antea profectum, mox Pannonia digressum (vbi certe Crispum superiore Anno 321. fuisse, diserte testatur Nazarius *in panegyrico*, quem is eo ipso Anno habuit, quo & Quinquennalia eius Romæ celebrata) Anno proxime sequente 322. quo *hæc lex Data* est, Romam cum Helena aduentasse: vbi forte etiam ideo Circenses ludi magnifici editi: quomodo sane Constantius postea, teste Amm. Marcellino, ibi eos populo dedit: (vbi & *paraturæ*, & *apparatus* quoque vox propria, sic enim *paraturam spectaculorum* dixit Tertull. *de spectaculis, c. 4.* & *apparatum ludorum, cap. 7.* & Sym-
P.269 machus *l. 2. ep. 27. apparatum Quæstorium:*) vbi & summo honore ii, lætitia, atque *apparatu* παρασκευῇ publice excepti: vt ita ob gaudium quoque istud, lætitiamque, Constantinus M. hanc indulgentiam Romanis concesserit, dederitque, emissa constitutione ad *Maximum Præfectum Vrbis Romæ*, vbi & ideo Accepta ea dicitur in subscriptione. Et vero Nazarius, *eo*, quem dixi, *panegyrico*, diserte testatus fuerat Anno superiore 321. suum & Romanorum tum desiderium, vt Constantinus M. & Crispus inter alios Cæsares *Romam* venirent, eoque voto eundem Panegyricum claudit: *Vnum modo est*, inquit, *quo fieri posset* ROMA *felicior, maximum quidem, sed tamen solum, vt Constantinum Conseruatorem suum, vt Beatissimos* CÆSARES *videat, vt fruendi copiam pro desiderii modo capiat, vt* VOS ALACRIS EXCIPIAT, *& cum Reipub. ratio digredi fecerit, receptura dimittat.* Quare Romanorum desiderio Constantinus M. satisfecisse videatur, qui digredientem a se Crispum, Romam pergere cum Helena voluerit, fueritque; scilicet pro magno semper habuere hoc æuo Romuli Nepotes, Principesque ipsi pro magno imputauere, (de quo vid. quæ notaui iam nonnulla ad *l. 10. sup. de prætorib.*) si quando Principes ipsi, vel eorum etiam Affectus seu Charitates Romam iter *pararent*, tenderent, occurrerent, commearent, aduentarent. Quod etiam luculenter ostendit vetus Kalendarium Heruagianum, quod Constantini ipsiusmet sæculo conuenit, scriptumque est. Ibi quippe inter alios dies solemnes hi quoque tres Constantini M. *Aduentus* Romam (de quibus distincte in Topogr. Vrbis Romæ) notantur.

XV. Kal. Aug. Aduentus D.
XII. Kal. Aug. Aduentus Diui.
V. Kal. Octob. Profectio Diui.
IV. Kal. Nouemb. Aduentus Diui.

Ergo tandem *Paratus* seu *Apparatus Crispi atque Helenæ*, hac *lege*, fuerit apparatus itineris ad vrbem Romam, quem secuta exinde & solemnia pompaque aduentus ἐπιδημίας Crispi & Helenæ, cultusque omnis iisdem exhibitus Romæ & a Romanis, in cuius rei lætitiæque signum Constantinus M. hanc Indulgentiam Vrbi Romanæ concesserit. Narrat & Author vitæ Leonardi apud *Surium*, Remigium a Clodouæo emeruisse, vt quoties Reges Rhemensem vrbem accederent & prætergrederentur, Rei omnes vinculis soluerentur. Qua quantaque certe festiuitate seu lætitia, quo *apparatu* & sollemnitate Principes, eorumque affectus Romam ingrederentur, aduentantesque exciperentur? non huius loci est edisserere: de quo vid. interim congeriem *de Imperatore Rom. lib. 3. c. 8.* Ergo fuerit hæc Constantini Indulgentia, reuera & effectu ipso, ob felicem Crispi & Helenæ *aduentum* ad Vrbem Romam. Cuiusmodi certe Indulgentiæ Francorum quoque Regum felici seu iocundo aduentu suo, & ingressu in ciuitates potissimas tributæ iamdiu, criminibus tamen nonnullis exceptis: de quo vid. quæ Butillerius *in summa rurali*: Boërius *qu. 217.* Benedictus *in cap. Raynutius*: Chopinus *de domanio lib. 2. tit. 7. pag. 234. edit. Paris. 1589.* Argentræus *in leges Armoricas*: Mornacius ad *leg. obseruare, D. de offic. Procons.*

Primum enim, vt argumentis hanc coniecturam fulciam, cur alioquin Constantinus ob hos tantum, Crispum inquam & Helenam indulgentiam tribueret, qui alios tamen liberos tum habebat: nisi quia hi in re aliqua tum iuncti & *pararii* erant? Secundo, cur ad *Vrbis Romæ Præfectum* hæc Indulgentia ob Crispum & Helenam data emissaque fuerit, ibidemque *Accepta* ea dicatur, nisi quia Crispus & Helena in Romanorum gratiam quid moliebantur, vel fecerant, nempe ob apparatum itineris Romani, & quem secuta ἐπιδημία, felixque eo aduentus. Sic sane & olim iam Augusto honos hic habitus, ne dies eius aduentus supplicio fœdaretur: teste Suetonio, *cap. 57.* Ergo hæc Indulgentia est ob *aduentus* spem; quo antequam ii peruenirent, hanc in antecessum, tanquam metatoriam Epistolam, Indulgentiam, Constantinus M. Romam præmiserit. Et sic veram *huius leg.* lectionem simul & historiam tenemus.

Illud modo quærendum superest, quænam Helena ista sit, cuius *hac lege* mentio fit: num Constantini videlicet mater, an vero filia eiusdem? certe Helena Constantini filia, Constantii soror, ab ipsomet postea Constantio fratre 35. post annis, A. D. 357. Romam ducta fuit, teste Amm. Marcellino *lib. 16. cap. 10.* Itaque de Helena matre id potius accipiam, quæ & ipsa profectione Hierosolymam postea inclaruit. Neque quidquam obstat ordo verborum in *hac leg.* seruatus, vbi *Helena* Crispo postponitur: quæ si mater foret, Crispo præponenda videretur. Id enim coniecturæ nostræ euertendæ non sufficit; quandoquidem Crispus ante Helenam nominari videtur, ob spem Imperii, *Cæsarisque dignitatem.*

Superest exceptio huic *legi* & *Indulgentiæ* a Constantino M. addita; nempe ab hac criminum Indulgentia excipiuntur tria crimina, puta Veneficii, Homicidii, & adulterii: At enim quinque crimina, quæ capite vindicantur, exprimuntur, excipiuntur *l. 2. inf.* Imo sex, *l. 3.* & *4.* Octo, *leg. 6.* Nouem, *leg. 7.* Decem, *leg. 8.* Eædem sane exceptiones obtinent hodie in Gallia in indulgentiis, quæ tribui solent felici Regum & Reginarum aduentu, seu introitu: de quo vid. le Prestre *au Recueil des arrests de toutes les Chambres, p. 19.*

P. 270

CONSTANTII *Indulgentia post Magnentium* TYRANNVM *superatum A. D. 353.*

II. (a) Imp. CONSTANTIVS A. ad Cerealem P. V. (b)

OMNIA penitus amputentur, quæ Tyrannicum tempus poterat habere tristissima. Vniuersos ergo præcipimus esse securos: exceptis quinque criminibus, quæ capite vindicantur. Dat. VIII. Id. Septemb. Lygduni. (c) Constantio A. VII. (d) & Constante C. Coss. [353.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* velut temporaria. *GOTHOFRED.*

(b) De hoc *Cereali* P. V. mox. *ID.*

(c) *Lygduni,* pro *Lugduni.* de qua loci circumstantia mox. *ID.*

(d) γρ. *Constantio Aug. VI. & Constante Cæs. II.* vt mox probabo. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imperatoris hæc Indulgentia est, post Magnentium Tyrannum superatum emissa. Tyrannis scilicet deuictis, oppressis indulgentiæ criminum quoque emitti seu edici solebant. Idque duplici ratione: vel enim iis, qui Tyrannorum partes secuti essent indulgentia Edicto promittebatur, vt ita ad Imperium & obsequium flecterentur, vt in specie *legis 11. h. t.* vel iis, qui Tyrannorum temporibus crimina admisissent, qui forte aliter euadendi non habuissent facultatem, nisi eos eadem crimina iuuissent: denique iis qui indigne quid vel inuidiose commisissent, vt in specie *legis vlt. inf. de infirmandis his quæ sub Tyrannis.* Quod vtcumque ἀμνηστείας genus fuit. Sane in specie huius *legis* nostræ posterius hoc præstatur, atque adeo hoc indulgentiæ genere crimina eorum temporum occasione admissa, singulari indulgentia remittuntur. Vt ita hoc Clementiæ exemplo sese Constantius Imp. commendaret, neue ad viuum resecando omnia Tyranno depulso, tyrannidis adhuc mala superessent, quo atrocius & periculosius nil. Sane hic idem Constantius superiore Anno 352. Magnentio nondum penitus profligato, simile Edictum, sed prioris generis, promulgauerat, quo scil. Indulgentiam & impunitatem Magnentii sectatoribus pollicitus fuerat, cuius commeminit Iulianus, *1. orat. pag. 38. edit. Lips. Spanhemii.* κηρύγματα δὲ ἦν λαμπρὰ, καὶ βασιλικῆς ἄξια μεγαλοψυχίας, ἄδεια δὲ πᾶσιν ἐδίδοτο τοῖς ταξαμένοις μετὰ τῦ τυράννυ, πλὴν εἴτις ἀνοσίων ἐκείνῳ φονῶν ἐκοινώνει: id est, *Edicta emissa magnifica & magnanimitate Regia digna, quibus omnibus qui cum Tyranno essent, impunitas promissa: præterquam iis, qui cum eo nefandarum cædium participes fuissent.* Vbi vides quoque similem ei, quæ *hac lege* continetur exceptionem, qua videlicet homicidæ nominatim ab hac Indulgentia excipiuntur. Quicquid tamen *hac lege* Constantius polliceatur, Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 5.* scribit post hanc *legem* hoc ipso Anno, Constantium in eos, qui cum Magnentio ausi fuerant conspirare, cum reniti non possent, sæuisse. Aduersus quam eius atrocitatem sufficiunt dicta ad *l. vlt. inf. de infirman. his quæ sub Tyran.*

Pertinet igitur hæc *lex* ad *Magnentium Tyrannum*, de quo non omnia prodige dici nunc oportet, sed ea tantum ferme, quæ ad ipsam temporum rationem pertinent, quæque tum inscriptionem, tum subscriptionem *huius legis* illustrare valent: Nam de hoc ipso Magnentio sunt præterea *lex 5. infr. de paganis: & lex 5. de infirmand. his quæ sub Tyrann.* Magnentius igitur, a *Lætis Francis* oriundus (de quo *Francica* docebunt) Constante Galliarum simul & Italiæ Imperatore cæso, *Sergio & Nigriniano Coss.* id est A. D. 350. *15. Kal. Febr.* Tyrannidem in Gallis assumpserat; Auctores eius rei Socrates, *lib. 2. cap. 25. 26.* Chronicon *Alexandrinum pag. 679. ed. Raderi.* Cassiodorus, Consularia *Idacio* subdita, Cedrenus, alii. Eodemque tempore *Nepotianus* Romæ Tyrannidem assumpserat, & *Vetranio* apud Syrmium. Magnentius ipse in Gallia Tyrannidem tenuit, mox Italiam, ipsamque Vrbem Romam, cæso Nepotiano, occupauit: itaque & instituti ab eo iudices in ipsa Vrbe Roma, & quidem Præfecti Vrbis, vt ostendam ad *l. 5. infr. de Paganis* (vbi de gestis ab eo in Vrbe Roma) imo & Consules: *Magnentium* quippe *& Gaisonem Consules* A. D. 351. ponit Author *Notitiæ Præfectorum Vrbi.* Qui sane Consules, neque hoc *Codice* neque vspiam alibi memorantur: quinimo nullæ *leges* eo anno latæ a Constantio *hoc Codice* occurrunt, vtpote Constantio in apparatu bellico aduersus Vetranionem & Magnentium occupato. Quinimo idem *Notitiæ* Auctor A. 352. *Decentium* (fratrem Magnentii) & *Paulum COSS.* ponit: pro quibus *hoc* quoque *Codice* habentur, *Constantius V. & Constans COSS.* Penetrauit mox idem Magnentius in Pannoniam, vbi anno illo superiore 352. Mursensi prælio deuictus a Constantio sub finem Autumni in Italiam fugatus est. Post hanc statim victoriam Constantius proposito illo Indulgentiæ edicto, quod ex Iuliano antea memorabam, Magnentii Sectatores in partes suas traducendos putauit, mox ipsum Magnentium in Italiam secutus est, vnde pariter in Galliam rursum fugatus Magnentius. Hinc est igitur quod Constantii *leges* superiore anno 352. occurrunt, Datæ *Syrmii* in Pannonia, & quidem ad Helpidium Consularem Pannoniæ vna, *l. 6. sup. de Veteranis:* & *l. 8. inf. de petitionib.* Mox & Mediolani, *l. 5. inf. de infirm. his quæ sub Tyran.* Cuius sane *legis* argumentum est de Magnentio hoc Tyranno & Iudicibus ab eo constitutis. Hinc est rursum, quod hoc ipso anno 353. duobus circiter mensibus ante hanc *legem* Constantii *lex 40. de decurionib.* data dicitur *Rauennæ.* Tandem, Magnentium in Galliam secutus est Constantius, vbi cum tribus annis & sex mensibus tyrannidem tenuisset in vniuersum, teste Eutropio *lib. 10. cap. 7.* & Zosimo *lib. 2. c. 54.* a Constantio plane deuictus est, *4. Id. Augusti:* vt Auctor est Scriptor *Fastorum Siculorum* siu. *Chron. Alexandrin. pag. 681. edit. Raderi.* vel vt Socrates testatur *lib. 2. cap. 32.* & verius videtur, *18. Kal. Septembris.* Igitur Magnentius ipse LVGDVNI se P. 271 interfecit, vt testantur Socrates *d. cap. 32.* & Sozomenus, *lib. 4. cap. 7.* Hac igitur Vrbe *Lugduno* recepta, ac tyrannide Magnentii penitus profligata, emissa statim ex ea Vrbe LVGDVNO hæc *lex* nostra a Constantio, siue hoc Edictum indulgentiæ, securitate

ritate promissa iis, qui in Italia vel ipsamet Vrbe Roma, Magnentii, vel etiam Nepotiani partes secuti fuissent, vel saltem per ea tempora criminibus sese obligassent. Exceptis tantum atrocioribus criminibus quinque, quæ capite vindicantur, quæque talia sunt, vt admisso nullius temporis obtentu excusari vel indulgeri possint. Quinque crimina ait; pariter: vt *lex 3. D. de bonis damnatorum. Quinque* inquit, *legibus damnatæ mulieri dos publicatur, Maiestatis, vis publicæ, parricidii, veneficii, de Sicariis:* rursum pariter vt duabus Constitutionibus, quas sub Theodosii M. nomine ex *Cod. Lugd.* & *Anic.* edidit nuper Sirmondus *in append. Cod. Theod. n. 7. 8.* (de quarum fide actum, *in Prolegomenis.*) cum tamen sex memorentur *l. 3. 4. h. t.* Imo octo, *l. 6. 7. 8. h. t.* Quæ qualia sint ex illis *legibus* apparebit. Sane superiore *lege 1.* Tria quoque crimina tantum excipiuntur, sub quibus tamen & aliæ species comprehenduntur. Ad horum criminum exceptionem ab Indulgentia Principis allusit quoque Chrysostomus *in ep. 1. ad Corinthios* λόγῳ *β. in fin.* Vtcunque sit, homicidium de eorum criminum numero esse notandum est: A quo non abhorret quod Iulianus *Orat. 1. Petau. 110. 112. 134. 144.* & *pag. 33. 34. 39. 40. edit. Lipf. Spanhem.* de cædibus a Magnentio patratis ait: imo conuenit omnino Indulgentia illa eius quam supra ex eodem memoraui.

Cæterum hæc *lex* data est *ad Cerealem Præfectum Vrbi*, ad quem ipsum paulo post mense Nouembri pariter data occurrit *lex 5. inf. de Paganis*, qua sacrificia nocturna Magnentio Auctore permissa aboleri iubentur.

Ad hunc eundem Cerealem est quoque *lex 9. inf. quorum appellat.* Eius denique meminit hoc ipso Anno 353. Auctor *Notitiæ Præfectorum Vrbi* & superioris anni fine, vbi ostendit eum Præfectum fuisse Vrbi a Sext. Kal. Octobr. Anni 352. ad Sext. vsque Id. Decembr. huius anni 353. Quod & ipsum postremum in partem arguit *d. lex 5. inf. de paganis.*

Præteriri etiam non debet vetus inscriptio *basis, statuæ equestris, quæ reperta anno MDXLVII. ad arcum Septimii Seueri*, quæque huius de Magnentio victoriæ, simul & Cerealis huius P. V. mentionem conseruat. Citat eam Baronius *in Annalib. an. 353. n. 9.* & Gruterus CCLXXX. 6.

RESTITVTORI. VRBIS. ROMAE. ATQVE ORBI
ET. EXTINCTORI. PESTIFERAE. TYRANNIDIS
D. N. FL. IVL. CONSTANTIO. VICTORI. AC. TRIVMFATORI
SEMPER. AVGVSTO

NERATIVS. CEREALIS. V. C. PRAEFECTVS. VRBI
VICE SACRA. IVDICANS. D. N. M. QVE. EIVS.

Ex his omnibus iam elucet, hanc legem referendam ad A. D. 353. seu Consulatum *Constantii VI. & Constantis Cæs. II.* non etiam, vt corrupte editum, ad Consulatum *Constantii VII.* id est, ad A. D. 354. Denique ex his iam liquet, de tribus: puta cur *Lugduni* data hæc *lex* fuerit, curque ad *Cerealem Præfectum Vrbi* ea emissa sit, postremum de quo *Tyranno* senserit Constantius *hac leg.*

Paschalis *Valentiniani Sen. indulgentia, omnium antiquissima. A. D. 367.*

III. (a) Imppp. Valentinianvs, Valens, & Gratianus (b) AAA. ad Viuentium P. V. (c)

Ob diem Paschæ (quem intimo corde celebramus) omnibus quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissoluimus: Adtamen Sacrilegus, in Maiestate (d) reus, in mortuos (e) veneficus, siue maleficus, adulter, raptor, homicida, communione (f) istius muneris separentur. Dat. III. Non. Maii, (g) Rom. (h) Lupicino & Iouiano (i) Coss. [367.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* pariter vt *lex* 4. 6. 7. Atque ita non nisi vnica *lex* de Paschali Indulgentia, e quinque quæ *hoc titulo* comprehensæ sunt, in *Cod. Iust.* relata est: puta *lex* 8. *in l. 3. C. eod. de Episcop. aud.* Cui tamen lacinia quædam attexta est e fine *l. 6. h. t.* Memorat hanc quoque *legem* Baronius A. D. 367. *n.* 1. GOTHOFRED.

(b) *Gratiani* nomen inducendum, vt docet Temporum ratio: vid. *Chronologiam Theod.* mense quippe Augusto demum Gratianus Ambianis a Patre Valentiniano Augustus renunciatus fuit: quod iam etiam Doctiss. Petitus notauit *Comm. in leges Atticas, p.* 38. cuius verba vide in *d. Chronolog.* IDEM.

(c) *Viuentius* P. V. *Romæ* sub Valentiniano Sen. de quo mox. ID.

(d) *In Maiestatem reus*, id est, Maiestatis reus. ID.

(e) Necromantiam intelligit. IDEM.

(f) Pro *a communione*: quomodo etiam hic forte scriptum fuerat. IDEM.

(g) An reponendum *Martii*: Emissæ enim hæ Paschales Indulgentiæ ante vel circa diem Paschæ, καταλαβούσης τῆς ἑορτῆς ταύτης, vt ait Chrysostomus. Et vt idem testatur *Homil. 30. in cap. 11. Genes. p.* 427. *Paris. edit.* & *pag.* 294. *num.* 1. *Tom. IV. Oper. edit. Benedictin.* in magna Hebdomada quæ Pascha præcedit, pariter *sermone in magnam Hebdomadam, tomo Sauil. 5. p.* 541. qui vtique in Maium nunquam incidit, sed vel in Martium vel Aprilem. Dominica enim Paschalis hoc æuo citima Martii 16. vel vt alii 22. remotissima Aprilis 25. vel 30. Et vero hoc anno Pascha celebratum *Kalendis Aprilis.* Verum de hoc mox. ID.

(h) *ye. Rem.* Remis enim hoc tempore versabatur Valentinianus: vt docent superioris anni *leges*, & huius complurimæ. Quod etiam notauit Doctiss. Petitus *Comment. in leges Atticas, p.* 18. 39 Fidem facit *Chronologia Theodosiana.* Quin & Ammianus Marcellinus, *lib. 26. cap.* 5. Sane idem error admissus *in l. 4. inf. de Metallis*: & *l. 13. inf. de Susceptorib.* Nisi *data* hic accipiendum pro *Accepta.* ID.

(i) *ye. Iouino.* Quanquam & *l. 11. inf. de pœnis*: & apud Socratem etiam *lib. 4. Historiæ Ecclesiast. cap. 11. initio*, huius consulis nomen ita quoque effertur. ID.

COMMEN-

P.272.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. tres *leges* seu Indulgentiæ sequuntur: & duæ quidem priores Paschales Indulgentiæ, ob PASCHÆ scil. celebritatem, seu Festo Paschatis (de quo festo dixi ad *l. omnes dies 2. sup. de feriis:* quam, vt alia omittam, Gregorius Nazianzenus *Orat. funebri in Patrem, 19. num. 31. p. 304. init. edit. Colon. siu. Lipsi. apud Weidmann. 1690.* βασιλίσσαν τῶν ἡμερῶν ἡμέραν, *diem dierum regem*, vocat. Idem *sermone* de hac festiuitate *secundo* siu. *orat. 42. num. 3. pag. 676. edit. cit.* αὕτη, inquit, ἑορτῶν ἡμῖν ἑορτὴ, καὶ πανήγυρις πανηγύρεων, τοσοῦτον ὑπεραίρουσα πάσας, οὐ τὰς ἀνθρωπικὰς μόνον, καὶ χαμαὶ ἐρχομένας, ἀλλ' ἤδη καὶ τὰς αὐτοῦ Χριστοῦ, καὶ ἐπ' αὐτῷ τελουμένας, ὅσον ἀστέρας ἥλιος: *Hæc nobis festiuitatum festiuitas, & celebritatum celebritas; tanto cæteris omnibus, non solum humanis & humi defixis, sed iis etiam, quæ ipsius Christi sunt, ac propter ipsum celebrantur, superior, quanto sol stellas antecellit.* Ibidem *num. 6. pag. 677.* μεγίστην ἡμερῶν vocat) appetente, Indulgentia criminum a Principibus Christianis emitti solita: Cuiusmodi Indulgentiæ Paschales quinque in vniuersum *hoc titulo* occurrunt, *hac*, inquam *lege 3.* & *l. 4. 6. 7. 8. infr.* quæ quidem omnes sunt huius muneris (vt *hac l.* vocatur) id est Indulgentiæ Paschalis Edicta; quarum quidem duæ priores sunt Valentiniani Sen. tres posteriores, Valentiniani Iunioris: e quibus *vnicam* tantum, puta *legem 8.* habet *Codex Iustin.* sub *tit. de Episcop. aud.* Et eius alioquin quæ apud Gothos quoque deinceps in vsu fuit, formula elegans extat apud Cassiodorum, *lib. XI. form. vlt.* Meminere huius Indulgentiæ passim Patres Ambrosius, *Epist. 14. pag. 205. Tom. V. Oper. edit. Paris. Felicis Cardinal. de Mont. Alt.* vbi exprobrat Imperatori, quod Iustinæ Matris suasione Paschatis tempore pios viros carceri mancipasset, quo vincti alioquin dimitti solerent. *Itaque* inquit, *Sanctis diebus hebdomadis vltimæ, quibus solebant debitorum laxari vincula, strident catenæ, imponuntur colla innocentium.* Meminit & Gregorius Nyssenus *orat. 3. de Resurrectione Christi:* οὐδεὶς δὲ, inquit, οὕτως κατώδυνος, ὡς ἄνεσιν μὴ εὑρέσθαι τῇ μεγαλοπρεπείᾳ τῆς ἑορτῆς, νῦν ὁ δεσμώτης λύεται, ὁ χρεώστης ἀφίεται, ὁ δοῦλος ἐλευθεροῦται τῷ ἀγαθῷ καὶ φιλανθρώπῳ τῆς ἐκκλησίας κηρύγματι, &c. id est: *Nullus adeo ægritudine pressus & obnoxius est, quin per huius festi* [de Paschate loquitur] *magnificentiam, mali sui remissionem sentiat atque leuamen: hoc die nexi soluuntur, debitor dimittitur, seruus bono & humano præconio atque Edicto Ecclesiæ manumittitur.* Qui locus vel eo quoque singularis est, quod docet, manumissiones in Ecclesia Paschali die celebrari solitas, de qua alioquin manumissione in Ecclesia suo titulo, *sup. de manumission. in Ecclesia.* Meminit huius Paschalis indulgentiæ, & quidem a Theodosio M. datæ, eo ipso anno & tempore, quo tumultus Antiochenus exortus, statuæque Imperatoriæ deiectæ, id est A. D. 387. Chrysostomus *homilia ad populum Antiochenum. 6. pag. edit. Paris. 84.* siu. *num. 3. pag. 76. Tom. II. Oper. edit. Benedictin.* τὴν παροῦσαν ἑορτὴν, ἣν καὶ ἄπιστοι αἰδοῦνται σχεδὸν πάντες, ἣν καὶ αὐτὸς οὗτος ὁ θεοφιλὴς βασιλεὺς, οὕτω ᾐδέσθη καὶ ἐτίμησεν, ὡς ἅπαντας τοὺς πρὸ αὐτοῦ μετ' εὐσεβείας κρατήσαντας ὑπερβαλλέσθαι βασιλέας· ἐν ταύταις γοῦν ταῖς ἡμέραις πέμψας ἐπιστολὴν εἰς τιμὴν τῆς ἑορτῆς, τοὺς τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντας σχεδὸν ἀφῆκεν ἅπαντας, καὶ ταύτην ὁ ἱερεὺς ὁ ἡμέτερος εἰσελθὼν ἀναγνώσεται τὴν ἐπιστολὴν πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ τῶν οἰκείων αὐτὸν ἀναμνήσει νόμων, καὶ ἐρεῖ πρὸς αὐτὸν, ὅτι σὺ σαυτὸν παρακάλεσον, καὶ τὰ σαυτοῦ μέμνησο, οἴκοθεν ἔχεις τὸ παράδειγμα τῆς φιλανθρωπίας· δίκαιον οὐκ εἶλε ποιῆσαι φόνον, καὶ ἄδικον ὑπομένεις ἐργάσασθαι; τοὺς ἐληλεγμένους καὶ καταδικασθέντας τὴν ἑορτὴν αἰδεσθεὶς ἀφῆκας, καὶ τοὺς ἀνευθύνους, καὶ μηδὲν τετολμηκότας κατακρινεῖς: id est: *Per hos dies Imperator missa Epistola in honorem festi, omnes ferme qui carcere detinebantur liberos dimisit. Hanc ergo cum ad Imperatorem venerit Sacerdos noster epistolam ipsi præleget, suasque ipsi leges in memoriam reuocabit, & ad eum dicet: Temet mone tuorumque memor esto: domi tuæ, vel a teipso humanitatis exemplar habes: Noluisti iustam cædem facere, & iniustam poteris admittere? conuictos & condemnatos ob festi reuerentiam dimisisti, & non obnoxios, nihilque ausos damnabis?* Et paulo post ead. pag. super ea Indulgentia, σὺ διὰ τῆς ἐπιστολῆς ταύτης διαλεγόμενος ταῖς πόλεσι πάσαις ἔλεγες, εἴθε μοι δυνατὸν ἦν καὶ τοὺς νεκροὺς ἀναστῆσαι, *tu hanc epistolam ciuitatibus omnibus mittens, aiebas; vtinam & defunctos resuscitare possem.* Et idem rursum Chrysostomus Flauianum Episcopum Antiochenum, *tom. 4. p. 441.* in reconciliationem Imperatoris cum ciuitate, *homil. 20. ad Populum,* siu. *Homil. 21. pag. 219. num. 3. Tom. II. Oper. edit. Benedict.* Imperatorem Theodosium M. inducit alloquentem. μέμνησαι, inquit, πρώην, ὅτε τῆς ἑορτῆς ταύτης καταλαβούσης ἐπιστολὴν ἔπεμψας πανταχοῦ τοῖς οἰκουμένοις, κελεύουσαν τοὺς τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντας ἀφεῖναι, καὶ συγχωρεῖν αὐτοῖς τὰ ἐγκλήματα καὶ ὡς οὐκ ἀρκούντων ἐκείνων δεῖξαι σοῦ τὴν φιλανθρωπίαν, ἔλεγες διὰ τῶν γραμμάτων, ὅτι εἴθε μοι δυνατὸν ἦν, καὶ τοὺς ἀπελθόντας καλέσαι, καὶ πρὸς τὴν προτέραν ἀναγαγεῖν ζωήν: id est: *Meministi nuper cum hoc festo appetente epistolam per totum orbem misisti, iubentem, eos omnes qui carcere detinebantur, dimitti; eisque crimina indulgeri. Quin atque si hæc humanitati tuæ testificandæ non sufficerent, in hæc verba scripsisti:* VTINAM MIHI ET MORTVOS REVOCARE ATQVE AD PRISTINAM VITAM REDVCERE LICERET. Quæ Theodosii M. Indulgentia Paschalis hodie *hoc Codice Theodosiano* non extat. Plures quoque anni sunt cum suspicabar Indulgentiam illam Theodosii M, quam Themistius *Orat. 5. edit. Petau.* siu. *orat. 19. pag. 231. edit. Harduini,* effert, eodem pertinere: eam quippe in longinquas regiones peruasisse ait, & post eam, reos lugubri amictu deposito, ἀθρόον ἑώρταζον ἑορτήν. Verum attente eam Orationem legenti mihi nunc placet, non agi ibi de solenni aliqua Paschali Indulgentia, qua sane Maiestatis Rei nunquam comprehendebantur, vt docet *lex 3. sup. l. 4. 6. 7. 8. inf.* verum de extraordinaria, quæ facta Maiestatis reis. Quam sententiam tueri vidi quoque postea Petauium *in not. ad cit. Themist. orat. pag. 489. ed. Harduin.* & in *animaduersionib. ad Epiphanii exposition. fidei, pag. 365. Tom. II. Oper. edit. Colon. apud Ierem. Schrey.* Editæ sunt & nuper eiusdem Theodosii duæ Indulgentiæ in *append. Cod. Theodosiani,* quarum vna sine temporis characterismo ad Eutropium Præfectum Prætorio data dicitur (qui sane Præfectus Prætorio fuit A. D. 380. & 381.) & altera ad Antiochenum, qui & Spectabilitatis titulum ibi obtinet. *Data X. Kal. Maias Honorio NB. P. & Euodio COSS.* id est A. D. 386. verum de earum fide alibi viderimus. Meminit rursum huius Indulgentiæ, proculdubio a Theodosio vel Arcadio factæ, Chrysostomus *tom. 5. Saviliano sermone in magnam Hebdomadam, pag. 541.* vbi postquam de Hebdomada Antepaschali Iuridicis diebus Imperatoria constitutione exempta egit, subiicit: οὐ ταύτῃ δὲ μόνον αὐτὴν τετιμήκασι τῇ

σπουδῇ

σπȣδῆ καὶ τιμῇ, ἀλλὰ καὶ ἑτέρᾳ ȣκ ἐλάττονι ταύτης βασιλικὰ καταπέμπονται γράμματα λέγοντα τȣ̀ς τὸ δεσμωτήριον οἰκȣ̃ντας ἀφίεσθαι τῶν δεσμῶν: *Non hac vero solum eam veneratione atque studio dignam iudicarunt, sed & alio hoc non minore. Imperatoria edicta emittuntur, quibus inclusi carcere vinculis solui iubentur.* Vbi etiam causam huius Indulgentiæ Paschalis reddit. Pariter vt *homil. 30. in cap. 11. Genes. p. 427. Paris. edit.* & *pag. 294. num. 1. Tom. IV. Oper. edit. Benedictin.* καὶ ȣ̓ τȣ̃το μόνον, ἀλλὰ καὶ ἑτέραν φιλοτιμίαν ἐπιδείκνυνται [οἱ βασιλεῖς ἐν τῇ μεγάλῃ ἑβδομάδι] τȣ̀ς τὸ δεσμωτήριον οἰκȣ̃ντας ἀφιᾶσι τῶν δεσμῶν, καὶ κατὰ δύναμιν ἀνθρωπίνην μιμȣ̃νται τὴν ἑαυτῶν δεσπότην: *& non hoc solum, sed & aliam liberalitatem ostendunt (Imperatores in magna hebdomada) eos enim qui in carceribus sunt, a vinculis soluunt, & pro humana facultate dominum suum imitantur.* Meminerunt huius Indulgentiæ Paschalis & Monachi Eutychis hæretici, in libello supplice ad Pseudo-Synodum Ephesinam in actis Concilii Chalcedonensis *action. prim. pag. 233. 234. in fin. Tom. II. Concilior. edit. Harduin.* καθ᾽ ἣν (diem Paschatis) λύεται μὲν τοῖς πλείστοις τῶν ἡμαρτηκότων τὰ ἀπὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν ἐπιτίμια, λύεται δὲ παρὰ τῶν βασιλευόντων ἐπὶ τῶν ἐγκλημάτων τὰ δεσμὰ τοῖς ὑπευθύνοις: *in qua quidem & plurimis peccatoribus a sanctis patribus nostris damnationes soluuntur: verum & ab Imperatoribus criminalia reis vincula relaxantur.*

Porro moris huius atque Indulgentiæ Paschalis haud antiquior mihi mentio occurrit, quam *hac ipsa*
P.273. *lege*, quæ *Valentinianum Seniorem* authorem habet. Et sane ita omnino existimo, Valentinianum Sen. primum huius Indulgentiæ Paschalis auctorem fuisse: atque adeo *hac lege* primum eius ea de re Edictum contineri A. D. 367. Cuius etiam initio, huius instituti sui causam reddit: peculiarem videlicet suam erga eum diem deuotionem: *Ob diem Paschæ quem intimo corde celebramus*, &c. Et quidem in Vrbe Roma primum, vel potissimum, vsurpatus hic mos: vt docet præter hanc legem, *lex prox. 4. 6. & 7.* Propagatum dein exemplum ad prouincias: de quo est *lex 8.*

Et sane Viuentio Præfecto Vrbis *hanc leg.* inscribi obseruandum est: cui eidem alioquin inscribitur hoc ipso Anno *l. 11. inf. de pœnis.* Eiusdemque meminit Ammianus Marcellinus, *lib. 27. cap. 3.* Qui quidem *Viuentius* ille est, sub quo exorta seditio illa cruenta quam describit idem Ammianus Marcellinus *dicto loco.* Neque ambigo, quin huius facti, seu Indulgentiæ Paschalis Valentiniano auctor fuerit *Damasus Episcopus Romanus*, qui superiori Anno 366. electus fuit, non 367. vt Baronio visum, vt alibi pluribus ostendo. Sane recens etiam huius Indulgentiæ Paschalis institutum esse, indicare videtur ipse Valentinianus *lege prox.* quem Principem, aliis quoque argumentis comperio, Religionis Christianæ venerationem variis rationibus auctum iuisse: inter cætera, comportatis spoliis e Templis Gentilium in Ecclesiam: quod Iulianus versa vice facere instituerat. Atque hoc etiam inter alia complurima argumento apparet, librum *de Cardinalibus operibus Christi*, perperam S. Cypriano Carthaginensi tribui, cum in eo fiat huius Indulgentiæ mentio.

Traductus autem proculdubio Indulgentiæ huius Paschalis mos a Iudæis, apud quos, vnde vnde mos ille inuectus fuerit, (de quo Grotius ad *cap. 27. Matth. v. 15.*) solemnibus diebus vnum e vinculis dimittere mos erat, ac nominatim festo Paschali, vt ex Euangelio patet. Quod & Pentecostes & Tabernaculorum diebus factum: Quanquam & apud Gentiles quoque diebus solemnioribus festorum vincti soluti. Ita diebus Cereri sacris, vincti soluti ex lege Græcorum, cuius meminit Sopater ἐν διαιρέσει ζητημάτων: τȣ̀ς δεσμώτας, inquit, τοῖς θεσμοφορίοις λύεσθαι. Item in Panathenæis: Vlpianus ad illa Demosthenis πολλὰς πενταετηρίδας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ διατρέψαντα, ex oratione κατὰ Τιμοκράτȣς *pag. 821. edit. Francf. Hieron. Wolfii.* sic notat: κατὰ πέντε ἔτη ἤγετο τὰ παναθήναια. τότε δὲ ἐξῆν ἀφεῖσθαι τȣ̃ δεσμȣ̃ τȣ̀ς δεσμώτας διὰ τὴν πανήγυριν, ὡς ἔγνωμεν ἐν τῷ κατὰ Ἀνδροτίωνος: *quinto quoque anno Panathenæa solebant celebrari. Tum vero licebat vinctis exire vinculis, propter celebritatem ludorum, vt in Androtiana cognouimus.* Sed & idem Romæ fiebat, *Liuius lib. 5. cap. 13.* in descriptione Lectisternii quod primum factum in Vrbe A. CCCLV. *Et cum inimicis quoque benigne & comiter sermones habiti, iurgiis ac litibus temperatum, vinctis quoque dempta in eos dies vincula.*

Tandem obseruandum, vt ex *h. l.* ita ex reliquis quatuor, Indulgentiam hanc Paschalem non pertinuisse ad sex atrociorum criminum reos. Quod etiam in illa apud Cassiodorum indulgentia expressum; de quo plenius dicam ad *leg. 6.*

Cæterum ne quis turbetur characterismo diei & mensis *huic legi* apposito III. *Non. Maii*, notandum, id non referendum ad diem quo Pascha celebratum, multo minus ante id, quando nunquam Pascha in eum diem incidit, verum citerius, & vero his Coss. Pascha celebratum *Kalendis Aprilis*: vide Victorii *Canonem Paschalem*, & *supr. in Notis* iam dixi. Verum cum post Paschatis diem elapsum, reus quidam in foro Præfecti Vrbis conueniretur, veluti sacrilegii reus, aut maleficus: is vero obtenderet, repeti se amplius non posse, quasi Paschali Indulgentia comprehensum; dubitatum ea de re, atque ad Valentinianum Imp. relatum: Et ita quidem sentio, etsi Doctissimus Petitus, *comment. in leges Atticas p. 40.* rescribendum putet III. *Non. Mart.* vt ita appetente Paschate hæc *lex* lata fuerit. In magna certe Hebdomada huiusmodi Indulgentias emissas testatur Chrysostomus *duobus illis locis*; quos antea consignaui.

Interim hic cumulare iuuat quæ *hoc titulo* de Paschate, & Paschalibus diebus occurrunt elogia: *ob diem Paschæ*, inquit Valentinianus Sen. *h. l. quem intimo corde celebramus*: Idem *l. prox. 4. Paschæ celebritatem* vocat: *Paschalis lætitiæ diem*, Valentinianus Iun. *l. 6.* idem *l. 7. Religionem anniuersariæ obsecrationis.* Idem *l. 8. Gaudia & lætitiam communem* his tribuit: mox, *dies sanctos* vocat. Quæ omnia testantur venerationem, sanctitatem & lætitiam huius festi: & elogiis quæ *initio* ex Gregorio Nazianzeno notaui, respondent.

Altera PASCHALIS *Indulgentia Valentiniani Sen.*
A. D. 368.

IV. (a) Idem (b) AAA. ad Olybrium (c) P. V.

PASCHÆ celebritas postulat, vt quoscunque nunc (d) ægra exspectatio quæstionis, pœnæque formido sollicitat, absoluamus: Decretis tamen *Veterum* + mos gerendus est, ne

ne temere homicidii crimen, adulterii fœditatem, (e) maiestatis iniuriam, (f) maleficiorum scelus, (g) insidias (h) venenorum, raptusque violentiam sinamus euadere. Lecta (i) VIII. Id Iun. (k) Valentiniano & Valente II. AA. Coss. [368.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abest a *Cod. Iust.* omisit eam Baronius: qua tamen Historia Ecclesiastica Anni 368. augeri potuit. *GOTHOFR.*

(b) Recte hic *Gratiani* nomen additum: vide *Consular. Theodos. ID.*

(c) *Olybrius* PV. Romæ sub Valentiniano Sen. De eo vide Amm. Marcellinum *lib. 28. cap.* 1. Fuit vero hic Olybrius Præfectus Vrbi integrum triennium Anno videl. 368. 369. 370. vid. *Prosopogr. ID.*

(d) Nota hanc vocem *nunc*, imminente scilicet Paschali celebritate, indulgentiæ hæ emissæ: de quo ad *leg. superiorem. ID.*

† Quænam hæc Veterum decreta? Dicam mox. *ID.*

(e) Κυριολογία hic bene obseruata, Marcellinus *lib. 16. cap.* 8. *nec adulterii fœditate suppressa.* Sane *l.* 2. *sup. ad leg. Iul. de adulteriis*, fœdandi quoque verbum, hac in re vsurpatur. *ID.*

(f) *Iniuria* Maiestatis proprie. *ID.*

(g) *Scelus maleficiorum*, vide *sup. tit. de maleficiis. ID.*

(h) Insidiæ venenorum: vide *titulum* horum ad *L. Cornel. de Sicariis & Veneficiis. ID.*

(i) *Lecta* lex in Senatu proculdubio, v. *Prolegomena.* Lecta porro hæc lex seu indulgentia, quomodo & recitata, quæ continetur *l. 6. inf. ID.*

(k) *Id. Mai.* vid. *Chronol. & Commentar. RITTER.*

P. 274

COMMENTARIVS.

PASCHALIS Indulgentia a Valentiniano Seniore emissa hæc altera est A. D. 368. cuius eadem est quæ superioris sententia, Anno Superiore datæ. Ex qua magis magisque confirmor, Valentinianum primum Authorem Paschalis huius Indulgentiæ fuisse: Cæterum mirum, quod etiam Doctiss. Petitus notauit *in leg. Attic. pag. 40.* hanc legem *Id. Iunias* primum lectam, Itaque error hic mihi residere videtur. Emissæ quippe hæ Indulgentiæ Paschales appetente Paschate: atquin in *Iunium* mensem Pascha nunquam incidit. Malim itaque *VIII. Idium* [Apr.] Porro apertissime initium *legis* ostendit circa festum Paschæ hanc *legem* latam. *Paschæ celebritas postulat, Vt quoscumque* NVNC *ægra expectatio sollicitat.* Pascha vero hoc Anno celebratum *XVI. Kal. Maias* nonnullis Latinorum *X. Kal. April.* vide Victorii *canonem.*

Quod recensum attinet exceptorum criminum ab indulgentia Paschali, est ea paulum diuersa ab eo qui fit *lege superiore*; vbi & obscurum videri possit quod de *decretis veterum* additur. Sed enim hic intelliguntur *leges Iuliæ* & *Corneliæ*, similesque, quæ crimina persequuntur, & persequi iubent. Quæque tacite hic opponi videntur recenti instituto indulgentiarum Paschalium, vt ad *legem* Superiorem monebam: hoc videl. sensu: hactenus quidem a decretis Veterum recedi, quæ delicta puniri iubent, vt Indulgentiæ ad leuiora delicta tantum pertineant: in atrocioribus vero criminibus, decretis Veterum mos geratur.

GENERALEM *indulgentiam criminis alicuius a toto aliquo corpore, veluti a Senatu, non recte peti.*

V. (a) Idem AAA. ad Senatum. (b)

INDVLGENTIA, Patres Conscribti, quos liberat, notat; nec infamiam criminis (c) tollit, sed pœnæ gratiam facit: (d) In vno (e) hoc, aut in duobus reis ratum (f) fit: Qui indulgentiam Senatui dat, damnat Senatum. Dat. XIV. (g) Kal. Iun. Treu. Gratiano A. II. & Probo Coss. [371.]

NOTAE.

(a) *Lex vlt. Cod. Iust. de generali abolitione.* Iungenda huic *lex 9. sup. de maleficiis*, quæ huic nostræ coniuncta, ei non minimum lucis admouet. *GOTHOFR.*

(b) Vrbis Romæ. de quo mox plura. *ID.*

(c) Veluti Maleficii, in specie *huius legis. ID.*

(d) Reliqua absunt a Cod. Iust. *RITTER.*

(e) Senatore videlicet, maleficii reo. *GOTHOFR.*

(f) id est, indulgentiæ vsus & petitio valeat. *ID.*

(g) *IIII. d. leg. 9. supr. RITTER.*

COMMENTARIVS.

SENATVI toti Romano Indulgentiam petenti, propter Senatores videlicet quamplurimos criminis cuiusdam (de quo mox) reos, denegat hac oratione, ad ipsummet Senatum emissa, Valentinianus

nianus Sen. A. D. 371. Singulis scil. Senatoribus indulgentiam suam promptam paratam pollicetur, a toto vero Senatu simul & semel indulgentiam seu abolitionem generalem a se recte peti negat. Nempe quod huiusmodi indulgentia toti Senatui data, cum totius Senatus infamia coniuncta foret. Cum Senatus dignitas omnem omnino notam & infamiam respuat. Est enim Senatorius Ordo humani generis pars melior (vt apud Symmachum vocatur) quem dehonestari neque sic, Indulgentia videlicet data, oportet.

Porro abolitionem hanc generalem cum infamia totius Ordinis coniunctam ita probat triplici sententia: Nempe quod, vt eleganter ait, *eos ipsos quos liberat, notat.* Rursum, quod *indulgentia pœnæ quidem gratiam facit, at non etiam infamiam criminis tollit.* Denique quod *qui indulgentiam Senatui dat, eo ipso Senatum damnat.* Tantum abest scil. indulgentia infamiam criminis tollat, vt contra eam inurat, & eum cui datur, notet damnetque. Quod & cæteroquin in singulis & priuatis verum est. Notum illud Claudii Imperatoris, apud Suetonium *cap. 16.* qui cum orantibus familiaribus dempsisset cuidam appositam notam, tamen iudicii sui censorii testimonium aliquod extare cupiens; *litura tamen*, inquit, *extet.* Notum & illud *Poëtæ* (quod etiam *Glossa* citauit.) *Ep. ex Pont. l. 1. v. 64.*

Pœna potest demi, culpa perennis erit.

Plinius quoque *lib. 9. Epist. 13. Si pœna flagitii manifesti remittatur, nota certe quasi censoria inuratur.* Liuius *l. 45. c. 24. His, qui nos pœna, non crimine liberant, gratiam habemus.* &c. Elegans & Augustini hanc in rem nostram locus *Epist. 259. siue 151. n. 11. edit. Benedictin. ad Cecilianum. Nec indulgentia,* inquit, *illis danda visa est, ne* Vel Sic *aliquo crimine notarentur, sed tantum commonitorium, quo eos ab omni molestia liberos dimittere iuberetur.* Qui locus singularis est, & singularem cautelam continet: ostendit enim cum indulgentia cum infamia quadam coniuncta foret, eius euitandæ gratia, commonitorium securitatis indulgentiæ vice impetratum. Eademque ratio & cautela altera fuit Euocationis, si videlicet Princeps in iudiciis conuictos ad se suamque cognitionem euocaret: Symmachus *lib. 4. Epistol. 68. Nuper*, inquit, *a Principibus inuictis, ne per Indulgentiam liberaretur, accitus est, magisque honore quam venia fatum triste mutauit, nec tam ereptus est, quam desideratus.* Quæ quidem Symmachi Epistola pertinet ad indulgentiam Tyranni *Maximi* sectatoribus datam, vt magis adhuc docet *Epistola 73. lib. 3.* Et ita quidem interim duæ cautelæ illæ, quæ nostris *Eurematica*, notandæ sunt, P. 275. quibus venia criminis citra notam dari potest; non indulgentia quidem criminis tributa, verum commonitorio liberationis, & Euocationis. Quæ ad praxin vtiliter traduci possunt.

Criminis igitur gratia honorificentius fit commonitorio securitatis, aut Euocatoria, quia Indulgentiæ nomen cum infamia coniunctum est. Sane Philippus Imperator quoque, in *l. 7. Cod. Iust. de sententiam passis & restitutis* (quam plenius explicabo *ad leg. 10. infr.*) scribit: *Generalis Indulgentia nostra reditum exulibus seu deportatis tribuit, non etiam loca militiæ pridem adempta concessit, neque integram atque illibatam existimationem reseruauit.* Verum Indulgentia illa *Philippica* huic nostræ similis non est. Est enim de pœnæ iam inflictæ remissione, quam Nos vocamus *Rappel de ban:* vt ad *l. 10.* plenius ostensuri sumus. Imo si coniicere licet, omnino crediderim indulgentiam illam Philippicam esse *secularem* indulgentiam, datam occasione secularis lætitiæ: qua videlicet Philippus Millesimum ab Vrbe condita annum, Consulatu suo & filii celebrauit. De quo videndus est Capitolinus, *in Gordiano Tertio cap. 33. in fin.* Victor *in Philippis cap. 28.* Alii.

Vt ad *legem* nostram redeamus & hypothesin eius ostendamus, pertinet *species* eius ad Maleficii & Magiæ crimen, cuius infamia hoc tempore Senatorum plurimi stringebantur siue laborabant, vt docet *lex 9. sup. de maleficiis*, quam *huic* nostræ coniungendam dixi, & expressius adhuc *lex 10. eod. tit.* cuius rei historiam exequitur luculente Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1.* Igitur, cum Valentinianus seuerius, nimioque rigore in id inquiri iussisset (vt idem Marcellinus *d. cap. 1. pag. 558. edit. Gronou.* refert) missi a Nobilitate seu *Senatu* legati ad Valentinianum, cum iam nemo non ferme Senatorum huius criminis reus fieret, quod etiam hæc ipsa Valentiniani Oratio, seu ad Senatum responsio, satis testatur, qui inter alia peterent huius criminis indulgentiam simul & semel toti Senatui fieri. Sane idem Ammianus Marcellinus quoque *d. cap. 1. pag. 559. edit. cit.* meminit Legationis cuiusdam super hoc ipso negotio ad Valentinianum missæ: sed quam hac posteriorem & ad *leg. 10. sup. de maleficiis* referendam existimo. Valentinianus autem cum in hoc crimen serio & sigillatim inquiri vellet, hoc egregio obtentu seu prætextu, ad eludendam Senatus petitionem, vsus est; Quod indulgentia Senatui data, Senatum damnatura & infamatura esset. Hoc tamen ad clementiæ speciem addito, se, si pro singulis & certis quibusdam Senatoribus peteretur; indulgentiam non illibenter denegaturum: *In vno hoc*, inquit [Senatore videlicet] *aut in duobus reis, ratum sit:* (non vero in vniuerso Senatu) *nam qui indulgentiam Senatui dat, damnat Senatum.* Est igitur hæc *lex* inani honestatis tantum velamento succincta seu velata, si recte coniicimus.

Paschalis *indulgentia Valentiniani Iun. A. D. 381.*

VI. (a) Imppp. Gratianus, Valent. & Theod. AAA. ad Antidium V. C. Vicarium. (b)

Paschalis lætitiæ (c) dies ne illa quidem tenere (d) sinit ingenia, quæ flagitia fecerunt: pateat insuetis horridus carcer aliquando luminibus. (e) Alienum autem censemus ab Indulgentia, qui nefariam criminum conscientiam 1. in *Maiestatem* superbe animauerit; 2. qui *Parricidali* furore raptus sanguine proprio manum tinxit: 3. qui cuiusque præterea hominis *Cæde* maculatus est: 4. qui *Genialis* (f) tori ac lectuli fuit inuasor alieni: 5. qui verecundiæ virginalis *Raptor* extitit: 6. qui venerandum cognati (g) sanguinis vinculum profano cæcus violauit *Incestu:* 7. vel qui noxiis quæsita graminibus & diris inmurmurata (h) secretis, mentis & corporis *venena* composuit: 8. aut qui, sacri (i) oris *imitator*, & diuinorum vultuum adpetitor, venerabiles formas sacrilegio eruditus (k) inpressit. His * ergo tali quoque sub absolutione (l) damnatis, indultum nostræ

Serenitatis eo præcepti fine concludimus, vt remissionem veniæ crimina nisi semel commissa, non habeant; ne (m) in eos liberalitatis Augustæ referatur humanitas, qui inpunitatem veteris admissi non emendationi potius, quam consuetudini deputarunt. (n) Recitata (o) XII. Kal. Aug. (p) Rom. Syagrio & Eucherio Coss. [381.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* Sed & eam quoque Baronius omisit: qua tamen Historia Ecclesiastica A. D. 381. augeri potuit. *GOTHOFREDVS.*

(b) Ad Vicarium Vrbis Romæ pariter dirigitur Secunda Valentiniani Iunioris Indulgentia, quæ continetur *lege prox. seq. IDEM.*

(c) Cassiodorus IV. *Var. 42. cum Paschalibus diebus paterni luctus essent vulnere sauciati, & ipso* LÆTITIÆ *tempore soli cogerentur tristitiam sustinere.* Sic rursum, *l. 8. inf. gaudia lætitiamque communem* his diebus tribuit. *ID.*

(d) *Tenere*, vel *teneri*, id est, carcere includi. Tentet aliquis *Timere*, vel *temere. ID.*

(e) Non abludit Cassiodori Indulgentia Paschalis, *lib. XI. Var. vlt. Locus perpetua nocte cæcatus, tandem infusione lucis albescat.* Et mox, *lumina diutius obtusa torpescunt*, item, *Redite ad lucem, quos caligantes tenebræ possidebant. ID.*

(f) *Genialem torum* Virgiliana quoque imitatione dixit. Ita *Æn. VI. v. 603.*

- - lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris.

Eademque ratione *l. 2. sup. de adulteris*, imprimis maritum Genialis thori vindicem esse oportet. Plura vide in *Gloss.* Cassiodorus *l. Var 37. Et genialis thori maculam deprehensi adulteri sanguine diluisti.* Idem *lib. II. ep. 10. vt sollicitatoris Genialis thori reuerenda societas.* & *lib. IX. epist. 18. Qui in Genialis thori ausus est diuisione grassari. IDEM.*

(g) Virgiliana rursum imitatio *lib. XII. Æneidos. v. 29.*

Victus amore tui, cognato sanguine victus.

Martialis quoque *lib. 12. Ep. 44. v. 1.*

Vnice, cognato iunctum mihi sanguine nomen.

P.276 Silius *lib. 8. Sanguine cognato iuuenis.* Gellius *lib. 12. cap. 1. proprii atque consueti, atque cognati sanguinis alimonia priuare. ID.*

(h) Dixi *sup. ad Titulum de Maleficiis l. 5. ID.*

(i) Falsæ monetæ reum hoc verborum ambitu designat: *Sacrum os*, pro Principis facie: Symmachus *lib. 10. ep. 20.* ad hunc eundem Valentinianum scribens. *Dicam vt res est, curasse Clementiam vestram, vt tanquam coram locatus & alloquiis Principum fruerer, & Augusta in ipsis donis ORA venerarer*, &c. Venerabiles formæ. De quibus omnibus vide *sup. titulum de falsa moneta.* Nescio quis hoc loco legebat, *aut quis actionis*, vnde efficiebat, *aut qui sanctionis.* Inepte. *ID.*

(k) Sacrilegio eruditus falsæ monetæ reus, qui scilicet in falsa moneta facienda eruditus est. *ID.*

* Finis *legis 3. Cod. Iust. de Episcop. audientia*, hinc desumptus est. *ID.*

(l) Absolutione, id est, indulgentia in *Iustiniano* legitur *adstrictione. ID.*

(m) *Nec.* Cod. Iust. *IDEM.*

(n *Deputauerint*, Cod. Iust. *RITTER.*

(o) Sic & *Lecta*, Paschalis pariter Indulgentia: quæ continetur *l. 4. sup. GOTHOFR.*

(p) An & hic error in die admissus? vt reponat quis *Apr.* vt *l. prox. 7.* Dicam mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

PASCHALES VALENTINIANI Iunioris *Indulgentiæ* sequuntur. Paschalis scilicet Indulgentiæ, vt a Valentiniano Seniore emissæ in vrbe Roma, duo exempla superius habuimus, *l. 3. & 4. sup.* ita a Valentiniano Iuniore emissæ tria nunc exempla siue Edicta sequuntur, *hac* inquam *lege*, & *duabus sequentibus:* quarum duæ priores pariter vt Valentinianeæ *l. 3.* & *4. sup.* ad vrbem Romam proprie pertinent, sola *lex 8.* ad Prouincias pertinet. Et sane ferme est, vt existimem, Indulgentiam Paschalem ad vrbem Romam primum pertinuisse, deinceps vero in Prouincias propagatam: de quo vt *ad l. 3.* dictum fuit, ita ad *eam legem* dicetur.

Emissa autem hæc Indulgentia Paschalis, quæ *hac l.* continetur, A. D. 381. & *Recitata Romæ XII. Kal. Aug.* vitiose omnino: Clare enim reponendum *XII. Kal. Apr.* Pascha enim hoc anno celebratum *V. Kal. Apr.* vide Victorii *Canonem Paschalem centum annorum*, ab Anno 311. ad 411. Laterculum Paschal. vbi editum *VI.* Nisi forte hæc *lex* pariter vt aliæ quæ de vitio suspectæ sunt, post Pascha lata, cum de aliquibus reis dubitari cæpisset: vel dici possit, quod non putem, adeo Datam ante quatuor menses; sed nunc Recitatam.

Porro duo reorum genera hac elegantissima constitutione (quæ cothurno Gallicano tota assurgit multasque Virgilianas imitationes continet) seu indulgentia a Valentiniano Iuniore excipiuntur. Primo atrociorum criminum (quæ quidem octo hic numerantur) Rei. Quod & ipsum constitutum *l. 1. 2. 3. 4. sup.* & *duabus* hanc legem *sequentibus.* Cassiodorus quoque nominatim in Paschali Indulgentia *lib. XI. ep. vlt. Ad te*, inquit, *claustrorum Magistrum verba reuocemus* &c. *vt tuos quoque gemitus consolemur, illos tibi tantummodo vendica, quos lex pietatis gratia non relaxat, ne cum truculentis parceret, asperrima facinora leuigaret.* Quæ ipsa Cassiodori *formula* tota consulenda est: multa enim habet, quibus hæc Paschalia Indulta illustrari valent. Quinimo & hodie hæc ipsa in Indulgentiis Regum obtinent, quas occasione solemnium Regni in vrbes ingressuum promulgant: De quo vide *summam Ruralem* Buttilerii *de criminibus, exemptis indulgentiis publicis.* Hinc adeo clausula illa indulgentiarum, *Nous voulons neantmoins estre compris les criminels de leze Maiesté, & tels autres cas enormes.* Sunt enim hæc non crimina, sed portenta.

Alterum Reorum genus, quod *hac* Valentiniani Iunioris

Iunioris *lege* nominatim Indulgentia publica) Paschali frui vetat, eſt eorum qui ſemel antea indulgentiam obtinuerunt. *Iteratum* ſcilicet delictum ad Indulgentiam non pertinet. Quod vno etiam omnes ore hodie tradunt, poſt Paridem de Puteo, *in Syndicatu*, *verbo*, *Carcer:* & Boerium, *Deciſionum Burdigal.* 217. *n.* 22. & Benedictum in *capite*, *Raynutius*, *num.* 33. 34. 35. in quæſtione *An occidere liceat peccatores?* Choppinus *de domanio lib.* 2. *tit.* 7. Quam in rem ſane *lex* hæc expreſſiſſima eſt: vt mirer a nonnullis eam minus viſam, ac maxime, cum hæc *huius legis* ſententia a Triboniano inſerta fuerit *legi* 3. *Cod. Iuſt. de Epiſcopali audientia*: *Geminatum* itaque delictum venia caret, & humanitate communi indignus eſt, *qui* (vt hæc *lex* eleganter loquitur) *impunitatem veteris admiſſi non emendationi, ſed conſuetudini deputauit*, id eſt cui indulgentia præterita, cum ad emendationem eum inuitare deberet, ad iterandum delictum illecebra fuit. Ita ſcilicet ferme ingenium eſt, vt indulgentia peccati, peccandi porro deque cætero, illecebra ſit, & peccandi conſuetudinem inducat. Et veterem ferendo iniuriam, nouam inuites. Et vt Lucilius apud Nonium loquitur, *ſublato pudore omni, licentia fœnus refertur:* vbi eleganter ait, *ex licentia*, id eſt indulgentia & pudorem tolli, & *fœnus referri*, id eſt indulgentiam cumulandorum peccatorum illicem eſſe, & quaſi ad veterem criminum ſortem nouorum acceſſionem adiiciendi. Sane exaſperandam pœnam eorum, qui iterum in idem crimen relabuntur, docet *lex* 28. §. 3. *D. de pœnis*. Ad aliquid etiam faciet *lex* 10. *in fine*, *inf.*

Porro, quod etiam Doctiſſ. Petitus notauit *in leges Atticas*, *pag.* 40. Stupendum, quod huic Indulgentiæ Paſchali ſubſcribitur *XII. Kal. Aug.* de quo iam *initio* dixi.

PASCHALIS *Indulgentia Valentiniani Iun. A. D. 384.*

VII. (a) Idem AAA. (b) ad Marcianum Vic. (c)

RELIGIO (d) anniuerſariæ obſecrationis hortatur, (e) vt omnes omnino periculo carceris metuque pœnarum eximi iuberemus, (f) qui leuiore (g) crimine rei ſunt poſtulati. Vnde apparet, eos excipi quos atrox cupiditas in ſcelera compulit ſæuiora: (h) in quibus eſt primum crimen, 1. & maxime, (i) Maieſtatis, 2. deinde homicidii, 3. veneficiique, ac 4. maleficiorum, 5. ſtupri, atque 6. adulterii, parique immanitate ſacrilegii, 7. ſepulchrique violatio, 8. raptus, 9. monetæque adulterata figuratio. Dat. XI. Kal. April. (k) Med. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

p.277. NOTAE.

(a) Et hanc *legem* Baronius male omiſit. *GOTHOFRED.*

(b) Reponendi hi Imperatores, *Valentinianus*, *Theodoſius & Arcadius*. *ID.*

(c) An Vrbis Romæ? an Italiæ? de eo mox. Sane hic idem *Martianus* videtur, ad quem Symmachi epiſtolæ aliquot extant *lib.* 8. *epiſt.* 9. 22. 53. 57. 72. ad Vicarium certe Vrbis Romæ pariter dirigebatur indulgentia *legis ſuperioris* 6. *IDEM.*

(d) Diem Paſchæ intelligit. *ID.*

(e) Ergo iam Paſcha imminebat. *ID.*

(f) Duriuſculum hoc: *iubeamus* ad aures lenius accederet, niſi ſupra legas *hortabatur*. Sed neque illius exempla deſunt. *IDEM.*

(g) Et hoc duriuſculum, melius alias *leuioris criminis*. Sed quis hoc æuo iam exigat latiar os, & purum eloquium? quin potius barbariſmis plena omnia. *ID.*

(h) Mallet aliquis *ſcæuiora*. De qua voce vide *Gloſſ.* *ID.*

(i) *Maximum:* ita Cuiacius reponebat, *Recitationibus in Codicem, Tit. ad leg. Iuliam Maieſtatis*, cuius coniecturam poſtea ſibi vindicauit, qui de iure Pontificio ſcripſit, *lib.* 1. *p.* 6. Sed retineri poteſt *maxime*; *ſcelera*, ait lex, *ſæuiora*, *in quibus eſt maxime* &c. Item, *in quibus eſt primum crimen Maieſtatis*. Inter ſæuiora crimina, eſt maxime crimen Maieſtatis. Proinde vox *maxime* iungenda cum voce, *eſt*. *ID.*

(k) Dies hic & menſis recte adſcriptus: Paſcha enim celebratum hoc Anno *IX. Kal. April.* *ID.*

COMMENTARIVS.

PASCHALIS indulgentia a Valentiniano Iuniore emiſſa iam altera hæc eſt; Data vero A. D. 384. menſe MARTIO in ipſo Paſchali termino *XI. Kal. April.* appetente Paſchate *IX. Kal. April.* vt docet Victorii *Canon Paſchalis*, non XII. Kal. Maii, vt male *Laterculum* aliud vetus *Paſchale* habet apud Bucherium *p.* 254. quod etiam recte notat Petitus *in leges Atticas*, *p.* 40. Dubium vero, num proprie hæc Indulgentia ad vrbem Romam pertineat, an ad Mediolanum & Italiam. Iſtud malim argumento ſubſcriptionis. Data enim hæc Indulgentia XI. Kal. Aprilis Mediolani, vbi vna cum Imperatore Marcianus ipſe erat in ipſo Paſchatis termino, tertio poſt die Paſchate celebrando, vt modo dixi. Itaque ad Mediolanum ea pertinet, quæ vtique Vicarii Italiæ ſedes erat, non ad Romam, quo poſt hanc *legem* datam peruenire Indulgentia hæc ante Paſcha non potuit. In ea vero quoque ſententia fuiſſe deprehendo Doctiſſ. Petitum *p.* 40.

Quod ipſam Indulgentiam attinet, & ipſa nominatim ad leuiorum criminum reos reſtringitur, excluſis atrocioribus criminibus nouem, in quibus ſane, pariter vt *l.* 1. 3. 4. 6. *ſup.* & *l.* 8. *inf.* Adulterium collocatur; quod etiam Vlpianus numerat inter grauiora, *tit.* 6. *de dotibus*, §. 12. & in *can.* 16. *cauſ.* 32. *Quæſt.* 7. *Quid in omnibus peccatis eſt grauius* (quanquam in *cap.* 4. §. 1. *X. de iudiciis:* inter minora recenſeri videtur:) Item ſepulchri violatio,

tio, *h. l.* & *l. prox.* quod crimen hoc æuo frequens, & ideo quoque atrox, cum a maleficio sæpe iungitur, *l. prox.* & cum homicidio, & adulterio: de quo Chrysostom. non vno loco *in Matth.* & *in cap. 1. ad Galat.*

---

1. PASCHALEM *indulgentiam non amplius a Principe expectandam.* 2. *Criminum enumeratio quæ hac indulgentia non fruuntur.*

VIII. (a) Idem (b) AAA. ad Neotherium P. P. (c)

NEMO (d) deinceps (tardiores (e) fortassis) affatus (f) Nostræ Perennitatis (g) exspectet: exsequantur Iudices, (h) quod indulgere consueuimus. Vbi primum (i) dies Paschalis extiterit, (k) nullum teneat carcer inclusum, omnium vincla (l) soluantur. Sed ab his secernimus eos, quibus (m) contaminari potius gaudia (n) lætitiamque communem, (o) si dimittantur, aduertimus. Quis enim 1. *sacrilego* diebus sanctis (p) indulgeat? quis 2. *adultero*, 3. vel (q) *incesti* reo tempore castitatis (r) ignoscat? quis non 4. Raptorem (s) in summa quiete (t) & gaudio communi persequatur instantius? 5. Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quiescere (v) *sepultos* quadam sceleris immanitate non siuit: patiatur tormenta 6. *veneficus*, 7. *maleficus*, 8. *adulteratorque* (x) *monetæ:* 9. *homicida*, (y) quod fecit semper expectet: 10. reus etiam *Maiestatis*, de Domino (z) aduersum quem talia molitus est, veniam sperare non debet. Dat. V. Kal. Mar. (aa) Med. Arcadio I. & Bautone Coss. [385.]

INTERPRETATIO. *Sacrilegus*, (bb) *adulter*, *incesti reus*, *raptor*, *sepulchrorum violator*, *veneficus*, *maleficus*, *adulterator monetæ*, *homicida*, *diebus Paschæ nullatenus absoluantur. Reliqui omnes, quos minorum causarum culpa constringit, diebus venerabilibus Paschæ specialiter absoluantur.*

NOTAE.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. de Episcopali audientia.* Baronius, *hanc legem* refert hoc Anno 385. circa fin. GOTHOFR.

(b) Reponendi & hic hi Imperatores, *Valentinianus*, *Theodosius & Arcadius.* Et ita recte editum est in *Codice Iustinianeo.* IDEM.

(c) *Neotherius* PP. sub Valentiniano Iun. ID.

(d) *Nemo* Iudicum scilicet. ID.

(e) Quia forte post festum Paschalis Indulgentiæ ad Iudicum notitiam deferebantur. ID.

(f) id est, literas & Edicta Indulgentiarum Paschalium. ID.

(g) *Serenitatis*, MS. G. & Ed. Sichard. RITTER.

(h) *Iudices*, id est Rectores prouinciarum: Ergo Indulgentiæ Paschales iam hoc tempore prouincias peruaserant: vide quæ dixi ad omnium primam indulgentiam *l. 3. sup.* GOTHOFRED.

P.278 (i) *Primus*, Cod. *Iust.* Sed istud præferendum. ID.

(k) *Illuxerit.* ID. MS. W. *dies paschales extiterint.* RITTER.

(l) Poëtice. GOTHOFRED.

(m) *A quibus*, Cod. Iust. RITTER.

(n) *Gaudiorum communium* appellatione hac in ipsa re vtitur Cassiodorus in Indulgentia Paschali lib. XI. *circa finem.* Paschalis lætitiæ dies, *l. 6. sup* vbi vide, quæ dixi. GOTHOFR.

(o) Paschæ diem intelligit, qui gaudio & lætitia transactus. ID.

(p) Antitheses perpetuas & elegantes obserua: *Dies sancti*, sacrilego opponuntur: *castitatis tempus*, adulteris & incestis: *quies*, raptori: *requies vinculorum*, ei qui quiescere sepultos non siuit. Porro, *dies* sanctos vocat, & *hic*, & *l. 2. sup. de feriis*: pariter vt Ambrosius in eadem re, *loco* quem laudaui ad *l. 3. sup.* ID.

(q) Vel *stupri incestiue*: ita Tribon. Sane *superiore lege* 7. stuprum quoque connumeratur. ID.

(r) *Castitatis tempus*, tempus Paschale: de quo iam dixi *ad leg. 5. sup. de quæstionib.* ID.

(s) *Raptorem Virginis*, ita *Cod. Iust.* ID.

(t) Quies summa Paschalis propterea quoque quæ *titulo de quæstionibus*, dicta sunt. ID.

(v) *Quiescendi*, & *Quietis*, hac in re vox propria: cuius plenæ inscriptiones. Et de qua consulendi qui de funeribus scripserunt. Vide & *Nouellam* Valentiniani *de Sepulchris*, Cassiodorum *VI. Var. 8.* ID.

(x) *Adulter violatorque*, ita Tribonianus. ID.

(y) *Parricidaque*, hoc amplius Tribonian. ex *d. l. 6.* pariter *sup.* ID.

(z) *Domini* appellatione hic Princeps intelligitur, pariter *vt l. 2. sup. Ne præter crimen Maiestatis.* Sensus autem hic est. Principis beneficium ad eum non pertinere, qui in Principem admisit. Similiter frustra leges inuocat, qui

contra

contra leges committit: *l. 37. §. 1. in fine, D. de minoribus*. De Principis beneficio desperat, qui in Principem desperatus fuit. *ID.*

(aa) Et hic dies recte adscriptus: de quo mox. *ID.*

(bb) Imitatus hunc facinorosorum Catalogum Auctor *ep. 1. Stephani I. Papæ, cap. 1. pag. 142. Tom. I. Concilior. edit. Harduin. ID.*

COMMENTARIVS.

PASCHALIS Indulgentiæ *Valentiniani Iunioris* vltimum hoc e tribus, & e quinque in vniuersum Indulgentiis Paschalibus, quæ *hoc titulo* continentur, postremum Edictum est quod vnicum habet *Codex Iustin. l. 3. Cod. Iust. de Episcop. aud.* Idque omnium *huius Codicis* elegantissimum est, & cothurno Gallicano assurgit; Emissum vero id, appetente Paschate, extremo mense FEBRVARIO *V. Kal. Mart.* A. D. 385. Pascha enim hoc Anno celebratum *Prid. Idibus April.* vid. Victorii *Canonem*, & *veterem laterculum Paschalem.* Et quidem eo quoque sensu vltimum, quod huiusmodi Edicta a Principe expectare Iudices amplius nolit. Valentinianus Iun. iubet quippe Iudices, vbi primum dies Paschalis illuxerit, carceres aperire, reos soluere: suo & spontaneo motu non expectatis Principis literis, hac videl. ratione, quod tardius sæpe, & post festum, Principis literæ ad Iudices perferantur. Fit igitur Paschalis indulgentia hæc, Valentiniani Iun. constitutione, iuris iam ordinariis assiduæque Iurisdictionis; vt plerumque ea quæ fieri consueuerunt, in assiduam vertuntur iurisdictionem; quæque ab initio iuris & priuilegii fuerunt, in assiduam iurisdictionem conuerti solent: *§. 1. Institut. de fideicommiss. hæredit.* & *l. 31. §. 20. D. de Ædilitio Edicto.* Atque hic notandus est inter alios iuris istius & indulgentiæ Paschalis progressus. Neque ideo minus tamen, post hanc quoque constitutionem, Paschales Indulgentiæ a Principibus emissæ perseuerarunt, saltem in Oriente, vt beneficii sui eas semper facerent & ostenderent: vt patet ex Chrysostomi *locis* laudatis ad *l. 3. sup.* qui multas huiusmodi Theodosii M. indulgentias Paschales memorat, vt id tantum Valentinianus Iun. *hac lege* voluisse videatur, vt si quo casu Iudex huiusmodi Indulgentias nondum accepisset, nihilominus Paschate illucescente reos carcere liberaret. Verum mihi potius ita videtur, Valentinianum Iun. voluisse se deinceps huiusmodi indulgentiarum emittendarum labore liberare, vel certe indulgentiam suam ita testari: seram putans liberalitatem, quæ statis temporibus admouetur, vt in re haud absimili loquitur Symmachus hoc ipso Anno 385. ad hunc Valentinianum Iun. scribens: & mox; *felix mehercule seculum! quo Principes cohibere diu nesciunt tribuenda deuotis*; secutis vero in Oriente Principibus non eandem mentem fuisse. Certe illa qua dixi causa Tribonianus hanc *vnicam* in *Codicem suum* retulit constitutionem, & indulgentiam Paschalem, e quinque *huius tituli* indulgentiis Paschalibus; quod *hac sola lege* indulgentia assiduæ & perpetuæ iurisdictionis fit, ac proinde superfluæ visæ cæteræ ceu temporariæ.

Quod crimina attinet quæ ab indulgentia Paschali *b. l.* pariter excipiuntur, de his *superiores leges* iam satis monuerunt.

LYCIÆ PROVINCIÆ *aliquando infamatæ, vetus fama meritumque restituitur ab Arcadio.*

IX. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. ad Cæsarium P. P. (b)

DEVOTISSIMÆ (c) nobis *Prouinciæ Lyciæ* priorem famam, meritumque inter cæteras, renouari censemus. Idque (d) excellens Eminentia Tua, Edictis propositis, (e) cunctis faciat innotescere, *Ne quis posthac ciuem* (f) *Lycium contumelioso nomine iniuriæ audeat vulnerare.* Teneant honores suos, quos meritis ac laboribus perceperunt, & a Nostra Serenitate sumpturi sunt. Habeant præteritas dignitates, sperentque sui deuotione venturas; Nec vnius Viri Inlustris Tatiani tantum valuerit temporalis offensio teterrimi Iudicis (g) inimici, vt adhuc macula in Lycios perseueret, quæ in ipso (h) iam temporis (i) absolutione, consumpta est. Dat. Prid. Kalend. Septemb. Constantinop. Arcad. A. IV. & Honor. A. III. Coss. [396.]

P. 279

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* velut temporaria & historica. GOTHOFR.

(b) *Cæsarius* PP. sub Arcadio; & quidem *Orientis*: vt vel ex Lyciæ mentione discere licet; fuit enim illa diœceseos Asianæ, quæ sub dispositione Præfecti Prætorio Orientis erat prouincia: verum de hoc Cæsario PP. plene *in Prosopogr. ID.*

(c) De hac *Deuotissimi* appellatione consule *Glossar. ID.*

(d) *Ideoque. IDEM.*

(e) Præfectorum Prætorio muneris id fuit, Principum constitutiones Edictis propositis promulgare: De quo speciali capite. *IDEM.*

(f) *Ciuis*, totius Prouinciæ respectu dicitur *h. l.* vt & *l. 1. sup. de adsessor. ID.*

(g) Rufini. *ID.*

(h) Tatiano. *IDEM.*

(i) Exilio destinati & præstituti. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

ARCADII Indulgentiæ sequuntur, prætermissis h c Theodosianis: cuiusmodi alioquin, Paschales saltem, plures a Theodosio M. emissas memorat Chrysostomus pluribus locis, quæ congessi ad *l.3. sup.* quorum vno etiam ait, Theodosium reuerentia seu veneratione erga Pascha, omnes ante se Christianos Principes superasse. Editæ quidem & duæ nuper a Sirmondo *in append. Cod. Th. num. 7.* & 8. sub Theodosii M. nomine ex *Cod. Lugdun.* & *Aniciensi, ad Eutropium Præfectum Prætorio*, Consulatu omisso, *ad Antiochenum*, sub Consulatu *Honorii N.B.P. & Euodii*, id est A.D. *386. Constantinopoli X. Kal. Maias.* Verum de harum fide suo loco.

Hac Arcadii Indulgentia *Prouinciæ* cuidam toti, puta *Lyciæ*, prior fama & meritum quæ amiserant inter cæteras prouincias restituitur. Quæ indulgentiæ species notanda est. Scilicet vt Prouinciarum integrarum crimen quoddam quandoque est: vel saltem ob ciuis alicuius in ea eminentis crimen Prouincia tota quandoque apud Principem infamatur, etsi non iure solito & ordinario; saltem Principis aut Iudicis a Principe delegati, siue ira, & vt hic dicitur temporali offensione, siue inclementia & sæuitia eo procurrente, vniusque ob crimen contra ius fasque integram Prouinciam ad communionem sceleris, & pœnæ deuocante. Quod vtique in specie huius legis *Lyciæ* obtigerat, sub Theodosio M. propter vnius videlicet *Tatiani*, ex ea Prouincia oriundi siue crimen, siue *offensionem temporalem*, vt *hac lege* dicitur.

Tatianus scilicet Lyciæ Prouinciæ ciuis, Præfectus Prætorio Orientis fuerat, vt docent complurimæ *huius Codicis* leges, & Zosimus *lib. 4. Histor. cap. 45.* & *52.* verum cum Rufini offensionem Tatianus incurrisset, qui quidem Rufinus officiorum Magister erat apud Theodosium, & apud eum maxima gratia pollebat, vnusque omnia poterat, Præfectura Prætoriana deiectus, eidemque Rufinus ipse in Præfectura suffectus est, (de qua Rufini Præfectura ei delata suo ipsius Consulatu, Anno Domini 392. etiam fidem facit Ambrosius *ep. 53.*) Mox idem Tatianus vna cum filio Proculo Præfecto vrbis, Rufino id agente, modis omnibus, vt semotis omnibus solus omnia ageret, persuaso Theodosio, reus Maiestatis factus est: Eundemque Rufinum, cuius offensionem incurrerat Iudicem nactus est, vt disertis verbis tradit Zosimus, *d. lib. 4. cap. 52.* & Claudianus *lib. priore in Rufinum v. 238.*

- - causis fallacibus instat,
Arguit attonitos se Iudice.

Idque etiam hæc *lex* nostra ipsa his verbis testatur: *Nec vnius viri Inlustris Tatiani tantum valuerit temporalis offensio teterrimi* IVDICIS *inimici.* His enim verbis Rufinus indicatur, cuius offensionem Tatianus incurrerat, quemque Iudicem habuerat. Cæteram huiusce rei historiam præter Zosimum exequitur, vel saltem memorat Claudianus, *lib. priore in Rufinum:* Asterius, *Homilia in festum Calendarum in fin. p. 60. ed. Plant.* Author *Fastorum Siculorum* seu *chronici Alexandrini p. 709. edit. Raderi.* Itaque Proculus Tatiani filius capite plexus est *VIII. Id. Decembr.* Tatianus vero Pater, Patriam, *Lyciam* scilicet, incolere iussus est, & in exilium eo ad certum tempus missus; vt testatur idem Zosimus: Claudianus quoque *dicto libro priore in Rufinum a vers. 246.*

- - - iuuenum rorantia colla
Ante patrum vultus stricta cecidere securi:
Ibat grandæuus nato moriente superstes
Post Trabeas Exul.

Quibus versibus Proculum & Tatianum intelligit: quorum hic, Tatianus scilicet, Anno 391. Consul quoque fuerat. Hinc igitur Tatiani huius acta mox rescissa, publicisque constitutionibus a Theodosio infirmata, initio Anni 393. *l. 12. 13. inf. de bonis proscriptorum*, *l. 23. inf. de annona, & tributis: l. 131. inf. de Decurionib.* Itemque Proculi filii eius, *l. 12. inf. de annonis ciuicis.* Quia & eiusdem consilio, vt opinor, a Theodosio statuta, vt ostendere videtur *lex 22. inf. de hæreticis.*

Quinimo vt ad legem nostram propius accedamus, Rufino id agente, *teterrimo Iudice*, in totam Prouinciam Lyciam offensione itum est: ita quidem, vt tota Prouincia eo nomine infamata fuerit. His duobus constitutis inter cætera, (quantum ex *hac lege* colligere licet) *Primum*, vt quemadmodum infamibus portæ dignitatum non patent, honorum adipiscendorum tota prouincia ius amitteret, id est, vt ex ea oriundi ciues Lycii, si quos iam tenerent honores, iis exuerentur, vel saltem ad nouos deinceps adspirare non possent; atque adeo promiscuo ciuium Romanorum & Prouinciarum iure Lycii & Lycia Prouincia exueretur. *Secundo*, vt Priuilegiis suis Lycia priuaretur, atque eo merito, quod inter cæteras Asianæ diœceseos Prouincias obtinebat, puta prærogatiuam & ordinem amitteret. Indeque inolescente licentia factum, vt impune ciuem Lycium contumelioso nomine iniuria pulsare liceret: veluti *infamis* nomine, vel etiam (quod existimo) ad Lyciæ nomen allusione facta *Lupum* appellaret λύκον, quasi ab honorum & hominum commercio semotum, vel λύκειον. Breuiter igitur Lycia Lyciique ad infamiam redacti. Et hæc quidem sub Theodosio M. cuius animum Rufinus obsederat & fascinauerat.

At mortuo iam Theodosio, versæ sunt rerum vices, sub ipsius filio Arcadio, quem hæc *lex* Authorem habet. Rufinus quippe ille, *teterrimus Iudex & inimicus* Tatiani, tyrannidis affectatæ reus, bonis viris omnibus id optantibus ante portam vrbis Constantinopolitanæ, ante nouem menses, superioris anni fine, 5. Kal. Decembr. interfectus est, vt testatur Socrates, aliique quos ad *Chronologiam* notaui. Itaque & bona ipsa Rufini publicata, vt hoc ipso anno 396. docet *lex 14. inf. de bonis proscriptor.* vt & Symmachus, *lib. 6. Epist. 14.* Deinde ad acta ipsiusmet Rufini infirmanda itum, & ad ipsius Tatiani simul & Lyciæ in integrum restitutionem, quod huius *legis* argumentum est. Tatiani inquam, nam & huius quamlibet pœnæ tempore defuncti, vt hæc verba ostendunt, *temporis absolutione*, vt suspicari licet, fama *hac lege* restituitur, vt ex titulis, quibus decoratur, satis elucet, ipsaque adeo Prouincia Lycia pristinæ famæ meritoque restituitur: & quidem his rationibus. Primum, quod iniquo iudicio Tatianus cecidisset: deinde quod iniquum sit, maculam adhuc in Lycia vel Lyciis perseuerare, postquam Tatianus pœna temporalis exilii defunctus est, cuius videlicet occasione Lycia ipsa infamata fuerat: id enim postrema *huius legis* verba significare videntur, *Nec vnius*, inquit, VIRI INLVSTRIS *Tatiani tantum valuerit temporalis offensio teterrimi* IVDICIS INIMICI, *vt adhuc* MACVLA *in Lycios* PERSEVERET, *quæ in ipso iam* TEMPORIS ABSOLVTIONE CONSVMPTA *est.* Quemadmodum enim is, qui temporali exilio multatus est, tempore exilii defunctus plene restituitur (*l. 14. 23. 24. Cod. Iust. de pœnis* & *l. 34. D. de pœnis.* Et maxime *l. 8. D. de postulando:* & *l. 1. 2. Cod. Iust. de his qui in exilium dati, vel ordine moti sunt:* & *l. 15. D. ad municipalem:* & *l. 3. Cod. Iust. Ex quibus causis infamia irrogetur:*) ita & prouinciam, quæ infamata est propter reum temporario exilio multatum

tum siue affectum, tempore exilii finito, famæ suæ meritoque restitui consequens est: *Ne*, vt loquitur eleganter Papinianus noster *in d. l. 8. depostuland. pœna tempore determinata, contra sententiæ fidem vlterius porrigatur:* id est, vt loquitur lex nostra *Ne pœna* ADHVC *perseueret temporis absolutione consumpta.* Pœna scilicet, quæ alicui propter alium inflicta est, cessante in principali, & in accessorio multo magis cessare debet. Denique vt idem Papinianus eleganter ait, in *l. 33. D. de pœnis. Temporaria coërcitio, quæ descendit ex sententia, pœnæ est abolitio, postquam tempus expletum est.* Quæ ipsa est omnino *huius legis* sententia.

Alia vero longe sententia est *legis 123. §. 1. de R. I.* vbi dicitur, *temporariam permutationem ius prouinciæ non innouare:* nisi quod similis quædam ratiocinatio ibi est. Et quia ibi sumus, breuiter dicamus, quænam eiusce Regulæ sententia sit, hactenus incognita. Pertinet scil. ea Regula ad *Vnionem*, seu coniunctionem vnius prouinciæ administrationis ad alteram seu alterius formulam (vt loquitur Plinius *lib. 3. c. 4.*) Nempe Principes Romani, vti prouincias pro rerum necessitate sæpe diuellebant, diuidebant, (quod ostendit vel *lex 3. D. de offic. adsess.* & *lex 9. D. de postulando*: videndus & Strabo *lib. vlt.* Dio *lib. 53.* Claudianus *fine lib. 2. in Eutrop.* & vero hoc ipso æuo Arcadius prouincias ita diuisit, Eutropii impulsu, v. Claudianum *lib. 2. in Eutrop. v. 585.*

- - ne quid tamen orbe reciso
Venditor amittat.

Quod & pater eius Theodosius M. ante fecerat:) ita retro duas non nunquam prouincias in vnam administrationem coniungebant, vnique Præsidi temporaria permutatione subiiciebant: quod ostendit etiam *lex 1. C. Iust. de off. Præfecti Augustal.* & *Nou. Iustin. 28. 29.* sic vt vna iam alterius προσθήκη censeretur: vna iam alteram nomine suo ambiente. De huius igitur temperariæ permutationis effectu, ea Reg. quærebatur, an pristinum Prouinciæ *ius* hac temporaria permutatione innouatum censeretur, id est, vtrum penitus de prouinciarum notitia, matricula, albo, censu, numeroque expuncta censeretur, alterius prouinciæ pars iam non amplius alia? Quod vtique dicendum videbatur, eo quod ab eodem Rectore regeretur. Et tamen id ea Regula negatur. Nempe, non ilico, quia temporaria permutatione vnus Præses est, ideo vnaquæque prouincia & eadem habenda est, quia hæc coniunctio facilioris tantum administrationis causa ob temporariam aliquam vtilitatem seu necessitatem fit. Maneat igitur immotum ex ea Reg. principium, vnum & communem Præsidem non ideo efficere vnam prouinciam, imo neque vnicum commune nomen. In Palæstina exemplum esto quæ Syriæ προσθήκη facta fuerat (vt loquitur Iosephus) sic vt Syria Palæstina (retenta quoque veteri appellatione) diceretur, & sub eodem Syriæ Rectore ageret. Eo pertinet itaque ea Reg. iunctam seu vnitam prouinciam administratione vel nomine alteri, non ideo eandem fieri aut innouari, verum aliam semper permanere. Ad varios videl. iuris effectus, vbi passim distinctio fit inter *eandem*, & *aliam* prouinciam: sic vt quod in vna fieri potest, in altera non possit. Exempla fingamus, in iure adsidendi, postulandi, satisdandi, agendi. In iure adsidendi: Finge Syrum, qui vtique *adsidere* in Syria prohibetur (quia nemo in prouincia sua adsidere potest) an poterit idem in Syria Palæstina adsidere? vtique poterit, tanquam in alia prouincia, ex hac R. Item finge, *postulare* aliquem prohibitum iudiciali sententia in Syria; sane postulare idem poterit in Palæstina, *l. 9. D. de postul.* licet (inquit Papinianus) eiusdem nominis sit. Finge tertio; in vna Syriæ ciuitate conuentum in ea *satisdare* non posse? Sane audietur, si in alia eiusdem prouinciæ Syriæ ciuitate satisdare paratus sit, *l. 7. §. 1. D. qui satisdare:* (quæ *lex* illi *Regulæ* velut ex *eodem* Vlpiani *libro* desumptæ coniungenda est:) Sed non audietur, remitti postulans in aliam, puta Palæstinam, licet nomine & administratione coniunctam. Quarto finge; *de inofficioso testamento* aduersus hæredem Syrum? Sane in Syria, in qua domicilium hæres habet, agi oportet, non in Palæstina: *l. 29. vlt. D. de inoff. test.* Et vero his duabus postremis speciebus hanc R. aptari oportet, nempe Iudicialibus actibus, & iudicio Centumuirali, seu querelæ inofficiosi testamenti, pariter vt connexa illi R. altera principio *d. l. 123.* eodem referenda est: vt patet ex coniunctione *legis 6. 8. D. de inoff. testam.* Et hæc quidem est interpretatio illius *Regulæ*, quæ cum *hac l.* perperam commiscetur: quam præfero Cuiacianæ *XXIV. Obseruat. 2.*

Interim, notetur singulare exemplum, ex *hac lege*, integræ prouinciæ, ob vnius hominis crimen infamatæ; sicuti ob vnius crimen aliquando in totum Ordinem pœna diffunditur.

P. 281

HONORII *Imperatoris Indulgentia.*

X. (a) Idem AA. & (b) Theod. A. Romulo P. P. (c)

OMNES omnium criminum reos, vel deportatione depulsos, vel relegatione, aut metallis deputatos, quos Insulæ variis seruitutibus, aut loca desolata, susceperunt, hac nostra Indulgentia liberamus: Separatis (d) illis, qui ad locum pœnæ destinatum contra Iudicum sententias ire noluerunt: *Indignus est* enim *humanitate, qui post damnationem commisit in Legem.* Dat. VIII. Id. Aug. Rauenn. Stilicone, & Aureliano Coss. [400.]

NOTÆ.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Expungendum hic *Theodosii* nomen: hic enim biennio tantum post a patre Augustus creatus: *v. Chronicon.* ID.

(c) *Romulus* PP. sub Honorio. Forte P. V. *Pisidii Romuli P. V.* sit mentio in inscriptione Stilichonis statuæ Romæ, apud Gruterum CCCCXII. 4. Plura v. *in Prosop.* IDEM.

(d) id est, exceptis. ID.

COMMENTARIVS.

HONORII Imperatoris tres Indulgentiæ sequuntur, & triplicis quidem generis: hæc nominatim Indulgentia est *Remeatus*, exilio damnatis concessa. REMEATVS (quem Nos *Rappel de ban* vocamus) non modo singulis reis & exulibus a Principibus (id enim Principum proprium fuit) dari ex indulgentia quandoque solebat pœnæ iam addictis: de quo erit *infr. tit. de sent. pass. & restit.* est *lex 4. D. de pœnis*: & *lex 14. Cod. Iust. de pœnis*. Verum etiam extra ordinem (quandoque ob publicam aliquam lætitiam) generalis indulgentia reditus & remeatus EXVLIBVS OMNIBVS & deportatis, damnatisque ad Metalla tribuebatur, vt præter hanc *legem* docet *lex 7. Cod. Iust. de sentent. pass. & restit.* & *lex 7. infr. de pœnis*. Hoc exemplo Antoninus Pius (ad Indulgentias pronissimus) his, quos Adrianus damnauerat, in Senatu Indulgentias petiit, dicens, etiam ipsum Adrianum hoc fuisse facturum: teste Capitolino *in Antonino Pio*, *cap. 6.* Ita Philippus Cæsar, *ea lege 7. Cod. Iust.* vt iam antea quoque monui, huiusmodi generalem indulgentiam *exulibus*, secularis festiuitatis (vt equidem existimo) occasione dedit. Hoc eodem exemplo Valentinianus inter auspicia Imperii sui, vt docet *d. l. 7. infr. de pœnis*. Hoc eodem exemplo Honorius Imperator *h. l.* indulgentiam pariter generalem deportatis & exulibus tribuit.

Huius vero indulgentiæ causam vel occasionem hanc quis putet, temporis characterismo adductus; nempe quod quartum seculum hoc tempore clauderetur a Christo nato, secundum Baronii computationem. Nam vt maxime recentioris instituti sit, annos computare a nato Christo publice, vt notum est, quis tamen putet Christianos olim incuriosos adeo egisse, vt memoria nunquam repeterent salutis conditæ humanique generis reparati memoriam & characterismum, meliore auspicio quam aut Vrbis conditæ, aut alium quemcumque votiuum characterismum; veluti Pacis Ecclesiæ Christianæ quæsitæ per Constantinum M. De qua alioquin supputatione singularis locus est apud Auctorem *Fastorum Siculorum siu. Chron. Alexandrin. pag. 659. edit. Raderi.* Sane, quod notandum, Seuerus Sulpicius Aquitanus, qui hoc ipso Consulatu scribebat A. D. 400. annos a Christo nato & passo supputat: etsi non ita axacte aut recte: siquidem annos CCCLXXII. supputet a Christo passo, quibus additis XXXIII. saltem vitæ Domini annis efficerent A. D. 405. Hæc igitur vt dixi huiusce *legis* causa & occasio quibusdam videri posset. Quod tamen non puto. Putem magis, id factum seu hanc indulgentiam nunc ab Honorio tributam, siue militiæ ergo, ad quem finem quoque spectat eiusdem hoc ipso anno *lex 12. sup. de Veteranis*: *l. 18. de re militari*: *l. 10. de desertorib.* vel corporum & collegiorum causa, quo pertinent eiusdem hoc ipso Anno *lex 1. 2. 3. de his qui condit. propr. l. 1. vtr. vi.* Meminit & huiusce Indulgentiæ Augustinus *contra Faustum lib. 5. cap. 8. Leuissima*, inquit, *pœna in insulam legatus est, quod sua sponte quotide serui Dei faciunt, se a turbulento strepitu populorum remouere cupientes, & vnde publica terrenorum Principum vota per Indulgentiam solent relaxare damnatos.*

Porro ab hac Indulgentia, excipiuntur contumaces, quibus cum exilii pœna fuisset imposita a Iudicibus, exilii, deportationis aut metalli, ad locum pœnæ destinatum ire noluerunt. Contumacis hæc pœna est exilio non obtemperantis, vt indulgentia generali non comprehendatur. Imo contumacia exilio non obtemperantis pœnam cumulat & auget, vt docet *lex D. 4. de pœnis*. Refugarum & contumacium hæc pœna est: cæterum Refugæ sunt non tantum ii qui in exilium quidem iuerunt, sed tempus exilii non compleuerunt, verum etiam ac maxime qui prorsus exilio non obtemperauerunt: id est, qui, vt loquitur *d. lex. 4.* non excesserunt in exilium intra tempus. Et notanda est *huius legis* ratio, *Indignum esse eum humanitate*, id est, indulgentia, eaque quamlibet generali, *qui post damnationem, commisit in legem*, id est, qui cum crimen pœna expiare deberet, crimen crimine cumulauit. Porro ex his colligi posse videtur, In exilium missos non semper sub prosecutione publica in exilium deductos, alioquin in exilium non ire illis integrum non fuisset, quod tamen *h. l.* præsupponitur; Verum in exilium damnatos dimissos forte etiam laxamento temporis tributo, ad disponendas res suas & componendos mæstos penates, vt in exhibendis iis, & e longinquo deducendis quoque tributum docuit *tit. sup. de exhib. reis.*

P. 282 XI. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Gaisoni (b) Com. & Magistro Offic. (c) Post alia.

DE his, (d) qui Tyrannicæ præsumptionis (e) sacramenta sectati, ad Nostrum Imperium redierunt, hanc volumus esse sententiam, Vt quos inter incendia (f) Tyrannidis adsumptæ, fidelis pœnitudo (g) reuocauit, ordinem & fructum militiæ (h) non amittant: Eos vero, quibus lentum regressum necessitas desperationis indixit, soluto (i) cingulo matricula (k) conuenit aboleri: ita vt illud quoque par reuerentiæ (l) forma custodiat, ne redire ei ad pristinam militiam liceat, qui aliud militandi genus elegerit. Dat. Prid. Id. Feb. Rau. Varane CONS. [410.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* velut temporaria. GOTHOFRED.

(b) *Gaiso.* Gaisoni Comiti S. L. inscribitur altera Honorii & Theodosii *lex 12. C. Iust. de Vectigal.* De eo plura in *Prosopogr.* ID.

(c) Cur *Magistro Officiorum* hæc *lex* inscribatur? mox expendam. ID.

(d) Scholaribus & in sacris scriniis militantibus. ID.

(e) *Præsumptionis* vox hac in re propria. Vide *Gloss.* ID.

(f) *Inter incendia tyrannidis adsumptæ*, id est, inter initia tyrannidis. ID.

(g) *Pœnitudo*, vide *Gloss.* ID.

(h) Pristinæ seu Veteris, ante Tyrannicum tempus adeptæ. ID.

(i) Sustineri potest: etsi frequentius *solutos cingulo*. *ID.*

(k) *Matriculam* Scholarium, & eorum, qui in sacris scriniis militant obserua: cuiusmodi quadrimenstruos breues conscribi a Magistro Officiorum, & in Scrinio Laterculi deponi iubet Iustinus, *l. vlt.* §. 2. *Cod. Iust. de officio Magistri Officiorum.* *ID.*

(l) *Reuerentiam* hic vocat, quæ debetur & habetur singulis Scholis & Scriniis. *ID.*

COMMENTARIVS.

TYRANNORVM partes secutis sublata Tyrannide, indulgentia a Principibus quandoque data; de quo iam aliquid dictum est ad *l. 2. sup.* Hoc porro indulgentiarum genere nominatim quoque aliquid cautum de honoribus eorum, qui partes Tyrannorum secuti fuissent, & quidem sub hac distinctione; Nouos scil. honores, nouas dignitates a Tyranno collatas, his, quibus collati, collatæue fuissent, eripi voluerunt; vt ex *h. l.* satis colligitur: idque nominatim cauetur *l. 6. 8. 11. 12. infr. de infirmandis his quæ sub Tyrannis:* Pristinum vero statum, pristinam dignitatem seu militiam quam quisque sub legitimo Imperatore ante tempus tyrannicum, antequam tyranni partes sequeretur, adeptus fuisset, tenere, & tueri voluerunt: *h. l.* & *dictis legib. 6. 11. 12.*

Duas tamen adhuc hac parte exceptiones seu limitationes *h. l.* Honorius addit. Prima hæc est: Iis tantum pristinam dignitatem seruari, qui inter initia Tyrannidis adsumptæ, & vt loquitur lex, *incendia*, ad obsequium rediissent, non etiam iis, quibus lentum regressum necessitas desperationis indixisset: id est, qui cum iam viderent Tyranni res desperatas, non fideli pœnitudine, sed necessitate desperationis, ad obsequium redierunt. Multum scil. interest inter pœnitentiam & necessitatem: illa cum fidelitate coniuncta est, hæc cum desperatione: ideo *fidelem pœnitudinem* hæc *lex* eleganter vocat: cuiusmodi non est ea quæ necessitate expressa est. Abripi quippe, velut *incendio*, vi terroris, atque a suo aliquamdiu diuelli officio etiam non mali possunt, qui tamen recepta mox animi tranquillitate, & recollecto animo ad officium redeunt, atque adeo innocentes pene creduntur: Seneca *Agamemnon. Act. 2. v. 243. Quem pœnitet peccasse, pœne est innocens.* Et Sidonius *lib. 6. Ep. 9. Vicinat innocentiæ festinata correctio.* His igitur tanquam pœne innocentibus pristinam dignitatem pristinam militiam seruari vult & integrari Honorius *hac l.* at non etiam illis. Et hoc quidem Politicum scemma notandum: quo semper ratio habita, quam cito & expedite, quam tarde & cunctabunde quis ad officium redierit, bonisque partibus sese adiunxerit. Pari ratione, distinctione in hac re facta a Clementissimis Principibus inter eos, qui perduellionem ab initio animo conceperunt, & eos qui impetu armorum abrepti fuissent, aut eis cessissent, qui iam vicisse omnia crederentur. Cum his enim condoluere. Cuius generis Clementiam post Procopii cædem in Valente memorat & laudat *oratione* Themistius 9. *περὶ τῶν ἠτυχηκότων ἐπι Οὐάλεντος*: ac nominatim *p. 207. 208. edit. Petau. siu. orat. 7. pag. 93. 94. edit. Harduin.* Par distinctio & Clementia eiusdem Honorii in sp. *l. vlt. inf. de infirm. his quæ sub tyrannis.*

Altera exceptio hæc est: Iis pristinam dignitatem non seruari seu integrari, qui spreta illa militia aliud militiæ genus elegissent. Scholæ scil. suæ regressum non meretur qui eam spernit; & ipsi toti Scholæ iniuria fieret, si qui eam spernit eidem restitueretur.

Cæterum *huius legis* inscriptio *ad Magistrum Officiorum*, ostendit de his militiis nominatim agi, quæ sub dispositione Magistri officiorum erant; Scholarium inquam & Scriniorum, de quibus *lib. 6.* actum fuit. Ad omnes nihilominus dignitates & militias hæc *lex* producenda, quarum *Notitiam* atque adeo *laterculum magis* sub dispositione Primicerii Notariorum fuisse, *Notitia Imperii* testatur.

Tandem *huius legis* historia retractanda nobis est. Pertinet igitur ea ad *Attali* Tyrannidem. Attalus scil. Præfectus vrbi Romæ, cum Alaricus Rex Gothorum ad vrbem Romam cum exercitu ageret, a Romanis Imperator factus est, id agente ipsomet & volente Alarico A. D. 409. Mox pars Italiæ haud modica Attalum pro Imperatore agnoscere coacta fuit: cuius rei historiam exequitur Zosimus *lib. 6. Histor. cap. 7. 8. 9. seq.* Eoque res deuenit, vt instante sibi iam Attalo, Honorius Imperii societatem eidem offerret. Verum post irritos Attali in Africa conatus, & Heracliano Africam pro Honorio tuente, & ipsa Africa in deuotione erga Honorium persistente; de quo dixi ad *l. 1. sup. de terris limitaneis l. 5. 6. infr. de indulg. deb. l. 51. inf.* P. 283. *de hæreticis:* cum Attalus videlicet Alarici consilium spreuisset, item cum Iouius, quem Attalus Præfectum Prætorii constituerat, ab Attalo iam defecisset, eundemque apud Alaricum exosum reddidisset; Alaricus, extra vrbem *Ariminum*, productum Attalum, diademate spoliauit, & purpura exuit: atque his ad Honorium missis, Attalum ad priuatam vitæ conditionem redegit, eo tamen cum Ampelio filio retento: donec pace cum Honorio inita, vitam ei impetrasset: vt idem Zosimus tradit *l. 6. c. 9. 10. 11. 12.* Et Sozomenus *lib. 9. cap. 8.* Qui idem Sozomenus huius ipsius indulgentiæ de qua *h. l.* agitur, *ibidem* meminit, eiusque sententiam hunc refert. Ἀποτίθεται Ἄτταλος τὰ σύμβολα τῆς βασιλείας· συναποτίθενται δὲ τὰς ζώνας καὶ οἱ αὐτοῦ ἄρχοντες: καὶ ΣΥΓΓΝΩΜΗΝ ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσι νέμει πᾶσιν Ὁνώριος, ἕκαστον ἔχειν τὴν τιμὴν, καὶ τὴν ἀξίαν ἧς πρῶτον μετελάγχανεν. id est: *Attalus Imperii insignia deposuit, simul etiam deposuerunt cum eo cingula sua eius Duces: et Honorius* INDVLGENTIAM *eorum quæ acciderant, tribuit, & vt eum quisque honorem, eum gradum teneret, quem antea sortitus fuisset.* Tandem de hoc *Attalo* plura qui volet, videat Olympiodorum *apud Photium Cod. LXXX. pag. 182. edit. Schotti*, & *Tom. I. Script. Rer. Byzantinar. pag. 146. 147. edit. Venet.* Orosium *lib. 7. cap. 42.* Socratem *lib. 7. cap. 10.* Philostorgium *lib. 12.* vbi vide etiam quæ iam notaui, & Prosperum, *in Chronico.* Postremo ad hanc ipsam Attali Tyrannidem pertinebit *lex prox.*

XII. (a) Idem (b) AA. Palladio (c) P.P.

LIBERATA Republica Tyrannidis (d) iniuria, (e) omnium criminum reos relaxari præcipimus, Dat. VIII. Id. Aug. Rau. Varane V. C. CONSS. [410.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* velut temporaria & historica. *GOTHOFR.*

(b) Pro *iidem*. *ID.*

(c) *Palla-*

(c) *Palladius* PP. Italiæ scil. sub Honorio: vid. *Prosopogr. ID.*

(d) ATTALI. *ID.*

(e) *Iniuria* de Tyrannide. *ID.*

COMMENTARIVS,

TYRANNIDE Attali penitus profligata Honorius hac constitutione omnium criminum reis indulgentiam tribuit: *Omnium*, inquam, criminum reis, per Tyrannidis occasionem videlicet admissorum: vt ita eadem sit sententia huius indulgentiæ, quæ Constantinianeæ *lege 2. sup.* Cæterum ex *hac lege*, & *superiore*, rerum in Italia hoc tempore gestarum seriem intueri datur: quonam, inquam, tempore Attalus Tyrannus in ordinem prorsus redactus fuerit: ac proinde, quando Roma ab Alarico capta sit. Quod sane omnes post Attalum imperio deiectum factum tradunt. Itaque recte *Historiæ Miscellæ* Author Romam captam tradit mense AVGVSTO *IX. Kalendis Septembr.* vt & Cedrenus, *μηνὶ Αυγέςῳ.* Male Recentiores, & nullo authore, & contra fidem historicam, *Kalendis Aprilis.* Tandem, cum vtraque *lex*, hæc inquam, & superior, ad Attalum spectent, & sex mensium spatium inter eas intercedat, mirum videri possit, tam sero *hac lege*, post sex demum menses, indulgentiam criminum ab Honorio factam. Verum obseruandum, superiorem *legem* spectare videri ad priorem Attali Tyrannidem, hanc vero ad posteriorem: Nam, præterquam quod Orosius, *lib. 7. cap. 42.* de Mimico hoc Imp. scribit, *facto, infecto, refecto, defecto*: & ipse Olympiodorus, apud Photium memorat, Attalum hunc Imperio ab Alarico defectum, mox non multo post iterum Imp. factum, rursum abdicare coactum. Igitur ad hanc posteriorem exaugurationem pertinet hæc *lex*, per quam Respubl. Tyrannidis iniuria liberata fuit.

ANTONIVS PAGIVS *in Critic. ad Annal. Baron. an.* 410. *num.* 10. 11. Non intellexit Gothofredus Orosium, qui ait, *Attalum, intra breuissimum temporis spatium, Imperatorem factum, infectum, refectum, ac defectum,* quod & Olympiodorus habet. Existimauit enim *leg.* 11. *de indulgent. crimin. Idibus Februariis* anni 410. datam, ad priorem Attali exaugurationem, alteram vero *leg.* 12. *VIII. Id. August.* latam, ad posteriorem spectare. Nam hoc prorsus a veritate alienum, quia *Attalus* aliquot ante menses, quam vrbs expugnaretur, sed post mensem Februarium, nuncupatus est Imperator; qui cum maleuolo animo erga *Alaricum* esset, aut hic in mente haberet, fœdus cum Honorio inire, vt ex Philostorgio patet, paulo antequam vrbs caperetur ab *Alarico*, purpura exutus est. Tum, vt docet Prosper in Chronico ad annum CCCCXIV. idem *Attalus* Gothorum consilio tyrannidem in Galliis resumpsit, annoque insequenti, captus est & postea in triumphum ductus ann. 417. Quare præfatas duas leges hoc anno datas, ad binas Attali exauctorationes male refert Vir Doctissimus; cum secunda septennio post priorem contigerit; ideoque non intra breuissimum temporis spatium, vt ille Orosium perperam interpretatur. Integrum Orosii locum hic exhibere præstat. *Quid de infelicissimo Attalo loquar, cui occidi inter tyrannos honor, & mori lucrum fuit? In hoc Alaricus Imperatore facto, infecto, refecto, ac defecto; citiusque bis omnibus actis pene, quam dictis mimum risit, & ludum spectauit imperii.* Aduerbium illud, *citius*, Gothofredo fucum fecit, non enim considerauit vocabula tempus exprimentia magnam latitudinem habere. Hinc Cicero 2. de Natur Deor. versu 126. *Quid ea quæ nuper, id est, paucis ante seculis medicorum ingeniis reperta sunt?* Et tamen aduerbium illud *nuper*, plerumque significat, quod paucos ante dies, menses vel annos factum est. Nec magis apposite Gothofredus, quæ Sozomenus *lib. 9. c.* 8. peracta scribit, ad *leg.* 11. *de indulgent. crimin.* pertinere credit. Hæc enim a Sozomeno dicta de prima, ante deprædatam Vrbem Attali depositione, *anno* 409. facta, quæ ideo cum præfata lege coniungi non possunt; cum hæc lex anno illam depositionem consequenti, nempe 410. data fuerit, non quidem in Attali fauorem, cuius nulla in ea lege mentio, sed in eorum gratiam, qui inter tyrannidis initia ad obsequium redierant. Indulgentia igitur a Sozomeno hic memorata non extat, longeque alia erat ab ea, quæ in Codice Theodosiano legitur, quæque hoc anno concessa est, quod Valesio in notis ad Sozomenum non obseruatum. Desunt & duæ aliæ leges hoc *anno* 410. datæ, quarum mentionem facit Zosimus *pag.* 820. *edit. Sylburg.* quarum priore vetuit Honorius in aula cingulo eos vti, qui Christiani non essent, quam paulo post reuocauit in gratiam *Generidi* Ducis Pagani, sed præclaris virtutibus præditi, & cuius concessit, *vt opinionem suam retinens, & magistratu fungeretur, & militaret.*



P.284

DE CALVMNIATORIBVS

TITVLVS XXXIX.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XLVI.

Vide & infra *titulum*, *de Delatoribus*, *lib.* 10. *tit.* 10.

REPETERE *accusationem*, *suppliciumque suum ea ratione morari, non potest is qui semel calumniator pronunciatus est.*

I. (a) Imppp. Gratianus, (b) Valentinianus & THEOD. AAA. Hellebico (c) Com. & Magistro vtriusque mil.

NON est ratio, (d) qua (e) manifesti calumniatoris supplicium differatur; Nec enim patimur

patimur, frequenter iterari, quæ consistere prima actione non quiuerint, atque alienam innocentiam securitatemque, sine crimine, damnabili adpetitione, (f) terreri. Dat. III. Kalend. Ian. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino Coss. [383.]

Ista (g) *lex sub eodem titulo similem interpretationem habet.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Inst.* GOTHOFR.

(b) Inducendum est nomen *Gratiani*, & reponendi hi Imperatores: *Valentinianus, Theodosius & Arcadius*: Nisi in subscriptione pro *III. Kal. Ian.* reponamus, *III. Kal. Iun.* ID.

(c) De hoc *Hellebico* mox dicam plenius. *ID.* Recte MSS. nomen habent, W. enim *Ellebico*, & G. *Hillibico* legunt, male Sichard. *Lybico.* RITTER.

(d) Etsi iterum accusare velit, quasi repertis nouis probationibus. GOTHOFR.

(e) *Cur manifesti*, Sichard. RITTER.

(f) Et repetitione. GOTHOFRED. *Petitione*, MS. G. RITTER.

(g) Melius & rectius MS. W. *Istæ leges sub eodem titulo similem interpretationem habent.* MS. G. legit: *Istæ tres vnum sensum habent*, & male hæc neglecta in Cuiac. priori & illa in Quarto, cum sint indicio legem apud Gothos receptam esse. In Sichardina interpretatio *legi* 3. subdita in *aliis Edd.* hic comparet. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duæ constitutiones sequuntur in calumniatores: quibus duo velamenta, duos prætextus calumniatoribus, quos obtendere solebant, ad calumniæ pœnam euitandam adimit, vti tertius etiam eliditur ab Honorio *l. 3.* seu *vlt. h. t.* Priori velamento *hac lege* occurritur; alteri, *lege proxima.* Primum velamentum hic erat, quod qui semel calumniatus & calumniator pronunciatus fuerat, vt pœnam euitaret, accusationi sese rursum offerret & accusationem suam nouis argumentis comprobaturum sese iactaret. Quod hac lege Theodosius M. non admittit. Semel scilicet, qui accusatione instituta manifestus calumniator extitit, id est, qui absoluto reo calumniator pronunciatus est (id enim, vt *calumniator* quis dicatur, requiritur: *l. 1. 3. 5. Cod. Iust. de Calumniatorib. l. 1. §. 3. 4. 5. D. ad SC^{um} Turpill.* denique non alio sensu *manifestus calumniator* dicitur) illico supplicio (de quo dicetur *ad leges proximas*) affici debet: Neque eius supplicium differri vel audiri rursum debet, quod dicat, se paratum noua accusatione aduersus reum consistere: forte quia nouas probationes nactum se prætendit. Denique manifestus calumniator neque accusationem repetere, neque hoc obtentu supplicium suum morari potest. Atque hoc illud est etiam, quod Interpres ad *vlt. l. h. t.* ex *hac* proculdubio *leg.* scribit: *Calumniatores sunt, quicunque iudicio victi causam iterare tentauerint.* Et iuris alioquin vulgati est, ab eodem aduersus eundem, qui semel liberatus est, eiusdem criminis accusationem refricari non posse: *l. 7. §. 2. D. de accusationibus.* Et Paulus *lib. 1. sent. tit. de Reis institutis 6. §. 1.* Ratio autem *hac lege* hæc redditur: *Quod non oporteat, alienam innocentiam securitatemque sine crimine, damnabili appetitione, teneri.* Quorum verborum hic sensus est: Semel liberatum & innocentem, non esse in discrimen iterum vocandum, a manifesto calumniatore, damnabili adpetitione, & repetitione accusationis. Nempe quod non alio fine innocentem iterato appetat, repetatque, quam vt supplicium suum differat. Perperam igitur Interpretes, eosque secutus Cuiacius, ex *hac lege* colligunt, calumniatorem, & quidem manifestum, eum dici & esse, qui iusto iudicio semel victus, causam iterare tentat. Imo enim sensus est, manifesto calumniatori, non esse permittendum, vt accusationem iteret, repetatque, atque hac ratione supplicium suum differat. Manifestus igitur calumniator est in sp. *huius leg.* antequam causam iterare tentet.

Porro notandum, inscribi hanc vnicam *hoc Codice* legem, *Hellebico* Comiti & Magistro vtriusque militiæ, cuius etiam meminit Chrysostomus, Ἀνδριάντων, siu. *de statuis ad popul. Antiochen. orat. 17. pag. 170. Tom. II. Oper. edit. Benedict.* vbi eum vocat Ἑλλέβιχον στρατηλάτην: ibidemque narrat, quod & Theodoretus memorat, *lib. 5. cap. 19.* hunc Hellebicum a Theodosio M. *huius legis* auctore, missum fuisse Antiochiam, vna cum Cæsario Magistro officiorum (cui inscribitur A. D. 189. *lex 49. sup. de cursu publico*) ad disquisitionem statuarum euersarum. De quo ipso Libanius *Oratione ad Cæsarium Magistrum* P. 285 *20. p. 516. 517. edit. Morell.* quod sane postea factum ostendi ad *l. vn. sup. Si quis Imperatori maledixerit.* In hunc eundem Ellebichum est Libanii *oratio 21.* & ad eundem variæ eiusdem epistolæ in Codice Vaticano, *lib. 1. ep. 2. lib. 2. ep. 258. lib. 5. ep. 166. 190.* & in Regio, *ep. 2. 764. 780. 794. 822.* Denique & Gregorii Nazianzeni *epistola 129.* qua apertissime Magistrum fuisse indicat. Meminit & Zosimus *lib. 5. cap. 47. 48.* Ellebichi, quem *Comitem Domesticorum* fuisse testatur A. D. 409. mox & Ducem. Verum alius hic est a tempore nostro. Vterque natione Francus fuit, & hic quidem sub Theodosio M. quo tempore ingens multitudo Francorum in Palatio erat, vt præter tot alios Ricomerem, Baudonem, aliosque diserte testatur Gregorius Turon. *lib. 2. c. 9.*

ALIENO NOMINE *qui falsam accusationem & delationem instituit, non ideo minus calumniator est, & vt delator punitur.*

II. (a) Idem AA. (b) Menandro Vic. Asiæ.

NOSTRIS, + & Parentum + Nostrorum constitutionibus comprehensum est, *Eos qui accusationem alienis nominibus præsumpsissent, delatorum numero esse ducendos.* Atque

 ideo

ideo calumniosissimum caput (c) & personam iudicio irritæ delationis infamem (d) deportatio sequatur. Quo posthac singuli (e) vniuersique cognoscant, non licere in eo Principum (f) animos commouere, (g) quod non possit ostendi. Dat. VIII. Id. Maii. (h) Constantinop. Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) *Lex 8. Cod. Iust. eodem tit.* GOTHOFR.

(b) *γρ. Idem AAA.* id est, *Valentinianus*, THEODOSIUS *& Arcadius*. Perperam enim in *Cod. Iustin.* tribuitur *Gratiano*, *Valentiniano & Theodosio.* IDEM.

† *Theodosii M.* Constitutiones anteriores nota in calumniatores. *ID.*

† Anteriorum Principum ante Theodosium M. Constitutiones in calumniatores obserua. *ID.*

(c) Ita apud Iustinum *lib. 18. cap. 7. Ausus ne es nefandissimum caput?* IDEM.

(d) *Infamiæ supplicium sequatur.* Ita Tribonianus. *ID. Deportatio prosequatur*, MS. W. RITTER.

(e) In eodem pene argumento, *l. 15. sup. de accusationib.* concessum singuli vniuersique cognoscant, &c. GOTHOFR.

(f) *Iudicum*, Cod. Iustin. IDEM.

(g) Ita & commouere calumnias, *l. 1. de Aduoc. fisc.* ID. *Commoueri*, MS. G. RITTER.

(h) *VI. Kal. Mart.* MS. G. IDEM.

COMMENTARIVS.

VELAMENTO & PRÆTEXTVI alteri cuidam, quo calumniatores & delatores pœnam euitare volebant, occurrit *hac l.* Theodosius M. pariter vt alteri occurrit iam *l. 1. sup.* vt & tertio Honorius *l. prox. vlt.* Scilicet velamentum, prætextus & obtentus hic erat, quod Calumniatores seu delatores dicerent, *se accusationem alienis nominibus instituisse*, atque adeo venia dignos esse. Quod Theodosius M. *hac lege* repellit. Alieno scilicet nomine qui accusationem præsumit, non eo minus delator est: & ideo si non *ostendat* quod detulit, id est non probet, vt calumniator punitur; vt calumniator inquam, delator. Etsi quis hodie dicat se reuera alieno nomine accusasse, nihilominus si causam non tenuerit, vt calumniator punitur, & quidem in specie *huius legis*, vt delator.

Quod vt intelligatur, notandum *Alieno nomine accusare*, non vno modo quem dicit. Primum alieno nomine accusare dicitur is, qui palam ex professo, cominus non suum, sed alienum nomen accusationi obtendit, dum sperat hoc facto suam obtentu alieni nominis calumniam impunitam fore. Cuius quidem tres siue casus siue species reperio. Primus, qui continetur *l. 15. sup. de accusationibus:* cum quis corporis alicuius integri decretum accusationi suæ obtendit. Quod quidem *ea lege 15.* prohibetur, iisdem pene verbis cum hac *lege* nostra, & paucissimis diebus ante hanc *legem*: CONCESSVM inquit, SINGVLI VNIVERSIQVE COGNOSCANT, *non emendicatis suffragiis decretorum, sed lite* SVIS NOMINIBVS *instituta, inlustris & magnificæ Celsitudinis tuæ adeundam potestatem: quoniam accusari vnumquemque per alterum non oportet*, &c. Secundus est, cum quis accusans, officium suum obtendit, veluti tutorium, vt *l. 2. Cod. Iust. de his qui accusare non possunt:* & *l. 6. Cod. eod. de administratione tutorum:* & aliis. Quæ quidem accusatio alieno nomine admittitur: verum is, qui ita accusat, proprio nihilominus nomine in crimen inscribere cogitur. Cuius tamen accusationis & inscriptionis hic euentus est, vt is qui officii obtentu accusauit, puta Tutor vel Curator, haud aliter calumniæ pœnam sufferat, quam si euidens eius calumnia Iudicanti appareat. Scilicet si bona fide accusationem officii ratione instituerit, vt maxime causam non tenuerit, vt maxime suo nomine subscribere coactus fuerit, officii tamen ratione excusatur: si vero nomine pupillorum vel adultorum sciens calumniosas instituerit actiones eo nomine condemnari eum oportet; ne alioquin sub prætextu alieni nominis propter simultates suas secure & impune existimet se lites suas posse exercere. Ex his apparet, Tutorem vel Curatorem alieno, id est pupilli vel adulti nomine, diuerso respectu accusare posse, & in crimen inscribere pupilli vel adulti nomine non posse. Potest nempe accusare, quia pupilli causa, origo, seu causa accusationis aliena est, quam officii ratione persequitur: ac propterea, nisi euidens eius calumnia sit, non punitur & securus est. Vice versa non posse dicitur pupilli nomine inscribere, qui vt maxime accusationis origo aliena sit, ipse tamen in crimen subscribere cogitur: & si calumniatus fuerit sciens, officii obtentu non excusatur.

Hinc itaque apparet, in *d. l. 2. Cod. Iust. de his qui accusare non possunt*, recte legi, *Tutores, vel Curatores* PROPRIO NOMINE (*cum non liceat* ALIENO) *non prohibentur in crimine falsi subscribere.* Et perperam Cuiacius, *Notis ad V. Pauli sent. tit. 12. §. 4.* & *Recit. ad d. l. 2.* legendum ibi contendit, *pupilli nomine.* Sed & Ranchinus 3. *Var. 10.* qui tentat, vel legendum, *cum & liceat alieno*; vel hæc verba, *cum non liceat alieno*, tollenda. Bartoli enim sententia verissima est, vt accusare quidem pupilli sui nomine, causa, seu iure, vel adulti tutor vel curator possit, vt docet quoque *lex 22. D. de his quæ vt indignis:* & *l. 2. Cod. Iust. eod. tit. l. 30. §. 1. D. de inoffic. test.* & *§. 4. Inst. eod.* sed ita vt nomine suo inscribat in crimen: idque ideo, vt de calumnia damnari possit: quod sane non posset, si plane alieno, id est pupilli nomine sine inscriptione sua accusaret. Et sane Græcus quoque Interpres ita legit, ἰδίῳ ὀνόματι. Imo etiam Thalelæus, quicquid Cuiacius dicat. Et falsum est Cuiacii argumentum, cum ait, si recepta lectio seruetur, qua dicitur, *tutorem proprio nomine non prohiberi in crimine falsi subscribere*, eam *legem*, & dubitandi ratione carituram, & falsam futuram. Dubitandi enim ratione non carebat, an tutores, cum palam *alieno nomine* officii sui ratione accusarent, ipsi nihilominus subscribere cogerentur, vel possent. Deinde verum est, Tutorem regulariter proprio nomine accusantem pro pupillo, calumniæ non teneri: quod illa *lex* his verbis significat: *Nec enim facile &c. sententia notantur.* Denique tutor *pro pupillo* quidem agit & accusat, sed suo nomine in crimen inscribit: Neque nouum est, vt accusatio, ab ipsa inscriptione separetur, vt docet *lex vlt. Cod. Iust. de iniuriis.*

Tandem quæstio *legis* illius hæc fuerat: Cum in falsi accusatione seu quæstione inscriptio in crimen requiratur, quid faciendum sit, & a quo subscriptio in crimen exigenda, an a pupillo; pro quo tutor

tutor agit; an vero a tutore qui agit? Et vero *illa lege* præsupponitur, inscriptionem a pupillo non exigi: Quodnam igitur remedium, vt accusatio falsi institui possit, quæ sine inscriptione institui non potest? Si dicas a *tutore* exigi: Primum aduersatur quod alieno nomine nemo inscribat. Deinde officium ei damnosum foret si inscriptionis periculum subire teneretur, cum tamen bona fide pro pupillo accusationem falsi institueret. Viceuersa si dicas, alieno, id est pupilli nomine accusantem tutorem, non admitti suo nomine inscribentem; iam futurum est vt falsi accusatio institui non possit, atque ita pupilli commodum negligatur, vel saltem *falsi* accusationis non motæ periculum tutorem olim respiciat, & pupillus ab eo id omne exigat quod seruare potuisset, falsi accusatione intra tempus mota. Quodnam igitur remedium, quo & pupillo & tutori & reo cautum sit? Ad accusationem pupilli nomine equidem motam persequendam admittetur tutor; sed proprio nomine in crimen subscribendo, quandoquidem alieno nomine inscriptio fieri non potest. Cæterum huius subscriptionis non is euentus erit, qui inscriptionis alioquin esse solet, par inquam pœnæ periculum: neque enim vllum tutor periculum subibit, si modo non euidens eius calumnia probetur, id est quod sciens prudens, malo animo, officii obtentu calumniosam accusationem instituisset. Vt vno verbo dicam; Non quæritur in *illa lege*, an tutor pupilli nomine *accusare* possit? sed an pro pupillo accusans, *suo* vel *pupilli nomine inscribere* debeat, vel possit.

Tertius casus alienum nomen palam accusationem obtendentis est, & quidem a superiore diuersus, quod tamen hactenus confunditur, cum quis quidem non ipse alieno nomine accusat, sed accusationi alienæ tantum adscribit: *adscribit* inquam, id est, scribit se accusatori adsistere: Quæ quidem noua ratio per alium accusandi, & quidem sub officii quoque specie callide reperta quoque improbatur: De quo est insignis locus Apuleii *in Apologiæ init. Pontianum*, inquit, *fratris sui filium, quem paulo prius occisum a me clamitaret, postquam ad subscribendum compellitur, illico oblitus est de morte cognati adulescentis, subito tacens tanti criminis descriptionem. Tamen ne omnino desistere videretur, calumniam Magiæ sibi delegit ad accusandum, ac ne id quidem de professo audet, verum postera die dat libellum, nomine priuigni mei Sicinii Pudentis admodum pueri* [cuius ipse curator erat, quo videlicet libello maleficii Apuleius accusabatur] *& adscribit se ei adsistere, nouo more* PER ALIVM *lacessendi: scilicet vt* OBTENTV *eius ætatulæ, ipse insimulationis falsæ non plecteretur. Quod cum tu* [alloquitur Maximum Claudium Iudicem seu Proconsulem] *sollertissime animaduertisses, & idcirco eum denuo iussisses* PROPRIO NOMINE *adcusationem delatam sustinere, pollicitus ita facturum, ne sic quidem quitus est. Vbi vt cominus ageret propellis, etiam aduersum te contumaciter eminus calumniis velitatur: ita toties ab accusandi periculo profugus in adsistendi venia perseuerauit. Igitur & priusquam causa ageretur, facile intellectu cuiuis fuit, qualisnam accusatio futura esset, cuius qui fuerat professor & machinator, idem fieri auctor timeret.* In hac scilicet specie callido commento Æmilianus adulti sui nomine libellum accusationis obtulit, accusationis inquam, cuius ipse machinator palam erat, sed idem accusationem adulti nomine peragere noluit, atque ita per adultum Apuleium lacessiuit ne calumniæ periculum subiret. Iudex cum hoc sollerter animaduertisset, eum iussit accusationem delatam *proprio nomine* sustinere, quia liquido videbat Æmilianum calumniæ huius & accusationis machinatorem: Denique voluit eum palam accusationis auctorem fieri. Quæ sane Curatoris, vt & Tutoris auctoritas pupillo vel adulto accusante (quo casu scil. eis accusare licet) iure omnino requiritur: *l. 2. §. 1. D. de accusationib.* Paulus V. *Sentent. tit. 12. §. 4. & l. 4. Cod. Iust. de auctoritate præstanda.*

Hactenus de primo genere accusationis alieno nomine institutæ, palam inquam, de professo & cominus; cuius tres species proposui. Secundum genus accusationis alieno nomine institutæ adumbrant hac specie Græci; qua non quidem alterius accusatoris nomen prætenditur, verum alterius iniuria affecti nomen; Quæ & ipsa ratio calliditate reperta est ad euitandam calumniatoris pœnam: vt ecce; Accusator dicebat homicidii accusationem instituens, eum, cuius cædem vindicaret, patrem suum fuisse, nempe vt si in accusatione succumberet euitaret pœnam calumniatoris, quam sane euitat filius patris necem vindicans: *l. 4. Cod. Iust. de Calumniatorib.* verum neque hæc species ad *legem* nostram pertinet.

Tertium igitur accusationis delationis alieno nomine institutæ genus est eorum, qui submissi & subornati proprie dicuntur: id est qui aliis submittentibus delationem instituunt. Cuius rursum duæ species sunt: Alii enim palam ab initio delationis mandatorem suum nominant, *l. 22. §. 3. D. de iure fisci.* Alii vero vt suum palam & de professo SOLI instituunt, sed reuera alienis nominibus eam præsumunt, vt *lex* nostra loquitur, id est, qui reuera alieno nomine accusationem instituunt, alio eum submittente, seu vt Callistratus ait *l. 23. D. de iure fisci*, qui *causam soli agere instituunt non habita mentione mandatoris.* Vtroque sane casu vterque punitur, vt probat disertis verbis *lex 1. §. penult. D. ad SC. Turpill.* vbi de ipso submittente hæc verba sunt: *Nam deficiendo crimine, quod mouet, & eximendo se periculo calumniæ, vel desertionis, merito calumniantis & desistentis pœnæ subiici debuit, nisi subornatus accusator probauerit crimen, quod intendere suscepit.* P. 287 De submisso vero hæc: *Summissus*, inquit, *accusator similiter eodem Senatusconsulto plectitur, id est propter hoc solum punitur, quod ministerium* ALIENI TIMORIS RECEPIT: vbi *ministerium alieni timoris* recipere, est, quod *h. l.* dicitur *accusationem alieno nomine præsumere. Præsumere*, id est, in se recipere. Et præter *l. 2. §. 5. & l. 24. D. de iure fisci. Non tantum Delator punitur si non probauerit, sed & Mandator quem exhibere debet Delator.* Et vero hanc speciem vltimam sub nomine agentis submissi Græci ad *hanc legem* aptant: Sed & Ioannes Faber *huic l.* aptat. Igitur a calumnia & delationis crimine seu pœna non excusatur, qui cum solus iudicio agere instituisset, iudicio victus postea prætendit se alieno nomine reuera accusasse, suumque submissorem demonstrat & exhibet: Et speciem ponunt Græci in muliere vel minore submissis, qui cum calumniæ non subiiciantur alienæ accusationi & calumniosæ nomen suum præbent. Denique vt calumniæ pœnæ euitandæ nonnulli frustra nomen alienum accusationi obtendunt palam, ita post iudicium finitum frustra demonstrant: Rursum vt alienum nomen frustra obtenditur, ita proprium non sine pœna accommodatur. Possit tamen & de priori specie hæc *lex* accipi, de eo qui palam professus est, se alieno nomine deferre.

Postremo species *huius l.* ponenda videatur in Potentiore aliquo, qui ab alio, cum is non satis auctoritatis haberet ad inimicum conficiendum, submissus est ad inimicum illum suum deferendum, accusandumque; idque tanquam *in Principem* quid admisisset. Igitur qui accusationem calumniosam seu delationem alieno nomine præsumit, exequitur, & delator est, & vt calumniator punitur, si detulerit quod non possit ostendere seu probare; denique si irrita fuerit delatio, id est calumniosa, falsa. *Irrita* delatio est calumniosa. Possit tandem hæc simplex *huius l.* sententia videri, eum, qui alienam vtilitatem, non suum commodum delatione seu accusatione instituta persequitur, non ideo minus si causa succumbat, velut calumniatorem & delatorem

rem puniri. *Alienam vtilitatem*, seu commodum, veluti fisci aut Principis; vt ita *alienis nominibus* hic non sit priuati alicuius nomine aut instigatione, verum alienam ad vtilitatem, veluti fisci, in sp. *huius leg.* cum tamen delator eiusmodi excusandus videretur, qui scil. non suum commodum sed fisci vtilitatem persequatur. Quæ & ipsa ferme sententia est *legis prox.* Atque hanc proculdubio interpretationem secutus est *Interpres* interpretatione sua ad *l. prox.* vt ibi dicam.

Porro *hac l.* quidam huius generis submissus indicatur; de quo ad Theodosium M. *huius l.* authorem a Menandro Vic. Asiæ relatum fuerat, vt patet ex his verbis: *Atque ideo Calumniosissimum caput & personam iudicio irritæ delationis infamem deportatio sequatur: Quo posthac singuli vniversique cognoscant*, &c. vbi *Calumniosissimum caput* dicitur (vt Cuiacius monuit quoque *IV. Obs. 29.*) eodem modo quo & Græci φιλὴν κεφαλὴν & *μιαρὰν κεφαλὴν*. Iustinus *lib. 18. cap. 7. Aususne es nefandissimum caput?* Cætera quæ Cuiacius *ea obseruatione* tradit, superiora satis refutant, ac nominatim quod *hanc legem* intellexit de eo, qui suo nomine omisso alieno subscripto accusationem instituit.

Potest enim quoque contraria prorsus *huic legi* species aptari; in eo qui alieno nomine supponentis omisso, suo suppositi scilicet subscripto, accusationem instituit. Sed nec recte cepit idem, quid *Delatorum* appellatione *h. l.* veniat, & cur de his *h. l.* agatur. Ideo enim eorum *h. l.* fit mentio, quia scilicet de *delatione* seu accusatione criminis ageretur Principem spectante, vt ex *fine legis* apparet: qua in re *delatorum* nomen proprium. Stet itaque sententia, submissum delatorem pari cum submittente & delatoribus aliis pœnæ subiici. De quo erit dicendi locus, de delatorum inquam pœna, *infr. lib. 10. tit. de petitionib. & vltro datis, & delatoribus*: ac nominatim ad *legem 19. eius tituli*: quæ & ipsa Theodosium M. auctorem habet.

Et tamen quod *hac l. infamem* calumniatorem fieri indicatur, id etiam Libanius, *de vita sua*, scribit *pag. 23. edit. Morelli*, vbi de calumniatore suo quodam.

MAIESTATIS *vindicandæ*, FISCIVE *obtentu, calumniator a pœna non liberatur.*

III. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Victuro (b) Proc. Africæ.

INNOCENTES, sub specie falsæ criminationis, non patimur callidorum inpugnatione subuerti: qui si temptauerint, intellegant, sibimet seueritatem Legum pro commissis facinoribus incumbere. Dat. III. Id. Mart. Med. Honor. A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

INTERPRETATIO. *Calumniatores sunt, quicunque causas ad se non pertinentes, sine mandato alterius, proposuerunt. Calumniatores sunt, quicunque iusto iudicio victi, causam iterare tentauerint. Calumniatores sunt quicunque quod ad illos non pertinet petunt, aut in iudicio proponunt. Calumniatores sunt qui sub nomine fisci facultates impetunt alienas, & innocentes quietos esse non permittunt. Calumniatores etiam sunt, qui falsa deferentes contra* (c) *cuiuscunque innocentis personam, Principis animos ad iracundiam commouere præsumunt. Qui omnes infames effecti in exilium detrudantur.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Victurus*, forte *Victorius*, Proconsul Africæ sub Honorio. *ID.* MS. W. *Vicino*, MS. G. *Victori.* RITTER.

(c) Hæc ferme inserta Stephani *I. Ep. 1. cap. 1. pag. 142. Tom. I. Concil. Ed. Harduin.* GOTHOFRED.

P. 288

COMMENTARIVS.

HONORII hæc in calumniatores constitutio est; qua obtentui seu Velamento & prætextui cuidam calumniatorum ad euitandam pœnam occurrit. Prætextus vero hic erat, quod Maiestatis reos ipsorumque adeo bona, fisco deferendo Maiestatem Principis vindicare voluisse se dicerent: de quo accipi quoque potest *lex 2. sup.* Et quidem post Tyrannum aliquem debellatum. Tyrannis scilicet debellatis, cæsis, exoriri passim soliti delatores eorum, qui Tyrannorum sectatores fuissent, eorumque partibus fauissent: de quo dicetur ad *legem 1. 33. inf. de petitionib. & delatoribus*: adeo quidem vt promiscue, *innocentes* etiam quique, ab huiusmodi delatoribus deferrentur, inimicos suos forte hoc tyrannidis prætextu perditos volentibus. Id quod his huiusce *legis* verbis indicatur, *innocentes sub specie falsæ criminationis non patimur callidorum impugnatione subuerti.* Proinde his delatoribus Tyrannidis seu maiestatis specie abutentibus, innocentium securitatem fundari sæpe oportuit: Et quidem ab Honorio *huius legis* Auctore, *h. l.* a Valentiniano Iuniore *d. l. 33. inf. de petitionib. & delatorib.* vbi pariter *Innocentium* vox occurrit. *Nusquam*, inquit, *calumnia perstrepet, nullus* INNOCENTIVM *fortunarum delator occurret.*

Cæterum, vt illa *lex 33.* seu Oratio Valentinianea, post Ioannem Tyrannum deuictum emissa fuit, vt ad *eam legem* ostendemus, ita hæc nostra ab Honorio post Gildonem Tyrannum in *Africa* deuictum, vt & inscriptio *legis* nostræ, quæ data est ad Victorium Proconsulem *Africæ*, & ipsa quoque temporum ratio suffragatur. Huius enim anni *398.* verno tempore (in quod hæc *lex* nostra incidit) cum paulo ante Honorii exercitus aduersus eum in Africam mouisset, debellatum penitus Gildonem disertis verbis testatur Claudianus, *de bello Gildonico v. 16.*

Quem veniens induxit hyems, VER *perculit hostem.*

Verum de Gildonis in Africa tyrannide vide *legem 7. 9. sup. de Metatis: l. 19. infr. tit. prox.* de

de pœnis: leg. 16. 19. infr. de bonis proscriptorum.

Denique huius *legis* sententia est, calumniatorem excusari, etsi in speciem maiestatem Principis accusatione instituta vindicare, fiscumque locupletare voluisse se dicat. Non est scil. Principis Maiestas aut fisci vtilitas in calumniæ occasionem vertenda. Quomodo etiam a Modestino *l. 7. §. 3. ad Leg. Iul. Maiest.* dicitur, *maiestatis crimen a Iudicibus non in occasionem, ob Principalis maiestatis venerationem, habendum esse.*

Cæterum elegans est admodum & singulare Interpretis ad hanc *legem* additamentum, de quinque calumniæ speciebus, eiusque pœnis. E quibus duæ postremæ species vt ad *superiorem*, ita & ad hanc *legem* proprie pertinent. *Calumniatores*, inquit, *sunt qui sub nomine fisci, facultates impetunt alienas, & innocentes quietos esse non permittunt. Calumniatores etiam sunt, qui falsa deferentes contra cuiuscunque innocentis personam, Principis animos ad iracundiam commouere præsumunt.* Quæ verba ferme mutuatus est ex *l. 2. sup.* Notanda deinde, quam extrinsecus ex iure addit, Calumniatorum pœna.

DE POENIS.

TITVLVS XL.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XLVII.

PARATITLON.

POENARVM ante omnia finis est, vt vnius pœna metus esse possit multorum, *l. 3. ad leg. Iul. Repetundar.* Proportio pœnarum in genere hæc est, vt condigna crimini vltio esse debeat, & par pœna peccato: *l. 1. ad leg. Iul. Peculatus:* pœna consona indulgentiæ, *l. 2. inf. de Veteranis.* Et tamen non atroces nimium, ne sub specie atrocioris iudicii aliqua in vlciscendo crimine dilatio nascatur, *l. 2. de raptu Virginum.* Augenda sæpe, cum non digna crimini vltio est, nec par pœna peccato *d. l. 1. Peculatus:* ne audacia crescat: *l. 29. de Nauicular.* aut contumacia, *l. 2. de accusat.* Iudex quomodo ad capitalem sententiam procedere debeat, definitur *l. 1. h. t.* Iudex mollire pœnas non debet, *l. 11. ad leg. Iul. de vi: l. 8. de appellat. l. 65. de hæreticis.* Non differre debet supplicium reorum, sed velox pœna esse debet, ne facultas Principi supplicandi detur: *l. 4. h. t. l. vn. ne sine iussu: l. 6. de custod reor.* excepto casu *l. 13. h. t.* Per Apparitorem quando suspendi possit, vid. *l. 1. ad leg. Iul. de vi:* Eripi supplicio rei a Clericis vel Monachis non debent, *leg. 15. 16. h. t. l. 57. de appell. l. 31. quorum appell.* per appellationem quando & quomodo suspendi possit, *dd. ll.* & *l. 1. ad l. Iul. de vi.* Intercessioni quandoque Episcoporum locus datus, *l. vlt. h. t.* Non in absentes pœna statuenda, nisi certis casibus, *l. 14. h. t. l. 5. de fide test.* Non in alios propaganda quam reos, veluti in propinquos, amicos, notos, familiares, *l. 18. h. t.* non in filios, nisi certis casibus, *l. 3. ad leg. Corn. de sicar.*
P. 289 *l. 18. h. t. l. 15. de bonis proscript.* non in vxores, vid. *tit. de bon. proscript.* non in hæredes, nisi certo casu; *l. 4. ad leg. Iul. Repetund.* Sed bene, in Satellites, *d. l. 3. ad leg. Cornel. de sicar. l. 19. 21. h. t.* in Occultatores reorum, *l. 1. de his qui latrones:* in Conscios, consortes, socios, *d. l. 3. ad leg. Cornel. de sicar. l. 1. de raptu Virginum: l. 2. de crimine peculatus: l. vn. de Nili aggerib. l. 53. de hæreticis.* Voluntas etiam quandoque punitur, vt in *l. 2. sup. de raptu, vel matrim. sanctim. l. 1. ad leg. Iul. de ambitu.* Neque ignorantia a pœna excusat, *leg. 2. de fals. monet. l. 16. de petitionib.* Neque iussus domini in totum, *l. 1. de sepulchro violat. l. 2. de falsa monet. l. 1. 2. de raptu Virginum.* Sunt & nonnulli, in quos quædam pœnæ non cadunt. Sunt & Tempora immunia a suppliciis, vt Quadragesima, & Pascha: *l. 4. 5. & vlt. de Quæstionib.* Sunt & loca immunia a suppliciis, vt in sp. *l. 7. de Scænicis.* Retro, certo loco supplicia exercenda: veluti eo loco vbi crimen admissum, *l. 1. de Nili agger.* reuocatis eo reis, *l. 3. ad leg. Iul. Repetundar. l. 13. de operib. publicis.* Diuturnus etiam carcer post pœnam indictam, loco pœnæ sæpe cedit; *l. 22. h. t.* & Tempore exilii expleto, pœna finitur: *l. 23. h. t.* Denique indulgentia criminum & pœnarum sæpe data; vid. *tit. de Indulg. criminum.*

Nunc Pœnarum genera sequuntur. Primo notandum, Legibus quandoque pœnæ genus non definiri, verum in genere, quid crimini dari, publicis legibus subiugari, pœnæ subdi, quid iuberi, & id genus formulis, pœna indefinite proponitur, seueritate sæpe pœnæ commendata, vid. *l. 1. de Adsessorib. l. 1. de accusat. l. 1. si vagum: l. 2. de custod. reor. l. 10. 12. de Numerariis: l. 2. de annon. ciuicis: l. 27. inf. de petit. l. 28. inf. de appellat. l. 1. 2. de off. Rector. prov. l. 9. de metallis: l. 3. 6. 8. 11. 25. 29. 54. 56. de cursu publ. l. 1. de Executoribus: l. 2. 6. 7. de maleficiis. l. 20. 21. de cohortalib. l. 1. de Aduoc. fisci: l. vlt. quid probare: l. 1. de suariis: l. 3. de Iurisdict. l. 1. 2. 3. de concuss. aduoc. l. 12. 15. de desertorib. l. 19. de cohortalib. l. 8. ad leg. Iul. de adulter. l. 1. de Ingenuis qui temp. Tyr. l. vn. de his qui potent. l. 1. ne quid oneri publ. l. 3. de spectaculis. l. 2. 9. 13. de Paganis: l. 4. de spectaculis: l. 30. de Episcopis: l. 2. de his qui super relig. l. 12. 35. 38. 44. 54. de hæreticis: l. 9. 11. de Iudæis: l. vlt. de his quæ ex publ. coll. l. vlt. de his qui cum disp. l. 1. de Exactionib.*

l. vlt. de his quæ admin. l. 2. 3. vlt. de falsa mon. l. 1. de incorporat. l. 20. 21. 22. vlt de diuers. offic. l. vlt. de Calumniatorib. l. 6. de aquæductu: l. 17. de petitionib. l. 2. vt intra annum : l. 2. de vestib. oloueris: l. 1. de quæstionib. l 1. de patrocin. vicor. l. 1. de off. Iudic. omn. l. 3. ad leg. Iul. de adulter. l 7. de Veteranis: l. 19. de tyronib. l. 1. de emend. seruor. l. 1. ne quid oneri publ. Sæpe ad se referri Principes de reis voluere, vt ipsi pœnam imponerent, *l. 10, 16. h. t. l. 1. de off. Rector. prou. l. 54. de hæreticis: l. 1. 25. 30. 37. 50. de cursu publ. l. 2. de falsa moneta: l. 2. Repetund. l. vn. si quis sanguinol.* vt ipsi se vindicarent quandoque, *l. 4. de accusat. l. 16. de appell. l. vn. ne Præfect.* Secundum motum animi sui, quem ex cœlesti arbitrio sumpserant, *l. 2. de fide Cathol.* vid. & *l. 46. de hæreticis.* In Iudicum sæpe arbitrium collatæ pœnæ, veluti Præfectorum Prætorio, & Magistrorum militum, *l. 2. de milit. veste: l. 5. de Veteranis: l. 11. de desertoribus: l. 16. de petit.* ex Iudicis æstimatione, *l. 2. de his qui latrones:* qui pro motu suo pœnam sumerent, *l. 35. de cursu publ. l. 37. de Nauicular. l. 3. de Apostatis.*

Prohibita quoque quædam pœnarum genera ab Imperatoribus Christianis, vel omnino, vel quarumdam personarum respectu, vt Crucis pœna: de quo dico ad *l. 1. ad leg. Fabiam.* Inscriptionis seu stigmatis in fronte, *l. 2. h. t.* Ludi pœna affici, seu ludo addici vetiti Christiani, *l. 8. h. t.* Palatini, *l. 11. h. t.* Item Curiæ addici vetitum quandoque pœnæ loco, *l. 66. 108. de Decur.* de corpore aliquo in aliud, *l. 9. h. t.* Nunc procedant solemnes pœnæ, vt vocantur, *l. vn. de Parricidio* Et initio quidem vltimum supplicium, vitam adimens, *l. 11. de maleficiis, l. 1. de falsa mon.. l. 22. de annona: l. 31. 36. 56. de hæreticis: l. 5. de off. Rector. prou. l. vlt. de his qui cum dispensat. l. vlt. ad leg. Iul. de vi: l. vn. de mulierib. quæ se seru. propr. l. 1. si quis solidi circul: l. 2. de sepulch. viol. l. 1. de his qu. sup. rel.* Capitalis pœna, seueritas, supplicium, sententia, animaduersio, exitium, periculum salutis, *l. 1. de off. Iud. omn. l. 1. de incest. nupt. l. vn. de vectigal. l. 2. de terris limit. l. 5. 6. vlt. de desertorib. l. 1. de Commeatu: l. 13. de Numerar. l. 2. de Cohortal. l. 15. 36. 41. de cursu: l. 1. de cust. reor. l. vn. de mulier. quæ se seruis: l. 1. ad leg. Iul. de vi: l. 1. de sicar. l. 8. de maleficiis: l. 2. de falso: l. 2. 6. de fals. mon. l. vn. si quis solidi, l. 1. si quis pecun. consl. l. 2. de raptu Virg. l. 2. de raptu sanctim. l. 5. Repetund. l. 1. Peculatus: l. 7. de famosis. l. 3. de Quæstionib. l. 16. 21. 24. h. t. l. 1. de bon. proscript. l. 1. 2. 12. 13. de petitionib. l. 2. de his qui cum disp. l. 1. de conlat. æris: l. 20. de exactionib. l. 1. de superexact. l. 8. de appell. l. vlt. ne Christ. mancip.* Capitis pœna, *l. 5. 30. de susceptorib. l. 1. de commeatu: l. 1. de mulier. quæ se seru. propr. l. 2. de cohortalib. l. 2 de Curat. Kal. l. 5. 6. 33. de Nauicul. l. vlt. de can. frum. V. R. l. 34. de hæreticis: l. 6. de Iudæis: l. 2. ne Chr. mancip. l. 6. 13. 20. 22. de paganis: l. 5. Repetund.* Sanguinis, *l. 2. de sepulchr. viol. l. 1. de his qui sup. Relig. l. 56. de hæreticis.* Salutis, *l. 5. de Susceptorib. l. 1. de fide Cathol.* Mortifera pœna, *l. vn. si quis solidi circulum.* Morte puniri, *l. vn. de mulier. quæ se seruis:* multari, *l. vlt. de paganis.* Ignis seu flammæ supplicium, de quo sunt *leges 23.* nempe, *l. 3. de incest. nupt. l. 1. de re milit. l. 5. de tironib. l. 2. 4. 6. de desertorib. l. 1. 2. ne præter crim. Maiest. l. 6. ad leg. Iul. de adulter. l. vn. de mulier. quæ se seruis: l. vn. de parricidio: l. 1. de maleficiis: l. 5. de falsa mon. l. 1. de Actor. procur. l. 1. si quis solidi* p. 290 *circul. l. 1. inf.* & *l. 2. de raptu Virgin. l. 2. de his qui latrones: l. vn. de Nili aggeribus: l. 4. quorum appell. l. 169. de decurion. l. vlt. de Censu: l. 1. de Iudæis.* Pestis feralis, qua reus absumatur, fit mentio *l. 5. de maleficiis.* Gladii pœna, *l. 1 de off. Rector. prou. l. 1. de Iurisd. l. 1. de erogat. mil. ann. l 4. de desertorib. l. 3 ad leg. Iul. de adulter. l 3. ad leg. Cornel. de sicar. l. 4. de maleficiis: l. vn. de parricidio: l. 10. de petitionib. l. 1. ne sine iussu Principis.* Vnde vltore gladio puniri, *l. 3. ne præter crim. Mai. l. 4. de maleficiis: l. vlt. de famos. lib. l. 2. de bon. proscript. l. 4 de paganis.* Vindex legum gladius, *l. 6. de annon. ciuic.* Ferri pœna, *l. 1. ne præter crim. Maiest.* Patibuli pœna in seruos & libertos, in sp. *l. vn. ad leg. Iul. Maiest.* Cullei, seu culleo insui, *l. vn. de parricidio: l 4. quorum appell.* Bestiarum, seu Bestiis obiici in munere, *l. 1. ad leg. Fabiam.* In ludum damnari, *l. 2. 8. h. t.* seu in ludum gladiatorium, sic aliquando, vt gladio consumatur, antequam aliquid faciat, quo se defendere possit, *d. l. vn. ad leg. Fab.* quæ pœna sublata Constantino, *l. 1. de Gladiatorib.* In parte aliqua tantum corporis pœnæ quandoque exercitæ veluti in facie, quod abolitum, *l. 2. h. t.* in manibus, furis, *d. l. 2. h. t.* Lingua etiam radicitus euulsa, *l. 2. de petitionib.* Plumbi liquentis ingestione meatus oris & faucium claudi, *l. 1. de raptu Virginum.* Metalli pœna, *l. 17. de cursu publ. l. vn. ad leg. Fab. l. vn. de his qui potent. l. 1. 8. de desertor. l. vn. de officio P. P. l. 1. de sepulchr. viol. l. vlt. ad leg. Iul. de vi: l. 2. de lenonibus: l. 1. de Gladiatorib. l. 6. de Decurionib.* Metallis publicis addici, *l. 2. de lenonib.* Metallo operi, *l. 40. de hæreticis:* idque in perpetuum, *l. 17. de cursu publ. l. vn. ad leg. Fab. l. vn. de his qui potent. nom.* in biennium, *l. 1. de off. PP.* ea pœna adfecti serui, *l. vlt. ad l. Iul. de vi:* vbi liberis exilii pœna imposita, *l. 17. de cursu.* Operis publici pœnæ, *l. vlt. de habitu quo vti.* Deportationis pœna, *l. 1. de off. P. P. l. 6. 9. de Iurisdict. l. vn. si nupt. ex rescripto: l. 2. de repudiis: l. 2. de cursu publ. l. 2. ad leg. Cornel. de falso: l. vn. si quis eam cuius tutor. l. 1. de raptu Virginum: l. vlt. de raptu sanctim. l. 2. 3. ad leg. Iul. de ambitu: l. vn. de Nili aggeribus: l. 20. h. t. l. 10. de Indulg. crim: l. 2. de Calumniatorib. l. 18. de bonis proscriptor. l. 3. de fisci debitor. l. vlt. de conditis in publ. horreis. l. 17. de appellat. l. 6. de Decurion. l. 34. de Nauicular. l. vn. quib. militantib. l. vn. de Campo Martio: l. vlt. de Canone frum. V. R. l 3. de his qui sup. rel. l. 40. 48. de hæreticis: l. 26. de Iudæis:* Eaque perpetua, æterna: *l. 2. vnde vi: l. 1. de tabul. l. 2. de his qui cum disp. l. 34. de hæreticis: l. 1. de falsa mon. l. 40. de Episcopis.* in insulam, *l. vn. ad leg. Iul. de vi: l. 1. de repudiis: l. 2. de falsa mon. l. 1. de maleficiis.* vt Oasena deportatio, *l. vn. de Nili aggeribus:* Quæ & exilium, pro deportatione *l. 2. de Lenonib. l. 1. de habitu:* perpetuum exilium, *l. 2. de habitu: l. vn. de campo Martio. l. 10. l. 26. de Iudæis:* exilium

exilium deportationis, *l. 40. de Episcopis: l. 1. de ambitu: l. 2. de his qui cum dispens.* Eaque deportatio coniuncta cum bonorum proscriptione, publicatione; *vid. tit. de bon. proscript. l. 16. 17. de Palat. S. L. l. 1. de Commeatu: l. 2. de his qui cum disp. l. 1. de maleficiis l. 17. de appell. l. 1. de his qui per metum: l. 1. si quis eam cuius tutor. l. vlt. de raptu vel matrim. sanctim. l. 2. de Lenonib. l. 22. 24. h. t.* cum verberibus, *l. 21. 31. de pistorib.* fustibus, *l. 21. de hæreticis:* cum infamia, *l. 1. de Calumniatorib.* Exilium cum bonorum proscriptione, *l. 1. si quis pec. consl.* exilii pœna, *l. 17. de cursu: l. 2. vt intra annum*, loco infamiæ, *d. l. 2.* Exilium perpetuum, *l. 1. de falsa mon.* Exilium perpetuæ relegationis, *l. 8. de desertorib.* deportationis, *l. 40. de Episcopis:* de exilio discreto diuidendis reis, vid. *l. 52. 53. 54. de hæreticis.* Relegatio, *l. 1. ad leg. Iul. de vi: l. 1. de sepul. viol. l. vn. de mul. quæ se seruis: l. 10. de indulg. crimin. l. vlt. quib. equor. vsus: l. vlt. de his qui condit. propriam:* Varie ea imposita: vltra centesimum lapidem, *l. 35. de Episcopis: l. 62. de hæreticis:* Genitali solo exterminari ad longinquam aliquam ciuitatem sub perpetui exilii conditione, *l. 1. de fals. mon.* In insulam relegatio, *l. vn. de off. P. P. l. 4. de sponsalib. l. 4. de cursu:* veluti in Cyprum, *l. 17. h. t.* in insulam Boam, *l. 53. de hæreticis:* In extremas solitudines amandari, *l. vlt. de Gladiatorib.* Perpetuo, *l. 1. de fals. mon.* Certo loco arceri, interdici Vrbis Romæ ingressu, *l. 20. h. t.* Senatus, *l. 1. 2. 3. de habitu:* ciuitate Rom. & omnibus ciuitatibus pelli, *l. vlt. de malef.* centum millibus ab vrbe, *l. 35. de Episcopis, l. 62. de hæret. l. 11. h. t. l. 2. de Episcop. iud.* Per biennium habitandi in prouincias prohibitio, *l. vn. si quacunque præd. potest.* Ferro item ligari pro pœna, *l. 1. de fugit. colon.* quomodo & ferreis vinculis constricti mittebantur rei, *l. 2. de Gladiatorib. l. vn. de mensis oleariis.*

Coërcitionis corporis species sequuntur, & quidem ante pœnam Plumbatis coërceri: *l. 14. de Cohortal.* plumbo affici ante metallum, vel exilium, *l. vn. de his qui pot. nom. l. 40. de hæreticis: l. 53. eod. tit.* verberibus coërceri ante exilium, *l. 54. 57. de hæret.* fustibus cædi ante deportationem, *l. 21. de hæreticis*, Fustibus coërceri, *l. 8. de desertorib.* publice fustibus verberari, *l. 5. de Episcopis.* Flagellis verberari, *l. 1. de Medicis:* cædi, *l. 15. de accusat. l. 80. 85. de Decurion.* Fustigationis fit quoque mentio ex iure Gothico in Interpr. *l. 1. de famos. libell.* Sequitur Dignitatis, honoris priuatio, cinguli amissio, *l. 4. de conlat. don.* cingulo priuari, *l. 4. de his qui super Relig.* honore exui, *l. 1. ad leg. Iul. Repet.* honore spoliari, *l. 150. de Decur.* codicillis adimi, *l. 21. de Iudæis.* Administratione & dignitate spoliari, seu militia, *l. vlt. de erog. mil. ann. l. 5. de metatis:* Statuæ aliquando deiectæ, *l. 17. de pœnis:* Nomen fastis expunctum, *d. l. 17.* Huc pertinet & gradus diminutio, ad inferiorem gradum reuolu-
P. 291 tio, Degradationis pœna, *l. 10. de re milit. l. 2. & vlt. de Commeatu:* matricula eximi, auferri, *l. 15. de Agentibus: d. l. 2. de commeatu.* Plebeiorum in ordinem reiici, *l. vlt. de his qui ad Eccles.* inter pessimos quosque & plebeios haberi, *d. l. 1. ad leg. Iul. Repet.* Ab honestorum cœtu, iudiciorumque conspectu segregari, *l. 1. de postulando:* limine iudiciorum expelli, *l. vn. de re Iud.* Infamia notari, *l. 3. ad leg. Cornel. de sicar. l. vn. de his qui potent. nom. l. 2. de calumniat. l. 9. 16. 24. 34. de appellat. l. 29. 76. 85. de Decurion. l. 3. de cursu: l. 1. de custod. reor. l. vlt. ad leg. Iul. de vi: l. 15. h. t. l. 3. de adsessor. l. 7. de pactis. l. 3. de executorib. l. 4. ne quid publ. lætit. l. 41. de Episcopis:* hinc & hæretici dogmatis infamia, *l. 2. de fide Cathol.* In corpus aliquod damnari, seu corpori alicui pro pœna sociari: veluti Curiæ, *l. 5. de re milit. l. 7. de fil. mil. appar.* quod vetitum, *l. 66. 108. de Decurion.* Mancipum corpori sociari, *l. 4. de executorib.* in Pistrinum, seu Pistorum corpus vrbis Romæ damnari, *l. 3. 5. 6. 7. 9. h. t. l. 8. de Pistoribus: l. 6. de annon. ciu.* vel alteri corpori, quod vetitum: *l. 9. h. t.* Actus quidam interdicti: A testimonio prohiberi, *l. 11. de fide test.* Intestabilem fieri, testamenti successionum iura adimi, *v. tit. de hæreticis.* Potestate in filium & seruum priuari, *l. 2. de lenonibus.* His adiice, Talionis pœnam, *l. 7. 9. 11. 14. 19. de accusat.* seu pœnam reciproci, *d. l. 7. de accusat. l. 3. de exhib. reis.* Similitudo supplicii, *d. l. 19. de accusat.* Non ad militiam admitti, nec ad officii vel Iudicis honorem, *l. 21. de paganis.* Functione aliqua pro alio teneri, *l. 12. de pistoribus.* Vrbe abiici, nauigio superpositum & domum remitti, *l. 1. de Stud. lib. V. R.* In prouinciam remitti, & ad limitem reuocari, *l. 13. de operib. publ.* Iurisdictionem in aliquos amittere, *l. vn. si quacunque præditus pot.* Prouinciam in qua quis quid admisit, non habitare per iuge biennium, *d. l. vn. si quacunque.* In potestatem relabi, emancipatione vel manumissione rescissa: *l. vn. de ingratis lib. l. 1. de hæred. pet.* Tandem & Carceris pœnam, *l. 22. 23. h. t.* Hactenus Pœnarum genera, deque Reis in commune. Peculiares vero personæ, peculiaria corpora in hoc *Tractatu* spectanda, quibus pœnæ propositæ, vel in quos pœnæ exercitæ. In Constitutionibus passim videre est, Imperatores, Iudicibus, & Officiis seu Officialibus eorum pœnas minitari, si quid ex officio suo non facerent: cuiusmodi complurimæ *Leges* occurrunt: sic quidem, vt quandoque eædem vtrisque pœnæ proponantur, quandoque diuersæ. Item quod ad Officiales attinet, modo vniuersis, modo Primoribus saltem. Propositæ pœnæ & Curialibus ordinibus: *l. 39. de Episcopis: l. 46. de hæreticis.* Corporibus vrbis Constantinopoleos, *l. 5. de his qui super Relig.* Defensoribus & Principalibus Vrbium, *l. 12. de paganis: l. 40. de hæreticis.* De hæreticorum quorundam Apostatarum, Iudæorum, Paganorum ritus suos illicite exercentium pœnis, vid. *suis titulis.* Vt & de pœnis Militum, *paratitlo de re militari.* De seruorum pœnis, v. *l. vn. de fugit. colonis: l. 2. de libertis: l. vlt. de Tabular. l. vlt. ad leg. Iul. de vi: l. vn. ad leg. Fab. l. 17. de petitionib. l. 7. de Medicis: l. 1. de habitu.* Mitius puniebantur ob iussum domini in sp. *l. 1. de sepulchr. viol. l. 1. de falsa mon. l. 1. 2. de raptu Virginum.* De Ecclesiasticis pœnis, vid. *l. 27. de Episcopis: l. 6. de*

hæreticis. Diſcrimina quoque pœnarum in eodem licet delicto fuere pro diuerſitate perſonarum, pro qualitate & conditionis diuerſitate: Reorum videl. vt *l. 8. de deſertorib. l. vn. de ſaturianis: l. 2. de his qui latrones: l. 1. de falſa mon.* pro loco graduque militiæ, *l. 22. de curſu publ.* Item pro diuerſitate eorum in quos quid admiſſum; *l. 2. de fugit col.* Pro diſcretione ſexus, *l. 1. de falſa mon.* contra, citra diſcretionem ſexus, in ſp. *l. 1. inf. de raptu virginum.* Ex perſonis hominum dicta penſabantur, *l. vn. ſi quis Imperatori maledix.* Si diues eſſet vel agreſtis vitæ, aut egens, *l. vn. de off. P. P. l. vn. de ſaturianis: l. 4. de deſertorib.* Illuſtris vel non, *l. 5. de metatis*, Promotus, vel Plebeius munifex, *l. 2. de curſu publ.* Iudex an Officialis, *l. vlt. de can. frum. V. R. l. 30. de ſuſceptorib. l. 2. de Curator. Kalend.* Aliquando nullo diſcrimine, *l. vlt. de Canone frum. V. R. l. 28. de oper. publ. l. 40. de hæreticis.* Pro diuerſitate Iudicum delinquentium quoque diuerſæ fuere pœnæ, *l. 15. h. t.* Militaris an Decurio, vel municeps, *l. 35. de curſu publ.* viliores ne, an in honoribus conſtituti; *l. 2. vt intra annum: l. 5. de Epiſcopis: l. 21. de Hæreticis.* Liberne & ingenuus, an ſeruus, *l. 3. de habitu: l. 17. de curſu publ. l. vn. ad leg. Fab. l. 1. de falſa mon.* Officiales denique & ſerui, qui non poterant diſpendium pudoris ſuſtinere, aliam pœnam ſubibant, *l. 1. de habitu.*

Alterius quoque quandoque criminis pœna & nomen alteri aptatum, veluti *Sacrilegii* pœna nomenque Legum violatoribus; *l. 30. de erogat. mil. ann. l. 24. de petitionib.* plura in *paratitlo de conſtit. Principum*, & in *Gloſſario.* pecunias conflantibus, vel ad diuerſa vendendi cauſa transferentibus: *l. vn. ſi quis pec. confl.* non honoranti eum quem Princeps honorat, *l. 4. de domeſticis:* poſſeſſiones magis Palatiis aptas petentibus, *l. 16. de petitionib.* Item in ſp. *l. 4. de his qui ſup. Relig. & l. 10. 31. 40. de Epiſcopis: l. 3. de Execut.* Hinc ſacrilega audacia, *l. 27. de operib. publ. l. 8. de falſa mon. l. vlt. de veſtib. oloueris. l. 16. de petitionib.* Ad exemplum Maieſtatis, *l. 12. de paganis:* reus Maieſtatis habebitur, *l. vn. de priuati carceris cuſtodia.* Adulterii vicem obtinens, *l. 5. de nuptiis, l. 5. ad leg. Iul. de adulter.* velut exactorum redemptores, *l. vn. inf. de action. ad pot. transl.* Adinſtar falſi: *l. 4. de metatis*, vt falſi reus, *l. 16. de hæreticis.* vt hoſtis publicus, aut expugnator notam perpetrati criminis ſortiatur, *l. 21. de prætoribus.* Abactorum, *l. 1. 2. quib. equorum vſus:* Latronum ſocietatem videbitur confiteri, *l. vn. ne paſtoribus.* Pœna manium vindex, *l. 5. de ſepulch. viol.* Eadem pœna, qui elabi paſſus eſt reum, conſumitur, *l. 5. de cuſtod. reor.*

P. 292 CAPITALEM *pœnam vt Iudex infligere poſſit, quid requiratur.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Catullinum. (b)

QVi ſententiam laturus eſt, temperamentum hoc teneat, vt non prius capitalem in quempiam promat ſeueramque ſententiam, quam in adulterii, vel homicidii vel Maleficii crimen, (c) aut ſua confeſſione, aut certe omnium (d) qui tormentis vel interrogationibus (e) fuerint dediti, in vnum conſpirantem (f) concordantemque rei finem, (g) conuictus ſit: & ſic in obiecto flagitio deprehenſus, (h) vt vix iam (i) ipſe, ea quæ commiſerit negare ſufficiat. Dat. III. Non. Nou. Treu. Acc. XV. Kal. Maii, Hadrumeti, (k) Voluſiano & Aniano Coſs. (l) [314.]

INTERPRETATIO. *Iudex (m) criminoſum diſcutiens, non ante ſententiam proferat capitalem, quam aut reus ipſe fateatur, aut conuictus, vel per innocentes teſtes, vel per conſcios criminis ſui, aut homicidium, aut adulterium, aut maleficium commiſiſſe manifeſtius conuincatur.*

NOTAE.

(a) *Lex 16. Cod. Iuſt. eod. tit.* Et iungenda huic eſt *lex 2. inf. de appellationib. & lex 1. inf. quorum appellat. non recipiuntur.* Hinc & ex interpretatione interpolata ſententia quædam, *Ep.* 1. Zephyrini Papæ ad Siciliæ Epiſcopos, *pag.* 105. 106. *Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* & Felicis I. Papæ *Ep.* 1. *cap.* 5. *pag.* 200. *Tom. I. Concil. edit. cit.* & Iulii I. Papæ. *Epiſt.* 2. *cap.* 19. 26. 31. *pag.* 565. 566. *Tom. I. Concil. ed. cit.* & in Hadriani I. Papæ Capitulis, *cap.* 57. *pag.* 2069. *Tom. III. Concil. edit. cit.* & *Lib. V. Capit.* 156. & exinde, *can.* 2. *Cauſ.* 2. *Queſt.* 1. *GOTHOFR.*

(b) An *Proconſulem Africæ?* quod nominatim præfert Codex Iuſtin. vide & *leg. vn. infr. de frument. Carthaginienſ.* Et *legem 2. ſup. de donationib.* & *l. 1. ſup. ad leg. Iuliam de vi?* Nam verius eſt hoc tempore ſiue anno Catullinum fuiſſe *Conſularem Byzacenæ*, vt ſubſcriptio *legis* docet (*Hadrumetum* enim metropolis Byzacenæ fuit) poſtea vero Proconſulem Africæ factum anno 315. 316. 17. *ID.*

(c) *Crimine*, Cod. Iuſt. *ID.* *Crimine*, quoque legit MS. G. *RITTER.*

(d) Scilicet confeſſione. *GOTHOFRED.*

(e) Græci hic notari volunt, ſeparari interrogationes a tormentis, vt ſit manifeſtum aliter atque aliter dici hæc duo. *ID.*

(f) *Conſpirante concordanteque:* Ita *Codex Iuſtin.* Poſſis & ita melius, *Conſpirantium, concordantiumque. ID.* MS. W. *in vnum ſpirantem concordiamque rei fine*, MS. G. *concordantem conſpirantemque &c.* Sichard. *conſpirantes concordantesque &c. RITTER.*

(g) Sufficit

(g) Sufficit testes in vnum finem conspirare & concordare. GOTHOFR.

(h) Ita *l. 2. inf.* pro *criminum deprehensorum qualitate. Deprehensus*, id est conuictus. *ID.*

(i) *Etiam*, Cod. Iust. *ID. Etiam*, MS. G. Sichard. Cuiac. prior, & illa in 4. RITTER.

(k) Vide *l. 2. sup. de Princip. Agentium*, & quæ notaui ad Inscriptionem. GOTHOFR.

(l) Referendi sunt hi Consules ad diem acceptæ constitutionis: data enim hæc *lex* superioribus Consulibus. *ID.*

(m) Ita legitur hæc interpretatio in *Capit. Hadrian. l. c.* & in *Iur. Canon. Iudex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat capitalem, quam aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes testes conuincatur.* RITTER.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. tres *hoc titulo* de pœnis constitutiones exhibentur: Quarum *Prima*, Temperamentum obiicit Iudicibus, ne ad pœnam capitalem facile properent. *Secunda*, pœnæ genus quoddam Christianæ disciplinæ aduersum abolet. *Postrema* vero, pœnæ genus quoddam inducit in vtilitatem annonæ vrbis Romæ. Ergo *hac lege* TEMPERAMENTVM continetur, quod Iudicibus sequendum proponitur, ne προχείρως ad pœnam properent. Quæ quidem *lex* pars est prolixioris constitutionis Constantinianeæ ad Catullinum emissæ, qua is partim Iudicum sæuitiæ freni adtemperiem quandam adhibendam credidit: quo pertinent ex ea constitutione hæc *lex*, & pars prior *legis 2. infr. de appellat.* partim frustratoriis appellationibus occursum iuit: quo spectat *lex 1. inf. quorum appellationes:* & pars posterior *dictæ legis 2.* quæ tres *leges* inter se coassandæ veniunt. Rursum hac constitutione tria de criminali Iudicio constituit: quando Iudex ad capitalem sententiam procedere debeat, quo spectat *hæc lex*, & *d. l. 1. inf. quor. appellat.* Quando a capitali sententia appellari non possit: quo spectat *d. lex 1. inf. quorum appell.* An post prouocationem reus in custodia perseuerare debeat; quo pertinet pars *legis 2. inf. de appellationib.* Nos de *hac l.* nostra videamus.

Nonnisi ergo confesso reo, vel omnium testium depositionibus CONVICTO, sic vt iam ipse negare non possit, capitalem pœnam in atrocioribus criminibus a Iudice imponi posse vel debere, definit *hac lege* Constantinus M. *Temperamentum* hoc, inquam, Iudicibus hac Constantini M. constitutione præscribitur: cum & alioquin nulla de morte hominis cunctatio longa sit. Confessum igitur vel liquido conuictum reum esse hac parte oportet. Quod ipsum repetitur in *l. 1. inf. Quorum appellationes non recipiuntur:* Quæ huic nostræ vna cum *l. 2. sup. de appellat.* iungenda est & subiicienda: *Cum*, inquit *d. l. 1. homicidam, vel adulterum, vel maleficum, vel veneficum, quæ atrocissima crimina sunt, confessio propria, vel dilucida, & probatissima veritatis quæstio probationibus atque argumentis detexerit:* Sed & Constantius: *l. 4. inf. Reis*, inquit, *manifesta probatione conuictis.* Denique vt capitalis sententia ferri, pœnaque imponi possit a Iudice, conuictus non censetur, nisi qui manifesta probatione conuictus, nisi omnium confessione conuictus in vnum conspirantium & concordantium rei finem: nisi denique dilucidæ & probatissimæ probationes sint. Alioquin si reus parte tantum testium obruatur, partem vero pro sui defensione possit arripere, Iudex sententiam capitalem promere non potest: quin potius id omne deliberationi Principis & arbitrio relinquere debet, vt ait *d. lex 1. Quorum appellat. non recipiuntur.*

Perperam igitur ex *hac lege* colligeretur, reum nunquam supplicio capitali afficiendum, nisi vbi testibus omnibus obruatur. Non est hæc Constantini sententia, verum Iudicibus seu Rectoribus prouinciarum tantum temperamentum hoc præscribere voluit, vt ne Capitalem sententiam promere possent, nisi concinentibus omnium testium depositionibus: vice versa vt maxime non concinerent omnium testium depositiones, reum tamen absolui non vult, verum de eo ad se Principem referri, quo ipse videlicet Princeps testium fidem examinet. Breuiter Constantinus *h. l.* inter Rectores Prouinciarum, & Principem, discrimen statuere voluit, atque ita immodice sæuientibus Iudicibus *temperamentum* (qua voce *hæc lex* vtitur) seu adtemperiem (vt loquitur *lex 2. sup. de custodia reorum*,) adhibere seu admouere. Qua in re Constantinus multum curæ adhibuit, vt ex compluribus eius *legibus* apparet. P. 293

Maneat igitur, si de Iudice quæratur, ex Constantini mente eum non aliter capitalem sententiam promere posse, quam si concinentibus in vnum rei finem testium depositionibus conuincatur: Ait lex, *in vnum rei finem.* Sufficit enim testes in vnum rei finem concinere, licet in articulis dissentiant. Quin ex his quoque verbis colligunt Pragmatici, quod testes etiam singulares, dummodo in vnum effectum & rei finem concordent, coniungi possunt, & probant: præsertim in actu reiterabili & successiuo, vt in adulterio. Quod etsi directe probari non possit, probatur tamen per actus propinquos, colloquia, basia, & alia huiusmodi quæ sunt Veneris præludia: vide Mascard. *de probation. concl. 57. n. 5. & seqq.* & *concl. 59. n. 10. lib. 1.* Neguzantium *respons. 461. n. 6. 7.*

Porro Adulterii tantum, Homicidii, & Maleficii Constantinus *h. l.* meminit: quibus criminibus capitalis pœna immineat: Pariter vt *d. l. 1. Quorum appellationes. Cum*, inquit, *homicidam, vel adulterum, vel maleficum, vel veneficum, quæ atrocissima crimina sunt, confessio &c. detexerit.* Pariter idem Constantinus tria tantum, hæc ipsa crimina ab Indulgentia generali excipit, *l. 1. sup. de indulg. criminum: Omnibus*, inquit, *indulgemus, præter veneficos, homicidas, adulteros.* Scilicet vt atrociora hæc crimina sunt, quæ apud Iudices ordinarios disquiruntur, ita sola fuerunt, quæ Constantini æuo, capitali, id est capitis & vitæ amissionis supplicio plectebantur. Eo enim sensu *capitalem sententiam* accipere oportet, ac nominatim de atrocitate Adulterii, & capitali eius pœna sub Constantino & liberis eius alibi dixi, & dicam adhuc ad *l. 4. infr. Quorum appellationes non recipiuntur.*

Item quod ait lex, *omnium qui tormentis vel interrogationibus fuerint dediti*, eo pertinet, quod quidam sunt a quibus confessio tormentis non elicitur, veluti Decuriones, qua de re dictum fuit ad *titulum de Quæstionibus.*

Interim & illud ex *hac lege* liquet, ad damnandum reum, sufficere alterutrum, vt vel conuictus sit, vel confessus; de quo plenius ad *l. 7. inf. quorum appellat.*

Tandem notandum, quod Interpres ad *hanc l.* conuictionis modos duos designat: *vel per innocentes*, inquit, *testes, vel per conscios criminis sui.*

STIGMATIS *in facie damnatorum pœna inhibetur a Constantino M.*

II. (a) Idem A. Eumelio. (b)

SI quis in Ludum (c) fuerit, vel in Metallum, pro criminum deprehensorum (d) qualitate, damnatus, minime in eius facie scribatur: dum (e) & in manibus & in suris possit pœna damnationis vna (f) scribtione (g) comprehendi: Quo *facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis est figurata, minime maculetur.* Dat. XII. Kalendas April. Cabilluno, (h) Constantino A. IV. & Licinio IV. Coss. [315.]

NOTAE.

(a) *Lex 17. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFREDVS.

(b) *Eumelius* hic Vicarius Africæ est, ad quem Constantinus M. de Cæciliani absolutione, & in Concilio Arelatensi, & iudicio suo, scripsit, anno proximo Sabino & Rufino Coss. id est A. D. 316. vt testatur D. Augustinus *in breuiculo collat. die 3. cap. 19. & libr. post collationem cap. 33.* vbi male *Romalius* vocatur. Et *lib. 3. contra Cresconium cap. 71. num. 82. Tom. IX. Oper. Augustin. pag. 476. edit. Benedictin.* vbi male *ad alium Vicarium*, pro *ad Eumelium Vicarium.* IDEM.

(c) *In metallum fuerit.* Ita Tribonian. subducta pœnæ *in ludum* dandi mentione: De cuius rei ratione mox. *ID.*

(d) *Deprehensa* crimina: sic & de personis, *leg. 1. sup.* in obiecto flagitio deprehensus. *ID.*

(e) *Dum*, id est, *Cum*, quomodo etiam *Codex Iustin.* habet. *ID.*

(f) *Vna*, id est, vno & eodem genere inscriptionis. *Vna*, est eadem & similis. *Vna opera*, eadem opera. *ID.*

(g) *Inscribtione*, Codex Iustinian. & Edit. in Quarto. *ID.*

(h) De hoc *Cabilluno*, mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

STIGMATIS seu INSCRIPTIONIS σφαγῆς in facie, τῇ ὄψει, pœnæ addicti mos *hac* Constantini Imperatoris protochristiani *constitutione* aboletur, An. D. 315. ea ratione de qua mox.

De hoc scil. Inscriptionis genere est hæc *lex*; non de alio. Non inquam est, vt alias Inscriptionis species hinc submoueam, de *seruorum* vel hominum fugitiuorum aut furum inscriptione seu stigmatibus, inscriptisque seruorum vultibus, & stigmatis in horum frontibus, de quo alioquin infinita sunt veterum Authorum testimonia: vide saltem *legem 1. §. 8. D. de fugitiuis*: Plautum *Casin. Act. 2. scen. 6. v. 49.* Platonem *de legibus lib. IX. ab init. pag. 854. edit. Serrani.* Ἐν τῷ προσώπῳ καὶ ταῖς χερσὶ γραφεὶς τὴν συμφορὰν, *in facie & manibus infaustæ calamitatis monumentis inustis.* Plinium *lib. 18. c. 3.* Iuuenalem *Satyr. 14. v. 21. 22. seq.* Senecam 3. *de ira. cap. 3.* & *Ep. 47.* Quintilianum *Instit. Orat. lib. 7. cap. 4.* Petronium *cap. 103. pag. 481. edit. Cl. Burmann.* & *pag. 45. 46. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* Idem *cap. 105. 106. 107.* siu. *pag. 47. 48. 49. edit. Mair.* Iuuenalem *Satyra 10. v. 183.* Apuleium *lib. 9. pag. 185. edit. Pricei*, & *pag. 167. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* Ausonium *Epigrammat. 15.* Columellam *in hortulo.* Claudianum *lib. 2. in Eutropium v. 344.* Clementem Alexandrinum *lib. 3. Pædag. cap. 2. pag. 220. init. edit. Sylburg. Paris. 1629.* qui τὸν δραπέτην, inquit, στίγματα δείκνυσι, *fugitiuum notæ inustæ indicant*, Laertium *in Bione*, *lib. III. 46. p. 254.* & ex eo Suidam, *in voce* σύμβολον. Theophilum, §. 3. *Institut. de libertinis l. vn. Cod. Iust. de Lat. lib. toll.* Non inquam hic proprie agitur de istis fugitiuorum & seruorum stigmatibus, litteris, epigrammatibus, id est inscriptionibus, quibus frontes seruorum & facies inscribebantur, vnde *stigmatiæ*, & *subuerbusti* dicti, & *literati.* Secundo, non est hæc *lex* de iis stigmatibus, seu inscriptionibus, quæ fronti *Captiuorum* imprimi quandoque apud aliquas Gentes mos fuit,
P.294 de quo vide Plutarchum in *Pericle pag. 166. D. edit. Wechel.* & *in Nicia in fin. pag. 542. B. edit. cit.* & Vitruuium *lib. 2. cap. 8.* quo more narrat Cedrenus *pag. 373. inter. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* de Constantino, eum, deuictis Armeniacis, hunc titulum inscribi iussisse Ἀρμενιακὸς ἐπίβουλος, *Armeniacus insidiator.* Tertio, neque hæc *lex* est de his inscriptionibus, quibus stigmata, hoc est notæ publicæ *Tyronibus*, vel Fabricensibus inscribebantur, vt & Aquariis. Nam & hæc stigmata in brachiis & manibus fiebant, de quo dicam ad *L. 4. infr. de Fabricensibus*, vide & Vegetium *lib. 1. c. 8.* & *lib. 2. cap. 5.* & *l. penult. Cod. Iust. de aquæ ductu*, ad quem morem allusum *Apocal. cap. 13. v. 16.* Quarto, neque de *Calumniatorum* tantum pœna ex *lege Remmia*, quæ iam dudum obsoleuerat, qua videl. Calumniatorum fronti *litera* K. criminis sui index, de prima sui nominis litera inurebatur, quod notissimum est ex Cicerone, *pro Roscio c. 20.* Plinii *Panegyrico c. 43.* & *Misopogone* Iuliani *pag. 360. 361. edit. Lips. Spanbem.* & *l. 13. D. de testibus.* Quinto, omitto etiam morem inter quasdam Gentes olim, *fœtus* notis compungendi, quod de *Thracibus* Ægyptiis, Sarmatis, Æthiopibus proditum. De his inquam omnibus quinque stigmatum generibus, puta quæ Seruis, captiuis, Tyronibus &c. Calumniatoribus, Partui, inscribi solita, Constantinus *h. l.* non agit. Calumniatorum quippe, vt de singulis dicam, pœna iam desierat. Tyronum vero & Fabricensium puncta siue Stigmata in vsu deinceps quoque fuerunt, neque huic *legi* contraria sunt. Denique non de domesticis dominorum pœnis vel hostili sæuitia hic agitur: Verum de publicis & solemnibus, iudiciorum, quibus, *Pœna* videlicet (vt hæc *lex* nostra expresse docet) *iis*, *qui in ludum vel Metallum damnati fuerant*, in horum, inquam, facie scribebatur, seu pœna damnationis inscribebatur: Cuius moris alibi quoque mentio extat, quo videl. liberis damnatis ob noxam suppliciumque & nominatim ad ludum vel ad Metallum opusque publicum facies inscribebatur, eisque stigmata inurebantur. Vid. vel Artemidorum *Onirocrit. lib. 1. cap. 9.* Suetonium in *Caligula cap. 27.*

Nam

Nam quod ex Ausonio adfertur de Pergamo scriptore: *Epigram. XV. v.3.4.*

> *Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu.*
> *Et quas neglexit dextera, frons patitur.*

ad seruum Scriptorem & Fugitiuum pertinet; vt præcedentes versus ostendunt:

> *Tam segnis scriptor, quam lentus Pergame cursor,*
> *Fugisti, & primo captus es in stadio.*
> *Ergo*, &c.

Illud colligo ex inscriptione *huius leg.* actum id in AFRICA (Eumenius enim, cui hæc *lex* inscribitur, Vicarius Africæ fuit) Quæ quidem & alios peculiares mores habuit. Id vero cur ita factum? procliue satis est iudicare. Nempe quod qui in *Ludum*, vel in *Metallum* damnarentur, Ludo & Metallo addicti essent, atque ideo ne Ludi vel Metalli conditionem refugere possent, puncturis, notis, siue stigmatibus in facie notarentur: denique ne conditionem suam vitarent. Quæ ipsa ratio fuit stigmatum, quæ Tyronibus, Fabricensibus, Aquariis inscribi solita: Proinde vt dignosci, deprehendi, seque suo prodere titulo, vt Claudianus *lib. 2. in Eutrop. v. 345.* atque adeo refugæ ad pœnam retrahi possent, notis compungebantur: & maxime quidem, cum in metallum quandoque in perpetuum damnari aliquos contingeret, vt eiusdem Constantini *lex* hoc ipso anno data, *lex*, inquam, *vn. sup. ad Leg. Fabiam de Plagiariis.* De pœna ad *Ludum* dandi, plene dixi *ad d. illam legem vn.* Verum Tribonianus eius mentionem hic sustulit; vtpote sublato eo pœnæ genere, de quo dicam ad *l.8. inf. h.t.* Omitti quoque non oportet extraordinariæ FACIEI inscriptionis pœnæ exemplum quod occurrit apud Senecam *lib. 4. de beneficiis, cap. 37. & 38.* quo videlicet narrat, a Philippo Macedonum Rege militi cuidam ingratissimo hospiti stigmata inscripta fuisse, ingratum hospitem testantia; vbi hæc inter alia ex Philippi mente scribit; *Potius est*, inquit, *intra fines regni mei, te literas istas oculis inscribendas durissima fronte circumferre: Ostende quam sacra res sit mensa hospitalis, præbe in* FACIE *tua legendum istud decretum, quo cauetur, ne miseros tecto iuuare capitale sit, magis ista constitutio sic erit rata, quam si illam in æs incidissem.* Qui locus obiter vt moneam, ita interpunctus sanus est: *Oculis circumferre* est, quod mox ait ostendere, præbere legendum: oculis rursum non suis, sed legentium, & populi. Denique adspectui omnium. Boetius quoque *de consolat.* refert decretum Gothi Regis in accusatores suos contumaces, qui ne sententiæ exilii sui parerent, se ædium sacrarum tuitione defendebant. *Dixit*, inquit, *vt nisi intra præscriptum diem Rauenna vrbe decederent, notas insigniti frontibus pellerentur.* In Gallia quoque olim, etsi exoleuerit is hodie mos, cuius loco iuncta stigmata in humeris, pœna hæc obtinuit. Exemplum insigne Tolosæ in Præside quodam, in fronte stigmate inusto, inque insulam relegato ob falsam Inquisitionem factam: Pœnaque hæc vsitata in his qui literas vel sigilla Regia falsassent, adulterassent, de quo vid. Imbertum & eius Interpretem *lib. 3. instit. c. 21. n. 7.* & Langlæum *10. semestr. 2. p. 644.*

In facie igitur Constantinus pœnam damnationis inscribi vetat: in manibus & suris inscriptione permissa, & ad eas partes traducta: hac ratione addita. *Quo facies quæ ad similitudinem pulchritudinis* COELESTIS *est figurata minime maculetur.* Quomodo & Lactantius, hoc ipso tempore ad Constantinum *lib. 2. c. 18.* de cultu simulachrorum agens: *Ne hunc* COELESTEM *vultum proiiciamus in terram.* &c. Sic enim de Facie potissimum hominis excepere multi illud Geneseos; *Faciamus hominem ad imaginem*, seu *similitudinem nostram.* Philo Iudæus *de specialibus legibus, p. 789. edit. Francf. apud Ierem. Schrey.* de homicidis agens, *παγκάλης εἰκόνος πάγκαλον ἐκμαγεῖον, ἀρχετύπȣ λογικῆς ἰδέας παράδειγμα τυπωθὲν*: *nihil est Deo tam simile quam hoc sigillum pulcherrimum, expressum e matrice pulcherrima, ad exemplar ideæ rationalis effictum.* Quod adumbrauit etiam Ouidius *Metamorph. lib. 1.* vbi de homine condito *v. 83.*

> *Finxit in* EFFIGIEM *moderantem cuncta Deorum.*

Sed caute hic agendum ne quod hoc loco abusi fecerunt Anthropomorphitæ, hæresis inducatur: de qua vid. Epiphanium *hæres. 20.* Augustinum *hæresi 50.* Quare neque Lactantius hanc in partem satis caute locutus *lib. 1. de ira Dei cap. 2.* cum Deum figuram aliquam habere vult. Alio sane sensu corporis diuini similitudinem homini Tertullianus *de resurrectione carnis* tribuit: quasi Deus, hominem ad exemplar Christi, cuius quasi præsentis Ideam iam tum mente concipiebat, efformarit. *Quodcunque* (inquit Tertullianus *c. 6.*) *limus exprimebatur, Christus cogitabatur, homo futurus, quod & limus, & sermo, caro quod terra & nunc: sic enim præfatio Patris ad filium: Faciamus hominem ad Imaginem & similitudinem nostram: Et fecit hominum Deus: id vtique quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi.* Alii volunt, corporis humani figuram repræsentare diuinam imaginem, vt Theologorum schola sciscit, *per modum vestigii*: quatenus *os* homini sublime datum est, vt ex ipso corporis habitu cognosceret interiores animæ facultates ad cælestium rerum cogitationem erigi præsertim oportere; qua de re videre licet D. Augustinum *lib. 6. de Genesi ad litter. c. 12. com. 22.* & D. Thomam *1. q. 93. art. 6.* P.298
sed notandum cum homo ad imaginem Dei factus dicatur, sensu iam notissimo, ob intellectus vim & impressam menti sanctitatem iustitiamque, tandem & ob Imperii vim, *διὰ τὴν γνωστικὴν δύναμιν, κριτικήν τε καὶ εὐποιητικὴν δικαιοπρακτικήν τε, καὶ ἐῤῥωμένην, καὶ ἁπαξαπλῶς, παντὸς καλȣ̃ ἐπιτελεστικήν*: tandem, *ἡ ἐξȣσιαστικὸν, κατὰ τὸ λογικὸν, κατὰ τὸ νοερὸν, καὶ κατὰ τὸ ἀρχικόν.* de facie *τῇ ὄψει* nominatim id *hac* Constant. *leg.* prædicari, vt quæ cæteroquin pars hominis potissima est: quare in ea potissimum imaginem cœlestem & diuinam impressam creditum, vtpote quæ arx sensuum & rationis sedes esset, qua Deo cum Deo communicat homo; de qua Faciei & capitis prærogatiua, vid. *l. 16. §. 6. D. de pœnis: l. 44. D. de Religiosis*, Cyprianum, *de habitu virg. pag. 99. edit. Ioan. Felli Ep. Oxon. Bremæ recus.*

Certe hinc & *Caput* pro toto homine, *l. 2. sup. de Calumniatoribus.* Quod Donatus *in Andriam Act. 2. scen. 2. v. 34.* obseruat. *Ridiculum*, inquit, *caput pro toto homine; nemo enim ore contempto ex aliis membris hominem velit significare.* Hinc & apud Virgil. *II. Æneid. v. 558.*

> *Auulsumque humeris caput, & sine nomine corpus.*

Corpus, interprete Seruio, *sine agnitione, sine nomine: a Capite enim quis nomen habet. Fronti* igitur seu faciei stigmata damnationis inscribi vetuit Constantinus: sed in manibus vel suris, cum id æque commode fieri possit: & non minus reus vel refuga quis ex iis dignosci: quod his verbis significat: *dum & in manibus & in suris possit pœna damnationis vna scribtione comprehendi*; vna scribtione, id est, eodem inscriptionis genere, pariter, similiter.

Illud non est omittendum, quod Theodorus Græcus Interpres ad *hanc leg.* subiicit. *Basilic. lib. 60. t. 51. com. 58. Væ igitur tibi Tyranne, qui Sancti Theodori & Theophanis sanctas notasti frontes.* Vbi Theophilum Imp. intelligit, qui βαρβαρικῶς, vt

Cedrenus

Cedrenus ait, Theophanis & Theodori frontibus iambos a se compositos inscribi iussit: vnde & hi γραπτοὶ dicebantur, id est, inscripti, *frontes literatæ:* vbi βαρβαρικῶς addidit Cedrenus *pag. 410. int. Script. Rer. Byzant. edit. Venet.* propter morem Barbarorum in captiuos Christianos.

Vt ad Constantini constitutionem reuertamur, duo mihi singularia ad eam succurrunt. Primo quidem, *huic legi* cohæsisse videri alterum Constantinianeæ constitutionis caput, quo is CRVCIS seu patibuli supplicium sustulit. Nam cum eius pœnæ adhuc mentio fiat Anno superiore 314. *l. vn. sup. ad leg. Iul. Maiestatis,* certe hoc Anno 315. quatuor post *hanc legem* mensibus, silentio ea inuoluitur tanquam abolita: *l. vn. sup. ad leg. Fabiam.* Deinde quis non videt, eadem de causa vtrumque pœnæ genus abolitum, ob memoriam videlicet Passionis Dominicæ Christi? cuius signum in frontibus tum Christiani notabant, frontemque signabant: de quo prolixe fidem facit Lactantius, horum ipsorum temporum Scriptor, libris ad Constantinum M. ipsum scriptis, *lib. 4. c. 26. extremo,* & *cap. 27.* vt omittam alios, etiam Chrysostomum homilia 54. *in Matth. ed. Commel. p. 475. & pag. 551. num. 4. Tom. VII. Oper. edit. Benedict.* Quin & Episcopum baptizatos in fronte olim cruce signasse indicat Tertullianus *de præscript. cap. 40.* vnde & *inscripta oleo frontis signacula* dixit Prudentius *in Psychomach.* Imo si ariolari licet, mihi omnino verosimile fit, Lactantium, qui hoc ipso tempore magistrum Crispi in Galliis agebat, huiusce *legis* suasorem auctoremque extitisse, cum videam Lactantium, de fronte hominis Cruce signari solita, tam magnifice scribentem, itemque quod antea notabam, figuram Deo aliquam adscribentem, quod *hac ipsa lege* Constantinus sequitur. Quod quidem tanto verisimilius cui fiet, si Lactantium hoc ipso anno Domini 315. scripsisse Institutionum suarum libros nouerit: quod nos alibi probamus. Item, si, quod mihi omnino probatur, nouerit *legem 1. inf. de alimentis quæ inopes par.* pariter hoc ipso Anno, ad eiusdem Lactantii suggestionem, latam.

Quod subscriptionem *huius legis* attinet, vbi ea data dicitur *Cabillūno*, videndum, cui id conueniat. An igitur intelligendum *Cabillunum*, vt etiam vocatur in obsoletis quibusdam libris *Itinerarii Antonini pag. 360. edit. Wesseling.* quod in Lugdunensi prima ad Ararim, *Chalons sur Saone*, quod alias *Cabillio* in *Itinerario Peutingeriano*: indeque *Cabillonensis* portus, cuius mentio apud Eumenium in *Panegyrico* quem dixit Constantino, cuius initium, *Facerem.* Fit eius quoque mentio apud Ammianum Marcellinum *lib. 14. cap. 10.* Denique fuit ea vrbs accommoda militi Gallicano, vel in Germaniam, vel alio transmittendo, vt ex dictis Eumenii & Ammiani Marcellini locis constat? Sed *Cabillunum* istud hic intelligi non posse videtur: Hoc enim Anno Constantinus in Pannonia & vicinis prouinciis fuit: vide *Chronologiam huius Anni.* An igitur *Cabalin* Thraciæ hic accipi oportet, cuius mentio in *vtroque Itinerario?*

De PISTRINI *pœna leuiorum criminum reis ad vrbis Romæ vsum imponenda: Constantini M. lex.*

III. (a) Idem A. ad Festum (b) Præsidem Sardiniæ.

QVICVMQVE cohercitionem mereri ex causis non grauibus videbuntur, in Vrbis Romæ pistrina dedantur. Quod vbi Tua Sinceritas cœperit obseruare, omnes sciant, eos qui (sicut dictum est) ex leuioribus causis huiusmodi meruerint subire sententiam, Ergastulis vel Pistrinis esse dedendos, adque ad vrbem Romam, id est, ad Præfectum Annonæ, sub idonea prosecutione mittendos. Dat. IV. Kal. Aug. Constantino A. V. & Licinio Coss. [319.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex*, & reliquæ omnes (puta *lex* 5. 6. 7.) quibus in pistrinum dandi pœna probatur, a *Cod. Iustinianeo.* Et vt maxime *lex 9. h. t.* in *Codicem Iustinianeum* relata fuerit, qua re ipsa eadem pœna probatur, tamen ex Triboniani mente aliter accipienda est. GOTHOFRED.

(b) *Festus*, Præses Sardiniæ sub Constantino. ID.

COMMENTARIVS.

P. 296

PISTRINI ET ERGASTVLI pœna publica noua, ad Vrbis Romæ & annonæ ciuicæ commodum a Constantino M. *h. l.* inducitur: quam & sequentium Imperatorum nonnemo probauit: Valentinianus, inquam, Sen. *l. 5. 6. 7. 9. inf. hoc titulo:* & forte *l. 8. inf. de pistorib.* Scilicet leuiorum criminum reos, qui coercitionem mererentur ex causis non grauibus, Constantinus *h. l.* primus in Vrbis Romæ pistrina condemnari, a Sardiniæ nominatim Rectore seu Præside iubet: atque ita damnatos e Sardinia ad Vrbem Romam id est ad Præfectum annonæ sub idonea prosecutione mitti: Qua in re sequentia obseruanda sunt.

Primum pœnam hanc institutam per Sardiniam a Constantino *hac l.* a Valentiniano vero per vrbem Romam ipsam, & Vrbicarias Regiones, *l. 5. 9. inf.* per Lucaniam & Bruttios, *l. 6. 7. inf.* Hac quidem ratione, quod Regiones illæ seu prouinciæ omnes & cæteroquin annonam vrbis Romæ seu vrbicam iuuarent: vt de singulis *suis* dicetur, vel dictum est *locis.*

De *Sardinia* nunc dicendum est: Eam sane vt & Siciliam *Annonæ pignora* vocauit olim Florus *lib. 4. c. 2.* benignissimas nutrices vrbis Romæ, Valerius, *lib. 7. c. 6. n. 1.* Fiscalia horrea, & vitales venas, Saluianus *lib. 6.* De his etiam ita Lucanus *lib. 3. a v. 65.*

Vtraque frugiferis est Insula nobilis aruis,
Nec plus Hesperiam longinquis messibus vllæ,
Nec Romana magis complerunt horrea terræ.

Prudentius *lib. 2. in Symmachum v. 941.*

- - *Romana nec horrea rumpat*
Sardorum congesta vehens granaria classis, &c.

Vide locum integrum: Horatius etiam *lib. 1. Od. 31. v. 3.*

- - - *opimas*
Sardiniæ segetes feracis.

Symmachus

Symmachus *lib. 9. ep. 39.* de Benigno Rectore Sardiniæ: *Benignus V. C. rei frumentariæ negotium peruigili animo & puris manibus exercuit. Testatur insomnes eius curas imbecillitas corporis. Nihil enim de Sardinia reportauit, nisi bonam conscientiam, & malam valetudinem: horreis autem tantum frugis inuexit, quantum illi prouinciæ anni fortuna contulerat.*

Altera ratio, cur in Sardinia & cæteris illis quas dixi prouinciis pœnæ genus illud institutum fuerit, reorum inquam ad pistrina vrbis Romæ dandorum, mittendorum, est, quia prouinciæ illæ vel vrbi contiguæ vel sane Continentes & quodammodo suburbanæ forent, sic vt facili negotio ad vrbem exinde rei deduci possent.

Secundo obseruandum ad Præfectum annonæ reos ita Pistrino affectatos, in Pistrinum missos, *h. l. l. 6. infr. & l. 12. infr. de Pistoribus*, quia hic annonæ Ciuicæ atque adeo Pistoribus præerat, de quo ad *tit. de pistoribus & aliis titulis infr.* vbi dicam. Nam & ad hunc annonæ cura pertinebat, & sub eius dispositione Præfectus annonæ erat.

Tertio, de prosecutione & prosecutoribus reorum ad locum pœnæ, est quoque *lex 16. inf.* De prosecutione reorum ad locum iudicii dictum est *sup. tit. de exhib. vel transm. reis l. 15.* De his ipsis est & Chrysostomi locus, *ep. 10.* vbi de se, τῶν τε ἀπαγόντων ἡμᾶς πᾶσαν ποιουμένων σπουδήν. *ii a quibus in exilium auehimur, curam omnem & studium adhibent.* Hos prosecutores idem *seqq. epist. 11. & ep. 14. num. 2. pag. 596. Tom. III. Oper. edit. Benedictin.* ἐπαρχικοὺς vocat.

De Accelerando *homicidarum, & latronum* &c. *conuictorum iudicio, ne facultas Principi supplicandi detur.*

IV. (a) Imp. Constantius A. Theodoro P. V. (b) Præsidi Arabiæ.

DVm (c) reis manifesta (d) probatione conuictis spatium (e) ante sententiam (f) temporis datur, facultas supplicandi (g) criminosissimis patet: Cum in (h) homicidii crimine, & in aliis detecti grauioribus causis, vltio differenda non sit. Igitur quidem, (i) qui iam impetrauerunt ad veniam (k) pertineant: de cetero vero, iuxta criminis qualitatem Legem (l) oportet seruari, & in scelerosos & in noxios proferri iuris sententiam. Dat. Id. Octob. Constantio A. IV. (m) & Constante C. Coss.

NOTAE.

(a) *Lex 18. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Theodorus*, Præses Arabiæ. *Perfectissimo viro* in Codice Iustin. inuerso more, *V. P.* id est, Viro perfectissimo. *IDEM.*

(c) *Cum*: Cod. Iust. quod non ita bene: *Dum* enim, causam significat expressius: hoc sensu: Quando reis conuictis spatium. His consentit & liber *Basilicon. ID.*

(d) Dixi ad *l. 1. sup. ID.*

(e) *Spatium temporis ante sententiam.* Ita euoluctius Tribonianus. *ID.*

(f) Pœnamque adeo. *IDEM.*

(g) *Vel quibusdam malignis artibus tam Præsidum quam Officialium, pœnas euitandi.* Hac Tribonianus præterea inseruit ex *l. 15. infr. ID.*

(h) *Et in.* Cod. Iust. *ID.*

(i) Hæc, vsque ad *de cetero*, Tribonianus induxit, vtpote in præteritum spectantia. *ID.*

(k) *Ad veniam pertineant*, id est, venia eis indulta rata sit. Vide *Gloss. ID.*

(l) Hanc scilicet: vel sane aliam anteriorem, qua manifestorum reorum supplicium differri a Iudice prohibebatur. *IDEM.*

(m) *γρ.* V. vt ex adiuncto Constante Cæsare liquet. Fuit enim Constans Cæsar Consul cum *Constantio* V. Proinde referenda hæc *lex* ad A. D. 352. *ID.*

P. 297. ### COMMENTARIVS.

DIfferri iudicium reorum manifesta probatione conuictorum, a Rectoribus Prouinciarum hac Constantii constitutione imposterum prohibetur: Reorum, inquam conuictorum, puta in homicidii crimine, vel qui *in aliis detecti grauioribus causis.* Quibus omnino verbis indicatur latrocinii crimen; id quod ex *huius legis* inscriptione quoque colligere mihi videor: Inscribitur enim ea *Præsidi Arabiæ.* Atqui meminit & Iulianus *Orat. 1. in Constantii* (huius *legis* Auctoris) *laudes pag. 66. ed. Petau. & pag. 21. edit. Spanhem. Lips.* latronum, quibus Arabia tum infestata, atque adeo latrocinantium Arabum. τοὺς ἐξ Ἀραβίας, inquit, ΛΗΣΤΑΣ, ἐπὶ τοὺς πολεμίους τῆς πρεσβείας τρέψας, *latronibus, qui ex Arabia grassabantur in hostes ipsos per legatos conuersis.* Differri igitur conuictorum in homicidio vel latrocinio iudicium non oportet, *h. l.* quomodo conuictum velox pœna subducere debet, *l. 6. sup. de custodia reorum.* Et olim tamen Senatusconsulto Tiberiano cautum fuerat, vt damnatorum etiam pœnæ a Senatu in Vrbe, in decimum diem semper differrentur, vt testatur Suetonius *in vita Tiberii, cap. 75.* Tacitus, *lib. 3. Annal. cap. 51.* Dio, *lib. 57. ad an. V. C. 774.* Seneca, *de Tranquillit. animi, cap. 14.* Imo triginta dies differendum supplicium ex Senatusconsulto Tiberiano scribit Sidonius *lib. 1. epist. 7.* (de quo dicam ad *legem 13. inf. h. t.*) Sed & certis casibus supplicium differri iure oportet, qui sane casus omnes ab *huius legis* nostræ specie alieni sunt: Puta *legis 3. D. de pœnis: legis 10. 13. inf. hoc eod. tit. legis 1. Cod. Iust. de bonis proscriptorum.* Species enim *legis* nostræ pertinet,

tinet, ad reos homicidii & latrocinii conuictos, quibus pœna a Rectore Prouinciæ iure Ordinario infligitur, & quorum supplicium differri tantum abest publice aut alicuius intersit, vt contra accelerari expediat. Huius autem rei ratio non ea est, qua conuictos velox pœna subducere cæteroquin iubetur, puta ne diuturna custodia seu carcere macerentur: De quo dictum *l. 1. & 6. sup. de custodia reorum: l. 7. 18. sup. de accusationib.* Sed neque ratio hic illa est immediata, alioquin grauissima, qua supplicium latronis manifesti, vel publice seditiosi accelerari iubetur: *non pœnæ festinatione, sed praeueniendi periculi causa, l. 6. §. 9. D. de iniusto, rupto, irrito testam.* (Scilicet vbi latro manifestus, vbi seditio prærupta, vbi factio cruenta vel alia quæ similis iusta causa subest, supplicium differri nulla ratione debet: Non appellationis, non alio quo obtentu, veluti humanitatis, quod alioquin reis indulgeri solet: *In hos*, ait *lex vn. inf. Ne sine iussu Principis: gladii sui & seueritatis ius exercere Iudices debent, in quos statim distringi ferrum iura præcipiunt, quorumque differri supplicium materia est interitus plurimorum.*) Neque hæc inquam ratio Constantio *h. l.* proposita est immediata, qua accelerari homicidarum & latronum supplicium iubet. Ratio igitur hæc est. Ne dato reis spatio, dilata sententia, supplicioque, supplicandi interea Principi, atque ita elabendi occasio præberetur: Cui haud absimilis est species *legis 6. D. de pœnis.* Fora igitur & leges exerceri, & gladium in præruptos hos latrones, aut homicidas, Constantius stringi iubet, ne Principis clementiam experiri eis, libeat, atque ita latrocinia per *Arabiam* hac Clementiæ spe inualescerent: quæ Constantius modis omnibus extincta cuperet; vt ostendit quoque Iuliani locus ille, quo ait, *Constantium legationibus missis latronum Arabiæ conatus in hostes conuertisse:* atque adeo *a latrocinio ad militiam compulisse.* (a) Clementiæ nempe

(a) EZECHIEL SPANHEMIUS *Obseruat. ad Iulian. Orat. 1. l. c. pag. 164.* Quod ab omni æuo solenne illi genti, maxime Scenitis Arabibus, de quibus olim Strabo *lib. XVII. pag. 747.* οἱ Σκηνῖται Ἄραβες λῃστρικοί τινες; *Scenitæ Arabes latrociniis dediti.* Iidem nempe quos *Saracenos* a posteritate appellatos tradit Ammianus *lib. XXIII. c. 6.* & Malchus Rhetor *in Excerptis Histor. Byz. pag. 91. Tom. I.* ac de quorum latrociniis, quibus in Romanas ditiones, vti hic quoque dicitur, grassabantur, agit tum *lib. XIV. cap. 4.* tum alibi, vt *libro XXIV. cap. 2.* idem Marcellinus, *Phylarchus Saracenorum Assanitarum, famosi nominis latro, omni seuitia per nostros limites diu grassatus.* Quod Arabibus in genere familiare, vt essent latrociniis dediti, notat de iis agens Plinius *lib. VI. Sect. XXXII. mirumque dictu, ex innumeris populis, pars æqua in commerciis aut latrociniis degit.* Vnde legitur huius Constantii constitutio ad Præsidem Arabiæ, Petrææ nempe, data *leg. XVIII. Cod. Iustin. de Pœnis*, qua non differenda latronum per Arabiam supplicia præscribit; ad quam legem, quæ exstat quoque *Cod. Theodos. Leg. 4. eod. titulo*, hæc ipsa Iuliani verba, quibus inualescentia per Arabiam latrocinia ab hoc Imperatore sublata dicuntur, memorat *Cl. Iacob. Gothofredus.* Neque tamen ex eadem demum lege constat, vt ibi quidem obseruat vir Doctissimus, Arabiam Petræam Romani Iuris fuisse sub Constantio; idque agnosci insuper ex Ammiano & Notitia Imperii. Id enim dudum iam ante sub Traiano primum, ac dein sub Seuero contigisse, vt Arabia illa Petræa sub Romanorum ditione fuerit, & inter Prouincias redacta, quum e Dione *lib. LXVIII.* Eutropio, Victore Schotti, Sex. Rufo: tum e nummis, sub vtroque illo Imperatore cusis, quos iam descripserant celebres antiquarii, nosse Idem poterat; in quibus præter Arabiæ, seu mulieris cum ramo thuris, calamo odorato, & ad pedes camelo, typum, ARABIA ADQVIS S. P. Q. R. seu *adquisita Senatui Populoque Romano*, aut in aliis, ARABIA AVGVSTI, PROVINCIA, aut CAPTA eadem legitur; in nummis autem Hadriani, vt de reliquis Orbis Romani prouinciis, ac prout *peragrata* ab illo *Arabia*, a Spartiano dicitur in eius Vita *cap. 14.* ita etiam ADVENTVI AVG. ARABIAE, ac RESTITVTORI ARABIAE, signatur; in alio autem Gazæ Gallorum Regiæ sub eodem Imperatore, in quo mulier turrita duos infantes lactans cernitur, cum inscript. ARABIA. Quibus accedunt Inscriptiones veteres, vt apud Gruterum MXXV. 2. vbi inter gestas a quodam L. AEMILIO Præfecturas, legitur LEG. AVG. P. PROVINCIAE. ARABIAE. & in Cl. Reinesii Syntagm. pag. 270. P. PLOTIVS &c. LEG. AVG. PR. PR. PROVINCIAE ARAB. *Legatus Augustus Pro Prætore Prouinciæ Arabiæ*, e quibus, vti e nummo modo adducto, liquet, eandem Arabiam inter Augusti, non vero Populi, Prouincias relatam. Adeo, vt haud primum in coæuis Constantio, aut quæ eum sunt subsecuta, monumentis, facta sit, prout visum fuit viro Doctissimo, illius Arabiæ vt Romani tum Iuris, ac inde Arabiæ Præsidum vel Ducum in Notitia Imperii, sub Theodosio Iuniore, mentio. Vnde non de Arabiæ Petrææ, quæ pridem, vt vidimus, Romanis erat subiecta, & a Romano Præside sub hoc Constantio regebatur; sed de aliis Arabibus, quales *Scenitæ Nomades*, aliique, hic a Iuliano agi, licet colligere. Neque enim *per legatos*, vt hic dicitur, cum prioribus egisset Constantius, quo illos, vt hinc licet statuere, promissis muneribus adlectos, a prædatione Romanarum ditionum auerteret, ac vt iidem in Persas potius grassarentur, impelleret. Posteriores autem illi *Scenitæ Arabes*, Romanis prouinciis & limitibus vicini, ad Euphratem quippe ac Syriam, vt de iis Strabo *lib. II. pag. 130.* habitantes, seu vt apud Plinium *Lib. VI. Sect. XXX. ambitu Euphratis Nomades Arabiæ, vsque ad deserta Syriæ*, tum iidem neque in Romanorum ditione, neque fœdere etiam cum iis illigati. Quod etiam de iis Scenitis Arabibus, qui Saracenorum nomine dicti, tradit Ammianus, vbi de iis agit *Lib. XIV. cap. 4. Saraceni tamen, nec amici nobis vnquam, nec hostes optandi*; ac vbi illos præterea partim pro Romanis, partim pro Persis militantes memorat, *Lib. XXIV. c. 2.* ac similiter Menander Protector *pag. 146. Tom. I. Hist. Byzant.* Hinc missam ad eos similiter legationem, quo illi sibi auxilia contra Persas ferrent, tradit ipse Iulianus tum Augustus *Epistola XXVII. p. 401.* πρὸς τοὺς Σαρακηνοὺς ἔπεμψα ΠΡΕΣΒΕΙΣ, ὑπομιμνήσκων αὐτοὺς ἥκειν, εἰ βούλοιντο, LEGATOS *misi ad Saracenos, ac vt veniant, si velint, commonefeci.* Quamquam postea eosdem fœdere cum Romanis iunctos constet non solum e *Nouella XXXI. Theodosii Iunioris*, vbi *Saracenorum fœderatorum*, quod monuit iam ad Ammianum Lindenbrogius, fit mentio, sed præterea e Pacati *Panegyrico*, quem Theodosio alterius auo dixit *cap. 22. dicam a rebellibus Saracenis pœnas polluti fœderis expetitas?* ac vnde etiam a Procopio, Iustiniani nempe æuo, Σαρακηνῶν τῶν Ῥωμαίοις ἐνσπόνδων, *Saracenorum Romanis fœderatorum*, fit mentio *lib. II. bell. Pers. cap. 17.* Quum alioquin in Arabia Petræa fuerint quoque *Saraceni*, iique Romanis obnoxii. Vnde de quodam Persa *Annoreso* ait Malchus Rhetor *in Excerpt. pag. 92. Ed. Reg.* ἐπεθύμει Ῥωμαίοις ὑπόσπονδος γενέσθαι, καὶ φύλαρχος τῶν ὑπὸ Πετραίαν ὑπὸ Ῥωμαίοις ὄντων Σαρακηνῶν, *cupido illum incessit, esse in Romanorum fide, & Saracenorum, qui in Arabia degunt, Phylarchus.* Id tradit etiam Theophylactus Simocatta *lib. VIII. cap. 1.* in Arabia esse multas & varias gentes, vulgo Saracenos, e quibus nonnullæ sint Romanorum sociæ. Quod vero de prædatione horum Arabum, eaque a Constantio mox per Legatos repressa, iisque in hostes, hoc est Persas, conuersis, a Iuliano dicitur, haud aliunde rursus scitur.

nempe veniæque ſpe omni præciſa latrocinia facillime tollas: Et alioquin in latrocinii crimine multa ſingularia conſtituta ſunt, quale etiam eſt illud, quod continetur *l. vlt. ſup. de quæſtionib.* vbi dixi. Denique quouis tempore latrones torqueri, appellationes eorum non admitti, de his ad Principem non referri, nullo tandem obtentu iudicium ſuppliciumque eorum differri oportet.

Interim ex *hac l.* obſeruandum, Conſtantii Imp. tempeſtate *Arabiam* (Petræam ſcil.) iuris Romani fuiſſe: quod etiam deinceps agnoſcit Ammianus, & Notitia Imperii, quam tamen vetus Auctor *Notitiæ prouinciarum* Schonhouianus in recenſu prouinciarum orbis Romani omittit ſub Theodoſio M. Et nota ei præfuiſſe Præſidem: De quo eiusque officio v. *Notitiam*, vbi de Duce *Arabiæ*.

De PISTRINI *pœna.*

V. (a) Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Symmachum P. V. (b)

LEVIORVM criminum reos Excellens Auctoritas tua piſtrinis (c) iubebit, Legum æquitate ſeruata, damnari; (d) ſub hac videlicet obſeruantia, vt ſub obtutibus tuis ſemper Piſtoribus præcipiantur adſignari; ne, dum occulte per nequiſſimos Commentarienſes traduntur, gratia venalis exiſtat. Dat. V. (e) Id. Iun. Naiſſo, Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

N O T A E.

(a) Abeſt, vt iam antea dixi, hæc *lex a Cod. Iuſtin.* Cæterum proculdubio huic iungendæ ſunt *lex* 4. 5. 6. *inf. de piſtorib. lex* 2. *inf. de calcis coctoribus*: *lex* 1. *inf. de Canone frument. vrbis Romæ*: *lex* VII. *inf. de Saccariis per portus*: *lex* 12. *inf. de operibus publicis.* Imo iungenda eſt & *lex ſequens* 6. *inf.* GOTHOFR.

(b) Dicam mox de eo. IDEM.

(c) Vrbis Romæ. IDEM.

(d) A Iudicibus qui ſub tua diſpoſitione. ID.

(e) Reponendum *VI.* ex dictis ferme *legibus* omnibus. ID.

P.298

De PISTRINI *pœna.*

VI. (a) Idem AA. Arthemio. (b)

OMNES, qui in leuioribus criminibus rei deteguntur, piſtrinorum exercitio (c) Vrbis Romæ damnare debebis; ita vt Tranſmiſſio (d) eorum ad Officium Præfecti Annonæ (e) ſine aliqua tergiuerſatione celebretur. Dat. III. (f) Id. Iun. Naiſſo, diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

N O T A E.

(a) Et hæc *lex* eadem ratione abeſt a *Cod. Iuſt.* & iiſdem *legibus* iungenda eſt. GOTHOFR.

(b) *Correctori* & quidem *Lucaniæ & Brittiorum*, mox vt oſtendam. ID.

(c) Ita etiam *l. 6. inf. de annonis ciuicis*: *piſtrini exercitio ſubiugetur.* ID.

(d) Pariter vt *l. 3. ſub idonea proſecutione.* IDEM.

(e) Pariter vt *d. l. 3. ſup.*

(f) *γρ.* VI. vt *l. ſuperiore.* ID.

COMMENTARIVS.

PISTRINI pœna, per Sardiniam a Conſtantino ſemel inſtituta *l. 3. ſup.* a *Valentiniano* his conſtitutionibus per Vrbicarias Regiones, *l. 5.* itemque per Lucaniam & Bruttios, *h. l. 6.* & *l. 7. prox.* conſtituitur. Qui Princeps enixam hoc tempore annonæ Vrbis Romæ curam geſſit, & quidem *ad ſuggeſtionem* Symmachi Præfecti Vrbi: cui non tantum *lex 5. huius tituli* eam ad rem inſcribitur, verum etiam *lex 3. 4. 5. 6. inf. de Piſtoribus*: *lex 1. inf. de Canone frumentario Vrbis Romæ*: quæ leges omnes Symmacho inſcribuntur ex eadem vrbe eodem menſe datæ: Et vero pleræque, ſi non omnes, cum nonnullis aliis *huic* noſtræ coniungendæ ſunt: ac nominatim *lex 12. inf. de operib. publicis*: *lex 2. de Calcis coctoribus.* Itaque iam faciet huc Ammiani Marcellini locus de hoc Symmacho Præfecto vrbi ſcribentis *lib. 27. cap. 3.* *Symmachus*, inquit *Aproniano ſucceſſit, inter præcipua nominandus exempla doctrinarum atque modeſtiæ.* QVO INSTANTE VRBS SACRATISSIMA OTIO COPIISQVE *abundantius ſolito fruebatur, & ambitioſo ponte exultat atque firmiſſimo, quem condidit ipſe, & magna ciuium lætitia dedicauit.*

Inter alias igitur rationes, quibus annonæ Vrbicæ Valentinianus conſultum iuit, hæc eſt, quod repetito a Conſtantino M. exemplo, Piſtrini pœnam in Vrbis & annonæ Vrbicæ commodum per eas, quas dixi, regiones conſtituit; per eas inquam, quæ Præfecti Vrbis diſpoſitioni ſuppoſitæ erant: de his enim eſt accipienda *lex 5.* item per Lucaniam & Bruttium, quo pertinet *hac lex 6.* & *lex 7. prox.* Arthemium enim cui dictæ *leges* inſcribuntur, Correctorem fuiſſe teſtatur inſcriptio *legis* VII. *ſup. de priuilegiis Apparit. Magiſteriæ poteſtatis*: ac nomina-

nominatim Lucaniæ & Brittiorum, eiusdem *legis vn.* subscriptio. Dicitur enim *lex* illa, *accepta Salerni:* Quæ sane Vrbs *Lucaniæ fuit*, vt ad eam *legem* ostendi. Porro ad Præfectum annonæ ex Lucania & Bruttiis huiusmodi pistrinis obnoxios transmitti iubet Valentinianus, pariter vt ex Sardinia Constantinus, *l. 3. sup.* & ipse Valentinianus, ex Africa *l. 12. inf. de pistorib.* At ex Vrbicariis Regionibus missos vel a *P. V.* damnatos ad pistrina Vrbis Romæ, sub conspectu ipsius Præfecti vrbi pistrinis addici iubet, *l. 5.* ne alioquin per Commentarienses, venales forte, elabantur: de quorum Commentariensium fraudibus & gratia venali (vt hæc *lex* loquitur) dictum est ad *leg. 5. sup. de custodia reorum.*

De PISTRINI *pœna per indulgentiam generalem non remittenda.*

VII. (a) Idem AA. Arthemio. (b)

NVLLVM ex his, quos pistrinis qualitas (c) condemnationis addixerit, inpertita ceteris reis Indulgentia relaxari oportet; nisi aliquis speciali (d) Serenitatis Nostræ meruerit reportare Rescriptum. Dat. VIII. Id. Octob. Altino, diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex*, ea quam dixi ratione abest a *Cod. Iust.* Et iungenda huic est *lex 7. inf. de pistoribus:* & *lex vn. inf. de nautis Tiberinis:* & *lex 16. inf.* *Quorum appellationes:* Etsi non Arthemio, sed *Præfecto Vrbi Symmacho* ferme inscribantur. *GOTHOFR.*

(b) Correctori Lucaniæ & Brittiorum. *ID.*

(c) Leuiorum enim criminum tantum Rei hac pœna adfecti. *l. 3. 5. 6. sup. ID.*

(d) *γρ. Speciale. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 299

DE PISTRINI pœna, deque damnatis ad pistrina Vrbis Romæ, est hæc *huius Tituli* iam tertia Valentiniani *lex*, eodem annonæ Vrbicæ iuuandæ studio, & ad eundem Arthemium eodem Anno, quo *lex* superior emissa. Sententia hæc est; Indulgentia generali, (de qua plenius actum fuit *l. 10. sup. de indulgent. criminum*:) non contineri in pistrina Vrbis Romæ damnatos. Vt cæteroquin idem Princeps noluit pistores munus suum vlla ratione defugere, ne quidem supplicatione delata, *l. 6. inf. de pistoribus*, (quæ iungenda est *leg. 5. sup.*) & *l. 8. 18. in fin.* & *l. 20. eod. tit.*

Differentia igitur constituenda est inter damnatum in pistrinum ex crimine, & eum qui origine pistrinæ conditioni adstringitur: ille speciali rescripto liberari potest, *h. l.* quod tamen antiquatum *l. 20. inf. de pistorib.* hic non item, *d. l. 6.* & *8. 18. inf.* Verum de hoc dicam plenius *ad eum tit. inf. de pistorib.* Ex *hac* interim *lege* discere licet, Valentinianum inter hæc Imperii sua auspicia, atque in Italiam appulsus, indulgentiam generalem reis pœna sua defungentibus relaxasse, cuius *alibi* nulla, quod sciam, præterea mentio extat.

LVDO [*gladiatorio*] *Christianos addici non oportere: Valentiniani Sen. lex.*

VIII. (a) Idem AA. ad Symmachum (b) P. V.

QVICVMQVE Christianus sit in quolibet crimine deprehensus, ludo non adiudicetur. Quod si quisquam Iudicum fecerit, & ipse grauiter notabitur, & officium eius multæ maximæ subiacebit. Dat. XVIII. Kalend. Feb. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abest a *Cod. Iust.* quia scilicet pœna *Ludi* penitus tum sublata. Iungenda autem huic est *lex 8. inf. de Pistorib.* & vt quidem existimo *lex 1. inf. de fide Catholica. GOTHOFR.*

(b) Symmachus P. V. sub Valentiniano Sen. Epistolographi pater. *ID.*

COMMENTARIVS.

LVDI pœna (de qua iam fuit *lex 2. sup. h. t.*) Romæ a Valentiniano Sen. hac constitutione non quidem in vniuersum aboletur (id enim factum postea demum ab Honorio: vt dicam *tit. de Gladiator.*) verum *Christianis* saltem ab hoc pœnæ genere immunitas *h. l.* datur: Christiana nempe Religio *ludi* pœna liberat, vt liberat a scenica conditione *l. 1. 4. 8. 9. infr. de scenicis* & meretricia *l. 1. 2. infr. de lenonibus* et in vniuersum ab iis functionibus, quæ Christianæ venerationi aduersæ sunt eamque ludibrio exponunt, veluti a custodia templorum *l. 1. infr. de fid. cathol.* Eademque immunitas data & Palatinis ab eodem Valentiniano *l. 11. infr.*

Ludi

Ludi autem appellatione *hic*, vt & *d. l. 2. sup.* intelligi oportet *ludum gladiatorium*, de quo dicam *infr. de Gladiatorib.* Quod quidem pœnæ genus inter initia Imperii Constantiniani adhuc obtinebat, vt docuit *d. l. 2. sup.* & *l. vn. sup. ad leg. Fabiam:* verum mox ab eodem sublatum fuit per Orientem, ipso Concilii Niceni anno, *d. l. 1. inf. de Gladiatorib.* Stetit tamen Romæ hoc pœnæ genus. Valentinianus itaque Imperator primum *Ludi* pœnam in Christianis damnauit & in Gentilibus admisit: id est Christianum noluit pœnæ loco in *ludum* dari & damnari: Gentiles damnari permisit. Sicut vice versa sub persecutionum temporibus solemnis hæc inter alias in Christianos ferme pœna fuit, vt Historia Ecclesiastica contestatur. Alteram, vt dixi, exceptionem videbimus *l. 11. inf.*

Cæterum vt Christianis pœna Ludi imponi *h. l.* prohibetur, sub seuerissima Iudicum & Officialium pœna, ita pariter idem Valentinianus hoc eodem anno *l. 1. inf. de fide Catholica* ad eundem Symmachum P. V. Gentilem Magistratum data, Christianos ad custodiam templorum Gentilium a Iudicibus adponi sub maxima pœna pariter prohibet. Quod sub Iuliano proculdubio factum fuerat. Et sane, vt *lex* illa, cum *hac* nostra, fine conspirat, atque in aliis concordat, omnino *huic* nostræ coniungenda videtur, eiusque adeo dies ex hac nostra emendandus venit: neque enim inibi stare potest, *Dat. XV. Kal. Dec. Med.* quandoquidem mense Nouembri, imo & Decembri Valentinianus non Mediolani amplius, verum *Parisiis* iam hærebat, vt docet *lex 13. inf. de annona & tributis*, *lex 3. infr. de Metallis: lex 11. sup. de Numerariis:* Et Ammianus Marcellinus, *lib. 26. cap. 5.* & *lib. 27. cap. 2.* Breuiter his duabus constitutionibus inter alias, Christianæ Religionis reuerentiam, venerationem, a Gentilium ludibriis vindicatam Valentinianus voluit, pariter vt Constantius *d. l. 1. de lenonib.* Denique qualis Valentiniani Sen. animus fuerit in asserenda Christianæ religionis reuerentia a Iuliani & paganorum impotentia, fidem facit plenissime *l. 18. inf. de Episcopis.*

P. 300 *De* CORPORE *aliquo in aliud Corpus, pœnæ loco neminem damnandum: Valentiniani Sen. lex.*

IX. (a) Idem, (b) AA. ad Olybrium P. V. (c)

NE quis pro cohercitione delicti, vel Pistoribus, vel cuicunque alteri corpori, cum alterius sit corporis, addicatur: sed vnusquisque pro crimine, in quo fuerit deprehensus, motum (d) congruæ seueritatis excipiet. (e) Dat. III. (f) Id. April. Valentiniano & Valente (g) AA. Coss.

NOTÆ.

(a) *Lex 19. Cod. Iust. eod. tit.* Et *huic* iungenda est, vt puto, *lex 9. inf. de pistoribus*: imo *lex vn. infr. de mancip. thermar.* GOTHOFR.

(b) *γρ. Valentinianus, Valens, & Gratianus*: vt ostendunt quæ ad subscriptionem dicam. *ID.*

(c) *Olybrius* hic Præfectus Vrbis Romæ fuit anno demum 368. Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 4.* de quo etiam *ad d. l. 9. inf. de Pistorib.* *ID.*

(d) De hac *motus* appellatione vide *Glossar.* vide & quæ notat Fornerius 3. *Quotid.* 3. *IDEM.*

(e) *Excipiat*, Cod. Iust. *RITTER.*

(f) Vel hic reponendum *Kalend.* vel in *d. l. 9.* rescribendum *Id.* GOTHOFR.

(g) *γρ. II.* id est A. D. 368. vt docet tum ipsius Olybrii P. V. nomen, qui ab hoc demum anno *P. V.* fuit, & subscriptio *Treuericæ* vrbis in *lege 9. de Pistoribus*, quæ *huic* coniungenda est, vbi dicam plenius. Quare præposteratio hic admissa: & *lex 10.* & *11.* hanc præcedere debent; denique & ex Ammiano Marcellino clarum, Præfectos Vrbi hos tres ita collocandos ordine; *Viuentius, Prætextatus, Olybrius. ID.*

COMMENTARIVS,

DE Corpore aliquo in aliud Corpus pœnæ loco damnari quemquam in Vrbe Roma, vetat *hac l.* Valentinianus Sen. veluti e Corpore alio in Pistorum Corpus. PISTRINI scilicet pœna (de qua iam *supra* fuerunt quatuor *leges: lex* inquam 3. 5. 6. 7.) hac Valentiniani constitutione non tollitur (vt tolli voluisse videtur Tribonianus) verum restringitur: scilicet in Pistorum corpus pœnæ nomine damnari eum tantum vetat, qui iam alterius Corporis sit. *Corporatus*, (de quo erit *infra*, *Titulus*, *de priuilegiis Corporatorum Vrbis Romæ*) in aliud Corpus eiusdem Vrbis Romæ damnari non potest: veluti Suarius, id est, qui ex Corpore Suariorum est, aut Catabolensis, de quo agitur *d. l. 9. infr. de pistorib.* quam huic coniungendam puto, in Pistorum Corpus pro pœna non recte damnatur.

Ratio autem hæc est, quia pœna deteriorem eius, qui punitur conditionem facere debet: at hoc genere pœnæ deterior non fit: MVTATIO, vt proprio verbo vtar, Militiæ, pœnæ loco est, vbi in deteriorem quis reiicitur: de quo pœnæ genere dictum est nonnullis *huiusce libri* locis, itemque *libri septimi*: At non etiam vbi ab æquali in æqualem militiam & Corpus fit mutatio, vt *hac leg.* ac multo minus, vbi deterior meliore & digniore mutatur, vt in specie *legis 108. infr. de Decurionib.* seu *legis 38. Cod. Iust. eod. t.* denique melior deteriore mutari potest; vt ecce, Apparitor Præfectorianus Vrbanitianus, id est Apparitor Præfecti Vrbis, vel Apparitor Præfecti annonæ, Pistorum Corpori pœnæ loco recte addicitur, *l. 4. sup. de Executorib. l. vlt. inf. de pistorib.* seu *leg. vlt. Cod. Iust. de Apparit. Præf. vrb.* Itemque Patronus Caudicariorum & Portuensium mensorum ad Pistrini munia pœnæ loco recte sociatur, deuocatur & mancipatur, corpori recte, *l. 9. inf. de suariis:* quæ quidem duæ *leges* postremæ inter se coniungendæ sunt. Glossa & hanc speciem addit, si ex pellipario damnetur, vt fiat faber. Additur *hac l.* neque quicunque alteri Corpori, quem, cum alterius sit Corporis, pro pœna addicendum, vt puta *militum*, inquiunt Græci, *vel Decurionum*, *vel Mensariorum:* quod insulsum est.

De Senatore *criminis reo a Præfecto Vrbis ad Principem referendum, vt is pœnam statuat.*

X. (a) Imppp. Valentinianvs, Valens & Gratianus (b) AAA. ad Prætextatum P. V. (c)

Qvotiens in SenatorI Ordinis viros, pro quantitate (d) peccati austerior fuerit vltio proferenda, Nostra potissimum explorentur Arbitria; quo, rerum adque gestorum tenore comperto, eam formam statuere possimus, quam modus facti contemplatioque dictauerit. Dat. VIII. Id. Octob. Remis, Gratiano (e) A. (f) I. & Dagalaifo. Coss.

Interpretatio. *Si quando aliquæ maiores personæ, aut alicuius dignitatis viri vocantur in crimen, Iudex ad rerum dominos referat, vt de huiusmodi personis quid fieri debeat, dominorum præceptio iusta constituat.*

P. 301.

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* Iungenda autem illi *lex* 4. *inf. de Suariis,* mox vt probabo. *GOTHOFRED.*

(b) *Gratiani* nomen hic retinendum, mox ostendam. *ID.*

(c) In quem annum huius *Prætextati* Præfectum incidat, paulo post comprobabo. *ID.*

(d) Alii *qualitate,* vt *l.* 7. *supr.* Quantitas, pro atrocitate & magnitudine modoque, vt fine l. vocatur. *ID.* *Qualitate,* MSS. W. G. Ed. Sichard. prior Cuiac. & illa in 4. *RITTER.*

(e) De hoc Consulatu mox dicam. *GOTHOFR.*

(f) Et hoc male, si ipsum tempus Consulatus gesti spectes: nam *Nob. Puer* tantum erat, vel *Nob. Cæs.* At hoc tempore iam Augustus. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Senatoribvs pœnam austeriorem, siue capitalem imponere Præfectus vrbi, nisi Principe consulto, a Valentiniano Sen. prohibetur *h. l.* Est equidem Præfectus vrbi Senatorum Iudex & Præsul: Sic vt Iudex prouinciæ ne quidem cognoscere de crimine Senatorio hoc Valentiniani sæculo potuerit, *l. 2. sup. de exhib. reis.* tum & Gratiani *l. 13. sup. de accusat.* vbi dixi plene. Et hic tamen ipse, ex Valentiniani Sen. constitutione, si austerior vltio (id est pœna) in Senatorem sit proferenda, Principis explorare arbitrium super eo debet; gestis videl. ad Principem missis, qui postea formam pœnæ statuat. Denique est quidem Præfectus vrbi Senatorum Iudex, si criminalis causa versetur, sed tamen *pœnæ modum* ex Principis arbitrio pendere voluit Valentinianus: *Nostra,* inquit Valentinianus, Potissimvm *explorentur arbitria* &c. Hæc forma est Senatorum iudicii criminalis a P. V. instituendi, quam Valentinianus *h. l.* statuit: quam etiam confirmat *lex 2. sup. de exhibendis reis:* Valentinianus, inquam Senatorii nominis studiosissimus: quod docui ad *l. vn. sup. de emendat. propinquor.* & *ad d. l. 13. sup. de accusat.* Hanc formam postea Gratianus immutauit nouem annis post *d. l. 13. sup. de accusation.* qua duo statuuntur. Primum enim Iudici seu Rectori Prouinciarum *ea lege* facultas datur intendendi examinis & cognoscendi causas criminales Senatorum, quod ante sub Valentiniano eis ius non erat, vt *hac lex* nostra testatur, & *lex 2. sup. de exhibendis reis.* Secundo, Præfecto vrbi ea *lege* siue *oratione* datur de capitis statu, de capite, & de pœnæ modo Senatori infligendæ ius & potestas: quod ipsum confirmatur ab Honorio *l. vlt. sup. de iurisdictione.* Proinde ex ea *oratione* Gratiani habet Rector Prouinciæ de causa, causæque statu cognitionem, quam solam Præfectus vrbi antea habebat: Vicissim ex ea *oratione* Præfectus vrbi de capite Senatoris statuere potest, quod Principi *h. l.* reseruatum fuerat. Tertia immutatio & in hoc facta, quod cum de capite Senatorio ex omnibus Prouinciis ad Præfectum Vrbi referretur, nisi extra ordinem in sp. *leg. 2. sup. de exhib. reis,* quæ prior est; eadem oratione de Suburbanis tantum Prouinciis ad Præfectum Vrbi referri Gratianus voluerit: de cæteris vero Prouinciis ad Præfectos Prætorio: Ita ea oratione Gratiani partim aucta, partim imminuta hac parte *Præfecti Vrbis* dignitas fuit: aucta, dum de capite Senatorio statuere ei permittitur: imminuta vicissim, dum ex suburbanis tantum Prouinciis de capite Senatorio ad eum referri iubet. Quod quidem postremum ea ratione factum, vel potius eo obtentu, aucta iam magis magisque Præfecti Prætorio dignitate, quod cæteroquin Præfecti vrbis administratio siue diœcesis intra easdem Prouincias consisteret, vt alibi ostensum est *fusius.* Prius vero illud, de capite inquam pronunciatio Præfecto vrbi cum summo temperamento committitur, sociato nempe Quinqueuirali iudicio *d. l. 13. sup. de accusationib.* & *d. l. vlt. sup. de iurisdictione.* Et hic quidem est huiusce iuris progressus, ex quo apparet, hanc *legem* Valentiniani Sen. patris a Gratiano *illa lege* 13. abrogatam.

Superest, de Consulatu *huic legi* subscripto videamus. Ergo adscribendus hic omnino Consulatus *post Cos. Gratiani & Dagalaisi:* id est A. D. 367. quomodo etiam Consulatus signatus est, *l. 3. infr. de ponderatorib.* & *l. 16. infr. de annona & tribut.* proinde referenda hæc *lex* ad annum sequentem, quo alioquin *Lupicinus & Iouinus* Consules notantur, id est A. D. 367. Vt id ita statuam, tribus argumentis inducor. *Primum,* (quod leuius est) *Gratiani* nomine; siquidem Gratianus nondum Augustus erat *An. 366.* sed factus demum *An. 367. IX. Kal. Septembr. Secundo* (quod fortius est argumentum) *Prætextati* P. V. nomine, qui sane Præfectus Vrbi fuit nonnisi post Viuentium, vt docet Amm. Marcellinus *lib. 27. cap. 3.* & 9. Atqui Viuentius primis adhuc mensibus anni 367. Præfectus vrbis erat. Et vero tres aliæ sub finem huius anni 367. constitutiones occurrunt ad hunc Prætextatum Præfectum vrbi, quarum Prima data *Ambianis,* vbi tum Gratianus Augustus creatus est: Secunda *Remis:* Tertia *Treueris,* Tertium argumentum est ex illa *lege,* quam *Remis* datam dixi; puta *l. 4. infr.* de

de suariis: quæ eodem die *VIII. Id. Octob.* ex eadem Vrbe *Remis* scilicet, ad eundem Præfectum Vrbi *Pratextatum* data est. Cæterum ea *Lupicinum & Iouinum*, id est *annum 367.* adscriptum habet. Quæ cum ita sint, ὕστερον πρότερον & hic a Codicis Theodosiani Conditoribus admissum, & *lex 11.* sequens *huic decima* anteferri debuit, vt *hæc* vicissim *legi 9.* Nam vt dixi, *Viuentii*, cui *lex 11.* inscribitur, præfectura, *Pratextati* (cui hæc inscripta est) præfecturam præcessit.

P.302 *Lvdi pœna Palatinos ob delictum affici non debere.*

XI. (a) Idem AAA. ad Viuentium (b) P. V.

Neminem de Numinis nostri Sacrario (c) prodeuntem harena suscipiat, lanista doceat, sæua meditatio & pugnatrix exerceat, multa siquidem possunt esse supplicia, quibus culpa plectatur. Dat. V. Id. April. Lupicino (d) & Iouiano Coss. [367.]

NOTAE.

(a) Hæc *lex*, vt iam monui, *superiori* anteferri debuit. GOTHOFR.

(b) *Viuentius* P. V. Romæ scil. de huius præfectura vid. Amm. Marcellinum *lib.* 27. in huius anni gestis, *cap.* 3. Eidem inscribitur hoc ipso anno *lex* 3. *sup. de indulg. criminum.* ID.

(c) *Sacrarium*, hac *leg.* & *l.* 8. 16. *inf. de legatis*, *l.* 16. *de hereticis*, pro Palatio & Consistorio Principis. vid. *Gloss. in voce Sacrarium.* Similiter Ausonius *Grat. act. in pr. Sacrarium Imperialis Oraculi*, dixit. Sacrarium etiam, pro sacro ærario, *l.* 49. *de hereticis.* IDEM.

(d) Imo *Gratiano, Aug. I. & Dagalaipho*, ex *leg. super.* ID.

COMMENTARIVS.

Lvdi pœnam hoc Valentiniani æuo, vt iam dixi retentam, vt in Christianos Valentinianus Sen. cadere noluit, sed in Gentiles tantum, *l. 8. sup.* ita Palatinis, quamlibet Gentilibus idem Valentinianus imponi *h. l.* vetat. Breuiter: In Christianos & Palatinos *ludi* pœna non cadit: in illos propter Christianæ, vt iam monui, Religionis reuerentiam, cui cruenta spectacula aduersantur, vt ipsemet Constantinus e Christianorum schola loquitur, in *l. 1. inf. de Gladiatorib.* in hos propter Palatini nominis dignitatem: Qua ipsa ratione Palatini, ne volentes quidem auctorare se ad *ludum* possunt: Nempe, quod ait *lex 2. inf. de Gladiatorib. vt Palatii dignitas a gladiatorio detestando nomine vindicetur.*

Porro etsi pleraque, quæ ad ludos gladiatorios videlicet pertinent, *Titulus* ille *de Gladiatoribus* exequatur, tamen multa sunt quæ *h. l.* obseruanda occurrunt, quæ ad Magistros & Tyrones Ludos siue ludios faciunt. De *lanistis* nihil est quod non dictum sit prius, quos Glossæ interpretantur λουδοτρόφους, Μονομαχοτρόφους, ἐπιστάτας μονομάχων: hæc *lex* vel sola satis docet lanistas fuisse, qui docebant artem gladiatoriam, quique adeo suas familias gladiatorias habebant, dicebant, docebant. Hinc & *Doctores* dicti apud Valerium *lib. 2. cap. 3. n. 2.* Quintilianum *Declamat. 302.* indeque dicebantur *Commentari*, vt Cicero 3. *de Oratore cap. 32. Magister*, inquit, *hic Samnitium cottidie commentatur.* Sed & *dictata dare: dictata* scilicet ea præcepta quæ lanistæ nouitiis & Tyronibus dare solebant, apud *Suetonium in Iul. c. 26.* Tertullianum ad *Martyres.* Sed & vetus Scholiastes Iuuenalis ad illa verba *Satyr. XI. v. 8. Et regia verba lanistæ: Superba*, inquit, *dictata*; ita enim rescribendum non *delicata. Meditatio* etiam hic propria huic exercitio, de quo consulendi qui in ea re ex professo sunt toti. Cæterum sæuam & pugnatricem meditationem vocat ex sua, Constantini, Christianorum mente.

De Campaniæ Consulari; deque iure eius in pœnis infligendis.

XII. (a) Imppp. Valens, (b) Gratianvs & Valentinianus AAA. ad Antonium P. P. (c)

Campaniæ Consularibus formam iudicationis adscribimus, ne in Loco certa condicione finito modum animaduersionis excedant: neque extra prouinciam suam ius relegationis exerceant. Dat. Prid. Kalend. Decemb. Treu. Valente VI. & Valentiniano II. AA. Coss. [378.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* velut historica & temporaria. GOTHOFRED.

(b) Perperam *Valentis* nomen hic adscriptum: Valens enim iam mense Augusto obierat, vide *Chronologiam.* Cæterum tribuenda hæc *lex* est *Gratiano*, vt subscriptio Vrbis *Treuerica* ostendit: deinde quia hoc adhuc tempore Gratianus totum Occidentem administrabat: vt inter cætera probat *lex 9. inf. de metallis.* IDEM.

(c) *Antonius* sub Gratiano PP. & quidem *Italiæ*, vt Campaniæ mentio manifeste ostendit. Hic idem antea Præfectus Prætorio Galliarum fuerat: vt docet *lex 11. inf. de Medicis*: & *lex 2. sup. de quæstionib.* v. plura in *Prosop.* ID.

COMMENTARIVS.

RELEGARE neque in Latio, neque in Latium Campaniæ Consularis potest. Scilicet CAMPANIÆ CONSVLARIS potestas in pœnis imponendis, ac nominatim relegationis pœna imponenda, hac Gratiani constitutione definitur, atque intra suos terminos coercetur pro duplici videlicet Iurisdictionis ei hac tempestate competentis genere: Nam vt hæc ipsa *lex* (hanc in rem omnino singularis) docet, Consulari Campaniæ non tantum
P. 303 Prouincia sua (*Felix* inquam *Campania*) parebat, verum etiam *Locus* prætereà quidam, certa conditione finitus. Quibus verbis *Latium* omnino significari iam alibi ostendi, quam obseruationem postea a nonnullis comprobatam deprehendo: Quam vt nunc prolixius firmem, cogit aliorum quorumdam contumacia. Igitur initio obseruandum, *Locum* pro regione, seu tractu minore quam vt prouinciam per se constitueret, proprie accipi solitum: & quidem per hæc tempora. Ita omnino Ammianus Marcellinus *lib. 17. cap. 8.* dixit, *Francos Salios, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam* LOCVM *habitacula sibi figere prælicenter.* Toxiandria LOCVS est apud Marcellinum, non oppidum Toxandrorum, vt quidam explicant: verum Toxiandria regio siue tractus: vt proinde locus ille Ammiani a nonnullis perperam sollicitetur: Nil scil. aliud est *Toxandria Locus* quam regio, quam Toxandri (Gallo-Belgica gens hæc) incolebant: Quorum alioquin Taxandrorum mentio apud Plinium *lib. 4. cap. 17.* Ad hanc Loci propriam significationem pertinet incerti quoque Auctoris Christiani *de mensuris* locus insignis *pag. 320. inter Script. Rei Agrar. Wilelm. Goesii.* *Maiores*, inquit, *orbem in partes: Partes, in Prouincias: Prouincias, in Regiones: Regiones, in* LOCA: LOCA, *in territoria: Territoria in agros: Agros in Centurias diuiserunt.* Loca igitur maius aliquid sunt quam Ciuitatum singularum territoria: Sed minus aliquid quam Prouinciæ aut regionis integræ. Hinc pariter *l. 2. sup. de integri restitutione*, Loca, Regiones, & Prouinciæ a se inuicem distincte separantur: *Quæ*, inquit, *non pro* LOCIS, *Regionibus atque Prouinciis, in quibus morantur, qui hæredes aut bonorum possessores sunt, obseruari iubemus, sed in quibus defuncti domicilia collocauerant.* Quam *legem* obseruandum est ad *Italiam* pertinere, imo speciatim quoque ad *Vrbem Romam* & centesimum Vrbis Romæ miliarium, id est eo ipso quo hæc *lex* nostra. Neque alio sensu *l. 11. sup. de Prætoribus* (quæ ad Vrbem Romam pariter pertinet) vbi de Senatoribus agit Romam declinantibus, ne ad Præturam forte nominarentur, atque ideo ad remotas Prouincias proficiscentibus, ad vrbem Romam vel saltem proxima Vrbi Romæ loca reuocandis. *Vrbis Romæ*, inquit, *Curiam callide declinantes clarissimo præditos nomine per Achaiam, Macedoniam, totumque Illyricum iussimus quæri, raro, vel nunquam sedem dignitatis Propriæ* [id est, Romam] *frequentantes: Quibus* LOCORVM *grata confinia possint esse iucunda, vt carens moris longinquæ peregrinationis debeat dignitas* [id est, Prætura] *concupisci.* Cuius loci sensus hic est, Senatores peregrinantes in longinquis Prouinciis cogendos ad Vrbem Romam; vt ita duplici his ratione consulatur: Primum, vt si tanto Roma recedendi & otii desiderio teneantur, rusticarique velint, possint in confinibus Vrbi Romæ locis eadem voluptate versari; cum iucunda satis sint ad id, grataque *Loca* illa Vrbi Romæ confinia. Secundo, vt ita optabilis eis fiat Prætura, quam in proximo positi, facile sustinere possint, quæ eis alioquin onerosa futura, si absentes designati e longinquo ad Vrbem Romam longa peregrinatione Editionis seu Præturæ causa venire necesse habent. Pariter in *l. 4. sup. de principib. Agent. in rebus:* eodem sensu *Locorum* appellatio accipienda est, quæ & ipsa *lex* ad Præfecturam Vrbis Romæ pertinet. *Nulla*, inquit, *exsecutio sine adnotatione Principis* [Officii totius] *vsurpatione officii concedatur: hoc adiecto, vt etiam si intercessio* [id est, exsecutio] *in* LOCIS *degentis Officii fuerit impertita, adscriptio tamen Principis exsecutionem fieri oportere demandet: Quæ definitio si fuerit præterita, decem librarum auri* [multam] *fisco nostro ab Officio Sinceritatis tuæ statim iubemus inferri.*

Ex his nunc quatuor *legibus* omnibus liquido apparet, *loci* appellationem vt cæteris terrarum tractibus tribui, ita speciatim Regionibus siue tractibus Vrbi proximis & ad Præfecti Vrbis diœcesim siue dispositionem pertinentibus.

Rursum, ex superioribus omnibus apparet, *Locum*, non Prouinciam per se sed Prouinciæ integræ notabilem partem fuisse. Hinc scilicet Prouincias in Regiones; Regiones in Loca: Loca in territoria diuisa fuisse docuit Author incertus *de Mensuris pag. cit.* Hinc Loca Regiones & Prouincias gradatim separat *d. lex 2. sup. de integri restitut.* Et sane Seruius Honoratus quoque *in primum Æneid. v. 534. Locus*, inquit, *Prouincia non potest dici.* Et rursus in *sextum v. 670. Locus in Regione est.* Non aliter scilicet ac locus non est proprie fundus, verum portio aliqua fundi tantum, *l. 60. D. de Verb. signif.* Hinc *fundi*, & *loci* oppositio: *§. 7. Instit. de Vsucapionib.* Et nihilominus tamen (quod summopere obseruandum) vt ex hominum & possessorum destinatione seu constitutione, e loco fundus sæpe fit si iam hoc constituerimus; id est eum a fundo toto administratione separata distinxerimus; vicissim e fundo toto locus tantum constitui potest, ac proinde locus fundi effici, si eum alii fundo adiunxerimus, *d. l. 60. D. de V. S.* Ita pari prorsus & gemina ratione, ex destinatione Principum (Vniuersi dominorum) e Regione, vel etiam Prouincia integra, Locus effici potuit, eam videlicet alii Regioni siue Prouinciæ vel administrationi adiungendo: Sic, quæ per se antea Regio, siue Prouincia fuit, postea Locus esse incipit, vbi alii Prouinciæ adiecta est. Id quod omnino accidit *Latio vtrique*, tam veteri quam nouo. Nam cum antea, seu ab initio, propriæ & peculiares *Regiones* illæ essent, vt ostendit Plinius disertis verbis *lib. 3. cap. 5.* Strabo *lib. 5. pag. 352. 353. edit. Almelooueen*, & in partem quoque *Seruius*, sed & *Ptolomæus*. Sine controuersia postea tamen, vbi Campaniæ administrationi Regiones illæ duæ adiunctæ fuerunt, Locus factus est, quæ antea Regiones per se fuerant: Quanquam & promiscue etiam omnis regio *Loci* appellatione venit. Atque hoc sensu vetus editio *sexti Canonis Niceni* (prout in *Vaticana* habetur) *Loca suburbicaria* dixit: quæ alias Regiones seu Prouinciæ suburbicariæ. Vid. *pag. 325. 326. Tom. I. Concil. Edit. Harduini.* Eodem sensu Ignatius dixisse videtur τοπον χωρίε Ρωμαίων, loco quem iam alibi produxi, cum videlicet ad Romanam Ecclesiam ita scribit; τῇ Εκκλησίᾳ ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίε Ρωμαίων. Quanquam de huius loci lectione ambigunt Casaubonus, & editores Ignatiani: inter quos est qui verba illa ita refingit ἐν τύπῳ χωρȣ̃ Ρωμαίων. Alius ἐν θρόνῳ pro τύπῳ. Vsserius vulgatam illam tuetur.

Tandem igitur vt ad *legem* nostram veniamus, *Locus certa conditione finitus*, qui *h. l.* dicitur, & quidem Consulari Campaniæ administratione iunctus, nil aliud est, quam *Latium*, suburbicarium, Vrbi proximum, ad Vrbis diœcesin pertinens, intra centesimum ab vrbe miliarium inclusum, quod certa quadam conditione, propter vicinitatem, Campaniæ administrationi, imo & nomini accesserit: *Certa*, inquam *conditione*, vt hæc *lex* loquitur & explicat. Nam vt maxime Campaniæ administrationi accesserit, non ideo tamen Præfecti vrbis admini-

administrationi seu diœcesi ademptum fuit, neque suburbicaria Regio esse desiit. Quin diuerso a Campania iure constitutum & habitum deinceps semper fuit. Nam cum Consularis Campaniæ intra Campaniam Felicem (proprie dictam) atque adeo *suam* & peculiarem *Prouinciam* maioris omnisque animaduersionis ius haberet, in *Loco* tamen *certa conditione finito* (id est Latio) non habebat; nempe,
P.304 quia ad Præfectum vrbi, ad cuius peculiarem diœcesim locus ille pertineret, maior animaduersio pertinebat, iam inde ab antiquo semper, *l. 1. D. de officio Præfecti vrbi*, & Vlpianus *apud Authorem Collationis Legum Mosaic. tit. 14. §. 3.* Vide & *legem 13. sup. de Accusationib.* Ab hac quoque ratione est, quod cum e Campania Prouincia proprie dicta ad Præfectum Prætorio Italiæ appellaretur, *l. 27. infr. de appellationib.* sane ex loco illo certa conditione finito, id est Latio ad Præfectum vrbis a Consulari Campaniæ deinceps semper appellatum fuerit: vt ostendit elegans Epistola Symmachi *lib. 10. Epist. 53.* vbi quoque agitur de hoc ipso Gratiano Imperatore, qui *huius legis* Auctor est. Denique etsi locus ille certa conditione finitus, non tantum administrationi Campaniæ, verum etiam Campaniæ *appellatione* vt sæpius postea venerit, tamen distincte rem agentes Latium a Campania separare porro perrexerunt. Hinc Seruius Honoratus, qui post Constantini eiusque liberorum tempora proculdubio vixit & scripsit, disertis verbis Latium memorari perseuerat. *Latium*, inquit, *duplex* EST, *vnum a Tiberi vsque ad fundos, aliud inde vsque ad Vulturnum.* Quinimo & vetus Notitia Episcopatuum disertis verbis, cum quatuor Prouinciarum Episcopos Prouinciæ (id est diœceseos Romanæ) enumerat, *Latium & Campaniam*, vnam ex his quatuor Prouinciis facit.

Ex his omnibus iam liquido constat, qua ratione Latium Campaniæ accesserit, & vt ea accessione *Latii* nomen non obsoleuerit. Cuius rei nonnulla præterea vestigia deprehendere licet. Primum, *in Ponte Campano*, cuius sane mentio fit apud Scriptores, Augusto, & sequentibus proxime, non modo coæuos, veluti Horatium, *1. Sermon. 5. v. 45.* Plinium *lib. 14. cap. 6.* verum etiam Constantino coætaneos, puta apud Authorem *Itinerarii Hierosolymitani*, & Authorem *Itinerarii Peutingeriani*. Cæterum ea appellatione *Pontis*, inquam, *Campani* qui erat trans centesimum ab vrbe milliarium statim, id significabatur, eo ponte (qui Sauoni fluuio impositus erat) e Latio in Campaniam transiri, sic quidem, vt ab hoc ponte deinceps tanquam ab initio Campania initium duceret, locaque & interualla locorum numerarentur:

Sinuessa VII.
Ad *Ponte Campano III.*
VRBANIS III.
Ad Nonum VII.

Quo loco, id vt obiter quoque moneam, appellatione *Vrbanis*, indicatur Vrbana Colonia Syllana, cuius meminit Plinius *lib. 14. c. 6.* Vbi addit eam *nuper Capuæ additam*, id est, non vt Cluuerius voluit, transductam Capuam: Verum Capuæ administrationi iunctam. Sed & illud malo, Nonum a ponte Campano potius numerant quam a Capua, quod tradidit Cluuerius *p. 1178.* itinera enim ab vrbe Roma initium ducebant Campaniam versus.

Casilino III.
Capua VI.
vel vti Itiner. Hierosolym. *pag. 611. ed. Wesseling.*
Sinuessa IX.
Ponte Campano IX.
Capua VIII.

Haud aliter atque ab ipsa vrbe Roma interualla locorum numerabantur, ad *sestertium*, ad *quartum*, ad *sextum*, ad *septimum*, ad *Vicesimum*, ad *Centesimum*. Alterum vestigium non minus luculentum: quod locus hic certa conditione finitus, seu Latium Campaniæ adiunctum, Campaniæ Romanæ appellatione censitum fuerit, atque etiamnum censeatur, vt quæ Romanæ fuerit administrationis & diœceseos. Tertio hac ipsa ratione in *Notitia Vaticana*, seu *Codice Prouinciali Episcopatuum*, cum enumerentur Episcopatus Campaniæ, qui ad Diœcesim Romanam pertinebant, nulli alii numerantur, quam qui intra hoc Latii seu Campaniæ Romanæ spatium sunt, a Tiberi inquam ad Fluuium vsque Safonem (qui terminus est Campaniæ Felicis) Tandem ex his liquet, *Latii* nomen & post Constantini seculum mansisse, vt in designanda Episcopi Romani, ita & in Præfecti vrbis diœcesi, quod vltimum hæc *lex* nostra testatur.

Cæterum quando Latium Campaniæ administrationi accesserit, tractabo ad *d. l. 27. infr. de appellationib.*

Nunc de sententia *huius legis*: Ea vero hæc est; Consularem Campaniæ, cuius administratio composita est ex Campania Romana, & Campania Felice, neque intra illam maioris animaduersionis potestatem habere, vtpote quæ Præfecto vrbi competat, cuius respectu limitatam potestatem habet: neque in eam relegare posse, non magis quam in alium locum extra Prouinciam suam. Breuiter; Consularem Campaniæ nec in Latio maiorem habere animaduersionem, nec in Latium relegare posse, quamuis Latii administrationem habeat: quia scilicet certa conditione id habet. Proinde si de relegatione quæratur, neque in Latio, neque in Latium relegare ei licet: Non in Latio, quia maior animaduersio in eo ei denegatur: cæterum relegatio maioris animaduersionis species est, vt vel exinde colligitur: vide & *l. 1. §. 7. D. de off. P. V.* Non in Latium, quia extra Prouinciam suam Latium est. Porro extra Prouinciam suam relegare nemo potest. Quorum verborum sensus hic est, Rectorem Prouinciæ non posse in Prouinciam aliam & certam reum relegare, vt videlicet reo adsignet certam Prouinciam, in qua relegatus moretur, *l. 7. §. 6. D. de interdictis & relegatis*. Alio sane sensu, relegare extra Prouinciam suam Rector Prouinciæ potest, *d. l. 7. §. 7.* Prouincia quippe sola excludere tota reum potest. Atque ita quidem hæc *lex* accipienda est, quæ alioquin pugnare videretur cum *d. l. 7. §. 7.*

Igitur Campaniæ Consularis non potest in Latium relegare: cuius contrarium tamen dicendum videbatur. Quandoquidem Rector Prouinciæ potest relegare in certam partem Prouinciæ suæ seu administrationis, vt hæc ipsa lex indicat: & *d. lex 7. §. 8. & 9.* Porro Latium, vt dixi, pars fuit hoc tempore prouinciæ & administrationis Campaniæ: Verum respondet hæc *lex*; ita demum in partem administrationis Rectorem relegare posse, nisi pars Prouinciæ seu administrationis non simpliciter, sed sub certa conditione, eidem Rectori adscripta fuerit, vt Latium Campaniæ consulari. *Certa conditione*, quæ vox hic propria est, & agrimensoria: vnde sane *Conditores*, & *conditiones agrorum*, quæ vox sæpe occurrit apud Authores *Augustos*, qui vulgo, *finium regundorum*: itemque *in l. vn. sup. de rei vindicat. l. 1. §. 23. D. de aqu. & aqu. pluu. arc.* Vt cæteroquin & in commune *conditio* est *qualitas*: sic *conditio præceptorum* in *l. vlt. sup. de sent. ex peric. rec. l. 6. D. de acquirendo rerum dominio.* Conditio est qualitas loci vel agri: vnde quas Siculus Flaccus *conditiones agrorum* dixit, Frontinus *qualitates* vocauit. Hinc *conditio occupatoria*, apud eundem Flaccum *p. 17. edit. Rigalt. & pag. 14. edit. Goes.* & *conditio occupatorum agrorum* apud Higynum *pag. 213. edit. Rigalt. & pagina 205. edit. Goes.* Denique hinc P. 309 locus

locus certa conditione finitus, id est locus Campaniæ Consulari datus, assignatus certis legibus & conditionibus: Locus alicui finitus certa conditione, id est datus, assignatus. *Finiendi* verbum pro dandi, assignandi, agrimensoria, seu Augustalis artis voce: de qua vide ipsosmet Auctores *Augustos*.

Tandem id ex *hac lege* ad praxim colligitur, Iunctis quamlibet aliquando in vnam eandemque administrationem pluribus prouinciis, vel regionibus; ius tamen Prouinciæ non eo immutari. Temporaria permutatio ius Prouinciæ non immutat: *l. 123. §. 1. D. de R. I.* Ad quam *legem* hæc species non male deinceps aptabitur. Denique non illico quæ iuncta sunt administratione ob aliquam commoditatem, eodem iure semper censentur: Quod ad *vniones Regnorum* & *Principatuum* quoque vtiliter traduci potest.

De DIFFERENDA *pœna extra ordinem imperata ab irato Principe per XXX. dies.*

XIII. (a) Imppp. Gratianus, (b) Valentinianus, & THEOD. AAA. Flauiano (c) P.P. Illyrici (d) & Italiæ. (e)

SI vindicari (f) in aliquos seuerius, contra nostram consuetudinem, pro causæ intuitu, iusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, (g) sed per dies XXX. super statu eorum sors & fortuna suspensa (h) sit: Reos sane accipiat (i) vinciatque custodia, & excubiis sollertibus vigilanter obseruet. Dat. XV. Kal. Septemb. Veronæ, Antonio, & Syagrio Coss. [382.]

INTERPRETATIO. *Si Princeps cuiuscunque graui accusatione commotus, quemquam occidi præceperit, non statim a Iudicibus quæ ab irato Principe iussa sunt, compleantur, sed triginta diebus qui puniri iussus est, reseruetur, donec (k) pietas Dominorum, iustitiæ amica, (l) subueniat.*

NOTAE.

(a) *Lex 20. Cod. Iust. eod. tit. GOTHOFRED.*

(b) An *Gratiani* nomen hic stare possit? mox videbimus. *ID.*

(c) *Flauianus* PP. Illyrici & Italiæ: dixi de eo ad *l. 2. sup. de constitut. Princ. ID.*

(d) De quo *Illyrico* hoc accipiendum? mox viderimus. *ID.*

(e) *f. Post alia. ID.*

(f) Sic in negotio Synagogæ incensæ Ambrosius *ep. 17. pag. 212. Tom. V. Oper. edit. Paris. Felicis Cardinal. de Mont. Alto.* de hoc ipso Theodosio: *iussisti vindicari in cæteros.* Occidi, Interpres. *ID.*

(g) φονευτικὴν ἢ δημευτικὴν, Theodoretus Hist. *Eccles. lib. 5. cap. 17. ID.*

(h) ἀναβάλλεσθαι τὴν τιμωρίαν: differatur, Rufinus, *lib. 5. c. 17.* Sic Sidonius Apol. *lib. 1. ep. 7. in fin.* in eadem re, *vt SVSPENSO ictu iam iamque mucronis exerti pietas Augusta sem inecem (quanquam publicatis bonis) vel exilio muneretur.* Sic Seneca in genere *lib. 2. de ira cap. 23. IN SVSPENSO ira retinenda: potest enim pœna dilata exigi, non potest exacta reuocari. ID.*

(i) *Excipiat*, Cod. Iust. *ID.*

(k) Ratio hæc recte ab Interprete addita. *ID.*

(l) *Amica* iustitiæ. Sic & Cassiodor. *III Var. 13.* v. plura apud Iuretum in *Symm. lib. 6. Ep. 58. ID.*

COMMENTARIVS.

DIFFERRI atque in suspenso teneri, pœnam seuerius a Principe *contra consuetudinem suam* (vt *hac lege* dicitur) id est extra ordinem (irato forte θυμῷ, vt recte Scholion, *irato Principe*, Interpres *hic*) per Epistolam imperatam, in trigesimum semper diem iubet Imperator, hac famosa & decantata lege. Cuius Author habetur *Theodosius M.* Imperator: & quidem Consilio Ambrosii Episcopi Mediolanensis, post imperatam videlicet imprudenter & inclementer, Thessalonicæ, (quæ Illyrici Orientalis caput erat) multorum ciuium stragem. De qua alioquin clade Thessalonicensi Augustinus quoque *5. de Ciuit. Dei. cap. 26.* Et extat ipsa Ambrosii *ep. 59.* qua Theodosio propterea pœnitentiam iniungit. In qua clade septem millia hominum occubuerunt. Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, Theodoretus *lib. 5. cap. 17. & 18.* Sozomenus, *lib. 7. cap. 25.* & post hos Nicephorus *lib. 12. cap. 40. 41.* Itemque Rufinus *lib. 2. cap. 18.* & ex eo totidem verbis Gratianus, *Canone*, *Cum apud Thessalonicam 69. 11. l. 3.* Altum enim de hoc silentium apud Socratem, Philostorgium, profanosque huius æui Scriptores, Themistium, Libanium, Zosimum. Sed neque inter veteres satis liquido conuenit, quando clades illa Thessalonicensis acciderit, & quando *lex* illa a Theodosio lata fuerit: Rufinus & Theodoretus, vt & Paulinus *in V. Ambrosii*, rem ita narrant, quasi id acciderit proficiscente Theodosio M. aduersus Maximum, vel post deuictum eum A. D. 388. (quod verum esse ostendam) At Sozomenus longe post interuallo, quasi post Eugenium demum A. D. 394. deuictum. A quorum omnium sententia recedit hæc *lex*, vtpote quæ in *Inscriptione* præfert quoque Gratiani Imp. nomen, & in *subscriptione* characterismum, seu Consules A. D. 382. Atquin Gratianus superstes amplius non erat, quo tempore Theodosius *in Italiam* profectus est, & ad congressum Ambrosii venit: prima quippe Theodo-

Theodosii in Italiam expeditio congruit Anno Domini 388. Atqui hæc *lex* subscriptum habet Annum 382.

Secundo *Illyrici* mentio in *inscriptione* suadere videtur, hanc legem Theodosio tribui non posse: Quandoquidem Illyricum, cum Italiæ iungitur, Occidentale ferme indicari videtur: quod scilicet cum Italia & Præfectura Prætoriana Italiæ ambulabat. Cæterum non Theodosio sed Valentiniano Iuniori Illyricum Occidentale cum Italia parebat, vt disertis verbis testatur Zosimus *lib. 4. cap. 19. in fin.* Verum hæc obiectio nihil est, propter ea quæ de Illyrico notamus ad *leg. 2. sup. de constit. Princ.*

Tertio loci quoque subscriptio, vnde hæc *lex* data dicitur, Theodosio hanc *legem* abiudicare vi- P.306 detur; *Veronæ*, inquam. Anno quippe 382. Theodosius Constantinopoli versabatur, Valentinianus in Venetia Prouincia veluti *Brixiæ*, *Pataui* (in qua ipsa Prouincia certe *Verona* est,) Imo & dies *huic legi* adscriptus aduersari videri possit. Data quippe hæc lex *Mense Augusto* (non vt Baronius per incogitantiam scripsit *Mense Septembri*) Atqui Theodoretus docere videtur constitutionem a Theodosio latam circa Domini Natalem, atque adeo Mense Decembri extremo. Putabat igitur Baronius, Characterismos *huius legis* omnes vitiatos: & coniicit proinde Theodosii constitutionem hanc diu sine titulo & subscriptione circumlatam, eique postea temere ab Aniano inscriptionem & subscriptionem additam videri: Quem errorem Tribonianus postea sequutus fuerit. In quo sane postremo fallitur Baronius, cum putauit Tribonianum secutum esse in *Codice* suo compilando, *Aniani* codicem: Nam neque *Aniani Codicem* vnquam vidit Tribonianus, & integrum Codicem *Theodosianum* præ manibus eum habuisse manifestissimum est.

Putabam ipse aliquando, tot illis quæ protuli argumentis inductus, hanc legem *Valentiniano Iuniori* tribuendam esse, vt ita & Theodosius suo tempore, & Valentinianus suo, de differenda in tricesimum diem pœna extra ordinem a Principe imperata aliquid constituerit. Sed alia mihi nunc stat sententia; nempe iam censeo, hanc ipsam omnino Theodosii Constitutionem esse, quam Historici Ecclesiastici memorant, Consulibus tantum immutatis.

Ad id autem stabiliendum verumque adeo *legis* characterismum indagandum, sex potissimum argumentis vtar, quibus deinceps constabit, hanc *legem* & Theodosii esse, & referendam eam ad Annum D. 390. id est ad *Valentinianum IIII. & Neotherium* Coss. vt recte Baronius coniecit, expuncto *Gratiani* nomine. Primum erit ex *Flauiani* nomine cui hæc *lex* inscripta est. Fuit scilicet Flauianus hic Præfectus Prætorio Illyrici & Italiæ per hæc omnino tempora, A. D. 390. 391. vt docet *lex 11. infr. de fide testium*, *lex 4. 5. inf. de Apostatis*, *lex 2. sup. de constitutionibus Principum*, *lex 6. sup. de contrahenda emptione*: Post *Polemium* scilicet, qui primis adhuc huius anni 390. mensibus *P. P. Illyrici & Italiæ* erat, *l. 28. infr. de operibus publicis*: & ante *Apodemium*, qui anni 392. initio *P. P. Illyrici & Italiæ* reperitur. *l. 21. inf. de Nauiculariis.* Fuit proinde Flauianus P. P. Illyrici & Italiæ posterioribus *Anni 390.* mensibus, & *Anno 391.* Quanquam Flauianum Præfectum Prætorio quoque reperio *Merobaude II. & Saturnino Coss.* Anno 383. *l. 8. sup. de desertoribus*: & *l. 2. sup. de his qui latrones occultauerint.* Secundum argumentum desumo ex Præfectura Prætoriana *Illyrici & Italiæ*. Sane enim non nisi ab A. D. 387. huiusmodi Præfectum reperio, de quo dixi plene ad *l. 2. sup. de constitut. Principum.* Tertia ratio desumitur e loci adscriptione: Data enim *lex* hæc *Veronæ* dicitur. Cæterum cum *anno 382.* Theodosius Constantinopoli constanter versatus reperiatur, vt docent omnes pene Anni illius constitutiones; sane hoc *Anno 390.* hoc eodem mense *Augusto* & *Septembri* quatuor pariter *leges* occurrunt ad Tatianum PP. [Orientis scil.] *Veronæ* datæ: *lex* inquam *122. inf. de Decurionibus*: *lex 19. inf. de Nauiculariis*: *lex 28. inf. de Episcopis*: *lex 1. infr. de Monachis.* Neque mirum videri debet, legem a Theodosio *Veronæ* datam. Erat enim Theodosius eo tempore in Italia, vt docet inter alias, *lex 3. inf. de Fabricensibus*: & *lex 19. inf. de extraordinariis*: & *lex 11. inf. de paganis*: Et vero Socrates, *lib. 5. Histor. Eccles. cap. 18. in fine*, & Marcellinus *Chronico*, disertis verbis testantur, Theodosium Constantinopolim ex Italia reuersum, ab expeditione scilicet aduersus Maximum Tyrannum, Anno demum 391. *Tatiano & Symmacho Consulibus*, *IIII. Id. Nouemb.* Vnde apparet, Theodosium versatum in Italia fine *Anni 388.* toto item *Anno 389.* toto rursum *Anno 390.* & potissima *Anni 391.* parte, atque ita triennium integrum, post Maximum Tyrannum deuictum, Theodosium in Italia constitisse. Quam quidem adeo bene longam Theodosii in Italia moram, Valentiniani rerum status omnino deposcebat. Quartum argumentum est, quod præbet nobis Theodoretus, *lib. 5. cap. 17.* & ex eo Cedrenus. Facit is scilicet in huius cladis Thessalonicensis historica narratione, & in Ambrosii circa Theodosium facto, atque adeo in *huius legis* occasione referenda, mentionem *Rufini Magistri officiorum*, qui etiam intercessorem egerit pro Theodosio apud Ambrosium, sed irrito conatu, & cui etiam Ambrosius in os dixerit, Eius suasu stragem Thessalonicensem factam. Porro Rufinus hic Magister officiorum erat hoc ipso Anno 390. vt docet expresse *lex 3. inf. de Fabricensibus* (cuius alioquin quoque meminit Zosimus in gestis Anni proximi 391. *lib. 4. cap. 51.* & Ambrosius *Epist. 50.*) Neque ante: Mense quippe adhuc Septembri superioris Anni 389. Cæsarius Magister officiorum erat, vt docet *lex 49. sup. de cursu publico*: cuius alioquin meminit Chrysostomus *ἀνδριάντι* fiu. *de statuis ad popul. Antiochen. homil. 17. pag. 170. Tom. II. Oper. edit. Benedict.* Theodoretus *lib. 5. cap. 19.* & Libanii peculiaris *ad eum* oratio *20. pag. 515. edit. Morell.* Quintum argumentum præbet, quod Theodosius hoc tempore quo hanc cladem Thessalonicensem imperauit, mox & ab Ambrosio eo nomine culpatus fuit, Mediolani constitutus fuit: quod ex D. Ambrosii *epist. 59.* clare discimus: Atqui Theodosius nonnisi ab Anni 388. fine, Mediolani consistere cœpit, de quo vid. *Chronolog.* Vltimum argumentum ex eo peto, quod Ambrosius *d. ep. 59.* haud obscure indicat, Theodosium tum iam diu Imperatorem fuisse: quod de Anno 382. vix dici potest. Liquidum igitur iam referendam hanc *legem*, non ad Annum Domini 382. verum ad 390. Etsi Cedrenus ad 15. vel 16. Theodosii Annum id referat, id est post Eugenium deuictum, pariter vt Sozomenus. (a)

Superest,

(a) ANTON. PAGIVS *in Crit. ad Annal. Baron. ad an.* 390. Antequam D. Ambrosius Theodosium in Dei templum intrare permitteret, iussit, vt legem scriberet, *quæ furoris sententias irritas reddat atque inanes, & triginta dierum spatio maneant scriptæ sententiæ de cæde ac bonorum proscriptione, rationis iudicium expectantes*, vt inquit Theodoretus *lib. 5. cap.* 18. quod & factum fuisse scribit. Id certe statuitur *Leg. 13. Cod. Theod. de pœnis*, quam Cassiodorus in historia Tripartita integram refert, dempta subscriptione, existimans eam legem ipsissimam esse, quæ a Theodosio huius cædis occasione emissa est. In eandem sententiam abiit Baronius, & post eum Gothofredus in illius legis Commentario. Sed vtrumque deceptum fuisse, apud me

Supereſt, vt dubitandi rationibus ſatisfaciamus. *Gratiani* primum nomen quod attinet, id tuto iam expungendum pronuntiabimus, cum & aliis pluribus *huius Codicis* conſtitutionibus id expungendum

pene certum: eius enim inſriptio hæc eſt: IMPP. GRATIANVS, VALENTINIANVS ET THEODOSIVS AAA. FLAVIANO PP. ILLYRICI ET ITALIÆ: dicitur vero *data XV. Kal. Septembr. Veronæ, Antonio & Syagrio. Coſſ.* anno nempe Chriſti 382. Quare hæc lex diuerſa ab ea, quam Theodoſius huius cædis occaſione emiſiſſe dicitur. Reſpondet Baronius, characteres illos temporum deprauatos fuiſſe, & quidem ab aliquo, qui indigne ferret, ea ſuo loco & tempore atque titulo poſita legi, quibus Theodoſii immane facinus decantaretur. Sed, cum id ſine teſte aſſerat, ac de nulla alia Cod. Theodoſiani lege dici poſſit, eius coniectura reiicienda. Addit Baronius, *Theodoſium* hoc anno *Veronæ* fuiſſe, vt liquet ex Chronologia Codicis Theodoſiani. At ex eadem Chronologia conſtat Valentinianum Iuniorem anno 382. Patauii & Veronæ fuiſſe, vt Gothofredus fatetur.

Ipſe Gothofredus, ad probandum illorum characterum errorem, vtitur argumento ex *Flauiani* nomine, ad quem *lex* 13. *de pœnis* directa, deducto. Et infert, ex huius legis *de pœnis*, titulo expungendum eſſe nomen Gratiani iam a ſeptennio occiſi. At ſi Gratiani, Flauiani etiam nomen delendum eſſet; is enim ſub Valentiniano Iuniore, non vero ſub Theodoſio, Præfecturam Prætorii geſſit. Laudatæ itaque *leges annis* 390. & 391. *datæ*, non ad Theodoſium ſed ad Valentinianum Iuniorem referendæ, ipſo Gothofredo in illarum Commentariis teſte. Quare *Flauianus* Præfectus Prætorio Italiæ & Illyrici, ſc. Occidentalis, fuit *annis* 382. & 383. rurſumque *anno* 391. imo & aliquot menſibus *anni* 392. *Lex* enim 20. *Codicis Theodoſ. De petitionibus*, inſcripta eſt *Flauiano PF. P.* diciturque *PP. VI. Id. April. Arcadio Aug. II. & Rufino Coſſ.* anno ſcil. 392. ideoque emiſſa ea, non a Theodoſio, vt perperam Gothofredus, ſed a Valentiniano Iuniore, qui in viuis fuit, vsque ad diem XV. menſis Maii. Docent enim Rufinus *lib.* 2. *c.* 33. Sozomenus *lib.* 7. *c.* 22. & Paulinus *in Vit. S. Ambroſii*, Flauianum Præfectum Præt. fuiſſe, quando Valentinianus Iunior trucidatus eſt, ac auctorem exſtitiſſe omnium, quæ aduerſus hunc geſta ſunt: qui Scriptores de Præfectura Italiæ loquuntur, vt ex eorum lectione apud Baronium conſtat. Verum *anno* 390. non *Flauianus*, ſed *Polemius* Præfectus Prætorio Illyrici & Italiæ fuit, & quidem ab initio anni, vſque ad eius finem. *Lex* enim *Cod. Th.* 26. *de operib. publ.* data eſt *Mediolani XVIII. Kal. Febr. Polemio PF. P. Illyrici & Italiæ.* Tum *prid. Non. April. data Mediolani, lex* 28. eiuſdem Codicis *de operib. publ.* inſcripta *Polemio PP. Illyrici & Italiæ.* Denique *X. Kal. Ian. data Mediolan. l.* 9. *Cod. Iuſtinian. de Off. Rector. prouinc.* inſcripta *Polemio PP. Illyrici.*

Alium hoc anno Illyrici & Italiæ Prætorio Præfectum obtrudit Gothofredus *in Chronolog. Cod. Theod.* ſc. *Neotherium*, quod *lex* 3. *Cod. Th. de Theſauris*, quæ dicitur *Dat. VI. Non. Mart. Conſtantinopol.* inſcribatur *Neotherio PF. P.* & *lex* 7. eiuſdem Cod. *de Curioſ.* data, loco non expreſſo, *V. Kal. Iun.* inſcribatur *Neotherio PF. P.* Sed cum *lex* illa *de Theſauris*, data ſit Conſtantinopoli, non dubium, quin ad Theodoſium M. referenda ſit, ideoque & lex laudata *de curioſ.* Hæret Gothofredus in Commentario huius vltimæ legis, ſub quo Imperatore *Neotherius* Præfectus Prætorio fuerit, & cuius Præfecturæ Prætorianæ, quod Symmachus *lib.* 5. *Ep.* 38. hunc *Neotherium* hoc anno Conſulem in Occidentis partibus, & quidem in Italia fuiſſe oſtendere videatur, concluditque ſe hanc rem in medio relinquere. Sed, cum Theodoſius *legem* citatam *de Theſauris*, ad *Neotherium* miſerit, & aliquas alias leges ad *Tatianum PF. P.* non dubito, quin hic Præfectus Prætorio Orientis fuerit, *Neotherius* vero Præfectus Prætorio Illyrici Orientalis. Et ratio eſt, quia *lex vltima Cod. Theod. de Tutorib. & Curatorib.* dicitur *XII. Kal. Febr. data Mediolan. Tatiano PF. P.* & poſt *VI. Non. Martias* (quo die lex citata de theſauris, directa eſt, ad Neotherium PF. P.) ſequentibus menſibus Theodoſius M. varias leges inſcribit Tatiano Præfecto Prætorio. Quare vno eodemque tempore *Tatianus* & *Neotherius* Præfecturam geſſere in diuerſis Imperii Orientalis partibus, in Oriente ſc. & in Illyrico Orientali. Quoad Symmachum, is quidem indicat, *Neotherium* Conſulatus poſſeſſionem Mediolani iniiſſe, ſed factum id, quia Theodoſius, qui eum Conſulem Orientalem deſignauit, toto hoc anno & maiori parte ſequentis in Italia fuit.

Apodemius vero fuit Præfectus Prætorio Orientalis, non vero Præfectus Illyrici & Italiæ, vt ſibi perſuaſit Gothofredus, qui exiſtimauit, Illyricum hoc tempore nondum diuiſum fuiſſe. *Lex* enim 20. *Cod. Theodoſ. de Nauicular.* inſcripta eſt *Apodemio PF. P. Illyrici & Africæ*, diciturque *data XV. Kal. Mart. Conſtantinopol. Arcadio A. II. & Rufino Coſſ.* anno videlicet Chriſti 392. Vbi hæ voces *& Afric.* abdicandæ, non vero earum loco vox Italiæ ſubſtituenda, vt perperam Gothofredus. Cum enim ea lex *data* ſit *Conſtantinopoli*, & quidem paulo ante mortem Valentiniani Iunioris *die XV. Maii* illius anni occiſi, non dubium, quin ad Theodoſium M. pertineat, vt ipſemet Gothofredus fatetur. Poſt Valentiniani Iunioris cædem duæ aliæ leges ad *Apodemium PF. P.* per Illyricum a Theodoſio miſſæ; *Lex* nempe 12. & 13. *Cod. Th. de Legat.* Prior *data V. Aug.* poſterior *IV. Id. Septembr.* Cum autem eodem anno 392. *Flauianus*, vt iam oſtendi, Præfecturam Prætorio Italiæ & Illyrici, ſc. Occidentalis geſſerit, & Apodemius ante diem *XV. Maii*, Valentiniani iunioris emortualem, Illyrico, nempe Orientali præfuerit, vt ex tribus legibus mox citatis planum ſit, ac poſt *diem XV. Maii*, Præfectus Prætorio Italiæ & Illyrici fuerit, intelligimus, *Flauianum*, auctorem cædis Valentiniani, Præfectura indignum a Theodoſio iudicatum, Italiamque & ſolidum Illyricum Apodemio commiſſa fuiſſe: quo vel ſolo argumento conſtat, diuiſionem Illyricum in Orientale & Occidentale factam eſſe ante necem Valentiniani Iunioris, ſecus ac credidit Gothofredus. Neque enim poſt peremptum Valentinianum Theodoſius imperium partitus eſt, ſed Eugenius Tyrannus Occidenti præfuit, nominatimque Galliis: Theodoſius vero cæteris orbis Romani regionibus. Ex quibus tandem omnibus concludendum, *Flauianum anno* 390. non fuiſſe Præfectum Italiæ & Illyrici, ideoque nec *legem* 13. *Cod. Theod. de pœnis*, eam eſſe, quam poſt cædem Theſſalonicenſem Theodoſius M. emiſit. Cum enim *Neotherius* anno 390. Præfectus Prætorio Illyrici Orientalis fuerit, lex illa Theodoſii, quæ periit, ad eum dirigi debuit.

Gothofredus, vt oſtendat, Legem illam Theodoſianam aliam non fuiſſe, quam præfatam de pœnis, alterum argumentum adducit, deductum ex Præfectura Prætoriana Illyrici & Italiæ, quam dicit, non memorari ante *annum* Chriſti 387. ex quo infert: Legem illam de pœnis, inſcriptam *Flauiano* Præfecto Prætorio Italiæ & Illyrici, datam eſſe poſt illum Chriſti annum, non vero *anno* 382. Verum ea regula, quam Vir Doctiſſimus ſtatuit, etiam in Commentario *Leg.* 2 *Cod. Th. de Conſtitut. Princip.* vera non eſt, cum ex iis, quæ ipſemet in eodem Commentario refert, conſtet, *annis* Chriſti 364. 365. 366. & duobus ſequentibus vnum eundemque Præfectum Prætorio præfuiſſe, Italiæ, Illyrico & Africæ, exindeque annis 377. & tribus inſequentibus. Falſum etiam illud

quod

dum nemo dubitet. De *Illyrico* ita pronunciandum, vtriusque Illyrici hoc tempore administrationem iunctam fuisse, Orientalis inquam & Occidentalis, vt *d. l. 2. sup. de constit. Princ.* iam ostendi. Neque aliunde postea exortum videtur Arcadium inter & Honorium, eodem Rufino auctore iurgium, cuius meminit Claudianus, *lib. 2. in Rufinum ipsum*, vbi inter cætera Rufinus ipsum Arcadium sic alloquitur *a. v. 160.*

- - Quid partem inuadere tentat?
Deserat Illyricos fines, Eoa remittat
Agmina, fraternas ex æquo diuidat hastas.

vbi *hastas* vocat pro *Aquilis*, vel pro *Imperio*; vt mox. *v. 237.*

- - Quid diuidis olim
Concordes Aquilas?

Sed quid facit in Inscriptione vox *Italiæ*, quæ non Theodosio M. parebat verum Gratiano primum, mox Valentiniano Iuniori? Ad id respondeo: eo tempore, quo post deuictum Maximum Tyrannum Theodosius in Italia agebat, omne Imperium
P.307. administrasse Theodosium. Ad diem *huic legi* subscriptum, & quod inde argumentum desumebatur, ita respondetur, superiore quidem Anno 389. Theodosium cum Ambrosio Mediolani congressum, sub finem videlicet illius Anni *circa Natalem Domini*, verum hoc demum Anno 390. eo perductum ab Ambrosio Theodosium, vt hanc constitutionem medio ferme mense Augusto promulgaret. Nihil itaque nunc dubii superesse puto, Thessalonicensem stragem contigisse circa initium Anni 389. eiusdemque Anni mense Aprili Templi ingressum ab Ambrosio Theodosio denegatum, & rursum Natali Domini: Tandem pro pœnitentia ad hanc constitutionem promulgandam eum adductum A.D. 390. Quæ nunc primum in bona ita luce collocata non ignobilem, ni fallor *Historiæ* etiam *Ecclesiasticæ* partem deinceps illustratura sunt, & multorum erroribus succursura.

His omnibus tamen adhuc obstat, quod Theodoretus *lib. 5. cap. 19.* legem illam latam testatur ante Antiochenum tumultum, qui accidit Anno 387. verum & aliunde scimus, quam parum passim Scriptori illi temporum ratio constet: Sed maxime obstare videtur, quod Ambrosius de hac clade agens *fine epistolæ 59. edit. Cardinal. Felicis de Monte alto.* Gratiani meminisse videtur tanquam superstitis, cuius nomen etiam præfert huius legis inscriptio. Verum non ita est, si quis attente locum illum intueatur.

Nunc de sententia huius legis. Ea hæc est; si Princeps siue Imperator iratus vindicari in aliquos seuerius, id est vltimo supplicio aliquos affici, bonaque eorum publicari contra consuetudinem suam, id est extra ordinem iusserit, supplicium differendum in trigesimum diem, vt ita Princeps ipse intermedio tempore *secunda deliberatione* (vt loquitur Ammianus Marcellinus *lib. 15. cap. 2.*) iram mitigare possit; & placato animo clementiæ & pœnitentiæ locus esse queat: vel vt Interpres hic recte adiecit, *pietas Dominorum iustitiæ amica subueniat:* & vt Theodorus hic, ἐθ᾽ ὅτε γὰρ τεύξετε φιλανθρωπίας, id est, *nonnunquam enim consequetur veniam:* vel vt Thalelæus, εἰκὸς γὰρ τὸν βασιλέα ἐν τȣ́τῳ τῷ χρόνῳ τὴν τιμωρίαν ἀνακαλέσεϑαι; *forte enim princeps iterum pœnam revocabit.* idque etiam Ambrosius *ead. ep.* testatur: *Vtinam Imperator, etiam ante mihi potius credidisses quam* CONSVETVDINI TVÆ, *dum puto quod cito ignoscis, cito reuocas, vt sæpe fecisti: & tu præuentus es, & ego non declinaui quod cauere non debueram.* Item, *Habes naturæ impetum, quem si quis lenire velit, cito vertes ad misericordiam: si quis stimulet, in maius exsuscitas vt vix eum reuocare possis: vtinam si nemo mitigat, nullus accendat: libenter eum committo tibi, ipse te reuocas, & pietatis studio vincis impetum naturæ.* Hæc Ambrosius, cuius etiam *priore loco* verba illa, *consuetudini tuæ*, omnino congruunt & explicant illa quæ Theodosius

quod ibidem ponit: *Cum Illyricum Italiæ sociari per hæc tempora* (anno sc. 393. quo ea lex *de Constitut. Princip. data*) *videmus ante Arcadium & Honorium ferme, de vtroque Illyrico, seu vniuerso, id accipiendum est, quod vtique sub eodem Occidentis Imperatore, & sub eadem administratione coniunctum erat: sub Constante primum, dein sub Valentiniano seniore, tandem & sub Valentiniano Iuniore & Gratiano.* Nam Illyricum in Occidentale & Orientale anno trecentesimo septuagesimo nono diuisum fuisse, certis me argumentis demonstrasse existimo, tam anno trecentesimo octogesimo, quam 390. Præterea ex mox dictis liquet, *Apodemium* Præfectum Prætorio Illyrici Orientalis, simpliciter & absolute vocari Præfectum Prætorio per Illyricum. Sicut itaque post Theodosium M. Illyricum absolute positum plerumque de Orientali intelligitur, vt ex multis *Cod. Theod. Legibus* patet, ita & non raro post eius imperii initium de Illyrico Orientali vox illa explicanda. Alia argumenta, quæ Gothofredus in medium profert, aliud non probant, quam cædem Thessalonicensem anno 390. perpetratam esse, qua in re neque a Baronio neque ab eo dissentimus.

Sed hanc legem de pœnis, aliam esse a Theodosiana post eam cædem lata, eius subscriptio manifeste ostendit: data est enim *mense Augusto*, non vero vt Baronius memoriæ lapsu scribit, mense Septembri. Theodoretus quippe *lib. 5. cap. 18.* vbi cædem Thessalonicensem narrat, ait: *Longo post tempore elapso: octo enim menses excesserant: Seruatoris nostri natalis dies aduenit.* Addit Theodoretus, cum tunc Theodosius ad Ecclesiam venisset, petiisse ab eo D. Ambrosium, vt scriberet legem, *quæ furoris sententias irritas reddat atque inanes; & triginta dierum spatio maneant scriptæ sententiæ de cæde ac bonorum proscriptione, rationis indicium expectantes*; & statim Imperatorem legem scribi præcepisse, eamque *manus suæ subscriptione* firmasse. Quare cædes Thessalonicensis accidit circa mensem Maium *anni* 390. & Lex Theodosiana, quæ ad nos non peruenit, data est circa finem mensis Decembris, idque *Mediolani*, vbi Theodosius constitit ad mensem ferme Augustum, vt patet ex Legib. Cod. Theodos. anno 390. datis. Valesius in notis ad Theodoretum lib. 5. c. 18. existimat hanc *legem* 13. *de pœnis*, primum quidem latam fuisse a Gratiano annis octo ante stragem Thessalonicensium, postea vero huius occasione renouatam a Theodosio, priorem tamen titulum legis semper remansisse, qui Gratiani nomen præferebat. Verum hæc coniectura non admittenda, quia Italia, vbi ea Lex de pœnis, data, non Gratiano, sed Valentiniano Iuniori parebat, ideoque & ab eodem Valentiniano ea Lex lata. Præterea inscripta est ad *Flauianum* Præfectum Prætorio Italiæ & Illyrici, nempe Occidentalis, atque ita ad Theodosium nullo pacto referri potest: Gothofredus in hoc Commentario scribit: *Putabam ipse aliquando hanc legem Valentiniano Iuniori tribuendam esse, vt ita & Theodosius suo tempore, & Valentinianus suo, de differenda in tricesimum diem pœna extra ordinem a Principe imperata aliquid constituerit. Sed alia mihi nunc stat sententia.* &c. Coniectura tamen, quæ Viro doctissimo in mentem venit, omnino retinenda, cum ea sola hæc difficultas explicari posse videatur.

dosius ipse *hac l.* de se, *contra nostram consuetudinem*, asserit. Quod quidem prudenti consilio ab Ambrosio suggestum est. Verum enim illud est Senecæ in *Agamemnone*, *Act. 2. scen. 1. v. 129. seq.*

- - da tempus ac spatium tibi:
Quod ratio nequiit, sæpe sanauit mora.

Quinimo & de Theodosio hoc ipso nostro Victor *in Epitome cap. 48.* diserte scribit, quod *aliquando ab eo seuere præcepta modica dilatione emolliebantur.* Denique vt est iræ affectus subitaneus, ita remedium illi a tempore & dilatione. Verum de remedio hoc retinendæ in suspenso iræ, videndi potissimum quorum in eo studium. Sic sane Seneca dixit 2. *de irac. 23. In suspenso ira retinenda: potest enim pœna dilata exigi, non potest exacta reuocari.* Est igitur *hac* Theodosii constitutio de extraordinariis Principum iussionibus: At non idem est in ordinariis Iudicum sententiis, de quo dictum est *ad l. 4. sup. h. t.* & *l. 6. sup. de custodia reorum.* Iudicum scilicet qui sedato animo & ex ordine seu ordinarie perpensoque consilio ius dicunt, atque ex officii sui ratione sententiæ sine mora effectui tradi debent, quia clementiæ iam amplius locus non est, quandoquidem Iudices sententiam mutare aut reuocare dictam nullo modo possunt, *l. 15. Cod. Iust. de pœnis: l. 1. in fine, D. de quæstionib.* Augustinus quoque *libro de fato: Iudicibus*, inquit, *statutum est, ne liceat in reum datam sententiam reuocare.* Imo nec locus esse debet in specie *legis 4. sup. hoc tit.* Nempe vbi prærupta seditio aut factio est: denique ne Princeps pœnam quam disciplina publica exigit, remittere possit. Non est dandum spatium Principis clementiæ, vbi more solemni iudiciorum pœnæ reis indicuntur: id quod a Iudicibus fit. Viceuersa dandum est, vbi extra ordinem pœnæ reis indicuntur, id quod a Principibus iratis fieri sæpe solet. Atque ita quidem hæc *lex* ad suam speciem restringenda est, & cum *d. l. 4. sup.* & *l. 6. sup. de custodia reorum*, concilianda venit. Porro Ambrosii consilio (in foro & iure versati, vtpote qui ante Episcopatum Consularis Liguriæ fuerit, quod etiam *lib. 3. Ep. 34.* loco, quem adhuc nemo indicauit, expresso testatur,) atque adeo Theodosio in hac constitutione promulganda, SC. Tiberiani exemplo præiuisse, non male obseruant nonnulli. Senatusconsulto scil. Tiberiano cautum fuerat, vt pœna damnatorum a Senatu *in decimum diem differretur*, atque adeo *ne decreta patrum*, id est Senatus, *ante diem decimum ad ærarium deferrentur*, id est, non ante rata essent: *idque vitæ spatium damnatis prorogaretur*, vt testatur Suetonius *in Tiberio cap. 75.* Tacitus 3. *Annal. cap. 51.* Dio *lib. 57. & fine libri 58.* Et Seneca *de Tranquill. animi cap. 14.* Idque hac de causa, vt vel Senatui libertas ad pœnitendum esset, vel Princeps ipse interiectu temporis mitigaretur; vt idem Tacitus ostendit, itemque Dio & Seneca: *Dicet aliquis*, inquit, *Potuit, post hac* [id est imperatam mortem] *iubere illum Caius viuere? Nec timuit hoc Canius: nota erat Caii in talibus imperiis fides*, [id est, quod non soleat reuocare sententias mortiferas nec mitigare] *Credisne illum decem medios vsque ad supplicium dies sine vlla sollicitudine* [id est composito ad mortem animo nulla spe veniæ] *exegisse?* Imo Declamatores nonnulli, qui non omnia ficta, falsa, de corde expromunt suo; Quintilianus, inquam, *Declamat. 313.* & Calpurnius *Declamat. 25.* legem memorant de damnatorum supplicio in diem tricesimum differendo. Quinimo Sidonius Appollinaris *lib 1. Epist. 7.* Senatusconsulto Tiberiano, de quo modo agebam, hoc triginta dierum præscriptum tribuit: vbi de sententia capitis in Aruandum, *Nunc*, inquit, *ex Vetere SC. Tiberiano triginta dierum vitam post sententiam trahit.* Hic conciliandi labor est: quandoquidem SC. Tiberiano decem tantum dies præscripti erant. Est qui putat Sidonium emendandum. Est qui Sidonium errasse putet, & in his Baronius, qui putat errorem Sidonii exinde natum, quod cum hæc *lex Theodosiana*, sine inscriptione, vt ille vult, item sine subscriptione circumferretur, Sidonius putauerit hoc ipsum esse Senatusconsultum Tiberianum. Cuiacius *V. Obseruat. 9.* putat Sidonium scienter prudenter id quod Theodosius noster dierum adiecerit, etiam SC. Tiberiano deputasse: Vt sæpe quod *legibus Iuliis* additum est, posterioribus constitutionibus nihilominus Iustinianus *legibus Iuliis ipsis*, multis locis, adscribat. Est denique qui putat ad dies decem veteris Senatuscon- p. 308 sulti accessisse postea, quo tempore incertum, dies alios viginti: Et tamen eidem Senatusconsulto totos triginta tributos fuisse, & vero a Sidonio tribui. Quam sententiam eodem more tuetur, quo Cuiacius suam, nempe quod *legibus Iuliis*, aliisque, multa quæ illis postea adiecta fuerunt, tribui soleant: Cuiacii sententiam verissimam puto nempe 30. dierum laxamentum olim reis non tributum. Declamatoribus certe quæ fides in his tribuenda norunt Viri Docti. Quicquid sit, Ambrosius, etsi numeri dierum non conueniant, hoc tamen ex antiquitate exemplum repetiisse, & ad Principum decreta extraordinaria vtiliter traduxisse videtur. Sic tamen vt & illud teneamus, Tiberianum SC. ad sola quidem Senatus iudicia initio pertinuisse, vt Dio, Tacitus, fidem faciunt, mox tamen ad Principum quoque decreta traductum, vt superior ille Senecæ locus manifestissime ostendit, Quod tamen pauci animaduertunt. *Vetus* igitur ius, huic *nouo*, fine prorsus conuenit, etsi dierum spatio discrepet. Illud verisimile mihi, effictas illas a Declamatoribus *leges* ab Ambrosio ad rei veritatem & vsum traductas. Forte etiam ipsimet Theodosio ad componendum & sedandum animum, propositum proprium exemplum, quo triginta pariter dies reis ad componendos mæstos penates tribuit, *l. 3.* & *l. vlt. sup. de exhibendis reis.* Tandem obseruandum hanc Theodosii constitutionem *Nouella Nicephori Botoniati* traductam ad quæuis Iudicum decreta mortifera, περὶ τοῦ μὴ ἔσωθεν λ´ ἡμερῶν γίνεσθαι σωλατικὴν ποινήν.

Aduersus APPARITORES *absentes procedi posse.*

XIV. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theodosius & Arcadius AAA. ad Principium PF. P. (b)

NE diu Apparitorum, praua admodum venalisque, perfidia, in publica impune commoda deseuiret, (c) censuimus, (d) etiam in absentes, (e) pro conpetenti vltione debere consurgi. Dat. Kal. Iun. (f) Arcadio A. & Bautone Coss. [385.)

NOTÆ.

NOTAE.

(a) *Lex* 21. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.
(b) *Principius* PP. Italiæ scil. sub Valentiniano Iun. vid. *Prosop.* IDEM.
(c) *Deseuiat*, Cod Iust. quia istud horum temporum rationi adstrictum & historicum. *ID.*
(d) *Censemus*, C. Iust. eadem ratione. *ID.*
(e) *Eos*, additum *Cod. Iustin.* maioris explicationis ergo. *ID.*
(f) Puto hic errorem residere: erat enim hoc adhuc tempore P. P. *Neotherius*: cui *Principius* successit. *ID.*

COMMENTARIVS.

ABSENTEM regulariter neminem puniri damnariue posse iuris est decantati: v. *l. 2. sup. de accusat. l. 1. D. de requir. reis, vel absentibus damnandis, l. 5. D. de pœnis:* & Paulus *V. sent. 5. §. 8.* Et *l. 6. C. Iust. de accusationib. l. 13. 15. de adulter. l. 10. D. de publ. iudic.* vid. & *l. 9. infr. de fide testium:* deque eo v. Heraldum *de rer. iudic. auct. lib. 1. cap. 10. 11. 13.* Et hac tamen Valentiniani Iun. constitutione excipiuntur *Apparitores*, (id est Officiales Iudicum) in quos etiam absentes καὶ ἀπόντας αὐτὰς, consurgi pro competenti vltione potest, imo debet. Apparitorum scil. praua admodum venalisque perfidia hoc speciale ius extorsit: quod absentes, sibi iuris communis authoritate, & absentia quæsita, blandirentur desugere se posse sperantes pœnas commeritas. De *Apparitorum* praua admodum venalique perfidia in publica commoda desæuientes, dixi plene *sup. tit. de diuers. officiis.* Sane eadem ratione Officialibus delinquentibus a sententia proprii Iudicis appellatio denegata, *l. 17. infr. quorum appell. non recip.* Speciem porro Græci hic ponunt in Apparitoribus, qui donis corrupti tributa non exigebant, vel sumptus petebant: & vt iidem, sæpe missus apparitor auri accipiendi causa, lucrum faciens differebat exactionem & mandatum negligebat, ἐπερέθετο τὴν ἀπόφασιν.

De non ERIPIENDIS *damnatis ad supplicium, a Clericis, vel appellationis obtentu; Theodosii M. lex.*

XV. (a) Idem AAA. Tatiano PF. P. (b)

SI quis conuictus reus maximi (c) criminis fuerit, subiectusque sententiæ, conpetens Iudicium compleatur: Nec exquisita commentis ars eiusmodi subornetur, vt direptus (d) a Clericis adseratur, vel appellasse simuletur. Quod si quisquam (e) post iudicium vendibili (f) conhibentia (g) licentiæ huic præstiterit assensum, haut leuia sustinebit: Nam Proconsules, (h) Comites Orientis, Præfecti Augustales, Vicarii etiam, adfecti nota deformi, (i) tricenas auri libras compendiis fiscalibus conferent: Iudices autem Ordinarii (k) similiter deformati, quinas denas cogentur exsoluere. Officia vero eorundem, hisdem quibus Iudices sui (l) dispendiis subiacebunt, si in suggestione (m) cessauerint, ac non præceptum legis ingesserint, atque iniecta manu, ne rei auferantur, ob-
P. 309 stiterint, ac nisi *id quod* fuerit constitutum in effectum exsecutionemque perduxerint. Dat. III. Id. Mar. Constantinop. Arcadio A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iustin.* GOTHOFREDVS.
(b) *Tatianus* PP. Orientis scil. sub Theodosio M. v. *Prosop.* ID.
(c) *Maximi criminis:* in quo scilicet appellatio non admittitur, *l. 1. 4. 7. 14. 31.* (quæ postrema huic argumento respondet) *infr. quorum appellat. non recip.* Ita mox sequ. lege, *pro criminum immanitate damnatos. ID.*
(d) Reus scilicet. *ID.*
(e) Iudicum vel Officialium seu Apparitorum. *ID.*
(f) *Vendibili conniuentia*, vt venalis gratia, *l. 5. sup.* venalis perfidia, *l. 14.* IDEM.
(g) Pro *conniuentia:* vide *Glossarium*, & caput *de Codicis Theodosiani orthographia. ID.*
(h) Asiæ scilicet & Achaiæ. *ID.*
(i) id est, infamia, vt mox, *deformati. ID.*
(k) *Iudices ordinarii*, id est, Rectores Prouinciarum clarissimi, qui ideo hic separantur a Spectabilibus, de quibus *sup. ID.*
(l) Spectabiles, aut clarissimi. *ID.*
(m) Officialium muneris fuit præcepta legum Iudicibus suggerere, aut ingerere: de quo alibi *plene. ID.*

COMMENTARIVS.

ERIPI pœna criminum reos conuictos (adde & confessos,) *l. 31. infr. Quorum appellation.* quæ huic argumento prorsus respondet, & Præfecto etiam Augusti, de quo *h. l.* inscribitur, a Clericis vetat *h. l.* Theodosius M. pariter vt mense prox. idem *d. l. 31. inf. quorum appellat.* vt & Arcadius filius eius, *l. prox. 16. inf.* quæ repetita *l. 57. de appellationib.* Quibus locis & de monachis idem statuitur,

tuitur. De quo ad *d. l. prox.* plenius & ad *l.3. infr. de his qui ad Ecclesias conf.* Neque eo prætextu reus elabi potest, quasi a Clericis ereptus, vel quasi is appellauerit: cum tamen appellare non potuerit (quod docet *lex 4. 7. 14. 31. infr. quor. appellation.*) Quam quidem vindicandorum reorum pœnaque imminenti eripiendorum authoritatem Clerici hac tempestate sibi vindicabant, etiam Iudicibus conniuentibus, vel eorundem officialibus seu Apparitoribus: sic vt qui reos destinatæ pœnæ subductos vellent, corrupti vel clericos subornarent ad eripiendos reos, vel saltem eripientibus non contrairent: atque ita & reis suffugium patebat, & Iudicibus ipsis eorundemque Apparitoribus conniuentibus: qui si postea eo nomine conuenirentur quod reos elabi siuissent, illico prætendebant, ereptos sibi a clericis reos. Chrysostomus quoque sane in tumultu illo Antiocheno, seu statuarum Imperatoriarum deiectarum negotio, huic rei fidem plane facit: *Orat. ad populum Antiochenum 17. p. 196. 197. ed. Paris. & pag. 175. Tom. II. Oper. edit. Benedictin.* Posteaquam enim de Monachorum vi & intercessione prolixius egit (de quo ad *l. prox.*) de clericis hæc subiicit: Οὐχ' οἱ μόναχοι δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ ἱερεῖς τὴν αὐτὴν ἐπεδείξαντο μεγαλοψυχίαν, καὶ τὴν ἡμετέραν διενείμαντο σωτηρίαν. καὶ ὁ μὲν εἰς τὸ στρατόπεδον ἀπῆρε, πάντα δεύτερα θέμενος τῆς ὑμετέρας ἀγάπης, καὶ αὐτὸς ἕτοιμος ὤν, εἰ μὴ πείσειε τὸν βασιλέα, ἀποθανεῖν: οὗτοι δὲ ἐνταῦθα μείναντες, καὶ τὰ αὐτὰ τοῖς μοναχοῖς ἐπιδειξάμενοι, ταῖς οἰκείαις χερσὶ τοὺς δικάζοντας κατέχοντες οὐκ ἐπέτρεπον εἰσελθεῖν, πρὶν ἢ περὶ τοῦ τέλους ὑποσχέσθαι τῆς δίκης, καὶ ἡνίκα μὲν ἑώρων ἀνανεύοντας, πολλῇ τῇ παῤῥησίᾳ καὶ αὐτοὶ πάλιν ἐκέχρηντο. ἐπειδὰν δὲ εἶδον ἐπινεύσαντας, ποδῶν ἀψάμενοι καὶ γονάτων, καὶ χεῖρας καταφιλήσαντες ἑκατέραν τὴν ἀρετὴν μεθ' ὑπερβολῆς ἐπεδείξαντο, τήν τε ἐλευθερίαν, τήν τε ἐπιείκειαν &c. *Nec monachi tantum, verum & sacerdotes eandem præstiterunt animi magnitudinem, nostramque salutem dispensarunt. Et alius quidem in castra se contulit, omnia dilectioni vestræ postponens, & ipse paratus, nisi Imperatori persuaderet, mori: alii vero hic remanentes, & eadem quæ monachi exhibentes, propriis manibus iudices continentes, non sinebant ingredi, priusquam de Iudicii fine promitterent: & cum renuentes quidem videbant, multa fiducia & ipsi vicissim vtebantur. Vt autem annuentes viderunt, pedes & genua complexi, & manus exosculati, vtramque virtutem superabundanter exhibuere, libertatem & mansuetudinem.* Igitur hac *Theodosii* M. constitutione huic prætextui obuiam itur, pœna indicta Iudicibus (& quidem eo maiore quo maiore in dignitate & authoritate essent,) si Clericis reum vindicantibus non obstiterint, eorundemque Officialibus. Ambrosius certe *lib. 2. officiorum, c. 21.* ad Clericos suos modum huic rei & ipse ponit: *Adiuuat hoc quoque ad profectum bonæ existimationis, si de potentis manibus eripias inopem, de morte damnatum eruas, quantum sine perturbatione fieri potest, ne videamur iactantiæ magis causa facere, quam misericordiæ, & grauiora inferre vulnera, dum leuioribus mederi desideramus.* Non est scilicet verisimile eius manibus vi ereptum reum, qui vim publica auctoritate contra obtendere potest: ac proinde eo maiore quisque pœna afficiendus, quo maiorem vim de publico & auctoritatem habet. Non licet igitur clericis reum pœnæ eripere: Non licet rursum simulata appellatione supplicium rei differre, de quo tamen appellationis iure, dicam *ad legem prox.*

Sane vt hoc obiter moneam, Clericorum mos hic, itemque Monachorum reos supplicio destinatos eripiendi a paganorum Sacerdotum exemplo in vsum venisse, Cuiacio videtur, *Paratitlo Codicis de Episcopali audientia.* Memorat vtique Plutarchus *in vita Numæ*, Vestales, si casu, non consilio morti addictis occurrissent, eos pœnæ subductos: iisdem pariter deprecatricibus vti apud Imperatores aut Iudices mos fuit, & per eas venia impetrata; Cuius rei testimonia sunt apud Suetonium *in vita Iulii, cap. 1. Tiberii cap. 2.* Apud Tacitum *lib. 11. Annal. c. 32. & lib. 3. Histor. c. 81.* Cicero quoque cum *pro Fonteio* causam diceret, sororis eius Vestalis intercessione vsus, vbi hæc addit *cap. vlt. superbum sit eius obsecrationem repudiare, cuius preces si Dii aspernarentur hæc salua esse non possent.* Sed & Flamini Diali is honos olim habitus, vt vinctum eius ædes ingressum solui necesse esset; & cum quis ad verberandum duceretur, si ad pedes eius se prouoluisset, eo die verberari piaculum foret, authore Gellio *lib. 10. cap. 15.* & Plutarcho *in Quæstion. Roman. in fin. pag. 290. Tom. II. Oper. edit. Wechel.* Hinc illa in Scholis Rhetorum lex ad rei veritatem adumbrata; *Sacerdos vnius supplicio liberandi potestatem habeto*; quæque ex hac enata controuersia Scholastica, An sacerdos in adulterio deprehensus ipse se liberare possit? & sceleris impunitatem ex legis beneficio petere. De qua vide Quintilianum *lib. 5. Inst. Orat. Cap. 10. & Declamat. 284.* Huic simile Cardinalium Romæ priuilegium memorant complures, vt occursu suo Cardinalis reum damnatum liberet, si pileum suum imponat Capiti eius qui ad supplicium ducitur. Vide Baldum, & Paulum Castrensem *ad legem 29. Cod. de appellation.* (quæ desumpta est ex *lege 16. sequente huius tituli*) Vide & Cæpollam *Cautela 2.* & plenissime Clarum *in sentent. lib. 5.* quin & eorum domib. ius asyli tribuunt. Non absimilis huic mos ab antiquo vsurpatus a Capitulo Rothomagensi, liberandi inquam reum criminis ob meritum S. Romani, de quo, & de feretro S. Romani (vocant *la fierte S. Romain*,) prodierunt Clarissimorum Virorum scripta contraria; aliis morem illum tuentibus, impugnantibus aliis. Quibus postremis suffragari videtur cum maxime ipsius *Romani vita*, quæ ex Thuani bibliotheca prodiit opera Amici nostri. De Principibus, quorum solemni in vrbes ingressu a reorum Suppliciis abstineretur, est quoque Suetonii locus *in vita Augusti cap. 57.* De simili in die introitus Aurelia- P. 310
nensium Episcoporum more, est quoque Iuonis Carnotensis locus *Epist. 53.* ad Episcopum Sanctionem seu Samsonem: quem confirmatum ferunt placito Curiæ Burdegalensis A. 1522. De recentioribus huiusmodi exempla alia qui volet repetat ex *obseruationibus* V. C. Iureti ad Iuonem. Denique in fauorem Anselmi Cantuariensis Episcopi quid simile statutum reperio. Verum hæc, & si quæ sunt huius generis alia, ex concessis priuilegiis vindicabantur, & vindicantur. At Clericis reos eripiendi facultas constitutionibus denegata fuit subinde. Et quod hanc in partem moliuntur, vis ista quidem est: de quo plenius ad *l. prox.* & ad *l. 1. infr. de his qui ad Ecclesiam conf.*

Illud hic tandem notandum, Theodosium hanc constitutionem non in ipsos Clericos promulgasse, verum in Iudices non prohibentes. Atenim & Theodosius ipse quadantenus, & Arcadius postea in Episcopos quoque & Clericos seueritatem & pœnam conuertit, *l. prox. 16. infr.* & *l. 7. inf. de his qui ad Eccles. conf.*

De non ERIPIENDIS *damnatis a Clericis vel a Monachis: solo* APPELLANDI *iure tributo: Arcadii lex.*

XVI. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Eutychiano (b) PF. P. Post alia.

ADDICTOS supplicio, & pro criminum immanitate damnatos, nulli Clericorum, vel Monachorum (eorum etiam quos *Cœnobitas* (c) vocant) per vim adque vsurpationem vindicare liceat, ac tenere: Quibus in causa criminali, humanitatis consideratione, si tempora suffragantur, interponendæ prouocationis copiam non negamus, vt ibi diligentius (d) examinetur, vbi contra hominis salutem, vel (e) errore, vel gratia Cognitoris obpressa putatur esse iustitia: ea conditione, vt siue (f) Proconsul, Comes Orientis, Præfectus (g) Augustalis, Vicarii, fuerint cognitores, non tam ad Clementiam nostram, quam ad Amplissimas Potestates (h) sciant esse referendum: eorum enim de his plenum volumus esse iudicium; Qui si ita res est, & crimen exegerit, rectius possint punire damnatos. * Reos (i) etiam tempore (k) prouocationis emenso ad locum pœnæ sub prosecutione (l) pergentes, nullus aut (m) teneat, aut defendat: Sed sciat se Cognitor XXX. librarum auri multa, Primates officii capitali esse sententia feriendos, nisi vsurpatio ista aut (n) protinus vindicetur: Aut, (o) si tanta Clericorum ac (p) Monachorum audacia est, vt bellum potius quam iudicium futurum esse existimetur, ad Clementiam Nostram commissa referantur, vt nostro mox seuerior vltio procedat arbitrio. (q) Ad Episcoporum sane culpam (vt cætera) redundabit, si quid forte in ea parte Regionis, (r) in qua ipsi populo (s) Christianæ Religionis, doctrinæ insinuatione moderantur, ex his, quæ fieri hac lege prohibemus, (t) a Monachis (v) perpetratum esse cognouerint, nec vindicauerint. Ex (x) quorum numero rectius si quos forte sibi deesse arbitrantur, Clericos ordinabunt, (y) & cetera. Dat. VI. Kal. Aug. Mnyzo, (z) Honorio A. IV. & Eutychiano COSS. [398.]

NOTAE.

(a) Repetitur bona *huius legis* pars in *l. 57. inf. de appellat.* Sed & in *Codice Iustinianeo* duobus pariter locis repetita in *l. 6. Cod. Iust. de Episcopali audientia*: & *l. 29. Cod. eod. de appellat.* Iungenda porro *huic* est *l. 3. inf. de his qui ad Eccles. conf.* & *l. 32. 33. infr. de Episcopis, Ecclesiis, & Clericis. GOTHOFR.*

(b) Male in *d. l. 29.* & in *d. l. 32. Cesario PP. P. ID.*

(c) *Synoditas*, in *d. l. 57.* & *d. l. 6. Cod. Iust. de Episcop. aud. ID.*

(d) *γρ. DiligentIVS*, id est, diligentius ius. *ID.*

(e) Ita quoque *lex 57. inf. de Appellationib.* At in *l. 29. Cod. Iust. de appellationibus*: *per errorem vel gratiam. ID.*

(f) *Si*, *d. l. 29. ID.*

(g) Ita quoque *d. l. 29.* At *l. 57. inf. de appellat.* simpliciter & absolute *Augustalis. ID.*

(h) Præfectum Prætorio intelligit. *IDEM.*

* Hactenus *lex 57. inf. de appellationib.* & *lex 29. Cod. Iust. eod. tit.* Sequentia iam extant in *l. 6. Cod. eod. de Episcopali audientia. ID.*

(i) *Sed & reos*, ita *d. lex 6. ID.*

(k) *Tempore prouocationis emenso*: Hæc verba recidit Tribonianus, *d. l. 6.* quia scilicet in *dictam legem* 29. coniecit superius caput, quod ad appellationes pertinebat. *ID.*

(l) Dixi de *Prosecutione* ad *l. 5. sup. de exhib. reis. ID.*

(m) Abest a *d. l. 6. ID.*

(n) Abest hæc vox pariter, vt vox sequens *protinus*, a *d. l. 6.* quæ sane loco mouenda est ita, *Nisi aut vsurpatio ista protinus vindicetur.* E duobus scilicet alterutrum fieri Arcadius iubet, de quo mox. *ID.*

(o) *At si*, Cod. Iust. *ID.*

(p) *Aut*, Cod. Iust. *ID.*

(q) In *Cod. Iust.* loco mota est hæc vox, *ita vt Arbitrio nostro*, &c. *ID.*

(r) *Regionem* vocat diœcesin Episcopalem. *ID.*

(s) *Populos*, in *Cod. Iust.* Et ita omnino edendum est. *Populos moderari* Episcopi recte dicuntur, & sine vllo Maiestatis crimine vel suspicione. *IDEM.*

(t) *Prohibuimus*, Cod. Iust. *d. l. 6. ID.*

(v) Ita quoque *Cod. Iust. d. l. 6.* sed oportuit Clericos quoque hic nominari vt *supra.* Etsi fateor a Monachis hoc sæpius, quam a Clericis attentatum videri. De quo mox. *IDEM.*

(x) Sequentia recidit Iustinianus, quæ quam recte omnino superioribus cohæreant, videbimus ad *legem*, quæ hinc partim conflata est, id est, *legem 32. infr. de Episcopis*: contra quam Filesacus putauit *commentario de Episcoporum auctoritate c. 7. §. 1. p. 159.* qui suspicabatur hoc esse Glossema. *ID.*

P. 311. (y) *Non obnoxios publicis* &c. *dict. leg. 32.* quæ huic subiungenda est. *ID.*

(z) *Mnyzo*, hic & *l. 6. Cod. Iust. de Episcop. aud.* Mnizo *l. 57. inf. de appellat. l. 3. inf. de his qui ad Eccles. & l. 27. Cod. Iust. de appellat.* Minizo, *l. 33. inf. de Episcopis.* ID.

COMMENTARIVS.

ERIPI reos supplicio per sententiam addictos (quo pertinet pars prior *huius legis*) siue antequam ad locum pœnæ seu supplicium deducantur (quo spectat secunda pars *huius legis*, *a vers. reos etiam:*) vt a Clericis, ita & a Monachis districte prohibet hac constitutione Arcadius. Quod & ipsum de Clericis Theodosius pater *lege superiore* prohibuerat, verum ita vt in Episcopos iam quoque, qui hæc non prohibuerunt culpam conuertat. Appellationis tamen seu prouocationis interponendæ iure hoc casu permisso. De quo appellationis iure, quia id repetitum extat, plenius adhuc suo proprioque *titulo*, *de appellationib. lege* inquam *57. eius tit.* ad eum dicendi locus erit opportunior. Quæ huius tituli propria sunt videamus.

Sane ex *huius ipsius legis* fine, & *tribus* præterea *legibus* huic nostræ coniungendis, *lege* inquam *3. inf. de his qui ad Ecclesias confugiunt*, & *l. 32. 33. infr. de Episcopis Ecclesiis & Clericis:* Arcadii mens aperte colligitur: voluisse eum semel Clericorum & Monachorum vsurpationibus occurrere, in perniciem publicam vel debitoribus, vel reis, patrocinium præbentium, & disciplinæ publicæ reos eripientium: quod quidem triplici ratione facere soliti, vt *dictis legibus* docemur; vel reos inquam destinatos supplicio excipiendo, vel ad Ecclesias confugientes tenendo, vel denique Clericos ordinando, & Clericorum ordinatione. De duobus his agendum. De ereptis pœnæ primum.

Prohibentur igitur Clerici & Monachi reos pœnæ eripere, seu vindicare per *vim atque vsurpationem*, ait *lex:* Intercedere quippe eos pro reis, vel pro his appellare fas & solemne fuit, *humanitatis consideratione* (seu ratione) qua formula hæc *lex* vtitur, eamque ipsam vrget Augustinus *Ep. 54. ad Macedonium* siu. *153. Ed. Ben.* Sane huiusmodi intercessionis seu deprecationis exemplum quoque præbet *lex vlt. inf.* sed & Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, Socrates *lib. 1. cap. 13.* Sozomenus *lib. 7. cap. 23.* vide sis etiam Baronium *A. 389. Num. 92.* Appellationis quoque pro alio interponendæ meminit IC. in *l. 6. D. de appellat.* eadem humanitatis ratione inducta: *Credo enim*, inquit, *humanitatis ratione omnem prouocantem audiri debere.* Quanquam quod hic de appellationis iure dicitur, id ad ipsos reos spectare censeo: de quo ad *d. l. 57. inf. de appellationib.*

Porro quod de Monachis *hac l.* dicitur, reos pœnæ per vim eripientibus, sub Arcadio *huius legis* Authore occurrit, decennio ferme ante *hanc leg.* in causa videlicet seditionis & læsæ maiestatis, cum Antiochiæ Imperatoris Theodosii & Placillæ Augustæ imagines deiectæ fuissent: isque eam rem seuere vindicandam existimaret: Nam ex propinquis Antiochiæ montibus cateruatim monachorum δρύγγοι, vt Chrysostomus *ep. 14. ad Olympiadem* ait, descenderunt ad eximendos, reos qui in ius & ad supplicium ducerentur. Cuius rei historiam exequitur Theodoretus *lib. 5. c. 19.* Chrysostomus ad *populum Antiochenum orat. 17. edit. Paris. p. 193. 194. 195.* siu. *num. 1. 2. 3. pag. 172. 173. 174. Tom. II. Oper. edit. Benedictin.* vbi inter alia παῤῥησίας, & vt ipse mauult, μεγαλοψυχίας ipsorum argumenta, etiam illud addit, *p. 194. edit. Paris.* & *pag. 175. edit. Benedictin.* eos ante Prætorii ianuas totos dies sedisse, paratos de Officialium manibus reos eripere, καὶ γὰρ διημέρευον πρὸ τῶν θυρῶν τοῦ δικαστηρίου καθήμενοι, τοὺς ἀπάγεσθαι μέλλοντας ἐξαρπάσαι τῶν δημίων παρεσκευασμένοι, *etenim ante prætorii ianuas totos dies agebant sedentes, abducendos de carnificum manibus eripere parati.* Mox *pag. 195. edit. Paris.* & *pag. 173. edit. Benedictin.* subiicit, multis Monachos egisse apud Iudices, αὐτοὺς τοὺς δικάζειν λαβόντας ἐξουσίαν, vt absolutionis sententiam ferrent: Iudices vero respondisse, se id facere non posse, quandoquidem periculosum æque esset iniuriæ in Imperatorem reos impunitos dimittere, atque iniuriam inferre. Nihilominus id effecisse apud Iudices μεγαλοψυχίᾳ καὶ καρτερίᾳ, ne in reos sententiam ferrent, sed ad Imperatoris sententiam eos reiicerent: pollicitos se facile veniam pro his ab Imper. impetraturos, peregrinatione in id suscepta: Verum Iudices horum sapientiam reueritos & sensus altitudine percussos, his peregrinationem longinquam remisisse, modo acciperent ab his literas in se onus recepisse, veniamque ab Imperatore pollicitos: Et vero Monachos iudicium ingressos, multisque verbis constantibus iactatis, literas ad Imperatorem, quibus sua capita supponerent, tradidisse, cum quibus, Iudices profecti fuerint. Et hæc quidem de ereptis pœnæ reis monachorum παῤῥησίᾳ & μεγαλοψυχίᾳ, vt vult Chrysostomus, de quo est *hac lex:* quam rem etiam adumbrat *Orat. 18. p. 210.* siu. *num. 4. pag. 187. edit. Benedictin.* Eadem μεγαλοψυχίᾳ vsi in deturbandis, hoc ipso tempore sub Theodosio M. illi ipsi Monachi qui prope Antiochiam in Montibus erant, conferta multitudine, Paganorum templis: de quo extat bene longa querela Libanii, peculiari in id *Oratione*, ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, quam ipse edidi: vbi similia plane occurrunt, & ad quam nos iam multa notauimus *p. 46. 47.* & *pag. 478. edit. Oper. minor. Gothofred. Cl. Trotz.* vnde notata huc quoque arcessi possunt: Nos enim ad reorum ereptionem redimus, quod *huius leg.* argumentum est.

Et vero vel ex *hac l.* huiusce vsurpationis magnitudo cognosci euidenter potest, præsertim in illis verbis, *aut si tanta Clericorum ac Monachorum audacia est, vt bellum potius quam iudicium futurum esse existimatur:* Nota *bellum:* qua causa & huiusmodi μοναζόντων cateruas, δρούγγους vocauit Chrysostomus *d. epist. 14. ad Olympiadem*, verbo militari, οὕτω γὰρ δεῖ εἰπεῖν, inquit, καὶ τῇ λέξει τὴν μανίαν αὐτῶν ἐνδείξασθαι, *liceat enim mihi ad eorum furorem exprimendum hoc vocabulo vti.* Ex quibus videtur ad seditionis speciem rem istam prorupisse, ingentibus Monachorum cateruis supplicio intercedentibus; adeo quidem vt Iudices huic malo & pene bello auertendo, vel protinus vindicando impares essent; ideoque supplicium differre cogerentur, atque ad Principem referre, quod ipsum in Chrysostomo vidimus. Quo facto interea intercessionibus apud Principem iidem agebant, atque adeo indulgentiam pro reo emerebantur: quam sane Arcadius *h. l.* a se denegandam, quin potius Rei supplicium exacerbandum suo iam arbitrio comminatur; ibi, *vt nostro &c.* vide & quæ scribo ad *leg. 1. infr. de monachis.* Quinimo, quod amplius *hac l.* constituitur quam *superiore*, ad Episcoporum ipsorum inuidiam & culpam id redundaturum minatur, si vim huiusmodi Monachorum non vindicauerint. Iam enim ipsi huius vsurpationis auctores creduntur, si eam ab his quibus præsunt admissam non vindicent: ac vt in eorundem potestate vix est, huiusmodi vsurpationes & prope bella quibus ipsimet Iudices pene impares sunt, prohibere; ita sane in eorum potestate est, post admissum vindicare, singulis ad sua loca post factionem videlicet dilapsis, & reuersis.

Mihi vero placet vehementer illa sententia & admonitio

p.312. admonitio Iosephi, quæ eadem & Polybii est, *Colere inquam officiis, non exasperare iurgiis Potestates, lib. 2. de bello Iudaico c. 8.* Similiter Q. Curtius *lib. 8. c. 8. Obsequio mitigantur imperia.* Deinde, vt hæc ipsa *lex* ait, Episcopalis muneris est, populos Christianæ Religionis doctrinæ insinuatione moderari: cuius doctrinæ non vltima pars est, Potestatibus sese submittere, Imperatoribus populum probum, orbem quietum exhibere.

Ex his interim colligitur, Episcopi munus olim fuisse docere, quod etiam ostendit *l. 44. inf. de hæreticis:* & *l. 25. infr. de Episcopis:* non etiam desidem & resupina ceruice titulum gerere. Ambrosius de electione sua in Episcopum Mediolanensem agens *lib. 1. Off. c. 1. Cum iam effugere non possumus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit sacerdotii necessitudo.* Et mox; *Ego enim raptus de Tribunalibus atque administrationis infulis ad Sacerdotium, docere vos cepi, quod ipse non didici.* Item, *Itaque factum est vt prius docere inceperim quam discere, & ante præsumens bonum prædicare quam facere.* Vide & sextam Synodum *in Trullo Canone 19. & 20.* & *ibidem* Balsamonem *apud Beueregium in Pandectis Canon. pagina 178. 179.*

Illud quoque ex *principio & fine legis* colligere licet quos prætextus obtendere soliti sint Clerici reos defensantes, vel pœnæ eripientes: Nempe duos hos; Primo quod Errore & gratia Iudicis sæpe Iustitia opprimeretur. Huic itaque prætextui opponit Arcadius humanitatem & remedium appellationis, cuius copiam facit. Secundo quod Clericorum numerum qui desideraretur ex huiusmodi reis supplerent. Huic prætextui Arcadius opponit Monachorum multitudinem, ex quorum numero si velint Episcopi Clericos quos sibi deesse arbitrantur, ordinare possint, de quo plura ad *l. 32. inf. de Episcopis:* quæ hinc ex parte conflata est. Obtentu clericatus publicæ disciplinæ & vtilitati fraus facienda non est: Quo etiam collimat *l. 3. inf. de his qui ad Eccles.* & *l. 33. inf. de Episcopis*, quæ huic iungendæ sunt. Denique hanc constitutionem esse partem Arcadianæ illius, de prohibito Ecclesiarum perfugio, quam Scriptores Ecclesiastici ab Arcadio Eutropii (de quo *l. prox.*) consilio latam aiunt, docebo ad *l. 3. infr. de his qui ad Ecclesiam confug.*

Superest vt de *Cœnobitis* de quibus *hac lege* mentio fit, aliquid videamus, qui ita quidem hic vocantur; at in *l. 57. inf. de appellationibus*, vt & *l. 6. C. Iust. de Episcopali audient.* Synoditæ. Et ita quoque Græci bis *paratitlis suis* scribunt etiam eo loco, quo alioquin horum mentio penitus sublata in *Cod. Iust.* puta *l. 29. de appellat.* Sane vtrumque rectum est. Socrates *lib. 4. c. 23.* πρὸς τὰς ἐν κοινοβίοις ἢ συνοδίοις μοναχούς. Gennadius *in Euagrio: composuit cœnobitis ac Synoditis doctrinam aptam vitæ communi:* Vtroque nomine, vita communis seu societas significatur. Quare Accursius ineptit, qui per *Synoditas* Prælatos qui Synodo & Congregationi præsunt, accepit. Neque melius Pancirolus, qui, *II. var. 174.* interpretatur Clericos simul canentes, qui alias Psalmistæ: nam & Suidam συνῳδίαν, ψαλμῳδίαν interpretari. Æque male qui *Synoditas* interpretantur monachorum comites, quasi ὁδίτας, quos vulgo *Conuersos* vocant. *Cœnobii* voce vtitur Iustinianus *Nouella 5. c. 3.* ὅσοις εἰς πλῆθος ἡ ἄσκησίς ἐστιν, ἐν τοῖς καλουμένοις κοινοβίοις εἶναι βουλόμεθα. Palladius *in hist. Lauf. in Paulo Simplice*, εἰ ἄρα θέλεις μοναχὸς εἶναι εἴσελθε εἰς κοινόβιον πλειόνων ἀδελφῶν. Theophylactus *Comment. ad D. Marcum cap. 4.* οἱ μέν εἰσι παρθένοι καὶ ἐρημικοὶ, ἄλλοι μεγάδες καὶ ἐν κοινοβίῳ. Primus ea Basilius instituisse memoratur, vide Gregorium Nazianzenum ἐν ἐπιταφίῳ λόγῳ εἰς μέγαν Βασίλειον. Lection de eo Primus cœnobia excogitauit, ritumque illum Monachorum agrestem ad formulam quandam Religioni propiorem reduxit. Hinc κοινοβιακὸς Theophylactus ad *D. Matth. c. 13.* ὁ κοινοβιακὸς τυχὸν μόναχος καὶ ἔτι πρακτικὸς, vide & Basilium *constit. Assert. 18.* Hinc κοινοβειάρχης, Abbas *in veteri Glossario.* Sane Pythagoricorum fuit quoque κοινόβιον, vt docet Gellius *lib. 1. c. 9. in fine.* Sed & veterum Christianorum quadantenus: de quo locus est singularis Hieronymi *de Eccles. Scriptor.* adiuncto *Philonis* loco, vide & Lucianum *Peregrino.*

De EVTROPII *pœna Arcadii lex.*

XVII. (a) Idem AA. Aureliano P. P. (b)

OMNES res EVTROPI, qui quondam Præpositus sacri cubiculi (c) fuit, ærarii nostri calculis adiunximus, erepto splendore eius & *Consulatu* a tætra inluuie (d) & a commemoratione (e) nominis eius, & cœnosis (f) sordibus, vindicato, vt eiusdem vniuersis actibus antiquatis, omnia mutescant tempora, (g) nec eius enumeratione (h) sæculi (i) nostri labes appareat; Nec ingemiscat (k) aut qui sua virtute ac vulneribus Romanos fines propagant, vel qui eosdem seruandi iuris æquitate custodiunt, quod diuinum præmium Consulatus lutulentum prodigium (l) contagione (m) fœdauit; *Patriciatus* (n) etiam dignitate, atque omnibus inferioribus, spoliatum se esse cognoscat, quos (o) morum polluit scæuitate. (p) Omnes *statuas*, Omnia simulachra, tam ex ære, quam ex marmore, seu ex fucis, (q) quam ex quacumque materia, quæ apta est effingendis, (r) ab omnibus Ciuitatibus, Oppidis, Locisque priuatis ac publicis, præcipimus aboleri: ne tanquam nota nostri sæculi obtutus polluat intuentum. Adhibitis itaque fidis custodibus, (s) *ad Cyprum insulam* perducatur, in qua Tua Sublimitas relegatum esse cognoscat, vt ibidem peruigili cura vallatus, nequeat suarum cogitationum rabie cuncta miscere. Dat. XVI. Kal. Feb. Constantinop. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* quia priuilegium magis est, quam *lex*, vt multæ aliæ *huius Codicis*. GOTHOFR.

(b) Vide quæ de hoc Aureliano PP. mox *sub fin. Comment.* dicam. *ID.*

(c) De *Præpositis S. Cubiculi* fuit supra, *titulus* 8. *lib.* 6. *ID.*

P. 313. (d) Nota hæc quinque: *Tetra inluuie, cœnosis sordibus, lutulentum prodigium, contagione morum, sceuitate.* Quæ poëticum stylum sapiunt. *IDEM.*

(e) id est, ex Actis publicis & priuatis, nomine eius eraso. *ID.*

(f) Sic *infra*, lutulentum prodigium. Similiter Plinius *lib.* 7. *ep.* 29. de honoribus in Pallantem libertum congestis: *Maxime tamen hic me titulus admonuit, quam essent mimica & inepta quæ interdum in hoc COENVM, in has sordes abiicerentur. IDEM.*

(g) Tempora scilicet de Consulum nominibus notata: quod vulgatum. De hoc ipso Eutropio Claudianus *in Eutropium lib.* 1. *v.* 9. 10.

- - trabeata per Vrbes
Ostentatur anus, titulusque effœminat annum. ID.

(h) Supra, *commemoratione. IDEM.*

(i) Vide *Gloss. IDEM.*

(k) *Ingemiscant*, v. Commentarium; vbi paria ex Claudiano, *lib.* 1. *in Eutropium. ID.*

(l) Claudianus *in Eutropium lib.* 1. *v.* 8. *Omnia cesserunt Eunucho Consule monstra.*

Et mox *v.* 21.

Consule lustrandi fasces ipsoque litandum
PRODIGIO.

Et post *v.* 231.

- - Quid iam de Consule miror
PRODIGIVM quodcumque gerit.

Et mox *v.* 236.

Arena etiam violare parat, portentaque monstris
Aggregat.

Et *lib.* 2. *in laud. Stilic. a v.* 291.

Non si PRODIGIIS casus natura futuros
Signat, polluimur macula, quod rebus Eoïs
Omen erat.

Et mox *a v.* 296.

- - in quo vel maxima virtus
Est tua, quod nostros, qui Consulis omnia Patres
De MONSTRIS taceas pellendis.

Rursum *v.* 307.

- - Fastos PORTENTA Gabinos
Ista latent. ID.

(m) Claudianus de hoc ipso *lib.* 1. *v.* 489.

- - Contagia fascibus ore
Defendas ignaua tuis. ID.

(n) De *Patriciatus* dignitate fuit supra, *titulus* 6. *lib.* 6. *ID.*

(o) *ve. Quas*, dignitates scil. nisi supra reponamus *inferioribus honoribus.* Claudianus *lib.* 1. *in Eutropium a v.* 284.

- - Gestis pro talibus annum
Postulat Eutropius, ne quod non POLLVAT vnus:
Dux aciem; Iudex Pretoria, tempora, Consul. ID.

(p) De *sceuitatis* voce, vide *Glossar. ID.*

(q) *Fucis*, χρώμασι perperam sollicitatur hæc lectio. Nazarius *in Panegyrico c.* 12 *Aboleri hic vultus non potest, vniuersorum pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis renidet.* Ausonius in *Idyllio* 7.

Bissula nec ceris nec fuco imitabilis vllo.

Prudentius in *passione Cassiani Martyris, Peri Stephan. hym.* 9. *v.* 9. 10.

Erexi ad cælum faciem, stetit obuia contra.
FVCIS colorum picta imago Martyris.

Quod mox ita exprimit *v.* 19.

Historiam PICTVRA refert - -

Apuleii locus in *Apologia pag.* 253. *edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* huc apprime facit de imaginibus & statuis agentis. *Enim vero quod luto fictum, vel ÆRE infusum, vel LAPIDE incisum, vel CERA inustum, vel PIGMENTO illitum, vel alio quopiam humano artificio adsimilatum est,* &c. *IDEM.*

(r) Simulacris scilicet. *Effigiandi* quoque vox hac in re propria, vt apud Apuleium. *in Apolog. pag.* 253. *edit. cit. IDEM.*

(s) Prosequutoribus; de quibus supra *tit. de exhibendis reis. ID.*

COMMENTARIVS.

AB EVTROPIANA constitutione ad Eutropium ipsum transitus fit: hæc nempe de Eutropii pœna hoc Arcadii Priuilegium est; priuilegium inquam, id est priuata & peculiaris de solius & vnius Eutropii pœna *lex & edictum:* Cuius hæc summa sententia est. *Eutropium bonis omnibus proscriptis, Consulatu*

Consulatu eius e Fastis eraso, dignitate patriciatus, cæterisque spoliatum, statuis eius & simulacris omnibus publice priuatimque abolitis in Cyprum Insulam sub fidis custodibus deportandum.

Cuius sane legis memorabilis vt complurima imitatus est, ita eius nominatim meminisse videtur Claudianus his verbis, *lib. 2. in Eutropium, Prolog. v. 19. 20.*

Concidit exiguæ dementia vulnere CHARTÆ
Confecit sæuum LITERA *Martis opus.*

Itaque nil mirum, si Claudianus multa habeat similia huic Edicto quod ipse legit. In hoc memorabili autem, vt dixi, Priuilegio, ne de Eutropio nimis multa dicam, illud tantum dicam, eum orbem terræ extensa manu quatisse: Eius ingressu etiam ipsam Purpuram (Imp.) inclinatam & quassatam, & Imperatori ipsi verendam fuisse. Tandem cum aliquid in Repub. moliretur turbatum, ipsosque Impp. colluderet, cum Barbaris etiam inita factione, maiestatis crimen incurrit, auaritiæ etiam & rapinarum crimine famosus, vt ex *Chrysostomo* liquet, Claudiano, aliisque.

Nunc de *hac leg.* In ea multa notanda occurrunt. Primo cumulare hic iuuat omnes τῆς ἀρείας, & execrationis Eutropii formulas, quibus fœditatem eius moresque prosequitur Arcadius, opposite ad dignitatem Consulatus, Patriciatus, & statuarum honorem; quæ etiam omnes sunt elegantes: *Tetram inluuiem, cænosas sordes* ei tribuit. Eius enumeratione, *sæculi labem apparere. Ingemiscere viros* de Republ. meritos & merentes ob præmia honorum ei delata. *Lutulentum prodigium* vocat. *Contagione* eum *fœdare* præmia Consulatus. *Morum scæuitatem* ei tribuit. Statuas eius tanquam *notam sæculi* obtutus intuentium polluere. *Cogitationum rabiem* ei tribuit, quibus cuncta miscebat. Quibus similia multa passim habet Claudianus, talibusque plena
P. 31 †est poësis eius: veluti, *heu terræ cœlique pudor. Titulum anni effœminare immensum nefas. Prodigium* pariter, *ipsoque litandum Prodigio.* Item, *Prodigium est quodcunque gerit.* Item, *portenta monstro accumulat, in crimen euntes Annos. Contagio, infaustum obscœnior ore. viue pudor fatis* (male qui ibi reponebat, *fastis.*) *seruili fœdare Curules Crimine.* Item, *ne quid non polluat vnus. Polluti fasces, peregrina piacula.*

Secundo obseruanda honorum Eutropii pagina, tres inquam Eutropii dignitates, quas omnes Chrysostomi oratio *in Eutropium* præfert. Primo igitur docet hæc *lex*, Eutropium Præpositum S. Cubiculi fuisse: Quod & ipsum testatur Socrates *lib. 6. cap. 5.* & Chrysostomi ipsius, vt dixi, concio *in Eutropium*, & Zosimus *lib. 5. cap. 9.* Indicat quoque Claudianus *lib. 1. in Eutropium.* Secundo, *Consulatus* ab Eutropio gesti hæc *lex* meminit, & Socrates *d. cap. 5.* Sozomenus *lib. 8. cap. 7.* & Zosimus *lib. 5. cap. 17.* Claudianus *passim*, etiam notissimo illo versu *8. lib. 1. in Eutrop. Omnia cesserunt Eunucho consule monstra:* & Marcellinus *Chronico.* Tertio *Patriciatus* dignitatem ab Eutropio gestam hæc eadem *lex* docet: quod & ipsum Chrysostomi *oratio* ostendit, & Sozomenus *lib. 8. cap. 7.* & Zosimus *lib. 5. cap. 17.* & Claudianus passim *libris in Eutropium*, inter alia *lib. 1. v. 109.* & *Præfatione lib. 2. v. 2.* & *50.* & *ipso lib. 2.* De qua Patriciatus dignitate iam *lib. 6.* dictum est. Suidas *in voce* Ἀντίοχος ὁ πραιπόσιτος, memorat postea Antiochi occasione legem promulgatam à Theodosio Iuniore Arcadii huius filio, εὐνοῦχον, ἐν τοῖς πατρικίοις, μὴ τελεῖν, *ne enuchus inter patricios censeretur.* Tandem & inferiores aliæ dignitates ab Eutropio gestæ hic indicantur.

Tertio obseruandæ sunt *Pœna*, quæ in hunc Eutropium *hac lege* sanciuntur: & tres quidem, puta Bonorum proscriptio, Honorum ademptio, Exilium irrogatum. Quas similiter memorat Philostorgius, *lib. 11. cap. 6.* ὅθεν αὐτίκα τὸν Εὐτρόπιον τιμῆς τε ἀπάσης περιδύει, καὶ τὸν πλοῦτον ἀφαιρεῖται καὶ εἰς Κύπρον τὴν νῆσον φυγαδεύει. *Statim Eutropium honoribus omnibus exuit, diuitias aufert, & in Cyprum insulam relegat.* Prima igitur est, bonorum omnium Proscriptio: de quo alioquin pœnæ genere erit postea titulus peculiaris. Sane huc elegantissime allusit quoque Claudianus, *Præfat. lib. 2. in Eutropium. v. 49. 50.*

Direptas quid plangis opes quas Natus [id est Arcadius] *habebit?*
Non aliter poteras Principis esse pater.

Secunda pœna est dignitatum priuatio, omnium & inferiorum & superiorum, ac in his nominatim Consulatus & Patriciatus: de Consulatu testis & Socrates *d. cap. 5.* Claudianus *Præf. lib. 2. v. 13. 14.*

Ablato penitus respirant nomine Fasti,
Maturamque luem sanior aula vomit.

Vetus Auctor (Ioannes Antiochenus) apud *Suidam voc.* Εὐτρόπιος. Meminerunt & cæteri, vt Zosimus *lib. 5. cap. 18.* Marcellinus *Chronico:* Augustinus *8. de Ciuit. Dei, cap. vlt.* Erasum igitur Eutropii nomen e Fastis publicis & actis omnibus priuatis, publicis. Vnde factum, vt solius *Theodori* nomen, qui consul in Occidente erat, in Fastis & legibus remanserit, vt vel huius ipsius *legis* nostræ subscriptio ostendit, cæteræque huius anni constitutiones, vt dicam rursum *ad l. prox.* idque etiam Socrates nominatim testatur *d. cap. 5.* & Suidas *voc.* Εὐτρόπιος. Eadem ratione Heracliani nomen de Fastis pariter erasum, *l. 13. infr. de infirmandis his quæ sub Tyrannis.* Eadem ratione funestorum Consulum nomina quæ in Occidente fuerant, aboleri iubentur, *l. 9. inf. d. t.* Et alioquin de more nominum eradendorum e Fastis consularibus peculiari capite egit Fornerius *lib. 2. Quotidianor. 18.* Cicero *pro Sextio cap. 14.* *Si Appellandi sunt consules*, inquit, *quos nemo est, qui non modo ex memoria sed etiam ex Fastis euellendos putet.* Ita Pisonis nomen eradendum Fastis olim Aurelius Cotta censuerat: sed hanc sententiam Tiberius mitigauit, & quo M. Pisonem eximeret infamiæ, nomen eius fastis exemptum noluit, auctore Tacito *lib. 3. Annal. cap. 17.*

Interim de Consulatu varia hic in transitu indicantur. *Primo*, Tempora & annos per Consules notatos: actibus publicis priuatis, Consulum nomina subnotata: Quæ notiora sunt, quam vt testimoniorum nube opus sit; de quo tamen etiam dixi *ad l. 5. sup. ne quid publ. læt. Secundo* notetur, Consulatum, *diuinum præmium* vocari: atque indicari duum generum hominibus eum in Repub. Romana tribui solitum & oportere: Viris nempe militia, vel Toga clarissimis. Vt his duabus artibus, VIRTVTE inquam, seu vera fortitudine & IVRIS ÆQVITATE (vt hæc *lex* loquitur) summa Reipubl. continetur, ita summum in Republ. præmium, summam dignitatem alterutri horum deferri par est. *Tertio* notetur; in dignitatibus & publicis officiis constitutos, iure *ingemiscere* & vero debere, si quando videant ad eandem dignitatem, idem officium euehi, quos nulli actus in Republ. gesti, nulla merita commendant, imo quorum tetra illuuie, cœnosis sordibus, lutulento prodigio, contagione morum, scæuitate dignitas fœdatur. Ad hunc morem *ingemiscerent* hodie & verterentur vtinam omnes: non tot splendidissimos Cœtus contaminari videremus ipsi: Cuiusque viri probi interest, etiam ad famam, ne collegas consortes & eiusdem dignitatis participales habeat, quos merita seiungunt, aut quos vita deturpat. Claudianus ipse pariter de hoc ipso Eutropio, deque militia Eutropii Palatina *l. in Eutrop.*

Eutrop. vbi eadem *Ingemiscendi* voce vtitur *a. v. 145.*

Vt primum vetulam texere Palatia vulpem
Quis non INGEMVIT? *quis non irrepere sacris*
Obsequiis doluit, toties venale cadauer?
Ipsi quin etiam tali consorte fremebant
Regales famuli, quibus est illustrior ordo
Seruitii sociumque diu spreuere superbi.

Tum inde de hoc ipso Eutropii Consulatu *sub finem libri primi a v. 474.* Post alia hanc ad rem & vetustiora de priscis Consulibus, qui meritis in Rempubl. Consulatum adepti, Roma Honorium compellans vindicem,

- - - *Ne prisca reuoluam*
Neu numerem, quantis INIVRIA *mille per annos*
Sit retro ducibus, quanti fœdabitur aeui
Canicies? vnam subeant quot SÆCVLA *culpam?*

Et mox: *a. v. 484.*

Inquinat hic omnes si nil priuata mouebunt
At tu Principibus, nostræ tu prospice causæ,
Regalesque auerte notas: hunc accipit vnum
Aula magistratum: vobis patribusque recurrit:
Hic alternus honos: in crimen euntibus annis
Parce quater consul: CONTAGIA *fascibus oro*
Defendas ignaua tuis.

Et hæc de dignitatibus Eutropio detractis, quæ prima Honorum Eutropii pars est.

Altera honorum detractorum pars est. *Statuarum & simulacrorum Eutropio locatorum euersio.* Quas quidem hæc *lex* testatur Eutropio locatas
P.315 ex omni materiæ genere, locisque omnibus passim: sic vt vbique iam occurrerent vultus Eutropii. Id vero ipsum testatur Claudianus *circa initium lib. 2. a v. 70.*

Posteritas admitte fidem, monumenta petuntur
Dedecoris, multisque gemunt incudibus æra,
Formatura nefas: hæc Iudicis: illa Togati;
Hinc nitet armati species, numerosus vbique
Fulget eques, præfert Eunuchi Curia vultus
Ac veluti caueant, ne quo consistere virtus
Possit pura loco, cunctas hæc ora laborant
Incestare vias: maneant immota precamur,
Certaque perpetui sint argumenta pudoris
Subter adulantes tituli, nimiæque leguntur
Vel maribus laudes: claro quod nobilis ortu
Conuiua & Domini: Quod maxima prælia solus
Impleat & pariter miles: Quod tertius vrbis
Conditor: hoc Bizas Constantinusque videbunt?

Has igitur omnes Eutropii statuas aboleri iubet Arcadius *hac l. Ne*, inquit, *tanquam nota nostri seculi obtutus polluat intuentum.* Hæc vero clare imitatus est Claudianus: cum ait, *Monumenta petuntur Dedecoris:* & mox; *Cunctas hæc ora laborant Incestare vias: Maneant immota precamur, Certaque perpetui sint argumenta pudoris.* De more alioquin Tyrannorum læsæque maiestatis reorum statuas deturbandi, abolendi nil attinet pluribus monere: res est & obseruatio protrita. Consulatur vel *lex 24. D. de pœnis.* Ad hanc sane statuarum deiectionem respexit Gregorius Nazianzenus *ep. 49. ad Olypium, al. 40.* Non vero ad statuas & imagines in ædibus sacris locatas: Quod tamen Scholiastes ibi voluit.

Tertia Eutropii pœna sequitur, *Exilium:* Nempe Eutropius *hac l.* in Cyprum relegatur, eaque insula contineri iubetur: Cuius in Cyprum exilii, præter hanc *legem*, meminit quoque Claudianus & *Præfat. lib. 2. in Eutrop. v. 52.* & *initio ipsiusmet libri 2. v. 21.* & Zosimus *lib. 5. cap. 18.* & Philostorgius *lib. 11. cap. 6.* Relegatus igitur in Cyprum Eutropius tot testibus. Et quanquam si vel sola hæc *lex* esset: ne minimum quidem de eo dubitari posset: attamen reclamare nonnullis creditur Socrates *lib. 6. cap. 5.* cui adde Sozomenum *lib. 8. cap. 7.* & veterem Scriptorem apud Suidam *voc.* Ευτρόπιος; vbi Socrates capite plecti iussum ab Imperatore scribit: διὰ τινὰ πταίσματα ὁ βασιλεὺς τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι ἐκέλευσεν, *imperator ob delicta quædam capite plecti iussit.* Sozomenus, ἀνέπλησε τὴν δίκην, τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς, *meritas pœnas persoluit, capite truncatus.* Qui Socratis nominatim locus alios in errorem induxit, & turbauit etiam Claudiani Interpretem: Qui in hac ἀντιλογίᾳ rem ita conciliare instituit, quasi de *capitis deminutione*, id est deportatione Socrates intellexerit. Quæ diluta est conciliatio. *Capitis* enim *amputationem* ecquis dixerit pro ciuili illa capitis minutione? Verum præterquam quod Socrati, vt dixi, Sozomenus quoque suffragatur, & Zosimus, & Philostorgius: Zosimus certe conciliat *lib. 5. cap. 18.* vt & Philostorgius, *lib. 11. cap. 6.* qui Eutropium in Exilium primo in insulam Cyprum missum aiunt; Verum non multo post capite multatum. Zosimus suam causam addit: Philostorgius aliam: nempe quod delatus fuisset, animalibus vsus fuisse cum Consul factus fuit, quibus soli Imperatori vti licebat, idque Iudicante Aureliano P. P. cui hæc *lex* inscribitur, de quo mox. Vtrumque igitur verum est: Eutropius enim, ab Arcadio exorato (forte a Ioanne Chrysostomo ipso, vel populo Constantinopolitano, in id quippe incubuisse eum, vel ex eius *concione in Eutropium* liquet) in Cyprum primo relegatus vitaque munere donatus fuit: at postea obtruncatus fuit, siue Gaina hoc agente, vt Zosimus scribit, forte & aliis multis id agentibus: nam & Claudianus *lib. 2. initio in Eutropium*, Cyprio exilio tot crimina expiari non posse inculcat; siue alia de causa, vt Philostorgius. Qui aliter hæc conciliant, satis ostendunt Zosimum sese non legisse.

Ratio interim relegationis siue deportationis in Insulam Cyprum notanda venit: *vt*, inquit, *ibidem peruigili cura vallatus, nequeat suarum cogitationum rabie cuncta miscere.* Quibus verbis puto indicari consensum cum Tribigildo, qui in Phrygia bellum excitauerat, a cuius partibus Eutropius, Gaina id persuadente stare, totiusque adeo mali origo creditus est: vt docet Zosimus *d. lib. 5. cap. 17. & 18.*

Sed & Inscriptio *huius legis* non omittenda. Inscribitur scilicet hæc *lex* de Eutropii pœna, *Aureliano P. P.* Et vero Philostorgius *lib. 11. cap. 6.* & ex eo Nicephorus refert *lib. 13. cap. 4. Aurelianum* Præfectum, cumque eo alios in Illustri dignitate positos, post primum Eutropii exilium Iudices sedisse in Pantychio, cognitores de Eutropio, mox & capite multatum.

Tandem in subscriptione obseruandum, datam hanc *legem* dici *XVI. Kal. Febr.* vbi errorem irrepsisse putat Baronius: Quandoquidem ex Chrysostomi *homilia in Eutrop. tom. 8. Sauilian. siu. Tom. III. num. 3. pag. 384. edit. Benedictin.* apparet, prope Paschale tempus confugium Eutropii ad Ecclesiam contigisse. Verum huic Baronii hæsitationi ansam præbuisse putauit Fronto Ducæus prauam interpretationem Latinam verborum Chrysostomi. Ipse tamen dubito & ad Baronium ferme accedo, (a) Nam & Chry-

(a) ANTONIVS PAGIVS *Crit. ad Annal. Baron. ad an. 399. num. 3.* Baronius *num. XXIV.* existimat, prope Paschale tempus *Eutropii* confugium ad Ecclesiam contigisse, & errorem irrepsisse in subscriptione *huius legis de*

Chrysostomus *fine orat. p. 70. edit. Savil.* seu *num. 5. pag. 385. edit. Benedictin.* de indulgentiæ & veniæ tempore agit, proculdubio antepaschalem Quadragesimæ indicans Indulgentiam. Sed & Claudianus quoque diserte *lib. 2. in Eutropium* • tempus vernum designat *a v. 95.*

Mitior alternum Zephyri iam bruma teporem Senserat, & primi laxabant germina flores:
Iamque iter ingremio pacis solemne parabant
Ad muros Ancyra tuos; authore repertum
Eutropio, pelagine tædia longa subirent. &c.

quomodo & Chrysostomus alludit *d. orat. in Eutropium in princip. num. 2. pag. 382. Tom. III. Oper. edit. Benedictin.*

• *pœnis*, qua in re consentientem habet *Gothofredum* in Commentario *h. l.* quod D. Chrysostomus *in fin. orat. in Eutrop.* agat de indulgentiæ & veniæ tempore, procul dubio, inquit, *Gothofredus*, antepaschalem Quadragesimæ indicans indulgentiam. Verum neque in Paschate, quod credidit Baronius, habita ea oratio, neque *legis huius* subscriptio mendosa. Chrysostomus enim ait; *Nunquid non clarior nobis & celebrior hodie conuentus est. Nihil minus esse video in multitudine, quam si sanctus Paschæ dies ageretur. Quis istas huc hodie innumeras multitudines congregauit.* Non itaque in Paschate ea oratio dicta, sed quando Eutropius in exilium missus est; qua occasione Chrysostomus coram magno populi conuentu perorauit. Cum vero Chrysostomus dicit apud Baronium *num. XIX. Non tribunalis est præsens tempus sed misericordiæ potius, non repetundarum, sed clementiæ* &c. non respicit ad indulgentiam antepaschalem, vt eum interpretatur *Gothofredus*, sed ad statum præsentis vitæ, in quo inimicis iniuriæ condonandæ, non vero vindicandæ, vt verbis immediate præcedentibus manifeste ostendit Chrysostomus: *iniuriis vos forte magnis affecit & contumeliis?* (scil. Eutropius) *ne nos quidem istud inficias ibimus. Sed non tribunalis est præsens tempus.* Nec vrget quod habet *Gothofredus* ex Claudiano *lib. 2. in Eutrop. Mitior alternum* &c. Hi enim versus non respiciunt casum Eutropii, qui verno tempore contigerit, sed motus in Phrygia a Tribigildo excitatos, vt ibidem videre est. Idque ex eo manifeste liquet, quod proxime Claudianus tumultus illos fuse describat, nec de Eutropii exilio, nec morte eius sermonem habeat.

P. 316. *De non* PRODVCENDA *pœna reorum, ad eorum propinquos, notos, familiares, amicos; Arcadii lex.*

XVIII. (a) Idem AA. Eutychiano P.P. (b)

SANCIMVS *ibi esse pœnam, vbi & noxa* (c) *est:* Propinquos, (d) notos familiares, (e) procul a calumnia submouemus, quos (f) reos sceleris societas non facit: (g) nec enim adfinitas (h) vel amicitia, nefarium crimen admittunt: *Peccata* igitur *suos teneant auctores: nec vlterius progrediatur metus,* (i) *quam repperitur* (k) *delictum.* Hoc singulis quibusque Iudicibus (l) intimetur. (m) Dat. VIII. Kal. Aug. Constantinop. Theodoro (n) V.C. Coss. [399.]

INTERPRETATIO. *Pœna illum tantum sequatur qui crimen admisit: propinqui vero, affines, vel amici, familiares, vel noti, si conscii criminis non sunt, non teneantur obnoxii. Nemo de propinquitate criminosi, aut de amicitiis timeat, nisi qui scelus admiserit.*

NOTAE.

(a) *Lex 22. Cod. Iust. eod. titulo.* Pertinet autem & hæc *lex*, pariter vt *superior* ad Eutropium. GOTHOFR.

(b) *Eutychianus* hic PP. Orientis fuit. v. *Prosopogr. ID.*

(c) *Noxia* Cod. Iust. Promiscue hæc ponuntur, *Noxa*, & Noxia: etsi nonnulli subtiliter distinguant. v. Brisson. *de V. S. ID.*

(d) Veluti sororem: *Adfinitatis* appellatione hoc ipsum mox vocatur. *ID.*

(e) Alios ab Osio & Leone. *ID.* MS. G. *notos & familiares.* RITTER.

(f) *Quod*, MSS. W. & G. *ID.*

(g) *Faciat*, MS. G. & Sichard. *ID.*

(h) *Adfinitatis* appellatione qui veniant? mox dicam. GOTHOFR.

(i) Pœnæ scil. *ID.*

(k) *Reperiatur*, Cod. Iust. *ID.*

(l) Qui sub tua Orientis Præfecturæ dispositione sunt. *ID.*

(m) Per te scilicet. *IDEM.*

(n) *Eutropio & Theodoro*: ita plenius *Cod. Iust.* Pariter vt eodem *Codice*, *l. 7. de dilationibus.* Verum superior *lex* docuit, recte expunctum Eutropii nomen: Et sane nulla *Codicis Theodosiani* lege, *Eutropii* nomen subscribitur: Subscribitur tantum *duabus illis Codicis Iustinianei legibus*, vnde expungendum id est. *ID.*

COMMENTARIVS.

PROPINQVITATEM συγγένειαν vel Adfinitatem, aut AMICITIAM, seu notitiam & familiaritatem nudam, cum reo, citra criminis societatem vel participatum, neminem pœnæ obnoxium facere oportere, definit Arcadius hac constitutione A. D. 399. Et in genere alioquin alieni criminis

criminis inuidia neminem stringi debere Imperator definit *l. 1. inf. de bonis proscript.* Et tam longe vnumquemque a metu ac pœna abesse debere, quam alienus a crimine est, *l. 15. inf. d. t. de bonis proscript.* Peccata denique suos auctores tenere debent, ibique pœna vbi noxa est, esse debet: *h. l.*

De singulis paulo distinctius videndum est. *Propinquitas* igitur cum reo criminis metui seu crimini *hac* Arcadii *lege* non est. Propinquitas inquam, qua appellatione non veniunt filii crimine perduellionis seu quasi: de quo ad *l. 3. ad l. Corn. de sicar.* vbi multa exaggerantur de infamia indelebili filiorum & mendicitate quam subire coguntur: item de incapacitate successionum etiam extraneorum, sic vt nec alimenta sibi legata capere possint (quæ tamen possunt deportati, possunt etiam serui: *l. 3. D. de his quæ pro non script.*) Et quod acerbissimum atque irrationabili odio deputari ab aliquo possit, fama multari eos qui pro his deprecari vel hiscere audent. De his igitur propinquis hæc *lex* non est exaudienda: neque *hac l.* ea parte *lex 3. ad leg. Cornel. de sicar.* abrogata est: quod tamen credidit Guil. Budæus: quod creditum & aliis, notantibus has *leges* quasi contrarias. Quos Duarenus, Robertus, Contius, Decianus, alii recte iam refutarunt.

Rationes hæ illorum sunt, Prima, quod hæc *lex* loquatur de *propinquis*, *adfinibus*, *notis*, *familiaribus*, in quibus nulla talis ad puniendum causa existit, qualis in filiis. Altera, quod licet de filiis hæc *lex* loqueretur, attamen crimen perduellionis ab ea Regula excipi oporteret, vt plurimis *legibus* nominatim excipitur: verissima enim est Interpretum Regula, legem generalem quæ ius antiquum corrigit, producendam non esse ad casus speciales qui in iure veteri a Regula excipiebantur, vt notat Accursius, & alii *ad l. 2. D. qui satisdare cog.* Probæ hæ quidem rationes, nisi quod præsupponunt illi, *hanc leg.* non pertinere ad maiestatis seu perduellionis crimen: de quo postea. Sed addamus alias & potiores ex *huius leg.* visceribus. Tertia igitur hæc primum esto: a propria significatione propinquorum: *Propinquorum* scil. appellatione proprie non veniunt filii, imo his illi opponuntur, vt docet vel *titulus Codicis Iust. de emendatione propinquorum*, *lex vnica*, *C. eod. vnde vir & vxor: l. vlt. C. eod. de verb. sign. l. 15. infr. de bonis proscript.* de qua mox. Sed adgnati veluti fratres &c. συγγενεῖς οἱ ἀδελφοὶ, vt recte Græci interpretantur. Ac multo minus appellatione *Adfinitatis*, si propria significatione ea vox accipiatur, imo ne quidem ea, qua sæpe alias ita & hæc accipienda; qua adfinitas pro omni cognatione, & omnibus Propinquis accipitur: nam qui *propinqui* initio *legis* dicuntur, hi mox *adfinitatis* appellatione designantur. Etsi scio historicos, leges [affirmatiuas] contrarias referentes, *propinquorum* appellatione eos omnes intelligere, qui quoquo modo sanguine reos contingunt, & sic etiam liberos: vt cum Q. Curtius *lib. 6. sub finem*, ait: *lege Macedonum cautum erat, vt* PROPINQVI *eorum qui Regi insidiati erant cum ipsis necarentur.* Et rursum *lib. 8. c. 6. Frequens*, inquit, *concilium adhibuit, cui Patres* PROPINQVIQVE *eorum de quibus agebatur, intererant, ne de sua quidem salute securi: quippe Macedonum more perire debebant omnium de-* P. 317. *uotis capitibus qui* SANGVINE *contigissent eos.* Item Ammianus Marcellinus *lib. 23. cap. 6.* de Persarum moribus: *Leges apud eos impendio formidatæ, inter quas diritate exsuperant latæ contra ingratos, & desertores: & abominandæ aliæ, per quas ob noxam vnius omnis* PROPINQVITAS *perit.* Additur ad hæc quarta ratio, vel omnium validissima, quam ex historia & occasione *huius legis* repeto. Nempe lata fuit hæc *lex* de crimine Maiestatis: Non vt censebat vir doctissimus *IV. Obs. 3.* occasione Græcorum, apud quos *propinquitas* omnis ob crimen maiestatis plectebatur: verum nominatim occasione Eutropii Eunuchi de quo *sup. l. 17. prox.* cui vtique *liberi* nulli fuere, at *propinqui* fuere, & in his soror fuit; cuius etiam meminit Claudianus *lib. 2. in Eutrop. præfat. a v. 41.*

Quid soror? audebit tecum conscendere puppim?
Et veniet longum per mare fida comes?
An fortasse toros eunuchi pauperis odit?
Et te nunc inopem diues amare negat.

Nempe oppressis Tyrannis adulatores & delatores emergere soliti, & vero tum quoque oppresso Eutropio emersere, qui *propinquitatem* omnem cum Eutropio, qui notitiam, familiaritatem, amicitiam, in inuidiam & crimen vocarent. *Propinqui* ergo, qui post liberos, sunt fratres, sorores &c.

Et hæc de Propinquis. Nunc de amicitia speciatim. De qua id recte & necessario ab Arcadio *hac l.* sancitum, ne amicitia videl. crimini daretur. Quod genus alioquin calumniæ frequentissimum, & vero sub sæuis Impp. admissum fuit: cuius rei exempla plura apud Herodianum. Quam multos mortales amicitia sola Seiani euertit? pluresque illa ruina obruisset, nisi *Oratio* M. Terentii, referente Tacito, plena spiritus, frœnum sæuitiæ iniecisset: cum qua conferenda Amyntæ in pari causa *Oratio*, apud Q. Curtium *lib. 7. cap. 1.* imprimis illa, quæ sunt huius argumenti. *Proinde*, inquit, *ad id reuertar propter quod Rei sumus: Amicitiam quæ nobis cum Philota fuit, adeo non eo inficias, vt expetisse quoque nos, magnosque ex ea fructus percepisse confitear: An vero Parmenionis, quem tibi proximum esse voluisti filium omnes pene amicos tuos indignatione vincentem, cultum a nobis esse miraris? Tu hercule, si verum audire vis, Rex, huius nobis periculi causa es. Quis enim alius effecit vt ad Philotam decurrerent, qui placere vellent tibi? Ab illo traditi, ad hunc gradum amicitiæ tuæ adscendimus. Is apud te fuit, cuius & gratiam expetere & iram timere possemus.* Et mox: *Igitur si hoc crimen est, paucos innocentes habes, imo hercule neminem. Omnes enim Philotæ amici esse voluerunt: sed totidem quod volebant, esse non poterant. Ita si a consciis amicos non diuidis, nec ab amicis quidem separabis illos, qui idem esse voluerunt.* Tacitus *lib. 6. cap. 8. Annal. Fatebor & fuisse me Seiano amicum, & vt essem, expetisse, & postquam adeptus eram, lætatum.* Conferatur hic Amyntæ locus cum Terentiano: tanta quippe similitudo, vt indoles vtriusque eadem videatur. Ex Terentiano & hæc obseruentur ad ea, quæ de propinquis & affinibus diximus. *Illius*, inquit, *propinqui & affines honoribus augebantur* &c. Et hæc quidem huc proprie quadrant. Paulo enim remotior ab hoc, etsi proxima obseruatio de damnato quem adhuc amare liceat, necne, quæritur: & quo vsque ea amicitia procedere possit? de eo v. ad aliquid *l. 3. sup. ad l. Cornel. de sicar.* Sidonium Apollin. *lib. 1. ep. 7.* Cassiodorum *de amicitia:* imo & Gellium, *lib. 1. c. 3.*

Lata autem, vt dixi, hæc *lex* necessitate quandoquidem superiore *lege* lata, Eutropii noti, familiares, amici, propinqui, sese ad latibula conferrent, atque idem in se quisque metueret: testis Claudianus *præf. lib. 2. in Eutropium a v. 13.*

Ablato penitus respirent nomine Fasti,
Maturamque luem sanior Aula vomit.
Dissimulant socii, coniuratique recedunt,
Procumbit pariter cum Duce tota cohors:
Non acie victi, non seditione coacti,
Ne pereant ritu quo periere viri.
Concidit exiguæ dementia vulnere chartæ,
Confecit sæuum litera Martis opus.

Horum itaque securitati si crimine vacarent, μηδὲν τοιοῦτον συνειδότες, hoc Edicto Arcadius consultum iuit, cum alioquin apud sæuos Princi-

pes

pes propinqui & familiares reorum Maiestatis haud satis tuti sint. Sane fuit & *lex* Macedonum & Perdi; sarum, propinquos & parentes insontes occiden de quo vide Q. Curtium *lib. 6. c. vlt. & 7. c. 2. & 8. sub f. c. 6.* Ammianum Marcellinum *lib. 23. c. 6.* quos iam sup. laudaui: V. & Herodotum *lib. 3.* Denique huic Edicto simile & simili occasione sineque emissum, occiso Rufino ante quadriennium ab eodem Arcadio, *l. 15. inf. de bonis proscript.* Membra eius huic quam simillima hæc sunt; *Si quis posthac stylum, quod absit, proscriptionis exceperit, solus criminis sui soluat pœnas, neminem habeat in bonorum amissione consortem. Sit a proscripti mariti sorte vxor aliena.* Et circa finem: *Sin vero frater, soror,* PROPINQVVS, ADFINIS, *& quicunque proscripto qualibet sorte sociantur. Tam longe enim vnusquisque a metu ac pœna abesse debet, quam alienus a crimine est.* Simillimum est, quod post Syluanum Tyrannum in Gallia interfectum scribit Iulianus *oratione 1. Petauiana pag. 89. & pag. 48. 49. edit. Lips. Spanhem.* ὅσις δὲ ἐπὶ ταύτῃ γέγονας τῇ πράξει, καὶ ὅπως πρᾴως ἅπασι καὶ φιλανθρώπως τοῖς ἐκείνου γνωρίμοις προσηνέχθης, ὅσοι μηδὲν ἠλέγχοντο ἐκείνῳ συμπράξαντες. πολλῶν ἐφεστηκότων τῇ κατηγορίᾳ συκοφαντῶν, καὶ τὴν πρὸς ἐκείνων φιλίαν ὑποπτεύειν μόνον κελευόντων, ἐγὼ μὲν ἁπάσης ἀρετῆς τίθεμαι τὸ κεφάλαιον. καὶ γὰρ ἐπιεικῶς, καὶ δικαίως φημὶ, καὶ πολὺ πλέον ἐμφρόνως πεπρᾶχθαι. ὅσις δὲ ἄλλως ἡγεῖται, καὶ τῆς περὶ τοῦ πράγματος ἀληθοῦς ὑπολήψεως, καὶ τῆς σῆς γνώμης διήμαρτε. τοὺς μὲν γὰρ οὐκ ἐλεγχθέντας δίκαιον ἦν, ὅς εἰκὸς, σώζεσθαι. ὑπόπτους δὲ τὰς φιλίας, καὶ διὰ τοῦτο φευκτὰς οὐδαμῶς ᾤου δεῖν κατασκευάζειν, ὑπὸ τῆς τῶν ὑπηκόων εὐνοίας ἐν τούτῳ μεγέθους ἀρθεὶς, καὶ πράξεων. ἀλλὰ καὶ τὸν παῖδα τοῦ τετολμηκότος νήπιον κομιδῆ τῆς πατρῴας οὐδὲν εἴασας μετασχεῖν ζημίας. οὕτω σοι πρὸς ἐπιείκειαν ἡ πρᾶξις ῥέπουσα, τελείας ἀρετῆς ὑπάρχει γνώρισμα. id est: *Qualem vero te post tam præclarum facinus exhibueris: atque vt clementer ac benigne omnes illius amicos ac familiares tractaueris, qui quidem nullius cum eo sceleris participes fuisse conuinci poterant: tametsi multi ad accusandum calumniatores consurgerent, qui id duntaxat monebant, vt suspectam horum cum illo amicitiam haberes; istud ego virtutis omnis caput, ac summam esse statuo. Nam & summa cum æquitate & iustitia; & multo prudentius a te factum arbitror. Quisquis vero aliud, is cum ab vera de re existimatione, tum ab animo tuo & sententia abhorret. Siquidem eos seruari iustissimum erat, qui nullius criminis essent conuicti. Amicitias vero illorum suspectas, ac deuitandas ideo, facere non oportere persuasum habebas: cum populorum beneuolentia ad tantam dignitatis ac rerum gestarum amplitudinem esses euectus. Quinetiam filium ipsum scelerati, ac facinorosi hominis infantem adhuc de paterna pœna ac supplicio sentire aliquid passus non es. Ita totum illud a te susceptum negotium cum in clementiam ac mansuetudinem desierit, absolutæ ac perfectæ virtutis iudicium præbet.* Item post Magnentium Tyrannum *Orat. 2. p. 178. & p. 95. 96. edit. Lips.*
P. 318. *Spanhem.* τὰ δὲ ἐπὶ τῇ νίκῃ γενόμενα, καὶ ὅπως ξίφους μὲν οὐδὲν ἐδέησεν ἔτι· οὐδὲ εἴ τις ἀδικημάτων μειζόνων εἶχεν ὑποψίαν, οὐδὲ εἰ τῷ πρὸς τὸν τύραννον οἰκειοτέρα γέγονε φιλία, οὐδὲ μὴν εἴ τις ἐκείνῳ χαριζόμενος, φέρειν τε ἠξίου κηρύκιον καὶ ἐλοιδόρει τῷ βασιλεῖ, τῆς προπετείας ἀπέτισε δίκην, ὅτι μὴ τἄλλα μοχθηρὸς ἦν, ἐνωτίσασθε δὲ πρὸς φιλίου Διός. id est: *Verum quæ post victoriam contigerint; vtque gladio deinceps vsus non fuerit, tametsi in criminum suspicionem venisset aliquis, aut paulo maiorem cum tyranno familiaritatem habuisset, vel demum si quis ei gratificans ad pacem conciliandam caduceum ferre voluisset, atque Imperatori conuiciatus esset, vt inquam temeritatis suæ pœnas nullas dederit, quod aliunde minime improbus esset; hoc vero per amicitiæ præsidem Iouem, patienter auditote.* Et rursum post Syluani cædem, *eadem orat. p. 184. & pag. 99. edit. Lips.* ὅς, τις δὲ ἐπ' αὐτῇ γέγονε ποθεῖτε ἀκούειν; ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο ὑμᾶς λέληθεν, ὅτι μήτε εἰς τὸν ἐκείνου παῖδα χαλεπός: μήτε εἰς τοὺς φίλους ὕποπτος, καὶ δεινὸς εἵλετο γενέσθαι; ἀλλὰ ὡς ἔνι μάλιστα, πρᾴως εἶχε, καὶ εὐμενὴς πᾶσιν ἦν. καί τοι πολλῶν συκοφαντεῖν ἐθελόντων καὶ διηρμένων ἐπὶ τοὺς οὐκ αἰτίους τὰ κέντρα. πολλῶν δὲ τυχὸν ἀληθῶς ἐνόχων ὄντων ταῖς περὶ αὐτὸν ὑποψίαις, ὁμοίως ἅπασιν ἦν πρᾶος τοῖς οὐκ ἐλεγχθεῖσιν, οὐδὲ ἀποφανθεῖσι κοινωνοῖς τῶν ἀτόπων καὶ ἐξαγίστων βουλευμάτων. τὴν δὲ εἰς τὸν τοῦ παρανομήσαντος παῖδα, καὶ κατήσαντος πίστιν καὶ ὅρκια, φειδὼ, ἆρα βασιλικὸν ἀληθῶς καὶ θεῖον φήσομεν; id est. *Quod si quemadmodum se postea gesserit, audire cupitis, hoc vos minime, vt opinor, ignoratis, eum neque in illius filium acerbius quicquam statuere, neque amicos eius ac necessarios suspectos habere, aut asperius tractare voluisse. Quibus omnibus, quoad potuit, benignum se ac clementem præbuit: etsi quamplurimi calumniari cuperent, & aduersus innocentes homines aculeos distringerent. Itaque cum multi forsitan vere iis, de quibus erant suspecti contra se perpetratis essent obnoxii, æque misericors in omnes fuit, qui quidem conuicti non essent, nec sceleratorum ac perditorum consiliorum societate polluti esse viderentur. Hoc vero quod eius filio pepercit, qui nefarie sese gesserat ac datam fidem & iusiurandum violauerat; non tandem regium esse ac diuinum arbitrabimur?* &c. Imo & Gregorii Nazianzeni quoque locus huc apprime facit, *ep. 158.* vbi pro Eugenio Diacono rogat Procopium, cui οἰκειότης intercesserat cum nefario Regiano, εἰ μὲν οὖν οὐδέν ἐστιν ἀδίκημα ἡ πρὸς τὸν ἀνόσιον Ρηγιανὸν οἰκειότης, οὐ γὰρ ἄλλογε οὐδὲν ἀδικῶν φαίνεται, δι' αὐτὸ τὸ δίκαιον, οὗ σὺ κρατευτὴς καὶ προστάτης, εἰ δὲ ἀδίκημα τοῦτο κρίνει διά γε τὸν θεὸν ᾧ παρέστηκε, καὶ τὴν ἡμετέραν πολιὰν, δὸς παρακαλῶ καὶ ἡμῖν καὶ τῷ κλήρῳ παντὶ ταύτην τὴν χάριν, ἐλευθερώσας τῆς ἐπηρείας τὸν ἄνθρωπον. *Ac si quidem nullum crimen est ea familiaritas, quæ ipsi cum Regiano, homine consceleratо & nefario intercessit (neque enim eum quicquam aliud sceleris admisisse constat) ob ius ipsum cuius tu arbiter & patronus es, si autem id crimen esse censes, certe in Dei gratiam, cui astitit, ac senectutis nostræ causa, hanc quæso gratiam, & nobis & vniuerso clero concede, hominem calumnia liberando.*

De SATELLITVM *Tyranni Gildonis pœna. Honorii lex.*

XIX. (a) Impp. HONORIVS & Theod. AA. Donato (b) Proc. Afric.

SATELLITES (c) GILDONIS, custodiis (d) mancipentur, & proscribtione damnentur. Dat. III. Id. Nouemb. Basso & Philippo Coss. [408.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* vtpote historica & temporaria. *GOTHOFRED.*

(b) *Donatus* Proconsul Africæ sub Honorio. Huic eidem inscribitur hoc ipso anno *lex* 44. *inf. de hæreticis.* Ad eundem extat Augustini *ep.* 127. v. Prosopogr. *ID.*

(c) De iisdem *Satellitibus* agitur Anno 405. *l.* 20. *inf. de bonis proscript.* & *l.* 7. *sup. de metatis*, *A.* 400. & apud Augustinum, *lib.* 3. *contra Cresc. cap.* 11. De Satellitibus Tyrannorum in genere dixi *ad l.* 3. *ad leg. Cornel. de sicar.* & iterum *inf. tit. de bonis proscript. IDEM.*

(d) De custodia & exhibitione reorum fuit *sup. titulus, hoc libro. ID.*

COMMENTARIVS.

GILDO (de quo plenissime actum *l.* 7. *sup. de metatis*: & de quo est insuper *lex* 9. *sup. eod. tit. lex* 16. 19. *inf. de bonis proscript.*) Comes & Magister vtriusque militiæ per Africam integro duodecim annorum spatio (ab Anno Domini 386.) cum siue Tyrannidem in Africa moliretur, siue Africam ipsam Imperio Honorii detractam, Arcadiano Imperio iungere niteretur, magna vi satellitum & consciorum a Stilicone deuictus, Anno Domini 398. mox sua manu strangulatus interiit: vt plenius edisserui ad *d. l.* 7. *sup. de metatis.* Itaque bona ipsius velut hostis publici fisco sociata *d. l.* 7. & 9. *eod. t.* & *l.* 16. 19. *infr. de bon. proscr.* cum longe forent amplissima: qua causa his administrandis suus & peculiaris Comes postea præpositus fuit, de quo dicam ad *l.* 16. *infr. de bon. proscript.*

Par fortuna *Satellitum* ipsius fuit. Nam & in his conquirendis, bonisque eorum vindicandis, & seria admodum, & bene longa multorum annorum opera nauata fuit; adeo vt integro decennio ea in re laboratum, hæc lex fidem faciat, cum ipsa temporum ratione collata; sed & collata cum *d. l.* 7. *supr. de metatis*: & cum *l.* 19. *infr. de bon. proscript.* Nempe, vt non inanis coniectura est, quod hi Satellites ad varia sese latibula contulerant, pœnæ euitandæ, vixque post decennium prodire ausi fuerant, quasi decennali hac præscriptione iam tuti, inter varias Principis occupationes & crebras Iudicum mutationes. Igitur, non obstante decennali ea præscriptione, Satellites hos custodiis mancipari, bonaque eorum proscribi Honorius *h. l.* iubet. Quod cum ita sit, ob hanc quodammodo decennalem præscriptionem, non vltra sæuitum in eorum mortem, solaque custodia & bonorum proscriptione vindictæ & disciplinæ publicæ satisfactum; cum alioquin, quod de ipsis Tyrannis & perduellionis reis pœnarum propositum est, Satellitibus eorum & consciis & ministris imminere soleat, *lex* 3. *supr. ad leg. Cornel. de Sicar.* de quo dicetur rursus *infra tit. de bonis proscript.* Quanquam nec in ipsum Gildonem in mortem sæuitum, vt qui de se ipse statuerit: & Eutropii quoque exemplo liquet, diligenti custodia & relegatione Maiestatis reos per hæc tempora sæpe damnatos.

Sed decennalem cumprimis præscriptionem in specie *huius legis* attendi cupio, vt ita duo scriptorum genera deinceps conquiescant: vnum eorum, quibus *h. l.* lenitudo erga Tyranni Satellites mira hactenus videtur. P. 319. Neque enim audio tentantem, *hac lege* non excludi vltimum supplicium: Ideo enim aiunt illi, iuberi custodiis mancipari, vt postea supplicio affici possint: quod inane est. Nam & eodem exemplo Cæsar Catilinariæ coniurationis participes municipatim diuidendos & custodiendos, publicatis pariter bonis censuit, cum alii vltimam pœnam statui vellent. Longe diuersa igitur, custodiæ mancipari publicatis bonis, & vltimo supplicio destinari. Nempe vel militibus vel aliter custodiendi rei tradebantur, de quo est etiam *l.* 1. *D. de custod. reorum.* Denique res nota est & obseruatio passiua, de hoc custodiæ genere in pœnam & securitatem. Secundo, decennali illo lapsu, eiusque causis ita recte perpensis, sua iam constabit fides *h. l.* subscriptioni, quam quidam alioquin sollicitant, eo quod ante decennium iam Gildonis amentia contusa fuerit. Neque quicquam eos iuuat subscriptio *legis sequentis.* Neque enim mensium ordo in *hoc Codice* semper seruatus, vt in *Proleg. Theod.* dicetur. Tertio hac ratione, concidit Scipionis Gentilis labor omnis, qui satellites Gildonis ideo proscribi tantum & custodiæ mancipari iussos tentat, vel quia Gildo, etsi rebellauerat, non tamen in caput Principis consilium iniuerat cum suis satellitibus: vel quia infinita illa multitudo erat; vel denique quia satellites illi ignari Gildonis consiliorum fuerant: qui tandem etiam male ait, his verbis non excludi vltimum supplicium, vt ideo custodirentur vel proscriberentur, vt supplicio affici possent.

De proscriptis COMITATV *Principis*, VRBISQVE *ingressu arcendis*, *Honorii lex.*

XX. (a) Idem AA. Theodoro P. P. (b)

SI quis ex proscribtorum (c) numero Comitatum nostræ Serenitatis, siue mœnia Æternæ Vrbis, intrauerit, deportatione plectetur. Dat. X. Kal. Octob. (d) Basso & Philippo Coss. [408.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* velut temporaria: Iungenda *huic legi* est, *lex vlt. sup. de testimoniali*: & *lex* 22. *inf. de bonis proscript.* quæ tamen vtraque in subscriptione præfert *X. Kal. Decembr.* Iungenda item *lex* 20. 21. *inf. de bonis proscript.* quarum prior tamen subscriptum habet diem *VIII. Kal. Octob.* posterior diem *VIII. Kal. Nouembr.* Sane argumento conueniunt hæ omnes quinque *leges*: ac maxime argumento conuenit huic nostræ *d. lex vlt. sup. de testimoniali*: & *d. l.* 20. *de bon. proscript.* Iungenda & *lex* 16. *Cod. Iust. si certum petatur*: cui subscriptus dies *XVII. Kal. Nouembr. GOTHOFR.*

(b) *Theodorus* PP. Italiæ scil. sub Honorio, vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Stili-

(c) Stiliconis, Satellitum sociorum scilicet; *h. l.* & *d. l.* 20. 21. 22. *ID.*

(d) An ex *h. l.* emendandus dies earum legum quas coniungendas dixi? an vero viceuersa? non liquet: Forte nihil vbique mutandum: & Argumento satis est, conueniant. *ID.*

COMMENTARIVS.

AD STILICHONIS (de quo plene dixi ad *l. 1. sup. de litorum & itiner. custod.* & ad *l. 20. 21. 22. inf. de bonis proscript.*) Satellites, socios, conscios pertinet hæc Honorii constitutio.

Stilichone videlicet his ipsis consulibus, paulo ante, *X. Kal. Sept.* interfecto, bonisque eius proscriptis, satellites eius cæterique quibus ille vsus erat, quiue eum iuuerant, quique eius nomine suspecti, tum proscripti fuere: atque hi sunt *proscripti illi*, de quibus *h. l.* agitur: itemque *l. 20. infr. de bonis proscript.* quæ huic, si non iungenda, saltem argumento conuenit. Neque tantum proscripti, eorumque adeo bona confiscari iussa: verum etiam vrbis Romæ ingressu, tum etiam eius vrbis, in qua Princeps Honorius hæreret, puta Rauennæ aut Mediolani, *h. l.* interdicti fuere; ne forte calentibus adhuc partium animis, nouas factioni faces illi subderent. Quinimo & Beneficiarii Stilichonis, id est, qui testimoniales emeritæ militiæ suffragio Stilichonis vel eius satellitum meruerant, eiusdem vrbis ingressu interdicti fuere, *l. vlt. sup. de testimoniali, ex Tribun. & Protector.* quæ *huic* nostræ iungenda est: Nempe & ab his Beneficiariis, Tribunorum & Protectorum dignitate auctis Stilichonis beneficio, seu suffragio, haud exiguus metus erat; siue quia beneficio Stilichoni ipsi nexi, siue quia Tribunorum huiuscemodi & Protectorum, si quid moliri vellent, dignitas ansam præberet, de quo plenius *alibi* iam dixi. Breuiter Stilichonis Satellites, & eius Beneficiarii vrbis Romæ ingressu, itemque comitatu Principis interdicti, ne quid rerum nouarum molirentur. Cæteroquin & alii comitatum Principis quandoque ingredi, metu rerum nouarum, prohibiti: Malefici scil. Magi, Mathematici, *l. 6. sup. de Malef.* Nempe quia genus hoc hominum sperantibus fallax, potentibus inimicum, turbidorum animos ad res nouas erigere solet: de quo dictum ad *eam legem* plenius. Alia vero ratione quibus patria sua interdictum, iidem & vrbem Romam ingredi prohibentur, quia scil. Roma communis omnium patria est, *l. 7. §. 15. D. de interd. & releg.* vide & Suetonium *in vita Tiberii Claudii cap. 23.*

P. 320

De HERACLIANI *Tyranni, eiusque Satellitum pœna; Honorii lex: deque iisdem deferendis, bonisque eorum indicandis.*

XXI. (a) Idem AA. Honoratis (b) & Prouincialibus Afric.

HERACLIANVM hostem (c) publicum iudicantes, digna censuimus auctoritate puniri, vt eius resecentur infaustæ ceruices: Eius quoque Satellites (d) pari intentione persequimur. Sed hanc omnibus priuatis (e) atque militantibus licentiam damus, vt omnes prodendi in medium habeant liberam facultatem: nec inuidiam metuat, qui ad publicum deduxerit criminosum; cum illud specialiter caueamus, ne vllus aliquem eorum aut subtrahendum iudicet, aut celandum, neue ex eorum facultatibus, vel deposita deneget, vel accepta non prodat. Dat. III. Non. Iul. Rau. Honorio (f) IX. & Theod. V. AA. Coss.

NOTAE.

(a) Abest & hæc lex *a Cod. Iust.* velut temporaria: Concordat huic legi *l. 13. inf. de infirm. his qui sub Tyrann.* vtraque est de Heracliano, & ex ea subscriptus *huic legi* Consulatus emendandus. GOTHOFR.

(b) De hac *Inscriptione*, mox. *ID.*

(c) De hostibus publicis vide & *l. 7. sup. de metatis*: & *l. 1. sup. de littor. & itiner. custod.* Gildo hostis publicus, *d. l. 7.* Stilicho hostis publicus. *d. l. 1.* Heraclianus, *h. l.* IDEM.

(d) De Satellitibus Tyrannorum & hostium publicorum, vide & *l. 19. sup. l. 19. 20. 22. infr. de bonis proscript. l. 13. sup. ad leg. Cornel. de Sicar. l. 7. sup. de metatis. ID.*

(e) *Priuati & militantes* opponuntur: vide *Glossar. Theod.* & dicta ad *d. l. 3. ad leg. Cornel. de sicar.* IDEM.

(f) Restituendum *P. C. Honorii*, id est A. D. 413. vt & ipsa temporum ratio docet, & insuper subscriptio *d. l. penult. infr. de infirm. his quæ sub Tyran.* quæ huic, si non iungenda, argumento certe omnino conuenit. *ID.*

COMMENTARIVS.

HERACLIANVS, comes Africæ, (vt docet quoque inscriptio *l. 51. & l. 56. infr. de heret.* itemque Orosius *lib. 7. cap. 42.*) qui aduersus Attalum Tyrannum Africam strenue tutatus, & Consulatum Anno D. 413. adsecutus fuerat, nouarum ipse mox in Africa rerum Auctor, retentaque annona Africæ cum septingentis nauibus ad vrbem tendens, mox ad vrbem Romam egressus, occursu Marini Comitis territus, atque Ocriculi primum superatus, mox & in fugam versus, arrepta naue solus Carthaginem rediit, ibique post interfectus est in æde Memoriæ, missis per Honorium persecutoribus; vt testatur Marcellinus *Chronico A. D. 413.* seu in *Lucio Consule*, & Idacius *Chronico*, & in *Fastis Consularib.* & Prosper *eodem Lucio Consule.* Itemque Orosius *d. cap. 42.* Simul & proscriptus vna cum satellitibus suis. Eum vero in finem Edictum hoc Honorii ad Honoratos & Principales Africæ emissum, simile Eutropiano, quod extat *l. 17. sup. h. t.* Edictum inquam ferale: sic enim soliti Princi-

Principes hostes publicos Edictis publicis proscribere.

Quatuor autem huius Edicti sunt sententiæ. Prima, denunciat Honorius se Heraclianum Hostem publicum iudicare, seque iussisse ei caput amputari: de quo more hostem publicum aliquem denunciandi, & aliæ *huius Codicis leges* fidem faciunt, quas superius cumulaui, & alii de eo ex professo scripsere, vt ita scilicet factio concideret. Secunda sententia est, de *satellitibus* Heracliani, quos eadem pœna persequitur, qua ipsum, de quo iam dixi *ad l. 19. supr.* Tertio: delatores Heracliani satellitum euocat, fugata delationis inuidia: quo de more, delatores inquam euocandi publico Edicto, dictum iam alibi fuit, porroque dicetur *inf. de Delator.* & *tit. inf. de infirm. his quæ sub tyrann.* Quarto Receptatoribus eorum, vt & bonorum ad eos spectantium, pœnæ denunciantur: de quo *tit. de his qui latron.* &c. Atque hæc quatuor sunt, quibus Heracliani factionem opprimendam credidit Honorius, puta, Heracliano ipso hoste publico per Edictum publice propositum declarato; vt & satellitibus eius pari pœna indicta. Delatoribus item euocatis: tandem Receptatoribus pœna denunciata. Quæ *huius* est *legis* sententia. Sed & Quinta præterea iussione memoriam eius damnauit, *l. pen. infr. de infirm. his quæ sub tyrann.* vbi dicam de hoc more memoriam damnandi. Ex *hac* interim quoque *leg.* liquet, proscripta Heracliani bona, quæ (vt Olympiodorus apud Photium testatur) reperta ne quidem vsque ad 20. centenaria auri: immobilium vero duorum millium librarum. Quæ postea Constantio Cos. A. D. 414. vno petitorio ab Honorio dona sunt.

Cæterum (quod omittendum non est) emendanda omnino est *huius l.* subscriptio, vt *supra* dixi: eaque referenda ad A. D. 413. non vero ad A. D. 412. tum argumento *d. l. 13. inf. de infirmandis his quæ sub tyrannis:* vbi consulatus ita adscriptus recte *Post Consul. Honorii VIIII.* id est A. D. 413. Et sane quod ostensum fuit, initio Anni 413. consulatum Heraclianus assecutus fuerat, & postea demum sequentibus mensibus in hostem publicum euasit. Non potest igitur *hæc lex* referri ad Annum 412. verum ad Annum 413. qui promiscue notatur *Lucio COS.* vel, *post consulatum Honorii VIIII. & Theodosii V.* vt præter *d. l. penul. inf. de infirm. his quæ sub Tyrann.* docet *l. 176. inf. de Decurion. l. 13. inf. de Scenic. l. 6. sup. de inoff. testam.* & *l. 19. C. Iust. de testam.* & *l. 20. sup. de palat. sacr. largition. l. 16. sup. de Desertor. l. 5. Cod. Iust. de metatis. l. 3. C. eod. de commeatu: l. 10. sup. de metatis:* insuper & Idacius *in Fastis Consularibus.*

P. 321. De DIVTVRNO CARCERE, *vt is exilii indicti vicem habeat Theodosii Iun. lex.*

XXII. (a) Idem AAA. (b) ad Anthemium. (c) P.P.

OMNES quos damnationis condicio diuersis exiliis destinatos metas temporis præstituti in carceris impleße custodia deprehendit, (d) solutos pœna vinculisque laxatos custodia liberari præcipimus, nec vllas exilii postmodum (e) miserias formidare. Sit satis immensorum cruciatuum semel eluisse (f) supplicia, ne qui (g) auræ communis haustu & lucis aspectu diu priuati sunt, intra breue spatium, catenarum (h) ponderibus prægrauati, etiam exilii pœnam sustinere iterum conpellantur. Dat. XIV. Kalend. Maii, Constantio & Constante VV. CC. Coss. [414.]

NOTAE.

(a) *L. 23. C. Iust. eod. titulo. GOTHOFR.*

(b) Male. Inducendum vnum *A.* recte in *Cod. Iust. Impp. Honorius & Theodosius AA. ID.*

(c) Anthemius PP. sub Theodosio Iun. Orientis scil. vide saltem *l. 9. inf. de indulg. debit.* hoc ipso anno; & plene in *Prosopogr. ID.*

(d) *Deprehenderit*, Cod. Iust. *ID.*

(e) Abest hæc vox a *Cod. Iust. ID.*

(f) *Luisse*, C. Iust. *IDEM.*

(g) *Hi qui diu priuati sunt*, ita C. Iust. *ID.*

(h) *Catenarum* ponderibus prægrauati rei criminum in carcere. *ID.*

COMMENTARIVS.

CARCEREM diuturnum, exilii præstituti tempori æqualem, pro ipso exilio cedere seu tempus exilii temporalis reo in carcere agenti currere definit *hac l.* Theodosius Iun. Finge aliquem in exilium per anni tempus Iudicis sententia damnatum, annuum illud tempus in carcere fecisse seu expleße negligentia Officialium sententiam non exequentium? Pœna exilii reus liberabitur, Carcerque pro exilio cedet; ea ratione quæ *hac ipsa lege* redditur, elegantissima & humanissima: Semel scil. pœnam luisse sufficit, si non ipsam, quæ imposita est, vicariam saltem, & quæ vice eius esse potest.

Et hæc quidem est *huiusce legis* species & sententia: Cum qua perperam confunditur *l. 25. D. de pœnis.* Est enim *lex* illa de pœna minuenda, non de pœna vicaria sufferenda. Item non est ea de carcere post sententiam; sed de reatu & carcere ante sententiam. Etsi verum sit, ad pœnam minuendam facere temporis diuturnitatem, quo quis in reatu fuit, & carceris diuturnitatem ante sententiam; de qua pœnæ minuendæ causa vide Tiraquell. *caus. 41.* Qua causa etiam Augustus teste Sueton. *cap. 32. diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina aboleuit.* Falluntur itaque, qui *legem* hanc nostram ad speciem *legis* illius trahunt; Quæ & eo etiam differunt, quod aduersus Officialium negligentiam sententiam non exequentium hæc *lex* lata est: lex vero 25. *D. de pœn.* aduersus negligentiam & improbitatem eorum, qui accusationem non peragerent, sed protelarent.

Errant

Errant quoque Græci interpretes, qui ad hanc *legem* trahunt *l. 24. C. Iust. de pœn.* quæ hoc Codice est *lex 23. prox. inf. hoc ipso titulo*: Lex illa quippe neque est de carcere ante sententiam, vt *d. l. 25. D. de pœn.* neque de carcere post sententiam, vt *hæc lex nostra*; sed de carcere post Pœnam.

Trium interim harum *legum* in vnum coniunctarum hæc sententia esto. Carcerem diuturnum & reatum ante sententiam causam esse quandoque pœnæ minuendæ, carcerem post sententiam & pœnam inflictam, vice pœnæ cedere. Denique carcerem post pœnam iam impletam, omnino prohiberi.

TEMPORE *exilii expleto, nil vltra reum sufferre debere.*

XXIII. (a) Idem AA. Monachio (b). P.P.

RECTORES Prouinciarum conueniri præcipimus, vt hi qui pro (c) suo crimine pœnam exilii sub certo temporis spatio subire decreti sunt, exacto præfinito tempore, nec claustris carceralibus, nec in locis, in (d) quibus exules versati sunt, teneantur. Dat. III. (e) Kalend. Septemb. Eudoxiopoli, DN. Theod. A. VII. & Palladio V.C. Coss. [416.]

NOTAE.

(a) *L. 24. C. Iust. eod. tit.* Iungendaque *h. l.* videtur *l. 182. inf. de Decurionibus.* GOTHOFR.

(b) *Monaxio*, Cod Iust. & Edit. in Quart. Et recte. Videtur enim Idem esse, qui antea fuit *P. V.* quemque memorat Chronicon Alexandrin. *pag. 717. edit. Raderi*, appellatque Μονάξιον ἔπαρχον πόλεως. RITTER.

(c) Vox hæc abest a *C. Iust.* GOTHOFR.

(d) Abest a *C. Iust.* ID.

(e) In *d. l. 182.* VII. ID.

COMMENTARIVS.

P. 322 TEMPORE definita pœna vltra tempus prorogari non debet: & reus veluti tempore exilii expleto neque carcere neque vlteriore exilio vltra detineri. Quod non modo Officialium negligentia, vt in *specie l. superioris*, verum ipsorummet Rectorum & Iudicum impotentia & crudelitate factum, hæc ipsa *lex* docet: Quæ vt ab eius *leg.* specie separanda sit, ad eam dixi.

De pœna eorum qui NAVIVM *conficiendarum peritiam Barbaros docent.*

XXIV. (a) Idem AA. Monaxio (b) P. P.

HIS, qui conficiendi naues incognitam ante peritiam Barbaris tradiderunt, (c) propter (d) petitionem Viri Reuerendissimi Asclepiadis, Cersonesitanæ ciuitatis Episcopi, imminenti pœna & carcere liberatis, capitale, tam ipsis, quam etiam ceteris, supplicium proponi decernimus, si quid simile fuerit in posterum perpetratum. Dat. VIII. Kal. Octob. Constantinop. Monaxio & Plinta Coss. [419.]

NOTAE.

(a) *L. penult. Cod. Iust. eod. tit.* hinc mutilata est: Omisit hanc *l.* Baronius. GOTHOFR.

(b) *Monaxius* P.P. Orientis scil. sub Theodosio Iun. V. *Prosop.* ID.

(c) *Tradiderint*, Cod Iust. RITTER.

(d) *Capitale supplicium proponi decernimus*, ita Tribonianus; reliquis omnibus recisis. GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

IIS qui NAVIVM fabricandarum peritiam, (τὴν ναυπηγικὴν) Barbaros hoc tempore docuerant, atque ea de causa etiam *carcere* tenebantur, per indulgentiam liberatis; eos qui deinceps id fecerint capitali supplicio affici *h. l.* iubet Theodosius Iunior, An. D. 419.

Hostes scil. in commune iuuare vetitum iis rebus, *quibus instrui, firmioresque reddi possunt*, ἃ συγκροτεῖν αὐτοὺς μέλλει καὶ βιαιοτέρους ἀποτελεῖν. Leo *Nouella 63.* veluti, commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliaue qua re; *l. 4. D. ad leg. Iul. Maiestatis*: commeatu, puta frumento, sale, vino, oleo, liquamine; *l. 1. C. Iust. quæ res exportari* vt & larido, Theodoricus *apud Cassiodorum II. Var. 12.* armis aut telis, *l. 2. C. Iust. quæ res exportari*: (quæ lex elegantissima est) auro, *l. 2. C. eod. de commerc.* vt & vino; notum enim id quod de Gallis & Longobardis memoriæ proditum est; de quo egit quoque peculiari capite Alciatus *4. disp. 11.* materia item ad nauium fabricationem apta: de quo dixi iam aliquammulta, ad *l. vlt. sup. de litor. & itin. custodia.* Quæ omnia iam notissima congerit simul & explicat Menoch. *de arbitr. c. 455.* His adde nunc & nauium fabricandarum peritiam ex *h. l.* Nam & ipsi quondam Romani

maris

maris Imperium quod penes Carthaginienses erat, nauium fabricandarum ante incognitam sibi peritiam nacti, sibi mox vindicauerunt, vt testatur Polybius *lib. 1. pag. 20. 21. edit. Casaub. Paris 1609.*

Aperta igitur huius prohibitionis ratio: Sed enim vt ad hypothesin & historiam *huius leg.* descendamus huic prohibitioni, in sp. *huius l.* causam præbuere hac tempestate nonnulli e Romanis, qui nauium fabricandarum peritiam Barbaris tradiderant; maximo procuIdubio rei Romanæ detrimento. Quomodo & alias armorum fabricandorum artem transfugæ Barbaros edocuere: cuius rei exemplum vetus extat apud Herodianum in rebus Seueri, *l. 3. c. 4. in fin.* Patem igitur nunc huius *legis* promulgandæ occasionem habuit Theodosius Iun. quod nonnulli incognitam ante peritiam naues conficiendi Barbaris tradiderant: vbi per *Barbaros* accipio, non Persas, etsi cum his res fuerit hoc tempore Theodosio Iun. verum Scythicas (quod ferme malim) Ponticasque gentes, seu nationes: Argumento *Chersonesitanæ ciuitatis* Episcopi, de quo mox. Et capitalem pœnam id facientibus in posterum minitatur, indulgentia seu venia data his, qui antea id fecissent: Idque ad petitionem, seu intercessionem *Asclepiadis Episcopi* ciuitatis Chersonesitanæ: Vt cæteroquin hoc sæculo Episcoporum intercessiones frequentes ratæque ferme erant, de quo plena manu dixi *hoc ipso titulo, supra.*

Quis autem hic *Asclepiades?* & quænam hæc *Chersonesitana* ciuitas fuerit? videndum est: Quod *Asclepiadem* attinet, hunc eundem existimo cum Asclepiade, qui duodecim post annis Trapezopolitanus vocatur in Actis Concilii Ephesini, cui is subscripsit: Vid. *Concil. Ephes. Part. I. cap. 24. pag. 1352. Tom. I. Concil. edit. Harduin.* It. *Act. 1. Concil. Ephes. pag. 1430. edit. cit.* & *action. 6. pag. 1530. edit. cit.* vt proinde e Chersonesitana Trapezopolim postea translatus is videatur.

Quod *Chersonesitanam* ciuitatem spectat, cum plures Chersonesi vrbes fuerint, accipiendum id, vel de Scythica seu Taurica Heracliensium Ponticorum colonia: vel, quod malim de Thracica. Certe Chersonesitani Episcopi, *Euphratæ*, fit quoque mentio in Actis Concilii Chalcedonensis, *Cod. Encyclio, in epist. ad Leonem Imp. 40. p. 768. Tom. II. Concil. edit. Harduin.* vt & *Petri*, Ep. Chersonensis, qui subscripsit pro Cyriaco Heracleæ Thraciæ *in fin. action. I. Concil. Chalcedonens. pag. 271. Tom. II. Concil. edit. cit.* Nempe vicinus hic Episcopus Scythicis gentibus apud Theodosium Imper. intercessit, pro his qui gentes illas τὴν ναυπηγίαν docuerant. Ex *hac* interim *lege* colligat quis Scythicas siue Ponticas gentes ad hoc ævi ferme τὴν ναυπηγίαν ignorasse: cum tamen legamus in Ponto magnam lignorum seu materiæ naualis copiam fuisse, ξύλων ναυπηγησίμων εἰς τὴν κατασκευὴν παμπόλλη ἀφθονία ἦν, teste Arriano *in Periplo maris Pontici pag. 117. edit. Blancardi Amstel. 1683.* vid. & Xenoph. *lib. 6.* & Strabonem *lib. 12.* vel certe vt maxime Scythicæ Ponticæque etiam gentes τὴν ναυπηγικὴν calluere; attamen [quo forte hæc *lex* respicit] non eam quam recentior hoc æuo vsus repererat. Auctor enim est Vegetius, horum temporum scriptor: *extremo de re militari: In Lusoriis Danubii artis amplius recentiorem vsum inuenisse, quam vetus doctrina monstrauerit.* P. 323. Et certe putem ego hanc *legem* pertinere ad Lusorias Danubii, in Scythico & Mysiaco limite: de quibus fuit *tit. 17. sup. lib. 7.*

Ex his iam patet, quam *egregie hac lege* Annales Ecclesiastici augeri instruique deinceps possint, & quidem Theodosii Iun. temporum: Ex ea quippe tria eo pertinentia discimus. 1. *Intercessionis* videl. Episcoporum apud Principes tum vsum vimque. 2. *Asclepiadis* Episcopi memoriam 3. *Chersonesitanæ* Ecclesiæ & Episcopatus mentionem.

Quod *politicam* attinet; continetur hac lege *Arcanum Imperii*, ne quis Barbaras gentes ναυπηγίαν docuisse velit: nam & hoc ipso, vt dixi, Romani terrarum potiri cœperunt; de quo Polybius.

Patet & hinc fugitiuam hanc legem esse, alienoque loco positam, *vtroque Codice* sub *tit. de pœnis:* nisi quod obiter ea pertinet ad *pœnam*, Barbaros ναυπηγίαν docentium; exemplumque continet *pœnæ condonatæ* in gratiam & ad intercessionem Episcopi.

Tandem ex *hac l.* dictisque ad eam apparet, quam multa ad iustam interpretationem *legis penult. Cod. Iust. eod. tit. de pœnis*, quæ hinc alioquin recisis Historicis desumpta est; accedere deinceps possint.

NE SINE IVSSV PRINCIPIS CERTIS* IVDICIBVS LICEAT CONFISCARE.

TITVLVS XLI.

Lib. IX. Cod. Ivst. Tit. XLVIII.

* Puta Rectoribus Prouinciarum, seu Moderatoribus.

I. (a) Imppp. Theod. A. & Valentinianus, Cæs. ad Hierium P. P. (b)

Nulli Iudicum (c), exceptis his qui in summa Administrationis sunt positi potestate, vitæ (d) quoque noxiis ius adimendæ fortiti sunt, quemquam omnino inconsulta Nostra Clementia in vllo genere criminationis (e) tristi liceat proscribtionis tempestate percellere. Ad nos simulationum (f) genera, quæstionis ordo, criminum moles, docu-

documentorum probationumque pensanda libramenta mittantur. Nemo sibi præsumat Moderatorum, prouinciarumque Rectorum, sub quibuscunque infulis (g) potestatis, quemquam patrimonii vniuersis (h) priuare subsidiis. In illos gladii (i) sui & ius seueritatis (k) exerceant, in quos statim destringi ferrum iura præcipiunt, quorumque differri (l) supplicium, materia est interitus plurimorum. Dat. X. Kalend. Febr. Constantinop. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. Coss. [425.]

INTERPRETATIO. *Nullus Iudicum priuatas facultates fisci nomine proscribere aut occupare præsumat, sed ad rerum dominos referat causam, pro qua hoc aliquis mereatur, & quod iussum fuerit, obseruetur.*

NOTAE.

(a) *Lex vn. C. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est; resecatis inter alia duabus posterioribus sententiis, seu versiculis: puta *vers. ad nos:* & *vers. Nemo.* GOTHOFREDVS.

(b) *Hierius* PP. Orientis scil. sub Theodosio Iun. vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Iudicum*, id est, Moderatorum, Rectorum prouinciæ: vt vers. *Nemo.* Propria hæc *Iudicum* significatio. vid. *Gloss. Theod.* IDEM.

(d) Hæc sententia abest a *Cod. Iustin.* quæ tamen hic necessaria; mox vt ostendam. ID.

(e) *Criminationis*, id est, Accusationis criminis. ID.

(f) Simulationum, pro *insimulationum*, id est, criminationum, accusationum: *hic*, & apud Symmachum *lib. 7. ep.* 99. 128. & apud alios: vid. Iuretum ad *d. ep.* 128. ID.

(g) Vid. *leg. vn. in fin. infr. de sent. pass.* ID.

(h) Etsi Proconsules & Proconsularibus infulis decorati. ID.

(i) *Gladii ius*, hic, & *l.* 74. *inf. de Decurionib.* de quo plura monere nil attinet: vid. Cuiac. plenissime *lib.* 21. *Obseruat. cap.* 30. Cuiacius 21. Obseru. 30. inuertit ita: *Gladii sui ius & seueritatis.* Quo nil opus. Plura sunt exempla *hoc Cod.* inuersæ ita locutionis: sic *l. 7. inf. de hæreticis: aditæ per quamlibet successionis formam conlatione*: pro, *aditæ successionis per quamlibet formam.* ID. Sichardus hic legit: *Nullus gladii sui & ius seueritatis coërcet, in quo statim* &c. RITTER.

(k) *Seueritatis* appellatione quid hic veniat? mox dicam. GOTHOFRED.

(l) De accelerando supplicio, vid. *l. 4. sup. de pœnis*: & quæ *ibi* dixi. ID.

p.324

COMMENTARIVS.

CONFISCANDI, PROSCRIBENDI ius hac Theodosii Iun. constitutione, Iudicibus seu Rectoribus prouinciarum omnibus μικροῖς ἄρχουσι, vt recte Græci; quod antea competebat (vt docet vel *lex 3. infr. tit. prox. de bonis proscript.*) etsi ius Gladii habentibus, adimitur: vice versa, Maioribus Potestatibus relinquitur, quibus vitæ noxiis adimendæ ius est. *Iudicibus*, inquam, id est minoribus, quibus statim *initio legis* opponuntur, *in summa administrationis potestate positi*: & apertius adhuc *versic. Nemo*, designantur. *Moderatores & Rectores prouinciarum*: quod & alioquin sola *Iudicum* appellatione significari solet; *Iudicum* enim appellatio Moderatores & Rectores Prouinciarum ordinarios signate complectitur. De hoc vero confiscandi iure Præsidibus denegato videri quoque possit Gregorii Nazianzeni locus ad Nemesium Cappadociæ Præsidem *Ep. 183.* Verum non ita est, vt alibi probo.

Omnibus autem istiusmodi Iudicibus & Rectoribus Prouinciarum confiscandi ius adimitur, quibuscunque infulis potestatis decorati sint; id est non tantum Clarissimis; verum etiam, si recte accipio, *Spectabilibus*: Nonnulli scilicet Prouinciarum Moderatores Spectabiles erant, eorumque titulus vel dignitas & autoritas inter Rectores Prouinciarum eminebat: cuiusmodi erant Præfecti Ægypti, & Proconsules. Vt hæ dignitates similesque inter cæteras Prouinciales eminebant (de quo alibi plenissime dixi) ita horum propriæ *Infulæ* dicebantur; sic quidem etiam, vt extra ordinem quandoque nonnulli harum Dignitatum titulis & infulis ornarentur: de quo extant aliquot insignes loci apud Histor. Aug. Scriptorem Spartianum *in Hadriano, cap. 6. Martium*, inquit, *Turbonem post Mauritaniæ Præfecturam, infulis ornatum, Pannoniæ Daciaque præfecit.* Recte enim habet hæc interpunctio. *Infulæ*, proprie sunt *Insignia Consularia.* Denique hoc vult Spartianus, Turbonem posteaquam Iudex & Mauritaniæ præfuisset, tum demum ab Hadriano ornamentis Consularibus auctum, & Pannoniæ Daciæque simul Præfectum. Ita rursum idem Spartianus ait *c. 8. Tatianum ex Præfecto Prætorii ornamentis Consularibus præditum.* Ita rursum idem *c. 7.* scribit, *Daciam Turboni creditam, titulo Aegyptiacæ Præfecturæ, quo plus autoritatis haberet, ornato.* Hinc igitur liquet, & Proconsules & Præfectos Ægypti inter cæteros Rectores Prouinciarum eminuisse, & his proprie *Infulas* tributas. Et his tamen ipsis, non minus quam cæteris, confiscandi ius *hac lege* adimitur, vt maxime vtrique ius gladii haberent, quod notissimum: non ex *hac* tantum *lege*, verum etiam ex *l. 6. D. de offic. Proconf. L. 6. §. 8. D. de offic. Præs. l. 70. D. de R. I.* id est merum imperium, quod Symbolo *Gladii* denotabatur, vt docet *l. 5. D. de Iurisdict.* Statius *Syluar. V. 2. ad Crispinum v. 176.*

Felix qui magno iam nunc sub Præside iuras,
Cuique sacer primum tradit Germanicus Ensem.

Vbi Statii hæc sententia est, iturum in Prouinciam Præsidem sub Cæsare iurasse, eique Gladium traditum. Vt proinde merum imperium nihil aliud sit, quam *Gladii potestas*: & vero recte a IC. definitur; quicquid Alii contra sentiant. De cætero videndus est Cuiacius de iure Gladii *lib. 21. Obs. 30.* & Interpretes ad *d. l. 70. de R. I.*

Non ilico igitur hoc iure qui Gladii ius habet, & confiscandi ius habet. Nempe quod a Cuiacio elegantissime obseruatum, argumentum a maiore ad minus hac parte non semper valet: Neque ilico, cui merum imperium concessum est, & omnia eidem, quæ meri imperii sunt, relinquuntur. Ita pariter

riter Præsides, de quibus *h. l.* agitur, cum ius gladii haberent, & in metallum damnandi, ius deportandi tamen non habebant, nisi Princeps, cui scribere debebant, sententiam eorum approbasset; *d. l. 6.* §. 8. & *l. 6.* §. 1. *de interdict. & releg.* & *l. 2.* §. 1. *D. de pœn.* quam vtique deportationem alioquin confiscatio seu publicatio omnium bonorum sequebatur; *l. vnic. de senten. pass. & restitutis.*

Possunt itaque Rectores Prouinciarum ius Gladii sui exercere, ferrumque distringere in reos, eosque supplicio capitis afficere. Rationem differentiæ hæc *lex* ipsa suggerere videtur, nempe in scelerosos & reos ferrum statim distringi publice interest, eorumque differri supplicium, materia est interitus plurimorum. Prærupta hæc scelera, crimina, vt statim Præsides vindicare possint, publicæ salutis interest, ne si alioquin aut supplicium differatur, aut eius inferendi Præsidi ius denegetur, scelerati elabantur, & factiosis licentia crescat; de quo plenissime dixi ad *l. 4. sup. de pœnis.* Atenim proscriptionem alicuius paulo momento differri, vel etiam deportationem, interea dum aut Princeps consulitur, aut maior potestas, publica vtilitas non ideo læditur. Quid quod non tam facile bonorum proscriptio concedi debuit Præsidibus Prouinciarum, qui vt sæpius, bona huiuscemodi cum gemitu propinquorum in sinum suum vertebant, deque facili ad bonorum proscriptionem, spe imminentis compendii, descendebant: quæ omnino huiusce *legis* ratio fuisse videtur.

Ex his interim quæ *hac l.* dicuntur generaliter de Rectoribus & Moderatoribus prouinciarum quibuscumque, atque adeo & de Spectabilibus, apparet, non admittendam Viri alioquin doctissimi sententiam distinguentis inter Rectores qui vniuersas prouincias regebant, & qui diuisas prouincias; Omnibus enim licet gladii ius habentibus confiscandi ius hic adimitur: *Nemo sibi præsumat &c.*

Cæterum, quæ secunda Ampliatio *hac l.* continetur, vt nullis Rectoribus Prouinciarum, ita in nullo genere criminis hæc licent. Sunt enim hæc *huius legis* verba peremptoria: *In vllo genere criminationis*, vt proinde non possim probare Ioannis veteris Interpretis sententiam, quam tamen Cuiacius quoque probabat, existimantis, Rectorem Prouinciæ posse per consequentiam tacite, inconsulto Principe, bonorum confiscatione vti, si videl. vitam alicui adimat, aut libertatem simul ac ciuitatem: Quomodo scil. in iure exempla sunt, quibus quod expressum est non valet, & tacite tamen id recte fit. Quæ sententia probari non potest; imo enim hæc *lex* apertissime ostendit, quamlibet Rector Prouinciæ ius gladii exercere possit, possit *seueritatem exercere*, id est, possit pœnas ordinarias exercere, vitæ ademptionis, relegationis, in metallum damnationis, in quibuscumque tandem criminibus, quocunque tandem genere pœnarum, quarum alioquin de iure consequens est bonorum proscriptio; attamen Rectoris ius omne stare intra terminos pœnæ infligendæ, bonorum proscriptionem arbitrio Principis relinquendam & reseruandam: & sic pœna ipsa a proscriptione diuellitur & separatur, sic vt illa Iudicem habeat Rectorem, hæc Principem Cognitorem. Et alioquin, si sententia Iohannis obtineret, fraus facile huic legi fieret, cui fraudi Theodosius occursum voluit, peremptoriis illis verbis, quæ antea expendebam. Quibus similes sunt formulæ cumulatæ magna animi & voluntatis enixæ ostensione *duobus versic. seqq. vers. Ad nos; vers. Nemo.* P. 325.

Et hæc quidem de Rectoribus Prouinciarum. Contra Confiscationis ius tribuitur *hac lege*, vel relinquitur his, qui in summa administrationis positi sunt potestate, quique vitæ quoque noxiis ius adimendæ sortiti sunt; Quibus verbis Græci & in his Basilicorum Interpretes, *libro 60. tit. 67.* recte viderunt indicari *Præfectos Prætorio, & Magistros* (militum scil.) Nempe hi in summa administratione positi erant, de quo *propriis capitibus* egimus. Neque satis est in summa administrationis potestate positos eos esse, verum necesse est præterea (quod tamen Tribonianus perperam omisit,) vt *sortiti quoque sint ius vitæ noxiis adimendæ*, quibus verbis excluduntur summæ alioquin aliæ Illustres potestates, pares Præfectis Prætorio, vel Magistris militum, puta *Quæstores, Comites Largitionum, Magistri Officiorum.* Nam etsi & hi in summa administrationis positi essent potestate, atque Illustres, vitæ tamen noxiis adimendæ ius non habebant.

Multo magis excluduntur (contra quam Cuiacio visum fuit,) *Vicarii Præfectorum Prætorio.* Nam tantum abest his confiscationis ius competierit, quod Proconsulibus non competiisse ostendimus, vt contra Vicarii Proconsulibus fuerint inferiores, vt vel ex *Notit. Imp.* liquet, & infinitis *huiusce Cod. legibus.* Neque Cuiacii sententiam iuuare potest *l. 1.* §. 4. *D. de leg. 3.* Nam præterquam quod deportationis tantum eo loco mentio fiat, cuius imponendæ ius cognoscentibus vice Præfecti *ea lege* tribuitur, a quo iure deportationis confiscatio *hac lege* separatur; Sane qui *ea lege* dicitur *cognoscere vice Præfecti ex mandatis Principum*, non est Vicarius Præfecti Prætorio, cuiusmodi nullus fuit Vlpiani temporibus, sed tantum a Diocletiani seculo, (cui videlicet vnica Diœcesis e pluribus sub Præfecti Prætorio administratione positis delegata erat:) Verum is est, qui Præfecto Prætorio nondum constituto interea dum aliquis institueretur, vice Præfecti ex mandato Principis cognoscebat, quod longe diuersum est a Vicariis. Nam & ita *hoc ipso Cod. Theod.* nonnulli vices Magistrorum militum agere dicuntur, vt in *l. 1. infr. de Venat. ferar.* cum tamen certum sit, Magistros militum nullos habuisse Vicarios: Atque huiuscemodi quoque est is, qui in *l. 1. D. de tutor. & curator. dat.* dicitur temporis causa Præside defuncto Prouinciam obtinere, atque hoc discrimen ostendit quoque *titulorum Cod. Iust.* diuersitas, *de offic. Vicarii:* & alterius *de offic. eius qui vicem alicuius Iudicis vel Præsidis obtinet*, in cuius *tit. l. 1.* dicitur *Vice Præsidis Prouinciæ administrare: in l. 2.* dicuntur *præceptione principali &c. tueri locum Rectorum Prouinciarum.*

DE

DE BONIS PROSCRIPTORVM, SEV DAMNATORVM.

TITVLVS XLII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. XLIX.

Nouella Maioriani 7. *De bonis Caducis siue proscriptorum.*

Des Forfaitures & Confiscations.

PARATITLON.

BONA *Rubr. l.* 11. 12. 13. 17. 19. 23. *h. t.* V. & Symmachum *lib.* 3. *epist* 73. corpora, *l.* 3. *h. t.* facultates, *l.* 5. 17. 18. 21. 23. *h. t.* fortunæ, *l.* 20. *h. t.* hæreditas, *l.* 2. *h. t.* possessiones, *l.* 16. 19. *h. t.* res, *l.* 3. *h. t.* substantia, *l.* 6. *h. t.* successio, *l.* 2. *h. t.*

Proscriptorum, *Rubr.* & *l.* 5. 12. 13. 17. 18. 20. *h. t.* qui nominatim stilum proscriptionis incurrerunt vel exceperunt, *l.* 7. 15. *h. t.* quibus proscriptio inflicta est, *l.* 24. *h. t.* pro qualitate criminis, *l.* 3. *h. t.* pro qualitate delicti, *l.* 7. *h. t.* pro atrocitate commissi, *l.* 11. *h. t.* ob crimen, *l.* 1. *h. t.* item ob fiscalem actum, *l.* 1. *h. t.* Damnatorum, *Rubr. l.* 23. & *l. vlt. h. t.* capite, *l.* 4. *h. t.* gladio, aliaue qua pœna vitam adimente, *l.* 2. *h. t.* supplicio affectorum, *l* 9. *h. t.* qui viuendi sententiam passi, *l.* 3. *h. t.* qui pro suis criminibus meruere puniri, *l.* 23. *h. t.* qui publicam videntur excepisse sententiam, *l.* 17. *h. t.* deportatorum, *l.* 8. 17. *h. t.* latronum, nefariorum, aut huiusmodi sceleribus inuolutorum, *l. vlt. h. t.* fisco addicebantur, *l.* 23. *h. t.* adnectebantur, *l.* 12. *h. t.* fisci nomine eripiebantur, *l.* 13. *h. t.* fisco locus fiebat, *l.* 2. 3. *h. t.* fiscalibus corporibus sociabantur, *l.* 11. *h. t.* fiscali dominio vindicabantur, *l.* 4. *h. t.* ærario Principis accedebant, *l.* 10. *h. t.* ad Principis ærarium deuoluebantur, *l.* 16. *h. t.* largitionibus Principis copulabantur, *l.* 20. *h. t.* rei priuatæ publicatione quærebantur, *l* 3. *sup. vnde vi.* scilicet ea quæ post reatum in eorum patrimonio sunt, non ante alienata *l.* 1. *h. t.* etiam alienata, donataue ab his post reatum, *d. l.* 1. etiam aliena ab iis possessa, si intra tempus ea domini non P. 326. vindicarent, *l.* 14. *h. t.* Ideoque & canonem fructusque eorum præteriti temporis actus procuratores, quos penes se haberent, præstare tenebantur, *l.* 16. 20. 21. *h. t.* Non tamen & vxoris bona, filiorumue, aut in hos ante reatum collata, *l.* 1. 15. *h. t.*

Porro fisco incorporabantur proscriptorum bona seu damnatorum diligente indagine facta, *l.* 3. 7. 11. *h. t.* de quo *infra suo titulo lib.* 10. quandoque quæstione habita, *l.* 18. *h. t.* Titulis affixis prædiis eorum, *l.* 11. 20. *h. t.* Occultatoribus eorum grauiter punitis: *l.* 5. 7. *in f.* 18. 19. 20. 21. *h. t.*

Non omnia tamen neque promiscue proscriptorum vel damnatorum bona fisco quærebantur: sed sub hac moderatione: Nam si liberi, aut parentes, fratres sororesue damnati essent, pro parte, vel etiam in totum bona his adquirebantur: de quo vide *l.* 2. 4. 6. 8. 9. 10. 23. & *vlt. h. t.* excepto Maiestatis crimine, *d. l.* 2. & 10. *h. t.* & Magiæ, *d. l.* 2. *h. t.* Aliquando & Principis beneficio bona damnatis eorumue hæredibus reddebantur, *l.* 12. 13. 17. *h. t.* vid. & *l.* 1. 2. *inf. de conlat. donatar.* Petere certe ea intra biennium, a damnatione non licuit, etiam ob eam causam, *l.* 17. *h t.* de quo *inf. suo titulo, de petitionibus.*

Proscripti porro Tyranni publicique hostes *hoc titulo* sequentes vel diserte nominantur vel indicantur: TATIANVS, *l.* 12. 13. *h. t.* RVFINVS, *l.* 14. 15. *h. t.* GILDO, *l.* 16.-19. *h. t.* EVTROPIVS, *l.* 17. *h. t.* MARCHARIDVS, *l.* 18. *h. t.* STILICHO, & EVCHERIVS F. eius, *l.* 20. 21. 22. *h. t.* De quorum etiam Satellitibus idem quod de ipsis constituitur, *l.* 19. 20. 22. *h. t.* & *l.* 19. 21. *sup. de pœnis. vid.* & *leg.* 3. *sup. ad l. Corn. de sicar.*

CONSTANTINI M. *lex, de* VXORIBVS *&* LIBERIS *proscriptorum, fiscalium item interuersorum, & Cæsarianorum, quid eis relinqui voluerit.*

I. (a) Imp. Constantinus A. Petronio Probiano. (b)

RES *Vxoris,* (c) quæ vel successione qualibet, (d) vel emptione, (e) vel etiam largitione (f) viri, in eam ante reatum (g) iure peruenerant, damnato (h) marito inlibatas (i) esse præcipio, (k) *nec alieni criminis infortunio stringi* (l) *vxorem:* Cum, paternis, maternisue, ac propriis (m) frui eam integro (n) legum statu (o) religiosum sit: Et (p) donatio marita-

 lis

l is ante tempus criminis ac reatus conlata in vxorem, quia pudicitiæ præmio cessit, obseruanda est, (q) tanquam si maritos eis (r) natura non pœna subduxerit: capacitatis (s) priuilegio videlicet & modo inspecto, vt consideretur, quid capere potuit. * Si quid etiam n *Emancipatos liberos* ante tempus criminis ac reatus patrem contulisse claruerit, integrum hisdem & citra inquietudinem reseruetur. Quod vero nec vxor, nec emancipati liberi potuerint vindicare, captum & incorporatum (t) ita ad me referri specialiter censeo, vt illud quoque addatur, *Vtrum filios habeat, qui damnatus est:* simulque adIciatur, *vtrum idem* (v) *apud se ex causa donationis aliquid vindicarint.* Sed * in his, qui *fiscalibus actibus nexi* sunt, & pro ratiociniis proscribuntur & condemnantur, placuit, si quid proprium vxor habuit, (x) vel a marito datum in quantum capere potuit ante initium (y) actum, ex quo origo fraudis ac vitii in iudicium deducta est: si quid deinde in emancipatos filios donatione conlatum, (z) ante, quam (aa) orto nexu, suffugium potius, quam munificentia, fraus-que (bb) temptetur, intemeratum aput accipientium iura persistere, nec quicquam fisco in qualibet causa teneatur obnoxium, nisi quod in dominio proprio cum obligari ortus (cc) est, habuit, (dd) vel quod agens tam suo, quam vxoris, vel filiorum, vel cuiuscumque præterea nomine comparauit. (ee) Exceptis * dumtaxat *Cæsarianis,* (ff) qui ab omni iuris beneficio excluduntur, nisi probata a me purgataque (gg) ratiocinia fuerint, vt quod innoxie habuerint, transmittendi copiam habeant. Dat. III. Kalend. Mart. Serdicæ, Crispo II. & Constantino II. CC. Coss. [321.]

NOTAE.

(a) *Lex 24. Cod. Iust. de donat. intr. vir. & vxorem, ex prima huius legis* parte desumpta est: reliquis ad *titulum de Bonis proscriptorum,* reiectis: Idem tamen non adeo bene ἀποσπασμάτιον illud sub titulo *de donat. int. vir. & vx.* retulit: quandoquidem latius porrigitur ad omnes res vxoris: & posterior tantum eius pars eo pertinet. Concordat autem *huic l.* in aliquammultis, *lex 15. inf.* GOTHOFR.

(b) *Petronius Probianus* sub Constantino M. eidem inscribitur *lex 5. & 6. inf. de appellationib.* A. D. 316. Sane Anno 315. Probianum Proconf. Afr. reperio *l. 3. inf. de appellat.* ad quem rescriptum refert quoque Augustinus, *lib. 3. contra Cresconium, c. 70.* In hunc est Symmachi Patris Epigramma *in Auctar. Symmachian. ep. 1. pag. 299. edit. Paris. Iureti de anno 1604. in 4.*

PETRONIVS PROBIANVS.

Iactet se fortuna aliis, quod iudice nullo
Lucem ad Romuleam sua sola licentia vexit.
Te Probiane pudor, te felix gratia, teque
Itala simplicitas morum & solertia iuuit:
Quocirca adsiduus Augustis notus & hospes
Præmia magnorum tetulisti dignus honorum.

P. 327 Auctor de Præfectis V. R. notat hunc Petronium Probianum fuisse Præfectum vrbi A. D. 329. & 330. In qua dignitate constitutus fuerit *huius l.* tempore, Anno inquam 321. non satis liquet. *IDEM.* Cod. Iust. *Probino.* *RITTER.*

(c) PRIMA *legis* pars, de Proscripti VXORIS & LIBERORVM rebus. *GOTHOFRED.*

(d) Paterna, materna, *vers. cum paternis,* inf. *ID.*

(e) Hæc propria. *ID.*

(f) Donatio maritalis. *ID.*

(g) Ante tempus criminis & reatus. *ID.*

(h) *Ac mortuo ex pœna marito, vel in seruilem conditionem ex pœnæ qualitate deducto.* Hæc addita a Compositoribus *Cod. Iust.* Nempe idem in seruitute pœnæ obtinet, quod in morte ipsa naturali, & morti seruitus comparatur; *l. 32. §. 6. D. de donat. int. vir. & vxor.* Aliud enim est in seruitute priuati, *d. §. 6. ID.*

(i) Id est, firmas, non autem integras & immunes a *L. Papia; versic. capacitatis, infr. & vers. sed in his:* item non immunes a lege Falcidia, *l. 12. Cod. Iust. ad leg. Falcidiam. ID.*

(k) Rationes nunc sequuntur superiorum. *ID.*

(l) *Adstringi,* C. Iust. male: *Stringi,* est perstringi, constringi. *ID.*

(m) Id est, quæ emptione ad vxorem peruenerunt, vt initio legis. *Proprium est, quod quis mercatur & ære. ID.*

(n) Integra, absque diminutione, vt infra, *integrum & citra inquietudinem. ID.*

(o) *Statuto,* Cod. I. *RITTER.*

(p) Ratio, cur donatio maritalis penes vxorem remaneat marito proscripto. *GOTHOFR.*

(q) *Sit,* Cod. Iust. Sed hoc quoque rectum. *IDEM.*

(r) *Si maritum eius,* Cod. I. *RITTER.*

(s) *Capacitatis priuilegium,* id est, in quantum capi potest per leges. Porro *hic versic. a Cod. Iust.* resecatus est, aliaque sententia subiecta propter leges *Decimarias* sublatas. *GOTHOFR.*

* *Legis 9. Cod. Iust. de bonis proscript. paragraphus primus* hinc desumptus est. *ID.*

(t) *Captum a publicis personis* &c. Ita *C. Iust. d. leg. 9. §. 1.* Loco *incorporatum. ID.*

(v) Pro

(v) Pro *iidem*: vt C. *Iust.* *ID.*

* *Secunda* pars *h. l.* de *Debitoribus fisci* & fiscalibus ratiociniis nexis. Quæ extat *l.* 9. §. 2. *C. Iust. de bonis proscript.* *ID.*

(x) *Habuerit*, C. Iust. *ID.*

(y) *re. Initum actum*: in *C. Iust. initium actus.* *ID.*

(z) *Conlatum est*, C. Iust. *ID.*

(aa) *Antequam crimen oriatur, intemeratum*: ita *C. Iust.* omissa elegantissima ratione quæ hic continetur. *ID.*

(bb) *Suffugium frausque*, ita hæc cohærent. *IDEM.*

(cc) *Ortus est*, id est, *cœpit*: vt Compositores *C. Iust.* hoc immutarunt. *IDEM.*

(dd) *Habuerit*, C. Iust. *IDEM.*

(ee) *Comparauerit*, C. Iust. *IDEM.*

* *Tertia* pars *legis*, *de Cæsarianis*: quæ pariter continetur *d. l.* 9. §. 2. *in fin.* *ID.*

(ff) Cod. Iust. *Cæsarianis vel Catholicianis.* *RITTER.*

(gg) *Purgata*, id est, putata: vt *l.* 31. §. 3. *de negot. gest.* Suetonius *Caligula, cap.* 29. ἐκκαθάρσει λογισμῶν Græcis. *ID.* Vide hic CVIACIVM *Obseruat. lib. XI.* 9. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. hæc æquabilis constitutio est, de bonis tum proscriptorum, tum fiscalium debitorum. Quænam, inquam, horum bona VXORIBVS & LIBERIS eorum emancipatis relinqui voluerit. 1. DE REIS, seu de proscriptis agit Imperator. Igitur cum antea reorum proscriptorum bona ab Vxorum, Liberorumque emancipatorum bonis minus secernerentur, quin omnia in Fiscum promiscue, indiscrete, cogerentur: Rursum cum liberis extantibus, bona proscriptorum nulla prorsus eorum ratione habita ex veteri *Leg. Cornelia* præscripto confiscarentur: Vtrique huic malo *h. lege*, occurrendum Constantinus Imperator putauit. Primum itaque res vxoris & liberorum emancipatorum a bonis proscripti distingui vult: & quænam illa bona sint, explicat; hac summa ratione; *quod alieni criminis infortunio nemo stringi debeat:* vel vt loquitur *l.* 15. *infr. quod tam longe vnusquisque a metu ac pœna abesse debet, quam alienus a crimine est:* addatur & similis *l.* 18. *supra de pœnis.* Nempe hæc tria rebus vxoris connumerari vult Constantinus M. 1. Quæ successione qualibet (paterna forte vel materna, vt docet *vers. cum paternis:*) ad eam peruenerunt. 2. tum deinde propria quæ emptione consecuta est, & quidem hac ratione, quod iis vxorem frui integro legum statu sit religiosum. *Integro legum statu*, id est integris, illibatis, pro vt *leges* volunt. Quibus opponitur postea *capacitatis priuilegium & modus.* Religionis scil. pars quædam est, ius suum cuique integrum seruari, neque alterum alterius crimine perstringi, ac maxime coniuges. 3. Tertio vxoris quoque bonis connumerari vult, donationem maritalem in vxorem collatam, donationem inquam, constante matrimonio factam, ante tempus criminis ac reatus. Nam quæ postea collata est, proculdubio nulla est: *L.* 32. §. 7. *D. de donat. int. vir. & vxor. & similibus.*

Donatio itaque a marito in vxorem facta constante matrimonio, ante mariti reatum, marito quamlibet postea damnato, vxoris bonis connumeratur. Quod equidem singulare est, donationem videlicet inter virum & vxorem constante matrimonio, quæ alioquin morte tantum coniugis donantis confirmari solet si in eadem voluntate decesserit, eam marito quoque damnato confirmari, & sic rebus vxoris iam connumerari: Et huius tamen iuris singularis duas rationes Constantinus ingerit: Primam, quod hæc donatio cesserit præmio pudicitiæ; Quæ vtique ratio minus stringere videri possit: Nam alioquin quid vetaret omnes donationes constante matrimonio factas ea ratione velari, si ratio pudicitiæ valet. Itaque forte putet quis, hanc rationem non ad firmandam donationem hic allatam, verum ad arguendam caussam, cur donatio facta fuerit a marito. Sunt & qui hæc verba ita accipiunt: hanc donationem ita demum penes vxorem remanere, si modo vidua permanserit. De qua interpretatione, etsi postea in alia quæstione videndum erit, tamen vel eo iam falsam præiudicare licet, quod his verbis, *quia pudicitiæ præmio cessit*, contrarium appareat, nempe vt retineat vxor donationes sibi factas, satis esse si viuo marito pudice vixerit: Cessit enim semel hoc præmium, non autem cedet. Denique vera huius rationis interpretatio hæc est, Ideo hanc donationem proscriptione mariti confirmari tanquam morte, quia cum maritus in id vsque tempus in donatione perstiterit, neque eam reuocauerit, vtique & vxoris pudicitiæ testimonium hoc esse voluit: Cuius præmium vt a morte mariti, ita ab eius damnatione penes vxorem manere æquum sit.

Altera ratio, vel potius fictio, qua ratio superior iuuatur, hæc est, *tanquam si maritos eis natura, non pœna subduxerit:* id est quemadmodum naturali morte donatio viri in vxorem collata confirmatur; ita ciuili quoque: Quod singulare est in pœna publica & morte ciuili publica; vnde Tribonianus in *d. l.* 24. hæc addidit, *ac mortuo ex pœna marito, vel in seruilem conditionem ex pœna qualitate deducto.* Idemque obtinet in captiuitate hostili, ex Iustiniani *l. vlt. Cod. Iust. de donat. int. vir. & vxor.* vid. & *l.* 32. §. 14. *verb. secundum hæc, D. eod.* Aliud enim obtinet in morte ciuili ex causa priuata. Nam si coniux donator seruus fuerit effectus priuati, non impletur, sed perimitur donatio: quamuis alias Seruitus quæcumque scil. morti comparetur, *d. l.* 32. §. 6. *D. de donat. inter vir & vxor.* Cuius §. sen- P. 308 tentiam non cœpit Vir doctus Scip. Gentilis. Regulariter equidem seruitus quælibet morti comparatur, non tantum pœnæ, sed etiam priuata: vt docet *l.* 209. *de R. I.* Sed hac parte in argumento, inquam, donationis inter virum & vxorem, priuata seruitus morti non comparatur: Vnde apparet iam neque obscuram hanc esse sententiam, neque repugnantem, quod Vir idem doctus censebat. Ergo donationes vxori a marito factæ, hoc casu vxori adquiruntur etiam constante matrimonio: vt diserte hæc *lex* præcipit. Et postea tamen aliud constitutum reperio ab Arcadio *l.* 15. *inf. h. tit.* Siquidem is, donationes ante nuptias tantum a marito vxori factas bonis Vxoris connumerari voluit: Proinde non eas, quæ tempore nuptiarum factæ erant. Correcta itaque hac parte *lex* nostra. Verum Tribonianus hanc correctionem sustulit, *l.* 9. *Cod. Iust. de bonis proscript.* quæ alioquin desumpta est ex *d. l.* 15. stante iure quod *hac lege* continetur. Maneat ergo, donationes maritales omnes ante reatum factas proscriptione mariti insecuta confirmari.

Sub hac tamen exceptione *Capacitatis priuilegio videl. & modo inspecto, vt consideretur quid capere potuerit:* id est habita ratione *l. Iuliæ & Papiæ*, seu *legis Decimariæ*, de qua agitur *supra l. 2. de iure liberor.* & *l. vlt. sup. de legit. Hereditat.* & *L. 7. inf. de Nauicular.* quibus locis dixi plene, & ad *c. 12. legis Iul. de marit. Ordinib.* Nempe *leges decimariæ*, seu *Lex Iulia de capacitate coniugum*, hoc sæculo adhuc obtinebant, a Constantino *huius l.* authore neutiquam sublatæ, vt *hac lex* aperte testatur, verum postea demum sublatæ. Qua causa hanc exceptionem a *C. Iust.* Compositores eius abesse voluerunt. *Capacitatis priuilegium*, & *modus* dicitur, pariter vt *solidi capacitas* apud Vlpian. *in fragm. tit. 16. §. 1. Capacitas* simpliciter a Gaio *lib. 12. ad L. Iul. & Pap. L. 55. D. de leg. 2.* id ipsum infra mox his verbis indicatur, *vt consideretur quid capere poterit:* & rursum *in quantum capere potuit.* Igitur capacitatis seu capiendi modus non tantum cernitur in hereditate, vel legato relicto; verum etiam in mortis causa donationibus, capionibus, vt hæc *lex* docet. Et eo quoque pertinet, quod non tantum Marcellus *lib. 1. ad Leg. Iul. & Pap.* in *L. 38. D. de mortis causa donation.* & Vlp. *lib. 8. in L. 36. D. d. tit.* de mortis causa capionibus tractant: verum etiam quod nominatim Terentius Clemens de donationibus inter virum & vxorem *lib. 5. ad L. Iul. & Pap. in L. 25. D. de donat. int. vir.* Ita pariter etiam in pactis dotalibus *huius legis Decimariæ* & capacitatis ratio habetur; vt ostendit *L. 2. 5. de inoff. dot.* Ad eundem modum *lex Falcidia* in huiuscemodi donationibus morte confirmatis locum obtinet, *L. 12. Cod. Iust. ad Leg. Falcid.* nempe quia donationes fideicommissi partibus funguntur, *d. l. 12.*

Quærunt Interpretes, vtrum eadem viceuersa obtineant in donatione collata ab vxore in maritum: vtrum videl. & ea donatio damnatione mulieris confirmetur? Negantis sententiæ sunt hæc tria momenta: 1. Quod hæc *lex* loquatur tantum de vxore donataria. 2. Quia hæc *lex* noua sit, quæ iuri communi derogauerit, quo donatio mortis causa capitis diminutione intercidit, *l. 7. D. de mortis caus. donat.* 3. Quia ratio pudicitiæ in viro cesset; siue viduitatis in viro non tanta sint præmia quanta in fæmina. Verum Primo, Pudicitiam veram hic vel solam saltem rationem non fuisse, modo ostendimus, quo sensu vulgo ea accipitur. Secundo notissimum iam est, donationem quæ morte confirmatur, a donatione causa mortis in complurimis differre: & nominatim hac parte, quod notauit Accursius. Eas omnes differentias collegit Scipio Gentilis proprio capite, *de donat. int. vir. & vxor. l. 3. c. 34.* Tertio de vxore donataria hæc *lex* ideo concepta est, vtpote quia tum de ea quærebatur: Deinde quia non adeo solemnis est proscriptio mulierum, neque tam facile in mulierem quam in virum ea cadit. Tandem *hac l.* occursum voluit Constantinus miseris vxoribus: quarum bona mariti proscripti bonis iam de more misceri solebant; at enim vxore proscripta nil tale. Denique vt prohibendæ inter vtrumque donationis ratio vtrinque eadem fuit. Rursum vt confirmandæ donationis per mortem naturalem ratio vtrimque eadem est: quidni & confirmandæ per mortem ciuilem vtrimque eadem ratio erit? Perseuerantia voluntatis ad mortem vsque ciuilem scilicet: ob quam, vt donatio in vxorem collata pudicitiæ præmio cedit, ita & donatio in maritum collata charitatis coniugalis præmio cedere debet potius quam fisco. Fiscum hanc eripere aduersus voluntatem eius qui donauit supremam, durum & auarum est. Et hæc de vxoris rebus.

LIBERORVM pariter emancipatorum bona, & in his bona ante reatum a patre collata, proscriptorum patrum bonis misceri Constantinus *h. l.* vetat: quinimo iis liberos potiri citra inquietudinem vult: Ante reatum, inquam, collata; nam post reatum donationes factæ non valent, vt docet celebris inter nostros *lex 15.* & *l. 31. §. 4. D. de donat. L. vlt. C. Iust. ad leg. Iul. Maiestatis: L. 20. D. de accusat.* Ante tempus, inquam, criminis & reatus, id est ante contractum capitale crimen. Ante reatum, *initio legis:* ab innoxio adhuc factæ, *l. 15. infr.* quia factæ sunt sine suspicione pœnæ ab innocente, & citra fraudem fisci. Ait autem *lex*, *in emancipatos liberos*, quia in potestate positis pater donare non potest, vt notissimum; id quod indicatur rursum *vers. sequente*, *quod vero.*

LIBERORVM tandem etiam in potestate positorum rationem aliquam habiturum sese hac parte Constantinus spem facit *vers. Quod vero nec vxor.* Nempe iubet damnati bonis incorporatis, ad se referri, vtrum damnatus filios habeat, simulque adiici, vtrum iidem apud se ex causa donationis aliquid vindicarint, seu habeant: Nempe non alio fine, quam vt eorum rationem aliquam hac quoque parte haberet, iisque aliquid pro arbitrio quoque suo & humanitate relinqueret: cum alioquin donationes huiusmodi non valerent in liberos in potestate positos collatæ. Hactenus scil. Constantinus quoad donata, summa benignitate, & præter ius strictum. Quod quidem inter humanitatis eius argumenta ponendum est. Ad quam proxime accedit mos ille bonorum Principum, liberis proscriptorum aliquam paternorum bonorum partem concedendi: Ita Adrianus *duodecimas bonorum liberis proscriptorum concessit*, teste Spartiano. Liberalius Marcus, qui *filiis Cassii & amplius media parte paterni patrimonii concessit, & eos præterea auro atque argento adiuuit*, teste Capitolino in *V. Cassii* & in *V. Marci.* Inde constitutæ iam certæ portiones quæ Liberis damnatorum concederentur: vt docet *lex 1. D. de bon. damnat.* Quid sequentibus Principibus visum hanc in partem fuerit, ostendunt complures ex sequentibus *legibus.* Hactenus de Vxoribus, deque liberis reorum seu damnatorum ex crimine, & quidem nominatim, quoad donationes a reis in vxores & liberos collatas.

FISCALIBVS itidem actibus proque *ratiociniis* nexorum, & exinde proscriptorum, condemnatorum, vxoribus & liberis simile quoddam beneficium *h. l.* largitur Constantinus M. ei, quod ex crimine damnatorum liberis & vxoribus superius concesserat: nempe vt nonnisi ea quæ in proprio patrimonio interuersos habuit, eo tempore quo actum agere cœpit, vel quod agens, id est in actu fiscali iam constitutus adquisiuit quocunque tandem nomine, fisco obligata sint: duorum scil. generum bona fiscalibus rationibus nexorum fisco vindicantur: p. 329
bona scil. quæ habuerunt cum actum gerere cœperunt: & bona quæ post cœptum actum acquisiuerunt: Et sic bona eorum tam præsentia, quam futura fisco obnoxia tenentur *h. l.* id est hypothecæ obligantur, ex quo actum fisci gerere cœperunt (sicut reorum criminis, ex quo reatum contraxerunt) *h. l.* & *l. 1. C. Iust. de iure fisci: l. 4. C. eod. de priuil. fisci: l. 1. C. eod. de conu. fisci debitor.* Sic vt ex his nil iure donare possint: alioquin si donauerint, non erit hæc *tam munificentia* (vt hæc *lex* eleganter loquitur) *quam suffugium* potius, frausque. Pariter vt post reatum criminis contractum, donata, alienata, fraudis suspicionem continent, *l. 7. D. de mortis caus. donat.* & arguunt. Et hæc de bonis præsentibus & futuris. Atenim vxoris non tantum bona, verum etiam a marito vxori ante *actum initum* donata (pro modo tamen *Legis Decimariæ:*) itemque in emancipatos filios tum donatione collata, ab aliis obnoxii & reliquatoris bonis separantur, & vxori liberisque emancipatis integra illibataque relinquuntur. Inde igitur liquet, tacita hac hypotheca tantum venire præsentia, futuraque bona, quæque erunt in patrimonio debitoris: non vero præterita patrimonio iam ante actum initum exclusa, veluti quæ liberis ea emancipatis, vel vxori ante actum irritum donata fuerunt: *Vxori* inquam, scilicet vt

vt donationem inter virum & vxorem morte non tantum naturali, verum & ciuili confirmari ſuperius oſtenſum eſt, ita pariter eadem confirmatur mariti confiſcatione ex cauſa actus fiſcalis, & ratiocinii. Denique vt hærede donatoris mariti aduerſus continuam mariti voluntatem donationem reuocare volente, ita & fiſco, potior eſt vxor, donationem ſibi ante actum initum factam vindicans, quæ inferior eſſet, marito & ipſo donationem reuocare volente.

At CÆSARIANIS, quæ tertia *huius l.* pars eſt, non idem beneficium ſeu priuilegium Conſtantinus concedit: horum ſcil. Interuerſorum donationes in vxores, & liberos emancipatos, collatæ, etſi actu Cæſariano antiquiores, reuocantur: vt Græci recte hunc locum acceperunt. *Cæſariani* (quos *Catholicianos*, Conditores *Codicis Iuſtinianei* hic quoque vocant, & de quibus erit *infra* peculiaris *tit. 7. lib. 10.*) id eſt, Officiales Rationalis, ſeu Procuratoris Cæſaris, fraudibus & rapinis infames erant, & ideo multa ſingularia circa hos ſtatuta: velut, quod lite a fiſco eis mota, lite pendente bonorum poſſeſſio his eripiatur, & ſequeſtrationi locus ſit: *l. 5. infr. de iure fiſci.* Quod in actu conſtituti, ad dignitates non admittebantur, *l. 1. de Cæſarianis*, neque inconſulto Principe ad aliquod Corpus vocari poterant, *l. 2. eod. tit.* Adde Quartum iſtud, quod alienata donata ab his ante actum, reuocentur, ſi rationes fiſcales conturbauerint.

CONSTANTII *Imp. prima lex de* LIBERIS *&* PARENTIBVS, *quatenus bona proſcriptorum iis ſeruari voluerit.*

II. (a) Imp. CONSTANTIVS A. & Iulianus Cæſ. ad Populum.

SI quem forte gladius vltor (b) adflixerit, aliaue quælibet vitam adimens pœna conſumpſerit, vſque ad tertium gradum generis copulationis, (c) eiuſdem ſucceſſio deferatur, fiſco penitus quieſcente, vt accipiat hæreditatem qui eam iure ciuili, vel prætorio poterat vindicare, de numero videl. perſonarum, quas Legis huius excepit auctoritas. Sed (d) ita, vt alia ſit condicio damnatorum ex crimine Maieſtatis, aut Magicæ. In his enim, etiamſi liberos damnatus habeat, vel parentes: non condentes pœnam, ſed relinquentes antiquam, fiſco fieri locum præcipimus. Dat. VIII. Idus Mar. Med. Conſtantio A. VIII. & Iuliano Cæſ. Coss. [356.]

NOTÆ.

(a) Abrogatur hæc *lex* biennio poſt, ab eodem Conſtantio: *l. 4. inf.* GOTHOFR.

(b) Gladius vltor: *h. l.* & 14. *ſup. de malef.* quæ eiuſdem Conſtantii eſt. *ID.*

(c) Exiſtimo reponendum, *cognationis. ID.*

(d) Exceptio ſubiicitur. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. tres Conſtitutiones *de bonis proſcriptorum* ſequuntur. Hoc primo Edicto ad populum emiſſo, Conſtantius LIBERIS & PARENTIBVS ad tertium vſque gradum generis ſeu cognationis (excepto Maieſtatis & Magiæ crimine) excluſo fiſco, bona damnatorum defert. Cuiuſmodi Edicta ad populum multa, adſcito iam *Iuliano C.* Conſtantium propoſuiſſe reperio: veluti *l. 6. infr. de paganis: l. 7. inf. de extraord. muner. l. 4. ſup. de ſepulchro viol. l. 4. 5. ſup. de maleficis.* Liberis, inquam, & parentibus ad tertium vſque gradum. Quæ Conſtantii hoc tempore moderatio fuit ſupra antiquam obſeruantiam, vt etiam ex *fine l.* colligitur, ſub Conſtantino M. varie quippe ius hoc admodum pro Principum varietate habitum, vt ad *legem ſuperiorem* iam oſtendere cœpi. Ne in retroſiora inquiramus, modo fiſco omnia bona damnatorum, & ſemper quæſita fuere, vt *d. l. 4. infr. h. t.* modo liberis omnia bona delata fuerunt, & quidem omnibus liberis quocunque gradu, parique etiam ratione parentibus, vt *l. 6. 10. 23. inf.* modo liberis ad tertium tantum gradum & quidem omnia, & ſimiliter parentibus, *h. l.* quod ius Iuſtinianus poſtea reduxit *Nou. 134. c. vlt.* modo Triens, modo Semis: vt *l. 8.* & *l. vlt. h. tit.* adeo quidem vt & poſtumis hoc ipſum ius tributum fuerit, *l. 10. h. t.* Imo & ipſi deportato quandoque ſextans relictus, vt *l. 8. h. t.* Denique fuit hoc ius varium & mutabile, prout tempora ipſique Principes fuere: Imo ipſemet Conſtantius biennio poſt, ſententiam mutauit, fiſco ſuo damnatorum bona vindicari de- Pag. 30. cernens, atque adeo *hanc legem* abrogauit *l. 4. infr. h. t.*

Maieſtatis tantum crimen, vt aliis *legib.* puta *l. 6. 23. infr. h. tit. l. 3. ad leg. Cornel. de ſicar.* ita hoc quoque Conſtantii Edicto (cuius mentio rurſum fit *l. 4.*) ab hoc beneficio, ſeu ab hac moderatione excipuum ſemper fuit, ſic vt in his criminibus vel bona omnia fiſco vindicata fuerint, vt *hac lege*, & *d. l. 6. 23.* & *d. l. 3. ad leg. Cornel. de ſicar.* vel ſane modica admodum pars ſolis liberis relinqueretur, veluti ſextans, *l. 8. infr. h. t.* Maieſtatis crimini Magiæ *h. l.* crimen adiungitur, non tantum communi Principum aliorum Sententia Magiæ crimen Maieſtatis crimini proximum ſtatuentium: (De quo *ſup. tit. de Malefic.* vbi & de eius rei ratione:) verum peculiari adhuc Conſtantii aduerſus hos odio, & peculiaribus odii iſtius cauſis. Cui rei fidem faciunt præter hanc *legem* eiuſdem *lex 4. infr.* & *lex 4. 5. 6. ſupr. de paganis.* Eiuſque rei plenus eſt Ammianus Marcellinus, in geſtis huius ipſius Anni 356. *lib. 16.* ex quo nonnulla iam tranſcripſi ad *d. l. 4. ſup. de Malef.* item *lib. 19. extremo*, in Geſtis Anni 359. cuius verba retuli ad *l. 6. eod. tit.* Quæ ad hanc *legem* proxime faciunt, hæc ſunt e *libr. 16. cap. 8. In caſtris*, inquit, *Auguſti* [Conſtantii] *per ſimulationem tuendæ Maieſtatis Imperatoriæ multa & nefanda perpetrabantur. Nam ſi quis ſuper occentu ſoricis vel occurſu muſtelæ, vel ſimilis ſigni gratia, conſuluiſſet quemquam peritum, aut anile incantamentum ad leniendum adhibuiſſet dolorem (quod medicina quoque admittit autoritas) reus unde non poterat opi-*

nari delatus, raptusque in Iudicium pœnaliter interibat. Et post *eod. lib. & cap. in fin. Instabant has malorum ciuilium buccinas potentes in Regia, ea re, vt damnatorum petita bona, suis accorporarent, essetque materia per vicinitates eorum late grassandi. Numque vt documenta liquida prodiderunt, proximorum fauces aperuit primus omnium Constantinus, sed eos medullis Prouinciarum saginauit Constantius.*

De INCORPORATIONE *bonorum proscriptorum, Constantii lex.*

III. (a) Idem A. & Cæs. Cælestino (b) Cons. Beticæ.

VBI aliquis, pro qualitate (c) criminis, viuendi (d) sententiam passus fisco fecerit (e) locum, super occupandis rebus eius statim Officium Procuratoris (f) Patrimonii litteris tuis conueniatur, vt eadem corpora (g) fisci viribus vindicentur: & protinus super occupatione eorum scribtis competentibus intimetur. (h) Dat. V. Kal. Sept. Constantio A. VIII. (i) & Iuliano Cæs. II. Coss. [357.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iustin. GOTHOFRED.*

(b) *Celestinus* Consularis Bæticæ sub Constantio. *ID.*

(c) Sic pro qualitate delicti, *leg. 7. infr. ID.*

(d) An vox hæc, *viuendi*, quæque illa sit, referenda ad superiorem *criminis*? Quod si ita est, tam multæ sub manum restitutiones sese dant. Sane agitur *hac l.* de sententia vitam adimente, seu de sententia lethali, vt loquitur Ammian. Marcellinus. Est qui tentabat, *confiscandi*, vt *crimen confiscandum* dictum fuerit, ex quo sequitur confiscatio. Quod non probo. An igitur *viuendi*, id est relicta tantum vita, cæteris ademptis? Tentaret quis *criminis timendi*, aut *verendi*, aut *vindicandi*, aut *vitandi*, aut *plectendi*; vt *l. 15. inf. de petitionib.* vel *criminis stupendi.* An potius *viuendi sententiam passus*, pro *passus sententiam vitam adimentem*, vt *leg. 2. sup.* Quod si ita est, tum *viuendi*, pro *deuiuendi* dictum fuerit: vel vt loquitur *lex prox. 4. infr. quorum vitam seueritas ademisset.* Ego tandem malim ad hunc sensum, *criminis viuendi. IDEM.*

(e) Fisco locum facere, & *l. 2. sup. in fin.* dicuntur quorum bona publicantur, pariter vt *l. 5. C. Iust. de iure fisci. IDEM.*

(f) *Procurator Patrimonii per Hispaniam Beticam*, de eo mox. *ID.*

(g) id est, *res. ID.*

(h) Nobis scilicet intimetur. *ID.*

(i) *vel* IX. vt recte habet editio Tiliana, Anni 1550. *ID.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Constantii constitutio est, de bonis proscriptorum: qua INCORPORANDORVM fisco proscripti bonorum forma per prouincias, ac nominatim per Hispaniam Beticam, præscribitur: quam postea immutauit Valentinianus *l. 7. inf.* Nempe Iudicis literis qui sententiam tulit, Officiales Procuratoris patrimonii moneri iubet, quo ii videlicet Officiales hanc incorporationem faciant, id est, bona defuncti diligentissime indagent & describant. Non vult igitur Officiales ipsius Iudicis ordinarii hanc incorporationem facere, sed Officiales Procuratoris patrimonii. Quod Valentiniano postea vt dixi quadantenus displicuit. Voluit enim is Officiales Iudicis ordinarii primam indaginem & descriptionem seu Inuentarium facere, celebrare; & sic deinde ad Officiales Rationalis Rei priuatæ id transmitti, cui secunda postea inquisitio mandata est. Nempe vt fraudibus occurreretur, quæ in corporandis Fisco rebus adhiberi solent, dum nonnulla subtrahuntur, accuratam magis duplicis inquisitionis formam Valentinianus introduxit: Prioris per Officiales Iudicis Ordinarii; posterioris seu repetitæ quodammodo inquisitionis per Officiales Rationalis. Facta peruestigatione Iudices vtraque *lege* iubentur breuem descriptionis factæ ad Principem mittere. Verum plenius de forma inquisitionis & Inuentarii istius ad eam *legem 7.* dicetur; quanquam peculiaris quoque de eo *titulus* est *9. lib. 10. de incorporatione.*

Cæterum quandoquidem *lex* hæc inscribitur Consulari Beticæ, omittere non possum, quæ Ammianus Marcellinus per hæc ipsa tempora narrat *lib. 16. cap. 8.* vbi memorat rem quandam, quæ in Hispania hoc tempore euenit, obtentu criminis Maiestatis; vt forte locus ille ab *huius legis* specie non abludere videatur: *Malignitate simili, quidam Agens in rebus in Hispania, ad cœnam itidem inuitatus, cum inferentes vespertina lumina pueros exclamasse audisset ex vsu,* VINCAMVS *perun....lemue....interpretatum atrociter, deleuit nobilem domum.* Vbi Lipsius in *1. Saturnal. c. vlt.* emendabat, *Viuamus, pereundum est.* p. 331. Mox subiicit ea ipsa, quorum portionem ad *superiorem legem* notabam, hic tamen rursus exscribenda & plenius quidem: *Instabant*, inquit, *itidem has malorum ciuilium buccinas potentes in Regia, ea re, vt damnatorum petita bona suis adcorporarent, essetque materia per vicinitates eorum late grassandi. Namque vt documenta liquida prodiderunt, proximorum fauces aperuit primus omnium Constantinus, sed eos medullis Prouinciarum saginauit Constantius. Sub hoc enim ordinum singulorum autores infinita cupidine diuitiarum arserunt, sine iustitiæ distinctione vel recti. Inter ordinarios Iudices Rufinus primus præfectus Prætorio & inter militares equitum Magister Arbetio, Præpositusque cubiculi Eusebius & lapf. .... anus Quæstor, & in vrbe Anitii, quorum, ad auorum æmulationem, posteritas tendens, satiari nunquam potuit cum possessione multo maiore.* Nempe ex hoc Ammiani Marcellini loco, itemque ex altero, quem *proxima lege* notabo, liquet, fuisse hoc Constantii seculum *competitoribus*, id est bonorum proscriptorum postulatoribus, famosum. Sic quidem, vt qui bona tanto facilius impetrata vellent, *modum* bonorum quantum possent, dissimula-

mularent. Ea de causa igitur Constantius diligentem Breuem de bonis confici voluit, atque ad se transmitti. De quo rursum agetur *leg. 7. inf.* & *tit. de petitionib. libr. 10.* imo & *l. 23. inf. h. t.*

Notanda interim hæc *lex* de Procuratore patrimonii per Hispaniam Beticam, cuius hoc nomine nulla alibi mentio occurrit, etsi in *Notitia Imperii* postea memoretur eius loco *Rationalis rei priuatæ per Hispanias.*

LIBERIS & PARENTIBVS *beneficium a se collatum l. 2. sup. reuocat Constantius Imp.*

IV. (a) Idem A. ad Taurum. (b)

VETVERAMVS, (c) bona capite damnatorum fiscali dominio vindicari, excepto crimine Maiestatis & Magicæ, vt ea haberent vsque ad gradum tertium (d) successores eorum (e) quorum vitam seueritas ademisset: nunc vero bona capite damnatorum fiscali dominio vindicari decernimus, sanctione illa, quam certa (f) condicione dederamus, quiescente. Data prid. Non. Ianuar. Sirmi, (g) Acc. VI. Kalen. Septemb. Datiano & Cereale Coss. [358.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Codice Iustinian.* GOTHOFRED.

(b) *Taurus* Præfectus Prætorio Italiæ sub Constantio. V. *Prosopogr.* ID.

(c) Ante biennium: puta *l. 2. sup.* ID.

(d) Vsque ad tertium gradum generis seu cognationis. *l. 2. supr.* ID.

(e) Liberi & parentes. ID.

(f) vide *conditionem*, siue *exceptionem*, *d. l. 2. supr. not. d.* RITTER.

(g) Vide Ammianum Marcellinum *lib. 17. cap. 12.* & *Chronicon nostrum.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc Constantii Imperatoris de bonis proscriptorum constitutio est: qua is moderatam *legem suam 2. supr.* ante biennium latam abrogat.

Cuius mutationis causas tum ex iis quæ superius dicta sunt, tum ex Ammiano Marcellino vel *lib. 21. extremo*, colligere licet. Nempe Constantius indies magis magisque bonis confiscandis inexplebili cupiditate exarsisse deprehenditur, & in pœnis infligendis nimis quam inciuiliter acerbitate nimia & iracundia totus. Et vt idem Ammianus Marcellinus scribit, *augebat amaritudinem temporum flagitatorum* (id est, petitorum) *rapacitas inexpleta, plus odiorum ei quam pecuniæ conferentium.* Atque vt in vniuersum id verum, ita in Maiestatis & Magiæ potissimum criminibus ingenium suum exeruit, & *seueritatem* (vt hæc *lex* ipsa loquitur) exercuit. A quibus sibi maxime metuit, quod & aliæ *leges* plures ostendunt, vt ad superiorem *legem* ostensum est. Verum abrogata rursus hæc *lex* a Valentiniano *l. 6. infr.*

IVLIANI *in* OCCVLTANTES *bona proscriptorum, Constitutio.*

V. (a) Imp. IVLIANVS A. ad Felicem (b) Com. S. L.

QVIDAM scelerate proscribtorum facultates occultant: Hos præcipimus, si locupletes sint, proscribtione puniri: si per egestatem abiecti sunt in fæcem vilitatemque plebeiam, damnatione capitali debita luere detrimenta. P. P. Rom. VII. Id. Mart. Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Codice Iustinian.* GOTHOFR.

(b) *Felicis* huius Comitis sacrarum largitionum fit rursum mentio hoc ipso Anno, *l. 5. inf. de fide testium.* Meminit eius anno sequente 363. quo etiam mortuus est, Ammianus Marcellinus *lib. 23. cap. 1.* Meminit Libanius *pro Aristophane pag. 218. edit. Morell.* vbi ostendit eum ex Christiano Apostatam factum. Eundem intelligit idem Libanius *p. 307. 308. edit. cit.* Meminerunt etiam historiæ Eccles. scriptores, & in his quoque Philostorgius, ad quem dixi *lib. 7. cap. 10.* Meminit & Chrysostomus *aduersus Gentes*, & Theodoretus *lib. 3. cap. 8. & 12.* De eodem sensit & Iulianus *Misopogone pag. 125. siu. pag. 365. edit. Lips. Spanhem.* V. *Prosopogr.* IDEM.

COMMEN-

P.332.

COMMENTARIVS.

IVLIANI hæc Constitutio est in occultatores bonorum pertinentium ad proscriptos: Scilicet occultantibus bona proscriptorum pœnam imponit, & quidem seuerissimam, A. D. 362. In quo argumento de occultatoribus versantur plures aliæ *hoc tit.* puta *lex 7. in fin. l. 18. 19. 20. 21. inf. h. t.*

Cæterum proscriptos, quorum *hac* Iuliani *lege* mentio fit, Baronius in huius anni gestis *num. 109.* Christianos intelligit: Cui (vt hoc addam) suffragari videatur, quod *Felix* Comes S. L. cui hæc *lex* inscribitur, ex Christiano, Apostata factus fuerit, vt testatur Libanius *pro Aristophane p. 218 edit. Morell.* Verum id nil necesse est: nam & alii per hæc tempora a Iuliano proscripti fuere: quomodo Zonaras scribit, *Iulianum multos relegasse bonis eorum confiscatis.* Imo ne Christiani quidem proscripti qua Christiani. Fuit enim hæc Iuliani persequutio in Christianos, & quidem per hæc Imperii maxime initia, nullo modo sæuiens, sed vel maxime blandiens.

Ergo pertinet hæc Iuliani lex omnino ad paucos a Iuliano proscriptos, qui partim Constantium dementauerant, partim ipsi Iuliano maxime aduersi fuerant, grauique eum contumelia adfecerant, imo qui alios ad sceptrum ambiendum concitauerant, de quo agit Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 3.* vbi & proscriptos nonnullos nominat, & Libanius *Orat. funebri in Iuliani necem, pag. 298. edit. Morell.* Fuit sane in Iulianum & alia coniuratio, cuius causa proscriptio exercita, de quo Libanius *legatione ad Iulianum p. 161.* & *dict. or. tt. funebri, p. 307. ed. cit.* Verum hæc ad hanc *legem* non pertinent, sed posterior est. Ad hanc ipsam proscriptionem pertinere videtur *lex 1. inf. de collat. donatar.* Tandem subscriptionem *huius legis* obseruari cupio. Dicitur enim ea *PP. Romæ.* Scilicet Senatorii quoque viri a Iuliano hoc tempore proscripti, quorum bona Romæ erant ceu in lare sedeque fortunarum suarum. Et forte pertinet hæc lex ad eos, qui fratri Gallo aduersi fuerant, quos damnatos & proscriptos a Iuliano, memorat Marcellinus *lib. 22. c. 3.*

LIBERIS *bona damnatorum quorumcumque, excepto Maiestatis crimine, relinquit Valentinianus.*

VI. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. ad Symmachum P. V. (b)

SVBSTANTIAM damnatorum integram ad liberos peruenire, & in qualibet causa (c) positis parentibus liberos heredes (d) esse præcipimus, excepta * sola Maiestatis quæstione: (e) quam si quis sacrilego animo adsumit, iuste pœnam ad suos etiam posteros mittit. Dat. VII. Kal. Decemb. Mediol. diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

INTERPRETATIO. *Si quis pro crimine suo occidi vel damnari meruerit, crimen cum auctore eius deficiat: Bona vero eius ad filios vel hæredes legitimos pertinebunt: nisi forte Maiestatis crimine damnatus sit aliquis, quorum etiam filios de bonis damnati patris iubemus fieri alienos.*

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abest a *Cod. Iust.* fit eius mentio *l. 10. inf. ID.*

(b) Romæ. *IDEM.*

(c) Id est, *crimine*, nisi mox, quod malim, legatur *positos*: de quo ad *l. 9. inf. ID.*

(d) Hæc vox docet hic agi de capitis supplicio affectis. *ID.*

* *Legis 10. Cod. Iust. de bon. proscript.* extrema sententia hinc desumpta est. *ID.*

(e) Non etiam Magiæ, vt *l. 2. & 4. sup. ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris duæ de bonis proscriptorum & damnatorum constitutiones sequuntur: Qua is liberis capite damnatorum in qualibet causa positorum, id est quorumcumque tandem criminum reorum, vel in qualibet causa positis, id est quocunque gradu, sexu, solo Maiestatis crimine excepto, bona fisco excluso adiudicat. Vbi notanda sunt hæc tria.

Primum Liberis indistincte hoc beneficium tribui a Valentiniano, & sic in infinitum posteris, vt *fine legis* quoque dicitur, non vt antea Constantius aliquando, liberis ad tertium vsque gradum tantum. Quinimo & postumi quoque ad hoc beneficium pertinent, ad eos quippe *huius legis* Valentinianeæ beneficium Theodosius M. viginti annis post prorogauit, *l. 10. inf.* qua *huius* nominatim *legis* mentio *fit.*

Secundo vnicum Maiestatis crimen excipi a Valentiniano notandum est, quod & ipsum repetitur *d. l. 10. & 8. in fin. inf.* non etiam alterum Magiæ, quod & ipsum tamen pariter Constantius exceperat, *l. 2. & 4. supr.* vbi Constantii facti causam reddidimus. Nempe Valentinianus iam inde ab Imperii sui exordio complures *leges* promulgauit, quibus vnicuique quod animo imbibisset colendi liberam facultatem tribuit, vt ipse testatur *l. 9. supr. de malefic.* & Ammian. Marcel. comprobat *lib. 30. c. 9.* Itaque haruspicinam seu Magiam & alias præterea concessas a maioribus religiones, nullum cum maleficiorum causis consortium habere iudicauit, neque genus criminis esse arbitratus est, vt idem profitetur *d. l. 9.* Ad quam legem complura super hac re notaui, itemque ad *l. 10. sequ. de malef.* Denique insontis Magiæ vsum Valentinianus, haud aliter atque Constantinus M. aliquando reliquit, quem Constantius omni opere sublatum voluit.

Postremo

P.333. Postremo obseruandum est in Maiestatis crimine poenam ad posteros transmitti. Ad posteros, id est, ad liberos in infinitum, vt proinde fallantur, qui seueritatem *legis 3. ad leg. Corn. de sicar.* ad nepotes tantum, non etiam pronepotes extendunt, quos *huius* quoque *legis* praeiudicio refutare promptum est, iis verbis, quae etiam Tribonianus hinc desumpta *l. 10. Cod. Iust. de bon. proscript.* subtexuit. *Posteros* autem nemo filios tantum primi aut secundi gradus accepit, nisi Caligula cujus impudentem calumniam etiam Suetonius eo nomine notauit.

De INVENTARIO *seu descriptione bonorum proscriptorum, eiusque forma, Valentiniani lex.*

VII. (a) Idem AA. & Gratianus A. ad Probum (b) P.P.

SI qui (c) intra prouinciam, pro qualitate delicti, stilum proscribtionis incurrerit, per Ordinarii Officii (d) sollicitudinem, bonorum eius indago diligentissime celebretur, ne quid rei Priuatae commodis per gratiam atque conludium furto subducatur: Et plena describtio conprehendat, *Quod spatium, & quod sit ruris ingenium;* (e) *Quid aut cultum* (f) *sit, aut colatur: Quid in* (g) *vineis, oliuis,* (h) *aratoriis,* (i) *pascuis, syluis, fuerit inuentum: Quae etiam gratia, & quae amoenitas sit locorum: Quis aedificiis* (k) *ac possessionibus ornatus: Quotue mancipia in praediis occupatis,* (l) *vel vrbana, vel rustica, vel quarum artium generibus inbuta, teneantur: Quot sint casarii,* (m) *vel coloni.* (n) *Quot boum,* (o) *exercitiis* (p) *terrarum atque vomeribus instruentium:* (q) *Quot pecorum & armentorum greges, & in qua diuersitate numerati sint: Quantum auri & argenti, vestium* (r) *ac monilium, vel in specie, vel in pondere, & in quibus speciebus: Quidue in enthecis* (s) *sit repertum:* Tum (t) demum, omnia ea quae velle nos perspicis, inquisitione constricta (v) Rationalis Rei Priuatae tradantur Officio, (x) nostro nectenda patrimonio. Mox vero ad nos sub literis publicis (y) Iudices singillatim de omnibus nominatimque perferatur: (z) Proculdubio neglegentia multanda: Nam si quid, post factam a praedicto Officio inuestigationem, Rationalis rei Priuatae, cui inquisitio secunda mandata est, amplius fortassis inuenerit, Officium fraudulentum ea condemnatione ferietur, vt aliud tantum, quantum fuerat subtractum, ex propriis facultatibus inferat. Dat. III. Non. Maii, Treu. Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTAE.

(a) *L. 7. Cod. Iust. eod. tit.* Est autem haec *lex* elegantissima. *GOTHOFR.*

(b) *Probus* PP. Italiae, Illyrici, Africae sub Valentiniano Sen. v. *Prosopogr. ID.*

(c) *Si quis*, Cod. Iust. *RITTER.*

(d) Id est, per Officiales Rectoris Prouinciae, qui Iudex est Ordinarius. *GOTHOFR.*

(e) *Ingenium ruris* vocat naturam, conditionem, & qualitatem eius; vide Non. *cap. 4. num. 235.* vbi hunc Virgilii locum apposite affert, *Georg. 2. v. 177.*

Nunc locus aruorum ingeniis quae robora cuique,
Quis color.

Vbi & Seruius *ingeniis*, id est, *naturis*: sic & *ingenium loci*, Sallustio *in fragment. lib. 3. histor. pag. 978. edit. Cortii*, & Tacito *lib. 1. hist. c. 51.* Arboribus etiam ingenium tribuitur apud Gell. *lib. 3. cap. 6.* Animalibus, *l. 38. §. 9. D. de aedilit. Edict.* Metallis Apuleius *lib. 9. Metamorphos. pag. 194. edit. Pricaei, & pag. 175. edit. Lugd. Bat. apud Ioan. Maire. IDEM.*

(f) *Incultum:* C. Iustin. Quid si legas, *haud cultum sit.* Sed quomodocumque legas, sententia consistit. *ID.*

(g) *Agrorum* quinque species obserua: *Vineas: Oliua,* (id est, *Olieueta,*) *aratoria, pascua, syluas. ID.*

(h) In Cod. Iust. *oliuetis.* Glos. *oliuetum*, ἐλαιών. Est qui hic tentat *Olicis*, veluti *formula 62. apud Lindebrog.* siu. 47. *pag. 157. edit. Bignon. in vineis, olicis, syluis, campis, pratis, pascuis,* & formula 69. *apud Lindenbrog.* siu. 39. *pag. 148. Bignon. cum vineis, olicis, campis:* Sed nil opus; nam & ita *l. 4. D. de censibus. Ager oliuarius* dicitur Authori *de limitibus p. 303. edit. Rigalt.* siu. *pag. 296. edit. Goes. Oliuastellum* Auctor Incert. *de casis litter. pag. 248. edit. Rigalt. & pag. 241. edit. Goet. ID.*

(i) *Aratoria*, sunt agri aratorii, *Terres labourables. ID.*

(k) *Quis in aedificiis ac possessionibus sit ornatus*, ita *Cod. Iust. ID.*

(l) A fisco, vel etiam cultura: verum illud malo. *ID.*

(m) *Censuarii*, C. Iust. male: de quo mox. *ID.*

(n) De colonis vid. Paratitlon *de fugitiuis Colonis. ID.*

(o) *Quot iuga boum*, ita nonnulli. Possis tamen retinere *quot boum*, pro *quot boues*, possis & ἀπὸ τοῦ κοινοῦ huc arcessere vocem *greges. ID.*

(p) *Exercitii* vox hic propria, vt & *l. vnic. supr. de Saturianis l. 11. supr. de Veteranis: l. 10. inf. de lustrali collation.* Poëta: *qui rura bubus exercet suis. ID.*

(q) Alii *insistentium*: verum *instruentium* rectum est, & *instruendi* vox hac in re propria. *ID.*

(r) *Et vestium*, C. Iust. *ID.*

(s) *Enthecarum* vox hic propria etiam in libris *Pandectarum*. Alioquin *C. Iust.* habet, *apothecis*. *ID.*

(t) *Tunc demum*, Cod. Iust. *RITTER.*

(v) *Aut*, *constructa*, sed nil necesse. *GOTHOFR.*

(x) *Aut Palatinis super hac causa missis.* Hoc amplius in *C. Iust. ID.*

(y) In C. Iust. *publici Iudicii*, male. *ID.*

(z) *Referatur*, Cod. Iust. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Valentiniani Sen. constitutio est de bonis proscriptorum vt accurata ita elegantissima, qua is nouam INCORPORATIONIS bonorum proscripti formam per prouincias & quidem exactiorem, quam a Constantio præstituta fuerat, *l. 3. supra* imo & quam ipse præscripserat, *l. 1. inf. de incorpor.* nunc præscribit. Nempe ne qua fraus fiat, ne quid bonorum subducatur, duplicem inquisitionem fieri vult. Primam, per Officiales Rectoris prouinciæ plenissima descriptione facta, seu plenissimo *Inuentario*, eaque descriptione & inquisitione ad Rationalem rei priuatæ missa, quod hactenus constitutum non fuerat *d. l. 1. de incorpor.* Secundam inquisitionem fieri vult per Officiales Rationalis rei priuatæ, prima interim inquisitione ad ipsum Principem quoque mittenda (quod & ipsum Constantius *d. l. 3. sup.* voluerat:) Duplicis istius inquisitionis hic effectus est, vt si Officiales Rectoris Prouinciæ negligenter vel fraudulenter subtraxisse quid secunda inquisitione reperti fuerint, Pœna dupli mulctentur. Quæ dupli pœna notanda est, & duplex hæc Inquisitio, ne quid videl. Fisci commodis subtrahatur per gratiam, vel conludium; Quam rationem Valentinianus *hac lege* diserte adsignat. Addi potest & altera vlteriorque ratio, quam ad *l. 3. sup.* notabamus. Nempe ad refrenandam petitorum cupiditatem, & vti sciret liquido Princeps quid petentibus tribueret.

P. 334. Obseruanda cumprimis accurata in id faciendæ descriptionis forma, seu *Inuentarii* bonorum proscripti, quæ hic præscribitur. Est enim hæc *lex* eo singularis admodum, velut accuratam Inuentarii faciendi rationem seu formam continens, vt & descriptionem eorum in quibus facultates cuiusque ferme consistunt, non modo recensu eorum facto, sed & quantitate & qualitatibus eorum designatis: Sic vt nihil ferme *hac* parte dici possit vel excogitari, quod non hic contineatur: Atque inde Inuentarii faciendi forma per singula *capita* desumi: *fundos* nempe memorat, eorumque quinque genera describit, vineas inquam, oliua, aratoria, pascua, Syluas, eorundemque qualitates, ruris, inquam, ingenium, culta, inculta, gratiam & amœnitatem locorum: Cui similis admodum est forma seu professio censualis, quæ proponitur in *l. 4. in pr. D. de censibus:* vbi & similis agrorum diuersorum enumeratio occurrit; *Forma censuali cauetur, vt agri sic in censum referantur. Nomen* FVNDI *cuiusque, & in qua Ciuitate, & quo pago sit, & quos duos vicinos proximos habeat: & id* ARVVM, *quod in decem annos proximos satum erit, quot iugerum sit:* VINEA *quot vites habeat:* OLIVA *quot iugerum, & quot arbores habeat:* PRATVM, *quod intra decem annos proximos sectum erit, quot iugerum:* PASCVA, *quot iugerum esse videantur: Item* SYLVÆ *cæduæ, omnia ipse qui defert, æstimet.* Similis & enumeratio omnino Claudiani *in Theodori COS. a v. 176.*

- - nunquam mihi cura tot annos
Altera, quam duras sultis mollire nouales?
Nosse SOLI VIRES, NEMORI *quæ commoda rupes.*
Quis felix OLEÆ *tractus, quæ* GLEBA *foueret*
Frugibus aut quales tegeret VINDEMIA *colles.*

2. Memorat *Secundo* loco Imperator, simul & Inuentario comprehendi vult, Ædificiorum ac possessionum ornatum. 3. *Mancipia* rustica, vrbana, eorumque artes & genera: 4. *Casarios*, & *Colonos*, vbi *Casarii* quid sint, videndum est: *Quot sint*, inquit, *Casarii vel coloni:* Neque alia certe aut antiquior huius nominis mentio mihi occurrit. At enim multa postea eorum, siue *Casatorum*, *Casaticorum*, *Casalium* (tot enim nominibus vocati) mentio occurrit, veluti in Capitularibus, *l. 3. c. 73. & c. 80. l. 5. cap. 198. & Addit. IV. cap. 132. 143.* in veteribus chartis, imo & in veteri Inscriptione quadam. Deque ea voce Pithœus, Lindenbrogius, Spelmannus, Iuretus *in Iuonem:* Ex *hac* sane *leg.* apparet liquido, non fuisse eos *seruos*; a mancipiis enim separantur, pariter vt in testamento Caroli M. Item a *Colonis* separantur, imo & iis præmittuntur: Quare dignior eorum quam colonorum & mancipiorum ratio fuerit. Et certe *Casarii* fuisse videntur, qui singulis casis administrandis colendis præpositi erant: in cuiusmodi casas plures (nos *massas terræ*, *Metayries* vocamus, Angli *hidas*,) maiores fundi diuidebantur: a *Casis*, videl. quæ iunctæ fundis: *l. 20. D. si seruit. vind. l. 41. §. 3. D. de relegatis.* Vnde & *Casata*, & *casamentum*, de huiusmodi agri modo: v. Spelmannum. Et homines de Corpore & de Casatlagio, *in Consuet. Tolosan. tit. de homagiis, articulo 8.* Quos ibi interpretantur, de domo & familia seruili, intra casas ruri seruientes. *Quinto* loco Inuentario comprehendi vult Imperator *Boues*, eorumque vt & vomerum numerum adscribi vult Imperator. 6. *Pecora* item & armenta. 7. *aurum*, argentum, vestes, monilia: eorumque pondera & species. 8. Tandem & *enthecas*, seu quid in enthecis repertum sit, id est, quid in instrumento & instructo rustico, vrbano repertum fuerit, id enim omne *entheca* appellatio complectitur de quo alibi: Angustior vero est *Apotheca* appellatio (quam hic substituit Tribonianus) complectitur enim ea tantum condita, seu quæ in conditis sunt. Et hæc quidem omnia vtiliter traduci possunt ad omne Inuentarii genus, vbi res *specificari* debent, & per *capita* rerum distingui.

Cæterum ex *hac* quoque *lege* discimus, *vers. quantum*, vt & aliis multis, nullo discrimine res proscriptorum non tantum immobiles sed & mobiles, etiam aurum & argentum priuatæ rei incorporari solita. Vt proinde non assentior viro docto Valesio *Annotat. in Am. Marcell. lib. 15. cap. 5. pag. 86. edit. Gronou. not. a.* existimanti ferme fundos ac prædia Rei Priuatæ applicari solita; aurum vero & argentum, largitionibus: allegata etiam *hac l.* & *l. 20. inf.* Neque quicquam iuuatur ea Sententia *arg. epistolæ Iuliani 43. ad Hecebolum:* vbi iubet Iulianus Edessenæ Ecclesiæ *pecunias omnes*, τὰ χρήματα ἅπαντα, diuidi militibus, καὶ τὰ κτήματα τοῖς ἡμετέροις πριβάτοις, *& facultates priuatis suis:* neque enim indicatur hæc largitionum & priuati ærarii differentia, verum in specie illa Iulianum ilico pecunias in milites diuisisse, fundos vero Rei priuatæ suæ incorporasse.

VIII. (a) Imppp. Gratianus, Valentin. & THEOD. AAA. Eutropio (b) P. P.

DEPORTATO (c) *si erunt Liberi nepotesue*, sui seu emancipati, nepotes quoque (d) ex filia, semissem tantum bonorum fiscus vsurpet, semissis (e) ipsi ac liberis hac distributione seruetur, vt sextantem ipse ad fortunam ab extrema inopia vindicandam suæ habeat potestatis, trientem liberi, nepotesue: scilicet indifferenter, siue hii ex filio siue filia erunt. Quod si * idem & emancipatos, & suæ (f) potestatis filios, nepotesue habuerit, beneficium tantum ad eos, qui in potestate sunt transferatur, si emancipati ea
P.335. quæ consecuti erant emancipationis tempore damnose (g) existimant conferenda. Sin autem confusionem (h) bonorum & donationis elegerint, omnia ea, quæ fiscus (i) concedit, æquæ diuisionis partibus sortiantur. Quæ regula etiam in dote filiæ vel neptis ex filio (k) conferenda custodienda erit. * Et si filius (l) quidem erit aut filii, ex filio autem alio filiisue aut filia nepotes, triens hic in stirpes non in capita diuidatur. Quod (m) si deportatus sine liberis, vel nepotibus *Patrem habebit ac matrem*, vel etiam vtrumque, non semissis a fisco, sed bensis (n) patrimonii vindicetur, triens residuus in duos sextantes redactus inter parentes ac deportatum æqualiter diuidatur: ita vt vnciam mater, si ius liberorum habuerit, vsurpet. Sin fecunditatis (o) priuilegium non habebit, patri vnciam iam habenti mater semunciam ex vncia sua cedat. Idem seruabitur, si deportato ex duobus parentibus vnus supererit, vt sextantem sine aliqua malignitatis interpretatione præsumat: (p) at tunc (q) quidem mater, etiam si ius non habuerit, liberorum: quam superstes vir vt sanximus, semper excludet. (r) Quod (s) si deportato *nec liberi fuerint, nec parentes*, dextantem fiscus accipiat, sextans ei ad vitæ adflictæ adminicula reseruetur. Exceptis (t) his qui crimine fuerint Maiestatis adflicti: nam in eo casu solum sextantem iubemus filiis ac nepotibus reseruari: his regulis, quibus supra est constitutum, dextantem fisco vsurpante: ipsum vero in tam atroci facinore conuictum, non solum deportatione, sed egestate puniri conueniet. Dat. XV. Kal. Iul. Thessal. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) Iungendæ *huic legi* sunt *leges sex*: puta *lex 9. prox. inf. l. 6. sup. de sponsalib. l. 1. sup. si prouinciæ Rector*: *l. quicunque 6. sup. de his quæ administr. l. 1. sup. de vsur. rei iudic. l. 2. sup. ad leg. Iul. Repetund.* Cum *hac leg. & seq.* non male conferatur *lex 15. infr. de petitionib.* GOTHOFR.

(b) *Eutropius* PP. sub Theodosio M. Orientis scil. vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Prima hæc sententia abest a *Cod. Iust.* Hinc sane PRIMVM caput huius *leg.* initium ducit, de LIBERIS deportati. *IDEM.*

(d) Etiam ex filia: vt mox, *indifferenter, siue hii ex filio, siue filia erunt. ID.*

(e) *Semissis* hic & *inf. secundo cap.* vt *semis. ID.*

* *Lex 8. Cod. Iust. de bonis proscriptor.* hinc desumpta. *ID.*

(f) Id est, *suos*, vt *C. Iust. d. l. 8. IDEM.*

(g) Id est, putant sibi collationem damnosam, atque adeo conferre nolunt, contra iis quæ emancipationis suæ tempore consecuti sunt, contenti esse malunt. In Cod. Iust. *damno suo, d. l. 8. ID.*

(h) *Collationis* definitionem hinc erue: vt sit confusio bonorum & donationis. Paulus quoque *5. sent. tit. 9. §. vlt.* Confusionem bonorum vocat. *ID.*

(i) *Liberis damnati concedit.* Cod. Iust. *d. l. 8. ID.*

(k) *Ex filio deportati*, Cod. Iust. *d. l. 8. RITTER.*

* Reliqua quæ sequuntur, absunt *a Cod. Iust.* GOTHOFR.

(l) Quid si mere fratrum liberi sint? Casus hic non expresse hic deciditur. *ID.*

(m) SECVNDVM *huius l. caput* de PARENTIBVS deportati. *ID.*

(n) *Bensis*, pro bessis. V. *de Ortogr. Cod. Theod. ID.*

(o) Fecunditatis priuilegium *hic*, supra, ius liberorum: de quo suo *titulo, supra, lib. 8. ID.*

(p) Deportatus scil. *ID.*

(q) *vel. Alterum quidem:* sextantem scil. *ID.*

(r) In *semiuncia:* altera quippe matri etiam ius liberorum non habenti relinquitur. *ID.*

(s) TERTIVM *huius leg.* caput: de SOLO deportato. *ID.*

(t) QVARTVM caput de MAIESTATIS crimine. *ID.*

COMMENTARIVS.

I. DEPORTATORVM bonis (quæ alioquin fisco solida cedunt, de quo ad *l. vn. inf. de sent. pass. & restit.*) aliquid abradi hac Theodosius M. constitutione vult, summa indulgentia: id est aliquid

aliquid ex iis bonis deportato ipsi, aliquid liberis eius & parentibus relinqui: Nempe DEPORTATO ipsi, sextantem cedere vult: excepto tantum Maiestatis crimine: in hoc quippe atroci facinore conuictum etiam egestate puniri deportatum vult Theodosius. Hoc illud scil. crimen est, quod ab omni iuris priuilegio & beneficio semper exceptum fuit: & cuius rei non tantum pœna verum etiam egestate puniri oportet: de quo v. quoque *l. 3. sup. ad Leg. Cornel. de sicariis.* vt ita perpetua egestate sordentibus (quod de filiis dicitur perduellionis Rei, *d. lib. 3.*) sit & mors solatio, & vita supplicio.

Hinc interim notandum, Maiestatis Reos non semper capite damnatos, verum & deportatos quandoque tantum: quod etiam docet *lex 24. D. de pœnis: l. 40. D. eod. tit. iunct. leg. 4. D. ad Leg. Iul. maiestatis.* Deportato igitur extra Maiestatis crimen aliquid bonorum, sextans inquam ex hac Theodosii M. constitutione relinquitur. Quod quidem est Clementiæ Theodosianæ inter alia argumentum: Nempe quibus vitæ lucisque vsura relinquitur, & bonorum aliquid relinquendum Theodosius clementer putauit: Alioquin deportationis ipsum per se nomen, omnium rerum spoliatio est: vt Constantinus loquitur, *l. vn. in f. inf. de sentent. passis.* Et hæc de ipso deportato.

II. LIBERIS deportatorum pariter Theodosius M. cuiuscunque sexus, gradus, conditionis trientem seu tertiam partem bonorum hac constitutione indulget, etiam emancipatis, etiam ex filia nepotibus. Quod ius de liberis proscriptorum, quam varie habitum fuerit, docuit iam *l. 2. 4. 6. sup.* Docebunt & aliæ e sequentibus. Excipitur & hic Maiestatis crimen: ita tamen vt & in eo pars quædam liberis relinquatur, nempe ea ipsa, quam in aliis criminibus ipsi deportato Theodosius superius adsignauit; nempe Sextans, quod & ipsum Theodosianæ clementiæ argumentum est: Alia quippe mens fuit Arcadio *in d. l. 3. ad leg. Cornel. de sicar.* alia mens Honorio, *l. 23. infr. h. t.* Et sane huius criminis atrocitas regulariter nihil relinquit heredibus, vt loquitur *d. l. 23.* Alia pariter sententia fuit Valentiniano, *l. 6. sup. h. t.* nam vt ibi loquitur; Crimen istud qui sacrilego animo adsumit, iuste pœnam ad suos etiam posteros mittit. Alia quoque sententia Constantio, *l. 2. 4.* Denique, cui non ferme alia sententia fuit, etiam ex anterioribus Principibus, paucis exceptis;
P. 336 id quod etiam Constantius ipse indicat, *d. leg. 2.* ibi: *non condentes pœnam, sed relinquentes antiquam:* Paucis inquam, exceptis, de quibus *ad eam leg. 2.*

Et sane summam Theodosii lenitatem in hoc Maiestatis crimine peculiari Oratione commendauit in Senatu, Themistius *Orat. 5.* quam circa hæc tempora habitam non inanis est coniectura, imo certissima. Habita quippe ea Oratio, cum Theodosio nonnisi vnicus esset filius Arcadius. Atqui anno demum 384. natus Theodosio alter filius Honorius. Sed & nota est mirifica huius Theodosii in Antiochenos clementia, de qua videndus quoque Baronius Anno 388. & de qua nos alibi.

Trientem igitur, excepto Maiestatis crimine, deportati liberis Theodosius *h. l.* concedit, & quidem emancipatis quoque, itemque filiabus & ex filia nepotibus. Emancipatis, inquam, si modo quæ emancipationis tempore consecuti fuerunt (vt plerumque in emancipando parentes aliquid liberis largiebantur, quo se iam tuerentur & vitam tolerarent; vt præter *hanc legem* ostendit *l. 2. sup. de donat. l. vlt. sup. de reuoc. don. l. 2.* & *vlt. C. Iust. de emancip. liber. l. 3. §. 3. D. de admin. rerum ad ciuit. pert.*) in medium conferant: Et filiæ, dotem scil. bonorum & dotis collationem, vt Edicto Prætorio Emancipati & filiæ ad bona paterna admitti se postulantes, eadem bona in medium conferre tenentur, ita & Theodosius *h. l.* ad Trientis istius communionem sub eadem collationis lege eosdem vocat. Alioquin si id facere recusent, & vt loquitur ipsemet, *si ea damnose existiment conferenda*, ab *huius l.* beneficio eos excludit. Manifesta quippe est huius collationis æquitas *l. 1. D. de collat.* quod etiam his verbis indicatur: *Æqua diuisionis partibus sortiantur.*

Additur modus diuidendi huius trientis, nempe inter filios, & nepotes ex filiis, puta in stirpes, non in capita, quæ ordinaria est & legitima diuisionum & successionum ratio. Denique Theodosius in hoc triente successionis rationem haberi voluit.

III. PATRIBVS etiam & MATRIBVS, deportatorum liberis deficientibus, nonnihilum etiam ex deportati bonis Theodosius hac Constitutione tribuit. Nempe Sextantem; ita quidem, vt si vel pater tantum vel mater tantum extent, totus sextans superstiti cedat, & quidem matri, etiam si non habeat ius liberorum; si vero vterque parens concurrat, sextans inter eos æqualiter diuidatur, sic vt pater habeat vnciam, mater habeat alteram; dummodo hoc casu mater habeat ius liberorum. Nam si mater cum patre concurrens non habeat ius liberorum, ipsa nonnisi semunciam, id est dimidiam vnciam consequitur, patri vero cedit sescuncia, id est vncia cum dimidia.

Ex his interim duo notanda sunt: Primum effectus iuris liberorum in matre, quod etiam *fœcunditatis priuilegium* vocatur, de quo *suo titulo* dictum est *lib. 8. de iure liberor.* Secundo notandum, iuris istius liberorum hac parte rationem non habitam, si mater sola esset; habitam, si cum patre concurreret; & quidem ad formulam *legis Papiæ*, qua Orbi solidum non capiunt: sed dimidium tantum, vt hoc casu mater ex sextante nonnisi semunciam fert.

Hæc vero in totum constitutio velut solemnis iam quæque ad multos iuris articulos, & quæstiones aptari potest, notetur: 1. Nempe vsus eius esse potest in argumento de *Deportatis.* 2. in materia *successionum.* 3. *suorum* item & *emancipatorum* exæquatione. 4. *Nepotum* quoque ex filia. 5. circa *Diuisionem* hæreditatis seu assis; pleraque enim nomina partium hic continentur: Dextantis, Bessis, semissis, Trientis, sextantis, Vnciæ, Semunciæ. 6. vbi agitur de excludendis per suos emancipatis. 7. de *Collatione* ab emancipatis facienda, donationis, vel dotis. 8. de *successione diuidenda* in stirpes, non in capita. 9. de *Patribus*, quorum non æqua prorsus quæ liberorum ratio. 10. de Diuerso quandoque *patris* & *matris* iure. 11. de *Fœcundiatis* priuilegio. 12. de Crimine Maiestatis. Tot. scil. *Iuris* obseruationibus ex vltima Iurisprudentia petitis hæc *lex* fœta est; quæ singula illustrare longum nimis foret, indicasse ea sufficit.

Tandem cum *h. l.* conferatur proxime sequens, quæ vt *huic* iungenda est, & argumento proxima est, ita complurima similia habet.

Quibus Liberis *&* Parentibus, *quoue ordine bona damnatorum deferantur; accurata Theodosii M. lex.*

IX. (a) Idem AAA. Eutropio PF. P.

SI aliquis supplicio (b) fuerit adflictus, *filiis* quidem omnium facultatum deferatur prima successio. Nepotes vero (c) ex filia gradus secundus admittat: si tamen nullus suorum fuerit inuentus, qui eos antecedat: (d) hereditate, (e) in stirpes non in capita diuidenda. Quod æque obseruabitur, si erit filius ac nepotes qui ab intestato successuri defuncto, vel ex duodecim (f) Tabulis, vel per rescissionem (g) capitis Prætorio vocabuntur edicto: Emancipatis & filia necessitate conlationis adstrictis. Progredietur tamen beneficium etiam ad tertii (h) gradus liberos, si modo ex virili stirpe descendunt. Ita dumtaxat, vt sub hoc casu ipsi semissem, semissem fiscus vsurpet, ea distributione partium, quam ius ciuile disponit. Quod * si supplicio huiusmodi adflictus comprehensorum graduum liberos non habebit, tum capite secundo *pater ac mater* in trientem duntaxat vocetur, bense ad ærarium publicum transferendo: atque ita, si matri ius fuerit liberorum, (i) partes inter vtrumque parentem sextantibus impleantur: Sin deerit, (k) quadrantem pater, vnciam mater accipiat. Quod si interfectus (l) patrem tantum reliquerit, nihilo fecius vindicatione trientis vtatur. Item si matrem, modo ea ius habeat liberorum. Sin
P.337 autem sola supererit mater, Papiæ tamen (m) legis priuilegiis destituta, neque trino partu fecunditati publicæ gratiosa, sextante contenta sit, fisco dextantem vsurpante. Tertii * capitis hæc erit regula, vt secundi quoque gradus parentes *auum* scilicet *atque auiam* paris beneficii foueat sanctio. Paternus tamen hoc casu non & maternus auus & auia quærentur: vt quadrantem ex defuncti accipiat bonis: ea diuisionis lege quæ circa patrem ac matrem diuersis est casibus explicata. Iungimus tamen capite tertio auo auiæque *fratrem* perempti ac *sororem*, ita vt in capita diuidi quadrantem hisdem existentibus sanciamus: Ac si cui perempto cum fratre ac sorore manserit consanguinitatis agnatio, Sit Duodecim Tabulis (n) locus, ac ius ciuile præualeat, vt auus atque auia cognatorum gradu inuitati vinci se a legitimis adquiescant. Quo quidem casu tres vnciæ inter sororem ac fratrem æqualiter diuidentur. *Vterinus* autem frater ac soror eodem gradu, quo auus & auia vocabuntur. Sin omnes hæ deerint punito necessitudines, fisco omnia vindicentur. Dat. XV. Kalend. Iul. Thessal. Gratiano V. & Theod. I. A. Coss. [380.]

NOTAE.

a) Iungendæ quænam *huic legi* sint *leges*, ad superiorem ostensum est. Nam ea ipsa *huic* iungenda est. Cæterum abest *hæc l.* a *C. Iust.* GOTHOFR.

(b) Alio quam deportationis, de quo *l. superiore.* *ID.*

(c) Etiam ex filia. *ID.*

(d) Nempe, quod notissimum, nepotes tum demum ad successionem admittuntur, si pater viuo patre suo desierit suus heres esse, aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus a patris potestate. Tum enim nepos neptisue in locum patris sui succedit. *ID.*

(e) Hoc ipsum, vt cæteroquin in omnibus successionibus, ita & in deportati liberis superiori *leg.* statuitur. *ID.*

(f) Ex XII. Tabb. sui & in potestate retenti. *IDEM.*

(g) *Rescissionem capitis* vocat, cum vid. Emancipationis & capitis minutionis ratio non habetur, neque ratio capitis minutionis habetur; haud aliter ac in actionibus capite minuti restituuntur, rescissa capitis minutione, quasi quid factum non esset. *ID.*

(h) Vide *l.* 2. *supr.* *ID.*

* Secundum caput de *Patre & Matre.* *ID.*

(i) De eo quoque *d. leg. superiore.* *ID.*

(k) id est, Si matri non fuerit ius liberorum. *ID.*

(l) Agitur itaque *hac lege* etiam de capitis pœna, quam vtique non sequebatur Bonorum proscriptio. Vide *Fragm. leg. Iul. & Pap.* & ad eam notas. *ID.*

(m) Vide *cap.* 14. *l. Iul. & Papiæ.* Vide Dion. *lib.* 55. & 56. *ID.*

* Tertium caput de *Auo & Auia*: itemque de *fratre & sorore.* *ID.*

(n) Cuius hoc caput: Ast si intestato moritur, cui suus heres nec extabit, agnatus proximus familiam habeto. *IDEM.*

* Postremum caput de Fisco. *ID.*

COMMENTARIVS.

SVPPLICIO affectorum, peremptorum, interfectorum, punitorum, citra bonorum proscriptionem (de hoc enim actum est *superiore lege*) bona, quibusnam, quoue ordine deferantur, hac constitutione Theodosius M. diligentissime cauet; ad rationem videlicet Iuris Ciuilis & Prætorii, quod ipsemet profitetur: *Iuris ciuilis*, inquam, id est legis XII. Tabb. & leg. Papiæ.

Primo igitur capite FILIIS omnem successionem defert; Filiis inquam tam primi gradus, quam secundi, id est nepotibus, etiam ex filia, imo & Emancipatis. Nepotibus videlicet ita demum, si nullus suorum eos antecedat; Emancipatis & Filiæ ita, si bona, si dotem conferant, quod & ipsum de Deportati liberis *sup. l. prox.* dictum fuit. Denique ita Nepotibus: vt & cum filiis concurrentibus iis, & solis existentibus hereditas in stirpes non in capita diuidatur. Et hæc de liberis primi & secundi gradus. Tertii gradus Liberos, id est pronepotes admittit quoque Theodosius, sed non ita largiter: nonnisi ex virili quippe stirpe descendentes admittit: deinde semissem eis tantum bonorum tribuit, alterum vero fisco addicit.

Ex quibus omnibus hæc obseruanda veniunt: In secundo gradu etiam ex filia nepotes admitti, non admitti in tertio, ex hac Theodosii constitutione, ad rationem Iuris ciuilis, qua nati ex Filia non succedebant iure repræsentationis; imo nec a Prætore vocabantur ex capite, *vnde liberi:* idque ius stetit per hæc tempora, & nouem annis demum post mutatum id: *l. 4. sup. de legit. hered.* Cum tamen ex Constantii constitutione nulla facta fuerit huiusmodi distinctio, *l. 2. sup.* inter tertii gradus liberos ex filio vel filia. Rursum cum nulla facta fuerit graduum distinctio *lege* Valentinianea, puta *l. 6. sup.* cuius mentio fit *l. 10. prox. inf.* Verum indistincte liberis substantiam damnatorum in qualibet causa positis adiudicat.

Secundo obseruandum, Nepotes ita demum admitti, si nullus suorum fuerit inuentus, qui eos antecedat; de quo vide *§. 2. verb. ita demum. Inst. de heredit. quæ ab intest.* & *§. 2. Inst. de Hered. qualit.*

Tertio obseruetur, quod de rescissione capitis, deque vocatis Prætorio Edicto per rescissionem capitis dicitur. Nempe emancipatis bonorum possessio datur, ac si capite minuti non fuissent: & sic capitis minutio rescinditur, pariter vt in Edicto de capite minutis eo res redigitur, ac si capitis minutio facta non fuisset. Denique emancipatio rescinditur per bonorum possessionem, *l. 6. §. 1. D. de bonorum possess.*

Quarto obserua *duplex* ab intestato *succedendi ius* ex XII. Tabb. seu iure ciuili, & ex Prætoris Edicto: quæ successionum ab intestato recta diuisio est.

Quinto obseruetur *collationis* necessitas hoc casu, quam & *superior lex* requirebat.

Sexto notetur diuisio *successionis* in stirpes, non in capita: Non tantum cum Nepotes cum filiis concurrunt, verum etiam cum soli Nepotes seu fratrum liberi; quod hic expresse definitur, *vers. Nepotes;* vt proinde iam conquiescere debeat tot ingeniis agitata quæstio, vtrum duorum fratrum liberi in capita succedant, an vero in stirpes, de quo alius erit dicendi locus.

Postremo obseruetur, liberis primi & secundi gradus totam supplicio affecti successionem deferri: at liberis tertii gradus, non nisi semissem. p. 338.

2. PARENTIBVS in defectum liberorum trientem bonorum damnati, Theodosius *hac leg.* adiudicat, reliquum vero bessem ærario publico: Ita quidem, vt si pater solus sit, totum trientem sibi vindicet: si mater sola quoque sit, eundem trientem adiudicat, si modo *Papiæ legis* priuilegiis nixa sit; id est si ius liberorum habeat, atque trino partu fœcunditati publicæ gratiosa existat: si non sit, sextantem tantum. Si autem pater & mater concurrant, triens inter eos diuidendus est ex æquo, si videlicet mater habeat ius liberorum: Nam si non habeat, pater ex triente tres vncias, mater vnciam tantum feret.

Ex his obseruetur *Papiæ legis* priuilegium, & trini partus, seu iuris liberorum, quod & ipsum in specie *legis superioris* memoratur.

Secundo obseruetur proportio diuisionis inter patrem & matrem iure liberorum non subnixam, quæ est quadrantaria, id est, vt e quatuor partibus tres ferat pater, quartam mater; quæ & ipsa in specie *superioris legis* obseruatur, vers. *sin fœcunditatis.*

3. Auo vero & AVIÆ, fratribus & sororibus, liberis, patre & matre deficientibus, successio supplicio affecti defertur his conditionibus. Primo vt Quadrans tantum his deferatur, non etiam triens, vt superiori capite.

Notetur ergo & hæc proportio, Filiis scil. primi & secundi gradus totus As relinquitur; liberis tertii gradus Semis; Patri & Matri Triens; Auo & Auiæ vt & fratribus & sororibus Quadrans.

Secundo obseruetur, paterno tantum Auo hoc beneficium competere.

Tertio Quadrantem inter eos diuidi, vt *sup. cap.* inter Auum & Auiam.

Quarto notetur, fratres & sorores cum his concurrere, emancipatos videlicet, sic quidem, vt in capita Quadrans diuidatur inter vterinos fratres & sorores; si vero consanguinei sint fratres & sorores, & quibus agnatio manserit, veluti legitimi heredes Auum & Auiam vincunt seu excludunt. Aui quippe & Auiæ gradu cognatorum inuitantur, at fratres agnati gradu legitimorum ex XII. Tabb. & iure ciuili: Obseruetur itaque differentia fratrum consanguineorum & vterinorum; rursum differentia fratrum consanguineorum, inter quos mansit cognatio, & eos qui capite minuti, quæ omnia vetustissimi iuris sunt vestigia. Quæ omnia prosequi longum nimis foret. In summam de *hac l.* idem iudicium faciendum, & *huius l.* non minus quam *superioris*, cui ea coassanda est, vsus multiplex esse potest.

Ad POSTVMOS LIBEROS *beneficium legis 6. sup. pertinere: & cautelæ, quas obseruari oportet circa* VENTREM.

X. (a) Idem AAA. Postumiano P.P.

AD beneficium legis Valentinianæ + pertineant *Postumi* quoque puniti (b) patris, vt bona faciant non caduca. (c) Et ne quis partum qui (d) fuerit, vel subpositum arguat, vel non subpositum mentiatur, si forte eo tempore, quo maritum seueritas rapiet ad

ad pœnam (e) (excepto tamen Maiestatis reatu, sicut ante præceptum est) grauidam, se vxor aduerterit, mittat (f) ad iudicem, conueniat magistratus, maneat deposita de conceptione testatio, petantur futuræ partitudinis (g) testimonia, adhibitisque custodibus fecunditas (h) pudica seruetur. Quippe illam fidem solam generis fisco nostro volumus esse potiorem, de cuius minime natiuitate dubitetur. Dat. VIII. Idus April. Constantinopoli, Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

Interpretatio. *Si quicunque damnatus prægnantem reliquerit vxorem, statim mulier de conceptu suo Iudicem, vel Curiales contestetur, vt cum pepererit, in bonis damnati postumus, id est post mortem patris natus, succedat.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem huic, *lex* 98. *infr. de Decurionib.* GOTHOFR.

† Intelligit *legem sextam*, *sup. hoc titulo*, Valentiniani. *ID.*

(b) Damnati, *d. l. 6.* rapti ad pœnam, *infr.* supplicio affecti. *ID.*

(c) *Caduca* bona, *h. l.* dicuntur, quæ ex delicto in fiscum cadunt, de quo alioquin *suo titulo, de bonis vacantibus*, *IDEM.*

(d) *Cum fuerit, vel expositum arguat, vel non expositum mentiatur*, ita hæc leguntur in MS. W. *RITTER.*

(e) Capitis. *GOTHOFR.*

(f) *Mittet*, & mox, *conueniet.* Sichard. *RITTER.*

(g) *Partitudo*, *h. l.* vt & apud Plautum *Aulul. Actu* 1. *Sc.* 1. *v.* 36. quod etiam obseruat Nonius, *c.* 3. *voce*, *Partitudinum*. 6. *GOTHOFR.*

(h) Ita, fœcunditatis priuilegium, *l.* 8. *sup.* ita, trino partu fœcunditati publicæ gratiosa, *l.* 9. *sup.* *ID.*

(i) *Genus* pro liberis. *ID.*

COMMENTARIVS.

Postvmos quoque liberos damnatorum capite punitorum fisco præferri iubet *hac l.* Theodosius M. constitutione videlicet *Valentinianea 6. sup.* confirmata, eoque tracta, atque eius beneficio non modo ad natos, verum etiam ad postumos liberos porrecta; excepto semper (pariter vt in *d. l. 6.*) Maiestatis crimine. In cæteris vero criminibus beneficia legum liberis tributa, ad postumos quoque pertinent ex communi iuris Regula. Vicissim in Maiestatis crimine odium in liberos etiam in Postumos diffunditur, vt spoliati scilicet bonis, in Principem minus audeant. Itaque hæc *lex* Do-
P. 339. ctores nostros quosdam aperte refutat, qui ab irrationabili, vt volunt, odio, *leg. 3. ad leg. Cornel. de sicar.* Postumos ineptissime excipiunt, quos & ratio *legis* illius, vt recte Connanus obseruauit *lib. 10. comment. in fin.* & textus *h. l.* expressus arguit.

Cæterum, ne qua fraus hac parte vel controuersia de partu postumo oriri possit, ne quis suppositum arguat, contra ne facile partus supponatur, Theodosius Imp. *hac l.* Edictum ferme Prætoris de custodiendo partu obseruari iubet: Quinque sequentibus cautelis eum in finem constitutis, quæ post mortem damnati alicuius adhiberi debent. *Primo*, vxor damnati, quæ grauidam se aduerterit, mittere iubetur ad iudicem, id est, Rectorem prouinciæ certiorem facere debet de vtero suo. *Secundo:* ipsa conuenire debet Magistratus municipales scil. loci, vbi ipsa consistit; id est, apud quos (quod *Tertium*) fiet Testatio deposita, id est scriptura, seu acta gestaue de conceptione: Et (quod *Quartum*) petantur futuræ partitudinis testimonia. *Postremo:* Custodes ei adhiberi iubentur. Quæ omnia diligenter notanda sunt velut singularia: ne alioquin, vt hic dicitur, partum quis suppositum arguat: & viceuersa, ne quis mentiatur non suppositum: id est ne falso neget suppositum, qui reuera suppositus est.

Obseruandum, denique, coassandam huic *legem* 98. *infr. de Decurionib.* qua etiam *leg.* consulitur Curiis, sic vt de filiis pariter Decurionum aliqua caueat, nempe de his retinendis loco parentum excusatorum, vt & de filiis Magistrorum ad Curiam vocandis: Et sic in Curiarum fauorem contra filios nonnulla cauentur, vti *h. l.* retro in filiorum fauorem, contra fiscum. Curiæ scil. munerumque publicorum potior ratio esse debet, *d. l. 98.* contra, potior liberorum quam fisci: *h. l.* liberorum inquam, vbi fides generis adest. Seu de eorum natiuitate minime dubitatur, vt *h. l.* dicitur: sic vt hi faciant bona non caduca, id est, impediant ne fisco adquirantur. Quæ similibus firmare testimoniis, vel exemplis, nil attinet.

De Forma Incorporationis *bonorum proscriptorum, deque* Titvlis *Principis adfigendis.*

XI. (a) Imppp. Theodosivs, Arcadius, & Honorius AAA. Rufino P. P. (b)

Si qui pro atrocitate commissi formam (c) eiusmodi sustinebunt, vt bona eorum proscribtionis nomine vindicata fiscalibus sint socianda corporibus, commemorationem nostrorum Nominum in his titulis nolumus (d) fieri, qui eorum postibus adfigentur, vel his, (e) quorum ius ac proprietas auferetur. Officium etenim Palatinum (f) decem librarum auri multa dispendioque vexabitur, (g) si hoc deinceps crediderit negligendum.

dum. (h) Dat. die Kal. Maii, Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio V. C. Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iustinian.* GOTHOFR.

(b) *Rufinus* PP. sub Theodosio M. Orientis scil. vid. *Prosop.* ID.

(c) *Forma*, condemnationis scil. & Iudicis, sententiæ. IDEM.

(d) *γρ. Volumus*, mox vt pluribus ostendam. ID.

(e) De hoc loco mox. ID.

(f) Intelligit Officiales Rationalium Rei priuatæ; de quo ad *l. 1. infr. de incorporat.* ID.

(g) *Vexari* multa &c. est *puniri, multari.* ID.

(h) Et hæc vox superiorem emendationem firmat. Præcipit enim *hac lege* aliquid fieri, non vetat. ID.

COMMENTARIVS.

Ad Incorporationis formam pertinet hæc constitutio Theodosii M. quæ nuper etiam solemnis euasit, ob multa circa eam dicta tentataque a Viris clarissimis, non quidem per quos ea incorporatio fieri debeat, eam quippe formam præscribit *l. 3.* & *l. 7. sup.* verum, quo ritu. Nempe, *Titulos* Principis nomine inscriptos, per Palatinos, id est, Officiales Rationalis rei priuatæ (vt docuit *d. l. 7.*) postibus eorum adfigi hac constitutione Theodosius iubet, *vel his* scilicet prædiis, *quorum ius & proprietas fisco vindicatur.* Itaque *in h. l.* omnino rescribendum, *Volumus:* quod & *lex 20. inf.* aperte confirmat; & *l. 1. inf. de incorporatione: l. 4. inf. de Aquæ ductu:* & Cassiodorus *IV. Var. 14.* & *V. Var. 6.* & Gregorius *in Registro lib. 1. indict. 1. ep. 63.* Nempe vt solius Principis erat titulos prædiis apponere, vt docet *tit. C. Iust. vt nemo priuat. tit.* & *Nouella Iustin. 28. 29. 30.* Ita eius nomen inscribi oportuit. Hinc *Sacri Tituli* Symmacho *lib. 5. ep. 54.* Hinc *l. 1. infr. de incorporatione: Tituli*, inquit, *quorum adiectione prædia nostris sunt consecranda nominibus.* Hinc *l. 20. inf. h. t. per agros, per cuncta domicilia, titulos nostræ Serenitatis affigi præcipimus.* Omitto innumera alia, quæ ad *d. l. 1. de incorporatione*, congeram. Quare primus error est Viri Clarissimi *de modo vsurarum, p. 640.* & *p. 644.* qui, *nolumus*, hic tuebatur, quasi præ modestia Augusti illi, quorum hæc *lex* (*Theodosium* solum dicere debuit, qui secundus error) in titulis illis commemorari se noluerint: Nam imo commemorari eos omnino oportuit, & vero iubet *h. l.* Theodosius, quod etiam ex *fine legis* discimus. Neque quidquam tam solemne, & requisitum hac in re: vnde & *βασιλικαὶ σανίδες*. Idemque in *l. 1. Cod. Iust. vt nemo priuat.* dicitur, *Regiæ tantum Maiestatis esse, vt nostræ Domus & patrimonia titulorum inscriptione legantur, & nomen Dominicum præscribi.* Vbi *nomen Dominicum*, ne quis erret, est Imperatorium, non Domini priuati. Vide & *Nouellam* Valentin. *23. int. Theodos. de Tribut. fiscal.* Neque etiam eidem Viro CL. (qui tertius ad *hanc l.* eius error est) accedo, in *hac l.* reponenti, *vel velis*, pro, *vel his*: nam neque posteriora illa hanc emendationem ferunt, *quorum ius ac proprietas auferetur*, quæ sane cum illis, *vel velis*, nec quicquam cohærerent. Quid igitur? Reponendum putet quis, *velut his*: vt ita his verbis ratio contineatur, cur commemoratio Principis in his titulis fieri debeat, iique post bus domorum bonorumque adfigi debeant, vtpote vel ceu quorum ius ac proprietas his auferatur. Nempe indicio hæc sunt, auferri bona hæc priuato pristinoque domino; contra fisco seu Imperatori ea adquiri: quare mutato domino in Imperatorem, eius nomen titulis adfixis adscribi oportet. Tandem neque eidem accedo, tertia emendatione *h. l.* percellenti: Nihil enim hic immutandum: his scil. verbis, *vel his*, indicantur alia bona prædiaque seu fundi, quam *postes* seu domus. Nempe vt bona seu prædia alia vrbana erant, quæ *postium* appellatione hic designantur, quomodo & Chrysostomus loco quem profero ad *l. 1. inf. de incorporat.* diserte *σήμαντρα ἐν ταῖς θύραις* vocat: alia vero rustica erant, ita vtrisque tituli hi assignabantur. Ideo & *l. 20. dicitur per agros, & per cuncta domicilia.*

P. 340

Tandem recte *hac lege* dicitur, *nostrorum nominum*, neque hoc mutandum in, *numinum*, quod Vir doctus ille alioquin, quarto ad *hanc l.* errore, voluit. Ita enim quoque in *d. l. 1. de incorporat.* nostris nominibus, *l. vnic. sup. si quis Imperatori maled.* quæ & ipsa Theodosii M. est, *si quis petulanti maledicto nomina nostra crediderit lacessenda.*

Ad legis sententiam nunc redeamus. Ergo iubet omnino *hac l.* Theodosius M. proscriptorum bonis titulos Imperatorios adfigi, adponi: quod iam Palatini facere *negligebant*, hoc solemni ritu non obseruato. Quibus ideo decem auri librarum multam imponit. Quod quidem ipsum clare ostendit in *superioribus* legendum, *Volumus.* Nempe noluit id *negligi*, voluit contra obseruari: Ritus denique hic & solemnitas necessaria in incorporatione bonorum, ne alioquin hoc non obseruato, etiam non proscriptorum bona fisco calumniose vindicarentur. Et sic exemplum habemus *solemnitatis* necessario obseruandæ.

De Tatiano: *deque* Restituendis *bonis quibusdam, quæ proscripta fiscoque incorporata vel donata fuerant: Constitutio singularis Theodosii M.*

XII. (a) Idem AAA. Rufino P.P. (b)

Omnia proscribtorum bona, quæ fisco iusserat Tatianus adnecti, vel ipsis, qui propriam nuditatem: vel illis, qui suorum mortem in extrema positi egestate lugent, sine dubitationis obstaculo reddi præcipimus. Dat. Prid. Id. Iun. (c) Constantinop. Theod. A. III. & Abundatio V. C. Coss. [393.]

NOTAE

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a C. Iust.* Iungenda autem *huic* est *l. 23. inf. de annon. & tribut.* Item iungenda *l. 13. inf. prox.* quarum interpretatione simul defungemur. *GOTHOFR.*

(b) *Rufinus* PP. sub Theodosio M. Orientis scil. *ID.*

(c) Ita quoque *d. l. 23. inf. de annona & Trib.* verum ex *l. 13. inf.* reponendum *Ian. IDEM.*

XIII. (a) Idem AAA. Drepanio Com. R. P. (b)

OMNIA proscribtorum bona, quæ fisci nomine singulis (c) quibusque Tatianus eripuit, vel ipsis qui gladio aceruiorem (d) stilum (e) passi ærumnas suas nuditatem (f) fleuerunt: vel eorum, filiis, ac propinquis, qui (g) cruentas excepere sententias, restitui mox iubemus: ita vt omnes, qui aliquid ex huiusmodi bonis nostra liberalitate meruerunt, restituere indepta cogantur. Dat. Prid. Id. Ianuar. (h) Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Iungenda vt dixi *huic* est *l. 12. prox. supr.* itemque *l. 23. inf. de annon. & tribut.* *GOTHOFR.*

(b) Scilicet ad diuersos Magistratus super eadem re ei, exequendæ, Principum Constitutiones procedere solitæ seu emanare & exire. Ideo autem *Comiti Rerum priuatarum* hæc inscribitur, pariter vt *l. 17. inf.* quia de proscriptorum bonis agitur, deque eorum petitione; quæ priuato ærario competebant, seu priuatæ rei commodis, vt ait *lex 7. sup. h. t.* seu fiscali dominio vindicabantur, *l. 4. sup.* Quod & ipsum testatur Symmachus *lib. 5. ep. 66.* & Cassiodorus *VI. Var. 8.* Quod confirmat quoque *Nouella* Theodosii 44. *de competitionibus*: V. & *Nouellam* Maioriani 7. *IDEM.*

(c) De hac formula consule *Glossarium.* *ID.*

(d) *Acerbiorem.* Hoc autem vult: Proscriptione acerbiorem esse gladium. *ID.*

(e) *Stilum* pro proscribtione vsurpat absolute. Alias, stilus proscriptionis, *l. 7. sup.* *ID.*

(f) *γρ. Nuditatemque, vel nuditate.* *ID.*

(g) Hæc referenda sunt non ad proxima filiis & propinquis, sed ad illa remotiora, *vel eorum.* *ID.*

(h) Reponendum: *Iunias*, ex *d. l. 12 prox.* itemque ex *d. l. 23. inf. de annon. & tribut.* nisi ambæ illæ ex hac emendandæ sunt. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P. 341. RESTITVI, seu, reddi quandoque bona vel ipsis proscriptis superstitibus; vel si capitalem sententiam, &, vt loquitur *l. 13.* cruentam excepissent, eorum heredibus solita, non modo ex mera Principis largitate & munificentia, humanitate duriores casus & tristiorem fortunam molliente; vt loquitur *l. 17. inf.* deque eo dicendi locus erit, *inf. t. prox. de sent. pass. & rest.* verum etiam quia Iudicis a quo proscriptio facta fuerat, acta postea rescissa fuerunt, veluti Præfecti Prætorio. Nam his in summa administrationis potestate positis, proscribere & confiscare licuit, *l. vnic. sup. Ne sine iussu Princ.*

Eius rei exemplum præbent *hæ duæ leges*, quibus alioquin & *Tertia* iungenda est, puta *lex 23. inf. de annon. & tribut.* in Tatiano, inquam: Præfecto Prætorio Orientis, cuius acta *Quarta* adhuc constitutione irritantur *l. 131. inf. de Decurion.* itemque Proculi Præfecti Vrbis filii eius *l. 12. inf. de annon. ciuic.*

Cæterum, quæ hunc Tatianum spectant, ea prolixe notata reperies semel ad *l. 9. sup. de indulg. crim.* quæ *lex* huic contraria est. Ea quippe *lege*, quæ *hac nostra* posterior est, fama Tatiani restituitur, simul & Prouinciæ Lyciæ ab *Arcadio* filio Theodosii, quæ his *legibus* & aliis perstringitur. Fuit hæc scil. Tatiani sors, vt in summa sub Theodosio administratione positus, Rufini (cui *lex* hæc inscribitur) offensionem incurrerit, & Rufino autore iudiceque patriam Lyciam incolere iussus sit, seu eo in exilium missus, eiusque acta rescissa fuerint, & in his ea quæ his duabus *legibus* irritantur; itemque *l. 23. inf. de annona & tribut.* & *l. 131. inf. de Decurion.* puta noua tributa, nouæ præstationes ab eo humeris prouincialium impositæ, *d. l. 33.* & *d. l. 131.* itemque bonorum proscriptiones eius iussu factæ *his duabus legib.* Pariterque infirmata gesta filii ipsius Proculi, *d. l. 12. inf. de annon. ciuic.* Atque hæc sub Theodosio M. qui ideo bona, Tatiani iussu priuatis erepta fiscoque incorporata, vel priuatis quibusdam donata, restituit *his duabus ll.* Eo autem sublato filius eius Arcadius Tatianum hunc restituit, vt ostendit *d. l. 9. sup. de indulg. crim.* Simulque ipsi Prouinciæ Lyciæ, vnde is oriundus erat, prior fama & meritum inter cæteras Prouincias renouata fuerunt, vt proinde fallatur admodum, Vir doctus, qui putat proscriptos a Tatiano, de quibus *his legibus* agitur, Lycios fuisse, in quos Tatianum ex nulla, vel leui causa, sæuiisse vltione acerbissima colligi posse putat, ex *d. l. 9.* Contrarium enim ex ea *lege* colligitur; maculam enim Lycia incurrit, non alia de causa, quam quia inde Tatianus oriundus erat, atque in eam proculdubio non sæuior, quod ille vult; verum pronior fuit. *

* ANT. PAGI *in Crit. ad Annal. Baron. ad an. 392. Tatianus*, (qui *anno* 391. Symmacho Collega Consulatum gesserat, & hoc *anno* 392. Præfecturam Prætorianam Orientis, & cuius filius *Proculus anno* 392. Præfectus vrbi Constantinopoleos fuit, vt liquet ex *leg. 10. Cod. Theodos. de annonis ciuicis*) capitali primum sententia damnatus est, verum clementia Theodosii seruatus, in exilium missus fuit in patriam suam: filius vero eius *Proculus* capite plexus est *VIII. Id. Decembr.* vt habet auctor Chronici Alexandrini sub *anni* 393. Coss. loco non suo. Legendus Zosimus *lib. 4. pag. 774. edit. Sylburg.* qui, quæ tunc gesta sunt, narrat; quique antea *pag. 769.* loquens de iis, quæ anno CCCLXXXVII. contigere, ait: *Arcessitum igitur Aquileia Tatianum,*

Tatianum, qui & alios sub Valente magistratus gesserat, & erat in omnibus virtute singulari preditus, Pratorii Prefectum in patria declarat (nempe Theodosius M.) *& missis ad eum magistratus insignibus, filio ipsius Proculo Praturam Vrbanam tradit. Enimuero praclare se hic gessit, amplissimis magistratibus eiusmodi Viris commissis, qui etiam post obitum principis optime res subditorum administrare possent,* dum scilicet Theodosius M. in Occidente contra Maximum Tyrannum pugnaret. Eum ideo impense Zosimus laudat, quia Ethnicum & a nostra religione alienum.

Vt enim anno CCCLXX. diximus, dum Præfectus Ægypti esset, Diuum Athanasium persequutus est, & Christianos valde afflixit: de quo etiam Rufinus *lib.* 10. *c.* 2. de Valente Imperatore loquens scribit: *Episcopos egit in exilium, & Presbyteros, ac Diaconos & monachos, Tatiano Alexandria Præsidente, vsque ad tormenta deduxit, & ignibus tradidit.* Beatus Asterius *homilia in festum Kalendarum* loquens de Consulibus, qui in summas calamitates incidere, de Tatiano & Proculo filio eius hæc habet: *Præsidem illum Rectoremque prouinciæ fortissimum & inuictum, vt existimabat, qualis vitæ catastrophe excipit? Primum quidem filium suum vidit capite truncatum, & ipse postea capitali sententia damnatus est, laqueoque gulæ iam admoto, clementia Principis manibus carnificis exemtus est, vt quantulum ætatis supererat senex in dolore & calamitate, sensuque malorum exigens, ac plenus dedecoris & ignominiæ tali magni Consulatus exitu vita decederet.*

Gothofredus in Commentario *leg.* 9. *Cod. Theod. de indulgent. crimin.* existimat *Tatianum* in Lyciam, Asiæ minoris regionem, relegatum fuisse, eumque in ea natum, quod ea lex ab Arcadio *anno CCCXCVI.* post mortem scilicet Rufini, data, his verbis concepta sit: *Deuotissimæ nobis Prouinciæ Lyciæ priorem famam, meritumque inter ceteras renouari censemus. Idque excellens Eminentia Tua, edictis propositis, cunctis faciat innotescere, ne quis posthac ciuem Lycium contumelioso nomine iniuriæ audeat vulnerare. Teneant honores suos, quos meritis ac laboribus perceperunt, & a nostra serenitate sumpturi sunt. Habeant præteritas dignitates, sperentque sui deuotione venturas. Nec vnius viri inlustris Tatiani tantum valuerit temporalis offensio teterrimi iudicis inimici, vt adhuc macula in Lycios perseueret, quæ in ipso iam temporis absolutione consumpta est.* Verum Vir Doctus, cuius Gothofredus in *huius l.* 13. Commentario, nomen reticet, & opinionem confutat, recte arbitratus est, proscriptos a Rufino *Lycios* fuisse, ex nulla vel leui causa, idque vltione acerbissima, indeque maculam *Lyciam* incurrisse, & priuilegiis suis priuatam esse. Quæ quidem explicatio certa. Nam, cum teste Zosimo, cuius verba paulo ante recitauimus, Tatianus Præfectus Prætorio in patria sua declaratus fuerit a Theodosio M. *anno* 388. dum hic vel Thessalonicæ, vel saltem in Macedonia esset, vt ad eum annum num. 3. demonstrauimus, liquet *Tatianum* e Macedonia oriundum esse, & verosimiliter Thessalonicam eius patriam fuisse, ideoque & eum in eam vrbem relegatum. Theodosium enim initio *anni* 388. quo *Tatianum*, post Cynegii mortem, Præfectum Prætorio in eiusdem Tatiani patria declarauit, *in Lycia* fuisse omnino a veritate alienum, vt ex ipsomet etiam Gothofredo *in Chronolog. Cod. Theod.* liquet.

Verum itaque est, *Tatianum* Rufinum inimicum dudum infensum, iudicem nactum esse; sed falsum, in laudata *leg.* 9. *de indulgent. crimin.* Rufini aliquam mentionem fieri, eumque *teterrimi iudicis* nomine in ea expresso designari, vt ipsa etiam grammaticalis constructio manifestum facit. Si Gothofredus ad laudatum Zosimi locum animum aduertisset, in eam opinionem delapsus non esset; contra vero qui in huius legis sensum penetrauit, lætitia exultasset, quod coniecturam suam certo firmatam vidisset. Miror, Baronium in Annalibus, & recentes scriptores Vitæ sancti Athanasii, mentionem non fecisse huius *teterrimi iudicis* & orthodoxorum persecutoris, cuius innocentiæ testimonium Arcadius non perhibuit, vt perperam putauit Gothofredus, sed eum *teterrimum iudicem* appellauit.

De RVFINO: *& vt* PRIVATORVM *bona proscripti alicuius bonis immixta, per viam iuris repetantur, non vero sponte vindicentur.*

XIV. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. Cæsario P.P. (b)

SERENITATIS Nostræ prouisione solita commonemus, Vt ea quæ Rufinus quondam cum viueret quoquo pacto possedit, in eodem statu interim maneant, nec quisquam sibi post eius obitum spontaneam vindicandi tribuat potestatem. Nam qui transacto tempore (c) siluit, ac Rufinum tenere concessit, fiscum quoque nostrum sine præiudicio possidere patiatur. Hoc Edictis (d) propositis per omnes prouincias (e) præcipimus diuulgari: quod (f) cuncti sciant, iacturam se perpessuros grauiorem, totiusque rei familiaris periculum, nisi ante (g) præceptum nostrum manus ab his quæ Rufinus viuus possederat, voluerint abstinere. Dat. Id. Feb. Constantinop. Arcadio A. IV. & Honorio III. AA. Coss. [396.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *Lex a Cod. Iust.* quia temporalis est, & *priuilegium* potius quam *lex*: Cæterum famosa *lex* 8. *sup. de pactis & transact.* ad manum habenda, ad hanc *legem* melius intelligendam. GOTHOFRED.

(b) *Orientis:* Rufini in ea Præfectura successori. *ID.*

(c) Id est, *præterito.* Quo tempore? quo Rufinus vixit. *ID.*

(d) *Edictis* propositis per prouincias Præfecti Prætorio Constitutiones diuulgabant. vid. *Paratit. de Constit. Princ.* & quæ dico ad *leg. vn. infr. si per obreptionem,* &c. *ID.*

(e) Prouincias intelligit per Præfecturam Prætorianam Orientis. *ID.*

(f) γρ. quo. *IDEM.*

(g) Imo post hoc præceptum. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

IMMIXTA priuatorum bona bonis proscripti repetundarum rei, suppliciοque affecti Rufini, sponte seu propria autoritate occupari ab iis qui se dominos dicunt, vetat Arcadius *hac l.* de quo alioquin plenissime dictum fuit *l. 3. sup. Vnde vi:* verum interim ea apud fiscum in eodem statu manere vult: eumque, qui superstite eo, qui postea proscriptus est, siluit, quem cum viueret possidere & tenere concessit, Fiscum quoque sine præiudicio possidere pati vult sine præiudicio, id est, vt antea dictum, interim, non turbata possessione Fisci. Ita enim hæc verba accipienda sunt, possessionem videl. huiusmodi bonorum immixtorum bonis proscripti
P. 342 interea penes Fiscum manere oportere, dum ordine viaque iuris, & vt in illo est, *in iure manum consertum*, non solida vi, probato prius dominio, vindicantur. Possessioni Fisci præiudicium fieri non oportet. Præiudicium fit, cum possessio eius turbatur. Non magis Fisci possessio quam priuati, bona etiam publici latronis, cuiusmodi *Rufinus* fuit, (de quo *hac lege* agitur) possidentis, turbari debet. Quamlibet publicus quis latro sit, bonaque sua his propalam immixta quis agnoscat, via tamen iuris ea repetere debet, non spontanea autoritate occupare: & vt habet *d. l. 3. sup. vnde vi:* (quæ *huic* simillima est) puniendi sunt, qui contumacius quam decus publicum sinit, se erexere, quique cum litem inferre potuissent, iudicium expectare noluerunt, & victoriam spreuere, quam iudicii præscripsisset euentus, & litis euentum operiri noluerunt, sed cum recipere *lege* potuissent, violenti examinis contemptores amplexi sunt, quod dedit audacia. Denique hic sensus est; Eum, qui inter proscripti bona rerum suarum aliquid agnoscit, id non propria autoritate inuadere, sed via Iuris repetere debere.

Est autem hæc lex nominatim de *Rufino*. Nempe Rufinus hic Præfectus Prætorio Orientis, Tyrannidis affectatæ & Gothorum in Orientem immissorum reus, ante portam vrbis Constantinopolitanæ Imp. Arcadii iussu superioris anni 395. fine, quinto Kal. Decembris, id est, ante duos circiter menses, quam hæc *lex* lata est, trucidatus fuit, vt testatur Zosimus *lib. 5. cap. 7.* Orosius *lib. 7. cap. 37.* Claudian. *libris duob. in hunc Rufinum.* Symmachus *lib. 6. epist. 14.* Asterius *homil. de Festo Kalendarum in fin.* Socrates *lib. 6. cap. 1.* Sozomenus *lib. 8. cap. 1.* Philostorgius *lib. 11. cap. 3.* Marcellinus *in Chronico:* & fasti Siculi *prædicto anno, Olybrii & Probini Consulatu.* Hic idem Rufinus inexplebili rapacitate fuisse notatur, priuatorumque bona ad se iniustis rationibus (quod *ad h. l.* pertinet) traxisse. Et vero eodem pertinere docui famosam illam *legem 8. sup. de pactis & transact.* de quo insignes loci apud Claudianum, & Suidam ex Eunapii Sardiani, vel alterius vetusti scriptoris χρονογραφίᾳ, itemque apud Zosimum *lib. 5.* Qua causa Symmachus *l. c.* eum vocat *prædonem annosum*; Et *insatiabilem auri proluuiem* ei obiicit Claudian. *lib. 2. v. 498. 499.* Itaque interfecto ei manus dextra abscissa, & ad dedecus insatiabilis auaritiæ ostiatim circumlata est, stipem mendicatura, vt docet Hieronymus *in epitaphio Nepotiani*: & *Epistol. ad Heliodorum:* & elegantissime Claudianus *lib. 2. in hunc Rufinum a v. 436.*

Dextera quin etiam ludo concessa vagatur
Æra petens, pœnasque animi persoluit auari,
Terribili lucro viuosque imitata retentus,
Cogitur adductis digitos inflectere neruis.

Adde & Philostorgium, *lib. 11. cap. 4.* & Nicephorum ex eo: & Marcellinum *in Chronico.* Nempe qui viuus priuatos argento emunxerat. Qui vero manum illam ostentabat, hæc sermone patrio, quasi per iocum clamitabat: *Δότε ἀπλήστῳ*, vt habet Græca Historia, ac nominatim Zosimus *lib. 5. cap. 7.* vnde multum pecuniæ ex re ludicra iis obtigit. Eius itaque bona quoque publicata fuerunt, vt hæc quoque *lex* nostra docet, itemque *lex proxima*, quæ eodem pertinet. Meminit & Symmachus *lib. 6. Ep. 14. Dubitare*, inquit, *vos video, an Rufini pœnam secuta sit etiam publicatio facultatum. Fides præsto est Imperialibus signata præceptis. Et tamen prædonis annosi merita pendentibus, non fuit ambigendum, quod spolia Orbis desideraret ærarium.* Recte *spolia Orbis*, vocat bona Rufini aucta deprædationibus. Ita enim omnino apud Symmachum legendum est, non vt hactenus nullo sensu, *spoliare Vrbis.* Rufini quippe domus erat quasi spelunca latrocinii, de quo hic inter cæteros insignis est Claudiani locus *lib. 1. aduersus hunc Rufinum a v. 186.*

- - fluctibus auri
Expleri calor ille nequit; cuicunque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuissent:
Rufino populandus erat, dominoque parabat
Exitium fœcundus ager; metuenda colonis
Fertilitas: Laribus pellit, detrudit auitis
Finibus, aut aufert viuis: aut occupat hæres.
Congestæ cumulantur opes, orbisque rapinas
Accipit vna domus: populi seruire coacti,
Plenaque priuato succumbunt oppida regno.

Igitur cum inter hæc Rufini bona & spolia, complurimi bona sibi per iniuriam erepta agnoscerent & lugerent, Rufino iam cæso manus his passim iniiciebant, vt hæc *lex* nostra docet, cui accedit quod scribit Zosimus *lib. 5. cap. 8.* vbi de Eutropio: *καὶ τὴν μὲν Ῥουφίνου περιουσίαν κατὰ τὸ πλέον ἐσφετερίζετο, καὶ ἑτέροις ἐνδιδοὺς ἐκ ταύτης οἰκειοῦσθαι τὰ ὁπωσοῦν ἄξια τῆς αὐτοῦ κτήσεως νομιζόμενα.* Ait Zosimus, Eutropium Rufini bona potissimam partem sibi vindicasse, aliisque permisisse, vti sibi ex iis tantum vindicarent quantum sibi conuenire putarent. Verum id Arcadius *hac lege* fieri prohibet, & si qui ante *hanc legem* manus his immisissent, abstinere commonet grauissima pœna proposita; iactura, inquam, totius rei familiaris: sed parte altera reserata his via iuris, repetendi videlicet ea, quæ sua agnouissent iudicio. Et tamen cum Arcadianorum temporum rationem & turpitudinem animo repeto, vt inanem tantum ac spoliatis grauem *l. 8. sup. de pactis & transactionib.* fuisse, *eaque lege* spolia Rufini velut lege publica iam comprobata, existimo; Ita & *hanc* pariter cæso iam Rufino, spoliatis grauem, & fisco tantum ditando latam, non inani coniectura ducor. Sic & viuo Rufino & mortuo spoliatis spes omnis præcisa: vt prouinciales & spoliati, iam vsurpare illud Iuuenalis omnino potuerint, de Rufino, *Satyr. I. v. 47. seqq.*

- - & hic damnatus inani
Iudicio, (quid enim saluis infamia nummis?)
Exul ab octaua Marius bibit, & fruitur DIS
Iratis: at tu victrix prouincia ploras.

Sane mox *l. 15. prox. inf.* cum de vxoris Rufini & aliorum proscriptorum bonis quæreretur, ei permissum & deinceps aliis proscriptorum vxoribus suas facultates velut iniecta manu vindicare.

P.343

Ad VXORVM & PROPINQVORVM *bona proscriptionem non porrigendam.*

XV. (a) Idem AA. Cæsario P. P.

SI quis posthac stilum (b) (quod absit) proscribtionis exceperit, solus (c) criminis sui soluat pœnas, neminem (d) habeat in bonorum amissione consortem. Sit a (e) proscribti mariti sorte *Vxor* aliena, quo (vt (f) adsolet) proscribto, vxor proprias (g) (velut manu iniecta) mox vindicet, aut certe quoquomodo (h) occupatas statim recipiat facultates. Dos etiam, non quæ aliquotiens inaniter dotalium instrumentorum tenore conscribitur, sed quam se corporaliter tradidisse docuerit, præsentetur. (i) Ea etiam, si (k) forte (l) cum proscribti bonis mixta sunt, non negentur, quæ ab innoxio adhuc marito ante nuptias titulo donationis acceperit. Sin (m) vero frater, soror, propinquus, adfinis, & quicumque proscribto qualibet sorte sociantur: Tam longe enim vnusquisqe a metu ac pœna abesse debet, quam alienus a crimine est. Dat. III. (n) Non. Aug. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. Coss. [396.]

INTERPRETATIO. *Quicumque damnari proscribique meruerit, ab eius facultatibus bona vxoria sequestrentur, ita vt & dotem, quam marito vxor, aut eius parentes obtulerunt* (o) *& donationem, quam ante nuptias pro coniunctione susceperat,* (p) *vxor retineat, sibique vindicet* (q) *a bonis proscriptæ facultatis aliena, quia mariti crimine vxor non potest obligari.*

NOTÆ.

(a) *L. 9. in pr. C. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est. Iungenda autem huic *l. 18. sup. de accusat & inscription.* quæ tamen inscripta *Maximo PF. P.* Concordat autem huic, *l. 1. sup. h. t.* quinimo & *l. 18. supr. de pœnis.* GOTHOFR.

(b) De stilo proscribtionis vide quoque *l. 7.* & 13. *sup.* ID.

(c) Hæc sententia abest a *C. Iust.* vsque ad illa, *vxor proprias.* ID.

(d) Non propinquos, notos & familiares *d. l.* 18. & *h. l.* non liberos, *d. l.* 1. non vxores, *d. l.* 1. & *h. l.* non fratres, sorores, affines, vel proscripto qualibet sorte sociatos, *h. l.* IDEM.

(e) *Si tamen proscripti*; MS. W. RITTER.

(f) *Quod vt*, MS. G. & Sichard. Sed in MS. W. *quo* non apparet. IDEM.

(g) MS. W. *Vxor propria vel manu iniecta*, &c. ID.

(h) *A quoquo*, Ed. Sichard. ID.

(i) *Repræsentetur.* Cod. Iust. forte etiam *retentetur* legas; quanquam & *præsentetur* stare potest, pro præstabitur. GOTHOFRED.

(k) Sententia hæc abest a *C. Iust.* ID.

(l) *Forte*, abest a MS. W. RITTER.

(m) SECVNDVM caput de *fratribus*, &c. quod & ipsum abest a *C. Iust.* Rescribendum autem hic; *sit vero*, scil. alienus, vt *supra. Sit a proscripti mariti sorte vxor aliena.* GOTHOFR.

(n) *IV. Non. Aug.* MSS. W. & G. RITTER.

(o) *Obtulerunt*, MS. G. & Sichard. ID.

(p) *Perceperat*, MS. G. Sichard. Edit. in 4. & prior Cuiac. ID.

(q) *Et a bonis proscriptæ facultatis alienet*, Sichard. Edit. in 4. & prior Cuiac. ID.

COMMENTARIVS.

VXORES, fratres, sorores, propinqui, affines, cæterique qualibet sorte proscripto sociati, bona sua, vt cætera integra atque illibata habere debent. Tam longe scil. vnusquisque a metu ac pœna abesse debet, quam alienus a crimine est, vt hæc *lex* eleganter loquitur; vel vt Constantinus *l. 1. sup.* alieni criminis infortunio stringi nemo debet. Proscriptus solus criminis sui pœnas soluere debet, neminemque habere in bonorum amissione consortem, vt *hac l. initio* dicitur, vel vt idem Arcadius *l. 18. sup. de pœnis*, ibi pœna esse debet, vbi & noxa est: ac peccata suos tenere autores, nec vlterius progredi metus, quam reperitur delictum. Quæ sententiæ vt compares sunt, ita tres hæ *leges* argumento concordant.

De VXORE proscripti primum videndum est, quanquam de ea iam satis multa ad *d. l. 1. sup.* Nempe *propria sua bona* consequi debet, idque duplici ratione vel via; Nam si bona mariti nondum occupata fuerint, ea mox vindicare ipsa potest, velut manu iniecta; Quod singulare est. Manus iniectio seu χειρεμβολὴ Vxori proscripti conceditur ad vindicanda propria bona sua, quæ aliis non conceditur; quorum bona proscripti bonis immixta; vt cautum nominatim *lege proxima sup.* in eadem specie de Rufino: & *lege 3. sup. vnde vi*, quinimo & *l. 13. D. quod met. caus.* & *leg. pen. D. ad l. Iul. de vi priuata.* Altera ratio est, si iam occupatæ fuerint facultates mariti, vt sua repetat, statimque recipiat. In quo postremo Vxori cum aliis conuenit.

Dotem pariter recipere debet. Dos si cum cæteris bonis confiscata & occupata, mulieri reddenda est. Vxor in dote creditorum numero est, *l. 31. in pr. D. sol. matr.* & *l. 1. C. Iust. de fideiussor.* quibus sane creditoribus fiscus satisfacere tenetur. Vt autem dotem proscripti Vxor petere possit, non satis est probari eam dotalibus instrumentis: Nam aliquoties, id est, nonnunquam, dos inaniter dotalium instrumentorum tenore conscribitur, vt *h. l.* loquitur, id est, instrumentis sæpe continetur nuda confessio dotis, dosque cauta est tantum, non numerata: de quo titulus *Cod. Iust. de dot. cauta, non*

numerata: idque est, quod ait lex *inaniter.* Nuda igitur confessio dotis cautæ, Fisco non nocet; & vt Vxor dotem repetere possit, *docere* debet, id est probare, se eam *corporaliter* tradidisse, vt hæc *lex* loquitur, id est reipsa & corporali traditione.

Præter propria bona, præter dotem Vxor proscripti insuper vindicare potest, seu repetere *donationem*, quam maritus ante nuptias adhuc innoxius, id est ante reatum contulit. Qua parte Arcadio mens alia fuit, quam Constantino *l. 1. supra*, qui donationem quoque constante matrimonio factam Vxori adiudicabat: vbi vid. quæ dixi.

De FRATRIBVS, Sororibus, propinquis & Affinibus nihil attinet plura dicere. De his satis dictum ad *l. 18. sup. de pœnis.*

At illud notandum est, pertinere hanc Arcadii *legem* ad Vxorem & propinquos Rufini; aliorumque cum eo proscriptorum, de quo *superiore lege* actum. *Sane Rufini nominatim* vxorem interfecto marito, vna cum filia ad Ecclesiam confugisse, P. 344 mox vero permissam Hierosolymam nauigare, testatur Zosimus *lib. 5. cap. 8.* vbi vitæ quod reliquum erat, exegere. Itaque & securitati ipsius aliarumque consultum, sed & bonis earum hac constitutione: atque hac occasione cum & in earum bona itum & sæuitum fuisset, atque in propinquorum Rufini eiusque affinium, lata hæc *lex*, ne quid de cætero proscripto aliquo tale aliquid fieret.

De GILDONE: *& vt* RELIQVA *tributariæ præstationis ab actoribus & conductoribus bonorum proscipti non soluta, præstentur.*

XVI. (a) Idem AA. ad Peregrinum Com. & Procuratorem diuinæ domus. (b)

EX possessionibus Gildonis, (c) quæ ad nostrum (d) ærarium sunt deuolutæ, canonem (e) omnium titulorum ex integro solemni more inputata cautione solui præcipimus. Dat. Kal. Decemb. Altino, Theodoro V.C. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a C. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Per Africam. Vid. etiam *l. 7. & 9. sup. de Metatis.* ID.

(c) Ad eundem pertinet *l. 19. inf. h. t. l. 19. sup. de pœn. l. 7. & 9. sup. de Metat.* Et sic quinque leges de GILDONE sunt. IDEM.

(d) Ita pariter *d. l. 9. de metatis.* priuatum; seu ad diuinam domum, vt inscriptio *huius l.* docet & *l. 7. sup. de Metatis.* Patrimonium nostrum, *l. 19. infra.* ID.

(e) Vid. *inf. tit. de canone largit. titulor.* IDEM.

COMMENTARIVS.

TRIBVTARIÆ præstationes (quæ *Canonis & titulorum* appellatione designantur,) possessionum nomine, per impotentiam domini ab eius conductoribus non præstitæ, quamlibet confiscatis postea possessionibus, præstari adhuc debent. Hæc *huiusce legis* est sententia, cuius species est: Gildo Comes Africæ (de quo actum fuit plenissime *sup. l. 7. de Metatis.*) per duodecim integros annos, varias possessiones, seu varia prædia per Africam habebat, vt præter hanc *legem* docet *l. 19. inf. h. t.* itemque *d. l. 7. & 9. sup. de Metatis.* Huiusmodi possessiones conductores exercebant, id est, priuati ab eo conductas habebant, de quibus conductoribus in genere erunt tituli *inf. lib. 10.* Huiusmodi conductores ipso Gildonis nomine tumidi tutique, quosque Gildonis metu tributarii exactores ad tributorum præstationem cogere non possent, tributis non satisfaciebant; vt ferme potentium non modo actores, sed & cæteri veluti conductores eadem disciplina cum cæteris teneri sese ferme negant noluntque, & supercilium erigunt fastumque, vt docet *l. 1. sup. de iurisdict.* quæque ei coniungenda est *l. 6. inf. de exactionib.* & *l. vnic. inf. de conductor.* & *l. 1. inf. de actor. proc. & conductor. rei priuatæ.* Verum cum iam Gildonis autoritas, imo Gildo ipse concidisset, atque eius possessiones ærario vindicatæ fuissent, Honorius hac constitutione iam ab huiusmodi conductoribus neglectam vel recusatam præteriti temporis tributorum collationem reposcit, nisi quatenus reuera tributa a se illata *cautionibus*, id est, securitatibus, seu apochis docere possint: *Cautiones* pro apochis *hic*, & *l. 2. inf. de ann. & trib.* vnde & plenius cautiones apocharum *l. 16. de Susceptor. l. 3. de fisci debit.* Vt Principis, ita potentium conductores ad solutionem specierum solennium debiti vigoris auctoritate cogendi sunt, vt de conductoribus Principis nominatim cauetur, *l. 6. inf. de exaction.* quæ iungenda est *dicta l. 1. sup. de iurisdict.* & si cogi tum non potuerint, vbi iam possunt, reliqua præteriti temporis non exacta, ex integro soluere cogendi sunt. *Ex integro*, id est, hodie, nunc; sic vt quod antea factum non fuit, iam saltem fiat:

Cæterum inscribitur hæc *lex*, quæ est de possessionibus Gildonis, *Comiti & Procuratori diuinæ domus.* Nempe Gildonis possessiones hoc anno adhuc procurabat Comes & Procurator diuinæ domus, qui cæteras res priuatas in Africa curabat; verum postea suus & peculiaris *Comes patrimonio Gildoniaco* præpositus fuit, vt docet *Notitia Imperii* sub *Comite Rer. priuatar. fol. 144.* Nempe quod hæc forent amplissima; quibus & accessere alia Satellitum ipsius. Sic quidem, vt, quod Manuscripti *Notitiæ* præferunt, hic Comes Gildoniaci patrimonii habuerit Procuratores, Præpositos, & Rationales per diuersas Africæ Prouincias, haud aliter ac Comes rerum priuatarum, sed & proprium officium.

P.345 ## *De non* PETENDIS *a Principe bonis proscriptorum intra biennium.*

XVII. (a) Idem AA. Studio Com. R.P. (b)

NE quis proscribtorum bona, vel eorum qui publicam videntur (c) excepisse sententiam, (d) intra biennium æstimet (e) postulanda. Abstineant facultatibus intra id temporis expetendis, vt aut proprias quis recipiat, si (vt (f) nobis ingenitum est) duriores casus & tristiorem fortunam Imperatoria humanitate molliamus: aut tum demum postulet (g) cum iam fiscalem potius quam proscribtorum (h) expetisse (i) noscatur. Si quis autem petendas proscribti, vel deportati intra biennium crediderit facultates, careat fructu liberalitatis Augustæ: ita vt nec instruantur (k) huiusmodi petitiones, nec si temere instructæ fuerint, & sub specialis beneficii munificentia (l) nostra prouocauerit liberalitatem, habeant aliquas vires indulta. Dat. XIIII. Kal. Feb. Constantinop. Vincentio & Frauitta Coss. [401.]

INTERPRETATIO. *Bona eius qui proscribi meruerit, intra (m) biennium non competantur. Si quis vero intra biennium proscripti bona petierit, quod meruerit non valebit, quia solita (n) misericordia nostra pietas commoueri, & reddere quæ merito commota iussit auferri.*

NOTAE.

a) Repetita extat hæc *lex* totidem verbis *l. 23. infr. de petitionibus.* Confirmatur hæc *lex* ab Honorio fratre, *leg. 29 infr. de petit.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Comiti Rer. priuatar.* cur hæc *lex* inscribatur, & *l. 13. supr.* iam ad eam dixi. *ID.* In MS. W. *Studii* nomen atque dignitatem cum legis contextu iunctam obserua, hoc modo: *Studio Corporum, ne cuius proscriptorum.* Sichardin. legit: *Iid. AA. Studio communis Reipubl.* a MS. G. autem nomen *Studii* plane abest. *RITTER.*

(c) *Videntur excepisse*, id est, exceperunt, stilo huius seculi: Vide *Glossarium.* *GOTHOFRED.*

(d) Deportationis scil. *vt infr. versic. si quis proscripti, vel deportati.* Nempe rei vel nominatim proscripti: vel ipso pœnæ genere: deportationis scil. per se nomen rerum omnium spoliatio est, vt docebit *l. infr. vnic. de sentent. pass.* *ID.*

(e) *Existimet*, MS. G. *RITTER.*

(f) *Sicut nobis ingenitum*, MS. W. quod non nisi ex regula geminationis admitti posset. In eodem Cod. mox legitur: *durior fortassis & tristior infortuna.* *ID.*

(g) *Postulent*, MS. W. & Sichard. *ID.*

(h) *Proscriptorum rem*, edit. Sichard. & mox, *noscantur.* *ID.*

(i) Vt supra, *vel eorum qui publicam videntur excepisse sententiam.* *GOTHOFR.*

(k) De hac precum instructione, *l. 14. 16. 26. infr. de petition.* *ID.*

(l) Munificentiam nostram, *d l. 23.* Locus hic ita restituendus: *Et sub specialis beneficii munificentia, nostram prouocauerint liberalitatem.* *ID.* MS. W. legit: *Sub specialis beneficii munificentiæ vestræ.* MS. G. *munificentia nostra prouocauerint liberalitatem.* Sichard. *sub speciali beneficii munificentia nostram prouocauerint liberalitatem.* *RITTER.*

(m) *A quocunque intra biennium*, MS. W. & G. & Edit. Sich. vbi sequentia ita leguntur: *proscriptionis quis petierit, quod meruerit, non valebit.* *ID.*

(n) MS. W. *quia solet ad misericordiam nostra pietas commoueri*, Ed. Sichard. prior. Cuiac. & illa in 4. *quia solet misericordiæ nostræ pietas commoueri.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

PETITORVM, (de quibus plenissime *infr. titulo de petition. lib. 10. & titulis proximis*) prædæ, libidini, cupiditati hac Arcadii constitutione occurritur, A.D. 401. Petitorum, inquam, bona proscriptorum vel deportatorum a Principe postulantium, quorum fauces aperuit vel saginauit Principum pessimus quisque; vt his occurrit optimus quisque. Quam in rem nonnulla iam notata ad *l. 3. supr. hoc eod. tit.* Vt omittam alias rationes, quibus occursum his subinde fuit, de quibus singulis *suo titulo*: hunc inter cæteros Arcadius *hac lege* constituit; nempe vt ne intra biennium a Confiscatione vel deportatione alicuius bona postulari seu peti possint. Quod quidem etiam Honorius frater Arcadii nostri constituit, *l. 29. infr. de petit.*) Vbi hanc *legem* inquit & firmat. Id quod Theodosius Iun. postea, Anno mutauit. *Nouella de competitionibus. 44.*

Duas porro eius rei rationes Arcadius assignat: Prima est longe humanissima, a qua seipsum Arcadius commendat his verbis: *vt nobis ingenitum est, &c.* ne hac intempestiua & prœpropera petitione impediatur forte Princeps ipsismet proscriptis bona sua reddere, atque, (vt eleganter loquitur) *duriores casus & tristiorem fortunam Imperatoria humanitate mollere.* Quod Clementissimi quique sæpe fecerunt, de quo dicendi locus est ad *l. vnic. infr. tit. prox. de sent. pass. & rest.* & *l. 1. 2. infr. de conlat. donatar.* Suppeditat etiam exemplum Eunapius *in vita Oribasii, p. 182. edit. Commelin.* Altera ratio hæc est pudoris plena, ideo non esse permittendum proscriptorum bona, nisi post biennium, postulare,

quaſi tum demum deterſa confiſcationis inuidia bona fiſcalia cenſeantur, quæ intra biennium quodammodo aliena adhuc cenſeri poſſunt. Poſt biennium non iam amplius *aliena*, vel ſaltem non iam amplius bona proſcriptorum, ſed ex eo tempore fiſcalia. Qua parte hæc *lex* valde notabilis eſt, quo pertinet etiam inſignis Ambroſii locus *aduerſus Symmachum initio libri primi*, vbi agit de ſumptibus ceremoniarum a Gratiano detractis, quos Gentiles a Valentiniano repetebant, vbi Ambroſius inter alia argumenta, quibus dehortatur Valentinianum, ne eos reſtituat, hoc etiam vtitur: *Quod enim*, inquit, *iamdudum vel Fiſco vel arca eſt vendicatum, de tuo magis conferre videbere, quam de ſuo reddere.* Nempe quæ fiſcalibus bonis incorporantur, alicuius temporis lapſu fiſcalia prorſus fiunt, & proſcriptionis vel confiſcationis inuidam exuunt. Quod quidem tempus biennio *h. l.* definitur. Itaque notetur hæc biennalis præſcriptio, qua confiſcationis memoria detergitur, & fiſco res incorporata iam prorſus fiſcalis cenſetur. Quod vtiliter traduci poteſt ad bonorum confiſcatorum reſtitutionem, itemque feudi antiqui commiſſi reſtitutionem, de quo dicam plenius *ad l. 1. & 2. inf. de collat. don.* Ergo intra biennium quaſi aliena adhuc quodammodo proſcriptorum bona nondum fiſcalia cenſentur: aliena inquam, *ἀλλότρια*, quæ proinde peti ideo intra biennium vetat *hac l.* Arcadius. Ad quam P. Faber *1. Semeſt. c. vlt.* & poſt eum Gentilis *de coniurat. p. 67.* perperam referunt Claudii II. Imp. conſtitutionem,
P.346 qua is, Zonara teſte *Annal. Lib. XII. pag. 479. int. Script. Rer. Byzant. Ed. Venet.* *ἀπηγόρευσε πᾶσι ζητεῖν ἐκ βασιλέως ἀλλότρια πράγματα*, *interdixit, ne vltra cuiquam bona aliena ab imperatore peteret.* Eſt enim locus ille intelligendus de alienis, proprie dictis: nempe enim ea tempeſtate Principalis poteſtas eo proceſſerat, vt is alterius res quaſdam alteri petenti aſſignare poſſet (pretio etiam forte contra dato) *νενόμισται γὰρ*, (ſubiicit Zonaras) *τοὺς βασιλεῖς δύνασθαι δωρεῖσθαι καὶ τὰ ἀλλότρια*: *receptum id enim moribus erat, Imperatores etiam aliena donare.* Id quod Claudius *χρηστὸς τυγχάνων ἀνὴρ καὶ δικαιοσύνῃ στοιχῶν*, *Vir bonus iuſtitiæque Sectator*, vt Zonaras ait, quique leges optimas dedit, teſte Pollione, ſuſtulit. Sane ab hac re & mente haud omnino abludit Claudii iſtius *lex 6. Cod. Iuſt. de ſeruit. & aqua.* quæ data eſt A. D. 269. Qua alienam aquam inuito Domino duci vetat: *Cum ſit durum*, inquit, *ac crudelitati proximum, ex tuis prædiis aquæ agmen ortum ſitientibus agris tuis ad aliorum vſum vicinorum iniuria propagari.*

Quod argumentum Hiſtoricum *huius legis* attinet: videri poſſit ea ſpectare ad Eutropii & Satellitum ipſius proſcriptionem, quod & ſuadeat characteriſmus huius conſtitutionis collatus cum *lege 17. ſupr. de pœnis.* Biennium enim præciſe ab ea *lege*, quæ Eutropii proſcriptionem continet, elapſum eſt ad eum diem quo hæc *lex* lata eſt. Data eſt enim *d. l. 17. de pœnis. XVI. Kal. Febr. Theodoro Conſule*, id eſt, *A. D. 399.* Hæc vero noſtra *XIV. Kal. Febr. Vincentio & Frauitta Coss.* id eſt, *A. D. 401.* Niſi potius putet quis, ad Gainam *hanc leg.* pertinere, cuius metus cœpere *A. D. 398. & 399.* in bellum vero apertum eruperunt *A. D. 400.* mox & profligatus is captuſque ab Hulda Hunnorum Duce, & menſe Ianuario, vel Februario huius *anni 401.* Conſtantinopolim delatus, teſte *Chronico Alexandrino pag. 713. edit. Rader.* & *Marcellino:* vide & Zoſimum de hoc *lib. 5. cap. 22.*

De Marcharido *proſcripto: vbi* Occvltantibvs *bona proſcripti venia datur intra certum tempus ea reſtituentibus.*

XVIII. (a) Idem AA. Bathanario (b) Com. Afric.

Marcharidvs (c) proſcribtus plurima rerum pœnes diuerſos reliquit, ſicut quæſtio habita patefecit: Vt quiſque igitur aliquid ex eius facultatibus retinet, ſi intra duos menſes ſpontanea reſtituat voluntate, ſciat ſe ad veniam pertinere, (d) ſi quæ ſuſceperat, fideliter repræſentet. Alioquin patrimonio ſuo fiſco ſociato, pœnam ſe deportationis nouerit ſubiturum. Dat. III. Id. Iul. Med. Vincentio & Frauitta Coss. [401.]

N O T Æ.

(a) Et hæc *lex* abeſt a *Cod. Iuſt.* GOTHOFR.

(b) *Bathanarii* huius Comitis Africæ meminit quoque Zoſimus; de quo mox plura. *ID.*

(c) De *Marcharido* hoc, mox. *ID.*

(d) *Pertinere ad veniam*: Gloſſ. Theod. *ID.*

COMMENTARIVS.

Occvltatoribvs bonorum proſcripti, qui videlicet a proſcripto aliquo occultanda ſuſceperunt, intra duos menſes fideliter ea repræſentantibus ignoſci: vlterius occultantes & deprehenſos proſcribi deportarique Honorius hac Conſtitutione ſua A. D. 401. iubet. Cuiuſmodi ſimiles aliæ plures in Occultatores huiuſmodi conſtitutiones *hoc tit.* occurrunt: puta *lex 5. 7. in fin. ſupr. l. 19. 20. 21. infr. hoc t.* Et hæc quidem *huius legis* ſententia eſt.

Hiſtoria vero pertinet nominatim ad *Marcharidum* quendam, cuius nulla mihi alibi mentio occurrit: quæcumque hactenus de eo ex *hac l.* diſcimus, I. eum ſub Honorio fuiſſe: II. Ante Annum 401. III. Et quidem per Africam. IV. Eius bona proſcripta fuiſſe: V. Eum apud diuerſos plurima rerum ſuarum reliquiſſe, ſeu plures de his quædam ſuſcepiſſe. VI. Quæſtiones denique ſuper eo habitas, per tormenta ſcil. Certe *Marcharidi* nomini reſpondet nomen hodie quoque vſitatum in Germania *Marchardi*, ſeu *Marquardi:* quomodo Theodorici Abbatis Franci parens *Marcardus* nuncupatur: Nomen id plane Francicum, cuius eadem origo quæ *Marchomeri.* Notiſſimum enim, Francis Imperium Romanum hoc ſeculo plenum fuiſſe; de quo Francica docebunt. Quibus ſimilia nomina ſunt *Generidus*, de quo Zoſimus *lib. 5. cap. 46.* *Rumoridus*, qui & Conſul fuit. *Taudomedes*, *l. 13.*

de operib. publ. Toriobandes, *l. 2. C. Iust. quæ res venire:* imo & ipse ille cui hæc *lex* inscribitur *Bathanarius* Comes Africæ, cuius mentio occurrit quoque apud Zosimum *lib. 5. cap. 37. in fin. in Gestis Anni* 408. Septem annis post *hanc leg.* cui occiso, eo Anno Heraclianus postea subtitutus fuit. Zosimi locus hic est: Ἀνελὼν δὲ Βαθανάριον, τὸν ἐν τῇ μεγάλῃ Λιβύῃ στρατιωτῶν [ἡγούμενον] Στελίχωνος ἀδελφῆς ἄνδρα γενόμενον, Ἡρακλειανῷ παρέδωκε τὴν ἀρχὴν, αὐτόχειρι Στελίχωνος ὄντι, καὶ ταύτην ἔπαθλον τὴν τιμὴν δεξαμένῳ. Id est, *Occiso Bathanario Comite Africæ, quo cum nupta erat Soror Stelichonis, id officium Heracliano tradidit, qui manu sua Stelichonem interfecerat, eiusque facinoris præmium hunc honorem tulit.* Vbi nota μεγάλην Λιβύην dici *Africam*, ad differentiam videlicet *Libyæ Ægyptiacæ*, vnde Λιβυστῖνοι in Actis Apostolorum, quam & τὴν ὑπὸ Καρχηδόνα Λιβύην vocat idem Zosimus *lib. 2. cap. 39.* & 40. 41. Ad Marcharidum redeamus; Quo nomine is proscriptus? An ob crimen aliquod vulgare? an vero, vt antarta, seu Tyrannus, vel a Tyranni partibus? Certe *hac l.* dicitur *plurima rerum penes diuersos reliquisse*, iique ea *suscepisse*. Vt inde colligas, eum factionis alicuius antesignanum multos conscios & participes factionis suæ habuisse, Valesius nuper P. 347.
lib. 2. de gestis veterum Francorum p. 95. 96. putabat Gildonis partium eum adiutorem fuisse, qui deuictus est ante triennium. Quæ sententia probabilis est. Nam vt hoc addam, de Gildone sunt quoque, vt alias omittam, anno 399. *lex 16. supr.* & ann. 405. *lex 19. prox. infr.* vbi nominatim fit mentio Satellitum Gildonis, quorum bona quoque proscripta fuerunt: quorum mentio fit quoque *l. 7. supr. de metatis: l. 19. de pœnis:* & apud Augustinum, *lib. 3. contra Cresconium.* In tantum vt ex illis *legibus* discamus, hanc Gildonis Satellitum peruestigationem diu traxisse, etiam septennio post *hanc leg.* A. 408. Hæc, inquam, coniectura probabilis est. Possit tamen quis ita quoque censere, Marcharidum hunc Repetundarum tantum, vel Peculatus reum fuisse: qui apud diuersos spolia *reliquerat*, ne apud se deprehenderentur: præsertim cum videamus impunitatem promitti spolia hæc restituentibus: cuiusmodi alioquin etiam impunitas promittitur, *l. 19. infr.* circa Gildonis bonorum retentatorem, & promitti quoque videtur circa Stiliconis bonorum occupatores, *l. 21. infr.*

De Gildone *& vt* Frvctvs *quoque bonorum proscriptorum a possessoribus fisco restituantur: & deinceps quidem dupli.*

XIX. Idem AA. & Theod. A. Vrsicino Com. S. L.

Possessiones, quæ ex bonis Gildonis, aut Satellitum eius in ius (a) nostræ Serenitatis, retentæ (b) sunt ab occupatoribus, nostro patrimonio adgregentur; ita vt ab his ex eo tempore, quo indebite (c) retentarunt, præstationum (d) simplum inferatur. Qui si conuenti intra Kalendas Octobres possesiones putauerint retinendas, sciant se ad dupli restitutionem cohortandos, (e) & duplos fructus esse reddendos. Dat. XII. Kal. Mal. Rau. Stilicone II. & Anthemio Coss. [405.]

NOTAE.

(a) γϱ. *Iniussu*, vt infra *indebite*, de quo mox plura. GOTHOFRED.

(b) Nihil hic præter interpunctionem immutandum: legendum enim, *retentæ sunt ab occupatoribus*, vt infr. *indebite retentarunt.* ID.

(c) *Indebite*, id est, iniussu nostræ Serenitatis. IDEM.

(d) Tam rei ipsius, quam fructuum. ID.

(e) γϱ. *Cohartandos.* IDEM.

COMMENTARIVS.

Occvpatoribvs bonorum Gildonis (de quo dictum fuit plenissime *ad l. 7. & 9. supr. de metatis*, itemque *l. 16. supr. hoc eod. tit.* & *l. 19. supr. de pœnis:*) & Satellitum eius, bonorum inquam, quæ ante septem annos fisco quæsita proscriptaque fuerunt: Occupatoribus inquam, qui ea bona indebite retentabant *iniussu* Principis, atque adeo nullo iure, in præteritum simplorum fructuum præstatio imponitur hac Honorii constitutione: in futurum vero si intra Kal. Octobris proximas possessiones non restituerint, Dupli pœna: tam scil. ipsius rei, quam fructuum exinde perceptorum: de qua duplorum fructuum pœna dixi *ad lib. 1. supr. de fruct. & lit. exp.* Atque ita laxamentum huiusmodi occupatoribus tribuitur, intra quod sola possessionum & fructuum restitutione defungi possunt.

Cæterum ex *h. l.* & similibus apparet, proscripto Tyranno, vel hoste publico, eorum bona certatim vel occultata, vel etiam palam occupata, & quidem occupata, quasi Principis largitate seu iussu, adeo vt postea necesse fuerit titulum possessionis ab his ostendi, iussum Imperialem passim obtendentibus. De Satellitibus aliorum tyrannorum Stilichonis, Heracliani, agitur *lege 21. supr. de pœnis: l. 20. 22. infr. h. t.* At de Satellitibus Gildonis agit præter hanc legem, *l. 7. supr. de Metatis: l. 19. supr. de pœnis:* Sed & Augustinus, *lib. 3. contra Cresconium Grammaticum*, vbi de Optato agit, *qua tamen*, inquit, *ita commisit, vt inter Gildonis Satellites præcipuus teneretur, haberetur, moreretur.*

De

De STILICONE, *& Satellitibus eius: & vt* BONA *eorum vna cum fructibus fisco incorporentur.*

XX. (a) Impp. HONORIVS & Theod. AA. Theodoro P.P. (b)

PROSCRIPTORVM (c) Satellitumque fortunas ærario nostro iubemus accedere. Ideoque per agros, per cuncta domicilia, titulos (d) nostræ serenitatis adfigi præcipimus. Quidquid sane ab eorum Procuratoribus (e) ex prædiorum fructibus congregatum est, lar-
p.348 gitionibus nostris protinus copuletur: ne si iussa nostra, aut dissimulatione neglexerint, aut conludio prætermiserint, supplicium exilii (f) pariter & proscribtionis sustineant. Dat. VIII. Kalend. Octobr. (g) Med. Basso & Philippo Coss. [408.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* vna cum *duabus sequentibus*, a *Cod. Iust.* vtpote temporariæ. Quænam vero *huic legi* iungendæ sint *leges?* mox dicam. *GOTHOFR.*

(b) Theodorus sub Honorio, PP. Italiæ. Vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Stiliconis, & filii eius: *l.* 22. *IDEM.*

(d) De his *titulis* iam actum *l.* 11. *supr. ID.*

(e) Est hæc *lex* hac parte aduersus procuratores prædiorum ad proscriptos pertinentium: vt *l.* 19. *sup.* fuit aduersus conductores. *ID.*

(f) *Exilium* hic, pro deportatione. *ID.*

(g) *ye. Nouembr.* vt *l. prox. ID.*

De STILICONE: *& vt qui quid ex bonis eius penes se habent, vel retinent, restituant.*

XXI. (a) Idem AA. Theodoro P.P. (b)

QVI in facultates (c) Stiliconis, & actus (d) videntur esse (e) versati, (f) vel ex hisdem facultatibus aliquid subtraxisse, (g) vel aliquid rapuisse, (h) omnifariam reddant. Dat. VIII. (i) Kalend. Nouembr. Basso & Philippo Coss. [408.]

N O T A E.

(a) Abest & hæc *lex* velut temporaria a *Cod. Iust.* Quænam *leges* iungendæ *huic* sint? mox viderimus. *GOTHOFR.*

(b) *Theodorus* PP. Italiæ scil. sub Honorio: v. *Prosopogr. ID.*

(c) Seculi stilum hoc redolet: Græcumne, an Barbarum? Ita Spartianus *in Seuero c.* 12. *Commodum,* inquit, *in Senatum & in Concionem laudauit.* Apud Vulcat. *in Cassio cap.* 4. *Seditio in exercitum exorta. ID.*

(d) *Actus* vox hic propria, de actoribus prædiorum. *ID.*

(e) *Videntur esse versati*: pro versati sunt, vt *l.* 17. *sup. videntur excepisse*, pro *exceperunt*, qualia etiam multa occurrunt apud Scriptores huius ferme seculi. Sic apud Capitol. *in Gordianis cap.* 26. *Iussa videbantur*, pro iussa erant. Apud Lampridium *in Alexandro cap.* 59. *subiecta videbatur*, pro subiecta erat: & *videri iudicare*, pro *iudicare*; & alia huius generis. *ID.*

(f) Sic *l.* 16. *Cod. Iust. si certum petatur*; (quam huic iungendam quoque puto) *si in prouincia fuerit versatus. ID.*

(g) Clam. *IDEM.*

(h) Palam: illi occultatores, hi occupatores, de quo *ad l.* 19. *supr. ID.*

(i) Hunc diem restituo *d. l.* 16. *ID.*

De STILICONE *& filio eius Satellitibusque: & vt* PRIVATI *qui sus bonis* PROSCRIPTOS *iuuerunt, ea repetere non possint.*

XXII. (a) Idem Theodoro P.P. (b)

QVI suas opes prædoni (c) publico, vel eius filio, (d) ceterisque Satellitibus dederunt, vel iure, (e) vel corpore, quibus ille vsus est ad omnem ditandam (f) inquietandamque Barbariem, his omnem repetendi viam iubemus esse præclusam. Dat. X. Kalend. Decemb. Rau. Basso & Philippo Coss. [408.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex*, velut temporaria, a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Italiæ. *IDEM.*

(c) Stiliconi scil. Idem & hostis publicus vocatur, *l. 1. sup. de litt. & itiner. custod.* Symmachus *lib. 6. ep. 14.* similiter Ruffinum ita vocat *prædonem annosum.* Et Claudianus similiter, *lib. 1. in Ruff. v. 305. 306.*

Sic auidus predo iam non per singula sæuit
Sed Sceptris inferre minas. - -

Idem (in 4. *Cos. Honor. v. 360.*) Eugenium Tyrannum *Italiam feram, furiis prædonis acerbi subiectam.* Idem de Gildone *v. 161. de bell. Gild. Pars tertia mundi Vnius prædonis ager.* Et *v. 458: Ite recepturi predo quem sustulit axem. ID.*

(d) Eucherio. *ID.*

(e) *Opes* priuatorum consistunt vel in iure vel in corpore *h. l.* id est, quæ in bonis & patrimonio sunt, sunt vel iura vel corpora, id est, vel res incorporales, vel corporales: de quo discrimine nota iam omnia. *ID.*

(f) *Inuitandam*, vt mox probabo. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P. 349

AD STILICHONEM proscriptum, eiusque filium & Satellites cæteros pertinent hæ *tres leges* Honorii quæ inter se sociandæ sunt, velut in eodem argumento versantes, ab eodem & ad eundem datæ. Imo & sociandæ veniunt his, *l. vlt. supr. de testimoniali: l. 20. de pœnis:* & *lex 16. Cod. Iust. si certum petatur.* Ad eundem denique Stiliconem pertinet *l. 1. supr. de littor. & itin. custod.* qui & prædo publicus vocatur *l. 22. hoc tit.* hostis publicus, *d. l. 1. de litt. & itin. cust.* De eo vero semel hic plenius videndum est: etsi iam aliqua præoccuparim ad *dictam leg. 1. supr. de littor. & itin. custodia:* ita tamen vt nonnisi ea ferme monere nunc iuuet, quæ *huic Cod.* illustrando faciunt, ac nominatim tot illis, quas *initio* cumulaui, *legibus.* Nempe STILICONI gente Vandalo, Theodosius M. moriturus Imperii Occidentalis totius atque Honorii filii sui, cuius hæ *leges* sunt, curam commiserat. Is itaque multis præclare aduersus Barbaras gentes Imperium Rom. tum lacessentes, quin & Tyrannos gestis aliquandiu recte commissam sibi Imperii partem tueri visus est. Hinc adeo tres laudum eius apud *Claudianum* panegyrici, aliisque *eiusdem* libris laudes eius insperſæ, & extant ad eundem Symmachi quatuordecim *epistolæ lib. 4.* Ex quibus liquere potest, quantus vir fuerit, quaque autoritate. Affinitate quoque Theodosii & Honorii idem STILICO inclaruit, vtpote ducta vxore Serena Theodosii nepte ex fratre, vicissim ipse filiam suam Mariam Honorio, postea Termantiam despondit, vt ex Claudiano, Zosimo, Olympiodoro, Marcellino, Zonara liquet. Verum hic postea FILIO suo *Eucherio*, quem *l. 22.* indicat, Imperium ipsum affectans, Barbaros in Imperium Rom. immisit, inuitauit, inquietauit: Vandalos, Alanos, id genus alios. Id quod monumenta alia, tum *l. 22. h. t.* apertissime contestatur: *Opes* (inquit illa lex,) *quibus ille vsus est, ad omnem ditandam* (vbi forte legendum *inuitandam*) *inquietandamque barbariem.* Id prætera contestatur *d. l. 1. supr. de littor. custod.* Vbi dicitur Stilico nouum hoc atque insolitum reperisse, vt littora & portus crebris vallaret excubiis, ne cuiquam ex Oriente ad Occidentalem Imperii partem pateret accessus. Nempe hoc ita institutum a Stilicone, ne dum Barbaras ipse gentes in Occidentem immittit vel fouet, vt ita cupitis potiretur, non posset aliquid opis ex Oriente, id est, ab Arcadio Honorii fratre vel Theodosio Iuniore nepote ad Occidentem submitti. Hæc inquam, certissima sunt huius rei & publica monumenta, quibus subscribit, & Rutilius Numantianus horum temporum Sciptor, Aquitanus, sed gentilis, *lib. 2. Itinerarii sui. v. 41. seqq.*

Quo magis est facinus diri Stiliconis acerbum,
Proditor arcani qui fuit Imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes,
Crudelis summis miscuit ima furor:
Dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri,
Immisit Latiæ Barbara tela neci.
Visceribus nudis armatum condidit hostem,
Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat.
Et captiua prius, quam caperetur, erat.
Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremauit opis.

Hieronymus quoque *Ep. 11. in fin. Quis credet*, inquit, *Romam in gremio suo, non pro gloria, sed pro salute sua pugnare: imo ne pugnare quidem, sed auro & cuncta supellectile vitam redimere? Quod non vitio Principum, qui Religiosissimi sunt, sed scelere semibarbari* [Stiliconis] *accidit proditoris, qui nostris contra nos opibus armauit inimicos.* Item Orosius *lib. 7. cap. 40.* EXCITATÆ (inquit) *per Stiliconem gentes Alanorum, Sueuorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ, Rhenum transeunt, Gallias inuadunt:* & cap. *38. Interea Comes Stilico Vandalorum gentis genere editus, Eucherium filium suum in Imperio quoquomodo substituere nititur. Qua mobrem Alaricum cunctamque Gothorum gentem occulto fœdere FOVENS, ad terendam terrendamue Rempubl. reseruauit. Præterea Gentes, quibus nunc Galliarum Hispaniarumque Prouinciæ premuntur, hoc est, Alanorum, Sueuorum, Vandalorum, ipsoque simul metu impulsorum Burgundionum vltro in arma SOLLICITANS, SVSCITAVIT eas interim ripas Rheni quatere & pulsare Gallias voluit: sperans sub hac necessitatis circumstantia, qua & extorquere Imperium a genero posset in filium, & Gentes barbaræ tam facile comprimi, quam COMMOVERI valerent.*

Iam igitur præter ipsummet Honorium eiusque constitutiones, præter alios Scriptores Christianos, & Gentilis Scriptor Rutilius de irritata & inquietata barbarie fidem facit certissimam. At enim Scriptores alii Gentiles, & e Neotericis nonnemo calumniis oppressum Stilichonem volunt, veluti Zosimus *lib. 5. cap. 34.* & Olympiodorus *apud Photium*, & *Tom. I. Script. Rer. Byzant. pag. 145. edit. Venet.* ac proinde iidem inclementer dicunt iis, qui Stiliconis cœptis obuiam iuerunt, puta Olympio & Heracliano: Nempe hi Scriptores Christiani nominis hostes infensissimi, Stiliconem eiusque filium ideo tuendos suscepere, quod hic Eucherius conciliando sibi Gentilium fauori, instaurandis templis Gentilium imbuturum se Regni primordia pollicebatur, vt testatur Orosius *lib. 7. cap. 38.* Neque Claudiani præiudicium quicquam contra facit; Nam vt is vltimum Stiliconis æuum non attigit panegyricis suis, ita sane fatendum initio non fuisse iisdem temporibus virum vel armis vel pacis artibus clariorem, & Principis sui studiosiorem, soliqué vltimi eius actus vituperantur: vecordia Honorii & colluuie

colluuie Tyrannorum filium suum Eucherium imperio admouere conantis. Hostis itaque publici & prædonis publici nomen emeruit, & interfectus: Sic actus eius nonnulli damnati, vt *l. 1. supr. de litt. & itin. custod.* & fomites factioni subducti, *l. vlt. supr. de Testimoniali:* & *l. 20. supr. de pœnis.*

Tandem ad bonorum proscriptionem itum: quo pertinent hæ tres *leges*; non modo Stiliconis ipsius, filiique Eucherii, sed & Satellitum, aliorumque qui Stiliconi adhæserant; quod hæ tres leges testantur: & Zosimus insuper *lib. 5. cap. 45.* loco alioquin corrupto quem restituere cœpit Leonclauius; ego ita plene restituo: *ἐτέτακτο γὰρ τὰς οὐσίας τῶν δεδημευμένων, διὰ τὴν Στελίχωνος συνουσίαν διερευνῆσαι, quippe datum hoc illi erat negotii, vt eorum bona, qui propter familiaritatem Stilichonis proscripti essent, inuestigaret,* συνουσία & συνεῖναι de *Satellitibus*, quique a partibus alicuius stant, qui re, consilio aliquem iuuant. Cuius certe rei peragendæ negotium *Heliocrati* datum memorat *ibidem*
P. 350 Zosimus. *lib. 5. cap. citat.* qui addit, eum, huic inquisitioni remissius incubuisse, & multis etiam clam authorem fuisse, vt *quæcumque possent, occultarent:* eaque de causa vitæ periculum incurrisse: verum asylo Ecclesiæ sibi consuluisse.

His itaque *tribus legibus*, eam in rem hæc quatuor nunc ab Honorio Imp. constituuntur. Primo *titulos* adfigi oportere proscriptorum, Satellitumque agris omnibus, domiciliis, *l. 20.* de quibus titulis plene dictum fuit ad *l. 11. sup.* Secundo statuit *d. l. 20.* vt *procuratores prædiorum* ad Stiliconem Satellitesque eius pertinentium fructus perceptos largitionibus protinus inferant, pœna alioquin his proposita exilii, id est, deportationis, simul & proscriptionis; de quibus procurationibus possessionum alius erit dicendi locus. Tertio (quæ sententia est *l. 21.*) iubentur ii, qui facultates Stiliconis eiusue Satellitum administrauerunt, vel actum aliquem gesserunt, id est Actores, reddere subtracta ex facultatibus, vel rapta; proposita, vt videtur, in præteritum immunitate. Quæ quidem duo postrema apprime conueniunt iis, quæ ex Zosimo modo referebam de Heliocrate, qui multis auctor fuerat, vt quæcumque possent ex Stiliconis bonis occultarent; *πολλοῖς δὲ καὶ ἀποκρύπτειν ἃ δύναιντο λάθρα ἐδήλου*: Vt suspicari liceat hanc ferme harum legum promulgandarum causam fuisse. Tandem & quarto (quæ sententia est *l. 22.*) cum alioquin, proscripto aliquo, immixta bonis ipsius priuatorum bona iure repeti possint (vt *superiorioribus aliquot legibus* ostensum est.) Sane *d. l. 22.* omnis repetendi via præcluditur his, qui suas opes vltro Stiliconi, vel eius filio Eucherio, aliisque eorum Satellitibus dederunt, quibus illi vterentur ad Barbaros ditandos, inuitandos, & inquietandos. His scil. demum sua proscripti bonis immixta, repetendi facultas est, qui ipsi crimine vacant, non qui vltro ea malo animo dederunt, etsi ea adhuc proscripti bonis immixta appareant. Proscripti adeo bonis ea quoque recte connumerantur, quæ conscii semel dedere. Denique non est conditioni locus, vbi vtriusque & dantis & accipientis turpitudo versatur, potiorque adeo est hoc casu quoque causa Fisci. Quod in vsum recte si quando deduci potest.

De non PETENDIS *bonis proscriptorum; iisque* LIBERIS & PARENTIBVS *relinquendis.*

XXIII. (a) Idem AA. (b) Palladio P.P. (c) Post alia.

EORVM facultates, qui pro criminibus suis meruere puniri (d) (omni pœnitus conpetitione submota) fisco nostro iubemus addici. Si nullos tamen liberos, patrem, matremue derelinquunt, (e) quibus damnatorum bona Legum seruauit humanitas; scelere Maiestatis excepto, cuius atrocitas nihil relinquit heredibus. Dat. VIII. Id. Iul. Rau. Eustathio & Agricola Coss. [421.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ ei sunt *l. vn. sup. de quinquennii prescript.* & *l. 29. & 30. infr. de petition.* Ex quibus desumptæ tres *Cod. Iustin.* puta *lex 3. de requir. reis: l. 4. Cod. Iust. de bon. vacant.* & *l. 10. C. eod. de iure fisc.* GOTHOFR.

(b) Addendum & *Constantius A.* vt tum ipsa temporum ratio docet, tum aliæ huius anni *leges*, etiam ex iis patet, quas *huic* coniungendas esse dixi, puta *l. 29. & 30. infr. de petition.* & *l. 4. Cod. Iust. de bon. vacant.* ID.

(c) *Palladius* sub Honorio PP. *v. Prosopogr.* Male *l. 10. C. Iust. de iure Fisci*, præfert, *Orientis.* ID.

(d) Morte scilicet. *ID.*

(e) Ipsi morte affecti hæredes. *ID.*

COMMENTARIVS.

SEPTIMA hæc Honorii Constitutio est, quæ arcesst prolixioris Honorianæ Constitutionis aduersus Petitorum auiditatem latæ, vt docent præter hanc *legem* (ibi, *post alia:* & ibi, *competitione submota:*) cæteræ *leges* illæ, quas *huic* coniungendas dixi, de quo suo *titulo*, *de petition.* itemque ad *d. l. vn. de quinquennii præscript.* Tria vero *h. l.* constituit. Primum est, quod PETI bona eorum, qui morte affecti sunt, prohibentur: Contra, fisco ea sociari iubentur, secundum *legum* humanitatem: de quo vide *l. 1. 2. 6. 8. 9. 10. supr.* Tertio, Maiestatis tantum crimen excipitur ab hoc beneficio: pariter vt excipitur *l. 4. sup. h. t.*

P. 351. 1. LIBERIS *proscriptorum quid & quantum relinqui, interque eos diuidi debeat: 2. deque* CVRIÆ *& liberorum Curialium successione in bonis decurionum proscriptorum.*

XXIV. (a) Impp. THEOD. & Valentinianus AA. Hierio P. P. (b)

SENTIAT latro (c) nefarius, aut huiusmodi quis professis (d) testatisque sceleribus inuolutus, vltionem suam non posse tardari. Damnato etiam ita proscribtio infligenda est, vt dimidia parte ærario vindicata, alia damnati filiis reseruetur. Decurioni vero, qui hoc incurrerit, si liberos non habeat, succedat Curia, bonaque vniuersa detineat, aut ipsa per se, aut sua (e) ordinatura periculo munera subiturum: Sin erit suboles (f) Curiali, quam (g) municipales sibi vindicent functiones; integris fortunis fulciatur: Si filia, vel filiæ fuerint, quod pro (h) certa legis sanctione defixum (i) est, pars dimidia ad eas deueniat (k) facultatum: (l) Sin (m) mares Curiales fuerint intermixti, dimidia pars eis (n) Curiæ (o) nomine deferatur: & aliam (p) quam in commune omnibus tribuit indulgentia Principalis, pro virili diuidant portione. Dat. X. Kalend. Febr. Constantinop. D. N. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. Coss. [426.]

NOTAE.

(a) L. 10. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc interpolata est. *GOTHOFR.*

(b) *Hierius* PP. sub Theodosio Iun. Orientis scil. v. *Prosopogr.* & Chronic. Alex. *in anno proximo 427. pag. 729. edit. Raderi. IDEM.*

(c) Videntur infesta fuisse tempora latrociniis. *ID.*

(d) *Professis testatisque* sceleribus. *ID.*

(e) γρ. *Suo* vt in *C. Iust. ID.*

(f) Mascula scilicet. *ID.*

(g) Vsque ad illa *si filia,* ita immutata sunt in *C. Iust. Etsi ea nec dum procreata est, integris patris fortunis fulciatur. ID.*

(h) Et hæc sententia abest a *C. Iust. ID.*

(i) *Defixum,* pro *præfixum,* definitum, limitatum. *ID.*

(k) *Deuoluatur.* C. Iust. *ID.*

(l) *Altera dimidia ad Curiam,* hoc maioris perspicuitatis caussa additum *Codici Iustinianeo. ID.*

(m) *Sin autem,* C. Iust. hic, & supra quoque, *sin autem erit soboles. ID.*

(n) Maribus scil. *ID.*

(o) Id est, propter Curiales functiones quæ eis imminent. *ID.*

(p) Id est, *alteram:* porro in *C. Iust.* hoc ita immutatum, *& alia &c. pro virili diuidatur portione. ID.*

COMMENTARIVS.

DE BONIS damnatorum quid fieri debeat, extantibus LIBERIS, pro damnati conditione Theodosius Iunior hac constitutione cauet. In commune quidem, dimidiam partem fisco vindicari iubet: alteram vero filiis cedere vult: de quo *l. 2. 4. 6. 8. 9. 10. 23. supr. h. t.* Solis nempe filiis hoc beneficium tribuit, at non etiam aliis cognationibus, non patri, non matri, quod tamen plerisque *Superiorum legum* constitutionibus constitutum fuerat. Et hæc vt dixi in commune. In DECVRIONVM saltem damnatorum bonis alia forma præstituitur. Nempe Decurioni damnato Curia succedit, si liberos non habeat, ex asse; quo videl. ea vel per se, vel per ordinatum a se, munera publica subeat, de quo dicetur *infr. suo tit. de Decurion.* Si vero liberi sint, & quidem masculi tantum, ii ex asse succedunt, si modo sint filii Curiæ nexu obstricti, de quo *d. tit. de Decurion.* Si vero filia tantum sit, vel filiæ, ex semisse succedunt, ex altero Curia. Tandem si mixti sint mares & filiæ, dimidia maribus cedit libera, altera dimidia ex æquo diuidenda est inter mares & fœminas. Quæ diuisionis ratio singularis est.

Ex his omnibus, ac maxime ex ipso *legis* principio patet, Theodosium Iuniorem hac constitutione, his angustissimis finibus successiones damnatorum coarctare voluisse; Primo intra Curiam, quarum commodis ea re Imp. consultum voluit, vt in quibus decus ciuitatum consisteret: de quo suo *t. de Decurion.* quæque alioquin etiam Curialibus sine hærede decedentibus succedebant: de quo *tit. sup. de bonis Decurion.* Deinde intra solos filios seu liberos, exacerbandis videl. pœnis reorum: & quidem in *sp. huius leg.* Latronum, & vt eleganter loquitur, *Similibus professis testatisque sceleribus inuolutorum,* quibus tum Respublica infestata maxime videtur. Quod *Latronis* nomen attinet, obseruandum quod monet Vopiscus *in vita Firmi, c. 2.* magnos Principes eos, quos purpuram inuadentes necassent, semper *Latrones* vocasse.

DE

DE SENTENTIAM PASSIS, ET RESTITVTIS, ET * LIBERIS EORVM.

TITVLVS XLIII.

LIB. IX. COD. IVST. TIT. LI.

* Absunt hæc, *& liberis eorum*, a *Cod. Iustin.*

Ad hunc *titulum* referendæ quoque sunt *l. 12. 13. 17. supr. de bonis proscript.* item *l. 1.* & *2. infr. de collation. donat.* & Eunap. in *Oribasio, p. 182. edit. Commelin.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Maximum PF. P. (b)

IN quæstione TESTAMENTI, (c) quod deportati filius remeante (d) patre fecisset, remotis Vlpiani atque Pauli notis, (e) Papiniani (f) placet valere sententiam, vt in patris sit filius potestate, (g) cui (h) dignitas ac bona restituta sunt. Ita (i) tamen, vt GESTA per filium, cuius consilia (k) legitima (l) ætas firmauerat, rata sint, eodem in potestatem patriam (m) redeunte: Nec (n) eorum rescissio efficiat (quod est maxime absurdum) (o) eodem tempore, nec in patris, nec in sua quemquam fuisse potestate: minores (p) enim ætate iure (q) quicquam agere prohibentur. Quibus (r) si damnato patre TVTOR datus est, necesse est vt ab officio recedat regresso eo, quem non solum nomine (s) redire, sed etiam officium suum (t) nulla prauitate corruptum, liberis præbere oportet, vt eorum bona tueatur (v) & augeat. Nam (x) si patria potestate ad corrumpendi atque effundendi patrimonii (y) licentiam abutetur, (z) vt furioso (aa) ac dementi, item (bb) prodigo, libidinum omnium (cc) vitiorumque seruo, non est eorum pecunia (dd) committenda: Ab (ee) administratione fugiat, neque tutor esse desinat, omniaque minoris dispendia suis ipse damnis præstet. Sententia (ff) vero deportationis nullo patrem præiudicio deminuat. Quem si conperta integritas, vt natura, (gg) ita officio, liberis restituerit, ei gubernacula rerum tradenda sunt, cuius, (hh) ad imitationem publici iuris, prouisa custodia (ii) est: Quæ nisi bonis patribus detur, luctuosior erit reditus, (kk) quam discessus. Ideoque (ll) tantum ad restitutionem indulgentia valeat, quantum ad correctionem sententia valuit. Vtque DEPORTATIONIS ipse (mm) per se nomen rerum omnium spoliatio est, ita indulgentiæ (nn) reditus, bonorum ac dignitatis (oo) vno nomine (pp) amissorum omnium sit recuperatio: & filii emancipationem a patribus officiis petant vt libertatem non damnationis, sed lenitatis paternæ testem habeant. Dat. XVIII. (qq) Kal. Octob. Sirmio, Crispo II. & Constantino II. CC. Coss. [321.]

INTERPRETATIO. *Si quis pater in exilium missus, filium in maiore ætate reliquerit: quæcunque de bonis propriis gessit filius, iuxta sententiam Papiniani rata & firma permaneant, nec contra aut testamentum, aut transactionem filii reuersus pater venire permittitur. Sane cum redierit pater, si filium viuum inuenerit, filium in ius suum paterna potestate recipiet. Cæterum quod de rebus propriis absente patre filius gessit, reuersus pater reuocare non poterit. Quicquid vero filii in annis minoribus constituti fecerint, penitus non valebit: qui tamen si pro ætate, vel absentia patris, aut tutores, aut curatores acceperint, reuersus pater filios, repulsis curatoribus vel tutoribus, cum omni facultate recipiet, ea tamen conditione, vt rem filiorum ita administret ac regat, vt non solum detrimenta non sentiant, sed studio patris res & facultas proficiat filiorum. Quod si pater aut prodigus, aut negligens, aut euersor, aut libidini deditus esse conuincetur, & filiorum res impie ac dementer* (rr) *vastare, ac dilapidare cognoscetur, filii talis patris tanquam eo mortuo sub tutore aut curatore consistant: quia sicut æquum est,* (ss) *vt bonus ac vtilis pater rem filiorum regendam administrandamque recipiat, ita iniquum est, vt in damnum filiorum reuersus, facultates à tutoribus curatoribusue reseruatas dementi subuersione dilaceret.*

 NOTÆ.

P. 355.

NOTAE.

(a) *L. vlt. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) *Maximum P.V.* Ita recte in editione Tiliana & in Cod. Iust. Id quod confirmat vetus Auctor *de Praefectis vrbi* apud Cuspinianum. Vide & *Chronologiam Theodosianam.* ID. Recte etiam in MSS. W. & G. in Edit. Sichard. illa in 4. & prior Cuiac. *P. V.* legitur. RITTER.

(c) Id est; de testamento, vel vt idem Papinianus loquitur, *eodem*, vt existimo, *libro*, de iure testamenti, *l.* 11. *§. vlt. D. de bonor. poss. sec. Tab.* GOTHOFR.

(d) Id est, cuius pater postea remeauit: nisi putes legendum, *remanente patre:* id est, in deportatione constituto, vel *remorante*: ID.

(e) De his Vlpiani & Pauli ad Papinianum notis agitur & *l. vnic. supr. de resp. Prud.* vbi dixi. ID.

(f) *Libr.* 13. *Quaestion.* vt mox probabo. ID.

(g) Atque adeo testamentum eius irritum fiet. ID.

(h) *Cuius dignitas*, MS. W. RITTER.

(i) SECVNDVM caput de gestis a filio deportati, & cuius pater postea remeauit. GOTHOFR.

(k) *Cuius fidem*, MS. W. RITTER.

(l) Id est, maior aetas. GOTHOFR.

(m) *Potestatem patris*, MS. G. RITTER.

(n) γε *Ne*: vt etiam recte habet *C. Iust.* & Edit. Sichard. GOTHOFR.

(o) Absurda vitanda sunt. ID.

(p) Haec sententia refertur ad illa superiora, *per filium, cuius consilia legitima aetas firmauerat.* ID.

(q) *Iure* abest a MS. W. RITTER.

(r) TERTIVM caput de Tutore filii, cuius pater deportatus mox reuersus. GOTHOFR.

(s) Nomine tantum restituitur patriae potestati, qui ad eius bonorum administrationem non restitueretur. ID.

(t) Officium patris & tutoris. IDEM.

(v) *Tutoris* inde nomen. IDEM.

(x) Id est, *alioquin.* IDEM.

(y) Filii sui. IDEM.

(z) *Abutatur*, Cod. Iust. ID. *Abutitur*, MS. W. RITTER.

(aa) *Vt furioso ac*, MS. W. ID.

(bb) Id est, vel saltem, in *C. Iust. itemque.* GOTHOFR.

(cc) Libidinum omnium vitiorumque seruus: Ita Firmicus *lib.* 7. *c.* 16. *Omnium libidinum impuris vitiis implicatos.* Ibidem, *vitiorum & libidinum locum ostendet.* ID. Sichard. legit: *libidinum, omniumque vitiorum.* RITTER.

(dd) *Pecuniae* vox hic propria, vt vel ex L. XII. Tabb. liquet: *Agnatorum Gentiliumque in eo pecuniaue eius potestas esto.* GOTHOFRED.

(ee) *Quin ab administratione*, Cod. Iust. & Ed. Sichard. MS. G. vero, *qua ab administratione vt fugiat.* RITTER.

(ff) Haec & sequentia, ita leguntur in MS. W. *Sententiam vero deportationis nullo patri praeiudicio deminuat, quemadmodum si conperta integritas, ita officio.* ID.

(gg) *Naturae*, C. Iust. male. GOTHOFR.

(hh) MS. W. *Huius ad emendationem.* RITTER.

(ii) Perpetua hic imitatio L. XII. Tabb. *Si furiosus aut prodigus existat, ast ei* CVSTOS *nec escit*, &c. GOTHOFR.

(kk) *Filiis reditus*, C. Iust. male. Nam imo de patribus hic agitur. ID.

(ll) QVARTVM caput *h. l.* quo generalis Regula subsumitur. ID.

(mm) *Ipsum*, Cod. Iust. rectius. ID. Cum Cod. Iust. facit MS. W. & Ed. Sichard. RITTER.

(nn) *Indulgentiae restitutio:* C. Iust. sed hic repono, *Indulgentia reditus.* Sententiam passi seu deportati restitutio, nihil aliud est quam *indulgentia reditus.* GOTHOFR.

(oo) Etiam patriae, de quo hic potissimum quaeritur. ID.

(pp) Deportationis scilicet. ID.

(qq) *XVII.* MS. W. & Ed. Sichard. *VII.* MS. G. RITTER.

(rr) *Indecenter*, MS. W. ID.

(ss) *Sicut bonum est, vt equus ac vtilis pater*, MS. W. ID.

COMMENTARIVS.

PATRIS deportati restitutio, quam vim, quem effectum habeat, filiorum contemplatu, hac elegantissima ita & Iurisprudentiae omnis plenissima Constantini M. constitutione, ex professo tractatur; sic vt ICti tractatum sapiat. Et vero hunc tractatum Constantinus ingressus est, post varios veterum ICtorum ea de re tractatus; & quidem summorum, puta Papiniani, Vlpiani, Pauli, de quorum ICtorum autoritate fidem facit vel *l. vnica, supr. de respons. Prud.* Faciunt & aliae *leges* per *Codicem* sparsae, e quibus horum ICtorum quanta dignitas fuerit, liquere potest. Qua parte tamen Constantinus *Papiniani* sententiam praetulit, vt etiam inter caeteros Papinianum excelluisse fatendum est. Neque enim vllus vnquam ICtorum fuit, in quem Principes tot laudes, tot ornamenta coniecerint, quae alter seculi nostri Papinianus in vnum plena manu congessit: sed nullus maior honor excogitari potest, quam qui Papiniano isti defertur a Valentiniano Tertio in *d. l. vnic. sup. de respons. Prud.* vt si qua in re sint diuersae Prudentum sententiae, & numerus aequalis sit, eius partis praecedat autoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineret, qui vt singulos vincit, ita cedit duobus. Papiniani igitur sententiam Constantinus *hac lege* praefert, remotis Vlpiani & Pauli *No-*

tis: quod Valentinianus *in d. l. vnica* etiam indicat. Nempe Paulus & Vlpianus in Papinianum Notas scripserant: verum Papiniani autoritas euicit, vt ne earum ratio haberetur; id quod Constantini exemplo in *h. l.* tum vel maxime Valentiniani in *d. l. vnic.* liquet, vbi absolute Notas Pauli & Vlpiani in Papiniani corpus factas infirmari præcipit, & addit, *sicut dudum statutum est*, quod tamen non generaliter statutum a Constantino *hac l.* verum in hac tantum specie. Verum Iustinianus postea autoritati suæ restituit Notas Vlpiani & Pauli, sicubi meliore ratione niterentur, vel vtilitate aliqua censerentur: ex quibus etiam complurimæ reperiuntur per Digesta sparsæ.

Papinianus igitur in materia Testamentaria versans, quæstionem hanc mouerat de testamento, quod filius deportati fecisset, vtrum patre remeante & restituto, testamentum filii, tanquam capitis diminutione, irritum fieret? An vero nihilominus bonorum possessio secundum tabulas huiusmodi filii dari posset? Mouerat hanc inquam quæstionem, & tractauerat Papinianus, procul dubio *Quæstionum lib. 13.* qui vt totus est de bonorum possessione secundum Tabulas (vt docet *l. vlt. D. de condition. institution. l. 42. D. de bonis libert. l. 14. D. de bonor. possess. l. 21. de legat. præst. l. 1. §. 16. D. de collation. l. 11. D. de Carbon. Edicto: l. 11. D. de bonor. poss. sec. Tab.*) Ita de restitutione quoque nominatim eo libro egerat, & de reuersis, quisnam videlicet postliminii & restitutionis, seu reditus esset effectus, circa Tab. vel bonorum possessionem secundum Tabulas, quæque postliminio restituantur, itemque de capitis deminutione, qua testamentum irritum fit: vt docet *lex 20. D. ex quibus causis maior.* & *d. l. 11. §. 1.* & *2. de B. P. sec. Tab.* Denique tractauerat plenius de restitutionis beneficio, & capitis diminutione, & ad quæ ea extenderetur.

Hanc eandem igitur nunc quæstionem sub manum reuocans Constantinus, & decisam firmiter cupiens, tria tractat & decidit, de vi huius restitutionis; vel potius duplicem effectum huius restitutionis circa filios principaliter definit, eumque postea generali Regula concludit, vt altera simili ex eodem Papiniano petita legem inceperat, limitationem interea, *versic. ita tamen*, interiiciens. De singulis videndum est.

P. 354. Primo igitur loco de *Testamento* filii, patre deportato, mox restituto, quæritur? Et vero de eo principaliter Papinianus quæsierat, vt illa prima *huius legis* verba ostendunt, *in quæstione Testamenti.* Et certe aperta est hac parte Papiniani definitio, seu sententia, patre remeante seu restituto, id est, dignitate & bonis ei restitutis, filium quoque in patris potestatem redire. Nempe hæc argumentatio est; cui dignitas, cui bona restituuntur, eidem proculdubio & patria potestas restituatur necesse est: est enim ea dignitatis ciuilis pars vel potissima, vtpote qua potestas in caput ciuis Romani competit, quo maius vel dignius nihil est, atque ideo inæstimabilis ea dicitur *l. 114. §. 8. D. de leg. 1.* Denique cui dignitas ciuilis, cui ciuitas restituitur, & patriam potestatem ei restitui necesse est, vt quæ ciuilis dignitatis vel potissima sit strictura, & propria ciuitatis seu ciuium Romanorum. Et quemadmodum fieri nequit, vt non amittat pater filium, quem patria amisit, *l. 19. §. 7. D. de captiuis*: ita vice versa fieri nequit, vt non recuperet pater filium, qui patriam recuperauit. Idque etiam ita definitum est *§. 1. Inst. quib. mod. ius patr. pot. solu.* Hoc ita posito, patriam videl. potestatem restitui deportati patris restitutione, vtique iam sequitur, quod etiam colligebat Papinianus, tacito iuris intellectu & filii testamentum interea conditum ceu capitis diminutione irritum fieri. Neque enim alio fine Papinianus in quæstione hac de testamento filii, de patria potestate recuperata egit, nisi vt ab ea postea inferret ad vim testamenti irritandam. Hoc enim posito, filium in patris restituti potestatem redire, sane sequitur, testamentum eius irritum fieri. Et hæc est *huius legis in princ.* sententia.

Cui opponi alioquin solet *l. 6. Cod. Iust. eod. tit.* in qua disertis verbis dicitur, *in Insulam deportato Filio, hacque ratione vinculo paternæ potestatis exempto, si postea ex indulgentia Principis reditus in patrium solum, præcedensque dignitas restituta sit, potestatem patriam restitutam non videri.* Verum recte omnino Græci Interpretes aiunt, in hac re differentiam esse inter Patrem & filium: Nempe patre deportato, posteaque restituto in dignitatem, patria quoque potestas restituitur, velut quæ dignitatis pars sit, *h. l.* Atenim si filius deportatus postea restitutus sit, in patrium solum & præcedentem dignitatem, patria potestas non restituitur. Nec enim dignitatis pars est, patriæ potestatis ius habere. Pater deportatus & restitutus recipit potestatem ex benigna & fauorabili interpretatione: At filius restitutus ideo patriæ potestati non restituitur, ne quod fauoris emeruit & indulgentiæ, vt in patriam & bona restitueretur, id in eius odium retorqueatur. Itaque perperam distinguitur inter simplicem & plenissimam restitutionem. Distinguendum enim omnino est inter patrem, & filium restitutum. Et male, qui §. 1. Instit. *q. quib. mod. ius patr. pot. sol.* verb. *pari ratione*, illa verba supplent: *plenissima restitutione.* Nam vt *lex* nostra *in fine* habet, *tantum restitutio seu indulgentia reditus ad restitutionem valet, quantum sententia ad correctionem valuit: & vt ipsum per se nomen deportationis & rerum omnium spoliatio, ita indulgentia reditus* (pro quo habet C. Iust. *indulgentiæ restitutio*) *bonorum ac dignitatis vno nomine amissorum omnium est recuperatio.* Vnde liquidissimo apparet, solo restitutionis & indulgentiæ reditus nomine, vt cætera, ita & patriam potestatem quoque restitui: sicut vice versa solum deportationis nomen, vt cætera, ita patriam potestatem adimit. Nil igitur opus hac formula: *Restituo te in integrum*; quam plenissimam restitutionem vocant: sola enim *restitutionis* vox id importat, ex sententia Papiniani, & post eum Constantini nostri. Neque quicquam amplius importat, *Restituo te in integrum*: quam *Restituo te*, simpliciter. Ad rem: Pari ratione, seruo in metallum damnato, & sic fisci facto, posteaque restituto, prius dominium non integratur, *l. 8. Cod. Iust. eod. tit.*

Sed rursum opponitur *l. 9. Cod. Iust. dict. tit.* vbi dicitur, si pater in insulam deportatus fuerit, postea vero restitutus est, nec vt liberos in potestatem reciperet, specialiter impetrauit, non venire in dubium, hæreditatis commodum per filios patre deportato acquisitum, patri restituto non acquiri: Vnde colligitur, patriam potestatem restitutione patris non restitui, nisi specialiter impetrauit, vt liberos in potestatem reciperet. Verum non hoc *ea lege* dicitur, patriam potestatem restituto patre non restitui, nisi id specialiter concessum fuerit: sed hoc dicitur ad eum effectum singularem, vt hæreditatis per filium acquisitæ, patre in deportatione constituto, commodum patri postea restituto acquiratur, requiri, vt specialiter is impetrauerit, vt liberos in potestatem reciperet. Nempe alia bonorum patre deportato quæsitorum, alia patriæ potestatis est ratio. Ipsa patria potestas simpliciter restituto restituitur: Sed bona per filios interim quæsita, vtpote patresfam. patris deportatione effectos, patri restituto non restituuntur, id est, eorum vsusfructus patri restituto non acquiritur: quia restitutio hæc, amissa restituit; at non etiam tribuit ea, quæ nunquam quæsita fuerunt, qualia sunt ea quæ filii acquisiuerunt, patre in deportatione existente. Neque restitutio hæc extenditur ad causam facti: id est, factum non continetur hoc postliminio. Sicut vsucapio interrupta postliminio non restituitur,

tur, vt idem Papinianus *hoc ipso lib. 13. Quæst.* scripsit *d. l. 20. D. ex quibus causis maiores:* Itaque vt bona hæc quoque patri restituto acquiri possint, specialis hæc clausula requiritur, *Restituo te liberis tuis:* vel *Liberos in potestatem recipito.* Hac enim expressa clausula liberi, vna cum bonis in potestatem patris redeunt.

Ex his iam omnibus liquet, quam bene omnibus his *legibus* conueniat; & quam verum sit: Primo patriam potestatem, restituto patre, restitui citra specialem indulgentiam: quod tamen nonnulli e Græcis Thalelæus, Theodorus, existimarunt in conciliandis quas superius conciliaui legibus laborantes: Secundo, quam verum sit quod etiam Placentinus & Bulgarus voluere, testamentum filii patre deportato conditum restituto patre seu remeante, ceu capitis diminutione irritum fieri. Vt miror etiam Cuiacium in contrariam sententiam concessisse, sic quidem, vt eam *huiusce legis* sententiam putauerit, testamentum videlicet filii patre deportato conditum, restituto patre, non irritum fieri. Quo nihil alienius dici potest. Nam & filum huius *legis* totius contrarium plane euincit, & ratio in aperto est. Basilicon quoque hæc interpretatio est ad *hanc l.* gestum a filio, patre deportato, post reditum patris irritum non fieri, sed eandem vim habere, quam habuit ante reditum patris, excepto testamento: nam si adhuc patre degente in exilio filius testamentum fecerit, & superuiuente eo redierit pater, irritum testamentum fieri quasi moriente filio in potestate. Eius enim qui in potestate patris moritur, valere testamentum non posse, cum tempore mortis non habeat testamenti factionem. Itaque præter testamentum quæcumque gessit, quandiu in exilio fuit pater, firma
P.355. manere. Argumentum tamen Cuiacii hoc est: Testamentum iure perfectum non rescindi, si postea testator amiserit ius faciendi testamenti, nisi id amiserit, per capitis diminutionem, quæ nulla interuenit, qui deportato patre fecit testamentum, posteaque rediit in eiusdem patris potestatem, patre restituto. Nam imo capitis diminutionem reuerso patre filius manifestissime patitur, vtpote qui in patris potestatem recidat, haud aliter atque patrisfam. irritum fit testamentum, si se arrogandum alteri dederit, *§. 4. Instit. quib. mod. testam. infirm.* Quod hoc ipso *lib. 13. Quæst.* Papinianus scripsit *d. l. 11. §. vlt. D. de bon. poss. sec. tab.* Itaque dissimile est exemplum prodigi, qui ante interdictionem testamentum fecit: dissimile item Monachi, qui ante Monachismum: dissimile furiosi, vel surdi & muti, ante furorem, vel casum: quia hi testamenti factionem amittunt citra capitis diminutionem vllam. Maneat itaque, testamentum a filio deportati factum, patre remeante, irritum fieri; quæ *huius legis* sententia est, vt etiam Basilica agnoscunt, vt Placentinus, vt Bulgarus, imo vt huius legis quoque interpres, vt paulo post ostendam. Male Cuiacius, male Cyprianus & Irnerius, qui non irritum fieri putant. Male Azo, qui Constantinum hac constitutione non πρὸς ἔπος nec ad literam, vt loquitur, & ad propositam de testamento quæstionem rescribere putauit. Verissimum enim est, Constantinum prorsus πρὸς ἔπος respondere, vt ex ipso *legis* principio iam probaui; liquebit adhuc magis ex iis, quæ mox de *gestis* a filio subiiciuntur, proposita differentia inter testamentum, & gesta a filio medio tempore. Vera interim est Ioannis & Azonis hercifcundorum ICtorum media sententia; qui Irnerii sententiam admittunt, si filius testamento condito decesserit ante patris restitutionem; Bulgari vero, si filio superstite pater restitutus fuerit: Quæ & ipsa Interpretis ad *h. l.* est sententia, vt apparet ex *versic. sane cum:* Testamentum filii, patris restitutione antiquius, quod semel effectum sortiri cœpit (id autem fit mortuo filio ante patris restitutionem) patris restitutione reuocari non potest; Atenim testamentum filii, quod ante restitutionem patris effectum sortiri non cœpit, patris restitutione irritum fit, quæ *huius l.* species est: Nam & illorum insignis est error, qui existimant *hac leg.* agi de testamento, quod filius fecisset, *patre remeante*; id est, vt ipsi interpretantur, suis laribus & bonis iam restituto, quæ etiam Odoffredi sententia fuit; quod ineptum est. Neque enim de eo quæri potuit, an filius patre iam reuerso & restituto testari posset, sed vtrum quod restitutione anterius est, restitutione patris irritum fiat: quod Interpres, quod Basilica recte agnoscunt, quod etiam Bartolus recte refutat. Denique in verbis his, *patre remeante*, initio *leg.* quædam σύγχυσις est: vel ita accipienda, cuius pater postea remeauit. Interim posset hic casus non male figurari, nempe filium proponi testatum medio tempore, quod est post restitutionem, & ante reuersionem. Nam & hoc casu proculdubio & multo magis testamentum non valet. Ilico enim vt pater restitutus est, filius in patris potestate constituitur. Proinde hoc casu si post restitutionem patris ante eiusdem reuersionem filius decesserit, testamentum eius non valet. Et hæc de Testamento.

II. GESTORVM atenim (quæ secunda *huius leg.* sententia est) a filio deportati, absente patre, dispar est ratio. Ea quippe, patre postea restituto, non irritantur. Et recte Baldus, restitutionem, dependentiam habentia medio tempore facta rescindere, non etiam ea quæ sunt in esse perfecto & consummato: atque hæc est illa differentia, quam *hic* Constantinus tradit inter gesta a filio, & inter testamentum filii patre deportato, quam Interpres, quam Bulgarus & Placentinus secuti sunt. Nempe *Gestorum* appellatio, hic testamento opponitur. *Gestum*, & *gerendi* vox non pertinet ad ius testandi; *l. 19. & 20. D. de V. S.* Ratio differentiæ in aperto est, non tantum ea quam Constantinus reddit, verum etiam hæc, quia Gesta iam mutari non possunt sine magna eorum, qui contraxerunt, fraude & iactura. Beneficia Principum etsi latissime sint interpretanda, hactenus tamen ne ius Tertii lædatur. Interim rationis, quam Constantinus addit, hæc sententia est: omnino gesti seu contractus tempore filium sui iuris fuisse. Atqui non vt in testamentis, ita & in contractibus status insecuti temporis spectatur, sed eius tantum temporis, quo contractum fuit.

III. TVTELÆ vel CVRÆ (quæ Tertia *huius leg.* sententia est) par ratio est atque testamenti. Nam si filius deportati iam sui iuris, iam caput liberum Tutorem vel curatorem nactus est, patre restituto tutela finitur, patrique pecunia filiorum committitur, bona eorum tueri & augere debet, eorumque administrationem habet, gubernacula ei traduntur, ad imitationem publici iuris custodia ei committitur. Denique tutor est, vt *h. l.* vocatur, sed improprie satis: Nam vt Theophilus quoque non semel recte prodidit, alienum est, qui in potestate sunt, in tutela esse. Itaque minus proprie *Tutoris* nomen hic vsurpatur pro administratore. Ita demum tamen quæ limitatio a Constantino additur; patri hæc siue tutela, siue custodia, siue administratio committitur, *si non ipse* (vt *hac l.* eleganter additur) *patria potestate ad corrumpendi atque effundendi patrimonii filii licentiam abutatur.* Hoc quippe casu velut furiosus, demens, ac prodigus libidinum omnium vitiorumque seruus, (vt eleganter rursum loquitur Constantinus) ab administratione repellitur; neque tutor esse definit, & omnia minoris dispendia suis ipse damnis præstat, id est, tutelæ periculo obnoxius est, etsi ipse tutor non sit reuera: tutor tamen ideo quia periculo obnoxius. Ita enim malo verba illa accipere, de ipsomet patre, *neque tutor esse desinat.* Nam & ita adgnatus proximus iure antiquo, etsi pupillus vel minor

minor 25. annis, vel etiam furiosus aut prodigus; attamen tutor esse non desinebat, etsi ab administratione fugeret, neque pecunia ei committeretur, vt docet §. 13. *Instit. de excus. tutor:* & *l. vlt. C. Iust. de legit. tutel.* & *Nou. 118. c. 5. §. ex his autem*, & *l. 13. D. de curator. furios.* cuius hæc verba sunt: *Sæpe ad alium e lege XII. Tabb. curatio furiosi aut prodigi pertinet, alii Prætor administrationem dat*, scil. cum ille legitimus inhabilis ad eam rem videatur: quam *legem* proculdubio Constantinus *hac lege* imitatus est.

Postremum, Regulam de vi restitutionis Constantinus noster resumit, *initio* quoque *legis* propositam, duobus præterea exemplis comprobatam, sed quam nunc magis magisque *a comparatione contrarii* firmat. Nempe quod deportatio adimit, id indulgentia restituit, & vt deportationis nomen omnium rerum est spoliatio, ita pariter indulgentia reditus seu restitutio, vt bonorum omnium, ita dignitatis omnis est & esse debet recuperatio. Ex qua comparatione iam ad propositum infert, & patriam potestatem quoque restitui, & liberos liberorumque actus patris restituti potestate eorumdemque bona eiusdem tutela contineri, qua vnica sententia *lex* tota absumitur. P. 356.

Interea obiter notandum, quisnam deportationis effectus sit, nempe bonorum omnium spoliatio, quod ipsum comprobat *l. 8. sup. de bon. damnat. l. 2. in fin. sup. de vi: l. vnic. sup. Ne sine iuss. Princip. l. vnic. in fin. sup. de Nili agger. l. 29. infr. de pœnis*, vbi eleganter dicitur, *ademptio facultatum pœnam præmissæ indignationis* (id est, deportationis) *adcumulare*. Quare, *in l. 14. infr. quorum appellat*, medietatis amissio, & sors deportationis opponuntur.

DE HIS QVI AD STATVAS CONFVGIVNT.

TITVLVS XLIV.

LIB. I. COD. IVST. TIT. XXV.

Concordat *infr. lib. 15. tit. de Imaginibus Imperialibus: lex 4. supr. ne quid publ. lætitiæ.*

I. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Cynegio (b) P. P.

EOs (c) qui ad statuas, vel euitandi (d) metus, vel creandæ inuidiæ causa, confugerint, (e) ante diem decimum neque auferri (f) ab aliquo, neque discedere sponte perpetimur: Ita tamen, vt si certas (g) habuerint causas, quibus confugere ad Imperatoria simulacra debuerint, iure ac legibus vindicentur: (h) sin vero proditi (i) fuerint artibus suis inuidiam inimicis creare voluisse, vltrix in eos sententia proferatur. Dat. Prid. Non. Iul. Constantinop. Honor. NB. P. & Euod. V. C. Coss. [386.]

NOTÆ.

(a) *L. vn. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Cynegius* PP. Orientis sub Theodosio M. vid. *Prosopogr. ID.*

(c) *Qui ad statuas*: ita *C. Iust. ID.*

(d) *Vitandi*, simpliciter, *C. Iust.* Nostrum hoc melius, εὐλαβουμένοις, *in præfat. leg. 5. infr. de his qui ad Eccles. ID.*

(e) Sequentia de *Tempore* præstituto absunt a *Cod. Iust.* vsque ad illa, *si certas*: de quo mox. *ID.*

(f) Id est, *abripi. IDEM.*

(g) *Certas*, id est, iustas, ὁμολογουμένας, *d. l. 5. ID.*

(h) Id est, *defendantur. ID.*

(i) *Probati*, Cod. Iust. Hoc nostrum elegantius. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc vnica hoc titulo constitutio est, de his qui ad statuas Principum confugiunt. Ad statuas seu simulacra non modo Deorum in Templis, de quo non est hic locus agendi, sed & Principum perfugium apud Romanos fuisse notum est; idque non seruis modo, quod docet *l. 2. D. de his qui sui:* & exinde *Inst. eod. tit. §. 2.* & *l. 1. §. 1. D. de offic. P. V.* & apud Authorem *legum Mosaicarum, tit. 3. §. 3.* & *l. 17. §. 12. D. de ædilit. edict.* Senec. 1. *de Clement. c. 18. Seruis ad statuam licet confugere, cum in seruum omnia liceant &c.* euitandæ scil. Dominorum sæuitiæ: verum etiam ingenuis, *euitandi metus causa*, vt hæc *lex* docet; de quo præter Suetonium *Octauio cap. 17. & Tiberio cap. 53.* Philostratum, *in vita Apollonii lib. 1. cap. 11. pag. 19. ed. Morell. Paris. l. 28. §. 7. D. de pœnis.* Theodosius Iun. quoque in *præfat.* quæ præfigitur *l. 5. inf. de his qui ad Eccles.* hanc ipsam *legem* innuens; ὥστε μηδαμῶς τοῖς εὐλαβουμένοις ἀνῃρῆσθαι φιλανθρωπίαν, βωμοὺς σωτηρίας καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀφιδρύμασιν ὁ προ-χαιότης ἀνέθηκε, καὶ οἱ τὰ ἴχνη τῶν ἡμετέρων χαρακτήρων

φαντάσμασι καταλαμβάνοντες, τῶν ἀπειλῶν τῆς σκαιᾶς τύχης ἐλευθερωθέντες τε καὶ ἀμεριμνοῦντες γεγήθασι. τοσαύτης τοιγαροῦν τῆς ἀφῆς τῷ ἐν δεδομένῳ τος ἐπικουρίαν διδούσης, πόσην χρὴ &c. *Maiores etiam nostri, ne aliquo modo timore perculsis humanitas denegata videretur, in nostris quoque statuis aram salutis constituerunt, ita vt si qui, vel extrema imaginum nostrarum vestigia forte contigerint, hi ab omnibus minis aduersa fortuna liberati ac securi gaudeant. Iam si statuæ complexus tantum præsidii miseris conciliat, quantum debet* &c. Eodem alludit & Nazianzenus *ep. 78.* vbi de *fugitiuo* quodam milite, vel potius officiali qui ad se confugerat: ὥσπερ τινὰ εἰκόνα βασιλικὴν, τὴν πολιὰν ἡμῶν προβαλλόμενος, καὶ τὴν ἱερωσύνην; *canitiem nostram & sacerdotium, instar imperatoriæ cuiusdam imaginis obtendens.*

Addamus & locum insignum ex Arriani *Epicteto lib. 3. c.* περὶ ἀσκήσεως. Eo loci Arrianus, vel Epictetus ipse præcepta data de exercitatione, qua quis a prauis affectibus abduci possit, ad moderationem, intra cætera, qua ratione seu exercitatione assidua si γεωργὸς sit irritabilis, conuicia quis ferre possit, vt non doleat si contumeliis afficiatur, imo vt & verberibus ab aliquo affectus ad seipsum dicere P.357. possit: perinde illud esse, atque statuam complecti, ὅτι δόξον ἀνδριάντα περιειληφέναι: quod & ipsum initio capitis perstrinxerat: ἢ ἀνδριάντας, inquit, περιλαμβάνειν. Nempe hoc vult, euitandæ iniuriæ, vel metui, non minus obfirmatum ad iniurias exercitatione multa animum, quam statuarum complexum. Hinc inquam planus est Arriani sensus, vt videre satis non potuerim Criticum quendam, egregium alioquin aliorum spretorem, putantem id innui, statuarum complexum in difficilium rerum numero ibi referri: atque ideo Oraculum consulendum putauit, vt causas eius exquireret. Arrianus certe inter πικίνδυνα id posuit, quod periculose ad statuas confugeretur: quia id periculo non vacuum, si quis *temere scil.* confugisset. Quod ad hanc quoque *leg.* facit. Vno verbo, Arrianus complexum statuæ ibi opponit, vel comparat, animi moderationi; cum idem sit vtriusque effectus, ab iniuria scil. vel metu liberatio.

Chrysostomi quoque locus in illud, *Vidua eligatur: sermone 16. tom. 5. edit. Paris. pag. 448.* siu. *Tom. III. Edit. Benedict. num. 13. pag. 323.* οὐχ ὁρᾷς πόσοι τῶν ἐπηρεαζομένων εἰς ἀνδριάντων κατέφυγον πόδας, καίτοιγε ἀναίσθητος ἡ ὕλη, καὶ ἄψυχος ὁ χαλκός: ἀλλ' ὅμως ἐπειδὴ βασιλέων εἰσὶν εἰκόνες, προσεδόκησάν τινα καρπώσασθαι παρὰ τῶν ποδῶν ἐκείνων ὠφέλειαν. *Nonne vides, quam multi eorum, qui iniuriis afficiuntur, ad statuarum pedes confugiant? tametsi materia est sensu destituta, & anima expers: sed quoniam imperatorum sunt illæ imagines, aliquam se a pedibus illis opem impetraturos confidunt.*

Addatur & hic locus Libanii *Orat. in Lucianum 15. p. 436. edit. Morell.* hac ipsa tempestate de hoc ad statuas Principum perfugio: ὑπὲρ βασιλείων εἰκόνων, inquit, ὥσπερ ἔχουσιν αὐτοῖς χειμαζόμενοις λιμένας, id est, *de Imperatoriis imaginibus quas habent sibi fluctuantes pro portubus.* Et mox: οὔτε φεύγειν, οὔτε λαβόντες τοὺς εἰς τὰ θέατρα φερομένους τῶν βασιλέων τύπους ἐκεῖσε καταφυγόντες ἀπολυθῆναι τῶν δεινῶν, id est, *neque fugere, neque contingendo Imperatorum Imagines quæ in Theatra inferuntur, ad eas confugere, vt a malis liberantur.* Idem *Orat. in Tisamenum p. 448.* ad Theodosium M. *huius legis* Authorem loquens, diserte ait, non licuisse quemquam ab his Imaginibus auferre seu abstrahere: ἢ εἰ μὲν εἰκόνος τῆς ἀντειλημμένους ἀπεσπᾶν (ἀπεσπᾶσε) δεινὸν ἂν ἦν. Est denique tertius eiusdem Libanii locus de hoc Statuarum perfugio sub Theodosio M. Orat. περὶ ἀγγαρειῶν, *p. 41. edit. Gothofred.* siu. *num. 11. pag. 390. Oper. minor. Gothofred. Ed. Cl. Trotz.*

At enim res eo quoque euasit, vt non solum euitandi metus causa qui peccassent, & sic declinandæ pœnæ, vel iuris obtinendi si vim paterentur, eo confugerent, verum etiam creandæ inuidiæ causa, vt hæc *lex duobus locis* testatur. Neque eo solum confugere, verum etiam eas arripi, & portando præferri solitum. Exemplum iam olim apud Tacitum, *l. 3. An. c. 36. Incedebat,* inquit, *deterrimo cuique licentia impune probra, &* INVIDIAM *in bonos* EXCITANDI *arrepta imagine Cæsaris, libertique etiam ac serui patrono vel domino, cum voces, cum manus intentarent, vltro metuebantur,* &c. quem locum consule. Itaque huic rei subuenerunt subinde variæ *leges & Senatusconsulta,* ne quis scil. ad Statuas in inuidiam alterius confugeret, pœna seuerissima proposita: vt docet Callistratus *l. 28. §. 7. D. de pœn.* & Vlpianus *l. 5. D. de extraord. crimin.* & hæc ipsa *lex* Theodosii M. Sed & ne quis imaginem Imperatoris in inuidiam alterius portaret, Scæuola *l. 38. D. de iniur.* vel præferret *d. l. 28. §. 7.* id est, secum circumferret, & tanquam de vi sibi illata, vel etiam tanquam religione simulacri Imperatorii violata inuidam conciliaret. Iamdudum scil. mos hic inoleuerat, vel potius adulatio, atque etiam in Christianorum tempora propagata, Principum imagines consecrantium: vt docebit *lex 44. inf. de operib. publ.* & *lex vn. inf. de imaginib. Imperial.* vbi dicam; & *l. 4. sup. ne quid publicæ lætitiæ,* quæ & ipsa est Theodosii M. ante triennium lata (sic vt quatuor in vniuersum *hoc Codice* constitutiones sint: de Imaginibus seu statuis Imperatorum) Atque hoc Antiochenorum crimen fuit, hoc ipso tempore ob deiectas Statuas; & Chrysostomi postea hoc ipsum crimen fuit, irreligio videlicet in statuas Principum, de quo *alibi* dicturi sumus. Itaque inuidiam alicui conciliaturi, vel etiam Maiestatis speciem conciliaturi inimicis suis, quosque infestos haberent, & ad statuas confugiebant, vel etiam imagines portabant, quo videlicet expugnata inimici sui patientia, vim, vel vis alicuius speciem in se concitarent; & sic violatæ religionis statuarum reos efficerent, vel etiam ipsi, quod Tacitus docet, tuti harum imaginum religione, probra & inuidiam in bonos excitarent, impuneque iactarent. Neque alius est sensus *d. l. 38. D. de iniur.* quam Rauardus perperam accipiebat de prælata imagine Imperatoris defuncti, (post eius memoriam damnatam) in inuidiam noui alicuius Imperatoris: quod commentitium est. In inuidiam quippe non Imperatoris (quod nimis absurdum) sed *alterius,* vt *d. l. 38.* loquitur, *inimici,* vt *h. l.* nostra, id fiebat. Quod vel *leges* illæ sub *titulo de iniuriis* positæ edocent. Alioquin id relatum oportuisset in *titulum, ad leg. Iul. Maiestatis.*

De vtroque confugarum ad statuas Principum genere, duo hæc a Theodosio M. constituuntur. Primum est, quod Tribonianus resecauit; quod & abstrahi & abscedere sponte nemo inde possit ante decimum diem; quacunque demum de causa ad eas confugerit, siue metus, siue infamiæ seu inuidiæ causa. Qua constitutione, statuarum vna parte Principalium religionem & Sanctitatem sanxisse, altera vero temeritati confugarum occurrisse videtur, cum confugam neque inde abripi, neque sponte abscedere posse vetet ante decimum diem; *Non abripi,* vt ita tempus iustum habeat sibi consulendi, & metus euitandi: Quem decendio euitare facile est: intra id conciliationis vel gratiæ vias pertentando. Quod decendii spatium notandum est. *Non etiam sponte discedere,* quasi non satis iustas confugiendi causas habuisse videatur, qui mox & ante decimum diem ab iis recedit. Non est, aut non videtur iustus metus, qui ante decimum diem deponitur.

ponitur. Quod summópere notandum est. Neque cum hoc quicquam commune habet, quod dicitur in *l. 2. D. de in ius vocand.* de his qui propter loci Religionem inde se mouere non possunt. Huic decendii spatio proximum est, quod de triginta dierum λόγῳ ἀσυλίας dicitur *Nouell. 17. cap. 6.* Item Trinoctium, quod Aluredi R. Angliæ *lege* datum ad fanum confugientibus, vt Guillelmus Lambadus notat *in priscis Anglorum legibus, p. 28. 29.* De vno die vide *infr. l. 6. vbi dico.*

Alterum est, quo iam duo illa genera confugarum distinguuntur, nempe sicuti qui iustas confugiendi causas habuerunt, tuendi sunt, ita qui creandæ inuidiæ causa id fecerunt, seueriter puniendi: *vltrix,* inquit, *in eos sententia proferatur,* quo pertinent quoque *leges Pandectarum, sup. allegata.*

Cæterum huic *huiusce legis* tempori congruunt quæ narrat Zosimus *lib. 4. cap. 37.* Nempe Theodosium, *huius legis* auctorem consensisse, *vt Maximus Tyrannus secum imperaret, secumque statuarum & Imperatorii nominis particeps esset,* ἐδέχετό τε βασιλέα Μάξιμον ἦναι, καὶ εἰκόνων αὐτῷ κοινωνεῖν, καὶ βασιλέως προσηγορίας ἠξίου. Ideoque dedisse in mandatis CYNEGIO P. P. (cui eidem hæc *lex* inscribitur) cum eum ablegaret in Ægyptum, & omnibus Numinum religione per ipsum interdici ac fana claudi præcepisset (de quo vide *l. 9. inf. de paganis,* quæ data Anno superiore 385. ad hunc Cynegium PP.) vt IMAGINEM Maximi conspiciendam Alexandrinis exhiberet, publiceque poneret, & consortem hunc Imperii factum habita ad populum oratione declararet. Κυνηγίῳ τῶν τῆς αὐλῆς ὑπάρχῳ, τὴν Μαξίμου εἰκόνα δεῖξαι τοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν ἐπέταξεν, ἀναθεῖναι τε δημοσίᾳ ταύτην, καὶ ὅτι συμβασιλεύσειν ἔλαχεν αὐτῷ, προσφωνῆσαι τῷ δήμῳ. Id vero Cynegium executum fuisse.

Cæterum ex *hac lege* tribusque illis Libanii locis discere licet, quam frequentia fuerint sub Theodosio M. *huius l.* auctore hæc ad statuas Imperatorum perfugia: Quibus sese ab improborum insolentia, atque iniuria tenuiores vindicabant.



P. 358

DE HIS QVI AD ECCLESIAS CONFVGIVNT.*

TITVLVS XLV.

LIB. I. COD. IVST. TIT. XII.

* Hodie diceremus *de Ecclesiastica immunitate.* De qua extant peculiares tractatus Gambacurii, Marii Ital. Vischii, Remigii, Ambrosii, Rebuffi, Farinacii. Vide & Giurb. consilia, 10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90. 100. additum in *Cod. Iust. vel ibi exclamant.*

Porro Trium tantum Imperatorum Constitutiones hac de re *hoc titulo* occurrunt. THEODOSII M. *lex 1.* ARCADII *lex 2. 3.* THEODOSII IVN. *lex 4. 5. 6.* His adde Honorii *legem 2. Cod. Iust. eod. tit.*

PVBLICIS *debitoribus Ecclesiæ asylum seu Immunitatem Ecclesiasticam non competere.*

I. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & (b) Honor. AAA. Romulo. (c) Com. (d) S. L.

PVBLICOS (e) debitores, si confugiendum ad Ecclesias crediderint, aut ilico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipsos qui eos occultare probantur, Episcopos exigi. Sciat igitur præcellens Auctoritas Tua, neminem debitorum (f) posthac a Clericis defendendum: aut per eos eius quem defendendum esse crediderint debitum esse soluendum. Dat. XV. Kal. Nou. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Refert eam recte Baronius *An. D. 392. n. 29.* GOTHOFR.

(b) *Honorii* nomen hic inducendum. vid. *Chronol. Theod.* ID.

(c) *Romulus* Comes S. L. sub Theodosio M. cui hoc ipso anno inscribitur & *Lex 12. inf. de Metallis.* ID.

(d) *Comiti S. L.* hæc *lex* cur inscribatur? eius argumentum edocet: nempe quia de publicis debitoribus agitur. Vid. & *l. 12. inf. de metallis,* hoc ipso anno, quæ eidem inscribitur. ID.

(e) Tributorum. IDEM.

(f) An etiam priuatorum, an solum publicorum? vt *sup. initio leg.* quo sensu *debitorum* vox simpliciter publicos debitores significat; vt docui plene ad *l. 6. sup. de diuers. rescript.* Vid. & *Gloss. Theod.* istud puto. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc de Ecclesiarum perfugio seu Asylo & Immunitate, vt loquuntur, Constitutio est: ex qua discimus, contra quam Sardus, antiquiorem Arcadiano Imperio constitutionem de Immunitate Ecclesiastica excurrere. Antiquiorem sane hoc in argumento de Immunitate Ecclesiastica Christianorum Principum constitutionem non reperio: Etsi antiquior & frequens huius moris alibi mentio occurrat; de quo postea. Hac igitur *lege* Theodosius M. modum quemdam Ecclesiarum asylo ponit, cum in immensum iam excresceret vsus eius: Nempe DEBITORES publicos (id est Tributorum fiscique debitores, qua causa *hæc lex* P.359. Comiti S. L. inscribitur) asylo seu Immunitate Ecclesiarum frui vetat: Id quod forte ad Romuli Comitis S. L. cui hæc *lex* inscribitur, & *lex 12. infr. de Metall.* instantiam. Extat certe Augustini *ep. 211. ad Romulum*, qua eum exhortatur, ne nimium acerbus Tributorum exactor esset. Publicis scilicet debitoribus Ecclesias patere noluit Theodosius: quod κατ' ἀντιδιαστολὴν priuatorum debitorum dictum puto, vt ita *Theodosius* voluerit, priuatos debitores Ecclesiastica immunitate potiri. A quo iure tamen recessum: vid. Lucium 1. *placitor. p. 2. plac. vlt.* Multa nempe habet singularia res Tributaria, quæ singula suis locis exponentur. Ita debitoribus publicis seu Tributorum dilatio rescripto Principis data non valet, *l. 6. sup. de diuers. rescript.* Pariter nec prouocationi seu appellationi locus est in huiusmodi causis, *l. 6. 8. 9. 10. 12. 13. 18. 19. 21. 27. 28. 32. inf. Quorum appellat. non recip.* Res tributaria vt moras nullas patitur, ita nec vllo auxilio vel præsidio retardari potest, non appellationis, non rescripti, non asyli, seu Ecclesiæ Ecclesiasticæque immunitatis obtentu. Patent equidem Ecclesiæ ad eas confugientibus, vel iuris obtinendi gratia, vel declinandæ pœnæ causa, sed quemadmodum Achilles Statius *lib. 8.* de Aris dixit: τῶν δυστυχούντων εἰσὶν οὐ τῶν ἀδικούντων οἱ βωμοί, *periclitantibus Aræ, non iniuste agentibus præsidio sunt.* (Quam in rem est & *Nouell. Iust. 17. de Mandatis Principum cap. 7.* itemque Constantini Porphyrogenetæ *Nouella 12.* Videntur & ad hanc ipsam rem de Aris & Templis Gentilium Thucydides *lib. 4.*) ita neque debitoribus publicis patere debent.

Ad vim scilicet, metumque euitandum, hæc Ecclesiarum confugia primum inducta fuere, sic vt ab his abstrahi nemo posset. Quod etiam ex *lege*, sancitum, si Zosimo gentili Scriptori fides habenda, *lib. 5. cap. 18.* Inde igitur hoc seculo passim exempla confugarum ad Ecclesias, non tantum apud Christianos Auctores, veluti Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, Patresque, in quibus & Gregorius Nazianzenus, *Orat. 20. funebri in Laud. M. Basilii, pag. 353. edit. Coloniens. siu. Lipsiens. apud Weidmannum*, verum etiam apud Ammianum Marcellinum, Gentilem Scriptorem: Is scilicet *lib. 15. cap. 5.* sub Constantio iam A. D. 355. memorat Syluanum Agrippinæ extractum ædicula, quo exanimatus confugerat, ad conuenticulum ritus Christiani tendentem trucidatum. Apud eundem Ammianum Marcellinum sub Valentiniano A. D. 364. Hilarius Auriga Magiæ conuictus & confessus, & capitali animaduersione damnatus, laxius retinente carnifice subito lapsus confugit ad ritus Christiani sacrarium, *lib. 26. cap. 3.* verum addit Ammianus Marcellinus, eum inde *extractum ilico* (quæ ipsa verba sunt *legis nostræ*) & abscissa ceruice consumptum. Sub Valente Imp. exemplum quoque extat Basilii, qui nobilem fœminam, quam Adsessor Iudicis affectabat, ad Ecclesiam confugientem, πρὸς ἱερὰν τράπεζαν seu θυσιαστήριον ægre protexit, quod narrat Gregorius Nazianzenus *in* Ἐπιταφίῳ *Basil. siu. d. orat. 20. p. 353. edit. cit.* Memorat & alia exempla horum confugarum Zosimus *lib. 4. cap. 40.* veluti Scytharum Grothingorum A. D. 386. & 387. τοὺς δὲ ἀποδράντας ἐδέχετο παρὰ χριστιανῶν τιμώμενον οἰκοδόμημα, νομιζόμενον ἄσυλον, *qui aufugerant, in ædificium se recipiebant, quod a Christianis habetur in honore, proque asylo ducitur.* Item *lib. 5. cap. 8.* vxoris & filiæ Rufini, ne cum Rufino perirent, quibus Eutropius fide data permiserit Hierosolymam postea nauigare. Idem Zosimus *eod. lib. 5.* memorat *c. 18.* quod & alii memorant in Gestis Anni 399. Eutropium ad Ecclesiam Christianorum confugisse; verum contra *legem*, qua ius asyli sancitum fuerat παρὰ τὴν ἐπὶ τῷ ἀσύλῳ τῶν ἐκκλησιῶν τιθέντα νόμον, Ecclesia extractum. Verum de hoc Eutropii facto, lataque eo autore *lege*, qua ius Asyli Ecclesiis derogatum fuerat, ad *l. 3. inf.* dicendi locus erit. Idem *eodem lib. 5. cap. 19.* A. D. 400. de Barbaris qui cum Gaina erant, narrat, eos Constantinopoli ad Ecclesiæ, quæ Palatio proxima erat, asylum confugisse, verum ab Arcadio Imperatore interfici iussos: Quod non armis factum, sed immissis per tectum lignis, vbi mensa Sacrarii erat: id vero piaculare visum τοῖς σφόδρα χριστιανίζουσι. Idem *eod. lib.* in Gestis Anni 408. *cap. 29.* memorat, Lampadium ob liberum quoddam dictum quod ei excidisset, veritum ne quid sibi accideret, ad proximam Christianorum Ecclesiam confugisse. Idem memorat *eod. lib. 5. cap. 34.* in eiusdem anni gestis, Stiliconem cum audiuisset se iussum in libera custodia detineri, vicinam Christianorum Ecclesiam ingressum; eoque milites ingressos, & Episcopo præsente, iureiurando Stilichoni confirmasse, imperatum sibi tantum a Principe vt eum custodirent, & sic extractum ab Ecclesia. Idem memorat *eod. lib. cap. 35.* Stilichonis filium Eucherium iugulari iussum, fuga in Ecclesiam quandam Romæ delatum, ob loci reuerentiam missum factum. Idem memorat in Gestis Anni 409. *d. lib. 5. cap. 45.* Heliocratem peruestigandis Satellitibus Stilichonis non accurate insistentem, Rauennam abductum morte multandum fuisse ob grassantem id temporis immanitatem, nisi forte in quandam Christianorum Ecclesiam se recepisset. Sic & Olympiodorus apud *Photium Cod. 80. pag. 183. edit. Schotti, & pag. 147. Tom. I. Script. Rer. Byz. edit. Venet.* memorat, Constantinum Tyrannum Arelate εἰς εὐκτήριον confugisse, & Presbyterum ibi creatum, iusiurandumque illi de salute datum.

Ex his iam patet, Ius hoc Ecclesiastici Asyli, seu immunitatis Ecclesiarum in dies magis magisque inualuisse: sic vt nullorum quoque non criminum Rei, publicique debitores eo confugerent: adeo vt his sese Episcopi & Clerici intercessores præberent, imo & latebras, quod hæc *lex* testatur, & locus insuper ille Zosimi de Stilicone. Nempe hæc illa tempora sunt, quibus Episcoporum & Clericorum intercessio, intercessionis iam fines egrediebatur, atque ad speciem quandam violentiæ procedebat, in liberandis quos vellent Reis, etiam criminum, etiam ad supplicium ductorum, vt docet *l. 16. supr. de pœnis: l. 31. inf. quor. appell. non recip.* quæ hoc ipso Anno 392. data est, & hoc ipso Anno iam docuit *l. 15. sup. de pœnis:* itemque Anno 398. *d. l. 16. eod. tit. de pœnis*, quæ coniungenda est cum *l. 3. huius tit.* Denique hæc maxime tempora sunt Theodosii & Arcadii, quibus Episcopi & Clerici non iam Intercessores amplius, verum vi admota, Reos imminenti pœnæ & iudicio subducere fas puta-

putabant, cui ideo occursum, vt *d. l. 15. 16. supr. de pœn.* & *d. l. 31. infr. Quor. appell.* ita & *d. l. 3. infr.* & *hac nostra.* Sic quidem, vt (quæ ampliatio notanda) Theodosius huiusmodi Episcopos & Clericos, publicos debitores restituentes & occultantes, litem suam facere velit, id est debitum a reo soluere. Quod ipsum statuitur ab Arcadio *l. 3. inf.* sic vt pecunia ab Oeconomis Ecclesiæ soluatur: Et vero huius iuris vigore compulsus aliquando fuit B. Augustinus persoluere, quod Fastius quidam debebat, qui ad Ecclesiam confugerat, vt docet ipsemet *Epist. 215.* vt Baronius recte monuit A. 392. Nempe Fastius cum non haberet ad præsens vnde explicaret 17. solidos, ad Ecclesiam confugerat, ne corporalem pateretur iniuriam, & cum Augustinum vt Episcopum grauissimis querelis onerarent oppignoratores, exactores (de quibus *infr. lib. 11.*) vt sibi illum traderet, mi-
P.360 serum mutua accepta pecunia liberauit. Vide & aliam pœnam Clericorum seruos tuentium, *lege vlt. infr.*

Denique vt a Tiberio repressa iam olim asyla Gentilium apud Tacitum *l. 3. Annal. c. 60.* loco elegantissimo, qui consulendus; ita repressa Christianorum a Theodosio M. & Arcadio Episcopis & Clericis. Equidem intercedere Christiana disciplina & legislatio permittit, at non etiam iure quodam suo defendere, vindicare, occultare. Intercedere, inquam, de qua intercessione etiam agitur *l. vlt. infr.* agit & Ennodius *in 6. Epiphanii.*

Et hæc de Episcopis & Clericis reos & debitores occultantibus. At enim si ipsi Rei debitores intra Ecclesias latitent, extrahi eos ilico Theodosius *h. l.* iubet. Extrahi itaque ab Ecclesiis qui eo confugerant, fas putauit horum temporum disciplina: quod vt ex *h. l.* probatur, ita id confirmant exempla quæ superius laudaui ex Ammiano & Zosimo nonnulla; Eutropii exemplum cum primis solemne: imo & *lex* eo auctore lata per hæc tempora A. D. 398. id est, sexennio post *hanc legem*, vt dicam ad *l. 3. inf.* qua confugæ ad Ecclesias exinde extraherentur, vt docet Chrysostomus *hom. in Eutropium*, Socrates *lib. 6. cap. 5.* & Sozomenus *lib. 8. cap. 7.* imo *lege* ea Asyla Ecclesiarum prorsus interdicta, quæ vtique Eutropii nimietas fuit, quanquam non sine causa fortassis, saltem nimia licentia ab Eutropio repressa; Sicut a Tiberio Ethnicorum, cum Gentium legationes de iure Asyli missas audiret: vide Tacit. *lib. 3. Annal. c. 61. 62.* Et vero ipse postea (vt antea ostensum est) *lege* sua ex Ecclesia abreptus est, præterquam quod in crimine Maiestatis non esse ius Asyli cuiquam Doctores incunctanter volunt. Verum restituta postea Ecclesiarum Asyla, & quidem Honorii etiam, vt puto, constitutione, A. D. 414. *l. 2. Cod. Iust. de his qui ad Eccles. confug.* vbi ait, *Se fideli ac deuota præceptione sancire, vt nemini liceat ad Sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere, sub pœna Maiestatis.* De quo, & insecutis aliorum Impp. constitutionibus, dicetur ad *l. 4.* & *5. infr.* Leonis interim saltem *Constitutio* notetur, quæ est *sexta* seu *vlt. Cod. Iust. eod. tit.* cuius initio hæc nostra abrogatur, simul & *l. 3. infr.* Ea quippe & confugæ cuiuscumque conditionis, etiam publici debitores Ecclesiis extrahi prohibentur, & Episcopi vel Oeconomi eorum nomine conueniri non permittuntur. Quod tamen postea reductum ad *huius l.* mentem *Nouella Iustin. 17. c. 7.* & *Edicto 13.*

Ex *hac* interim saltem quoque *lege* discimus, vanam esse obseruationem Petri Sardi *cap. 1. pag. 11.* ducti argumenti *legis 1. C. Iust. eod. tit.* (quæ *hoc Codice* est 2. *prox.*) quod *prima* reorum qui ad Ecclesiam confugiebant protectio, non aliorum fuit, quam Iudæorum, & infidelium qui eo sese recipiebant &c.

De Ivdæis, *reis vel debitoribus ad Ecclesiam confugientibus.*

II. (a) Impp. Arcad. & Honor. AA. Archelao (b) PF. Aug. (c)

Ivdæi, qui, reatu aliquo, vel debitis fatigati, simulant se Christianæ Legi velle coniungi, vt ad Ecclesias confugientes vitare (d) possint crimina, vel pondera (e) debitorum, arceantur: Nec ante suscipiantur, quam debita vniuersa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati. Dat. XV. (f) Kal. Iul. Constantinop. Cæsario & Attico Coss. [397.]

NOTAE.

(a) *Lex 1. C. Iust. hoc eod. tit.* Memorat hanc *legem* Baronius *A. D. 397. n. 60.* Concordat autem huic legi *l. 23. infr. de Iudæis*, quæ Honorii est, & alias similes indicat. *GOTHOFR.*

(b) *Archelaus* PF. Augustalis sub Arcadio. Eidem hoc ipso anno inscribitur *lex 9. sup. de Iurisdict.* Meminit eius Hieronymus ad Pammachium, *adu. errores Ioan. Hierosolymitani pag. 122. Tom. II. Opp. edit. Francf. apud Christ. Genschium*, vbi *virum disertissimum & Christianissimum Archelaum Comitem* vocat: vid. *Prosopogr. IDEM.*

(c) Pertinet itaque hæc *lex* ad Ægyptum & Iudæos qui in Ægypto. *ID.*

(d) *Euitare*, Cod. Iust. *ID.*

(e) Pondera debitorum, vide *Glossar. ID.*

(f) *V.* Cod. Iust. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Arcadii duæ Constitutiones sequuntur de Ecclesiarum Asylo, seu Immunitate. Hac priore, Ivdæi siue criminum rei, siue debitores ad Ecclesiam confugere simulata professione Religionis Christianæ; vel ab Ecclesia suscipi, nisi debitis prius solutis, aut innocentia purgata, prohibentur. Vt cæteroquin debitores, vel criminum reos, ab Ecclesia suscipi non oportet, neque eo subsidio ad flagitia quemquam vti oportet (quod dixit Cestius apud Tacitum *l. 3. Annal. c. 36.*) vel obæratos aduersum creditores; ita *Iudæos* ne quidem simulantes se velle coniungi Christianæ Legi: Gemina ratione; prima generali, quia vt maxime Christiani serio fieri velint, attamen non ideo aut ære aut reatu soluuntur. Professio Legis & Religionis Christianæ, vt maxime fauore dignissima sit,

eoque alliciendi quique sint, non ideo tamen publicæ disciplinæ reum eximit, non ideo Tertio ius suum adimit. Deinde quia id a Iudæis, non deuotione fidei, verum obreptione simulantium; vt sæpius fieri solet, vt loquitur *l. 23. infr. de Iudæis*, quæ *huic* concordat, & alias his similes indicat. Nempe soliti sæpe Iudæi debitis oppressi, vel reatu, vitandis criminibus & pondere debitorum, Christianæ Legis amplectendæ studium simulare: sic fiebat, vt Episcoporum & Clericorum patrocinium emererentur, quibus illi nimis creduli fidei & Religionis propagandæ studio, quique adeo huiusmodi Iudæos auide excipiebant, omnique fauore prosequebantur. Elegans sane extat exemplum apud Socratem, *lib. 7. cap. 17.* de Iudæi cuiusdam veteratoris fuco, qui Christiana fide simulata, sæpiusque baptizatus, exinde multas pecunias corraserat. Huic itaque fuco Iudæorum, Christianorum & Ecclesiasticorum simplicitati illudentium Principalibus constitutionibus occursum fuit: & veteribus, vt docet *lex 23. infr. de Iudæis*, & Arcadii *hac lege*, & Honorii *d. l. 23. infr. de Iudæis*: Quorum sententia apertissima est.

P. 361.

Simili sane Paganorum fuco in vltimo vitæ Religionem Christianam simulantium, occurritur *l. 1. infr. de Scenicis*. Vt proinde frustra quæratur hodie a nonnullis ICtorum veluti a Tiraquello, *causa 28.* & Farinacio, vtrum Baptismus Iudæo collatus eum pœna liberet, cum ne quidem ab Ecclesia eum suscipi, nisi innocentem, hac constitutione caueatur.

Illud probabilius quæritur, Vtrum *Iudæi* criminibus vacui, neque ære alieno obnoxii, asylis Christianarum Ecclesiarum seu immunitate Ecclesiastica frui possint? Quod affirmandum videtur ex *hac l.* qua *non ante suscipi permittuntur, quam debita vniuersa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati.* Ergo e contrario hoc facto Iudæi suscipi, & immunitate Ecclesiastica frui possunt. Vt proinde Doctoribus accedere non possim, qui generatim atque vniuersim Iudæos Ecclesiastica immunitate priuari *hac l.* putant. Hac enim *lege* illi Iudæi tum hac immunitate priuantur, qui aut Rei criminum, aut debitores existunt: sub hac ampliatione etsi simulent se Christianæ Religioni velle iungi. Nempe debito, vel reatu prius sese exuere debent, his casibus, ea quam dixi de causa. Contra innoxiis & debito liberis Iudæis eam immunitatem conitare, humanitatis ratio putatur. De qua alioquin quæstione videndus Iulius Clarus, aliique, & e Recentioribus, qui haud ita pridem de Iure Asyli scripsit Petrus Sardus, *cap. 5. a p. 58.* Solemnis alioquin hic est Ambrosii *locus* de Iudæis, *Epist. 17. edit. Paris. Felicis Cardinal. de Mont. Alto. Cum ipsi*, inquit, *Romanis legibus vindicandos putent.* Hæc interim *lex* notanda est de Iudæis per Ægyptum, de quibus *suo titulo*.

SERVIS, CVRIALIBVS, RATIONIBVS *implicitis, immunitatem Ecclesiasticam non comparere: neque eosdem Clericos fieri posse.*

III. (a) Idem AA. Eutychiano P. P. (b)

SI quis in posterum (c) seruus, ancilla, Curialis, debitor publicus, Procurator, Murilegulus, (d) quilibet postremo publicis, priuatisue rationibus inuolutus, ad Ecclesiam confugiens, vel Clericus ordinatus, vel quocumque modo a Clericis fuerit defensatus, (e) nec statim conuentione præmissa pristinæ conditioni reddatur, Decuriones (f) quidem, & omnes, (g) quos solita ad debitum munus functio vocat, vigore & sollertia Iudicantum ad pristinam sortem, velut manu (h) mox iniecta reuocentur: Quibus vlterius Legem (i) prodesse non patimur, quæ cessione patrimonii subsecuta, Decuriones esse Clericos non vetabat. Sed etiam hii, quos OECONOMOS (k) vocant (hoc est, qui Ecclesiasticas consuerunt tractare rationes) ad eam debiti, vel publici vel priuati, redhibitionem, amota dilatione cogantur, in qua eos obnoxios esse constiterit, quos Clerici defensandos receperint, nec mox crediderint exhibendos, &c. Dat. VI. Kal. Aug. Mnizo (l) Honorio A. IIII. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTAE.

(a) Lex 12. *C. Iust. de Episcopis* hinc desumpta est, quamplurimis resecatis. Inseruit eam *Annalibus suis* Ecclesiasticis Baronius *A. D. 398. n. 88.* Iungendæ autem *illi* sunt *tres* præterea *leges*, puta *l. 16. supr. de pœnis: l. 57. inf. de appellat. l. 33. infr. de Episc.* & forte etiam *l. 32. d. tit. de Episcop.* Ex quibus *l. 57. infr. de appellation.* descripta seu repetita est *ex leg. 16. de pœn.* Hanc ex parte mox idem Arcadius abrogauit, constitutione sua ad eundem Eutychianum data, puta *l. 163. infr. de Decurionib.* GOTHOFR.

(b) *Eutychianus* PP. Orientis sub Arcadio: v. *Prosop.* Male autem in *d. l. 32. de Episcopis*, & in *l. 29. Cod. Iust. de appellat.* editum *Cæsario PF. P.* IDEM.

(c) Pristino itaque malo Arcadius hac constitutione occurrit. ID.

(d) De *Murilegulis* erit *infr.* Titulus peculiaris, *lib. 10. tit. 20.* ID.

(e) *Defensatus*, pro defensus, vt *infr. in fin. defensandos.* vid. *Gloss.* ID.

(f) De *Decurionib.* erit *infr. tit.* peculiaris, *lib 12. t. 1.* ID.

(g) Puta serui, ancillæ, debitores publici, procuratores, Murileguli. ID.

(h) Eodem modo hoc ipso Anno ad eundem Eutychianum in eodem Decurionum argumento, *l. 1. 59. infr. de Decurionibus.* ID. In Cod. Iust. *velut manu iniecta, mox,* &c. & ita quoque *supra l. 15. de bon. proscript.* RITTER.

(i) Intelligit *leges* Theodosii Patris sui: puta *l. 121. & 123. infr. de Decurion.* Quibus sunt & aliæ similes anteriorum Imperatorum: quas *Paratitlo de Decurionib.* exhibeo omnes. GOTHOFR.

(k) De

(k) De *Oeconomis sup. tit. de bonis Clericorum.* Cæterum hanc *huius legis* partem abrogat Leo *l. 6. in pr. C. Iust. de his qui ad Eccles.* IDEM.

(l) De huius *ciuitatis* nomine dixi ad *d. l. 16. de pœnis.* IDEM.

COMMENTARIVS.

SERVI, CVRIALES, DEBITORES omnes publici priuati, aliique quos solita functio ad debitum munus vocat (veluti Decuriones, Procuratores, Murileguli, serui, ancillæ,) postremo publicis, priuatis rationibus innoluti quicunque, ad Ecclesiam confugientes, a Clericis defendi, vel Clerici ordinari vetantur, ab Arcadio *hac lege*, quæ pars
P.362 est maioris constitutionis Arcadianæ: cuius partes sunt *lex 16. supr. de pœnis: lex 57. infr. de appellat. l. 33. infr. de Episcopis:* quæ proinde omnes huic coassandæ sunt: Et forte etiam *lex 32. de Episcopis.* Pariter & Addictos supplicio, proque criminum immanitate damnatos, a Clericis vel Monachis vindicari vel teneri ab eodem Arcadio prohibentur, *d. l. 16. supr. de pœnis*, *l. 32. infr. de Episcop.* & *l. 57. infr. de appellat.* Breuiter, Reorum quorumcunque perfugia ad Ecclesiam ab Arcadio interdicuntur, vt ex his quatuor *legibus* inter se collatis & coadunatis conficitur. Clericis scilicet potissimum hac constitutione occurritur, Ecclesiæ & Clericatus obtentu disciplinam & vtilitatem publicam lædentibus: vt docet *lex 33. infr. de Episcopis* (quæ & ipsa *his legibus* coniungenda est) Atque inter cætera, Perfugio Ecclesiarum & Clericorum ordinatione, vt vel hæc *lex* docet his verbis, ad *Ecclesiam confugiens, vel Clericus ordinatus, vel quocunque modo a Clericis fuerit defensatus.*

Quæ cum ita sint, hæc est illa proculdubio Arcadiana constitutio, cuius hæc nostra partem facit, neque alia quærenda est, de prohibito ab Arcadio Ecclesiarum perfugio, auctore Eutropio lata; quam memorant Scriptores Ecclesiastici: Socrates, *lib. 6. cap. 5.* Sozomenus, *lib. 8. cap. 7.* Chrysostomus *concione* seu *homil. in Eutropium tomo 8. Sauiliano, p. 69.* siu. *Tom. III. Opp. edit. Benedictin. num. 3. pag. 383.* Prosper, *de prædict. p. 3. cap. 38.* Hoc vero primum confirmat quatuor illarum, quas dixi, e quarumque numero hæc nostra est, particularium in vnum coassatio; ex quibus illud ipsum omnino conficitur, quod Arcadianæ seu Eutropianæ constitutioni Scriptores illi Ecclesiastici tribuunt; ne quis, inquam, omnino reus ad Ecclesiam confugere possit, quique ad eam confugerint, ea expellentur. Ita enim eius *legis* sententiam exprimit Socrates: κελεύοντα, inquit, μηδένα προσφεύγειν ταῖς Ἐκκλησίαις, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἤδη προσφεύγοντας ἀφέλκεσθαι, *iubens ne quis ad Ecclesias perfugeret, sed vt quicumque ad eas confugissent, inde abstraherentur.* Ita Sozomenus, Εὐτροπίου δὲ σπουδῇ τίθεται νόμος, προστάττων, μηδαμῇ μηδένα εἰς Ἐκκλησίαν καταφυγεῖν, ἐξελαύνεσθαί τε καὶ τοὺς ἤδη προσπεφευγότας. *Eutropius vero legem ferri curauit, qua vetabatur ne quisquam ad Ecclesiam confugeret, & qui iam confugissent, expelli iubeantur.* Ita Chrysostomus: Ἀπετείχισε τὴν ἐνταῦθα καταφυγὴν γράμμασι καὶ νόμοις διαφόροις. *Præclusit,* inquit, *huius loci refugium legibus scriptis, quibus hoc irritum facere conatus est.* Atqui hoc est illud vtrumque, quod *his legibus* omnino statuitur: nempe Ecclesiarum perfugium seu Clericorum tuitionem prohiberi, reuocandosque manu iniecta si qui perfugerint.

Secundo ipsa temporum ratio id confirmat; nempe hoc illud ipsum tempus est, quo Eutropii stabat maxime autoritas, cuius suasu hæc constitutio ab Arcadio promulgata fuit. Quinimo hoc illud tempus est, quo Arcadianam illam promulgatam oportet; Scriptores quippe Ecclesiastici, Socrates, Sozomenus, statim post hanc *legem* latam, Eutropium gratia Arcadii excidisse memorant, atque primum Eutropium (quod etiam Chrysostomus ait) legem suam transgressum ad Ecclesiam confugiendo, inde extractum iniquæ legis æquam tulisse pœnam, inquit Nicephor. *lib. 13. cap. 4.* Atenim liquet, Eutropio hæc euenisse initio anni sequentis 399. vt docet etiam *l. 17. supr. de pœnis*, vbi dixi. Ex his igitur liquet, Arcadianam illam constitutionem, quam memorant Scriptores Ecclesiastici, eam ipsam esse, cuius quatuor *hoc Codice* extant particulæ: Non modo inquam *hæc lex*, (quod putauit Baronius,) Arcadianæ quippe constitutionis sententia ex ea sola non conficitur, verum etiam ex *l. 16. sup. de pœnis*, seu *l. 57. infr. de appell.* & *l. 32. 33. infr. de Episcop.* Nam vt de *d. l. 16. de pœnis*, dicam, non minus ea perfugium Ecclesiarum prohibetur, quam hac nostra. Illa quippe, criminum Rei damnatiue ab Ecclesiasticis & Clericis & Monachis vindicari tenerique prohibentur, id quod omnino est Ecclesiarum perfugium: hac vero, Debitores. Ex quibus ita in vnum collatis coassatisque conficitur omnino, Arcadiana illa seu Eutropiana constitutione omnibus Ecclesiæ perfugia interdicta fuisse.

Neque illud tamen dissimulandum, haud adeo duram vel improbam huius facti causam fuisse videri, nisi forte nimia fuit. Hoc enim Ecclesiarum perfugio, atque adeo hoc vindicandorum a Clericis reorum & debitorum instituto latius sese diffundente, Ecclesiastici nominis & Immunitatis, ac humanitatis Clementiæque obtentu, publicam lædi sæpe disciplinam contingebat. Itaque fibulam ei rei imponi publice interfuit. Cui exemplo iam præiuerat, sed non tam late Arcadii Pater Theodosius M. *l. 1. supr. h. t.* vt non mirum sit, eam Ecclesiasticis displicuisse, quibus tantum autoritatis decedebat; ita vt Chrysostomus sua illa παῤῥησίᾳ in hanc quoque hac de re conqueratur partem. Atque vt hoc etiam addam; ei ipsi quod de Oeconomis suo nomine conueniendis *h. l.* statuitur, idem Theodosius sua *lege* prælusit *d. l. 1. sup.* Videatur & tractatus Gersonis *tomo 2. an liceat grauato debitis intrare religionem.* Id quod tamen abrogauit Leo *l. 6. in pr. Cod. Iust. de his qui ad Eccles.*

Sane quod de Decurionib. *h. l.* speciatim cauetur, hoc idem mox abrogauit anno proximo 399. sublato iam Eutropio, constitutione ad eundem Eutychianum data, *l. 163. infr. de Decurion.* reducto iure constitutionis Theodosianæ *l. 121.* & *123. eod. tit.* de quo ad *d. l. 163.* plenius *ad l. 121. infr. de Decurion.* Non omittenda interim hac leg. *Oeconomorum* Ecclesiæ definitio: nempe Oeconomi sunt qui Ecclesiasticas consueruht tractare rationes. Inde & *hac l.* publicorum vel priuatorum debitorum ad Ecclesiam confugientium exhibendorum reddendorum cura & periculum iis imponitur. Inde petitiones, quæ aduersus Ecclesiam instituebantur, ratione bonorum ab his excipiebantur, *l. vnic. supr. de bonis Clericorum:* vbi de his plura.

Huius ita *legis* interpretatione defunctis nobis superest, vt moneamus paulo post *huius legis* tempora, anno inquam sequente 399. *V. Kal. Maias* legationem ex Africæ Concilio ad Honorium Imperatorem missam, *Vt pro confugientibus ad Ecclesiam, quocumque reatu inuolutis legem de Gloriosissimis Principibus mereerentur, ne quis eos audeat abstrahere:* vt habetur *Codice Canonum Africano can. 56. pag. 358. in Biblioth. Iur. Canon. Veter. Han. Iustelli, seu Tom. I. Conciliorum pag. 893. 894. edit. Harduin.* Procul dubio, ad euacuandam hanc Arcadianam legem seu constitutionem. Quo pertinere sunt qui

putant

putant *legem 34. infr. Episcopis*: quæ data dicitur *VII. Kal. Iul. Brixiæ* eodem Anno 399. Quorum sententiam *ibi* refutaui. Sozomenus tandem, *d. lib. 8. cap. 7.* Arcadianam constitutionem, de vetito Ecclesiarum asylo, post Eutropii cædem statim abrogatam, & ex publicis monumentis erasam scribit: *καὶ ὁ τεθεὶς νόμος, ἄρδην ἐκ τῶν δημοσίων ὑπομνημάτων ἠφανίσθη*, *& lex quæ promulgata fuerat, ex monumentis publicis penitus sublata est.* Id quod nimis liberaliter a Sozomeno scriptum: quandoquidem & hæc *lex*, & cæteræ illæ constitutionis Arcadianæ partes, ab eius filio Theodosio Iun. in hunc *Codicem* relatæ extant. Innocentius certe Pontifex post annum 400. ius hoc non improbauit, atque ideo hanc Curialium Ordinationem vetuit, *in Decretis c. 18.* & apud Gratianum *c. præterea, dist. 51.*

P. 365.

1. De SPATIO *Ecclesiastici asyli, seu immunitatis Ecclesiasticæ. 2. & vt ne cum* ARMIS *ad Ecclesiam confugere, iisque sese tutari cuiquam liceat, Theodosii Iun.* lex.

IIII. (a) Imp. THEOD. & Valentinianus AA. Antiocho (b) P. P.

PATEANT summi Dei Templa timentibus: Nec sola altaria, (c) & oratorium (d) templi circumiectum, (e) qui Ecclesias quadripertito (f) intrinsecus (g) parietum septu (h) concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita: Sed (i) vsque ad extremas fores Ecclesiæ, (k) quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus (l) aram salutis (m) esse præcipimus: vt inter templi, (n) quod parietum descripsimus cinctu, & post loca publica & ianuas primas Ecclesiæ, quidquid fuerit interiacens, siue in cellulis, (o) siue in domibus, hortulis, balneis, areis, (p) atque porticibus, confugas, interioris templi vice, (q) tueatur. Nec in extrahendos (r) eos conetur quisquam sacrilegas manus inmittere: ne qui hoc ausus sit, cum discrimen suum videat, ad expetendam opem, ipsi quoque confugiant. (s)

Hanc autem spatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso Dei Templo, & sacrosanctis altaribus confugientium quemquam mane, (t) vel vespere, (v) cubare, vel pernoctare liceat; ipsis hoc Clericis religionis causa vetantibus: ipsis (x) qui confugiunt, pietatis ratione seruantibus.

ARMA quoque, in quouis (y) telo, ferro, vel specie, eos qui confugiunt, minime intra Ecclesias habere præcipimus: quæ non modo a summi Dei Templis ac diuinis altaribus (z) prohibentur, sed etiam cellulis, domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus.

Proinde hii qui sine armis ad sanctissimum Dei Templum, aut ad sacrosanctum altare, siue vsquam gentium, siue in hac Alma Vrbe confugiunt, somnum intra templum, siue ipsum altare, vel omnino cibum capere, absque aliqua eorum iniuria, ab ipsis Clericis arceantur: designantibus spatia, quæ in Ecclesiasticis septis eorum tuitioni sufficiant, (aa) abducentibus capitalem pœnam esse propositam, si qui eos conentur inuadere. Quibus si perfuga non adnuit, neque consentit, præferenda humanitati (bb) religio est, & a diuinis, ad loca (cc) quæ diximus, turbanda (dd) temeritas.

Hos vero, qui templa cum armis ingredi audent, ne hoc faciant, præmonemus: dehinc si telis cincti, quouis Ecclesiæ loco, vel ad templi septa, vel circa, vel extra sint, statim eos, vt arma reponant (ee) auctoritate Episcopi a solis Clericis seuerius (ff) conueniri præcipimus: data eis fiducia, quod *Religionis nomine melius, quam armorum præsidio muniantur.*

Sed si Ecclesiæ (ff) voce moniti, post tot tantorumque denuntiationes, noluerint arma relinquere, Iam Clementiæ Nostræ, apud Deum & Episcopum causa purgata, armatis, si ita res exegerit, intromissis, trahendos se abstrahendosque esse cognoscant, & omnibus casibus esse subdendos. Sed neque Episcopo inconsulto, nec sine nostra siue Iudicum in hac Alma Vrbe, vel vbicumque, iussione, armatum quemquam ab Ecclesiis abstrahi oportebit: ne si multis passim hoc liceat, confusio generetur. Dat. X. Kal. April. Constantinop. Antiocho V. C. (gg) & Basso Coss. [431.]

INTERPRETATIO. *Ecclesiæ, ac loca Deo dicata, reos, qui ibidem compulsi timore refugerint, (hh) ita tueantur, vt nulli locis sanctis ad direptionem reorum vim ac manus adferre præsumant: sed quicquid spatii vel in porticibus, vel in atriis vel in domibus vel in areis ad Ecclesiam*

siam adiacentibus pertinet, velut interiora templi præcipimus custodiri, ut reos timoris necessitas non constringat circa altaria manere, & loca veneratione digna polluere. Sane si qui ad loca sancta confugerint, arma si qua secum portauerint, mox deponant, nec se æstiment magis armorum præsidio, quam sanctorum locorum veneratione defendi. Quod si deponere arma noluerint, & Sacerdoti, vel Clericis non crediderint, sciant se armatorum viribus extrahendos. Si (ii) *vero extrahere de locis sanctis quemlibet reum quacunque ratione quis tentauerit, nouerit se capitali supplicio esse damnandum.*

P.364

N O T Æ.

(a) Hinc restituta recte a Contio, *Lex 3. Cod. Iust. eod. tit.* Quam ibi fuisse docet Photius *Nomocan. tit. 5. c. 2. pag. 916. ed. Iustelli, & tit. 9. c. 27. pag. 993. edit. cit.* & Harmenopulus *lib. 2. t. 9.* Inseruit *hanc leg.* Annalibus suis Ecclesiasticis Baronius *A. D. 431. n. 3. 4. 5.* Memorat eam Papianus, 2. *Responsorum.* *GOTHOFR.*

(b) *Antiochus* PP. sub Theodosio Iun. A. D. 430. 431. v. *Prosopogr.* imo & A. 427. si fides *l. 2. Cod. Iust. de off. eius qui vicem alterius.* Idem & Consul hoc anno, vt ex Subscriptione patet; Imo in Græca constit. id nominatim additum, hic supplendum est. *ID.*

(c) In Græco additum Epitheton θεοῦ. *ID.*

(d) *Oratorius circumiectus*, εὐκτήριος ναὸς, in *Græca leg.* *ID.*

(e) *Circumiectum*, abest a *Græca l.* 4. *ID.*

(f) *Quadripartito.* C. Iust. *ID.*

(g) *Intrinsecus*, abest a *Græca leg.* *ID.*

(h) *Septu*, pro *Septo*, περιβολῇ. *ID.* *Septo* præfert Ed. Sichard. *RITTER.*

(i) Sed & vlterius adhuc, ἀλλ' εἴ τι καὶ περαιτέρω τούτου τυγχάνει. *GOTHOFR.*

(k) Hæc absunt a *Græca l.* Sed tamen in Authentico, siue in integra constitutione habentur. *ID.*

(l) *Confugiendo*, Ed. Sichard. *RITTER.*

(m) Salutis, ἐλέου in *Græca l.* & in integræ Constitut. MSS. ἵλεω. Ἐλέου βωμὸς, i. e. *ara misericordiæ.* *GOTHOFR.*

(n) γρ. *Templum.* Forte Interpres Græcam consuetudinem retinuit, μεταξὺ τοῦ ναοῦ. *ID.*

(o) *Cellulæ* hic, & infra rursum οἰκίαις, οἰκήματα: quare & mox additur, *siue in domibus.* *ID.*

(p) *Areæ* Templorum: αὐλαί. *Atria* apud Interpr. ab his *Areis* distinguuntur. *ID.*

(q) Καθ' ὁμοιότητα τοῦ ναοῦ. *IDEM.*

(r) *Extrahendo*, Ed. Sichard. *RITTER.*

(s) *Ipse quoque confugiat*, καὶ αὐτὸς καταφύγῃ. *GOTHOFR.*

(t) γρ. *Manere:* vt in Græco μένειν. *ID.*

(v) γρ. *Vescere:* quomodo & Tertull. *de ieiuniis*: mox infra, *Cibum capere:* in græco, ἢ ἐσθίειν. *ID.*

(x) *Ipsisque*, Ed. Sichard. *ipsos*, Cod. Iust. *RITTER.*

(y) *In quauis teli ferriue specie*, Ed. Sichard. *ID.*

(z) Ὡς τὰ λοιπὰ, in gr. hic additum. *ID.*

(aa) Desunt hic nonnulla: nempe & *docentibus*, καὶ διδασκόντων. *GOTHOFR.*

(bb) *Humanitatis*, MS. W. & Ed. Sichard. *RITTER.*

(cc) Εἰς τοὺς προλεχθέντας τόπους. *GOTHOFR.* *Et a diuinis locis*, MS. W. *RITTER.*

(dd) *Turbanda*, id est, proturbanda, eiicienda, releganda, χωριζέσθω *in Gr.* recte. *GOTHOFR.*

(ee) *Reponant*, pro *deponant:* vt etiam habet Interpres. *ID.* *Deponant*, Ed. Sichard. *RITTER.*

(ff) Τῇ Ἐκκλησιαστικῇ φωνῇ. *GOTHOFR.*

(gg) *Antiocho, & qui fuerit nuntiatus*, prior Cuiac. & illa in 4. *RITTER.*

(hh) *Confugerint*, Edit. Sichard. illa in 4. & prior Cuiac. *ID.*

(ii) Hoc de suo Interpres. *GOTHOFR.*

Idem AA. ΑΝΤΙΟΧΩΙ ΜΕΓΑΛΟΠΡΕΠΕΣΤΑΤΩΙ ΕΠΑΡΧΩΙ ΚΑΙ ΥΠΑΤΩΙ.

Ἀνεῴχθωσαν τοῖς αἰδέουσιν (a) οἱ ναοὶ τοῦ μεγάλου θεοῦ. (b) οὐ γὰρ μόνα (c) τὰ θεῖα θυσιαστήρια, καὶ τὸν εὐκτήριον (d) ναὸν τὸν (e) τεττάρων τῶν τειχῶν περιβολῇ τειχιζόμενον, εἰς ἀσφάλειαν συντελεῖν τῶν προσφευγόντων θεσπίζομεν, ἀλλ' εἴ τι καὶ περαιτέρω τούτου τυγχάνει, ἄχρι τῶν τελευταίων θυρῶν τῆς ἐκκλησίας, (f) ἐλέου (g) βωμὸν τοῖς προσφυγοῦσιν (h) εἶναι προστάττομεν: ὥστε μεταξὺ τοῦ ναοῦ, ὃν (i) τῷ προειρημένῳ τρόπῳ (k) περιπεφράχθαι (l) διεγράψαμεν, ἄχρι (m) τῶν πρώτων μετὰ τοὺς δημοσίους τόπους τῆς (n) ἐκκλησίας θυρῶν, πᾶν τὸ παρεγκείμενον (o) εἴτε ἐν οἰκίαις, ἢ κήποις, (p) ἢ (q) αὔλαις, ἢ λουτροῖς, ἢ (r) ἐν στοαῖς τυγχάνει, τοὺς εἰσδύντας (s) πρόσφυγας, καθ' ὁμοιότητα τοῦ (t) ναοῦ, φυλάττειν, (v) καὶ μηδένα (x) τούτοις (z) ἱεροσύλους ἐπιβάλλειν χεῖρας, ἵνα (aa) μὴ ὁ τοῦτο τολμῶν ἐν συμφορᾷ (bb) σεαυτὸν εἰδὼν, καὶ αὐτὸς ἐξ αὐτῶν βοήθειαν, καταφύγῃ.

Τοῦτο (cc) δὲ τῶν διαστημάτων πλάτος διὰ τοῦτο συνεχωρήσαμεν, ἵνα μή τινι τῶν προσφευγόντων (dd) ἐν τῷ τοῦ θεοῦ ναῷ, ἢ ἐν τοῖς ἄγχος (ee) θυσιαστηρίοις μένειν, ἢ ἐσθίειν, ἢ καθεύδειν, ἢ παννυχίζειν

ζεν, (ff) ἐξῶν τῶν (gg) μὲν κληρικῶν τῆς θρησκείας χάριν τῦτο κωλυόντων, τῶν (hh) προσφυγῶν δὲ τῆς εὐσεβείας ἕνεκα φυλαττόντων. (ii)

Ὅπλα δὲ ἢ (kk) ἐν σιδήρῳ, ἢ ἐν ἑτέρῳ (ll) ἀμυντήρια (mm) τὰς προσφεύγοντας ὑδαμῶς ἔχειν ἢ ἐπιφέρεσθαι ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας (nn) προσάττομεν, ὐ (oo) μόνον ἐκ τῶν θείων ναῶν (pp) καὶ θυσιαστηρίων, ὡς τὰ λοιπὰ, ταῦτα (qq) κωλύοντες, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκημάτων, καὶ διαιτῶν (rr) καὶ κήπων (ss) καὶ λέτρων (tt) καὶ αὐλῶν, καὶ ςοῶν. (vv)

Τὰς (xx) τοίνυν δίχα ὅπλων τῷ ἁγίῳ οἴκῳ τῦ θεῦ, ἐι (yy) καὶ εἰς τὸν (zz) ἅγιον θυσιαςήριον, ἐν οἱῳδήποτε ἔθνει, ἢ κατὰ ταύτην τὴν πόλιν προσφεύγοντας, ὑπνοῦν ἐν τῷ ναῷ, ἤτοι (aaa) τῷ θυσιαςηρίῳ, καὶ τροφῆς (bbb) μεταλαμβάνειν (ccc) παρὰ τῶν κληρικῶν προσήκει κεκωλῦσθαι (ddd) ἐκτὸς τινος ὕβρεως, (eee) δεικνύντων (fff) τὰ διαςήματα ἐν (ggg) τοῖς ἐκκλησιαςικοῖς περιβόλοις διὰ (hhh) τὴν τῶν προσφυγῶν ἀσφάλειαν καὶ ἡσυχίαν ἀφορισθέντα, καὶ διδασκούντων (iii) τιμωρίαν κεφαλικὴν κατὰ τῶν προπετῶς ἐπιόντων αὐτοῖς ὡρίσθαι. (kkk) οἷς ὁ προσφεύγων εἰ μὴ πείθοι, τότε (lll) προτιμάσθω τῆς φιλανθρωπίας (mmm) ἡ θρησκεία, καὶ ἐκ τῶν θείων εἰς τὰς προλεχθέντας τόπας χωριζέσθω (nnn) θρασύτης. (ooo)

Τὰς δὲ μετὰ ὅπλων (ppp) τὰς ἁγίας ἐκκλησίας καταλαμβάνοντας προηγυμένως (qqq) μὲν μὴ ποιεῖν τῦτο ὑπομιμνήσκομεν. ἐὰν (rrr) δὲ ἐν οἱῳδήποτε τόπῳ τῆς ἐκκλησίας ἢ ἐντὸς τῦ ναῦ, ἢ περὶ τὸν ναὸν, ἢ καὶ ἐκτὸς τύτυ τυγχάνωσιν, (sss) παραχρῆμα (ttt) τὰ ὅπλα αὐθεντίᾳ τῦ ἐπισκόπυ παρὰ μόνων τῶν κληρικῶν αὐςηρότερον (vvv) ἀναγκαζομένυς ἀποτίθεσθαι προσάττομεν, διδομένης αὐτοῖς ἐλπίδος καὶ ὅρκυ (xxx) ὡς τῇ θρησκείᾳ μᾶλλον ἢ τῇ τῶν ὅπλων ἐπικυρίᾳ ὀχυρωθήσονται.

Ἐὰν δὲ τῇ (yyy) ἐκκλησιαςικῇ φωνῇ ὑπομνησθέντες, (zzz) μετὰ τοσαύτας καὶ τηλικαύτας παραγγελίας, τὰ ὅπλα μὴ ἀποθῶνται, ἐξευμενισθείσης τῆς θρησκείας, παρά τε τῆς ἡμετέρας γαληνότητος, καὶ τῶν ἐπισκόπων τῷ (aaaa) θεῷ τῆς ἀπολογίας δοθείσης (bbbb) ἐνόπλων εἰσπεμφθέντων ἀποσπασθήσονται, καὶ πάσαις ταῖς συμφοραῖς ὑποβληθήσονται. (cccc) ἡμῶν δίχα (dddd) γνώμης ἢ κελεύσεως τῦ ἐπισκόπυ καὶ (eeee) ἡμῶν, τῶντε (ffff) δικαςῶν τῶν κατὰ τὴν δεῖνα (gggg) πόλιν, καὶ (hhhh) ὁπυδήποτε τυγχανόντων, τὸν ὁπλισμένον ἐκ τῶν ἐκκλησιῶν χρὴ παραδιδόσθαι, ἵνα μὴ (iiii) πολλοῖς κατὰ τῶν ἀθλίων τοιαύτης (kkkk) ἀδιαφόρως ἐξυσίας δοθείσης, σύγχυσίς τις ἐκ τύτυ γίνεσθαι μέλλῃ, καὶ (llll) ταραχή. Dat. X. Kalend. April. Constantinop. Antiocho, V.C.& Basso Coss.

P.365

NOTAE.

(a) Τοῖς δεδιόσιν. In integra *lege.* *GOTHOFR.*
(b) Hic multa recisa. *IDEM.*
(c) Οὐ μόνον. In integra *lege.* *ID.*
(d) Καὶ τὸ εὐκτήριον τῦ λαῦ. *ibid.* vbi ad marg. varians addita, ναῦ. *ID.*
(e) Τὸ τετραγώνων τοίχων, ibid. *ID.*
(f) Ὧν τοῖς εὔχεσθαι προῃρημένοις πρῶτον ἐπιβαίνειν συμβαίνει. Hoc amplius in *integra constit.* quod etiam *lex Latina* hic habet. *ID.*
(g) Ἵλεω in Codd. *integræ legis.* *ID.*
(h) Προσφεύγειν in *integra leg.* *ID.*
(i) Ἐν τῷ, in *integra leg.* *ID.*
(k) Τόπῳ, in *integr. leg.* *RITTER.*
(l) Προσφυγὰς διεγράψαμεν, in *integra leg.* *GOTHOFR.*
(m) Καὶ τῶν πρώτων, in *int. leg.* *ID.*
(n) Ἁγίας ἐκκλησίας in *ipsa leg.* *ID.*
(o) Τὰ περιεχόμενα, in *ipsa leg.* *ID.*
(p) Ἢ ἐν κήποις in *ipsa leg.* *IDEM.*
(q) Εἴτε ἐν αὐλαῖς, in *ipsa leg.* *ID.*
(r) Ἢ καὶ ἐν ςοαῖς, in *ipsa leg.* *ID.*
(s) Τὰς εἰσδύοντας, in *ipsa leg.* *ID.*
(t) Τῦ ἐνδοτέρυ ναῦ, in *ipsa leg.* *ID.*
(v) Hic tota sententia abest, quæ incipit καὶ εἰ καὶ, &c. *ID.*
(x) Εἰς τὸ ἐξωθεῖσθαι, hoc amplius in integra *constit.* *ID.*
(z) Τέτυς, in *ipsa leg.* *RITTER.*
(aa) Μή πή γε ὁ τῦτο, &c. in *ipsa leg.* *GOTHOFR.*
(bb) Ἐν συμφοραῖς ἑαυτὸν ἰδὼν, in *ipsa leg.* *ID.*
(cc) Τόδε τοιῦτον τὸν διαςημάτων πλάτος ἐν καιρῷ τῦ φόβυ ἐς ἄδειαν τῦ διάγειν, μᾶλλον δὲ τῦ περινοςεῖν, φιλανθρώπως συνιςαμένων, in *integra leg.* *ID.*
(dd) Προσπεφευγότων, in *ipsa leg.* *ID.*
(ee) Ἁγίοις, in *ipsa leg.* *ID.*
(ff) Παννυχίζεσθαι, in *ipsa leg.* *ID.*
(gg) Τῦτο τῶν &c. κωλυόντων, ita inuerse in *ipsa leg.* *ID.*
(hh) Καὶ τῶν προσφυγῶν, sublato, δὲ, quod sequitur in *ipsa leg.* *ID.*

(ii) Multa

(ii) Multa hic resecta. *ID.*
(kk) ἢ, abest in integra *lege. ID.*
(ll) ἑτέρω ἤδη, in *integra lege. ID.*
(mm) Ἀμυητηρίῳ, in MS. *integr. leg. RITTER.*
(nn) Τῆς ἁγίας ἐκκλησίας, in *integra lege. GOTHOFR.*
(oo) Ταῦτα ἐ μόνον, in *int. leg. ID.*
(pp) Ναῶν τε, in *integr. leg. ID.*
(qq) Ταῦτα, abest ab *integ. leg. ID.*
(rr) Ἠλῶν, in *int. leg. ID.*
(ss) Κήπε, in *int. leg. ID.*
(tt) Λετρῶ in *int. leg. ID.*
(vv) Hic multa resecta. *ID.*
(xx) Ὅθεν τὰς δίχα &c. ita in *int. l. ID.*
(yy) Εἰ, abest ab *int. leg. ID.*
(zz) Τὸ ὁσιώτατον, in *int. leg. ID.*
(aaa) Ἢ καὶ ἐν τῷ, in *int. l. ID.*
(bbb) Καὶ ἐπ' αὐτοῖς, in *int. leg. ID.*
(ccc) Ἐκτὸς τινος ὕβρεως, παρὰ τῶν κληρικῶν προσήκει: Ita inuerse in *ipsa leg. ID.*
(ddd) Κωλύεσθαι, in *ipsa leg. RITTER.*
(eee) Hic multa resecta. *GOTHOFR.*
(fff) Et hæc immutata. *ID.*
(ggg) Τὰ διαστήματα, τὰ ἐν, ita *in ipsa leg. IDEM.*
(hhh) Τῇ αὐτῶν ἀσφαλείᾳ ἡσυχίᾳ τε. ita in *int. leg. ID.*
(iii) Et hæc immutata ita: κατὰ μέρος δεικνυέτωσαν. *ID.*
(kkk) Hic resecta nonnulla: Mox ita hæc expressa, εἰ τούτοις πεῖσαί τις μὴ δυνηθείη, μηδὲ πείθοιτο. *ID.*
(lll) Τότε, abest ab *integr. leg. ID.*
(mmm) Πραότητος, in *int. leg. IDEM.*
(nnn) Διωκέτω ἡ θρασύτης. ita in *Leg. ipsa. ID.*
(ooo) Hic resecta nonnulla. *ID.*
(ppp) Καὶ μεθ' ὅπλων εἰσιόντας εἰς τοὺς ἁγιωτάτους ναοὺς, ita in *int. l.* resectis mox nonaullis. *ID.*
(qqq) Προηγουμένως μὲν τούτου μὴ ποιεῖν παραινέσεις. ita in *integr. l.* directa oratione ad Antiochum, cui hæc *lex* inscribitur: Quin & resecta hic sententia. *ID.*
(rrr) Τινὰ μανίᾳ τυφλώττουσα παροξύνῃ τῶν ὑμετέρων περιδέουσι θεσπισμάτων, hæc amplius in *ipsa leg. ID.*
(sss) Τυγχάνοντα. in *ipsa l. ID.*
(ttt) Τοῦτον add. in *ipsa l. ID.*
(vvv) Λυσιτελέστερα ὑπὲρ τῆς αὐτῶν σωτηρίας, ἀποτίθεσθαι καταναγκασθῆναι προστάττομεν, ita in *ipsa l. ID.*
(xxx) Θάρσους, in *ipsa l. ID.*
(yyy) Τῇ τοῦ ἡμετέρου νόμου αὐθεντίᾳ, καὶ τῇ &c. ita plenius in *ipsa l. ID.*
(zzz) Hæc decurtata & mutata. *ID.*
(aaaa) Τῷ, abest ab *ipsa leg. ID.*
(bbbb) Κατὰ τὸ οἰκεῖον πταῖσμα καὶ παρ' ἐνόπλων ἐξορμωμένων ἀποσπασθήσονται, ita in *ipsa l. ID.*
(cccc) Integra sententia resecta hic, vsque ad οὐ μήν. *ID.*
(dddd) ἀλλ' οὔτε δίχα, ita in *ipsa l. ID.*
(eeee) ἢ καὶ ἡμῶν, in *integr. leg. IDEM.*
(ffff) Τε, abest ab *integr. leg. ID.*
(gggg) Δεῦνα abest ab *int. leg.* vbi ita: τῶν κατὰ τήνδε τὴν πόλιν. *ID.*
(hhhh) ἢ καὶ, ita in *ipsa l. IDEM.*
(iiii) Ἐὰν κατὰ τῶν ἀθλίων πολλοῖς: ita hæc inuersa in *ipsa leg. ID.*
(kkkk) Τοῦτο καὶ διαφόροις ἔξω, σύγχυσις ἐκ τούτου ἐγγένηται, ita in *ipsa leg. ID.*
(llll) Absunt ab *ipsis leg.* Et cætera deinceps hic resecta. *ID.*

ΒΑΣΙΛΙΚΟΣ ΝΟΜΟΣ περὶ τῶν προσφευγόντων εἰς Ἐκκλησίαν.

Ἀρχαία τις καὶ ἀπὸ τῶν καιρῶν τῆς πλάνης συνήθεια, καὶ νόμου φυσικὴ a) διάταξις, δι' εὐσέβειαν ἀεί τις τοιαύτη κεκράτηκεν, ὥστε b) τὰς θείας θρησκείας τῶν δημοσίων διοικήσεων, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων χρήσεων, ἐν παντὶ χρόνῳ, καὶ ἔθνει, διορισθῆναι. καὶ ταύτας οὐ μόνον ἐν τῷ ἀκροτάτῳ τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ὥσπερ ἔν τινι ἐπὶ γῆς οὐρανῷ ἀνατίθεσθαι, καὶ ὅπου πλησιάζειν μόνοις c) καθα-

EDICTVM IMPERATORIVM De his qui ad Ecclesiam confugiunt.

VEtus iam inde a Paganismi temporibus consuetudo, naturalisque legis sanctio, pietatis causa, obtinuit, vt apud omnes Nationes, publicæ administrationes, humanæque functiones a religione sacrisque cæremoniis semper secernerentur; sacraque non solum in summo rerum fastigio, sed veluti in quodam posito in terris cœlo colloca-rentur,

---

a) Φυσικοῦ, Al.
b) Ταῖς θρησκείαις, Al.

c) Νόμοις, Al.

rentur, quo accedere solis puris sanctisque fas esset. Hinc & illud quoque consequitur, vt omnium mentibus natura insitum sit, nullo modo quæ Deo dedicata sunt pollui posse, neque hominum insolentiam aduersus vim diuinam progredi. Quo enim pacto fieri queat, vt ea polluantur, quæ semper munda esse necesse est? Aut qua ratione ea poterunt contaminari, quæ semel sanctificata, nunquam talia esse desinunt? Quapropter licet pro certo habeamus, ab iis quæ paulo ante barbarica vesania contra diuinum altare nefarie perpetrare ausa est, neque quod mundum erat pollui, neque quod natura sanctum contaminari potuisse: tamen quia id factum est, quod nullo modo futurum sperabamus, & vsque ad religionem illa *Sceleratorum* hominum peruenit audacia; ne vel impiis profana esse videantur ea quæ diuina sunt, neque in sacratis Deoque dicatis locis liceat ea facere, quæ ne in aliis quidem passim impune fieri permittendum est; & vt religio peruigili etiam pietatis, custodia illæsa castaque permaneat; omnem *violentiam*, quæ vel per audaciam, vel præter voluntatem inferatur, ab omnipotentis Dei Ecclesia arcemus. Etenim si veterum Paganorum religio, quæ error erat, & cui quod libitum fuisset, Deus erat, adeo superstitionis suæ obseruans fuit, vt altaria non quibusuis, sed certis Sacerdotibus dumtaxat committeret, & fana sua perinde ac si ipsius quoque terræ situ extollerentur, in arcibus ac munitioribus vrbium locis dicaret, atque idola fabrefacta adoraret, maximaque cum veneratione ac vanitate coleret; quanto magis par est, vt nos Religionem nostram omni cum obseruantia custodiamus, ad quos Deus ipse cum vero Religionis cultu, cœlum non deserens, descendit, & tanquam cessione quadam inter Deum & homines facta, homo Deum in terram suscepit, hominemque Deus in cœlum sustulit? Ante alia autem hac re illi Deum placant, penes quos rerum summa est, cum scilicet, salutis & vitæ ac securitatis hominum curam habent: quæ, vt nostra natura fert, nullo modo alterum cum altero sine alterius detrimento coniungimus, vt nec Ecclesiasticis ædibus sacrisque altaribus ex nimia confugientium desperatione vel confidentia, contemptu vel temeritate, audacia vel insania, iniuria aliqua, præterquam deceat, inferatur; & vnicus extremusque miserorum, opeque destitutorum portus *patentiore aperto sinu* huiuscemodi confugientes excipiat. Nemini qui maris fluctus & scopulos declinat, conuenit terræ adimere tranquillitatem: bellum, in quem steterit acies, aduersus eum sese dedentem minas deponit. Asylum olim defendit variis criminibus obstrictos, legum aspernans auctoritatem: Maiores etiam nostri, ne aliquo modo timore perculsis humanitas denegata videretur, in nostris quoque Statuis *Aram Salutis* constituerunt; ita vt si qui vel extrema imaginum nostrarum vestigia forte contigerint, hi ab omnibus minis aduersæ fortunæ liberati ac securi gaudeant. Iam si statuæ complexus propter Regiam Maiestatem tantum præsidii miseris conciliat: quantum opis illis debet esse paratum, qui salutis causa ad „sacrosancta altaria confugiunt? *Pateant* proinde „*trepidis magni Dei templa*; supplices fugientes

(P.366 in the margin beside "per munda esse necesse est?")

ροῖς, καὶ ὁσίοις, θέμις. ἐντεῦθεν κἀκεῖνο συμβαίνει, τὸ πάντων φυσικῶς ταῖς διανοίαις ἐγκεῖσθαι, μηδενὶ τρόπῳ δύνασθαι τὰ τῷ Θεῷ ἀφιερωθέντα μιαίνεσθαι, μήτε κατὰ τῆς θείας δυνάμεως τὴν ἀνθρώπων ὕβριν χωρεῖν. Πῶς γὰρ οἷόν τε μολύνεσθαι, ἅπερ ἀεὶ καθαρεύειν ἀνάγκη; ἢ πῶς οἷόν τε ῥυποῦσθαι, ἅπερ ἅπαξ ἁγιασθέντα, τοῦ τοιαῦτα εἶναι οὐ παύεται; ὅθεν εἰ καὶ πεπείσμεθα, ὑπὸ τῶν ἐναγχος ἀθεμίτως ἐκ τῆς βαρβαρικῆς μανίας κατὰ τοῦ Θείου τολμηθέντων θυσιαστηρίου, μήτε μολύνεσθαι τὸ καθαρὸν, μήτε κεχρᾶνθαι, ὅπερ εἶναι πέφυκεν ἅγιον· ὅμως ἐπειδὴ γέγονεν, ὅπερ οὐδαμῶς ἠλπίσθη γενέσθαι, καὶ μέχρι τῆς εὐσεβείας ἡ τῶν μυσαρῶν ἔφθασε τόλμα. ὥστε μὴ τοῖς ἀνοσίοις γοῦν δοκεῖν βέβηλα εἶναι ταῦτα, ἅπερ θεῖα τυγχάνει. μήτε ἐν τοῖς ἁγιασθεῖσι, καὶ ἀφιερωθεῖσι τόποις, ἐξῆ ταῦτα, ἅπερ οὐδὲ ἐν ἄλλοις χύδην ἀδίκως ἀνεκτὸν γίνεσθαι, καὶ ὑπὲρ τοῦ τὴν θρησκείαν καὶ τῇ τῆς εὐσεβείας παραφυλακῇ ἀνόθευτον παραμένειν, d) πᾶσαν ὕβριν τῆς e) τοῦ Θεοῦ παντοκράτορος ἐκκλησίας, f) τήν τε παρὰ τῶν τολμώντων, καὶ ἀκόντων ἐγγινομένην, ἀπείργομεν. καὶ γὰρ εἰ ἐθνικῆς ἀρχαιότητος ἡ θρησκεία πλάνη, καὶ Θεὸς τὸ δοκοῦν, οὕτω τῆς οἰκείας δεισιδαιμονίας ἐξήσκει τὴν παρατήρησιν, ὥστε τοὺς βωμοὺς μὴ πᾶσιν, ἀλλὰ γάρ τισιν ἐπιτρέπειν τῶν ἱερέων· τοὺς δὲ ναοὺς, ὥσπερ καὶ διὰ τῆς γῆς ὑψουμένους, ἐν ταῖς ἀκροπόλεσι, καὶ τοῖς ὀχυρωτέροις τῶν πόλεων ἀναθεῖναι τόποις, τά τε κατασκευασθέντα εἴδωλα προσκυνεῖν, καὶ μετὰ σεπτῆς μεγίστης ἔχειν ματαιότητος, πόσῳ μᾶλλον ἡμᾶς προσήκει τὴν θρησκείαν μετὰ πάσης φυλάττειν g) παρατηρήσεως. πρὸς οὓς ὁ Θεὸς μετὰ τῆς ἀληθοῦς θρησκείας, οὐρανοὺς μὴ ἀπολιπὼν, καταβέβηκε, καὶ ὥσπερ τινὸς μεταξὺ Θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων ἀντιδόσεως γενομένης, ἄνθρωπος θεὸν εἰς γῆν ὑπεδέξατο, καὶ Θεὸς εἰς οὐρανοὺς ἀνήγαγεν ἄνθρωπον; h) πρὸ δέ γε τῶν ἄλλων καὶ τούτῳ μάλιστα ἐξιλεοῦνται Θεὸν οἱ τῶν τῆς ἄκρας ἐξουσίας πραγμάτων ἐπειλημμένοι, τῷ σωτηρίας, ζωῆς τε, καὶ ἀμεριμνίας φροντίζειν ἀνθρώπων· ἅπερ κατὰ τὸ ἡμῖν ἔμφυτον οὐδαμῶς θάτερον τῷ ἑτέρῳ δίχα τῆς ἑκατέρου i) βλάβης συνάπτομεν· ὥστε μήτε k) τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς οἴκοις, ἢ τοῖς ἁγίοις θυσιαστηρίοις, ἐκ τῆς πολλῆς τῶν προσφευγόντων ἀπαγορεύσεώς τε καὶ ἀδειλίας, l) προπετείας τε, καὶ καταφρονήσεως, τολμῆς, ἢ καὶ μανίας, ὕβριν παρὰ τὸ πρέπον γενέσθαι τινὰ, καὶ τὸν τῶν ἀθλίων τε, καὶ ἀβοηθήτων μόνον ἔσχατόν γε m) λιμένα εὐρυτέροις n) τοῖς πεποιημένοις ὑποδέξασθαι κόλποις. οὐδένα o) τὸν τὸν κλύδωνα τῆς θαλάττης, καὶ τοὺς σκοπέλους ἐκκλίνοντα p) προσήκει τὴν τῆς γῆς ἀφαιρεῖσθαι γαλήνην. Πόλεμος καθ' οὗ συνέστη παράταξις, q) τὴν κατὰ τοῦ προσφεύγοντος r) ἀπειλὴν ἀποτίθεσθαι. Τὸ ἄσυλόν ποτε ὑπερήσπισε τῶν διαφόροις ἐνόχων ἐγκλήμασι, τὴν τῶν νόμων παρωθούμενον αὐθεντίαν· s) καὶ ὥστε μηδαμοῦ τοῖς εὐλαβουμένοις ἀναιρεθῆναι φιλανθρωπίαν, βωμὸν σωτηρίας καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀφιδρύμασιν ἡ ἀρχαιότης ἀνέθηκε. Καὶ οἱ τὰ ἴχνη τῶν ἡμετέρων χαρακτήρων καταλαμβάνοντες, τῶν ἀπειλῶν τῆς σκαιᾶς τύχης ἐλευθερωθέντες τε, καὶ ἀμεριμνοῦντες γεγήθασι. τοσαύτης t) τοιγαροῦν τῆς ἀφῆς τοῦ ἱδρύματος διὰ τὸ βασιλικὸν σέβας τοῖς δεομένοις ἐπικουρίαν διδούσης, πόσην χρὴ τοῖς εἰς τὰ ἁγιώτατα καταφεύγουσι θυσιαστήρια ὑπάρχειν βοήθειαν; Ἀνεῴχθησαν v) τοίνυν τοῖς δεδιόσιν οἱ ναοὶ τοῦ μεγάλου Θεοῦ, καὶ τοὺς προσφεύγοντας ἱκέτας ὁ κοινὸς

d) Διαμένειν, Al.
e) Τῇ τοῦ, Al.
f) Ἐκκλησία, Al.
g) Παραφυλάττειν, Al.
h) Πρὸς δέ γε καὶ τῶν ἄλλων, καὶ τοῦτο ἐξιλεοῦσθαι Θεὸν, Al.
i) Ἑκατέρας, Al.
k) Μηκέτι τοῖς, Al.
l) Δειλίας, Al.
m) Ἔσχατον λιμένα, Al.
n) Εὐρυτέρως, Al.
o) Τῶν τὸν, Al.
p) Ἐκκλινόντων, Al.
q) Παράταξιν τὴν, Al.
r) Προσφεύγοντος ἀποτίθεται, Al.
s) Βίαν, Al.
t) Τοσαύτην, Al.
v) Ἀνεῴχθωσι, ἢ Ἀνοιχθήτωσαν, Al.

κοινὸς ὑποδεχέσθω βωμός· καὶ τὴν θείαν βοήθειαν, τὴν κοινῇ προσκομιζομένην ἅπασιν, ἐκ τῶν ταύτης οἴκων μηδεμία ὡς ὑπερτέρα διωθείτω ἀπειλή. Ποῖος γὰρ ταῖς συμφοραῖς οἶκτος ὑπολειφθήσεται, ἐν τοῖς ναυαγοῦσιν, εἰ τὸν αἰγιαλὸν ἀποκλείσεις, καὶ τὴν πηγὴν τοῖς διψῶσι θολώσεις; ἢ ποία ταῖς ἀνθρωπίναις περιέσται συμφοραῖς θεραπεία, ἐὰν αὐτοῖς ὁ Θεὸς ἀρνηθείη; ἐπὶ γὰρ τῶν ἡμετέρων καιρῶν οὐ μόνον τὰ θεῖα θυσιαστήρια, καὶ τὸ εὐκτήριον τοῦ λαοῦ, x) τὸ τετραγώνων y) τοίχων περιβολῇ τειχιζόμενον εἰς ἀσφάλειαν συντελεῖν τῶν προσφευγόντων θεσπίζομεν, ἀλλ' εἴ τι καὶ περαιτέρω τούτου τυγχάνει, ἄχρι τῶν τελευταίων θυρῶν τῆς ἐκκλησίας· ὧν τοῖς εὔξασθαι προῃρημένοις πρῶτον ἐπιβαίνειν συμβαίνει, ἐλέου z) βωμὸν τοῖς προσφεύγουσιν εἶναι προστάττομεν· ὥστε μεταξὺ τοῦ ναοῦ ἐν τῷ προειρημένῳ τόπῳ προσφυγὰς διεγράψαμεν, a) καὶ τῶν πρώτων b) μετὰ τοὺς δημοσίους c) τόπους τῆς ἁγίας ἐκκλησίας θυρῶν τὰ περιεγκείμενα, εἴτε ἐν οἰκίαις, ἢ ἐν κήποις, εἴτε ἐν αὐλαῖς, ἢ λουτροῖς, ἢ καὶ ἐν στοαῖς τυγχάνει, τοὺς εἰσδύνοντας πρόσφυγας καθ' ὁμοιότητα τοῦ ἐνδοτάτου ναοῦ φυλάττειν. Καὶ εἰ καὶ τὰ μάλιστα θρησκείας τε, καὶ εὐλαβείας λόγῳ τὰ μικρῷ d) λόγον διεστῶτα τῷ τόπῳ, οὐ μικρῷ e) τῷ τῆς παρατηρήσεως τόπῳ f) διώρισται, ὅμως ὑπὲρ τοῦ τὴν ἀμεριμνίαν πλατῦναι τοῖς προσφεύγουσι, καὶ τοῖς εὐλαβουμένοις βοήθειαν ἐκτεῖναι, πᾶσαν τὴν προδηλουμένην περίοδον ἀδιάκριτον εἶναι λιμένα τῆς ἡσυχίας προστάττομεν. Καὶ μηδένα εἰς τὸ ἐξωθεῖσθαι τούτους ἱεροσύλους g) ἐπιβάλλειν χεῖρας· μήπου γε ὁ τοῦτο τολμῶν, ἐν συμφοραῖς ἑαυτὸν ἰδὼν, καὶ αὐτὸς ἐξαιτῶν βοήθειαν καταφύγῃ. Τὸ δὲ τοιοῦτον τῶν διαστημάτων πλάτος, ἐν καιρῷ τοῦ φόβου, εἰς ἄδειαν τοῦ διάγειν, μᾶλλον δὲ τοῦ περινοστεῖν, φιλανθρώπως συνεχωρήσαμεν· ἵνα μή τινι τῶν προσπεφευγότων h) ἐν τῷ τοῦ Θεοῦ ναῷ, ἢ ἐν τοῖς ἁγίοις θυσιαστηρίοις μένειν, ἢ ἐσθίειν, ἢ καθεύδειν, ἢ παννυχίζεσθαι ἐξῇ. Τοῦτο τῶν μὲν κληρικῶν τῆς θρησκείας χάριν κωλυόντων, καὶ τῶν προσφύγων τῆς εὐσεβείας ἕνεκα φυλαττόντων. ἵνα μήτε οἱ προσφεύγοντες, ὡς βεβήλῳ γνώμῃ, προσφεύγειν δοκοῖεν, τῇ θρησκείᾳ i) καταμιγνύντες τὰς οἰκείας χρείας· μήτε οἱ τὰ οὕτως αἰσχρὰ δυνάμενοι τοῦ θείου ἀπείργειν οἴκου, δόξωσι τὴν εὐσέβειαν, ἧς ὑποφῆται τυγχάνουσι, k) καταβλάπτειν. Προκειμένου δὲ τοῦ θατέρῳ πάντως προσκροῦσαι, αἱρετώτερον, τοὺς κληρικοὺς τὰς ἀνθρωπίνας, καὶ φυσικὰς, τῶν ἁγίων θυσιαστηρίων ἀπωθουμένους ὕβρεις, θρασεῖς μᾶλλον, ἢ ἀσεβεῖς νομίζεσθαι, καὶ περὶ ἄνθρωπον, ἢ περὶ Θεὸν ἁμαρτάνειν· ὁπότε τούτου τεθέντος τοῦ νόμου. μήτε ἀπανθρωπίας τις ὑπόνοια δικαίως ἂν φθάσειεν εἰς τοὺς κληρικοὺς· ἐπειδὴ πολλὴ τοῦ τε φόβου, καὶ τῆς ἀμεριμνίας, τῶν προσφευγόντων πρόνοια γέγονε. καὶ γὰρ καὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει τε, l) καὶ ἀνάγκῃ ῥυποῦσθαι τὸν τοῦ Θεοῦ ναὸν, καὶ τὸ θεῖον μυστήριον τῇ ἐφυβρίστῳ ἀσθενείᾳ καταμίγνυσθαι, τὰ θεῖα ὑπὸ βεβήλων χραίνεσθαι, τὰ ἱερὰ ὑπὸ τῶν σαθρῶν μολύνεσθαι μὴ βουλόμενοι, τοῦ αἰτεῖν βοήθειαν τοῖς προσφεύγουσιν οὐκ ἀπεκλείσαμεν, ἀλλὰ προσέτι καὶ πλατυτέροις διαστήμασι, μακροτέροις τε χωρήμασιν ἀσφαλισθῆναι τούτους m) ἐψηφισάμεθα, τοῦ πρέποντος τῇ τε θειότητι, καὶ τῇ ἀνθρωπότητι φυλαχθέντος. Ὅπλα δὲ ἐν σιδήρῳ, ἢ ἐν ἑτέρῳ εἴδει ἀμυντήρια n) τοὺς προσφεύγοντας οὐδαμῶς ἔχειν, ἢ ἐπιφέρεσθαι ἐντὸς τῆς ἁγίας ἐκκλησίας, προστάττομεν ταῦτα οὐ μόνον ἐκ τῶν θείων ναῶν τε, καὶ θυσιαστηρίων, ὡς τὰ λοιπὰ,

communis suscipiat Ara; nec vlla veluti superior comminatio diuinum auxilium, quod omnibus ex æquo sese offert, ab eius ædibus audeat propulsare. Qualis enim naufragorum in suis calamitatibus misericordia reliqua erit, si littus præcludas, & fontem siti laborantibus perturbes? aut quænam humanis calamitatibus medicina supererit, si calamitosis Deus ipse denegetur? Nostris igitur temporibus *non solum sacrosancta Altaria, & quadratum populi Oratorium murorum ambitu circumseptum, confugientium securitati conferre sancimus, sed quidquid præterea inde est loci vsque ad Ecclesiæ fores extremas, per quas preces primum facturi ingrediuntur, hoc totum confugientibus misericordiæ Aram esse definimus & constituimus. Itaque medium Templi spatium in prædicto loco positum, perfugium esse decreuimus: atque etiam reliqua omnia loca primis sanctæ Ecclesiæ foribus post publica per circuitum cohærentia, siue domus aut horculi, siue atria, aut balnea, aut etiam porticus sint, ingressos profugos volumus, vt perinde ac intimum templum ius custodiendi habeant.* Quamuis autem si Religionis atque pietatis ratio spectetur, quæ exiguo loco distant, non parua obseruantiæ ratione desiuncta sint; tamen vt securitatem confugientibus latius extendamus, & formidantibus auxilium porrigamus, omnem supradictum ambitum sine vllo discrimine portum esse quietis iubemus, *ac neminem ad eos expellendos, sacrilegas manus inicere; ne forte ille ipse qui id ausus fuerit, se in calamitates incidisse videns, auxilium expetens confugiat. Hoc autem spatium adeo latum,* vrgente formidine, secure degendi, imo vero expatiandi, clementer *concessimus; ita tamen, vt nemini confugientium in Dei Templo aut apud sacras Aras manere, aut cibum sumere, aut dormire, aut etiam pernoctare liceat; idque non modo Clericis propter Religionem fieri prohibentibus, sed ipsis quoque confugientibus facere pietatis causa detrectantibus:* ne & qui confugiunt, dum vsus proprios sacris rebus admiscent, impuro animo confugere videantur; & qui huiusmodi turpitudinem a sacris ædibus arcere possunt, pietatem, cui deseruiunt, violare videantur. Cæterum si quando vsu veniat, vt alterutrum omnino offendendum sit; satius est, Clericos amolientes a sacris Altaribus eas iniurias, quæ ab humana conditione & a natura oriuntur, audaces potius quam impios haberi, ac in hominem potius, quam in Deum peccare: quandoquidem hac posita lege, nulla humanitatis suspicio Clericos iure attigerit; cum timori ac securitati confugientium sit valde prospectum. Nam etsi Dei Templum humana naturaliq; necessitate fœdari, & sacrosancta mysteria infami infirmitate misceri, ac diuina a profanis contaminari, sacra deniq; ab impuris inquinari nequaquam patimur; non tamen confugientibus, quominus opem implorarent, præsidii ostium præclusimus; sed amplioribus quoque longioribusque spatiis illorum securitati consulendum existimauimus, & quod Diuinitati, & quod humanitati debetur, sollicite religioseque obseruantes. *Ferrea autem, vel alterius generis arma ad defensionem comparata, ne confugientes habeant, neue intra S. Ecclesiam inferant, omnino prohibemus. Hæc namque vt reliqua omnia eiusmodi, non modo a sacris Templis & Aris abesse volumus, sed a*

 religiis

x) Ναοῦ, Al.
y) Τετράγωνον τοίχων, aut τεττάρων τῶν τοίχων περιβολῇ, Al.
z) Ἵλεω, Al.
a) Ὃν τῷ προειρημένῳ τρόπῳ περιπεφράχθαι διεγράψαμεν, supr. in leg.
b) Πρῶτον, Al.
c) Δημίους, Al.
d) Μικρῷ ἀλλήλων, & ὀλίγον, Al.
e) Abest ab aliis. Codd.
f) Τρόπῳ, Al.
g) Τούτοις ἱεροσυλίας, Al.
h) Προσφευγόντων, Al.
i) Τῆς θρησκείας τὰς οἰκείας καταλιπόντες χρείας, Al.
k) Γεγόνασι, Al.
l) Χρείᾳ τε, Al.
m) Τούτοις, Al.
n) Ἀμυντηρίῳ, Al.

„*reliquis quoque omnibus mansionibus, hortis, bal-„neis, atriis, ac porticibus*, quæ præsidio esse fugientibus superiori sermone declarauimus. Etenim fas non est, sanctissimis Templis, aliisue Ecclesiæ locis ex nimia sollicitudine, discordiæ ac bellorum materiam inferre. Sufficiat profugis istis Dei auxilium, cui & arma & leges & ipsa etiam Regia Maiestas subiecta est. Nam & Nos, qui semper iure Imperii armis circumdamur, quosque sine armatis stipatoribus esse non conuenit, Dei Templum ingressuri, foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema deponimus; & quo submissioris Imperii speciem præferimus, eo magis imperii nobis maiestas promittitur. Ad sacra quoque Altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus: & cum circumseptum sacrorum adytum ingressi sumus, statim egredimur: nec quidquam ex propinqua Diuinitate nobis arrogamus. „*Quamobrem qui sine ar-„mis ad S. Dei Templum, vel ad sanctum Altare, in „quacumque illi gente, vel in hac ciuitate confugerint, „in Templo dormire, aut etiam in Altari, vel in ipsis „locis cibum sumere, citra vllam iniuriam a Clericis „prohiberi debent.* Et ita res hæc erga eos gerenda est, vt non a prohibente iniuria inferri, sed Religionis ratio rem, quæ geritur, exigere videatur. Proinde illos pauentes, de sanctitate ac puritate loci

P.368 commoneant; Religioni cum humanis necessitati-„bus nihil commune esse doceant: *interualla intra „septa Ecclesiastica, ad ipsorum tranquillitatem secu-„ritatemque constituta sigillatim commonstrent: capi-„tale supplicium contra temere irruentes statutum in-„dicent:* intelligant Religionem humanis sordibus, naturalisque necessitatis iniuria contaminandam aut profanandam non esse ei, qui per eam ipsam Religionem tueri se ab iniuria velit. „*Quod si quispiam „nihil his omnibus annuerit, aut assensus fuerit, tum „demum religio mansuetudini anteferatur, & ex diui-„nis locis ad ea quæ superius dicta sunt, eum propulset „audacia.* Qui enim in magno metu est, periculum effugiet, nec propterea sacra Religio humanarum necessitatum admixtione contaminabitur. „*Porro si qui diuinam opem expetentes, sanctissima Dei „Templa cum armis ingredientur*, aut cum apparatu qui naturæ & gentium iure a Religione arcetur, non modo illa inferre sacratis locis, verum etiam confligere conabuntur (quod vt adiuuentur, vel audiantur, vel qui sæuitiam videant, tolerandum esset) plenissima seueritatis iussione & horrendis comminationibus præcipue ne id faciant, admonebis. Nam qualem ille spem in Religione collocat, qui in Religionis contumeliam armis accinctus ingreditur? „*Quod si* quisquam furiis actus aliquod istorum no-„strorum decretorum *in quocumque Ecclesiastico loco* „violauerit, *siue id fiat extra Templum*, siue *intra „Templum*, siue etiam *circa Templum; iubemus vt „confestim Episcopi auctoritate a solis Clericis arma „deponere compellatur, & seuerius etiam* pro sua sa-„lute, *spe illi data atque fiducia, quod Religione ac „pietate securius munietur, quam armorum præsidio.* „*Quod si* legis nostræ auctoritate, *voceque Ecclesia-„stica commonefacti* in væsania sua perseuerent, „*neque arma*, quæ præter fas, non salutis, sed ty-„rannidis & sacrilegii audacia ceperant, *reliquerint;*

κωλύοντες, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκημάτων, καὶ ἐλῶν, o) καὶ κήπου, καὶ λουτροῦ, καὶ αὐλῶν, καὶ στοῶν, ἅπερ κατὰ τὸν προειρημένον λόγον ὑπερασπίζειν τῶν προσφευγόντων ἐδηλώσαμεν. οὔτε γὰρ Θέμις, τοῖς ἁγιωτάτοις ναοῖς, ἢ τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς τόποις, κατὰ περιεργίαν, διχονοίας, ἢ πολέμων ὕλας ἐπιφέρεσθαι. Ἀρκείτω τοῖς προσφεύγουσιν ἡ τοῦ Θεοῦ βοήθεια, ᾧ τά τε ὅπλα, καὶ οἱ νόμοι, καὶ ἡ βασιλεία ὑποτάττεται. καὶ γὰρ ἡμεῖς, οὓς ἀεὶ τῷ δικαίῳ τῆς ἡγεμονίας περιστοιχίζει τὰ ὅπλα, καὶ οὓς οὐ πρέπει δίχα δορυφόρων εἶναι, τῷ τοῦ Θεοῦ ναῷ προσιόντες, ἔξω τὰ ὅπλα καταλιμπάνομεν, ἀποτιθέμενοι τὸ διάδημα· καὶ τῇ τῆς βασιλείας p) ἐλαττώσεως εἰκόνι μᾶλλον ἡμῖν τὸ τῆς βασιλείας σέβας ἐπαγγέλλεται. Τοῦ ἁγιωτάτου δὲ θυσιαστηρίου διὰ μόνην τὴν τῶν δωρεῶν προσφορὰν ἐφαπτόμεθα. καὶ εἰς τὴν τῶν Θείων κύκλων q) περιστοιχουμένην ἔπαυλιν ἅμα τῷ εἰσελθεῖν ὑπεκβαίνομεν· καὶ οὐδὲν ἐκ τῆς ἀγχιστευούσης θειότητος ἑαυτοῖς ἀπονέμομεν. ὅθεν τοὺς δίχα ὅπλων τῷ ἁγίῳ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὸ ὁσιώτατον θυσιαστήριον ἐν οἱῳδήποτε ἔθνει, ἢ κατὰ r) ταύτην τὴν πόλιν προσφεύγοντας, ὑπνοῦν ἐν τῷ ναῷ, ἢ καὶ ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ ἐπ' s) αὐτοῖς μεταλαμβάνειν, ἐκτὸς τινος ὕβρεως παρὰ τῶν κληρικῶν προσήκει κωλύεσθαι. καὶ οὕτω τοῦτο τυποῦσθαι χρὴ πρὸς αὐτοὺς, ὥστε μὴ δοκεῖν ὕβριν εἶναι τοῦ κωλύοντος, ἀλλὰ γὰρ τὸν λόγον τῆς θρησκείας ἀπαιτεῖν τὸ γινόμενον· Τῆς ἁγιωσύνης, καὶ τῆς καθαρότητος τοῦ τόπου τοὺς εὐλαβουμένους ὑπομιμνησκέτωσαν, καὶ μηδὲν ταῖς θρησκείας μετὰ τῶν ἀνθρωπίνων χρήσεων εἶναι κοινὸν διδασκέτωσαν. τὰ διαστήματα, τὰ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς περιβόλοις, τῇ αὐτῶν ἀσφαλείᾳ ἡσυχίᾳ τε ἀφορισθέντα, κατὰ μέρος δεικνυέτωσαν, t) τιμωρίαν κεφαλικὴν κατὰ τῶν προπετῶς ἐπιόντων αὐτοῖς ὡρίσθαι. γνώτωσαν, ὡς οὐ χρὴ, τὴν Θρησκείαν τοῖς ἀνθρωπίνοις ῥύποις μιαίνειν, ἢ τῇ ὕβρει τῆς φυσικῆς ἀνάγκης χραίνειν, τὸν διὰ τῆς αὐτῆς Θρησκείας ἀνύβριστον εἶναι βουλόμενον. εἰ τούτοις πᾶσι τις μὴ ἐπινεύοι. v) μήτε πείθεται, προτιμάσθω τῆς πρᾳότητος ἡ θρησκεία, καὶ ἐκ τῶν Θείων εἰς τοὺς προλεχθέντας τόπους διωκέτω x) ἡ θρασύτης. ἔσω y) γὰρ καὶ ὁ σφόδρα φοβηθεὶς ἐκτὸς κινδύνου, καὶ οὔτε ἡ θρησκεία τῇ τῶν ἀνθρωπίνων χρήσεων ἐπιμιξίᾳ μολυνθήσεται. τοὺς δὲ βοήθειαν ἐξαιτοῦντας παρὰ τοῦ μεγίστου Θεοῦ, καὶ μεθ' ὅπλων εἰσιόντας εἰς τοὺς ἁγιωτάτους ναοὺς, ἢ καὶ παρασκευῆς, z) ἥ τις φυσικῷ, καὶ ἐθνικῷ νομίμῳ, τῆς θρησκείας ἀπείργεται, μὴ μόνον ἐπιφέρειν τῇ ταύτης εὐαγείᾳ, ἀλλὰ γὰρ καὶ συνάπτειν ἐπιχειροῦντας, ὅπερ a) βοηθηθῆναι, ἢ ἀκουσθῆναι, ἢ ἀγριότητι b) ἰδεῖν, φορητὸν, πληρεστάτῳ αὐστηρίας προστάγματι, καὶ φοβεραῖς ἀπειλαῖς, προηγουμένως μὲν τούτου μὴ c) ποιεῖν παραινέσεις. Ποίαν γὰρ ἐλπίδα ἐν τῇ θρησκείᾳ ἐντίθεται, ὃς ἐφ' ὕβρει ταύτης ὅπλα περικείμενος εἴσεισιν; Ἐὰν δέ τινα μανία τυφλώττουσα d) παροξύνῃ, τῶν ἡμετέρων περιδεῖν e) τι θεσπισμάτων ἐν οἱῳδήποτε τόπῳ τῆς ἐκκλησίας, ἢ ἐντὸς τοῦ ναοῦ, ἢ περὶ τὸν ναὸν, ἢ καὶ ἐκτὸς τούτου τυγχάνοντα, παραχρῆμα τοῦτον τὰ ὅπλα αὐθεντίᾳ τοῦ ἐπισκόπου παρὰ μόνων τῶν κληρικῶν, καὶ αὐστηρότερα ὑπὲρ τῆς αὐτῶν σωτηρίας, ἀποτίθεσθαι καταναγκασθῆναι προστάττομεν. δεδομένης αὐτοῖς ἐλπίδος, καὶ θάρσους f) ὡς τῇ θρησκείᾳ μᾶλλον, ἢ τῇ τῶν ὅπλων ἐπικουρίᾳ ὀχυρωθήσονται. Ἐὰν δὲ τῇ τοῦ ἡμετέρου νόμου αὐθεντίᾳ, καὶ τῇ ἐκκλησιαστικῇ φωνῇ ὑπομνησθέντες, τῷ τόνῳ τῆς οἰκείας ἀγνοίας ἐμμένωσι, g) καὶ ὅπλα μὴ ἀποθῶνται, ἅπερ παρὰ τὸ θεμιτὸν, οὐ σωτηρίας χάριν, h) ἀλλὰ τυραννίδος, καὶ ἱεροσυλίας θρασύτητι ἐνεδέξαντο, i) γινωσκέτω-

o) Διαιτῶν, Al.
p) Τὸ τῆς βασιλείας σέβας ἐπαγγέλλεται, Al.
q) Κύκλῳ, Al.
r) Καὶ κατὰ, Al.
s) Ἀπ' αὐτῆς τροφῆς μεταλαμβάνειν, Al.
t) Καὶ διδασκόντων τιμωρίαν, Al.
v) Ἐπινεύῃ, Al.
x) Χωριζέσθω, Al.
y) Ἔσται, Al.
z) Παρασκευῇ, Al.

a) Διὰ τὸ, Al.
b) Ἀγριότητα, Al.
c) Τούτους μὴ, aut, τοῦτο μὴ, Al.
d) Τυφλώττοντα, Al.
e) Παριδεῖν, Al.
f) Ὅρκου, aut Θράσους, Al.
g) Ἐμμένωσι, Al.
h) Σωτηρίας χωρῶν, Al.
i) Ἀνεδέξαντο, Al.

νούσκετωσαν, ὡς διὰ τοσούτων, καὶ τηλικούτων παραγγελμάτων, k) ἐξευμενιαθείσης τῆς θρησκείας, παρά τε τῆς ἡμετέρας γαληνότητος, καὶ τῶν ἐπισκόπων, Θεῷ τῆς ἀπολογίας δοθείσης, κατὰ τὸ οἰκεῖον πλαῖσμα, καὶ παρ᾽ ἐνόπλων εἰσχωρουμένων ἀποσπαθήσονται, καὶ πάσαις ταῖς συμφοραῖς ὑποβληθήσονται· εὐσεβῶς τε ταῦτα εἰς αὐτοὺς γενέσεται, ἅπερ χρὴ γινέσθαι ὑπὲρ τοῦ χαλεπὰ, καὶ τραγῳδίας ἄξια ἐξαμαρτάνειν αὐτούς. Τί γὰρ ἐκ τῶν τολμηθέντων ἐναγχος κατὰ τῆς θρησκείας, καὶ τῆς θειότητος παρὰ τῶν σφόδρα ἐλεουμένων εὐλαβεῖσθαι, ἢ ὑποπλεύσειν ἡμᾶς, καὶ διὰ τοῦτο πᾶσαν ὁδὸν, ἀφορμήν τε ἀποκινῆσαι μανίας οὐ προσήκει, ἵνα μὴ, ὅπερ ἐξ ὑποδείγματος ἡ τραγικὴ l) μανία πρώτως ἐξήμαρτε, τὸ αὐτὸ καὶ αὖθις, ὅπερ ἀπείη, ἱεροσυλίας τρόπῳ τολμηθείη; ἀλλ᾽ οὔτε δίχα γνώμης, ἢ κελεύσεως τοῦ ἐπισκόπου, ἢ καὶ m) ὑμῶν τῶν δικαστῶν, τῶν κατὰ τήνδε τὴν πόλιν, ἢ καὶ ὁπουδήποτε τυγχανόντων, τὸν ὁπλισμένον ἐκ τῶν ἐκκλησιῶν χρὴ παραδίδοσθαι· ἵνα μὴ, ἐὰν κατὰ τῶν ἀθλίων πολλοῖς τοῦτο καὶ διαφόροις n) ἐξῇ, σύγχυσις ἐκ τούτου ἐγγένηται. Εὐλαβεῖσθαι γὰρ τοὺς μεθ᾽ ὅπλων φεύγοντας, πρὸς διόρθωσιν βουλόμεθα, ἀφαιρεῖσθαι τὰ o) ὅπλα, καὶ οὔτε σωτηρίαν ἐν κεφαλαίῳ. p) Καὶ τοῦτο μᾶλλον δὲ προηγουμένως, q) διὰ τοῦ νόμου τούτου θεσπίζομεν· ἵν᾽ αἱ τοιαῦται ἀθέμιτοί τε, καὶ ἱερόσυλοι κινήσεις, ἢ ἅμα τῷ ἄρξασθαι, ἐν αὐτοῖς τοῖς προοιμίοις, τῶν ὅπλων ἀποτεθέντων, τῇ καλλίστῃ νουθεσίᾳ ἡσυχάσωσιν, ἢ τῷ φαυλοτάτῳ τόνῳ ἐμμένοντες, τῶν προειρημένων ἐπισχεθῶσι λόγῳ τῆς ὑπερλάμπρου ἐξουσίας, διὰ τῆς r) κοσμιότητος, δικαιοσύνης τε καὶ ἀκριβοῦς εὐσεβείας. s) Ταῦθ᾽ ἅπερ περὶ τῆς θρησκείας σεβασμίως, καὶ μετὰ πάσης παρατηρήσεως, εὐλαβείας, τιμῆς καθαρότητος, ἁγιωσύνης, αἰδοῦς, εὐσεβείας, καὶ μάλιστα παρὰ τῶν προσφευγόντων φυλάττεσθαι, μήτε διὰ τὴν θρησκείαν τῆς φιλανθρωπίας ἀποκλειομένης, μήτε μὴν διὰ φιλανθρωπίαν θρησκείας παρορωμένης, προσετάξαμεν, τοῦ πρέποντος ὁμοῦ τῇ θεότητι, t) καὶ τῇ ἀνθρωπότητι

P. 369 ἀφοριαθέντος, διαταγμάτων προσαχθέντων, v) εἰς πάντα κόσμον, καὶ γνῶσιν πάντων περιελθεῖν φροντίσει· x) ὥστε καὶ τοὺς προσφεύγοντας διὰ τῆς τῶν ὁρισθέντων φιλανθρωπίας ἀμερίμνους τυγχάνειν· καὶ μηδενὸς προπετείᾳ τὰ εἰς τιμὴν τῆς θρησκείας τυπωθέντα διακρατεῖν.

Νόμος προετέθη ἰνδικτιῶνος y) τεσσαρεσκαιδεκάτῃ, μηνὶ Φαρμουθὶ ιβ΄.

ſciant quod *tot tantiſque denuntiationibus ac præceptis placata Religione, & a noſtra Serenitate, & ab Epiſcopis excuſatione facti Deo reddita*, pro ſui ſceleris ratione etiam *per armatorum* ingredientium *vim abſtrahentur; & omnium calamitatum generi ſubiicientur*; & ea pie aduerſus eos gerentur, quæ geri æquum eſt, pro eo quod grauia & tragica ſcelera admiſerint. Quid enim ex his, quæ nuper ſumma cum audacia aduerſus Religionem ac Diuinitatem patrata ſunt ab iis, quibuſcum admodum clementer actum eſt, non metuendum ſit Nobis ac formidandum, ita vt omnem inſaniæ viam atque occaſionem adimamus, ne, quod primum in exemplum tragica perpetrauit inſania, idem quoque denuo (quod abſit) ſacrilego more admittatur? *Sed neque abſque ſententia ac iuſſione Epiſcopi, vel etiam noſtra, & iudicum, qui in hac vrbe, aut etiam eorum, qui in quouis alio loco ſunt, armatum hominem ex Eccleſiis abſtractum tradere oportet; ne, ſi id multis atque diuerſis contra illos miſeros liceat, ex ea re confuſio oriatur.* Nam eiuſmodi cum armis confugientes metuere volumus vt corrigantur, auferri item eis arma, ne ſalutem in galea & clypeo quærant. Illud etiam, imo vero præcipue hac lege ſancimus, vt nefariæ ſacrilegæque huiuſmodi tumultuationes, vel in ipſis initiis per armorum amolitionem honeſtamque admonitionem ſedentur, vel certe, ſi in improba obſtinatione permaneant, metu *Illuſtriſſimæ poteſtatis* per moderationem & iuſtitiam & præſtantem pietatem a prædictis rebus compeſcantur. Hæc ipſa, quæ pro veneranda Religione, & cum omni obſeruantia, veneratione, honore, pietate, puritate, ſanctitate, ac reuerentia vel maxime a fugitiuis obſeruari iuſſimus, neque humanitatem propter Religionem abiiciendo, neque rurſus Religionem propter humanitatem contemnendo, eo, quod decet, tum Diuinitati, tum humanitati attributo; propoſitis edictis in totum orbem, vt ad omnem notitiam perueniant, curabis: vt & confugientes per decreti clementiam ſecuri ſint, & nullius hominis temeritate quæ ad honorem Religionis ſancita ſunt, intercidant.

Lex hæc propoſita fuit Indictione decimaquarta, duodecimo die menſis Pharmuthi, [hoc eſt, ſeptimo Aprilis.]

k) Παραγγελίας, Al.
l) Ἡ στρατιωτικὴ, Al.
m) Ἡμῶν τῶν τε δικαστῶν, Al.
n) Ἀδιαφόρως, & διαφόρως, Al.
o) Τε, Al.
p) Κεφαλαίῳ ζητεῖν καὶ, Al.
q) Προηγήσαμεν ὡς, Al.
r) Διὰ κοσμιοτάτης, Al.
s) Ἐξουσίας, καὶ εὐσεβ. Al.
t) Θειότητι, Al.
v) Προτεθέντων, Al.
x) Φροντίσῃ, Al.
y) Ἰνδικτιῶνι, Al.

In Epitome Iuliani, ita hæc ſubſcriptio habet: *Propoſita Indictione XIV. Pharmuthi menſis XII. Dat. X. Kal. April. C. P. Antiocho V. C. COS. & qui fuerit nuntiatus.*

Mox trium aliarum Legum Codicis Iuſtinianei ſub *titulo de his qui ad Eccleſ.* verba initialia ibidem deſignant, puta *legis* IV. *Si ſeruus.* V. *Denuntiamus.* VI. *Præſenti.* Quod cum vir quidam nuper non intelligeret, credidit is initialia hæc verba eſſe ex capitibus Edicti a Præfecto Auguſt. ſub quo hæc *lex* propoſita fuit.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris duæ conſtitutiones ſequuntur de Eccleſiarum Aſylo, ſeu ad eas perfugio & Immunitate, cuius tertia quoque ea de re extat *l. 22. C. Iuſt. de Epiſc. & Cleric.* Et hac quidem, non tam aſyli Eccleſiarum vſus in genere, ſeu ſecuritas Aſyli Eccleſiaſtici ſancitur (de quo ſane eſt etiam ſub eodem Theodoſio Iun. Iſidori Peluſiotæ locus *ep. 174. lib. 1.* quæ pertinere videtur ad *d. l. 22.*) quam *Sanctitas* eius ab irruentium ibique commorantium veſania ſancitur. Eſt autem ea tam Græce, quam Latine, in nonnullis tamen a Græco diſcrepans, tum *hoc Codice*, tum *Iuſtinianeo* expreſſa, reſecatis tum præfatione, tum Epilogo, tum etiam nonnullis aliis ſententiis, quæ intermixtæ fuerant. Extat enim hæc conſtitutio integra, nullum paſſa mutilationis diſpendium (excepta Inſcriptione & ſubſcriptione) *in fine Græcorum exemplarium Concilii Epheſini* cum ipſo Concilio

lio coniuncta, (a) quod ipsum Concilium hoc eodem anno D. 431. celebratum fuit, sed post hanc constitutionem. Itaque hic illam integram exprimi voluimus, non modo ob sui integritatem, verum etiam vt cum ea conferatur mutilata hæc, & interpolata, qualis in *hunc Codicem* ab eius conditoribus relata fuit constitutio. Tum & quia alia notatu dignissima ea continentur: quale illud, quod Theodosius Iunior profitetur de se & forte de Imperatoribus Christianis in genere, se Ecclesiam ingredi solere, relictis foris armis & armatis stipatoribus, itemque deposito Diademate, & quæ sequuntur: argumento, Regiam Maiestatem Deo subiectam, Deique auxilio satis tutam. Sane & Chrysostomus *tomo Sauil. 5. λόγῳ ξγ, εἰς τὴν πεντηκοστὴν p. 979.* siu. *sermon. 1. spurio in Pentecostem, quæ legitur Tom. III. edit. Benedictin. pag. 791.* id de Arcadio iam quoque memorat, Theodosii Iunioris huius Patre, Theodosii M. filio *in fin. orat.* *ὁ παρὼν βασιλεὺς διάδημα ἀποθέμενος, καὶ λαβὼν σαυρὸν, καὶ ἀώρῳ ἡλικίᾳ πεπολιωμένην δὲ σοφίαν ἐνδεικνύμενος, ἐν Ἐκκλησίᾳ βασίλειαν οὐκ ἐπιγινώσκων· ἔξω δόρατα, καὶ ἐνταῦθα μυστήρια· ἔξω ἀσπίδες καὶ ἐνταῦθα μυσταγωγίαι. Imperator hodiernus posito diademate, accepta cruce, ætatem habens immaturam, canitie dignam sapientiam exhibet: in Ecclesia imperium non agnoscit. Foris satellitium, hic mysteria; foris scuta, hic sacrorum initiationes.* Imo & *Sermone post reditum ab exilio*, apud Georgium Alexandrinum, & *tomo 4. Parif. edit. p. 971.* siu. *Tom. III. ed. Benedict. num. 2. in fin. p. 428.* *Βασιλεὺς εἰσέρχεται καὶ ῥίπτει ἀσπίδα καὶ διάδημα, σὺ εἰσῆλθες, καὶ ῥόπαλα ἥρπασας· ἐκεῖνος καὶ τὰ σύνθηματα τῆς βασιλείας ἔξω ἀφίησι, σὺ τὰ συνθήματα τοῦ πολέμου ἐνταῦθα εἰσήνεγκας. Imperator intrat & proiicit clypeum & diadema: tu intrasti, & clauas arripuisti. Ille Imperii symbola foras relinquit, tu belli symbola intromittis.* Tum etiam quia ex hac quoque integra constitutione, caussam eius ferendæ discere licet. Tandem ex *hac lege* collata cum *integra illa constitutione*, illud videre erit, quantum sibi tribuerint *huius Codicis Theodosiani* Conditores, in interpolandis, excerpendis constitutionibus; quod alioqui aliunde quoque discimus. Nos in ea interpretanda eo breuiores erimus, quo ea prolixior fuimet prope interpres est.

A ferendæ huius constitutionis *occasione* initium facere optimum erit. Memorat igitur Socrates *lib. 7. c. 33.* (& ex eo Nicephorus, *lib. 14. c. 32.*) horum temporum Scriptor, paulo ante Concilium Ephesinum, cuiusdam præpotentis viri seruos (genere Barbaros) cum immanem heri sui sæuitiam ferre amplius non possent, *ἀπηνοῦς τοῦ δεσπότου πειρώμενοι* (quod initio *huius legis* respondet) Constantinopoli ad Ecclesiam confugisse, gladiisque cinctos, *ξιφήρεις ὄντας*, ad Altare, *εἰς τὸ θυσιαστήριον* prosiliisse: Rogatos, vt inde abirent, nullo modo obsequi voluisse, sacrisque ministeriis obeundis impedimento fuisse: quin etiam complures dies strictos gladios tenuisse, paratos ad quemcumque qui se adiret, obtruncandum. Itaque Clerico vno interfecto, altero vulnerato, ad extremum sibi ipsis necem consciuisse. Hæc Socrates. Marcellinus Comes quoque *in Chronico* his ipsis Consulibus (*Antiocho & Basso* inquam,) rem hanc memorat, sed non ita distincte: *Barbari*, inquit, *Vrbe Augusta enutriti ad Ecclesiam nostram hostili ritu confluunt, ignem in Ecclesiam ad comburendum Altare, dum infesti faciunt inuicem: sese, resistente Deo,* trucidant. Denique integra hæc Theodosii Iunioris Constitutio hanc rem non vno loco perstringit. Primum *initio ipso, vers. ὅθεν εἰ καὶ. Quapropter licet;* Vbi *βαρβαρικῆς* istius *μανίας* meminit rursum *fine legis, vers. τί γὰρ ἐκ τῶν τολμηθέντων. Quid enim ex his quæ nuper.* Hæc igitur illa est Tragœdia Constantinopolitana, quæ huic constitutioni occasionem præbuit. Quæ vt habetur in *integra constitutione*, & in *Epitome Iuliani*, Proposita fuit duodecimo mensis Pharmuthi. Vnde quidam colligebat, hanc *leg.* promulgatam *Alexandriæ*.

Finis vero huius Constitutionis hic est, vti dixi, non tam vt Ecclesiasticorum Asylorum ius & securitas seu immunitas Ecclesiarum firmetur, (etsi obiter quoque *d. initio legis*, & *vers. nec in extrahendis*, asyli Ecclesiastici ius sanciatur aduersus vim extrahentium) quam vt Ecclesiarum hinc *Sanctitas* aduersus *ὕβριν* omnem sanciatur, aduersus irruentium in eas seu confugientium vesaniam, inde reuerentia loci non violetur. Scilicet, vt Ecclesias humanitati, iusteque timentibus *τοῖς αἰδέσιν*, p. 370
vel τοῖς δεδιόσιν patere voluit Theodosius Iun. (quod *huius legis initio* præfatur) ita eas eo obtentu violari seu contaminari noluit irruentium vesania: quod integra constitutione non vno loco expressum est.

Media vero quibus id assequatur, ex illius ipsius Tragœdiæ, quam *supra* memorauimus, occasione, hæc Theodosius proponit. Primum FINES & terminos Immunitatis Ecclesiarum Ecclesiasticique Asyli, ampliat augetque, *εὐρυτέρους κόλπους*, vt in *integra constitutione* dicitur, vt ita ipsum *Sacrarium* Templi (quod *θυσιαστήριον Altare* vocat) itemque *εὐκτήριον* (id est *Oratorium*) ab irruentium temeritate, audacia & turba, si quid forte tale contingat, vt in prædicta Tragœdia euenerat, ad ipsum *Sacrarium*, vindicetur. Itaque Immunitati isti seu Asylo Ecclesiastico patere vult, non tantum *θυσιαστήριον*, seu *Altarium*, imo non tantum *εὐκτήριον ναόν*, vel Sacrarium vel Oratorium *ἐνδότατον ναόν*, quod quatuor murorum, seu parietum septu includitur (quod Narthex dicitur & *ἱερὰ περιοχὴ, τοῦ ναοῦ περιβόλαιον, θεῖοι περίβολοι τῆς Ἐκκλησίας*) verum extra id laxius aliquod *πλατύτερον διάστημα* & *περίοδον* & *μακρότερον χώρημα*: quicquid scil. extra, seu trans Templum ad primas vsque fores ambitus Ecclesiastici seu Templaris, per quas populus oratum gestiens Oratorium ingreditur. Quod quidem inter medium spatium cellulis, domibus, hortulis, balneis, areis, porticibus occupabatur. Et hæc quidem ita nunc Theodosius Iun. Antea quippe solum *θυσιαστήριον* & Templum, Ecclesiastico asylo cedebat, quod ex Chrysostomi *Homilia 1. in Eutropium*, discimus, qui ibi *θυσιαστηρίου* nominatim & *τραπέζης ἱερᾶς* passim meminit: vt & ex altera quæ dicitur habita eo tempore, quo Eutropius extra Ecclesiam deprehensus est, *tomo 3. edit. Parif. p. 768.* siu. *Tom. III. Edit. Benedictin. num. I. pag. 386.* *Μὴ λέγε, ὅτι προεδόθη ἀπὸ ἐκκλησίας ὁ προδοθεὶς, εἰ μὴ ἀφῆκε τὴν ἐκκλησίαν, οὐκ ἂν προεδίδοτο. μὴ λέγε, ὅτι καὶ κατέφυγε καὶ προεδόθη· οὐχ ἡ ἐκκλησία αὐτὸν ἀφῆκεν, ἀλλ' αὐτὸς τὴν ἐκκλησίαν ἀφῆκεν. οὐκ ἔνδοθεν παρεδόθη, ἀλλ' ἔξωθεν, διὰ τί κατέλιπε τὴν ἐκκλησίαν; ἐβούλου σώζεσθαι; ὤφειλες κατέχειν τὸ θυσιαστήριον. οὐκ ἦσαν ἐνταῦθα τοῖχοι, ἀλλὰ Θεοῦ πρόνοια ἡ ἀσφαλιζομένη. Ne dicas eum, qui prodi*tus

(a) Expunxit Constitutionem Cl. HARDVINVS in Collectione Conciliorum, cum fatente BINIO ad Concilium Ephesinum nullo modo pertinat. Post aliorum curam, qui ad Codd. MSS. excudendam dederunt, cum MS. Segui optime note denuo collatam, studio NICOLAI COLETI, ex *Tom. III. Conciliorum Sacrosanct.* Edit. Venet. *pag. 1751. 1752. seqq.* edidi, additis Variantibus.

ditus est, ab Ecclesia proditum esse: nisi deseruisset Ecclesiam, captus non fuisset. Ne dicas ipsum confugisse, & proditum fuisse: non Ecclesia ipsum dimisit, sed ipse Ecclesiam dimisit. Non intus proditus est, sed foris. Cur reliquit Ecclesiam? Te seruatum volebas? Altare complecti oportebat: non hi muri, sed Dei prouidentia te tutum præstare poterat. Et mox: Μένε εἰς ἐκκλησίαν, καὶ οὐ προδίδοσαι ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. ἐὰν δὲ φύγῃς ἀπὸ ἐκκλησίας, οὐκ αἰτία ἡ ἐκκλησία. ἐὰν μὲν γὰρ ἦς ἔσω, ὁ λύκος οὐκ εἰσέρχεται. ἐὰν δὲ ἐξέλθῃς ἔξω, θηριάλωτος γίνῃ. *Mane in Ecclesia, & non proderis ab Ecclesia. Quod si fugeris ab Ecclesia, tunc Ecclesia in causa non erit. Nam si intus fueris, lupus non ingreditur; sin exieris, a bellua capieris.* Et in sequentibus, vbi de muris agit Ecclesiæ. Denique historiæ quoque Ecclesiasticæ Scriptores, cum de illo Eutropii ad Ecclesiam perfugio agunt, pariter θυσιαστηρίου & ἱερᾶς τραπέζης meminere: Socrates, *lib. 6. cap. 5.* Sozomenus *lib. 8. cap. 7.* Quanquam & βήματος idem Chrysostomus meminit, *Homil. I. in Eutropium, num. 3. init. pag. 383. edit. Benedictin.* quæ pars Templi erat, Altari proxima, in quam solis Sacerdotibus, vel sacris ordinibus initiatis ingredi licebat. Vid. Gregor. Nazianzenum, *initio orat. 28. pag. 473. edit. Coloniens. siu. Lips. apud Weidmann.* & Ius Græco-Romanum. Denique βῆμα, est Sacrarium. Sic sane etiam Gentilium Templorum Asylis certum, præter ipsum Templum, spatium adsignatum quandoque, quo ius Asyli procurreret: Vide de Ephesino Asylo Strabonem, *lib. XIV. pag. 641. edit. Paris. 1620.* siu. *pag. 950. edit. Almelouen.* de Hiero Cæsariensi Tacitum, *lib. 3. Annal. cap. 62.* de quo mox. In Synodo Toletana, quæ refertur, *caus. 17. q. 4. c. 35.* triginta passus ab Ecclesiæ ianuis tributi; Nicolaus, *caus. 17. q. 4. c. 6.* Maiori Ecclesiæ per circuitum 40. passus tribuit; capellis vero vel minoribus Ecclesiis 30. Videatur & Ioannes PP. in *c. 21. d. causa 17.* In decretione Clotharii R. ad legem Salicam, *l. 13. Nullus latronem vel quemlibet culpabilem, sicut summis Episcopis conuenit, de atrio Ecclesiæ trahere præsumat. Quod si sunt Ecclesiæ, quibus atria clausa non sint, ab vtraque parte parietum terræ spatium arpennis pro atrio obseruetur.* Similiter hodie Ecclesiæ immunitas hoc gaudere priuilegio dicitur, non tantum quoad suam fabricam, eiusque capellam, verum etiam si quis *intra septa* (quæ *hac* quoque *leg.* nominantur) confugiat: id est, loca omnia quæ sepe aut muro circumdata sunt, aut valle munita: nec a portico Ecclesiæ quis extrahi potest, nec ab ostio, nec a scala, nec ex *atrio*, nec ex cœmiterio, de quo Giurba *cons. 8. l. 20.*

Ex his interim apparet, quæ Templorum (Constantinopolitanorum nominatim) facies tum fuerit. Erat Templum ipsum, seu ναός: idque quatuor murorum ambitu, seu περιβολῇ septum: quadratum denique, τετλάρων τῶν τειχῶν περιβολῇ τειχιζόμενον, vt habet *lex* nostra: vt *Integra lex* habet, τετραγώνων τοίχων, vt interpretatio habet, *quadripertito intrinsecus parietum septu conclusum.* Vide similem Apostolorum Templi Constantinopolitani descriptionem *apud Auctorem vitæ Constantini, lib. 4. cap. 59.* Ipsius Templi duæ partes hic memorantur: Primo θυσιαστήριον, id est, *Sacrarium*, vbi Altare, vnde & *Altarium*, pro ipso Sacrario, vt *lex Latina* habet, sed & *Glossæ* Cyrilli θυσιαστήριον, *Altarium, Sacrarium.* Secundo τὸ εὐκτήριον τοῦ λαοῦ, seu εὐκτήριος ναός, Templi pars illa, quæ Oratorio destinata, id est, populo oratum gestienti, vt mox dicitur, & oranti. Eædem *Glossæ* Cyrilli, εὐκτήριον, *Oratorium.* Ergo θυσιαστήριον & εὐκτήριον τοῦ λαοῦ hic separantur. In hoc stabat populus: in illo, Clerus: & sic Altare, seu θυσιαστήριον generaliter pro *Presbyterio*: quod ex aliis quoque locis constat, cum alias *Altare*, a Choro & Presbyterio separetur:

vide & Theodoretum *lib. 5. cap. 17. sub fin.* & *cap. 57. lib. 2. constitut. Apostolicarum.* Atque hoc Templum ipsum, seu ναός erat, idque τῶν τετλάρων τειχῶν περιβολῇ τειχιζόμενον.

Circa Templum vero & extra id, Ecclesiastici sepii modus aliquis terræ, & περιόδος præterea erat, quæ περίβολος ἐκκλησιαστικὴ hic dicitur, *vers.* τὰς τοίνυν, atque illud proprie *Septus*, vel *Septum* Ecclesiæ. Hinc septorum Ecclesiæ frequens mentio apud Scriptores medii æui, Iulianum *Nou. de Testibus*, Iuonem *part. 16. can. 186.* in Concilio Quarto Aurelianensi *Can. 21.* Capitularium *lib. 5. tit. 177. & 219.* Quale habuerunt etiam Gentiles, quorum etiam exemplum in ipsamet integra constitutione aduocat Theodosius Iun. qui quidem certus agri modus erat circum Templum, Templo subiacens sub dio, vitibus aut arboribus clausus, muroque cinctus, Deo ipsi cuius Templum erat dicatus, & Sacerdotum vsibus proficiens: Vnde & περίβολος apud Pausaniam pro *Sacello* locoque consepto sine tecto, muro tantum clauso: vbi de Amphiarao, de quo περιβόλῳ, seu consepto Ælianus, *lib. 17. cap. 47. Histor. anim.* ἐν τῷ ναῷ περιβόλῳ τιθασσοὺς ὄρνιθας πολλοὺς τρέφεσθαι φησί. Themistius *initio orat. 4. in Imperatorem Constantium, pag. 49. edit. Hard.* de Templo Mineruæ apud Saidem, περὶ τὰς σκηνὰς καὶ τὰ κράσπεδα τοῦ περιβόλου, *circa tentoria atque extremos templi ambitus.* Quod Græci περίβολον, Latini *conseptum* dixere. Glossæ *conseptum*, περίβολος Apuleius *lib. 11. Metamorphos. pag. 251. edit. Pricæi*, & *pag. 227. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire. Ædibusque*, inquit, *conductis intra conseptum Templi larem temporarium mihi constituo.* Et Solinus *cap. 1. init. Conseptum etiam*, inquit, *intra quod ritus Sacrorum, factis bouicidiis, docuit Poticios:* vbi tamen *conseptum* pro ipso ferme *Templo* seu æde, quomodo & Græci ferme P. 371. περίβολον. Sic Arnobius quoque *lib. 6. aduers. gent. pag. 193. edit. Lugd. Batau. apud Ioan. Maire 1651. in 4. conseptum Eleusinum*, seu *Eleusinium*, quod Clemens Alexandrin. *Admonition. ad gentes, pag. 29. edit. Paris. Frid. Sylburg. 1629.* περίβολον vocat, ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ ἐλευσινίου, *in ambitu Eleusinii.* Diodorus pariter de Psammeticho scribit *lib. 1. Biblioth. histor. pag. 42. edit. Henrici Stephan.* Τῷ μὲν ἐν Μέμφῃ θεῷ τὸ πρὸς ἕω προπύλαιον κατεσκεύασε, καὶ τῷ ναῷ τὸν περίβολον. *Deo enim in Memphitana ciuitate propylæum exstruxit orientem versus, & templum ambitu circumdedit.* Herodianus *lib. 1. cap. 14.* κατέφλεξαν δὲ τὸ πῦρ τόν τε ναὸν, καὶ πάντα τὸν περίβολον, *consumptum autem ignibus templum, & omnis eius ambitus.* Pollux *Onomast. lib. 1. cap. 1. segment. 10. pag. 9. edit. Hemsterhuis.* οἱ ἀνειμένοι θεοῖς τόποι, ἄλση τε καὶ τεμένη, καὶ ἕρκη, καὶ ὁ περὶ αὐτὰ κύκλος, περίβολος. *Diis consecrati loci sunt, nemora luci, & sacra septa; hæc vero ambiens circulus,* περίβολος, id est, *ambitus appellatur.* Est igitur hoc *conseptum* velut Ecclesiæ seu Templi subiectum territorium, modus quidam terræ adiacens. Nam & Glossis περίβολος, *territorium:* Est itaque modus quidam terræ Templo subiectus, isque vallo siue aliter circumdatus, vt in illo Propertii:

Hunc Tatius fontem claustro præcingit aceruo,
Fidaque suggesta castra coronat humo.

Atque id vallum, hoc conseptum foribus adibatur, quas hæc *lex* vocat & *primas* & *extremas* fores Ecclesiæ, ἄχρι τῶν τελευταίων θυρῶν τῆς ἐκκλησίας: & mox, ἄχρι τῶν πρώτων μετὰ τοὺς δημοσίους τόπους τῆς ἐκκλησίας θυρῶν.

Intra hoc conseptum seu *διάστημα* (vt *hac lege* quoque vocatur) varia erant adiacentia seu subiacentia Templo: παρακείμενα, vt hæc *lex* loquitur: possis dicere *subtemplaria*, vt *suburbana* & *sub*-

vrbicaria: Adiacentia vt leg. 1. infr. de bonis vacantibus: Erant inquam, inter alia hæc sex οἰκίαι seu οἰκήματα, διαῖται, κῆποι, αὐλαὶ, λȣ̃τρα, στοαὶ, id est, *domus, cellæ, horti, areæ, balnea, porticus:* quæ ipsa ferme memorat Auctor *vitæ Constantini lib. 4. cap. 59.* in descriptione Templi Apostolorum: Nam post descriptionem ipsius Templi, hæc subiicit, ἀμφὶ δὲ τȣ̃τον, αἴθριος ἦν αὐλὴ παμμεγέθης, εἰς ἀέρα καθαρὸν ἀναπεπταμένη. ἐν τετραπλεύρῳ δὲ ταύτῃ στοαὶ διέτρεχον, μέσον αὐτῷ νεῷ τὸ αἴθριον ἀπολαμβάνȣσαι. οἶκοι τε βασίλειοι ταῖς στοαῖς, λȣ̃τρα τε καὶ ἀνακαμπτήρια παρεξετείνετο, ἀλλά τε πλεῖστα καταγώγια τοῖς τȣ̃ τόπȣ φρȣροῖς ἐπιτηδείως εἰργασμένα. *Circa ipsum templum ingens erat area, libero ac patente desuper cœlo. Cuius ad quatuor latera, porticus erant sibi inuicem coniunctæ, quæ aream in medio sitam, vna cum ipso templo circumcingebant. Præterea basilicæ, lauacra, diuersoria, & alia plurima habitacula ad vsum eorum, qui locum custodiebant, porticibus applicita, earum longitudinem æquabant.* Quæ omnia ferme habuerunt & Gentilium Templa. Præter Pollucem (cuius verba *supra* consignauimus) memorat Pausanias inter alia *lib. 10.* Mineruæ prope Elatem Phocidis Templum, vbi erant στοαὶ καὶ οἰκήσεις διὰ τῶν στοῶν ἔνθα οἰκȣ̃σιν, οἷς τὴν θεὸν θεραπεύειν κατέστηκε, καὶ ἄλλοις καὶ μάλιστα τῷ ἱερωμένῳ. id est, *& Porticus in quibus cellæ per interualla, vbi & alii habitabant Deæ ministri, & maxime qui sacris præerat.* Atque in hoc censu erant quoque παστάδες, seu *Pastoforius* in atrio Templi, & πρόδομοι, quorum mentio apud Hesychium, in *Gloss. Isidori*, & apud Interpretem *Esdræ*. Erant itaque in Pronao hæc omnia, id est, ante Templum; *cellæ* primum, quæ οἰκίαι seu οἰκήματα vocantur, quarum in superiore Pausaniæ loco fit mentio, de quibus dicitur *infr. tit. de Episcop. & Cleric.* vt & de cæteris, de quibus *hac leg.* agitur. Erant alioquin etiam (vt hoc extrinsecus addam) alicubi circa Templa & Ecclesias domus Episcopi, itemque Clericorum, Xenodochia, Nosocomia, Ergasteria: de quo est locus insignis Basilii, *ep. ad Heliam Rectorem prouinciæ 371.* Nos ad περίβολον & septum, imo cœptum nostrum redeamus.

Hoc totum itaque spatium subiacens, adiacens Templo, haud aliter atque ipsum Templum, Asylo cedere vult *hac l.* Theodos. Iun. & vt ipse loquitur, καθ' ὁμοιότητα τȣ̃ ναȣ̃, id est, *interioris Templi vice:* Sic vt inde non magis quis extrahi possit, quam ab ipsomet Templo. Ne alioquin si solum Templum in Asylum cederet, vel solum Sacrarium, diuinum Officium turbetur; vel si vim adhiberi contingat, loci Sanctitas violetur: quod vtrumque eueneat, in ea specie, quæ *huic legi* occasionem præbuit. Neue, quæ ratio *h. l.* exprimitur, confugis ipso Templo & Sacrario *manere vel edere* eueniat, (ita enim hic legendum est, quomodo & Græca habent μένειν ἢ ἐσθίειν ἢ καθεύδειν, ἢ παννυχίζειν, non *mane vel vespere*) item *cubare vel pernoctare* contingat. Quare & illud confugis *h.l.* interdicitur, ne scilicet horum aliquid intra templum fecisse velint.

Sane & Gentilibus vt sua fuerunt Templorum Asyla, ita τῆς ἀσυλίας ὅρȣς certos fuisse scimus. Sane memorat Strabo *lib. 14. p. 950.* Templum Ephesinum Asyli ius habuisse, τῆς δὲ ἀσυλίας τȣ̀ς ὅρȣς ἀλλαγῆναι συνέβη πολλάκις: nempe ait Strabo terminos Asyli istius sæpe immutatos: Alexandrum Asylo stadium adsignasse: Mithridatem, quantum sagitta ab angulo tecti emissa pertingeret, quod stadio paulo longius fuit spatium. Antonium id duplicasse partemque Vrbis Asylo adiecisse. Tandem cum visum fuisset βλαβερὸν damnosum, καὶ ἐπὶ τοῖς κακȣ́ργοις ποιεῖν τὴν πόλιν, id Augustum abrogasse. Sic & apud Tacitum *lib. 3. Annal. c. 62.* Hiero-Cæsarienses in Lydia memorant Persicæ Dianæ delubro Perpennam Isauricum multosque alios Imperatores non modo Templo, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuisse.

Vt ad Ecclesiarum Asyla redeamus. Edita haud ita pridem sub Honorii & Theodosii nomine constitutio, quæ & *Data* dicitur *Rauennæ, Monaxio & Plinta COSS.* in *append. Cod. Theod.* qua quinquaginta passibus vltra Basilicæ fores Ecclesiasticæ venerationis sanctitas seu securitas tribuitur: atque eo loco quisquis tenuerit exeuntem, sacrilegii crimen incurrere iubetur. Nempe vt in luce vestibuli eis aperiatur egressus, & aura liberior non negetur afflictis: Verum quid de hac *Constit.* & similibus iudicandum sit? semel dixi: Et hæc de primo medio ad sanctitatem Ecclesiastici Asyli vindicandam. Sequuntur duæ limitationes, ad sanctitatem Ecclesiæ tuendam ab eorum vesania, qui ad Ecclesias confugiunt.

Secundo igitur, *vers. hanc autem:* & rursum, *vers. proinde*, vetat hac constitutione Theodosius, ne cui confugientium, in ipso Dei Templo, vel prope Altaria, ἀγχȣ̃ θυσιαστηρίοις, vel vt ipsa integraque constitutio habet, ἐν θυσιαστηρίοις *manere* (ita enim reponendum docent Græca μένειν) vel *vespere* (γρ. *vescere:* Græca enim habent ἢ ἐσθίειν) *cubare* καθεύδειν vel *pernoctare*, ἢ παννυχίζειν, fas sit: & quomodo *vers. proinde*, habetur, *somnum intra Templum siue ad ipsum Altare, vel omnino cibum capere:* vbi vides pariter *cibum capere*, quod respondet illi *vescere*. Sic Tertullianus *de Ieiuniis, cap. 5. pag. 704. Quis non vescet carne? venerunt in mentem nobis pisces, quos in Ægypto edebamus gratis*, &c. Id vero a Clericis prohiberi vetat *hac l.* Theodosius: eosque adeo confugis designare debere spatia διαστήματα, seu conseptum seu περίβολον, vbi id facere possint, pari securitate.

Tertio Theodosius Iun. Arma non iam intra Templum modo, sed & intra conseptum omne, de quo *supra*, confugas habere vetat; alioquin Episcopi authoritate & solorum Clericorum conuentione arma deponere iubentur. Qua parte etiam Theodosius Imp. modum huius conuentionis & commonitionis Clericorum ad arma deponenda formam & formulam præscribit; *data*, inquit, *eis fiducia, quod Religionis nomine melius quam armorum præsidio muniantur:* ait, *Data fiducia*, recte; quomodo & Græcus contextus integer habet inter Acta *Concilii Ephesini*, διδομένης αὐτοῖς ἐλπίδος καὶ θάρσȣς, ὡς, &c. Et tamen Græca versio hic habet, διδομένης αὐτοῖς ἐλπίδος καὶ ὅρκȣ, &c. quomodo etiam habetur *Cod. Iust.* & Photius citat p. 372.
tit. 9. cap. 27. Vbi tamen Balsamo notat, *in Basilicis* nihil tractari *de iureiurando*. Et tamen Interpretes hodie tumultuantur de quonam *ibi* iureiurando agatur. Et Cuiacius quoque *lib. XII. obs. 26.* interposito iureiurando hanc fiduciam datam ait, eosque reprehendit, qui *ibi* legunt, καὶ θάρσȣς. Verum ridicula omnino *ibi* vox hæc ὅρκȣ est, & iam ab antiquo; Theodosius enim Imp. nihil aliud hic voluit, quam vt Clerici armis cinctum conuenirent & commonerent vt arma deponat; hac fiducia data, hac ratione, quod Religione magis tutus sit quam armis. Et certe mox id ita rursum effert. *Sed si Ecclesiæ voce moniti, post tot tantorumque denuntiationes, noluerint arma relinquere* &c. Tandem quis hic iuriiurando locus esse possit?

Post hæc si qui armati venerunt, arma neque tum deponant, moniti voce Ecclesiastica ἐκκλησιαστικῇ φωνῇ, id est: Ecclesiasticorum seu Clericorum: vel (vt habet lex Latina) *voce Ecclesiæ*, id est a Clericis; hoc casu, etiam ab armatis vi extrahi debent, Episcopo tamen prius consulto, & non sine iussione Principis, vel Iudicum Vrbis. Priusquam igitur quisquam eorum, qui metu aliquo ad Ecclesias confugiunt armati, ξιφηφόροντες, abstrahantur, arma deponere nolentes, tria requiruntur; Primo,

vt *commonitio* Clericorum & Episcopi authoritas præcesserit, cui confuga parere noluit. Secundo post hæc, iussio *Principis*, vel sane *Iudicum*. Tertio *Episcopo consulto* adhuc *hac lege* in hac specie. Hæc tria requiruntur, vt armati ab Asylo Ecclesiastico abstrahi possint, ne alioquin, si alia forma obseruetur, hæcque negligatur, & promiscue armatos abstrahere liceat, generetur confusio, συγχυσις & (vt in Græco amplius est) καὶ ταραχή: scilicet Clericis forte ipsis vim adhibentibus, & confugis contra nitentibus; quod ipsum euenerat in ea specie, quæ *huic legi* occasionem præbuit. Non est scilicet passim & promiscue permittendum, neque publice expedit permitti Religionem violatam armis præsertim vindicare, ne turbarum & cædium occasio præbeatur. Igitur Magistratus, & seculi hoc negotium est, Religionem armis violatam, armis vindicare: vt *h. l.* ostendit. Sed neque Dominis id *h. l.* permittitur, de quo ad *l. prox.* Et nominatim quidem in specie *huius l.* Armatos arma deponere nolentes, ad commonitionem ipsorum Ecclesiasticorum Magistratuum secularium iussione extrahi permittit *h. l.* Theodosius Iunior: sic vt omnibus casibus subdantur, & quacunque tandem ratione extrahantur. Quod quidem & si in hac hypothesi constitutum, attamen recte producitur ad quoscunque alios, quibus ius Asyli Ecclesiastici non patet, veluti ad flagitiosos & debitores potissimum publicos, quos ab Ecclesia abstrahere Magistratui fas est: de quo videndi Doctores; & firmatur iure diuino, *Exodi cap. 21. v. 14. Deuteron. c. 19. v. 12.* & exemplo Ioabi *3. Reg. 2.* Iure Canonico quid in hanc partem cautum, etiam alii monuere. Certe communi Gallorum, Germanorum Hispanorum, Venetorum consensu comprobatum hoc ius: Episcopo tamen prius consulto. Quæ consulendi Episcopo lex seu conditio placuit quoque Visigothis *lib. 3. cap. 5. Etiamsi contigerit homicidam voluntarium ad Altare sanctum fortasse confugere, non quidem præsumat eum absque consultu Sacerdotis, persecutor eius abstrahere.* Datum scilicet hoc Reuerentiæ Episcopali, & quidem Patriarchæ Constantinopolitano in sp. *huius leg.* vt multa alia, quæ consultis Episcopis fieri olim vetita, ἄνευ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου: Non quasi legem hi dare, aut reniti possent: sed vt consultius & sine tumultu res perageretur. Vnde in practica seruatur, vt Iudex secularis hanc potestatem extrahendi habeat sine authoritate Episcopi: quod fatetur magna Pragmaticorum pars. In quibus & Clarus, qui ait, *hanc communem esse opinionem*: addita ratione. *Quia Prælati & Iudices Ecclesiastici reddunt se in hoc valde difficiles, & dum requiritur & expectatur licentia, sæpe Clerici faciunt delinquentes aufugere.* Cui accedit proxime Fabri doctrina, *cum grauiora sunt crimina, quorum impunitas per immunitatem* (scilicet Ecclesiasticam) *quæritur, vulgo creditum est non esse necessarium, vt vllus Episcopi consensus ad permittendam prehensionem requiratur: tutius tamen fuerit & religiosius omni casu requiri.* Denique multorum sæpe consensus ex honestate & ciuilitate requiritur, quorum dissensus postea non attenditur, quoque nil obstante vlterius pergi potest.

De SERVIS *ad Ecclesiam confugientibus: Theodosii Iun.* lex. V. (a) Idem AA. Hierio (b) P.P.

SVPER (c) confugientibus ad sanctæ religionis altaria (d) sanctionem in perpetuum valituram credidimus promulgandam, vt si quidem SERVVS cuiusquam Ecclesiam, altariaue, loci tantum veneratione confisus, sine vllo telo (e) petierit, is non plus vno die ibidem dimittatur, quin domino eius, vel cuius metu pœnam imminentem visus (f) est declinasse, a Clericis, quorum interest, nuntietur. Isque eum, inpertita indulgentia peccatorum, vt (g) nullis residentibus iracundiæ menti reliquis, (h) in honorem loci, & eius (i) respectu, ad cuius auxilium conuolauit, abducat. Quod si * armatus, nullis hoc suspicantibus, inopinus (k) inruerit, exinde protinus abstrahatur: vel certe (l) continuo domino, vel ei, vnde eum tam furiosa formido proripuit, indicetur, eique mox abstrahendi copia non negetur. Sed si armorum fiducia resistendi animos insania inpellente conceperit, abstrahendi (m) abripiendique eum domino, quibus potest id efficere viribus, concedatur. Quod si illum etiam confici (n) in concertatione pugnaque contigerit, nulla erit eius noxa, nec conflandæ criminationis relinquetur occasio, si is qui ex statu seruili in hostilis & homicidæ condicionem transiuit, (o) occisus sit. Quod si quæ tam sunt vtiliter constituta, eorum (p) qui huic rei pro suo præficiuntur officio, aut negligentia, aut conhibentia, (q) vel aliqua ratione, fuerint deprauata, animaduersio iusta non deerit, vt sub Episcopalis diiudicationis arbitrio, loco eo quem tueri nequiuere,
P. 373 submoti, & reiecti in ordinem plebeiorum motum iudiciarii vigoris excipiant. Dat. V. Kal. April. Constatinop. Valerio, & (r) qui fuerit nuntiatus. [432].

NOTAE.

(a) Lex 4. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est. *GOTHOFR.*
(b) *Imperio* in *Cod. Iust.* pessime. *Hierius* PP. Orientis sub Theodosio Iun. V. *Prosopogr.* *ID.*
(c) Deest hæc prima sententia a *Cod. Iust.* *ID.*
(d) *Altaria* hic pro ipso Templo, & quidem toto. *ID.*
(e) *Teli* appellatione & hic omne armorum genus exaudiendum; vt docet *infr. vers. quod si armatus.* Quomodo & in *XII.* quod vulgatum. *ID.*
(f) Id est, *declinauit.* *ID.*
(g) γρ. *Et*: vel, *vt*, pro *velut.* *ID.*
(h) γρ. *Reliquis*, id est, *reliquiis*: vt etiam est in *Editione Tiliana.* *ID.*
(i) Clerici videlicet. *IDEM.*
* Hinc iam desumpta est *lex* 4. *C. Iust.* *ID.*
(k) *Inopinatus*, Cod. Iust. *RITTER.*
(l) Deest hæc vox a *Cod. Iust.* *GOTHOFR.*
(m) *Arripiendi extrahendique*, Cod. Iust. *Abstrahendi*, abest ab Edit. in 4. *RITTER.*
(n) *Configi*, in *Cod. Iust.* non ita bene. *GOTHOFR.*
(o) *Transiliit*, Cost. Iust. *ID.*
(p) Clericorum videlicet. *ID.*
(q) Ita passim scriptum, *C. Iust.* *ID.*
(r) *Et Ætio*, ita *Cod. Iust.* neque male. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

De Servorvm (itemque aliorum qui Dominos adgnoscunt, veluti Actorvm &c.) ad Ecclesiam perfugio, est haec altera Theodosii Iunioris constitutio, & quidem a superiore paulum diuersa, vtpote restincto iam seruorum Barbarorum tumultu, qui superiorem quodammodo extorserat. Neque enim aut tempus vllum *superiore lege* praefixum fuerat Clericis ad reddendos seruos Dominis, qui ad Ecclesiam confugerant, neque ipsis Dominis permissum fuerat eos renitentes vi ab Ecclesia abstrahere. Quod vtrumque *hac lege* fit. Qua distinguitur inter seruum inermem, & armatum ad Ecclesiam fugientem. Et sic duo capita sunt *huius legis*.


Primo scilicet capite, quod est de *Inermi*, cauet Theodosius Iunior, ne plus vno die seruus confuga a Clericis retineatur, sed Domino nuncietur, eo fine, vt Dominus deposito mentis aestu, &, vt loquitur eleganter lex, *nullis residentibus iracundiae menti reliquiis, in honorem Ecclesiae & eius* (siue *loci*, siue *Clerici*) ad cuius auxilium conuolauit, impertita indulgentia peccati, seruum abducat. Sicut seruo suo diutius Dominus carere non debet; ita satis est vel vnum diem, πρὸς ὥραν (vt loquitur D. Paulus) irato Domino seruum eripi, vt hac modica mora ira Domini molliatur, accedente loci Religione & deprecatoris alicuius respectu. Nempe, seruis iram Domini fugientibus duplex hoc perfugium erat, Ara seu Templum, & Deprecator: cuius multa testimonia, luculentum inter caetera in *epistola ad Philemonem*. Vtrumque hoc seculo concurrebat in seruis ad Ecclesiam confugientibus: imo nihil aliud ad Ecclesiam perfugium erat, quam Clericorum deprecatio seu intercessio. Augustinus *epist. 230. siu. 115. edit. Benedictin.* de Fauentio conductore saltus cuiusdam: *Is*, inquit, *cum ab eiusdem possessionis domino nescio quid sibi metueret, ad Hypponensem confugit Ecclesiam, & ibi erat, vt confugientes solent expectans, quomodo per intercessionem nostram sua negotia terminaret.* Idque est quod *h. l.* dicitur, *eius respectu, ad cuius auxilium conuolauit*, de qua intercessione dictum est *ad l. 3. supr.* Et haec de primo capite: vbi interea notandum est spatium istud vnius diei, cui affine est decendium, quod datum quoque confugis ad Statuas Principum Theodosii Magn. *leg. vnic. supr. de his qui ad statuas confugiunt:* vbi quoque aliquid dixi.

Secundum caput est de seruis *armatis* in Ecclesiam irruentibus. Hi scilicet illico non expectato diei vel vnius lapsu (vt superiore casu) domino statim indicari, reddique debent: Ita quidem, vt renitentem Dominus abstrahere possit, quibuscumque potest viribus; adeo etiam, vt si in concertatione seruus occisus fuerit, Dominus culpa vacet. Est igitur hic casus addendus caeteris, quibus se cuique sine Iudice vindicare licet, & cui occidisse sine fraude est, & quidem (quod obseruandum maxime) etiam in ipso Ecclesiae gremio, citra metum Religionis violatae. Ecclesia scil. sinum suum quidem pandit seruo poenam imminentem, iramque Domini fugienti, vt *superiore capite*: Sed non (vt eleganter hic dicitur) *ex statu seruili in hostilis & homicidae conditionem transeunti*: vel (vt habet *Cod. Iust.*) *transilienti*.

Tandem subiicitur, quod subiici maxime oportuit (vt etiam ex dictis *ad l. 1. & 3. supr.* liquere potest) poena in Clericos seruis patrocinium praebentes, aduersus ea quae superius constituta sunt. Nempe hoc illud est, quod maxime coërceri oportuit. Nam vt de Receptatoribus dici solet, & vero dicitur in *l. 1. D. de Receptator.* sine his nemo latere diu potest; ita si seruis patrocinii spem adimas, in contumaciam illi non adeo eriguntur, patrocinii inquam vlterioris, quam quod *lex* approbat. Denique infamat Ordinem, eoque indignum se ipse iudicat, qui ab eo aliena facit. Et vero haec causa fuit reprimendorum subinde Asylorum Ecclesiasticorum: Clericorum inquam, vt *haec lex* loquitur, vel negligentia, vel conniuentia seu deprauatio. Hinc etiam tot Regulae, tot Constitutiones veteris Ecclesiae, totque Patrum decreta: quorum bonam partem legere est in *Iure Canonico*, relata in 1. *part. Decreti, distinct. 54.* cuius inscriptio, *serui sine dominorum consensu & libertate non ordinentur:* vbi huius mali cum fontes aperiuntur, tum incommoda. Etiam illa ratio expressa est in rescripto Gelasii; *Qua modis omnibus est amouenda pernicies, ne per Christiani nominis institutum, aut aliena iura peruadi, aut publica videatur disciplina subuerti:* quod & a Clericali dignitate alienum esse, subiungit. Nempe hoc nomine Clerus olim saepe infamatur, imo & iam olim Christianam Religionem eo nomine infamatam voluere Gentiles, vt ex *Epist. Pauli 1. ad Timoth. c. 6.* liquet, quibus solemne erat, omnia mala Christianis imputare, vt est apud *Apologiarum pro Christianis* Scriptores. Etiam Chrysostomus *in Ep. ad Philemonem*: ὅτι ἐπὶ ἀνατροπῇ τῶν πάλων ὁ χριςιανισμὸς εἰς τὴν βίον εἰσενήνεκται.

Poena autem Clericis imponitur, degradationis, Episcopi iudicio, puta vt efficiantur veluti laici plebeii & infimi ordinis, id est, in ordinem laico- p. 374
rum infimorum reiecti, executione ordinis Clericalis priuentur. De qua Clericorum degradationis poena in locum laicorum, vide & Balsamonem *can. 9. Synodi Neocaesar pag. 409. in Pandect. Canon. Guil. Beuereg.* Sic & in seculo Degradationis *in Plebeios* poena haec vsurpata, cuius exemplum extat *l. 1. supr. ad leg. Iul. Repet.* Item apud Sidonium *lib. 1. ep. 7. Aruandus Praefectus Praetorio maiestatis reus dicitur plebeiae familiae, non vt additus, sed vt redditus.* De eadem degradationis poena & quidem Clericorum, dicetur infra *suo titulo de Episcop. & Cleric.* hac ratione, quod iure eo Ordine & loco submoueantur, quem tueri nequiuere. Non est scilicet sanctitatis negotium (vt in simili loquitur idem Theodosius *l. 2. supr. de crim. peculat.*) contumaciae fidem adhibere & patrocinium: imo contra sanctitatis est negotium, καὶ τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ πρέπον, seruos hortari & efficere, vt suis sese Dominis subiiciant, & quae sequuntur *ad Tit. c. 2.*
Neque degradationis poena stat *hac l.* Theodosius, quanquam illa prima & praeuia, quod etiamnum hodie fieri solet, verum etiam brachio seculari huiusmodi Clericos tradi Theodosius iubet, pro motu Iudicis puniendos. De qua Iudicum secularium in Ecclesiasticos iurisdictione dicendi locus alius.

Ex his interim omnibus *huius tituli* Constitutionibus, & Theodosii Iun. nominatim, patet, quid iudicandum sit de ea constitutione, quam Sirmondus *in append. Cod. Theod. n. 20.* edidit, sub Theodosii & Valentiniani AA. nomine ad Virum P. P. qua cauetur, obnoxios (id est, reos vel debitores) si cum Episcopo vel cum Presbytero, aut etiam Diacono ambulauerint, siue in platea, siue in quolibet loco, nullo pacto retineri, vel abduci: addita egregia ratione, *Quoniam in Sacerdotibus Ecclesia constat.* Cui similis altera *initio eiusdem constitutionis* praemittitur: *Audemus quidem sermonem facere, solito plus timore capti, de Sanctis & venerabilibus Sacerdotibus, & secundis Sacerdotibus, vel etiam Leuitis, & eos cum omni timore nominare, quibus omnis Terra caput inclinat.* Verum de illarum Constitutionum fide semel nos *in Prolegomenis.* Eiusdem porro commatis videtur vltimum caput *Nouellae 2. Maioriani, de Ecclesiarum perfugio:* quod etiam abest a veteribus Codicibus: sed & stylus ipse satis falsi arguit: tandem neque Interpres ibi eius vllam rationem habet.



P.375.

CODICIS THEODOSIANI LIBER DECIMVS.

Qui totus est de Iure Fisci, deque Rebus FISCALIBVS.

HVIVS LIBRI TITVLI.

DE IVRE FISCI.

TITVLVS I.

LIB. X. COD. IVST. TIT. I.

Quatuor tantum *huius Tituli* leges in *eundem tit. Cod. Iust.* relatæ sunt: puta *lex 3. 5. 10. vlt. huius tituli, in l. 6. 7. 8. 9. eod. Cod.* Quinta, quæ est *lex 15. hoc tit.* relata est duobus locis *Cod. Iust.*

PARATITLON.

DE iure Fisci est, non tantum hic *titulus*, verum integer hic *Liber Decimus.* Fiscus (*Rubr. l. 1. 2. 3. 4. 5. 10. hoc tit.* vnde & fiscalis res seu causa, *l. 6. 7. 13. h. t.*) est quicquid spectat rem Principis, *l. 16. h. t.* quæ & Patrimonium dicitur, *l. 2. h. t.* Patrimonium priuatum, *l. 8. h. t.* Res priuata Principis, *l. 4. 8. 9. 11. 12. 14. 17. seu vlt. h. t.* Largitiones Principis, *l. 13. h. t.* Sacrum dominium, *l. 15. h. t.* Res Dominica, *l. 17. h. t.* cuiusmodi sunt Arma, de quibus *tit. 22. de Fabricensibus.* Aurum, argentum, *l. 14. h. t.* quod conditum in Thesauris, de quo *tit. 18. de Thesauris*, seu in ærario, *l. 14. h. tit.* Classis, ad species fiscales, veluti Antiochiam transuehendas: de quo *tit. 23. de Classicis.* Domus ad rem Principis pertinentes, *lib. 11.* & *tit. 2. de domibus ad rem priuatam pertinentibus.* Greges dominici: de quibus *tit. 6. de grege dominico.* Mancipia, *l. 2. h. tit.* & *tit. 12. Si vagum petatur mancipium:* Metalla, de quibus *tit. 19. de metallis:* Moneta, de qua *lib. 9. sup.* & *tit. 20. hoc libro, de murileg: & gynæc. & monetariis*, Possessiones, prædia, loca, fundi, *l. 2. 8. 15. 16. h. tit.* Reditus, seu species annonariæ, quæ a Colonis rei priuatæ conferebantur, *l. 11. h. t.* Templorum loca, *l. 8. h. t.* & *tit. 3. de locat. fundor. iuris emphyt. & Reip. & Templorum.* Vacantia bona, *tit. 8. h. lib. de bonis vacantibus:* Vaga mancipia, *tit. 12. si vagum petatur mancipium:* vestis in vsus Principis: de quo Tituli duo, videlicet *tit. 20. de Murilegulis, & gynæciariis, & monetariis, & Bastagariis*, & *tit. 21. de vestibus oloueris & auratis.* Hæc de rebus fiscalibus, seu rei priuatæ.

PERSONÆ circa res fiscales variæ occupatæ erant: ac Primum quidem Magistratus & Officia. Comes rei priuatæ, de quo *l. 8. 9. 11. 12. 14. 17. h. tit.* & passim *toto hoc libro* imo *toto hoc Codice*, seu Comes Largitionum, *l. 13. h. t.* Comes priuatarum Largitionum *l. vlt. infr. de Incorp.* Rationales rei priuatæ *l. 2. h. t.* per singularem aliquam Diœcesim, veluti Rationalis Africæ, *d. l. 2. h. t.* Rationales Summarum *l. 7. h. t.* Item Magistri rei priuatæ *d. l. 2. h. t.* per singularem pariter Diœcesim, veluti Magister priuatæ rei Africæ, *l. 2. h. t* quos *Ordinatores domorum Dominicarum*, vocat Anianus *d. l. 2. h. tit.* Horum omnium Officiales Cæsariani dicti, *l. 5. infr. h. tit.* & *tit. 7. de Cæsarianis*, & *l. 2. infr. de bonis vacantibus.*

Circa Exactionem & tutelam rerum priuatarum hi occupati fuere: Aduocati fisci, de quibus *tit. 15.* Susceptores, *l. vlt. h. tit.* Arcarii, *l. 11. h. t.* Dispensatores alii: de quibus *tit. 24. de his qui cum dispensatore contraxerunt.* Inde procuratores rei dominicæ, Actores, Procuratores, Conductores rei priuatæ, *l. 17. h. t.* & *tit. 4. de Actoribus Procuratoribus & Conductoribus rei priuatæ:* & *tit. 5. qui conductores rei priuatæ fideiussores exigi non debent:* & *tit. de Conductoribus & hominibus domus Augustæ.* Tandem & Coloni, *l. 11. h. tit.*

Circa fabricam rerum & specierum fiscalium occupata fuere certa quædam hominum genera & corpora; Armis videl. fabricandis, Fabricenses, de quibus *tit. de fabricensibus.* Metallis eruendis, Metallarii: de quibus *tit. de metallis & metallariis:* Monetæ cudendæ, Monetarii: de quibus *tit. 20. de Murilegulis, Gynæc. & Monetariis, & Bastagar.*

Circa vestem Principis, ac primum ad tincturam eius, Murileguli: de quibus *d. tit. 20. de Murilegulis:* ad eam texendam, Gynæciarii, de quibus *d. tit. 20. de Murilegulis, Gynæciariis:* Translationi specierum ad rem priuatam Principis pertinentium incumbebant Bastagarii: de quibus *d. tit. 20* Item Classici in flumine Oronte ad species fiscales Antiochiam, vbi tum Imp. erat, perferendas: de quibus *tit. 23. de Classicis.* Et hæc quoque de personis.

P. 377. ACTIONES fiscales sequuntur: Ac primum de Actionibus seu litibus & causis fiscalibus agitur *l. 3. 4. 6. 7. 13. h. tit. l. 15. de Aduocato fisci:* de Delatione ad fiscum, *tit. 10. & 11.* de occupatione & incorporatione rerum fiscalium, *l. 5. 8. hoc tit.* & *tit. 8. de bonis vacantib. tit. de Incorporatione:* De Petitione & Donatione rerum fiscalium, *l. 2. h. tit.* & *tit. 10. de petitionibus & vltro datis & delatoribus* & *tit. 12. si vagum petatur mancipium:* & *tit. 13. de petitoribus & desistentibus:* & *tit. 14. si petitionis socius sine hærede defecerit*, de locatione & venditione; de quo *tit. 2. de domibus ad rem priuatam pertinentibus distrahendis*, & *tit. 3. de locatione fundorum iuris Emphyt.* & *4. & 5.* in quibus agitur de Conductoribus: item *tit. 17. de iure hastæ:* de debitoribus fiscalibus & eorum conuentione, *tit. 16. de fisci debitoribus.*

De

De vsurpatione rerum fiscalium prohibita, *l.9.10.11.12.14.15.16. h. tit. & tit. 24. de his qui cum dispensatore contrahunt.* De priuilegiis domus Augustæ, est *tit. 25.* Adiice inter alia fisci priuilegia: quod fisco distrahere quandoque cogebatur, vt in *sp. l. 3. de metallis.*

De ANNI *spatio, priuatis dato ad* REPETENDAS *res suas a fisco: neque ante petere eas aut comparare liceat?*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. & Cæs. (b) ad Populum. (c)

SI quid a fisco fuerit occupandum, (d) vel (e) a nobis de cetero pro vnius cuiusque meritis obsequiisque donandum, vel ab eodem (f) distrahendum intra annum omnibus vel a petitione (g) vel a comparatione se abstinentibus, hii qui putant iniuste res proprias a fisco esse comparatas, (h) contra eundem (i) agere contendant; scientes gratulantesque, quod annua spatia, intra quæ suum repetant, sint indulta; Ac si probauerint iustitiam petitioni suæ adesse, recipiant, & nostro beneficio habeant (k) restituta. Dat. (l) Id. Septembr. Rom. Constantino. A. IV. & Licinio IV. Coss. [315.]

NOTAE.

(a) Abest a *Cod. Iustin.* Forte *huic l.* iungenda *l. 1. C. Iust. de fundis rei priu.* GOTHOFR.

(b) Licinius Cæsar. *ID.*

(c) Vrbis Romæ. *ID.*

(d) *Occupatum*, vt infra comparatas, pro quo etiam malim, *corporatas*: Etsi illud sustineri posset, putet quis *occupandum deinceps.* *ID.*

(e) *Vel*, pro, *&*, idque. *ID.*

(f) Fisco scilicet. *IDEM.*

(g) Vid. *infr. tit. de Petitionibus* 10. & *tit.* 12. 13. 14. *IDEM.*

(h) *γρ.* *Corporatas*, id est, incorporatas: Neque enim hic agitur de comparatione a fisco facienda, verum de occupatione, vel *occupatas.* *ID.*

(i) *Fiscum.* *IDEM.*

(k) Recuperent, possideant. *ID.*

(l) Pro PP. Neque enim hoc Anno 315. Constantinus Romæ constitit. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. quinque constitutiones ordine sequuntur, de *Iure Fisci.* Ex quibus discere licet quo animo Imperator hic erga fiscum comparatus fuerit: quem colligere quoque licet inter alias eius leges, ex *l. 2. infra, de Aduoc. fisci.* Hæc *lex* pertinet ad stabilitatem rerum a fisco OCCVPATARVM. Nempe hoc Edicto vetat Constantinus occupatas a fisco res, siue peti, siue comparari intra annum ab occupatione computandum: inde post annum a quoquam lacessiri: Annum scilicet ab occupatione rerum dominis tribuit, qui iniuste res suas a fisco occupatas contendunt, ad eas repetendas: Quæ præscriptionis annalis species notanda est. Vnde iam sequitur, Constantinum voluisse eum, qui a fisco rem comparasset, vel dono accepisset, securum esse. Quod vt a D. Marci, & Zenonis, ita & Iustiniani constitutionibus recedit, de quo *§. vlt. Inst. de vsucap.* atque ideo Tribonianus *hanc leg.* repudiauit. Ergo ad fundandam donatarii vel emptoris securitatem, annum ab occupatione elapsum oportet. Alioquin, qui rem a fisco emunt, vel donato accipiunt, vbi de solo fisci iure agitur, statim securi sunt, directo & perpetuo iure: de quo ad *l. 2. infr. prox.* Et ita quidem hæc distinguenda sunt.

Cæterum, non dubito hoc Edictum pertinere ad occupationem seu confiscationem bonorum, ad eos pertinentium, qui ante triennium ferme vel *Maxentii* tyrannidi impliciti fuerant, vel qui bona illis immixta habebant. Constantini M. ergo institutum fuit hoc Edicto triplex, & auiditati petitorum occurrere; de quo suo *tit. infr. de petitionib.* prohibita donatione & emptione intra annum ab occupatione:, & securitati priuatorum dominorum consulere; dato eis spatio anni ad res suas iniuste forte a fisco occupatas, vtpote Tyranni rebus forte immixtas; *Scientes*, inquit, *gratulantesque*, *quod annua spatia, intra quæ suum repetant, sint indulta:* Tandem & fisci commodis, eorumque adeo qui ius ab eo habent, firmato videl. eorum dominio post annum ab incorporatione.

P.378. DONATARIOS *Principis statim securos esse debere.*

II. (a) Idem A. ad Seuerum (b) Rationalem Afric. (c) Post alia.

POSSESSIONES (d) atque mancipia, exempta fisci patrimonio, quibusdam (e) donauimus, hæc directo (f) iure atque perpetuo (g) absque omni quæstione (h) volumus obtineri; Pœna contra Rationales & Magistros priuatæ rei atque Officiales proposita, si quid

si quid contra temptauerint: &c. PP. X. (i) Kal. Iun. Rom. (k) in Foro Traiani, (l) Constantino A. V. & Licinio C. Coss. [319.]

INTERPRETATIO. *Quicunque agri atque mancipia, quibuscunque personis de fisci nostri iure donantur, apud eos quibus donata sunt sine suspicione (m) aliqua volumus permanere: contra Ordinatores (n) domorum dominicarum pœna proposita, si contra præceptionem facere cognoscuntur.*

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Seuero* hoc ipso Anno inscribitur *l. 2. sup. de bonis maternis:* & *l. 9. sup. de appellat.* Verum in priore nulla *Officii* mentio fit: in posteriore *Vicarius* vocatur. ID.

(c) *Rationalis* Africæ: Eius meminit & Notitia Imperii *sub Comite R. P.* ID.

(d) *Possessionem*, MS. Goth. RITTER.

(e) Veluti Ecclesiis, Clericis, &c. GOTHOFREDVS.

(f) *Directo* iure, id est pleno, solido, βεβαίῳ statimque & recta firmato, quodque labefactari non potest. ID.

(g) *Perpetuo.* Sicius perpetuum dicitur summum ius, *l. 51. D. de action. empt.* ID.

(h) *Quæstione*, id est Controuersia, molestia, lite, vt *l. 3. infr. de bonis vacantibus.* ID. *Sequestratione*, edidit Sichard. quam lectionem habet MS. G. RITTER.

(i) Ita in postrema Editione Parisiensi: in aliis Editionibus *XVI. Kal. Iul.* in Aniano Regio *XII. Kal. Iun.* GOTHOFRED. MS. W. *Prop. XIII. Kal. Iun.* MS. G. *Data XV. Kal. Iun.* RITTER.

(k) Quomodo hæc *lex proposita Romæ in foro Traiani*, cum inscribatur *Rationali Africæ*? An igitur reponendum in inscriptione *ad Rationalem Vrbis.* Vt intelligatur Rationalis per vrbem Romam, & Suburbicarias Regiones, cuius meminit quoque *Notitia Imperii?* De eo mox. GOTHOFR.

(l) *In foro Traiani* propositæ Romæ Constitutiones: quod ex *l. huius* subscriptione patet, & aliis compluribus. IDEM.

(m) *Suspicione*, metu quæstionis. ID.

(n) *Ordinatores* domorum dominicarum Interpreti, sunt Rationales & Magistri rei priuatæ, vide *Gloss.* ID.

COMMENTARIVS.

DONATAS e fisci patrimonio a se possessiones & mancipia perpetuo & inconcusso statim iure penes donatorios manere, iubet *h. l.* Constantinus M. An. D. 319. (vt & Constantius filius eius postea easdem ratas esse voluit, *l. 6. inf. de petit.*) pœna proposita Rationalibus & Magistris rei priuatæ, & Officialibus eorum, si eas donationes labefactare tentauerint. Qua ratione idem Imperator aliis legibus donationes collatas a se amplissime interpretatus est, easque ratas esse voluit, *l. 1. 3. inf. de bonis vacantibus.* Quod quidem videri possit etiam pertinere ad donationes factas Ecclesiis, Episcopis & Clericis a Constantino M. quas Gentiles Magistratus, Rationales, inquam, & Magistri rei priuatæ, in irritum deducere voluisse videntur, *Sacrilego liuore* (vt in simili idem loquitur hoc ipso Anno, *l. 2. inf. de Episcopis.*) Et quidem si inscriptionis argumentum sequimur, in Africa: inscribitur quippe ea Rationali Africæ: Si vero subscriptionem, *Romæ:* Subscriptio quippe præfert, hanc legem propositam *Romæ in foro Traiani.* Quæ Inscriptionis & Subscriptionis diuersitas simul stare non possit: Itaque malim *Seuerum Rationalem Vrbis* rescribere: vt ita omnino hæc *lex* ad Vrbem Romam pertineat, pariter vt *d. l. 3. inf. de bonis vacantibus*, huic quam similis.

Porro fit *h. l.* mentio *Rationalium rei priuatæ*, & Magistrorum rei priuatæ, & vtrique inter se separantur. *Magistrorum* horum *rei priuatæ* fit quoque mentio *l. 4. inf. h. tit.* & *l. 14. inf. de Decurionibus:* quæ omnes sunt Constantini M. Fit mentio & apud Eusebium *lib. 8. cap. 11.* Μαγιστρότητός τε καὶ καθολικότητος. Διὰ πάσης προελθὼν ἀνὴρ τῆς παρὰ βασιλεῦσι τιμῆς, ὡς τὰς καθόλου διοικήσεις τῆς παρ' αὐτοῖς καλουμένης Μαγιστρότητός τε καὶ καθολικότητος ἀμέμπτως διελθεῖν. *Per omnes honorum gradus in imperatorum palatio prouectus; quippe qui procurationem summæ rei, & Magistri vt vocant, ac Rationalis officium integerrime gessisset.* Et Athanasius *Apol. ad Constantium, p. 679. edit. Colon. siu. Lips. Weidman.* Ρούφινος καὶ Στέφανος, ὧν ὁ μὲν καθολικὸς, ὁ δὲ Μαγιστρὸς, ἦν ἐκεῖ. *Rufinus & Stephanus, quorum ille catholicus, iste autem ibidem Magister erat.* Neque vltra Constantinum, horum *Magistrorum rei priuatæ* mentionem reperio, eiusque liberos; e quibus Constantis *lex 26. inf. de Decurionibus*, de hoc Magistro quoque accipienda est, vt ad eam *leg.* ostendo. Sane postea nulla amplius huius Magistri rei priuatæ mentio occurrit, ac nominatim nulla in *Notitia Imperii.* Fit equidem in ea mentio in Oriente *Magistri lineæ vestis:* & *Magistri priuatæ:* Verum hi Magistri speciales, vestis inquam, Principis fuere, non Catholici rei priuatæ, vt hi. Item fit mentio in *l. 1. Cod. Iust. de annonis & cap.* a Theodosio Iuniore, *Magistri æris*, siue *priuatæ rei Rationalis*, per Ponticam atque Asianam Diœcesim. Verum hic *Magister æris* idem est cum Rationali summarum, a quo noster est diuersus.

Cæterum, quod de donationibus rerum fiscalium a se factis *hac l.* Constantinus sancit, hoc idem ferme sancit & *l. inf. sup. de longi tempor. præscr.* de donationibus rerum fiscalium ab aliis retro Principibus factis, si res ita donatas donatarii sine interpellatione possederint ad sua decennalia ad eum vsque Annum 316. De vtroque donationis genere est Honorii *l. 4. inf. de collat. donatar.* Cætera ad *l. 3. inf. de bonis vacantibus.*

De

De PRÆSCRIPTIONE actionum fiscalium, earumque instrumentis concremandis.

III. (a) Idem A. ad Prouinciales. (b)

IVSTAS etiam, & quæ locum (c) habent, fisci actiones, (d) præcipimus concremari, (e) ob hoc solum, quod suis (f) temporibus prolatæ (g) non sunt. Iam (h) calumniæ (i) priuatorum eo saltem arceantur exemplo, quo iustas fisci lites silere præcipimus. Dat. III. Kal. Iun. Constantino A. V. & Licinio Cæs. Coss. [319.]

NOTAE.

(a) *L. 6. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Edictum* ad Prouinciales emissum. *ID.*

(c) Quibus alias foret locus & indubitatæ, quibus nil alias opponi posset, denique quæ nulla alias exceptione elidi possent. *IDEM.*

(d) *Actiones*, id est actionum tabulas & instrumenta: vt ostendunt illa, *præcipimus concremari.* *ID.*

(e) *Concremari*, seu comburi; de hac voce mox dicam: Sic & in alia Constantini *l. 1. de actor. & cond. rei pr.* *ID.*

(f) *Sua tempora*, sunt temporum cuiusque rei metæ: de quo mox plura. *ID.*

(g) *Prolatæ*, in iudicio scil. & prolatis iis ius fisci exercitum non fuit. *ID.*

(h) Copula *vt* in nonnullis *Iustinianeis* addita: *vt iam*, quo nil opus. *ID.*

(i) *Calumniæ*, id est calumniosæ, feræque actiones. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE PRÆSCRIPTIONE fiscalium actionum est hæc Constantini M. constitutio, seu Edictum ad Prouinciales emissum ad eorum securitatem, aduersus calumniosas ferasque actiones fundandam; pariter, vt Constantii *l. 7. infr.* scilicet actiones, etiam fisci, quamlibet iustas, quibus alias si suo tempore ageretur nil opponi posset, sola præscriptione tolli, atque ideo tabulas & instrumenta earum cremari iubet Constantinus M.

Indeque iam (quæ altera *huius l.* pars est) seu ab hoc fisci exemplo, ad priuatorum *petitiones* seu actiones argumentando procedit: *Iam calumniæ*, inquit, *priuatorum eo saltem arceantur exemplo, quo iustas fisci lites silere præcipimus.* Fisci sui scil. exemplo, feras, veternosas, ac proinde calumniosas priuatorum actiones & petitiones compescendas breuissime, credidit Constantinus M. Vt cæteroquin *breuissime* (quod ille ait) *Principis* atque adeo *fisci exemplo iubetur.* Quinimo videri possit hoc Edictum, non tam fisci occasione promulgatum, quasi in eius specie ageretur de actionibus fiscalibus, verum ei occasionem præbuisse priuatos, qui veternosas actiones & petiones mouentes, pacificis possessoribus controuersias motum ibant. Igitur cum his veternosis actionibus & petitionibus multorum quies sollicitaretur, fibulam his impositam iuerit Constantinus M. *calumniarum* etiam appellatione eas actiones & petitiones designando: *Calumniæ* scil. genus est, & maximum quidem, quietem seu quietam aliorum possessionem turbare, sollicitare. Sed cum maxime suo fiscique exemplo opposito, quod vtique efficacissimum: simul argumento esse potest, quamnam Constantinus M. fisci sui rationem habuerit, nempe eandem hac parte, quam priuatorum de quo *alibi.* Non igitur in specie *huius l.* de fisco principaliter quæsitum fuisse videatur, verum de priuatis, quos suo fiscique sui exemplo, Constantinus compescendos credidit. Possit, inquam, ita hæc constitutio intelligi. Possit & nihilominus videri Constantinus *hoc Edicto* id principaliter intendisse, vt Prouincialium seu priuatorum *securitatem* aduersus feras & veternosas fisci actiones fundaret, quod & alias fieri publice subinde interest.

Ad rem. Igitur, quod hic notandum, Constantinus fisci actiones, id est fiscalium actionum suo tempore non institutarum quamlibet iustarum tabulas & instrumenta concremari iubet, vt cæteroquin argumenta flagitandi, Syngraphas, γράμματα, polyptica publicitus ardere Principes iubebant, si quid aut indulgerent aut aboleri vellent, de quo dicam plene ex Suetonio, Spartiano, Ausonio, aliis ad *l. 2. 3. inf. de indulg. debitorum*, quæ & ipsæ de eodem more sunt.

Et hæc quidem dicta sint ad iustam *huius legis* interpretationem, eiusque scopum: vnde iam apparet inter alia, quid per *concremandi* vocem hic accipiendum sit: quid sint item *actiones suis temporibus non prolatæ.* Est enim grauissimus Interpretum, & in his Accursii error, (quem Cuiacius ad *hanc l.* & Fornerius *3. Quotid. 14.* iam recte proscripserunt) qui de Actionibus ante tempus, seu ante diem *præmature* a fisco motis, id accipiunt: Iidemque in duas diuisi sectas. Accursiani quippe hanc *legem* secundum ius vetus accipiunt, quo plus petendo quis causa cadebat. *§. 33. Instit. de actionib. l. 22. in pr. D. mandati: l. 41. de verb. oblig.* vid. & *tit. 5. Cod. Hermogen.* atque adeo hunc sensum *huic legi* affingunt, fiscum ante diem agentem, tanquam quemlibet priuatum, causa cadere, rem amittere. Alii (cui sententiæ accessit & Balduinus *ad leges Constantini lib. 2.* eosque secutus Amplissimus fisci Aduocatus Seruinus, *in forensib. suis, tom. 1. p. 1032.*) secundum ius nouum id accipiendum tentant, quo plus petitionis pœna est, quod induciæ duplicentur, vt vel *Institutiones* nostræ docent, *§. 33. Inst. de action. §. 10. verb. hod. autem, Inst. de excepr.* vt ita sensus *huius leg.* sit, fiscum ante diem petentem puniri in expectandis duplicatis induciis. Quare *cremandi* vocem hic accipiendam idem Balduinus tentabat pro suspendi, a verbo κρεμάω, quomodo ait notum esse, Cæsares Constantinopolitanos cum Latine loquuntur, plerumque ἑλληνίζειν: quod postremum vt ioculare, ita cassum & inane est: Ad eumne vero Constantinus M. modum locuturus fuerit, cuius constitutiones meram adhuc puræ Latinitatis elegantiam spirant, sic vt ne minimum quidem argumentum eius Barbariei in his notari possit; vt mirer huius subtilitatis in mentem illi venisse, qui Constantini M. leges ex professo tractabat, quibus sub vnum conspectum propositis Constantinianeæ ita locutionis characterem internoscere promptum fuit, atque adeo longe aliud dicendum veniebat: P. 380

& vero nos *hoc Codice* sæpe dicere cogimur. Rursum, vocem *cremandi* ad suum sensum Balduinus haud satis bona fide hic inflexit; cum *concremandi* vox hic occurrat, quæ hanc Barbaram interpretationem multo magis respuebat. Tertio, verbum *concremandi*, aperte postea *hac l. inf.* explicatur per verbum *Arcendi & silere.* Tandem (quod Fornerius optime & prolixe obseruat) morem eum respexisse, & vero secutum hic Constantinum obseruasse debuit, quo vt ante dixi, Principes flagitandi argumenta, tabulas, instrumenta, libros, syngraphas concremari, incendi, ardere, flammis aboleri iubebant: de quo dixi ad *l.2. inf. de indulgentiis debitor.* vbi pariter *cremandi* vox occurit. Sed video quid Balduinum in errorem induxerit: nempe vox *Actiones: actiones præcipimus concremari.* Verum attendere debuit, *Symbolo*, seu instrumento rei, id est, tabulis actionum ipsius rei, seu ipsarum actionum nomen hic tribui, vt & alias sæpe.

Ergo *hac l.* actiones *suis temporibus non prolatæ* dicuntur, quæ præscriptæ, quæ intra temporis lege præscripti metas non motæ fuerunt, quæ proinde sero hodie mouentur. *Sua tempora* non opponuntur præmaturis exactionibus; Verum contra, seris; ac proinde calumniosis iam: & sic *sua tempora*, sunt metæ temporum à iusto sui initio ad finem decurrentes. Quod vt apertum sensum habet, ita ex *hac ipsa lege* compertissimum est. Nam si de præmaturis actionibus intentatis Constantinus sensisset, *iustas actiones* &c. non dixisset: *Iustas etiam*, inquit; Item *quæ locum habent.* Et mox, *iustas fisci lites.* Neque enim præmaturæ iustæ, locumue habere vlla ratione dici possunt, etiam in fisco: Nam & is etsi debitoris sui debitores conuenire possit, attamen ante diem conuenire non potest, nisi in causa primipili, seu annonæ militaris, *l.1. Cod. I. de condict. ex leg.* Extra hunc casum fiscus iure communi vtitur: & sic intelligit eas actiones quæ moueri iure optimo suo tempore potuerunt; quæque si suo tempore motæ fuissent, locum habituræ erant.

Et hæc quidem illa Constantinianea *lex* ipsa videri possit, quam Honorius Imp. memorat, simul & sequitur, *lege vnic. supr. de quinquennii præscriptione: Competitorem*, inquit, *quinquenni possessor eliminet: debet enim, iuxta Constantinianeæ legis indultum, hoc priuilegio petitor arceri, quo fiscus noster excluditur. Quod si quando fortassis emerserit, Iudices competitionis obreptione rescissa tuitionem pulsatis præstare iubemus enixam, quibus tamen lustralis aderit absque interpellatione possessio.* Vbi vides Honorium dicentem, *Constantinianea lege, quinquennii præscriptione seu priuilegio priuatum competitorem arceri, quo* FISCVS *ipse excluditur.* Saltem in vindicandis bonis ad fiscum delatis: quo spectat proprie *d. lex vn.* Quod si ita est, tum in specie quoque *huius leg.* nostræ, eadem *actio* intelligenda fuerit, & priuato, & fisco competens ex eadem causa, priuatique adeo in ea fuerint donatarii, competitores ius habentes a fisco: hoc proinde sensu quemadmodum filius ab ea excluderetur, ita & ius ab eo habentes. Certe si hæc ipsa non est illa Constantinianea constitutio, cujus Honorius *illa leg. vn.* meminit, sane ad eius mentem omnino accedit & ad eandem speciem pertinet, ad actiones, inquam, vt hic dicitur, nunc primum scil. intentandas, seu ad petitiones rerum fisco nondum incorporatarum, seu quæ nondum sunt in patrimonio fisci: Ergo fiscales quoque *actiones* præscribi voluit Constantinus M. eas videl. quibus bona fisco nondum incorporata petuntur, velut vacantia caduca, atque id genus alia, vt ex iis quæ iam dixi apparet: Alia enim ratio est eorum bonorum, quæ in fisci iam dominio seu censu & corpore sunt, eique incorporata. Qua distinctione facillime componuntur *leges* aliæ cum *hac l.* ac nominatim *lex 15. infr. hoc tit. lex 8. 24. D. de vsucap. l. 1. & 2. Cod. Iust. ne rei domin. §. 9. Inst. de vsucap.* &c. Et quia in hoc argumento versamur, ab eadem mente est, quod idem Constantinus Anno 316. *Superiore l. 2 hoc tit. & l. 1. supr. de longi temporis præscript.* constituebat de donationibus aut venditionibus rerum fiscalium tum a se, tum ab anterioribus Principibus factarum, certa temporibus præscriptione solidandis. Quænam alioquin sua seu stata tempora sint a quibuscunque aliis actionibus fiscalibus, seu quibus præscriptionibus fiscus excludatur, cum id ad *hanc leg.* non pertineat, neque nostrum nunc est prolixe edisserere, quod tamen Interpretes hic faciunt. Opportunus ei rei locus fuit ad *d. l. vn. sup. de quinquen. præscript.* &c. De his quoque videatur Fornerius *3. Quotid. 14.* Hic interim exemplum habemus fisci æquati cum priuatis: seu quo Fiscus iure communi vtitur, non priuilegio: de quod ad *l. vlt. de appellationib.*

Tandem est & hæc quoque *lex* de earum Constantini numero legum, de quibus in genere Nazarius, *panegyr in fin.* NOVÆ LEGES *regendis moribus, & frangendis vitiis constitutæ, veterum calumniosæ ambages recisæ, captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt.* vbi vides etiam *Calumniosi*, vocem quomodo hic *Calumniarum.*

De TERMINANDARVM *actionum fiscalium tempore.*

IV. (a) Idem A. ad Dometium Dracontium (b) Magistrum priuatæ rei Afric. (c)

CVM fiscus litem patiatur, (d) aut inferat, anni spatium ad determinandam (e) causam spectari oportet, quia hoc ad instruendum (f) satis est, & diutius non oportet, priuatorum, (g) siue fisci, emolumenta fatigari. Dat. XIV. Kal. Iun. Serdicæ, Constantino A. VI. & Constante Cæs. Coss. [320.]

p.381. NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* de causa mox viderimus. GOTHOFR.
(b) *Dracontio* huic inscribitur *l. 1. infr. de conlat. fund. patrim.* omissa dignitate. ID.
(c) De *Magistro* rei priuatæ, dixi ad *l. 2. supr.* ID.
(d) Pro *patitur* aut *infert*: constructione *cum* causali, pro *cum* temporali. ID.
(e) *Determinandam*, id est, terminandam. ID.
(f) Ad instruendam causam. ID.
(g) Quid si scribamus *priuatorum*? Inscribitur enim hæc *lex* Magistro rei priuatæ. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

De Actionum seu litium & controuersiarum fiscalium Termino, id est, earum finiendarum, terminandarum tempore; est hæc *lex* Constantini M. Scilicet controuersias fiscales, postquam intentari cœperint, anno finiri iubet *hac leg.* Constantinus M. Ann. D. 320. *siue fiscus litem patiatur, siue inferat*, id est, siue actor sit, siue reus. Proculdubio cum hactenus longior terminus, vel nullus satis positus esset.

Duas porro rationes Constantinus reddit huius termini causis fiscalibus a se præscripti: Priorem, quod spatium istud sufficiat ad *instruendam* causam. Posteriorem, quod priuatorum & fisci vtilitatem diutius eludi non oporteat: *priuatorum*, qui scil. vel a fisco inquietantur, vel ipsi fisco controuersiam mouent. Hæc quidem ita Constantinus Mag. Atenim Valentiniano Iuniori, breuior postea terminus sufficere visus, nempe duorum mensium in eadem prouincia, quatuor ex contigua, sex e transmarina, *l. 13. inf. hoc tit.* vbi dicam plenius: qui sex menses Iustiniano indistincte placuerunt, *l. vlt. Cod. Iust. de Iure fisci.* Itaque & *initio l. 13. Cod. Iust. de iudiciis*: qua pecuniariis causis terminandis triennium ab eo ponitur, causæ fiscales excipiuntur. Atque hac de causa hæc *lex* abest a *Cod. Iustinianeo.*

PENDENTE *lite de bonis cum fisco, possessorem interim in possessione pacifice manere oportere.*

V. (a) Idem A. ad Volusianum. PF. V. (b)

Defensionis facultas danda est his, quibus aliquam inquietudinem fiscus infert, cum facultates, eorundem adhuc controuersia pendente, inquietari describique fas non sit. Vbi ergo controuersia extiterit, fisco alicuius patrimonium vindicante, aput eum omnibus facultatibus constitutis, cognitio ventiletur; vt cum rei exitus debere eas vindicare (c) probauerit, tum demum res persequi liceat, & super modo facultatum ac rerum interrogationem (d) haberi, quæ per conditionales (e) seruos inuestiganda est, vt si quid subtractum fuerit, exigatur, & extrinsecus (f) tantum aliud multæ nomine, quantum fuerat per fraudem ablatum. Sane * in huiusmodi quæstione, si Cæsariani nomen inciderit, ad vsurpationem Constitutionis istius non debebit accedere; siquidem consuetudo fraudium, quibus prædicti omnia temerare consuerunt, exceptionem eorundem meruerint. (g) Dat. prid. Kal. Ian. (h) Sirmio, Constantino A. VII. (i) & Constantio Cæs. Coss. [326.]

NOTÆ.

(a) *Lex 7. Cod. Iust. eod. tit.* Forte *huic* iungenda *lex 2. supr. de Tutoribus & Curator.* quæ eadem die hoc Anno data est, sed ad populum. Melius porro hæc *lex*, posita fuisset sub *tit. de Incorporatione.* GOTHOFRED.

(b) Ita quoque *Cod. Iust.* Nullus tamen talis P. V. hoc anno memoratur: Verum An. 313. & 314. Quid si scribatur ad *Populum* (vt *d. l. 2.*) *V. R.* ID.

(c) *Vindicari*, habetur *C. Iust.* a fisco scil. verum & hoc stare potest. ID.

(d) Id est, quæstionem. ID.

(e) *Conditionales* serui de quibus mox. ID.

(f) *Extrinsecus integrum tantum*, Cod. Iust. RITTER.

* Sequens sententia de *Cæsarianis.* GOTHOFRED.

(g) *vg. Meruerit*, in *Cod. Iust.* habetur, *meruit.* IDEM.

(h) Forte *Iun.* ID.

(i) Forte *IV. & Licinio Cæs. Coss.* id est A. 315. quo Volusianus P. V. fuit. ID.

COMMENTARIVS.

Confiscationis bonorum faciendæ Ordo a Constantino M. hac constitutione præscribitur An. D. 326. pro possessorum primum, dein & fisci securitate & indemnitate. Pro *possessorum* scil. securitate id statuitur, vt si quando fiscus alicui inquietudinem inferat, patrimonium alicuius vindicet, controuersia seu lite adhuc pendente, & quamdiu cognitio ventilatur, possessio eius non inquietetur, neque describatur, id est, Inuentario comprehendatur, multo minus ergo sequestretur: verum vt *lite pendente* apud possessorem *omnes facultates constituantur*, id est, bona interim remaneant, & vindiciæ ei dentur. Non ante scil. cognitionis exitum bonis suis quisquam etiam a fisco spoliandus venit; verum possessione penes eum constituta, defensionis facultas ei danda est, seu reclamandi copia *hac l. 1. & l. vlt. infr. de bonis vacantibus*: Quomodo in commune nimis properat Iudex pignora distrahi iubens ante rem iudicatam, priusquam seruato ordine actio dirigenda, & causa cognita sententia accipienda est, *l. 1. C. I. de execut. rei iud.* Et hæc quidem Constantinus pro possessorum facultate & *defensione*. Cuius occasione Interpretes hic ineptias cumulant, de iusta in genere defensione cuilibet concedenda, vel etiam de iudiciali defensione in specie. Neque magis ad rem facit P. 182

l.18.§.9. D. de quaestionib. quae est de reis criminum: vt & illud alienum est, quod ad *hanc l.* quidam hanc distinctionem adferunt circa descriptionem seu inuentarium bonorum, nempe descriptionem occupatoriam bonorum pendente controuersia fieri non posse, sed nudam tantum & simplicem descriptionem bonorum, quae fit ad effectum, ne res dilabatur seu occultetur. Imo enim in specie *huius legis* generaliter omnis *inquietudo* indistincte prohibetur. Et finito demum iudicio super *modo* facultatum ac rerum, per seruos quaeri oportere dicitur. Et frustra aduocatur *lex vlt. inf. de Incorpor.* In eius quippe *legis* specie, nullus bona vacantia vel iure possidebat, vel *vindicabat*, vt ibi expresse dicitur; quo casu nil mirum, si in incorporatione Inuentarium requiratur.

Pro fisci vero securitate, vbi bona confiscanda cognitionaliter iudicatum fuerit, duo *hac lege* constituit Constantinus, ne quid videlicet fisco depereat: I. *Seruos* scil. *conditionales* super modo facultatum interrogari iubet, atque ab his veritatem inuestigari; & sic quaestioni, si opus, subiici: *Conditionales serui*, hic non sunt, quod tamen Cuiacius quoque prodidit, & sine iudicio sequitur Amaya *hic n. 4.* Tabularii, Actuarii Numerarii conditionales, de quibus *l.3.5.7.8. supr. de Numerariis*, vel *l. 11. Cod. Iust. qui potior. in pignore:* Nam quid a Tabulariis his hac parte inquiri possit, qui facultatum illarum notitiam non habuerunt, sed chartas publicas tractabant, atque adeo ad fraudes suas vel iudicum detegendas interrogari & tormentis subiici soliti? Ergo hic, *serui conditionales* sunt *serui* huic conditioni adstricti. Denique conditione sua serui, *conditionales* scil. in genere dicti qui certae conditioni adstricti erant, non Actuarii & Numerarii tantum, de quibus *d.l.3.5.7.8.* verum etiam multi alii, vt auri Flatores, *l. vlt. infr. de ponderatoribus.* Custodes Bibliothecae *l. 2. infr. de studiis lib.V. R.* Sic & opera conditionalis, Tertulliano, *c. 12. de Idololatria:* de quo Tertulliani loco dixi ad *l. 3. supr. de Numerariis.* Similiter igitur *hac l.* serui conditionales dicti. Sed video iam quid Cuiacium in errorem induxerit: Putauit ille id *hac l.* indicari, conditionales seruos hanc facultatum inuestigationem facere oportere, cum tamen in *hac lege* agatur de ipsis conditionalibus seruis interrogandis: *interrogationem*, inquit, *haberi, quae per conditionales seruos inuestiganda est.* Secundo, cur quaeso his indagationis cura delegata fuerit, qui cum priuatorum bonis nil commune habuere? Tertio, quicquid tandem obtendat Cuiacius, Actuarii equidem & Numerarii & Tabularii, *conditionales* fuerunt, sed non *serui conditionales:* liberi quippe fuerunt statu personae, sed conditioni tantum cuidam, & quidem tormentorum adstricti. Atenim hi, de quibus hac lege agitur, *serui* vocantur statu personae. Cur autem *serui conditionales ?* vt comprehendantur etiam adscriptitii coloni originales, qui conditione sua abiecti coloni erant, *l. 1. sup. de inquil. & colonis:* (vbi de his plene semel dixi.) & vt Augustinus colonos definiebat *lib. 10. de ciuit. Dei, c. 1.* qui conditionem debebant genitali solo propter agriculturam sub dominio possessorum.

Ergo seruos super modo facultatum confiscandarum interrogari vult Constantinus M. quod vtique tralatitium fuit in bonorum inuestigatione, seruos videl. quaestioni subiici, propter rerum familiarium notitiam, ac proinde ad detegendum si quid subtractum fuerit: de quo *tit. supr. de quaestionibus.*

Quod interpretes hic addunt, *Notarios* similiter cogi posse ad exhibenda instrumenta, spectantia ad ea bona, quae in fiscum deferuntur; id verum quidem est, sed ab *huius leg.* specie alienum: etsi fine concordet, & ab *hac leg.* ad illud, argumentum duci possit. Et hactenus de prima cautela, ne fisco quid depereat in bonis incorporandis.

Secunda cautela haec est, quod Constantinus si quid interuersum fuerit de bonis confiscandis, id in duplum restitui iubeat. Quae dupli poena Interuersoris scil. de modo facultatum fisco quaesitarum & adiudicatarum aliquid interuertentis notanda est. Et haec de prima *huius l.* parte.

Subiicitur exceptio de *Caesarianis*, quam intactam hic transmisit Amaya, id est, de Officialibus Rationalium: de quibus *suo tit.* vbi obscurum videri possit, quonam haec exceptio referenda sit, an ad proximum, quod de poena dictum est? quod Accursius praefert; an vero ad primum de possessionis beneficio? quod verius. Id enim & res, & verba sati. ingerunt; scilicet Caesarianis denegatur beneficium constitutionis huius: *ad vsurpationem*, inquit, *Constitutionis istius non debebunt accedere*; & sic ab ea excipiuntur Caesariani. Ratione hac addita, *siquidem consuetudo fraudium exceptionem eorundem meruerit.* Ergo cum beneficium istud *hac l.* possessoribus tribuatur, vt lite pendente in possessione bonorum pacifice maneant, Caesarianis id denegatur: scil. *si in huiuscemodi quaestione Caesariani nomen inciderit*, id est, si fiscus Caesariano bonorum controuersiam moueat, si rerum fiscalium repetitionem aduersus eum instituat, Caesariani bona statim pendente lite eripiuntur, fiscoque subsignanda sunt ante iudicii exitum. Et rationem, vt dixi, addit; *consuetudo*, inquit, *fraudium, quibus praedicti omnia temerare consuerunt*, &c. Quae quidem ratio non ita simpliciter intelligenda est κατὰ πρόληψιν, quasi Caesariani mala fide possidere praesumantur quidquid possident, vt putarunt Graeci, eosque secutus Cuiacius, imo & Accursius quoque indicauit, quam Glossam velut singularem Baldus commendabat, & Lucas de Penna sequitur: verum propter praesumptionem fraudium, quas facile his adsuetum hominum genus comminisci potest ad diminuenda bona sua, mota sibi controuersia a fisco liteque pendente: Igitur statim eis eripi omnia vult Constantinus, ne spatium scil. his detur mutilandorum interuertendorum bonorum. Quomodo & *l. 2. infr. de bonis vacantib.* fraudibus Caesarianorum, bona a fisco occupata imminuta, & abiurari solita indicatur.

Huic porro exceptioni similis est altera eiusdem Constantini M. *l. 1. supr. de bonis proscriptorum, in fin.* vbi de Caesarianis pariter statuitur, vt ab eo, omnique iuris beneficio excludantur, quo alioquin in bonis proscriptorum, ea bona non computantur, quae Rei ante crimen contractum, vel ante actum fiscalem geri coeptum, in vxores vel filios emancipatos contulerunt. Proinde Caesarianorum p. 382. donationes etiam huiuscemodi actu antiquiores reuocari voluit idem Imp. quod quidem vtrumque vtiliter in praxim deduci potest, sicubi agatur de his, qui res rationesque publicas tractant, & interuertunt.

De APPELLATIONIBVS *in caussis fiscalibus non admittendis.*

VI. (a) Imp. CONSTANTIVS A. ad Hieroclem (b) Cons. Syriæ (c) Cœles.

SECVNDVM Legem + quam dudum promulgauimus, vanam (d) appellationem recte non suscepisti, de cetero quoque, in caussis rebusque fiscalibus, huiusmodi prouocationes non debebis admittere, Dat. VIII. Kalend. Mai. Philippo & Sallia Coss. [348.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* Concordantes *huic* leges mox indicabo. *GOTHOFR.*

(b) Eidem *Hierocli* inscribitur ante quadriennium *lex* 7. *infr. quorum appellat. non recip.* quæ in eodem argumento appellationis non recipiendæ versatur. Huius forte meminit Libanius, *in ep. ad Basilium* (inter Basilianas 145.) Forte hic idem Hierocles est, qui Apollonium Tyaneum nefarie Christo comparare ausus, aduersus quem Eusebius scripsit. *IDEM.*

(c) De *Syria Cœle* (cuius caput *Antiochia*) ad *d. l. 7. ID.*

† *Legem* suam 6. *infr. quorum appellat. non recip.* intelligere videtur. *ID.*

(d) *Vana* appellatio. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. duæ constitutiones sequuntur, quibus duo fisci, caussarumque fiscalium priuilegia continentur: & ex quibus proinde de Constantii animo erga fiscum coniectura fieri potest, quantopere videl. eius caussis & commodis obnoxius fuerit, faueritque. Hæc *lex* est de Appellationibus: APPELLATIONEM scil. in caussis rebusque fiscalibus admitti vetat *hac l.* Constantius: comprobata quadam *lege* sua anteriore, puta *l. 6. inf. quorum appellat. non recip.* comprobato item facto Hieroclis consularis Syriæ Cœles, qui huiusmodi appellationem non admiserat. De quo plene dicetur ad *d. l. 6. quorum appellat.* vbi ostendetur, quænam constitutiones & quinam Imperatores huic concordent, quinam vero dissentiant: Imo quæ Constantii ipsius super hoc mens fuerit: scil. eadem mens illi est *d. l. 6. 8. 9. 10. 12. 13. infr. quorum appellat. non recip.* At enim ab hac sententia sua recedit ipse *l. 26. & 28. infr. de appellationibus.* Et hæc quidem caussa est, cur hæc *lex* absit a *Cod. Iust.*

PRÆSCRIPTIONI *temporali, quæ aliis caussis præstituta est, in caussis fiscalibus locum non esse.*

VII. (a) Idem A. & Iulianus Cæs. Verecundo Rationali summarum.

AB Edicti + nostri tenore, quo tempore (b) a negotiis (c) facienda (d) esse censuimus, fiscales caussæ seiunctæ sunt: (e) quoniam fieri potest, vt per innumeras occupationes Tui (f) Officii, vel forte fraudulentam astutiam & venale silentium, fiscalis petitio, omni iustitiæ rationem (g) subnixam, propter temporis angustias perimatur. PP. VI. Kal. Iul. Vallis, (h) Constantio A. IX. & Iuliano Cæs. Coss. [357.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* velut nil exerte definiens. *GOTHOFR.*

† Edictum hoc Constantii nuspiam alibi comparet. Perperam quidam adnotarunt hic *l. 3. supr.* quæ est Constantini. *IDEM.*

(b) *γρ. Tempora. ID.*

(c) *Negotiis*, id est, caussis, actionibus. *ID.*

(d) *Al.* sancienda, in *Editione* prior. Cuiac. & illa in Quarto. Verum illud tueri possumus: *Tempora facere*, est tempora præstituere, præscribere: ita apud Aggenum *pag. 79. edit. Rigalt.* & *pag. 61. edit. Wil. Goes, scripto facere*, est *prescribere*, quod & ipsum in *faciendi* verbum nonnullis mutare visum, vel aliter. *ID.*

(e) *Sint. IDEM.*

(f) *Officium* Rationalis summarum nota. *ID.*

(g) *γρ. Ratione subnixa. IDEM.*

(h) Male quidam substituunt, *Gallis:* De hoc loco mox. *ID.*

P. 384

COMMENTARIVS.

DE ACTIONVM fiscalium PRAESCRIPTIONE est hæc altera *hoc titulo* constitutio; & hæc quidem Constantii: Sicut prior, puta *lex 3.* Constantini M. Igitur, cum Edicto suo quodam Constantius *tempora negotiis fecisset*, id est, quibusque causis suum terminum, sua tempora præstituisset, intra quæ videlicet, si actio mota non fuisset, eam *perimi* voluit: & quidem, vt ex *fine leg.* colligo, satis *angusta* tempora præstituisset. Cuius quidem Edicti, & præscriptionum, nullum alibi vestigium extat, (nisi forte quis putet illud esse, cuius pars fuerit *lex 1. Cod. Iust. de quadriennii præscriptione*, quod non puto.) Ab hoc Edicto, ab his temporum *angustiis* fiscales causas *seiungendas*, seu excipiendas, credidit: addita ratione, quod actio fiscalis quamlibet omnium iustissima, his temporis angustiis facile perimi posset: duplici ex causa, quum in necem fisci referri iniquum foret: 1. vel, inquam, propter innumeras *occupationes* Officialium Rationalis summarum, quibus scil. causæ fiscales persequendæ incumbebant. 2. Vel per fraudulentam eorundem astutiam & venale silentium, id est, Officialibus his pecunia corruptis, silentium suum vendentibus. Cæterum rem iniquam fore, si alter tram ob causam iura fisci læderentur. Quod omne diligenter obseruandum est: singulareque istud adeo Fisci *priuilegium*, inter alia, puta vt non tam cito instantia fiscalis perimatur, quam priuatæ actiones. Certe Constantinus M. in *d. l. 4. supr.* anni spatium ad terminandam causam seu litem fiscalem præstituit.

Porro notandum, *hanc legem* inscribi *Rationali summarum*: Varii scil. Rationales summarum fuerunt in Imperio, & quidem in Oriente *Rationalis summarum Ægypti* memoratur in *Notitia Imperii* sub dispositione Comit. S. L. *fol. 49.* In Occidente vero huiuscemodi *Rationales summarum* vndecim, & in his nominatim *Rationalis summarum Africæ* sub eadem dispositione. Com. S. L. *fol. 140.* Quo hanc *legem* pertinere censeo, argumento subscriptionis *PP. Vallis*. Quinimo & *l. 7. Cod. I. vbi caus. fiscal.* & *l. 3. Cod. eod. si propter publ. pensit.* sunt qui reponendum censent, *summarum*, loco *summæ rei*: quos refutat recte Cuiacius *VIII. Obseruat. 32.* De quo plene *l. 2. inf. de distrah. pignor. quæ tribut. causa.* Fit quoque mentio in veter. Inscriptione Romæ apud Gruterum CCLXXXII. 6. Honorati Rationalis *summæ rei* sub Constantino M. val. HONORATVS. V. P. RAT. S. R. Verum de hoc plene ad *legem 2. infr. de distrah. pignoribus*. Nunc de loco illo Vallis, vbi hæc *lex* PP. dicitur. Vallis in Africa Zeugitana prouincia fuit: cuius mentio in *Itinerario Peutingeriano, segmento* seu *litera C. infer. dextr.* haud procul Carthagine, *Aquis VIII. Choreua X. ad Atticille X. Vallis V. Sicilibba XIII. Inuca II. ad Pertusa XIV. Carthagine Colon. X.* Et in Itinerario Antonini *pag. 25. edit. Wessling. A Carthagine, Vnuca, M. P. XXII. Sicilibra, M. P. VII. Vallis, M. P. XV. Coreua, M. P. XX.* &c. Rursum *pag. 48. ed. cit. Iter a Tuburbo per Vallos Tacapas, M. P. CCCVIII.* & mox, *pag. 49. Vallis M. P. XVIII. Coreua, M. P. XX.* Item *pag. 50. Iter a Carthagine in Byzantio Suffetula vsque M. P. CLXXII. Sic. Vnuca, M. P. XXII. Vallis, M. P. XXII. Coreua, M. P. XX.* Ex his interim apparet, præcipuam Vrbem eam fuisse, & præcipua per eam itinera. Tandem ex *hac leg.* discimus, ibi constitisse *Rationalem summarum*, atque ideo *hanc legem* ibi propositam.

De LOCIS TEMPLORVM *venditis olim vel donatis, confiscandis.*

VIII. (a) Impp. VALENTINIANVS, & VALENS AA. ad Cæsarium (b) Com. R. P. (c)

VNIVERSA loca, vel prædia quæ nunc in iure Templorum (d) sunt, quæque a diuersis (e) Principibus vendita (f) vel donata sunt, (g) retracta ei patrimonio quod priuatum nostrum est, placuit adgregari. (h) Dat. pridie Non. (i) Feb. Med. diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex*, ceu temporaria & Historica, a *Cod. Iust.* Retulit eam quoque recte Baronius in Annales suos Ecclesiasticos; *A. D. 364. num. 8.* GOTHOFR.

(b) De hoc *Cæsario* Com. R. P. dixi in *Prosop.* & dicam mox *in Commentario.* ID.

(c) A Iuliani Imp. temporibus; seu ab Anno D. 362. ID.

(d) *Templorum* Gentilium, seu paganorum scil. de quo *inf. tit. de pag. sacrif. & templis.* ID.

(e) Constantino M. eiusque liberis, & in his a Constantio. ID.

(f) Olim scil. ante Iulianum. IDEM.

(g) Fuerunt: Quanquam & ita interpungi commodissime locus hic potest, *sunt retracta*, a Iuliano scil. ID.

(h) *Adgregari*, id est incorporari, confiscari, non vero priuatis reddi. IDEM.

(i) Dicam de hac subscriptione *mox in Commentario.* ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI & VALENTIS hæc Constitutio est, de Bonis nonnullis Templorum Gentilitiorum, rei priuatæ Principis incorporandis. Templorum scilicet Gentilium loca prædiaque, quæ a Principibus retro Christianis, (puta a Constantino M. & Constantio) priuatis quibusdam vendita, donatave, mox vero a Iuliano Apostata ad Templorum vsum rursum retracta fuerunt, confiscari seu priuatæ rei sociari, dispositione Comitis rerum priuatarum (cui ideo hæc *lex* inscribitur) iubent

iubent Valentinianus & Valens, inter hæc Imperii P. 38. sui initia; hac constitutione sua, quæ summopere notanda venit; ceu elegans *Annalium Ecclesiasticorum* inserta. De locis vel prædiis Templorum notum, ea fuisse, quæ Templis Templorumque ritibus paganis olim consecrata destinataque erant: de quibus *hoc Codice* præterea agitur diserte *l. 4. 5. inf. de locat. fund. iuris Emphytheutici Reipubl. & Templorum: l. 24. 32. inf. de petitionibus: l. vlt. inf. de collat. donatar. l. 41. inf. de operibus publicis.*

De his igitur quatuor ex *hac l.* notanda sunt: 1. *Nonnulla* ex his a Principibus ante Valentinianum & Valentem a Constantino M. videl. filiisque eius, priuatis partim vendita, partim donata fuisse. Sane in genere Aggenus Vrbicus, *commentario in Frontinum, lib. 1. pag. 78. edit. Rigalt. & pag. 61. edit. Goes.* scribit: *In Italia autem multi, crescente Religione sacratissima Christiana, lucos profanos, siue Templorum loca occupauerunt, & serunt.* Eodemque pertinet quod Sext. Aurelius Victor ait *cap. 41.* Constantinum M. auiditatem suorum primum aperuisse. Neque abludit, quod de profusa largitione a Constantini M. temporibus notat Auctor subditus *Notitiæ Imperii c. 2.* Neque dubium mihi Constantini M. & Constantii constitutiones complures, qui de donationibus ab his factis agunt, huc pertinere. Sed diserte Libanius, non tantum *Orat. in Iuliani necem 10. p. 266. edit. Morell.* ante Iulianum opes Templorum donatas scribit: Verum ῥητῶς idem, *Orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν quam nuper extuli, *p. 9. 10. 22. edit. Gothofred.* siu. *num. 3. pag. 473. & pag. 485. Oper. min. Gothofred. Ed. Cl. Trotz.* Bona Templorum & sacrorum Gentilitiorum a Constantino M. detracta memorat, huicque facto infelicitatis Constantini M. & stirpis eius causam tribuit: Quin & Templa ipsa a Constantio priuatis vilissimarum rerum instar donata, ibidem ait *pag. 22. 23. ed. Gothofred. & pag. 485. edit. Oper. min.* Idemque *Orat. Apolog. 26. pag. 591.* Spoliatos a Constantino Deos τοῦ πλούτου ait. Cedrenus quoque *in histor. Compend. pag. 225. edit. Venet. int. Script. R. B.* scribit, Constantinum iussisse τὰς τῶν ναῶν προσόδους ἐκκλησίαις δωρεῖσθαι. Videndus & in hanc rem Iulianus, *Orat. 7. p. 424. edit. Petau.* siu. *p. 228. edit. Lips. Spanhem.* & Theodoretus *lib. 8. c. 20.* Id vero a Constantino M. factum colligo, a Dalmatii & Zenophili potissimum Consulatu, id est, ab An. D. 333. ex *l. 2. sup. de sepulchro violato:* Vbi dixi. Et hæc de Constantino M. De Constantio quoque testis non vno loco Libanius, *dicta Orat. pro Templis, p. 23. edit. Gothofred. & pag. 485. Edit. Oper. minor.* & *in Iuliani necem p. 253. 266. edit. Morell.* Verum de hoc dicam adhuc ad *l. 1. & 2. inf. de conlatione donatarum.*

Secundo docet *hac lege*, loca ista, prædiaque Templorum (a diuersis Principibus, id est, Constantino & Constantio antea vendita donataue) suo tempore in iure Templorum rursum fuisse: Iulianus scil. Apostata ea retraxerat iurique Templorum restituerat, vna cum aliis opibus Templorum; de quo Libanius, *Orat. 10. in Iuliani necem, p. 266. edit. Morell.* pariter vt possessiones ciuitatum *l. 1. inf. de locat. fundor.*

Tertio ex *hac l.* notetur, Valentinianum & Valentem etsi inter initia Imperii sui libertatem religionis Paganis fecissent, (quod docet *lex 9. sup. de maleficiis*, & Symmachus quoque *relat. ad filium Valentiniani*) attamen vt sacrificia nocturna & malefica sustulere *l. 7. 8. & 9. sup. de maleficis*, & Zosimus, *lib. 4. cap. 3.* ita & loca seu prædia Templorum, quæ a Iuliano paulo ante Templis reddita fuerant, Templis ademisse.

Eaque (quod Quartum & præcipuum *huius l.*) priuatæ rei suæ sociari & incorporari, non autem priuatis, quibus a Iuliano adempta fuerant, restitui voluisse: cum tamen ea proculdubio nonnulli priuatis restituenda censerent: vti alias per Tyrannidem erepta suis pristinisque dominis reddi æquitas suadet, & maxime si empta ab his bona fuerint. Et hæc quidem Valentiniani & Valentis hac parte circa bona Templorum sententia fuit. Quid vero secuti deinceps Imperatores de his locis Templorum sanxerint fecerintque, docebunt aliæ leges, ac nominatim quid Gratianus Imp. *lex 20. inf. de Paganis:* quid Theodosius M. *lex 4. inf. de locat. fund. iuris Templ.* quid Honorius *lex 5. eod. tit. & lex 41. inf. de operib. publ. l. 19. 20. inf. de Paganis:* quid Arcadius *lex 24. inf. de petit. & lex vlt. inf. de collat. donat.* quid Theodosius Iun. *lex 32. inf. de petitionibus: & d. l. vlt. inf. de conlat. donat.* Porro de eo paulo accuratius videndum est, quod *hanc l.* Valentiniano & Valenti tribuendam dixi. Neque enim dubitatione res hæc caret, quod etiam Baronio mentem recte venit, qui vltimum tamen Valentiniano & quidem soli eam tribuit. Nam si Subscriptioni *huius leg.* stamus, in qua dicitur hæc lex *data Med.* id est, *Mediolani*, vt alioquin accipi solet, incunctanter hæc *lex* Valentiniano accepto ferenda fuerit: quandoquidem Valentiniano in Imperii cum fratre diuisione Occidens, & in eo Italia cessit, vbi Mediolanum: quo sese etiam statim diuiso palatio cum fratre contulit, teste Ammiano, Marcellino *lib. 26. cap. 5.* vti viceuersa Valens Constantinopolim *d. lib. 26. c. 5.* Quod vtrumque constitutiones huius Codicis complures docent. Si vero inscriptioni stamus, quæ præfert *hanc leg.* datam *ad Cæsarium Com. R. P.* tum ea Valenti tribuenda videatur: quandoquidem Cæsarius hic Comes R. P. Gregorii Nazianzeni frater (qui ideo hanc fratris sui Comitiuam R. P. memorat, *ep. 17. & in carmine de vita sua, & Orat. 10. in laudes huius Cæsarii, p. 168. 169. edit. Lips. apud Weidmannum.*) sub Valente atque in Orientis Imperio Comes R. P. fuit: vt apertissime testatur *d. Orat. 10. & d. pag. 69.* Nam posteaquam dixisset, inter Valentinianum & Valentem certatum fuisse, quisnam sibi Cæsarium magis deuinciret, & cuiusnam ille magis amicus & familiaris diceretur, statim subiicit, eum in Bithynia Comitem R. P. egisse: διέτριβε μὲν ἐν τῇ Βιθυνῶν, τὴν οὐ πολλοστὴν ἀπὸ βασιλέως διέπων ἀρχήν. ἡ δὲ ἦν, ταμιεύειν βασιλεῖ τὰ χρήματα, καὶ τῶν θησαυρῶν ἔχειν τὴν ἐπιμέλειαν. ἐντεῦθεν γὰρ αὐτῷ τὰς μείζους ἀρχὰς βασιλεὺς προοιμιάζεται. *In Bithynia degebat, imperium ab Imperatore haud postremum administrans. Quæstoris siquidem munere fungebatur, ac thesaurorum curam gerebat.* Ergo Cæsarius Comes R. P. in Oriente extitit ad hanc dignitatem tum euectus: non sub Iuliano, quod hactenus censent, etiam Baronius, quod etiam argumentum *dictæ ep. 17.* perperam præfert: neque tamen ex *vllo* Gregorii Nazianzeni *loco* id probari vllatenus potest: imo contra, *ea orat. 10.* expresse hunc honorem ad veteres alios a Valente additum scribit. Quam Comitiuam etiam postea alia dignitate auctum iuit: Quo pertinent illa, ἐντεῦθεν γὰρ αὐτῷ τὰς μείζους ἀρχὰς βασιλεὺς προοιμιάζεται, collata videl. ei Præfectura vrbis Constantinopolitanæ, cuius meminit Ammianus Marcellinus in gestis anni 365. *lib. 26. cap. 7.* & Zosimus *lib. 4. c. 6.* Quid igitur dicemus? Putabat Baronius An. 364. *n. 8.* duos hoc eodem tempore Cæsarios fuisse, quorum vnus in Occidente Comes R. P. fuerit sub Valentiniano, alius vero ab hoc diuersus, puta Gregorii Nazianzeni frater. Interpretatione verba illa, ἡ δὲ ἦν ταμιεύειν τῷ βασιλεῖ τὰ χρήματα, ita versa sunt, *Quæstoris siquidem munere fungebatur.* Nam imo vnus idemque Cæsarius fuit, vna eademque dignitas seu officium: verbis enim illis ἡ δὲ ἦν &c. *Comitiua rei priuatæ* describitur: ταμίας τῶν βασιλικῶν χρημάτων, est *Comitiua rei priuatæ*, quam Cæsarius gessit? Sic idem Gregorius, de *vita*

sua

sua, eandem Cæsarii Comitiuam vocat ταμείου ἔπαρχον: Quod *Quæstoris*, appellatione hoc æuo perperam exprimitur: quo Quæstor, non vt olim, erat qui publicæ pecuniæ præerat, verum quem hodie ferme *Cancellarium* dicimus, penes quem legum dictandarum pro Principe, & rescriptorum ad preces supplicum ius erat, vt patet ex *Claudiano*, & *Notitia Imperii*: de quo *suo titulo*. Sic tot argumentis indubitatis liquet, Cæsarium Comitem R. P. in Oriente fuisse, vbi & mox Præfectus vrbi Constantinop. factus est: Quare in subscriptione *huius l.* per *Med.* non Mediolanum accipiendum est, verum *Mediana*, pariter vt in subscriptione *l. 13. infr. de operibus publ.* Mediana, inquam, quod suburbium erat Naissi, tertio a ciuitate lapide, vbi Ammianus Marcellinus hoc ipso Anno scribit, Valentinianum & Valentem quasi mox separandos partitos esse Comites, *lib. 26. cap. 5.* Proinde Mediana vt in abitu transitum his præbuerat (quod etiam, vt dixi, ostendit *d. l. 13.*) ita etiam Valenti ad orbem suum redeunti Constantinopolim præbuit. Sed menda adhuc hæret in subscriptione *huius l.* in mense videl. apposito: data enim dicitur hæc lex *Prid. Non. Febr.* Diuo Iouiano & Varroniano Coss. Quod nulla ratione stare potest, quod etiam Baronius iam recte animaduertit; Valentinianus enim Imperator creatus est *V. Kal. Martias*: idemque fratrem Valentem *V. vel IV. Kal. Aprilis* in Imperii societatem adsciuit. Quare putabat Baronius reponendum hic *Prid. Non. Sept.* Quod & ipsum stare non potest, si Valentiniano soli, vt ipse putat, hæc *lex* tribuatur: quia mense Septembri huius anni Valentinianus Aquileiæ, mox Altini, tandem Veronæ egit, non Mediolani, quod complures *huius Codicis* constitutiones docent, quas habes in *Chronol.* Itaque putem ego rescribendum, *Prid. NONEMB.* id est, *pridie Non. Nouembr.* quod in pridie *Non. Febr.* facile migrauit, pariter vt *l. 32. infr. de appellationib.* & *l. 15. quorum appellat.* Ergo vtrique Valentiniano & Valenti hæc *lex* tribuenda: eo tempore lata, quo præcipua adhuc rerum per Valentinianum etiam in Oriente regebantur.

De non VSVRPANDIS rebus priuatis, nisi sciente Comite R. P.

IX. (a) Idem AA. ad Symmachum P. V. (b)

OBSERVET in posterum Eminentia Tua, ne quid de rebus rei priuatæ violetur, (c) nisi prius Comes rerum priuatarum fuerit gnarus. Dat. VII. Id. Mar. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* velut temporaria. GOTHOFR.

(b) Romæ. *De hoc Symmacho* P. V. (qui Epistolographi pater fuit) vid. *Ind. Personarum.* ID.

(c) Tuenda hæc vox, neque mutanda in *ventiletur*, vt Gutherius vult, mox vt ostendam. ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. duæ constitutiones sequuntur, aduersus vsurpationes, tum rerum priuatarum Principis, *h. l.* tum fisci, *l. prox.* 10. VSVRPARI igitur aliquid de rebus Priuatis Principis, deinceps, & quidem intra Præfecturam vrbis, vetat *hac l.* Valentinianus Sen. nisi prius Comes rerum priuatarum eius rei gnarus fuerit: vsurpari, inquam, vt habet *lex* ipsa, *violari*, non *ventilari*, id est, contingi, vsurpari, imminui: quæ *Violandi* vox in rebus maxime Sacris & pretiosis vsurpatur: Ita & *violari sepulchra* passim dicuntur: vid. *suo tit. lib. 9.* violari castitas, *l. vn. si quis eam cuius fuerit tutor:* Sic violari dignitas & existimatio, apud *Ciceronem*, & similia. Neque tamen hic sensus est, quasi dicatur, vt si apud *P. V.* vel coloni vel perpetuarii aliique istius conditionis homines de fundi proprietate sibi inuicem controuersiam moueant, ventilentque, interque se, & velitentur, *Comes priuatarum* a *P. V.* gnarus fieret, moneretur: Quod perperam putauit Gutherius *3. de officio domus Augustæ, c. 25. p. 765. 766. edit. Lips.* Quid igitur? Simplicissimus hic vt dixi sensus est: non posse quicquam *vsurpari*, alienari, deripi, de rebus rei priuatæ, nisi ex scientia Comitis Rerum priuatarum: & quidem si bene colligo, ne ab ipso quidem Præfecto vrbis, cui hæc *lex* inscribitur. *Obseruet*, inquit, *in posterum Eminentia tua, ne quid de rebus rei priuatæ violetur*, vel saltem ab aliis in dignitate positis, qui in vrbis vsus quædam ex rebus priuatis Principis vsurpasse videntur: forte an ad opera publica, arg. *l. 11. 12. inf. de operibus publ.* quæ eidem Symmacho P. V. Anno superiore inscribuntur. Igitur vetat *hac l.* Valentinianus quidquam ex his *contingi* nisi gnaro Comite R. P. qui tum Mediolani versabatur vna cum Valentiniano: Sub cuius dispositione res priuatæ Principis erant: quamlibet etiam Rationalis priuatæ rei per vrbem Romam & suburbicarias regiones consensum suum hac in re præstaret, (de quo *Notitia Imperii*; & *lex 49. infr. de appellat.*) Ergo Comitis R. P. scientiam hac in re requirit Valentinianus Sen. Sed enim Honorius Imp. postea Principis ipsius auctoritatem in auro atque argento rei priuatæ vsurpando desiderauit, *l. 14. infr.* Alia vero sententia est, Valentinianeæ *legis 1. C. de appellat.* vt & Valentinianeæ *legis 1. Cod. I. de off. Comit. rerum priuat.*

Cæterum videri possit nominatim ex locis & prædiis Templorum quid in sp. *huius l.* vsurpatum, quæ Valentinianus quoque rei priuatæ sociari superiore Anno iusserat *l. 8. supr.* quæ *lex* Comiti R. P. inscribitur: in quibus & ædificia quædam sacra, Templaque, & sepulchra fuere: Quæ ne violarentur, suo æuo ad Comitis R. P. dispositionem pertinuisse auctor est Cassiodorus *VI. Var. 8.* quo forte quoque prope pertinet VIOLANDI vox *hac l.* Verum hæc coniectura tantum est.

De

P. 387

De QVADRVPLI *Pœna colludentium in fraudem fisci cum interuersoribus.*

X. (a) Idem AA. ad Dracontium Vic. Afric. (b)

QVI, in contractibus scelestis, ac fisco perniciosis, interuersorum maculosis (c) sese fraudibus implicuerunt, (d) in quadrupli redhibitionem (e) teneantur. Dat. (f) XV. Kal. Decemb. Adrumeto, (g) Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTÆ.

(a) *L. 8. C. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Dracontio huic Vicario Africæ* plures aliæ constitutiones *hoc Codice* inscribuntur hoc Anno: vid. *Indic. Personarum*: & quidem ad rem fiscalem & tributa &c. pertinentes. *ID.*

(c) *Maculosæ* fraudes interuersorum. Eodem sensu dicitur quis *maculare* se furtis & sceleribus, *leg. 1. supr. ad leg. Iul. Repet. ID.*

(d) *Implicuerint*, Cod. I. RITTER.

(e) Id est, præstationem, solutionem vice annua. GOTHOFR. Cod. Iust. habet, *redhibitione.* RITTER.

(f) Pro *reddita.* Neque enim Valentinianus in Africa erat, sed Vicarius Africæ, cui hæc *lex* inscribitur. GOTHOFRED.

(g) *Adrumeti* consistebat Vicarius Africæ: de *Adrumeto* porro hac vid. *Topograph. ID.*

COMMENTARIVS.

DE VSVRPATIONE seu INTERVERSIONE rerum fiscalium est hæc Valentiniani Sen. constitutio, quæ etiam exstat in *Cod. Iust.* quam tamen Amaya hic intactam transmisit. *Interuersores* proprie dicuntur, ii qui rem & pecuniam fiscalem administrantes, eiusdem euersores sunt & decoctores: eoque sensu *interuertere rationem fiscalem* dicuntur Officiales Rationalis, *l. 7. sup. de cohortalib.* item *interuersio susceptoris*, vel Tabularii, *l. 27. infr. de susceptoribus*: quo ipso sensu euerti fiscalia commoda dicuntur, *l. 14. infr. de Decurion.* euerti ratio, *l. 1. infr. de susceptoribus*: Interuersoribus autem his *maculosæ fraudes*, id est, infames, turpes, *h. leg.* tribuuntur. Nempe hi inter alia contractus scelestos ac fisco damnosos cum priuatis inibant: puta forte per nundinationem mutuam, vel fœnebrem pecuniam aliis *dando* ex rationibus fiscalibus: id quod sane sub grauissima pœna prohibitum fuit: de quo *duob. titulis, hoc Codice*: nempe *hoc ipso libro, tit. 24. infr. de his qui cum dispensatore contraxerunt*: & *lib. 12. de his, quæ ex publica collat. illata sunt, non vsurpandis.*

Atque vt vetiti publicæ pecuniæ administratores, contractus huiusmodi scelestos inire; ita & coërciti qui horum Interuersorum fraudibus in contractibus scelestis & fisco perniciosis sese implicuissent: id est, qui cum his in fraudem fisci contraxissent: Quæ *huius legis* sententia est; non vero vt vulgo de Interuersoribus ipsis accipienda. Igitur quadrupli pœna his imponitur *h. l.* a Valentiniano Sen. pariter vt ab eodem, hoc ipso Anno, *l. 1. inf. de his qui cum disp.* seu *l. 1. Cod. Iust. de iis qui ex publicis rationib.* Si quis inquit, *ab Exactoribus, Tabulariis, Arcariis, Officiisue rationum, vel alio, cui fiscalium thesaurorum tutela mandatur, fœnebrem pecuniam sumpserit, detectus in eodem, ad quadrupli pœnam ex hac auctoritate teneatur.* Eaque Quadrupli pœna hac in re solemnis fuit, *secundum iuris ordinem*, vt dicitur *l. 16. infr.* Proscriptionis & Deportationis aliquando pœna sancita, *l. 2. d. t. de iis qui cum disp.* & *l. 2. d. lib. 12. de his qui ex publ. conlat.*

De EPIMETRO CENTESIMARVM, *quod coloni rei priuatæ Arcariis dependebant?*

XI. (a) Idem AA. & Gratianus A. Alexandriano (b) Com. R. P.

VT (c) perspicue Colonorum (d) vtilitatibus consulatur, decima Indictione singulas tantum dependant Centesimas, qui (e) reditus domui nostræ debitos quotannis (f) iuxta consuetudinem Arcariis tradunt: Ita tamen, vt (g) singularum quoque Centesimarum ratio semper euidens Scientiæ Tuæ digesta referatur: videlicet, (h) vt, erogationibus (i) cunctis aperta instructione patefactis, reliquorum ratio ex Centesima (k) possit agnosci. Dat. VII. Kalend. Octobr. Dorostori, (l) Lupicino & Iouiano (m) Coss. [367.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* velut temporaria, a *Cod. Iust.* Repetita hæc *lex* in *l. 14. infr. de Susceptoribus*: paucis detractis vel mutatis. GOTHOFR.

(b) Alexandrino, *l. 1. infr. de Equorum conlat.* vt & *l. 11. infr. de petitionibus. ID.*

(c) Prima hæc sententia abest a *d. l. 14.* vsque ad, *Singulas. ID.*

(d) De Colonis rei priuatæ, vid. & *l. 8. 10. de lustrali*: *l. 5. de extraord*: *l. 3. de actor. procuratorib. &c. v. Paratitlon de fugitiuis colonis. ID.*

p. 388 * Hinc incipit *d. l.* 14. *ID.*

(e) *Ii qui.* *IDEM.*

(f) Inuersa hæc, *d. l.* 14. ita: *Arcariis quotannis iuxta consuetudinem tradunt.* *ID.*

(g) *Vt earum quoque Singularum*, ita *d. l.* 14. *ID.*

(h) Abest a *d. l.* 14. *ID.*

(i) Id est, solutionibus Centesimarum. *ID.*

(k) *Eadem Centesima*, *d. l.* 14. *ID.*

(l) *Dorostoli*, *d. l.* 14. *Durostorum* hæc in Mysia, & quidem secunda, de qua vid. Ammianum Marcellinum, *lib.* 27. *cap.* 4. Eius mentio quoque in *Itin. Peutinger.* & *Antonini*, & in *Notitia Imperii.* *ID.*

(m) *vg. Iouino*, vt etiam *d. l.* 14. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Valentis Imp. hæc constitutio est, & quidem de Reditibvs debitis Domui Principis a Colonis rei priuatæ, quæ paucis subductis vel mutatis repetita extat *infr. tit. de Susceptoribus, Præpos. & Arcariis*, *l.* 14. non alia ratione, quam quia in ea *Arcariorum* mentio fit. Quæ quidem *lex* admodum obscura est: lucem quantum poterimus nunc inferimus.

Primo quidem duos *Fines* quo hæc *lex* collineat hic adsignari notamus. Primum finem ex primis statim *legis* verbis tenemus (quæ tamen absunt a *d. l.* 14.) *vt perspicue*, inquit, *Colonorum vtilitatibus consulatur.* Quæ sane Valentis animum arguunt in Colonos seu Rusticos propensum: cuius studii index est quoque *lex* 3. *C. Iust. de defensor. ciuit.* Imo diserte Themistius, *init. Orat.* 10. *ad ipsummet Valentem*, *p.* 129. *Ed. Hard.* ait, Valentem agricolas tributorum onere leuare studuisse: τοῖς γεωργοῖς ἐπανιέναι προθυμῇ τὸ λειτουργήματα. v. eundem *p.* 138. videatur & *lex* 1. *infr. de Equorum conlat.* quæ hoc ipso Anno data est. & eidem Alexandrino Com. R. P. inscribitur: Sed & Ammiani Marcellini *lib.* 31. *cap.* 14. de Valente iudicium istud est, *eum prouinciarum æquissimum tutorem fuisse, quarum singulas vt propriam domum custodiuerit indemnes.* Alter finis *fine l.* continetur; *quo* videlicet *Erogationibus cunctis aperta instructione patefactis, reliquorum ratio ex Centesima possit agnosci.*

Secundo *Decimæ Indictionis* hac lege mentionem fieri obseruandum est, quæ hoc Anno D. 367. pridie iam eius diei initium parat, quo hæc lex data est: *VII. Kal. Octobr.* Notum enim sumpsisse Indictionem exordium a mense Septembri, teste Ambrosio, & quidem ab *VIII. Kal. Octobr.* teste Beda, quod postea ad initium Septembris mensis retractum fuit. Porro Decima hæc Indictio Orientalis & Valentiaca, quamque recte his Coss. conueniat, alibi ostensum est; vt anno proximo 368. Vndecima Valentiaca recte tribuitur *l.* 9. 10. *infr. de indulgent. debit.*

Tertio notandum, *Arcariorum* hac *lege* mentionem fieri, de quibus *infra suo titulo, de Susceptoribus, Arcariis:* Sub quo hæc quoque *lex* repetita extat. Paucis tenendum, fuisse Arcarios susceptores redituum domus Principis, vt vel *hac lex* docet.

Quarto notandum (quod & potissimum) agi *hac lege* de *Centesimis*: De quibus hæc indicantur. Primo, Eas a *Colonis* præstitas seu depensas. Secundo, Depensas *annuatim.* Tertio, Et quidem a *Colonis Rei priuatæ*, qui reditus domui Principis debitos quotannis tradebant. Quarto, *Maiores* singulis Centesimis hactenus depensas. Quinto, At *Singulas* tantum Centesimas *hac lege* a Valente exigi & præstitui. Sexto, Et vero præstitui, *vt* Colonorum vtilitatibus consulatur. Septimo, Sub *hac* quoque *lege*, vt ratio harum singularum Centesimarum in Comitis R. P. notitiam referatur. Octauo, Eo scilicet fine, vt ad eum perlatis cunctis erogationibus, id est, Solutionibus Centesimarum, ex Centesima *reliquorum* ratio possit agnosci, id est, quid solutum non fuerit. Sic itaque de Centesimis his iam multa, & octo quidem habemus, a quibus depensæ eæ, quando, quibus traditæ, item de modo earum, quo fine, qua lege, & conditione. Neque dum tamen hæc sufficiunt, vt sciamus liquido quænam illæ Centesimæ fuerunt; Quare ex aliis *legibus* id adsciscendum. Igitur *Centesimas* has illas esse puto, quas *Epimetri* loco Susceptores specierum fiscalium, vel rerum priuatarum, ac proinde Arcarii accipiebant pro diametris, seu intertrimento, quod inter susceptionem & erogationem contingere solet, *pour la décale, ou pour la refaicture*; de quo Epimetri genere vndecim sunt *hoc Codice* Constitutiones. Sane de Centesima illa hac ipsa, agunt quinque præterea *leges*, puta *lex* 36. 38. *infr. de Nauiculariis*, *lex.* 3. 14. 15. *infra de Susceptoribus.*

Ergo duo de his *hac lege* constituit Valens. Primo singulas tantum Centesimas iubet *hac lege* Valens Arcariis a Colonis dependi, pro diametro; cum tamen nonnullis, veluti Nauiculariis quaternæ Centesimæ darentur: *leg.* 7. 36. 38. *dicto titulo de Nauiculariis*, item aliis, Quinquagesimæ, & sic duæ Centesimæ, vel Quadragesimæ, id est, duæ Semis Centesimæ: *leg.* 21. *infr. de Susceptoribus.* Verum de hoc omni plenius ad *leg.* 4. *de Suariis*: & *dict. leg.* 7. *de Nauiculariis.* Et hoc primum quidem Valens eo fine, *vt perspicue Colonorum vtilitatibus consuleret*, cum antea scilicet maior modus ab his pro diametro exigeretur. 2. Alterum iam priuatarum rerum vtilitatem respicit. Nempe separatam Centesimarum præstitarum Arcariis rationem ad Comitem R. P. mitti iubet Valens: quo videlicet ex hac quoque Centesimarum supputatione colligi possit Reliquorum ratio, quid videlicet soluendum supersit ex reditibus domui Principis debitis. Nempe, ex Epimetri modo, ipsius metri modus colligitur.

De

p.389. ## De CVPRESSIS ex luco Daphnensi: quatenus eas ALYTARCHÆ Antiocheno exscindere ius sit.

XII. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEODOSIVS AAA. Pancratio (b) Com. R. P. (c)

ET more (d) veteri, & Constitutis † nos maiorum accessisse cognoscas, & Alytarchæ Vrbis Antiochenæ plantandi plures, excidendæ vnius cupressi, iubemus tribui facultatem. Dat. XV. Kal. Iul. Thessal. (e) Ausonio & Olybrio Coss. [379.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* vt & ab *Annalibus Ecclesiasticis* Baronii, quo tamen ea referri debuit. Eam indicat, simul eius sententiam complectitur & abrogat *lex 2. Cod. Iust. de cupressis ex luco Daphnensi.* GOTHOFR.

(b) Eidem *Pancratio* Com. R. P. inscribitur anno proximo 380. *lex 3. sup. de Palat. S. L. l. 1. 2. inf. de locat. fund. l. 12. 14. inf. de petitionib.* ID.

(c) Ad Com. R. P. curam & dispositionem pertinuisse Daphnensis luci curam, hæc inscriptio ostendit: pariter vt Palatii & Aquæductus Daphnensis, inscriptio legis 2. *inf. de Aquæductu.* Nempe quia Palatium & lucus Daphnensis ad rem priuatam Principis pertinebant. Cæterum domus Principis seu rei priuatæ curam ad dispositionem Comitis R. P. pertinuisse docet *lex 2. de tironib.* Quæ causa etiam est, cur hæc *lex* sub *hoc titulo* posita sit. IDEM.

(d) Pro *mori* alias legendum foret, *& more.* ID.

† *Constitutiones* Christianorum Principum ante se intelligit Theodosius M. IDEM.

(e) *Thessalonicæ* constitutus Theodosius M. hoc tempore fuit, v. *Chronol. Theod.* ID.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc Constitutio est, de CVPRESSIS Luci Daphnensis prope Antiochiam, qui Lucus ad rem priuatam Principis pertinebat: quæ causa est, cur ea, pariter vt superior sub *hoc titulo, de iure fisci*, posita sit: (fisci quippe appellatio generalis rem quoque priuatam Principis complectitur:) Eademque de causa *Comiti rerum priuatarum* hæc *lex* inscribitur, pariter vt inscribitur *lex 2. infra de Aquæductu*, quæ de Aquæductu Daphnensi pariter est. Vtraque vero constitutio pertinet ad Tuitionem Luci & Palatii Daphnensis, ne videl. amœnitatibus suis & deliciis priuetur.

De *Daphne*, suburbano Antiocheno, eiusque decoris aliis, dicam plena manu ad *l. 2. inf. de Aquæductu.* Illud ad *hanc leg.* nunc sufficiat, *Lucum* ibi fuisse cupressis obsitum amœnissimum: de quo fidem faciunt præter hanc Theodosii M. *legem*, Arcadii filii eius *lex 1. C. Iust. d. tit.* Atque hic lucus inter præcipua Suburbani istius decora censitus, sic vt hoc cum maxime censeretur, commendareturque. Eum habes pictura arborum adumbratum in *Itinerario Peutingeriano, fol. 9.* Meminit & commendat eum non *vno loco* Libanius, *de vita sua p. 76. 77.* & in *Antiochico p. 380. 381. edit. Morell.* Chrysostomus quoque inter alia, *homilia 17. ad popul. Antiochen. de statuis euers. tomo 4. p. 426.* & Edit. Paris. *tomo 1. p. 201.* siu. *Tom. II. Edit. Benedict. pag. 178.* ὅταν ἐθέλῃς τῆς πόλεως εἰπεῖν ἐγκώμιον, μή μοι τὴν Δάφνην εἴπῃς τὸ προάστειον, μηδὲ τὸ πλῆθος καὶ μῆκος τῶν κυπαρίσσων, μηδὲ τὰς πηγὰς τῶν ὑδάτων: *cum vis ciuitatis laudem efferre, ne mihi Daphnem suburbanam dicas, nec altitudinem cupressorum, nec aquarum fontes.* Sozomenus etiam *lib. 5. cap. 19.* Δάφνη τὸ ἐπίσημων τῆς Ἀντιοχείας προάστειον, κομᾷ μὲν ἄλσει κυπαρίσσων πολλῶν, ποικίλλεται καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις φυτοῖς ἀναμὶξ ταῖς κυπαρίσσοις, &c. *Daphne nobile Antiochiæ suburbanum, multarum quidem cupressorum nemore nitescit, sed & aliis inter cupressos consitis arboribus variatur.* Procopius, *Persicorum. lib. 2. cap. 11. & 14.*

Et fuit hic lucus Palatio proximus, & in re priuata & delitiis Principum, vt iam ostendi. Hac de causa proinde, Cupressum inde priuato exscindere vetitum. Quod præter *hanc leg.* testantur duæ insuper illæ Arcadii & Theodosii Iun. constitutiones, quæ extant *C. Iust. tit. de Cupressis ex Luco Daphnensi excid.* Testatur & Libanius, *de vita sua*, duobus locis, *p. 76. edit. Morell.* ἀκούσας μὴ χείρω ποιεῖν τὴν Δάφνην, μηδὲ ἐπιφέρειν κυπαρίττοις σίδηρον; *cum accepisset non peiorem esse Daphnen faciendam, neque in cupressos inferendum esse ferrum.* & *p. 77. edit. cit.* κυπαρίττοις μὴν ἐν τῇ Δάφνῃ σίδηρον ἐπενεγκεῖν ἐγνώκει. τοῦτο δὲ εἰδὼς ἐγὼ, τῷ τέμνοντι τελευτῆσον οὐκ εἰς ἀγαθὸν, πρός τινα τῶν αὐτοῦ συμποτῶν ἔλεγον, ὡς οὐ παροξυντέον τὸν Ἀπόλλω διὰ τῶν Κυπαρίττων, καὶ ταῦτα αὐτῆς τῆς οἰκίας ἀφ᾽ ὁμοίας πεπληγμένης αἰτίας: *cupressis, quæ in Daphne erant consitæ, ferrum immittere decreuerat, ego qui istud noueram cædenti non in bonum versum iri, alicui ex ipsis conuiuis prædixeram, minime irritandum esse Apollinem cupressos cædendo, idque cum iam domus simili de causa icta fuisset.* Tandem & Procopius, *lib. 2. Persicorum cap. 14.* τότε γὰρ ἀνέμου σκληροῦ Δάφνῃ τῷ προαστείῳ ἐκ τοῦ αἰφνιδίου ἐπιπεσόντος, τῶν κυπαρίσσων, αἳ ταύτῃ ὑψηλαὶ ἀτεχνῶς ἦσαν, ἐκ ῥιζῶν τῶν ἐσχάτων ἀνατραπεῖσαι ἐς τὴν γῆν ἔπεσον, ἅπερ ὁ νόμος ἐκτέμνεσθαι οὐδαμῇ εἴα: *tunc enim vehemens in suburbium Daphnem coortus repente ventus, ab radicibus imis eruit strauitque procerissimas cupressos, quas ne quis excideret, edicto fuerat vetitum.*

Causam vero Interdicti istius, quam Libanius ex superstitione & fabulis Gentilium reddit, nil moror: Vera causa fuit sub Christianis Imperatoribus, ne quid Luci & Palatii Daphnensis amœnitati detraheretur. Quare & grauissima pœna id vetitum *d. l. 1. & 2.* Adeo quidem vt ne Rectoribus quidem seu Iudicibus prouinciarum, ac nominatim Syriæ Cœles Rectori, arbores exinde cædere licuerit: Quanquam Theodosius Iun. postea *d. l. 2.* ex permissu Præfecti Prætorio Orientis exscindendi eis potestatem fecit. *Alytarchis* tantum vrbis Antiochenæ solis, & more veteri (sub paganis videl. Principibus) & constitutis Christianorum Principum, exceptis, quibus id licuit. Quod & *hac l.* permittitur a Theodo-

Theodosio M. Et intra modum tamen, & anguste admodum: sub duabus conditionibus & limitationibus; puta 1. Vt vnam tantum cupressum his exscindere liceat: 2. Sub hac adhuc lege, vt plures inuicem plantarent; qua ratione nil decori & amænitati Luci Palatiique Daphnensis deperiret, per huiusmodi substitutionem seu suffectionem.

Ad quid autem hæc cupressi excisio permissa Alytarchæ? Nempe ad ludorum ornatum, quos Alytarchæ edidere. Alytarcha scil. Vrbis Antiochenæ, cuius mentio quoque fit *l. 2. infr. de expensis ludorum*, *lex 2. Cod. Iust. de cupressis ex Luco Daphn.* & *l. 1. eod. Cod. de off. Com. Orient.* specialis sacerdos fuit Antiochiæ (quanquam & alibi *Alytarchas* quoque fuisse ex *veteri Inscript. Arundeliana* discimus)
P. 390 qui idem & Agonotheta erat, ludisque edendis operam nauabat, vt diserte *d. lex 2. inf. de expensis ludorum:* Vbi plene dicam, vt & de nominis *Alytarchæ* ratione, vt & Iudices seu Rectores prouinciarum ludis edendis operam ipsi nauabant. Sic tamen vt angustiore loco Alytarchæ horumque ludi & editiones haberentur, velut Antiochiæ destinati; quæ totius Orientis caput & vertex erat. Hinc primum Alytarchis his maiores expensas in ludos facere licuit, ex Theodosii Iun. constitutione, puta *d. l. 2. inf. de expensis ludorum.* Hinc secundo cum Syriarchæ ludi sollicitudine Rectoris Syriæ exercerentur, Alitarchæ ludi, tanquam maiores, maioris iudicis cura puta Comitis totius Diœceseos Orientis, exercebantur ex Leonis *l. vn. C. Iust. de Offic. Comitis Orientis.* Hinc Tertio, his cupressum ex luco Daphnensi exscindere licuit *hac l.* quod forsan hac tempestate Iudicibus non licuit. Licuit sane postea, Iudicibus Syriæ ex permissu Præfecti P. ex constitutione Theodosii Iun. *d. l. 2. C. Iust. de cupressis.* Contra id prohibitum Alytarchæ, *eadem l. 2.* qua proinde *hæc lex* abrogatur: Sic tamen, vt inuicem & pro compensatione istius iuris & solatii Theodosius Iunior Alytarchæ vnam libram auri ex priuata re Principis dari iubeat. Tanta scil. habita fuit hæc vel vnius cupressi exscindendæ potestas, vt septuaginta duobus aureis solidis, & sic libra auri *ea l.* vel vna cupressus compensetur, adæretur, taxetur. Nempe ideo, ne paulatim lucus ille sublucaretur, seu elucaretur.

Cœterum quisnam cupressi illius vsus esse potuerit in ludis? videamus. Erant scilicet in his ludis Dendrophori, de quibus *l. 20. infr. de Paganis:* qui arbores Diis sacras gestarent: & nominatim cupressos in honorem Apollinis, cuius cultus præcipuus in Syria erat, atque in ipsa Daphne, vbi festum Daphnense agitatum: de quo Libanius, *duabus orationibus*, *περὶ τῶν ἀγγαρειῶν num. 7. p. 35. Ed. Gothofred.* siu. *p. 385. 386. Oper. minor. Gothofred. Ed. Trotz.* *περὶ τῶν δεσμωτῶν, num. 10. p. 64. ed. Gothofred.* siu. *p. 407. 408. inter Oper. minor.* ad quas dixi. Quæ cum ita sint, apparet, *hanc leg.* quoque ad *Ecclesiasticam* historiam referendam: ex qua duo in id discimus, sub Theodosio M. Sacerdotes & ludos Gentilitios hoc adhuc tempore stetisse, & quidem apud Antiochiam Syriæ, solitaque pompa ibi exhibitos: & vero Theodosium inter imperii sui initia exhiberi voluisse, fuisse, cum de eo tamen nonnulli ambigerent, eique rei intercederent: Quæ occasio fuit *huius l.* ferendæ: quaque ideo Theodosius M. profitetur, *se mori veteri & constitutis Maiorum hac parte accessisse.* Christianissimus cæteroquin Imperator, & a veterum Gentilium institutis longe diuersus: quod ostendunt variæ eius deinceps constitutiones, aduersus Paganos paganorumque ritus latæ.

De TERMINANDARVM *fiscalium causarum tempore siue in prima, siue in secunda instantia.*

XIII. (a) Idem AAA. ad Messianum Proconf. Afric.

IN omnibus fiscalibus causis, quisquis Iudicum (b) Cognitor resederit (exceptis Magnificis Viris Largitionum Nostrarum Comitibus, (c) quo, extra ordinem (d) negotia definire, non multo ante latam, (e) secundum veteres (f) mores, Constitutionem † præcipimus) (g) si intra eandem prouinciam res agatur, duos menses satis abundeque sufficere censemus: si ex contigua personæ atque instructiones necessariæ putabuntur, quatuor: si ex Transmarina, sex. Cum vero de causæ meritis interposita prouocatione tractabitur, in eadem prouincia partibus constitutis, intra viginti: si ex contigua, intra quadraginta dies negotium terminetur. (h) Dat. XV. Kal. Octob. Aquil. Arcadio A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Indicari videtur hæc *lex* in *l. 46. & 64. inf. de Appellat.* qua posteriore ea abrogatur. *GOTHOFR.*

(b) Etiam qui vice sacra iudicant. *ID.*

(c) id est, Comite *S. L.* & Comite *R. P.* *ID.*

(d) id est, non ordine scrupuloso iudiciorum. *ID.*

(e) *al.* *Lata*, & mox *Constitutione.* *ID.*

(f) Veteres mores. *ID.*

† Constitutio hæc Valentiniani Iun. nuspiam comparet. *ID.*

(g) *al.* *Præcepimus.* *ID.*

(h) Quid si ex transmarina? Istud hic omissum. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. hæc constitutio est, de ACTIONVM seu causarum fiscalium finiendarum termino: & altera quidem *hoc titulo*. Prima enim super eo fuit Constantini M. Constitutio *l. 4. sup.* Et hæc quidem de termino actionum fiscalium, tum in prima instantia, tum in secunda, qui scil. sufficiens esse possit ad personas & instructiones necessarias. In vtraque distinguitur inter prouincias (quæ communis & alias distinctio est) Et quidem in prima instantia, ita: Nempe duos menses terminandis causis fiscalibus præstituit, Imp. *h. l.* in eadem prouincia: quatuor, in contigua, sex in Transmarina. Finge, bona habere me in Africa prouincia proconsulari, vel in ea larem habere me: Sane quæ mihi lis cum fisco intercedit, mota semel, intra bimestre finienda est: *Satis* scil. & *abunde* hoc *tempus sufficere* visum Valentiniano Iun. Vel finge, in ea larem me non habere; Sane, si in contigua prouincia (finge in *sp. huius leg.* quæ ad Africam pertinet,) larem habeo, intra quadrimenstre causam terminari oportet. Si vero in Transmarina prouincia, v. g. Galliarum, aut Italiæ &c. (nam hæ *transmarinæ* prouinciæ respectu Africæ) intra
P.391 sex menses. Et exceptionem tamen addit ratione Comitis S. L. & R. P. Apud eos scil. causa fiscalis si agitetur, vt extra ordinem *quadam* negotia definiebant, (quod & *veteribus moribus* conforme, & a se non multo ante constitutione sua præceptum Valentinianus Iun. ait:) non tam angustis finibus causæ fiscales includuntur: proculdubio, quia negotia illa maioris meriti erant. Et hæc de prima instantia, quo concinit anterior quoque eiusdem Valentiniani Iun. constitutio *l. 41. in f. inf. de appellat.*

Secundæ instantiæ seu appellationi in causa fiscali hic terminus *h. l.* a Valentiniano Iun. præstituitur, nempe viginti dierum. Si pars in eadem prouincia constituta sit, in qua scil. appellationis Iudex cognoscit, 40: Si in contigua, finge a Rectoris Numidiæ iudicio in causa fiscali ad Vicarium Africæ appellatum: Si pars in Africa proconsulari, vbi Vicarius Africæ morabatur, larem habeat; intra 20. dies appellationis iudicium terminandum est: Si in Numidia ipsa, intra 40. dies. Vt Appellationum aliarum causis finiendis varia tempora subinde præstituta sunt, ita & appellationum causis fiscalibus sua quoque, de quo est *lex 21. 28. 45. 46. 64. de appellationibus*: Nempe Constans viginti pariter dies constitutione sua ad Proconsulem Africæ præstituit *d. l. 21.* Constantius pariter vt *hac l.* dies 20. in eadem prouincia; in aliis 40. dies, *d. l. 28.* Valentiniani Iun. qui *huius l.* auctor est, hac parte duæ præterea constitutiones occurrunt, puta *d. l. 45.* & *46. de appellat.* Nempe appellationes transmarinas in causis fiscalibus apud Comitem R. P. intra annum agi vult: in contiguis vero prouinciis intra constituta iure tempora, *d. l. 45.* quæ hoc ipso anno paulo ante data est, neque definitur ibi, quæ sint constituta tempora. Altera vero constitutione, quæ hoc ipso Anno data est, trimestris post puta *d. l. 46.* illud ipsum statuitur, quod *hac lege*: ita quidem vt hanc sanctionem suam nominatim indicare & firmare illa videatur. Pariter vt indicare videtur, simul & abrogare Honorius Imp. *d. l. 64. inf. de appellat.* Sane Marcellini Tribuni & Notarii cognit. in *Collat. Karthaginiensi* Edicto idem laxamentum tribuitur.

Illud interim obseruandum ex *hac l.* Africam in obsequio Valentiniani Iun. stetisse; quamlibet Maximus Tyrannus Imperium cæso Gratiano hoc tempore vindicasset. Et tamen Latinus Pacatus *Panegyrico Theodos. c. 38.* Africam a Maximo exhaustam scribit.

Nunc de Messiano cui *hac lex* inscribitur: *Messiani* huius mentio fit apud Augustinum, *contra Petilianum lib. 3. c. 25.* Sic quidem, vt diserte eum *Bautone COS.* (qui legi subscriptus est) Proconsulem fuisse indicet. Sed etiam ex gestis ostendit, eum *Post COS. Bautonis*, id est Anno proximo 386. Manichæos audisse, & contra eos sententiam protulisse: *Inter multa etiam prorsus ad rem non pertinentia dicit*, MESSIANI PROCONSVLIS *sententia me fuisse perculsum, vt ex* AFRICA *fugerem, & propter hoc falsum quammulta alia consequenter non vtcunque dicere, sed etiam scribere mira temeritate non timuit: Cum ego Mediolanum ante* BAVTONEM CONSVLEM *venerim, eique Consuli Kalendis Ianuariis tandem in tanto conuentu, conspectuque hominum pro mea tunc Rhetorica professione recitauerim, & ex illa peregrinatione iam post Maximi Tyranni mortem Africam repetiuerim; Manichæos autem* MESSIANVS PROCONSVL *audierit* POST CONSVLATVM BAVTONIS, *sicut dies gestorum ab eodem Petiliano insertus ostenditur.*

VSVRPARI *aliquid ex auro & argento rei priuatæ nil posse absque Principis authoritate.*

XIV. (a) Idem (b) AAA. Hyperechio (c) Com. R. P.

AVRI atque argenti maximum pondus plurimis diuersisque temporibus vsurpatum, & ad Ærarii nostri rationes non relatum, cognouimus: Quod ne in dispendium Rei Priuatæ procedat, vt facilius accepti expensique ratio clarescat, nihil volumus de Conlatione prædicta absque nostri (d) auctoritate, in quibuscumque prouinciis, (e) vsurpari, quo facilior sit Discussio pecuniæ, cuius nobis fuerit summa testatior. (f) Dat. XVI. (g) Kalend. Ian. Mediolani, Cæsario & Attico Coss. [397.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* Forte huic iungenda *lex 12. supra, de Tironibus*: πρόθυστερον hic admissum: debuit enim *lex 15. prox.* huic anteferri. GOTHOFR.

(b) Qui *legi* 16. inscribuntur. *ID.*

(c) *Hyperechius* Comes R. P. Eidem inscribitur hoc ipso Anno *d. lex 12.* Vbi tamen *Sperechius* vocatur: verum Symmachus *Hyperechium* memorat, *libro 3. ep. 51. Sperecium*, virum Illustrem, idem *lib. 5. ep. 54. & 66.* Ex quibus etiam clare de hac eius dignitate Comitis rerum priuatarum liquet. *Hyperechius* quoque quidam nominatur ab Ammiano

miano Marcellino *lib.* 26. *cap.* 8. qui Castrensis apparitor olim fuerat. Hyperechium etiam memorat Gregorius Nazianzenus *ep.* 124. de *Hyperechio* quoque Grammatico sub Maximo & Leone Suidas. *Spericius* Sacerdos Iouis, Duumvir in Africa, in gestis purgat. Caeciliani & Felicis, idem cum *Hyperechio*. Tandem extant plures Libanii ad Hyperechium epistolae: in MS. Regio septem, puta *ep.* 215. 252. 602. 629. 650. 674. 689. in Vaticano tredecim, puta *lib.* 1. *ep.* 205. 244. *lib.* 2. *ep.* 10. 11. 29. 151. 173. 188. *lib.* 4. *ep.* 4. 155. 248. 271. *lib.* 5. *ep.* 20. 78. vide plura in *Prosopog.* IDEM.

(d) *Nostra.* ID.

(e) Ita & *d. l.* 12. per omnes prouincias. ID.

(f) *Testatior.* ID.

(g) *XVI. Kal. Iul. d. l.* 12. ID.

P. 392. COMMENTARIVS.

VSVRPATIONI Auri atque argenti, quod collatum a prouincialibus est, *hac leg.* occurrit Honorius Imperator (cum comperisset scil. is, maximum pondus inde vsurpatum.) Igitur absque Principis auctoritate quicquam exinde vsurpari vetat Honorius, vt ita facilius accepti & expensi ratio clarescat; seu vt facilior sit discussio pecuniae, cuius summa fuit Principi *Testatior.* Antea quoque a Valentiniano Sen. vetitum fuerat aliquod de rebus priuatis vsurpari, nisi prius Comes R. P. gnarus fuisset, *leg.* 9. *supr.* Exindeque sublimium Potestatum iussione vsurpari aliquid ex praedicto auro atque argento poterat, vt ex reliquo priuatae rei canone: quod docet *lex* 2. *infr. de his quae ex publ. coll. ill. sunt, non vsurpandis:* in quem *titulum* haec *lex* melius relata fuisset, pariter vt *lex* 9. & 10. *supr.* Verum Principis nunc auctoritas hanc ad rem desideratur. Auri scil. atque argenti ex collatione illati vel inferri soliti, peculiaris quaedam ratio visa: vt docebunt *lex* 19. 32. 34. *infr. de annona & tributis.* Proculdubio quia & facilius vsurpata, & ad quotidianos Reipubl. vsus, veluti militum seu tironum delectum maxime necessaria essent. Et quidem hac tempestate: Mihi enim & haec *lex* ad apparatum belli Gildonici pertinere videtur, coniungendaque etiam *legi* 12. *supr. de Tironibus.*

VSVRPARI *loca sacri dominii non posse: Nequidem Rescripto aut Praescriptione, aut Censuali professione.*

XV. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. ad Paulum (b) ...

SI qua vsquam (c) Loca ad Sacrum Dominium pertinentia cuiuslibet temeritas occupauit, (d) secundum veteris census fidem, in sua iura retrahentur. (e) Rescribta (f) igitur obreptionibus impetrata, cum praescribtione longi temporis, & noui census praeiudicio, submouebit Auctoritas Tua, atque ita omnia suo corpori quae sunt auulsa restituet: neque enim aut (g) precatio (h) colorata, aut incubatio (i) diuturna, aut nouella (k) professio, (l) proprietatis nostrae priuilegium abolere potuerunt. (m) Dat. V. Kalend. April. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. Coss. [396.]

NOTAE.

(a) Duobus locis in *Codicem Iustin.* relata & exscripta est haec *lex:* puta *l. vlt. C. Iust. ne rei dominicae:* & *l. vlt. Cod. eod. de fundis & saltibus rei domin.* GOTHOFR.

(b) *Comitem dominicae rei,* in *C. Iust.* Vtroque loco: al. *Com. domorum.* ID. In *d. l. vlt. C. Iust.* dicitur, *Paulinus.* RITTER.

(c) Abest haec vox a *d. l. vlt. de fundis:* & *d. l. vlt. ne rei dom.* habetur *vnquam.* GOTHOFR.

(d) *Occupauerit,* in Cod. Iust. vtroque loco. RITTER.

(e) *Retrahantur,* C. Iust. vtroque loco. GOTHOFR.

(f) Hic versiculus ita quoque expressus *d. l. vlt. ne rei dom.* paulo aliter *d. l. vlt. de fundis & saltibus.* ID.

(g) Haec, *aut precatio colorata,* absunt a *d. l. vlt. ne rei dominicae:* propter petitiones sublatas. Et tamen extant ea quoque in *d. l. vlt. de fundis & saltib.* Quae Triboniani incogitantia & inconstantia fuit. ID.

(h) *Precatio,* pro precibus Principi oblatis. vid. *Gloss.* ID.

(i) *Incubatio:* de hac voce vid. *Gloss. Th.* ID.

(k) *Nouella.* vid. *Gloss.* ID.

(l) *Professio,* pro censuali. v. *infr. tit. de censu.* ID.

(m) Ita quoque *d. l. vlt. C. Iust. de fundis & saltib.* Sed *poterit.* in *d. l. vlt. ne rei dominicae.* ID.

COMMENTARIVS.

ARCADII Imp. Haec *lex* est, quae duobus locis repetita extat in *Cod. Iust.* Ex qua apparet, quo Princeps hic erga fiscum suum seu *Domanium,* vt loquuntur, animo comparatus fuerit: Ea vero LOCORVM quorumcunque ad rem priuatam olim pertinentium occupationem seu vsurpationem in irritum reuocat: *locorum,* inquam, & quidem, vt ipse censeo, Templorum inter alia, & vel cum maxime:

met de quibus *Templorum locis* est præterea eiusdem Arcadii Constitutio seu *lex 24. infr. de petitionib.* & tertia insuper, cujus meminit *lex vlt. infr. de collat. donatarum.* Nam de aliorum Principum constitutionib. super his Templorum locis iam dixi ad *l. 8. supr.* Sane *d. l. 24.* Arcadius pariter vt *hac l.* peti ea loca Templorum a se vetat. Quidquid huius sit, loca rei priuatæ Principis a priuatis occupari vsurpari vetat: submotis hac in re tribus præscriptionibus. Licet inquam Principis Rescripto muniti sint, licet longi temporis præscriptione, licet in censum ea iam professi sint: Nam quo nil a me elegantius dici possit, *neque precatio colorata*, id est, Rescriptum obreptione impetratum (vt *hac* quoque *leg.* dicitur) neque *incubatio diuturna*, id est, vt *hac* etiam *leg.* vocatur præscriptio longi temporis, *neque nouella professio*, id est, noui census præiudicium, vt itidem vocatur *h. l.* proprietati Principis reique priuatæ quidquam obesse possunt: *Impetrasse* ea a Principe nil prodest, quæ nec peti debuerunt: *Præscripsisse* nil iuuat ea quæ priuatam possessionem fugiunt: *Professio* denique censualis nouella, Principis *censum* seu opes abolere & imminuere non potest, vt veteris census fidem euertat: Ita enim hic locus accipiendus est; neque enim hic simpliciter indicatur, quod vulgo credunt, antiquo censui standum, seu fidem habendam, non nouo. Quod neque ipsum indicatur *l. 1. Cod. Iust. de censibus*, seu *l. 1. infr. de censu.* Hoc certe loco non agitur de fide census, sed de validitate eius. Quod præscriptionem attinet, de ea iam dixi ad *leg. 3. supra.*

P. 393. *Aduersus* VSVRPATIONES *specierum fiscalium.*

XVI. (a) Idem AA. Apollodoro (b) .....

OMNIVM prædiorum, (c) quæ rei nostræ adgregata sunt in diuersis speciebus, (d) maxima pars passim ab inprobis (e) direpta est: Et quamuis, secundum iuris (f) ordinem, ea quæ erepta sunt in quadruplum oportuerit postulari, Clementiæ tamen Nostræ moderationem secuti, decernimus, ex eo die, ex quo iussio nostra fuerit celebrata, (g) cessantibus frustratoriis defensionibus, quibus in Exactorum personam refertur (h) commissa direptio, intra tres menses ea tantum, quæ constiterit per vasa, (i) restitui. Quod si quispiam ingratus nostro beneficio solutionem distulerit in dupli pœna teneatur obnoxius. Qua condicione eos quoque volumus adstringi, qui in fugam versi (k) esse dicuntur: vt, nisi intra constitutum tempus quæ sunt direpta reddantur, vt (l) ad modum dupli rei nostræ eorum prædia vindicentur. Officio quoque Iudicum diuersorum, si non Exactores & Compulsores, (m) quorum direptio arguitur, repræsentauerint, tempore superius constituto, eadem pœna retinebit, ipsis aduersus fugientes actione seruata. Iudicum quoque segnitiem in hac parte grauissima multa feriendam esse censemus. (n) Dat. XII. Kal. Decembr. Med. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* velut temporaria & historica. *GOTHOFRED.*

(b) *Proconf. Africæ.* Eidem Apollodoro *Proc. Africæ*, hoc ipso Anno *lex 1. infr. de Religione*: & *lex 17. 18. infr. de Paganis, sacrif. & templ.* & Anno prox. 400. *lex 2 infr. de superexactorib.* inscribuntur. Ad hunc eundem scribit Symmachus *lib. 8. ep. 13.* & *lib. 9. ep. 4.* & 48. quib. aperte indicat, eum Proconsulem Africæ fuisse. *ID.*

(c) Vox isthæc hic stare non potest: An igitur reponenda vox, *præmiorum* vel *conditorum*? Placet vox *Prodigorum*, de quo mox. *ID.*

(d) *Specierum* vox de Annonariis: vide *Gloss.* *ID.*

(e) *Improbi* vox hac in re propria: vide *Gloss.* *ID.*

(f) *Iuris ordinem* vocat constitutionem veteris iuris. *ID.*

(g) *Celebrata* iussio, id est, publicata, proposita. *ID.*

(h) Id est, Exactoribus imputatur: & vt mox dicitur, eorum direptio arguitur. *ID.*

(i) Ita omnes editiones: verum compellendæ litteræ sunt in vnam vocem, *peruasa*. *ID.*

(k) Id est, *se vertisse.* *ID.*

(l) Bis hæc vox hic repetita. *ID.*

(m) De *Compulsoribus* his dixi ad *l. 34. infr. de annona & trib.* *ID.*

(n) *Censemus*, id est, iubemus. *ID.*

COMMENTARIVS.

VSVRPATIONI specierum fiscalium, rei priuatæ Principis solutorum, pœnam *hac lege* imponit Honorius Imp. A. D. 399. *specierum*, inquam, fiscalium, vt docent illa in *diuersis speciebus*, vt & quæ de Exactoribus & Compulsoribus *hac l.* memorantur, & de *direptione*: quæ omnino de rebus mobilibus hic agi ostendunt, non vero de *prædiis*: Quare menda *initio legis* insidere videatur; *Omnium prædiorum, quæ rei nostræ adgregata sunt in diuersis speciebus, maxima pars passim ab improbis direpta est.* Verum nil mutandum, *QVÆ rei nostræ adgregata sunt.* Id est, ea quæ &c. Et sic constat recte sensus. *Species* porro *hac l.* sunt annonæ fiscales; Species annonariæ, Cellarienses: de qua voce v. *Gloss.* Est itaque hæc *lex* de vsurpatione specierum fiscalium seu annonariarum specierum: & quidem per Africam (inscribitur enim Africæ Proconsuli hæc *lex*) scilicet cum Honorius annonarii commeatus vrbi-

ci

et Romam subuehendi enixam curam hac tempestate ageret, deprehendit is maximam specierum annonariarum seu prodigarum partem direptam. Quare huic rei consulere in animum induxit suum *hac l.* A quo ipso animo est, quod ad eundem Apollodorum (cui hæc *lex* inscribitur) Symmachus *lib. 9. ep. 44.* scribebat, de communis patriæ victu celeriter Romam inuehendo, deque angustiis conditorum; eum rogans, *vt annonarios vrgeri iuberet paratus.* Igitur Honorius, remissa Quadrupli pœna, quæ iure imponi his vsurpatoribus specierum fiscalium seu prodigarum potuisset: & vero *secundum iuris ordinem*, vt *hac l.* dicitur, quæ pariter imponitur in sp. *l. 10. supr.* pro Clementia sua, intra tres menses direptas species restituere iubet, citra vllam aliam pœnam: Dupli alioquin pœna his imposita, nisi inquam intra hoc trimestre eas restituerint. Cæterum ipsosmet ferme Exactores & Compulsores, has species vsurpasse indicat *hac lex*; nonnullosque ex his in fugam sese ideo vertisse, cum viderent huius rei inquisitionem fieri: Quare & ipsis Iudicum seu Rectorum prouinciarum Officialibus, imo & Iudicibus pœnam minitatur *hac ipsa lege* Honorius, nisi hos Exactores & Compulsores, quorum direptio arguebatur, repræsentarent. Et quidem Officialibus, eandem Dupli pœnam: *Seruata ipsis aduersus fugientes actione.* Quod postremum notandum: nam & exemplum continet *Regressus* aduersus alium: & nominatim ob pœnam depensam. Quod singulare aduersus ius commune. De *Compulsoribus* porro his plene dicam ad *l. 34. infr. de annona & tributis.* In antecessum de his notandum, hoc ipso Anno alteram de his Honorii constitutionem extare, puta *l. 15. inf. de exaction.* vt & Anno prox. *l. 3. supr. de concuss. Aduoc.* quæ & ipsa ad Africam pertinet.

P.394 1. *De* SVSCEPTORIBVS *creandis.* 2. *deque pabulis & sumptibus* FAMILIIS *ministrandis.* 3. *de* HIRENARCHA *&* OPTIONE.

XVII. (a) Impp. Honorius & THEOD. AA. Patricio (b) Com. R.P.

SVPER creandis Susceptoribus, (c) dispositionem (d) Tuæ Sublimitatis firmam esse præcipimus, periculo Procuratorum rei dominicæ: ita vt omni ambitione (e) cessante, quæ statuta sunt, quæque antiqua consuetudine commendantur, in pabulis (f) vel sumptu familiæ ministrando, intemerata permaneant: Super Hirenarcho (g) & Optione (h) omnia (i) antiqua consuetudine obseruanda. Dat. III. Kal. Ian. Constantinop. Theod. A. IX. & Constantio II. (k) Coss. [420.]

NOTAE.

(a) *L. 9. C. Iust. eod. tit.* Fugitiua vero est hæc *lex* ab hoc *titulo*, pariter vt in *C. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Patricius* Comes R. P. sub Theodos. Iun. vid. *Prosop.* ID.

(c) Inuersa hæc *Cod. Iust. Super creandis susceptoribus periculo Procuratorum rei dominicæ, dispositionem* &c. ID.

(d) *Dispositio,* vid. *Gloss.* IDEM.

(e) *Ambitio* est, ambitus gratia. ID.

(f) *Pabulis,* id est, capito animalis. ID.

(g) *Irenarcha,* Cod. Iust. ID.

(h) *Optio* est qui annonas militares exigebat a susceptore: dixi plene ad *tit. de erogat. mil. ann.* ID.

(i) γρ. *Omni,* vt Cod. Iust. ID.

(k) γρ. *III.* IDEM.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. hæc constitutio est: cuius in *Codicem* quoque *Iustinianeum* relatæ, tam vagum & incertum argumentum est, vt id definiri liquido non posse videatur: quandoquidem relatiua ea ferme est, tum ad dispositionem Patricii Comitis R. P. cui *hac lex* inscribitur; tum ad antiquam consuetudinem: Sed & quomodo hæc *lex* huic *titulo* proprie conueniat, ægre dispici potest: nisi quod in *ea* agi videamus, de *Procuratore rei Dominicæ.* Neque enim Susceptores, proprie ad hunc *Titulum* faciunt: Hirenarcha vero & Optio, de quibus postrema *huius l.* parte agitur, nullo modo. Tandem obscurum admodum est *hac l.* id quod de *Familia* deque *pabulis* vel *sumptu Familiæ* ministrando additur, Itaque diuinationis negotium hic videatur.

Mihi mens ea, dispositionem & prouidentiam *huius l.* omnem pertinere ad REM MILITAREM, & Milites in Oriente, Persis, vel etiam aliis pacem publicam infestantibus, oppositos. Quibus vtrisque oppositus Miles, & Familiæ, & Hirenarchæ fuere. Denique, vt verbo dicam, pertinet *hæc lex* ad militarem annonam; atque adeo melius ea relata fuisset in *titul. de Erogatione militaris annonæ* I. Nempe *Optio* (quod Alciatus hic ignorauit) de quo hic agitur, militaris annonæ erogator dicebatur: cuius præterea mentio fit *l. 1.* & *24. supr. de erogat. mil. ann.* de quo plene dixi *ad d. l. 1.* Secundo *Hirenarcha* erat, cui pacis publicæ tuendæ cura commissa erat: de quo est peculiaris titulus *infr. de Hirenarchis, lib. 12.* Tertio; Quare & Susceptor, de quo *hac l.* agitur, est susceptor militaris annonæ, de quo multis *legib. tit. de erog. mil. ann.* & *tit. de susceptorib. infr.* a quo familiis militaribus, (de quibus mox) pabula & sumptus præbebantur, vt hæc *lex* docet. Quarto; Eodem pertinent & *Familiæ* de quibus *h. l.* agitur; & *l. 17. 28. 31. sup. de erogat. mil. an.* & *l. 1. sup. de excoct. & transl.* Scilicet familias has ad rem militarem pertinuisse exinde primo liquet, quod de his ex professo agitur *dictis duobus titulis, de erog. mil. ann.* & *tit. de excoct. & translatione annonarum.* Secundo ex *hac ipsa*, quæ tota est de re & annona militari: seu vt *hac lege* dicitur, *de pabulis & sumptu ministrando*: vbi *pabulum* est, quod alias *capitum* animalis dicitur: *sumptus* vero hominis. Tertio, & multo magis

gis id ex omnibus dictis *legibus* liquet: nam & hi generali *militum* appellatione promiscue comprehenduntur, *d. l. 17. 28.* & specialiter militibus iunguntur, *d. l. 17.* itemque Numeris (militaribus scil.) *d. l. 28.* Quarto eædem *leges* ostendunt militares annonas his familiis præstitas, seu annonas & capitum, puta *d. l. 17. 28. 31.* & *d. l. 1.* Nonnullas porro earum familiarum per Orientem, alias per Ægyptum constitisse docet, *d. l. 17. 28. 31.* vt & per Occidentem, *d. l. infr. supr. de excoct.* Quare familiæ videri possint fuisse milites, qui suspectis locis habebantur: Ideoque a Numeris, vti dixi, separantur, mediique collocantur inter Numeros & impedimenta, *d. l. 28.* Verum hoc ipso argumento, nempe quod medii inter Numeros & impedimenta collocantur, inducor vt credam, fuisse milites nondum in Numeros relatos, qui in castris habebantur nondum sub signis: de quibus videnda *lex 9. supr.* de desertoribus. Denique Tyrones, de quibus *suo tit. supr.* adcrescentes qui matriculis attinebantur: de quibus *l. 11. supr. de re militari: l. vn. supr. de Classicis:* Scilicet, vt milites iusti in *Numeros* diuisi, ita Tyrones in *familias*. Ac licet in Numeros relati non essent, his tamen (tyronum) familiis ex re priuata Principis, (vt ex inscriptione *legis* & Procuratorum Rei Dominicæ appellatione colligitur) pabula & sumptus data: quod hæc *lex*, & cæteræ docent: vt Adcrescentibus data e fisco docet *l. 11. supr. de re militari:* vbi vide quæ dixi. Nempe statim vt gerendis armis idonei facti fuissent. De iisdem accipiendus quoque locus incerti Auctoris, qui subditus est *Notitiæ Imperii cap. 5.* Iidem dicuntur *Supernumerarii* Vegetio, *lib. 2. c. 19.* & *lib. 3. cap. 18.*

P. 395. Et vero vt ad horum annonas redeam, *hac leg.* id a Theodosio Iun. cauetur, vt pabula sumptusque his *Familiis* a Susceptoribus scil. ministrentur, quæ statuta sunt, quæque antiqua consuetudine commendantur, omni ambitione cessante; sic vt nulli præter veterem modum quid præbeatur: Et retro, ita vt his permaneant intemerata, quæ antiqua consuetudine præbebantur.

Quæ cum ita sint, apparet iam quam male hæc *lex* sub hoc *tit. de Iure fisci*, vtroque *Codice*, collata fuerit: Apparet, quam male hactenus a *Codicis Iustinianei* Interpretibus omnibus accepta fuerit, etiam a *Cuiacio:* qui putabant agi de *Familia domestica*, seu *Principis*. Et hæc quidem in genere dicta sint de *familiis*, *Hirenarchis*, *Optionibus*, & *Susceptoribus*.

Nunc de Secunda *huius l.* sententia. *Susceptores* igitur periculo Procuratorum rei Dominicæ creari nunc iubet Imp. id est, *Procuratorum Rei priuatæ*, qui sub Comite R. P. (vt *hæc* quoque *lex* docet) per singulas prouincias fuere: de quibus vid. Notitiam *sub Comite R. P.* quæ septem ferme post *hanc leg.* annis scripta fuit. De quibus, vt & de Comite R. P. non est hic locus plura dicendi. Et in hoc quidem Theodosius dispositionem Patricii Comitis R. P. firmam esse iubet. Id scil. cum aliter hactenus obseruaretur, seu alia consuetudo seruaretur, ita disposuerat Patricius: Et sic contra consuetudinem.

Atenim, quæ Tertia iam *huius leg.* sententia est, in Irenarcha & Optione *creandis* (nam ita *hanc leg.* accipio) antiquam consuetudinem obseruari iubet Theodosius Iun. *hac l.* Quænam vero illa? non ea quæ continetur *l. vn. Cod. Iust. de Irenarchis*, quæ sane Triboniani mentem, non Theodosii continet; verum ea, vt puto, de qua *l. vn. infr. de Irenarchis*, & *l. vlt. infr. de patrocin. vic.* & *l. 21. sup. de diuers. offic.* Nempe vt Præfecti Prætorio cura locupletioribus Ex-Vicariis id muneris imponatur; certo casu & loco, manu Principis: de quo ad *d. l. vn.* & ad *d. l. 21.* In *Optione* denique creando, antiquam consuetudinem obseruari iubet Imp. *hac leg.* Ergo in creatione, consuetudinem quandoque seruari voluit Imp. quandoque non: sic vt noua dispositio sæpe probabilis sit. Quare errant Interpretes hic, qui absolute ex hoc *textu efficiunt*, electionem Officialium debere fieri secundum ordinem consuetum.

Et hæc quidem ad *hanc leg.* de meo peculio dicta sufficiant. Neque enim videre mihi adhuc contigit, quæ inter alios ad *hanc leg.* scripsisse dicitur Lorens Ramirez de Prado *in Tessera Legum.*

DE DOMIBVS AD REM PRIVATAM PERTINENTIBVS, DISTRAHENDIS, VEL PRÆTORIIS * IVDICVM RESERVANDIS.

TITVLVS II.

* Mansionibus, *l. 1. hoc tit.*

I. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. (b) Com. Largitionum. (c)

RATIONALES, (d) vel Ordinarii Iudices, earum domorum, quas Procuratorum (e) nequitia, & Rationalium (f) negligentia, labi patitur in ruinas, instituant auctionem, hastis habitis, ex (g) licitatione currente. Sane si quæ sunt per varias prouincias huiuscemodi domus, quales esse in Augustensi Suitranea (h) ciuitate suggeritur, vel aliis in locis, præstantes, & priuatis vsibus ampliores, vt (i) seruari forsitan oportebit, Iudicum mansionibus (k) deputandas, prouincialium, & eorum (l) cura reficiendas. Dat. VII. Kalend. Octobr. Valente VI. & Valentiniano II. AA. Coss. [378.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustinianeo*, velut temporalis & Historica. *GOTHOFR.*

(b) Delendum *Valentis* nomen, qui h. a. mense Augusto iam obierat. Vid. *Chronolog. RITTER.*

(c) Intercidit hic nomen *Comitis Largitionum.* Intelligendus autem hic est, *Comes Largitionum priuatarum*, qui sub dispositione Illustris Comitis rerum priuatarum erat, & cuius mentio fit in *Notitia Imperii* sub *dispositione Comitis R. P. fol. 144.* qui scil. per vnam integram diœcesim Comes Largitionum erat, cuiusmodi fuit Comes Italicianus & Gallicianus: de quibus *l. vn. supr. de Consularib. & Præsidibus. GOTHOFR.*

(d) *Rationales* rei priuatæ. *ID.*

(e) *Procuratores*: de his *infr. suo tit. 4. de Actorib. & procurator. & cond. rei priu. ID.*

(f) Rationales. *IDEM.*

(g) *Et*: quanquam & vox, *ex*, defendi quoque possit. *ID.*

P. 396 (h) De hac ciuitate mox. *ID.*

(i) *ve. Adseruari*, vel *conseruari.* Errore, vt quidam putant, nato hac nota 9. quæ apud Magnonem valet particula, *con.* quam librarii pro *vt* male acceperint. Quem notarum errorem non admitto in *l. 28. infr. de Episcopis.* Nisi totum hunc locum ita constituamus, *vt adseruari forsitan oporteat, Iudicum mansionibus deputandas pronunciamus, & eorum*, &c. *IDEM.*

(k) *Pretoriis*, vt habet Rubrica *huius tituli*: de quo ad *l. 4. sup. de off. Rector. prou. Pretoria* sunt iudicum mansiones. *IDEM.*

(l) Iudicum. *IDEM.*

II. (a) Impp. Arcadius & Honorius AA. Firmino Com. S. L. (b)

NE domus ad nostrum patrimonium pertinentes, quæ sunt in diuersis Vrbibus, ex negligentia (c) nostro Ærario adferant detrimentum, omnes licitatione habita volumus venundari: Palatinos (d) autem fide probatos ire (e) præcipimus: Ordinarios quoque Iudices Tua Sublimitas admonebit, vt certa pretiorum fides, & domorum sit iusta in auctione taxatio. Dat. Kal. Nouembr. Mediol. Honorio A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iustin.* Forte cum *hac* coniungenda *lex 22. inf. de petit. GOTHOFRED.*

(b) Ita quoque habet inscriptio *l. vlt. inf. de conlat. fundor. patrimonial.* hoc ipso Anno, mense Maio: Ita quoque *l. 1. Cod. Iust. de location. fundor. fiscal.* &c. At enim hoc ipso Anno, inscriptio *l. 22. inf. de petitionib.* habet *Firmino Com. R. P.* quæ forte cum hac coniungenda est: & Anno proximo 399. *l. 25. inf. de Susceptoribus.* Vtraque data Mediolani pariter, vt hæc. *ID.*

(c) Ita & *sup. l. 1. ID.*

(d) De his *Palatinis* agitur *d. l. 22.* & peculiari *titulo 30. supra, lib. 6. ID.*

(e) *Ire*, id est proficisci ad loca: V. *Gloss. ID.*

COMMENTARIVS.

DOMVS ad priuatum Principum patrimonium per varias prouincias in diuersis Vrbibus seu Ciuitatibus fuerunt: Harum & quidem reparandarum, cura pertinebat ad Procuratores & Rationales: quod diserte docet *l. 1. h. tit.* A quibus diuersa fuerunt *Palatia*, quæ & ipsa non tantum in Vrbe Roma, vel Constantinopoli fuere, vel etiam Daphne prope Antiochiam (de quibus *l. 3. inf. de bon. vacantib. l. 1. inf. de paganis: l. 47. inf. de operib. publ. l. 2. inf. de Aquæductu*) Verum per diuersas ciuitates: de quibus *l. 1. & 2. tit. sup. Ne quis in Palatiis maneat: & l. 35. inf. de operibus publ.* Horum Palatiorum reparatio ad curam Rectorum prouinciarum pertinebat, quod docet *d. l. 1. sup. ne quis in palatiis maneat: & d. l. 35. inf. de operibus publicis.* Atenim aliarum *Domorum* ad priuatum Principis Patrimonium pertinentium reparatio ad Procuratores & Rationales pertinebat: Vtrorumque nequitiæ & negligentiæ in reparandis iis, variis subinde constitutionibus occursum fuit, ne alioquin Ærario damnum seu detrimentum inde inferretur. Illorum, Iudicum inquam, circa palatia; *d. l. 1. & d. l. 35.* Horum vero, circa Domos alias. Et *his* quidem *duab. legibus*, quarum prior est Gratiani Imperatoris, altera Honorii: prior, inquam, Gratiani, vt colligitur ex mentione ciuitatis *Augustensis Suitranea.* Si modo ea est illa *Augustensis*, quæ in Mauritania Cæsariensi memoratur in *Notitia Imperii f. 165.* Quid vero est *Suitranea?* An *Subritana*, vel *Subratana?* An *Suburitana*, *Suburgitana?* An *Suctriana*, *Sufaritana?* Forte *Suffetanea.* Neque enim hic admitto *Suedraneam*, quæ in Isauria vel Pamphylia: Non *Suffetanam*, Non *Sutrinam: Iulia Sutrina*, quæ *Colonia*: An *Zeugitana*, de qua vid. *Itiner. Aethici, p. 90.* Ergo huiusmodi Domos, quia in ruinas labebantur, vterque Gratianus, & Honorius, hastis habitis, licitatione habita, vendi eas voluere: & posterior quidem indistincte omnes, ne lapsæ scil. ærario damnum adferrent: & quidem *Palatinis*, id est, Officialibus rerum priuatarum ad id faciendum missis, & Rectoribus prouinciarum cura ea indicta, vt iusto pretio, licitatione habita, hastisque decursis venderentur. Prior vero non omnes; præstantes enim domos, & priuatis ampliores, Iudicum *mansionibus* deputari voluit, id est, Prætoriis Iudicum, vt vel *Rubrica tituli* id explicat; Sic vt eæ deinceps prouincialium & Iudicum cura separentur, citra sumptum aliquem

aliquem Ærarii Principis, scilicet *Prætoria* Iudicum prouincialium, eorum cura refici oportuit, quod hæc *lex* docet. Quemadmodum & componi seu instrui: *l. 3. sup. de off. Iudicum omnium.* De Prætoriorum alioquin reparatione in commune: vide & Arcadii constitutionem ante biennium *l. 35. inf. de operibus public.*

Cæterum etsi *leges* has Tribonianus a *Cod. Iust.* abesse voluerit, velut temporarias & historicas, multa tamen in Praxi ex iis educi possunt, de Cautelis aduersus ruinas *domorum publicarum*: 2. De earum *Reparatione*: 3. *Licitatione*: 4. vel etiam in alios vsus *Mutatione*.



P. 397

DE LOCATIONE FVNDORVM IVRIS EMPHYTEVTICI, ET REIP. ET TEMPLORVM.

TITVLVS II.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. LXX.

De Locatione prædiorum ciuilium vel fiscalium, siue Templorum, siue rei priuatæ vel dominicæ. Committendus est cum hoc titulo, *titulus 19. lib. 11. de conlatione fundorum patrimonialium vel Emphyteuticorum & rei priuatæ.*

PARATITLON.

I. DE EMPHYTEVTICIS fundis præter *Rubricam* & *l. 7. seu vlt. huius tit.* sunt insuper *hoc Codice* leges sequentes, *lex 19. inf. de exactionibus, lex 2. 9. 17. inf. de extraordin. mun. l. 3. 4. inf. de conlat. fundor. patrim. vel Emphyteuticorum: l. 4. inf. de ann. & trib. l. 14. inf. de indulg. debitor. l. 3. supr. de administr. tutor. l. 5. inf. de Censitoribus: l. 3. sup. ad SC. Claudianum: l. vn. supr. communi diuid. l. 1. inf. de itinere muniendo: l. 54. inf. de hæreticis.*

Dicuntur Emphyteutici iuris fundi, *Rubr.* & *l. 7. seu vlt. h. t. l. 17. inf. de extraord. munerib.* Possessiones Emphyteutici iuris, *l. 3. sup. de admin. tutor.* Emphyteutici fundi, *Rubr. tit. inf. de conlat. fund. emphyt.* & *l. 9. 17. inf. de extraord. muner. d. l. 19. de exactionibus*, Emphyteutica prædia. *l. vlt. inf. de conlat. fundorum emphyt. l. 14. inf. de indulg. debit.* Emphyteutica rei priuatæ (nam ita repono) prædia *l. 14. inf. de indulgentiis debitorum*, Emphyteuticarii fundi, *l. 2. inf. de extraord. mun.* & *l. vn. supra, communi diuidundo*: emphyteuticaria prædia, *l. 3. sup. ad SC. Claudianum.* Ab his possessores emphyteuticarii, *l. 3. inf. de conlat. fund. l. 1. inf. de itinere muniendo:* & absolute emphyteuticarii, *l. 3. inf. de annona & tribut. l. 54. inf. de hæreticis:* possessores iuris Emphyteutici, *l. 5. de censitoribus:* vbi & *Domini* vocantur, pariter vt *l. vnic. commun. diuid.* connumerantur rebus priuati iuris, *l. 4. sup. de ann. & trib.*

II. Distinguuntur a patrimonialibus, *d. l. vn. communi diuid. l. 3. ad SC. Claudianum: l. 2. 9. 17. inf. de extraordinar. l. 4. inf. de conlat. fund. patrim. l. 4. inf. de Annona & tribut.* Imo & a priuatis rebus fundisque ita proprie dictis, Principis scil. *d. l. 3. ad SC. Claudianum, d. l. 19. de exactionibus:* & *d. l. 4. de conlat. fund. patrimonial.* Denique a prædiis venerabilis substantiæ, *l. 54. inf. de hæreticis.* Et tamen fuerunt hi Principis: vnde diserte Augustinus *contra literas Petiliani* possessionem Emphyteuticam, idem mox interpretatur fundum Imperatorum: *cum emisset possessionem, & hoc Emphyteuticam, non dubitauit in fundo Catholicorum Imperatorum, &c. 80. ferme, animas ebaptizando submergere.* Hi per diuersas prouincias fuere, veluti in Sardinia, *l. 1. sup. communi diuid.* per Æmiliam & Liguriam, *l. 2. inf. de extraordin.* per Italiam & Vrbicarias Regiones, *l. 9.* (& *12.*) & *14. inf. de extraordin.* per Africam, *d. l. 9.* & *l. 19. de exactionib.* & *l. 1. inf. de itin. mun. l. 54. inf. de hæreticis.* per Byzacenam, *l. 3. inf. de conlat. fund. patrimonial.* His adscripti erant serui quidam, seu mancipia: *l. vn. supr. commun. diuid.* & *l. 3. sup. ad SC.tum Claudianum.* Locabantur, *l. vlt. h. tit.* & *l. 5. inf. de Censitorib.* certa pensione, *d. l. vlt.* & *l. 17. de extraordinariis:* qui & Canon dicitur, *d. l. 19. de exactionibus* (vnde Canonica & consueta: *l. 2. infr. de extraord.*) Idque in annonaria partim pensitatione, *l. 3. inf. de conlat. fundor. patrimon.* partim auro *d. l. 3.* ob quam non solutam pensionem, commissi vitium seu offensam incurrebant, *l. 3. sup. de administr. tutor.* Et quidem iis locabantur qui priuati iuris quippiam possidebant; cuius substantia illos sustentaret, *d. l. 4. inf. de annona & trib.* Quare & cum locandæ essent huiusmodi possessiones, facultates conductoris potissimum subsignabantur, discutiebantur, *l. 5. inf. de censitoribus.* Idque perpetuo iure, *l. vlt. inf. de conlat. fund. patrim.* Hinc conductores patrimonii

monii sui, & iure perpetuo possidentes, id est, Emphyteuticarii distinguuntur, *l. 12. inf. de extraord.* Ius perpetuum Emphyteuticum & patrimoniale, *Nouella* Valentiniani *8. de*
P.398 *præscriptionibus 30. ann.* Distinguuntur & a rebus Reipublicæ, *Rubr. huius tit. & d. leg. 1. ad SC. Claudianum.* Immunia vero regulariter erant singulari priuilegio ab omnibus extraordinariis oneribus *l. 2. 9. 17. inf. de extraordin. muneribus: l. 1. inf. de Itin. mun.* nempe vt ita horum fundorum vires seruarentur, *d. l. 9.* seu cogendarum intuitu pensionum, *d. l. 17.* Quandoque tamen augmenti & superindicti mediam pensionem soluere cogebantur, *l. vlt. inf. de conlat. fund. patrim.* Sed & sicuti cæteri prouinciales obsequium suum muniendis itineribus impendere tenebantur, *dict. leg. 1. inf. de itin. muniendo.* Tandem ad peræquationem earum pensionum faciendam, aliquando Peræquator seu Inspector Generalis mittebatur: *l. vlt. h. tit.* & *l. 5. inf. de Censitoribus.*

III. De PATRIMONIALIBVS fundis seu prædiis est *Rubrica* & *lex 1. 2. vlt. inf. de conlat. fundi patrimon. l. 1. 2. 9. 17. de extraordinar. l. 3. supr. de SCo. Claudiano l. vn. sup. comm. diuid.* vnde patrimonialis possessor, *l. 4. sup. de annona & tributis l. 16. inf. de indulgentiis debit. lex 32. inf. de petitionibus* fundi ad patrimonium Principis pertinentes *l. 20. de extraordin.* Separantur ab Emphyteuticis, *l. vn. sup. communi diuid. l. 3. ad SC. Claudianum: l. 2. 9. 17. inf. de extraordinar. l. vlt. inf. de conlat. fundi patrimon. l. 4. inf. de annona & tributis.* Item a rei priuatæ, *Rubr. inf. de conlat. fundi patrim.* His quoque serui originarii adscripti erant, *d. l. 3.* ad *SC. Claudianum*, & *l. vn. Communi diuid.* Horum possessores & auri speciem & frumenti modum soluebant, *l. 1. inf. de extraordinar.* Sed *Canonica* tantum & *Consueta:* nam ab extraordinariis muneribus pariter immunes erant, *d. l. 1. 2. 9. 17. 20. inf. de extraordinariis.* Hi vel conductionis titulo, vel perpetuo iure tenebantur, *l. 20. inf. de extraordinariis*, & *l. vlt. inf. de conlat. fundorum patrimonialium.* Quandoque plures patrimonialem fundum possidebant, *lex 1. infra de conlat. fundorum patrimonialium.*

IV. De REI PRIVATÆ fundis est *Rubrica* & *l. vlt. inf. de conlat. fundor. patrim. l. 3. ad SC. Claudianum.* Distinguuntur ab Emphyteuticariis & fundis partim. *d. Rubr.* & *l. 3. ad SC. Claudianum: l. 2. inf. de conlat. fundor. patrim.* Et his serui quidam adscripti erant, *d. l. 3. ad SC.tum Claudianum.* Hi vel conductionis titulo, vel perpetuo iure tenebantur, *d. l. vn. inf. de conlat. fundor. patrim.*

V. De PERPETVARIIS fundis sunt *l. 14. sup. de Tyronib. l. 12. 13. 20. inf. de extraodinar. l. vlt. inf. de conlat. fund. patrim. l. 10. inf. de infirm. his quæ sub Tyr.* Dicuntur fundi perpetui iuris, *d. l. 10. inf. de infirm. his quæ sub Tyr.* fundi perpetuarii rei priuatæ, *l. 14. sup. de Tyron.* Prædia iure perpetuo consignata, *l. 13. inf. de extraodinar.* Fundi ad patrimonium pertinentes, qui perpetuo iure teneantur, *l. 20. infr. de extraordin.* Possessores dicuntur iure perpetuo possidentes, *l. 12. inf. de extraordin.* retinentes, *l. vlt. inf. de conlat. fund. patrimonial.* Distinguuntur ab Actoribus & conductoribus patrimonii, *d. l. 12.* a conductionis titulo, *d. l. 20.* Ius perpetuum Emphyteuticum & patrimoniale separantur, *Nouella* Valent. *8. de præscript. 30. annorum:* Perpetuarius, & perpetuarii conductores, *l. 1. 3. 5. Cod. I. de Locat. præd. ciuil. Nouel.* Valentin. inter Theodos. *23. de tribut. fiscali:* Perpetuarium ius, *l. 1 Cod. Iust. de offic. Com. R. P.* Denique iidem hi erant cum Emphyteuticis, de quibus *supra cap. 1.* dixi ad *l. 12. inf. de extraordinar.* Hos præter annonarias functiones æstimata perpetuo pensionum prærogatiua nectebat, *l. 13. inf. de extraordinar.* Denique prædiorum patrimonialium, emphyteuticorum, priuatæ rei adiunctum hoc fuit, *l. vlt. inf. de conlat. fund. patrim.* Atque adeo ab extraordinariis muneribus immunes erant, *l. 12. 13. 20. de extraordin.* Tanti vero hæc perpetuo iure fundorum patrimonialium translatio visa, vt a Rationalibus ea aliquando fieri non potuerit, verum ab ordinariis Iudicibus, *d. l. 10. inf. de infirm. his quæ sub Tyr.* vbi dixi.

VI. De REIPVBLICÆ fundis est quoque hic *Titulus*, ac nominatim de iis *lex 1. 2. 5.* Reipublicæ fundi sunt possessiones publicæ Ciuitatum, *l. 1. h. t.* ciuiles, *l. vlt inf. de conlat. donat.* vnde *titulus in Codice Iust. de conlatione fundorum ciuilium*, pro quo hic, *de locatione fundorum iuris Reipubl.* fundi ciuitatum, *l. 2. h. t.* aut loca huiusmodi, *d. l. 2.* veluti ædificia, horti, areæ ædium publicarum, *l. 5. h. tit.* Saltus, *l. 2. hoc. tit* Reipublicæ loca, quæ aut includuntur mœnibus ciuitatum, aut pomœriis sunt connexa, *l. 5. h. tit.* Quæ ciuitatum reparationi destinata erant, *l. 1. h. tit.* Hi locari solebant; quo pertinent tres illæ *huius tituli* leges, puta *lex 1. 2. 5.* Locabantur autem etiam perpetua conductione, *l. 5. h. tit.* A quo arcebantur Curiales, ex *l. 2. h. tit.* Et tamen ex *l. 5. h. tit.* etiam Municipes, Collegiati, Corporatique admittebantur, *d. l. 5.* Idque sub certo canone, *d. l. 5.* Atque hæc *ὅσια χρήματα* erant, vt & sequentia, *ἱερὰ χρήματα.*

VII. De fundis TEMPLORVM tandem est hic *Titulus:* & nominatim in eo *lex 4. 5. h. tit.* Item *lex 8. sup. de iure fisci; lex 24. 32. inf. de petitionibus, l. vlt. inf. de conlat. donatar. l. 41. inf. de operibus publ. lex 20. inf. de paganis:* Dicuntur ea, de iure Templorum *l. 4. 5.*
P.399 *h. tit. l. 24. inf. de petitionibus*, in iure Templorum, *lex 8. supr. de iure fisci:* iuris Templorum, *l. 32. inf. de petition. & l. vlt. inf. de conlat. donatar. l. 41. inf. de operib. publ.* Loca quæ sacris error veterum deputauit, *l. 20. inf. de paganis:* sacris epholiis vel sumptibus deputata, *d. l. 20.* Erant autem vel ædificia, *l. 41. inf. de operibus publ.* vel iuga, *l. vlt. inf. de conlat. donatar.* Hæc loca Templorum sub Christianis Imperatoribus, sacris Gentilium detracta, vel priuatis donata fuerunt, *l. 5. hoc tit. & l. 19. 20. inf. de paganis l. 24. 32. inf. de petitionib. l. 8. sup. de iure fisci. l. vlt. de collat. donat.* vel Ecclesiis, *d. l. 20. inf. de paganis;* vel etiam vendita

priuatis, *d. l. 8. sup. de iure fisci:* vel denique rei priuatæ Principis incorporata; *d. l. 8.* & *l. 4. & 5. h. tit.* (ad vsus Reipublicæ, veluti expensis militaribus, *l. 19. inf. de paganis:*) Ea publice locata, de qua locatione agitur *l. 4.* & *5. h. tit.*

De PVBLICIS *possessionibus ciuitatibus restituendis, iisdemque locandis: Iuliani Imp. lex.*

I. (a) Imp. IVLIANVS A. Secundo P. P. (b) Post alia.

POSSESSIONES publicas Ciuitatibus iubemus restitui: ita vt iustis æstimationibus locentur, quo cunctarum possit ciuitatum (c) reparatio (d) procurari. PP. Id. (e) Mar. Constantinop. Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* velut temporaria. Quænam vero *leges* huic iungendæ videantur, mox dicam; vt & qui Scriptores de *hac l.* senserint. *GOTHOFREDVS.*

(b) *Secundus* P. P. Orientis sub Iuliano Imp. V. de eo *Prosopogr.* *ID.*

(c) Rerumpublicarum. *ID.*

(d) Imo & festiuitatum celebritas. *ID.*

(e) *III. Id. Mar.* dictis quatuor *legibus*, quæ *huic* forte coniungendæ sunt. *ID.*

COMMENTARIVS.

IVLIANI Imp. Apostatæ est hæc *lex:* quæ pars est prolixioris Iulianeæ constitutionis, vt docent vel illa verba in Inscriptione, *Post alia.* Et vt mihi quidem videtur, illius constitutionis, vnde desumptæ sunt pariter *lex 10. inf. de extraordinariis: l. 2. de protostasia: l. 50. infr. de Decurionibus: lex 4. inf. de lustrali collat.* Imo & *lex 2. Cod. Iust. de diuersis prædiis*, quæ huic argumento maxime conuenit; quæ proinde omnes *huic* coassandæ videntur, emendato tantum huiusce *legis* die.

Ea Constitutione Iulianus consultum iuit Ciuitatum, & Curiarum nominatim, in quibus nerui ciuitatum consistebant, commodis; quibus enixe & alias fauit, vt ex aliis *legibus* & *epistolis* eius discimus; abrogatis quam plurimis quæ sub Christianis Imperatoribus in eorum dispendium inuecta videbantur. Hac igitur *lege* Iulianus Tria circa possessiones ciuitatum (quæ & *prædia ciuilia*) constituit. Primo Rebus publ. seu *Ciuitatibus*, *possessiones publicas*, id est fundos suos (de quibus Ciuitatum fundis est præterea *hoc titulo lex 2. & 5.*) restitui, atque inde (quod secundum est) *iustis æstimationibus* pensionibus *locari* iubet: Restitui, inquam, vtpote quæ a superioribus Imperatoribus Christianis, Constantino M. scil. & Constantio, ciuitatibus detractæ seu ademptæ fuerant: Proculdubio eodem exemplo, quo & loca Templorum quæ vicina, (ὅσια inquam, & ἱερὰ χρήματα) de quibus postea: nempe quod festiuitatibus publicis & Gentilitiis procurandis ferme seruirent. At enim, vt dixi, restitui eas nunc iubet Iulianus, indicto & hac quoque parte *Chi & Kappa* odio, in Christum, inquam, Constantinum & Constantium. Et ita quidem (quod Tertium *h. l.* quique finis notandus est) *restitui* iubet Iulianus, vt locatarum possessionum reditus, ciuitatum *reparationi* seu operibus publicis deinceps inseruirent.

De hac vero possessionum & vectigalium restitutione a Iuliano ciuitatibus facta fidem quoque faciunt, simul & gratulantur Gentiles Scriptores, Amm. Marcellinus, *lib. 25. cap. 4.* quique adeo hanc constitutionem intellexit: *Liberalitatis*, inquit, *eius testimonia plurima sunt & verissima: Inter quæ* VECTIGALIA CIVITATIBVS RESTITVTA *cum* FVNDIS: *absque his, quos velut iure vendidere prateritæ Potestates.* Meminit & Libanius προσφωνητικῷ *ad Iulianum, p. 182. edit. Morell.* Vbi inter cætera Iuliani decora, iustitiæque eius testimonia memorat, restitutas ciuitatibus priscas iustasque possessiones. ἧς ἐστι μὲν, καὶ τὸ, ταῖς πόλεσιν ἐπανορθῶσαι τὴν πενίαν, ἐξεληλαμέναις ἀρχαίων τε καὶ δικαίων κτημάτων. ὃ τοὺς μὲν ἰδίους οἴκους μεγάλους ἐποίησε: τοῖς δὲ κοινοῖς περιέχεεν ἀμορφίαν: *cuius & hoc eximium est, quod ciuitatum egestatem subleuasti, quæ antiquis & legitimis possessionibus spoliatæ fuerant: unde priuatis quidem ædibus magnitudo & opes accesserant, publice vero deformatæ & neglectæ iacebant* Idemque proculdubio Libanius *ad Gaianum 3. Phœnicæ Rectorem epist. 736.* De Herculiano Hermogenis filio quem Tyrii domo sua sibi a patre relicta priuabant, κελεύει δὲ, ὡς ἴσμεν ὁ βασιλεὺς τὰς μὲν πόλεις τὰ αὐτῶν κομίζεσθαι, τὰ δὲ ἐκείνῳ δοθέντα μένειν. Eodemque pertinet, e superioribus quas dixi, legibus, *lex 2. Cod. Iust. de diuersis prædiis*, quæ vt dixi, *huic* coassanda videtur; *Pamphyliæ*, inquit, *etiam* CIVITATES *& quæcunque aliæ, quidquid sibi adquirunt, id firmiter habeant.* Vbi, nisi Iulianus scripserat, *adquisierant*, idem de fundis quos ciuitates deinceps adquirerent, ac de quæsitis iam olim, constituerit. Vbi interim generalis *Amortizatio* ciuitatibus indulta, notanda venit. Meminit tandem *huius l.* & restitutionis, deque ea queritur Sozomenus quoque, *lib. 5. histor. Eccl. cap. 5.* vbi ait, Iulianum, ea, quæ Clerici & Sanctimoniales ex vectigalibus ciuitatum secundum Constantini *legem* acceperant, restitui iussisse; confectis super ea re Breuibus a Patribus (Ciuitatum scil.) P. 400. Μέχρι τε παρθένων καὶ χηρῶν, τὰς δι' ἔνδειαν ἐν τοῖς κλήροις τεταγμένας εἰσπράττεσθαι προσέταξεν ἃ πρὶν παρὰ τοῦ δημοσίου ἐκομίσαντο: ἡνίκα γὰρ Κωνσταντῖνος τὰ τῶν ἐκκλησιῶν διέταττε πράγματα, ἐκ τῶν ἑκάστης πόλεως φόρων τὰ ἀρκοῦντα πρὸς παρασκευὴν ἐπιτηδείων ἀπένειμε ταῖς πανταχοῦ κλήροις, καὶ νόμῳ τοῦτο ἐκράτυνεν, ὡς καὶ νῦν κρατεῖ, ἐξ οὗ τέθνηκεν Ἰουλιανὸς ἐπιμελῶς φυλαττόμενος: ὠμοτάτην δὲ καὶ χαλεπωτάτην τήνδε γενέσθαι φασὶ τὴν εἴσπραξιν. μαρτυρεῖ δὲ καὶ τὰ τότε παρὰ τῶν Πατέρων γενόμενα γραμματεῖα ταῖς εἰσπραχθεῖσιν εἰς ἀπόδειξιν τῆς ἀναδόσεως, ὧν εἰλήφεσαν κατὰ τὸν Κωνσταντίνου νόμον. Qui locus ita

verten-

vertendus fuit: *Sed & vsque ad Virgines & Viduas, quæ in Clerum adscriptæ ob paupertatem fuerant, exigi iussit ea, quæ antea e publico acceperant. Quo tempore quippe Constantinus res Ecclesiasticas ordinauit, ex cuiusque* CIVITATIBVS VECTIGALIBVS, *quæ ad instructum rerum necessariarum sufficerent, omnibus vbique Clericis distribuerat, idque lege sanxerat; quomodo & nunc obtinet, ex quo Iulianus obiit, firmiterque obseruatur. Acerbissimam vero & molestissimam hanc fuisse aiunt exactionem: Id vero testantur & Breues a Patribus tum confecti aduersus exigendos, quibus continebatur modus eorum quæ secundum Constantini legem accepta restituenda veniebant.* Hic huius loci sensus est, qui eo quoque insignis est, quod de *Patribus* agit, qui & alias *Patres Ciuitatum* dicebantur, (qui & iidem cum *Curatoribus*) quorum multa mentio occurrit in posteriorum Imperatorum constitutionibus: veluti Leonis, *l. 3. Cod. Iust. de his qui sponte munera:* Zenonis, *l. vn. Cod. eod. de ratiociniis operum publicorum, & de Patribus ciuitatum*: Iustiniani, tum in *Codice*, tum in *Nouellis* sæpe: Qui quidem *Patres* vt ex illis *legibus* & *locis* constat, pecuniæ publicæ, operumque publicorum discussores erant, & ratiocinia operum publicorum conficiebant, vt exerte ostendit *d. lex vn. de ratiociniis:* Quod quidem *huic l.* apprime conuenit, qua ciuitatum reparationi (& sic operibus publicis) possessiones publicas reddi, eumque in vsum destinari debere constituitur: vt proinde Sozomenus ex sui æui vsu appellatione rem hanc perfecte expresserit. Ergo hæc Iuliani *lex* pertinet ad possessionum publicarum & vectigalium restitutionem, quæ antea a Constantino M. & Constantio donatæ, & quidem inter alios Clericis, fuerant: in gratiam videl. Ciuitatum, quibus Iulianus tota constitutione, vnde *hæc lex* desumpta est, variis rationibus consultum voluit. Et sic hac quoque deinceps lege *Annales Ecclesiastici*, & quidem sub *Iuliano*, augeri poterunt. 2. Eodem vero exemplo fineque Iulianus Prætoria Iudicum domosque Iudiciarias publico iuri atque vsui vindicari voluit, *l. 8. inf. de operibus publicis.* 3. Eodemque pertinet eiusdem *lex 9. eod. tit. de oper. publ.* De Ergasteriis publicis, quæ ad ius ciuitatis pertinent. 4. Vt & eiusdem *lex 1. Cod. Iust. de diu. prædiis*, qua iubet, pro ædibus quas nonnulli in solo Reipubl. extruxerant, pensionem præstare. Denique eodem spectat & *d. l. 2. d. tit. Cod. Iust. de diu. præd.* quam *huic* iungendam videri dixi.

Ex his iam videmus, quam enixe ciuitatib. consultum voluerit Iulianus, & quidem *canon. reparationi.* Qui sane probabilis vsus: voluptatibus enim & ludis Iulianus hoc facto non consuluit. Vt alioquin auerso ab his animo fuit, quod ipse profitetur, & in se reprehensum ab Antiochenis scribit *in Misopogone:* Etsi nonnulla adhuc in fauorem Circensium ibi ab eo facta; exemplum *fine eiusdem Misopogonis.*

Cœterum, quod Iulianus *hac lege* facit; id ipsum fecit quoque postea Theodosius Iun. *Nouella in id expressa 30. de locis Reipublicæ, quoquomodo possessis ciuitatibus restituendis:* Eodem scil. fine, vt ciuitatum scil. reparatio inde posset procurari: Etsi non eadem occasione, neque aduersus idem vsurpationis genus.

Ex *hac* interim *lege* patet, ex fundorum ciuitatis locatione & reditibus opera publica reparata: de quo plene ad *tit. de operibus publicis*, *lib. 15.* vbi videatur *lex 18. 32. 33. 48.* & *d. Nouella Theodosii 30.* videatur & *lex 2. sup. de sepulchro violato.*

II. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Probum P.P. (b)

CVRIALIBVS omnibus conducendorum Reipublicæ prædiorum, ac Saltuum, inhibeatur facultas: Illo etiam obseruando, (c) ne quis Curialium vel de (d) extraneis ciuitatibus fundos, aut loca huiusmodi conductione suscipiat. Dat. VI. Kal. Iul. Treuer. (e) Modesto & Arintheo Coss. [372.]

INTERPRETATIO. *Omnibus Curialibus conducendorum Reipub. agrorum, ac saltuum, licentia denegetur; illo specialiter (f) obseruando, vt nullus Curialis vel de extraneis ciuitatibus agros ac loca suprascripta sub qualibet conductione (g) suscipiat,* (h) nec (i) sub hac occasione seruitia Curiæ debita non impendat.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) *Probus* P.P. sub Valentiniano Sen. A.D. 372. v. *Prosopogr.* ID.

(c) *Illud etiam specialiter obseruando*, MS. W. *illud etiam obseruandum*, MS. G. RITTER.

(d) Id est etiam extranearum ciuitatum. GOTHOFRED.

(e) Recte: male in *Edit. Cuiac.* & illa in Quarto *Triberio.* IDEM.

(f) *Etiam*, vt in *ipsa leg.* ID. *Illud specialiter obseruandum*, MS. G. *Illud specialiter obseruando*, MS. W. RITTER.

(g) *Qualibet conditione*, MS. W. Sichard. & Edit. in 4. *Sub qualibet conditione vel conductione*, MS. G. ID.

(h) *Suscipiant*, & mox, *impendant*, MS. W. ID.

(i) γρ. *Ne.* De hac vero ratione mox. GOTHOFR.

P. 401

COMMENTARIVS.

CONDVCTIONI REIPVBLICÆ prædiorum Curialibus *hac lege*, a Valentiniano Sen. interdicitur: Etiam (quæ *ampliatio* hic additur) *extraneæ* ciuitatis Curialibus, cuius scil. Curiales non sunt. Rationem addit de suo Interpres, *ne sub hac occasione seruitia Curiæ debita non impendat.* Quæ sola ratio non est, verum hæc quoque, ne pensionis præstationem postea detrectent: quod vtique Curiales facere facile possent, pro ea quam gerunt auctoritate. Qua ratione etiam in vniuersum Curiales nullum vectigal conducere possunt, *l. 97. inf. de decur.* vbi dicam. Et hæc ipsa quoque

veteris

veteris prohibitionis ratio erat, qua officium publicum in prouincia gerentes quidquam emere, conducere, vetiti: quod notissimum sub pari etiam Ampliatione. Nam & Præpositus etsi non in suo pago, sed in alieno comparasset, etsi τῷ τόπῳ ἐκείνῳ οὐκ ἐπαγάρχει, emptio non valebat, *l. 1. sup. de iis quæ adm.* Quanquam si de extraneis ciuitatibus agatur, hæc postrema ratio cessare videatur.

Et hæc quidem prohibitio non ad alia tantum prædia, sed & ad *saltus* pertinet. *Saltus* (quorum definitionem in genere pete ex Varrone) *hac l.* sunt saltus pascui ad ciuitatem pertinentes, veluti prata Apamena, de quibus *l. 2. 3. sup. de pascuis.* Cuiusmodi etiam saltus, seu pascui saltus rei dominicæ seu priuatæ fuere: de quibus videndus *tit. 60. lib. 11. Cod. Iust. & l. 2. sup. de pascuis.* Vt & de saltibus ciuitatum, vid. Auctorem *de Coloniis, pag. 111. edit. Rigalt. & pag. 110. edit. Goes.* Curiales igitur & ad prædiorum Reipubl. & ad saltuum quoque conductionem admitti *hac l.* vetiti: Et postea tamen ad id quadamtenus admissos, docet *lex 5. infra:* vbi *Municipes* sunt Curiales pariter vt *l. 41. infr. de operib. publ.* quæ & ipsa est de ædificiis publicis.

In *hac* igitur iam *lege*, exemplum habemus personarum quarundam, quibus conductione rerum & redituum ad Rempublicam pertinentium, publica ratione, interdictum fuit.

III. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & THEODOSIVS AAA. Pancratio Com. R. P. (b)

SECVNDVM Legem † Diui Valentiniani, quæ *semel conductas possessiones* (c) *nulla ad alios* constituit *ratione transferri*, nullum priorem conductorem a secundo patiaris excludi, (d) sed pœnes eos iugem permanere iubeas possessionem, quos priore conductionis iure eandem meruisse constiterit. Dat. prid. Id. Iun. Thessal. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Pancratius* Comes R. P. sub Theodosio M. per Orientem. Eidem inscribitur Anno superiore *l. 12. supr. de iure fisci*, & hoc ipso Anno *lex 2. sup. de palat. S. L. l. 12. l. 14. infr. de petitionibus.* ID.

† Intelligit eas constitutiones: de quarum numero sunt *l. 1. & 2 sup. de pascuis:* Quas & ipsas indicat *lex vlt. infr. de conlat. fund. iuris emphyt. & l. vn. infr. qui conductores rei priuatæ.* IDEM.

(c) Rei priuatæ, vt vel ex Inscriptione *huius leg.* patet. ID.

(d) *Etsi augmentum scil. pensionis alius faciat.* ID.

COMMENTARIVS.

MANERE conductas semel possessiones, rei priuatæ scil. (vt ostendit etiam Inscriptio *legis*) penes eosdem conductores, iubet *hac l.* Theodosius M. neque vlla ad alios ratione transferri: Etsi augmentum pensionis alius & nouus licitator faciat: Quæ eadem est Honorii sententia, circa fundorum publicorum locationem *l. 5. infr. h. tit.* Idque iuxta *legem* Valentiniani (Sen. scil.) cuius Valentinianeæ constitutionis fit quoque mentio *l. vlt. infr. de fundor. patr.* Et vero hæc est illa constitutio, siue *lex 1.* siue *lex 2. supr. de pascuis*, cui alia adhuc capita cohæsisse puto, atque inter cætera illud quod memoratur *l. vn. infr. qui conduct. rei priuatæ: & l. 1. Cod. Iust. de locat. fundorum ciuilium.* De fideiussoribus videl. quos conductores priuatæ rei dare oportebat, deque periculo hac in re officiorum Comitis R. P. Denique hæc est illa solemnis Valentiniani Sen. constitutio & generalis, *de conductione fundorum & locorum rei priuatæ*, quam secuti deinceps Principes vrsere, Gratianus & Valentinianus, *d. l. 1. Cod. Iust. de locat. fund. ciuilium.* Theodosius M. *hac l. & l. 2. d. tit. Cod. Iust. de locat. fund. ciuil.* quæ coniungenda est cum *l. prox. 4. infr. hoc tit.* Honorius *l. vlt. infr. de collat. fund. patrim.* In eandem porro sententiam cum *h. l.* est *lex 2. 3. 4. 5. Cod. Iust. de locat. præd. ciuilium.* Eodemque pertinet V. Cl. Bretii orat. 24. *Qu'apres l'adiudication legitimement faicte des fermes des Aydes, personne n'est receuable à y mettre enchere:* vbi *p. 138.* hanc *legem* allegat. Quanquam Valentiniani *lex* proprie est de locatione fundorum iure perpetuo, seu de perpetuariis, quo etiam *hanc legem* refero.

IV. (a) Idem AAA. Nebridio Com. R. P. (b)

P. 402 VT quisque (c) conductor, fuerit inuentus possessor fundi, (d) qui ex Publico vel Templorum iure descendit, huic, (e) cum augmento oblato, ager iungatur inutilior: Quod si contra id reluctandum existimauerit, alius possessor, sub eadem præstatione, quæratur: vel si voluntarius quis (f) conductor non inuenietur, (g) tunc ad possessores, antiquos, id est, Decuriones, vel quoslibet alios, loca iuris prædicti, adiunctis inutilibus, reuertantur, sine (h) adiectione tertia, (i) idoneis fideiussoribus præbitis, (k) Dat. XV. Kal. Feb. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) *L. 6. Cod. Iust. de omni agro deserto.* Iungenda huic *lex 2. Cod. eod. de locat. pred. ciuil.* GOTHOFR.

(b) *Nebridius* Comes R. P. sub Theodosio M. v. *Prosopogr. ID.*

(c) *Quisquis conductor.* Cod. Iust. RITTER.

(d) *Fertilis,* additum in nonnullis Ed. Cod. Iust. *ID.*

(e) Hæc verba, *cum augmento oblato,* absunt a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(f) *Qui sit conductor,* ita *C. Iust. ID.*

(g) *Inueniatur,* Cod. Iust. RITTER.

(h) Hæc, *sine adiectione Tertia,* recisa a *Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(i) γρ. *Tertiæ,* quæ supra, *augmentum oblatum.* IDEM.

(k) *Præstitis,* Cod. Iust. IDEM.

COMMENTARIVS.

ΕΠΙΒΟΛΗ quædam & permistio fundorum ex Publico, vel Templorum iure descendentium, *hac l.* imperatur a Theodosio M. Cuiusmodi ἐπιβολὴ sæpe ab imperatoribus imperata: veluti a Constantino M. *l. 1. Cod. Iust. de omni agro deserto:* a Constantio *l. 4. infr. de annona & tributis:* a Valente *l. 5. Cod. Iust. de omni agro des.* a Theodosio M. *h. l.* quæ est *6. Cod. Iust. de omni agro deserto:* & *l. 7. 9. eod. tit.* ab Honorio, *l. 31. de ann. & trib.* ab Arcadio, *l. 8. infr. de censib.* seu *l. 10. Cod. Iust. de omni agr. deserto.* Ἐπιβολὴ est, quoties videlicet steriles fundi, seu inutiliores, vt *h. l.* vocantur, ex eodem iure manantes, opimos iam habentibus adiiciuntur: Sic vt illorum quoque onera hos habentes subire teneantur: Quæ *Adiectio* quoque vocatur *l. vlt. Cod. Iust. de omni agro deserto:* permistio, *l. 5. Cod. eod. de omni agro deserto.* De qua dicam plene ad *d. l. 4. infr. de annona & tributis.* Scilicet, cum multi vel per impotentiam, vel per gratiam, vel captatis aliorum necessitatibus opimos tantum fundos ad se traxissent, inde fiebat vt steriles & inutiliores penes antiquum ius, seu antiquos possessores, relicti residerent, & præstationibus publicis inutiles fierent; ideo sæpe ad hanc ἐπιβολὴν deuentum, siue priuatarum possessionum, quo pertinet *d. l. 31. infr. de annona & tribut.* siue ex publico vel Templorum iure descendentium, de quo est *hæc constitutio:* quæ ideo recte posita est *Cod. Iust. sub tit. de omni agro deserto, & quando steriles fertilibus imponuntur. Ex publico,* inquam, *iure,* id est, Reipublicæ locis, fundis: quod etiam indicat *lex 2. Cod. Iust. de locat. prædiorum ciuil.* quam *huic* coniungendam censeo, cum eundem Imp. auctorem habeat, & eidem Nebridio Com. R. P. inscribatur, denique in eodem argumento locationis prædiorum Reipubl. versetur: ea quippe statuitur, *vt fundi Reipubl. ab his qui nec titulo conductionis eos detinent, non auferantur, nec titulo conductionis,* id est, non conductione temporaria, verum perpetuo iure: quare non fuit *legis* illius lectio sollicitanda, sublata negatiua *nec,* quicquid Græci eam non agnoscant.

Ad rem. Ergo Theodosius M. *hac l.* huiusmodi publicorum fundorum ἐπιβολὴν fieri iubet, vt & eorum qui ex Templorum iure descendebant, & rei priuatæ incorporata fuerant, de quibus est & altera ad eundem Nebridium Com. R. P. sine die & Cos. *l. 4. Cod. Iust. de fundis rei priuatæ:* dixi plene ad *l. 8. sup. de iure fisci:* & consulendum *huius tituli Paratitlon.* Agitur & *l. 5. prox. infr.* Scil. fundi Templorum, rei priuatæ Principis, adgregati priuatis, quam plurimi locati fuere.

Igitur cum fertiles ferme agri in priuatos conductionis iure translati fuissent, & steriles ferme tantum penes Rempublicam remque priuatam Principis inutiles resedissent, iubet *h. l.* Theodosius M. opimos fundos ex eodem iure habentibus, steriles adiici, nolentibus, etiam fertiles adimi, nouisque conductoribus addici. Et quidem (quod alterum adiectionis genus *h. l.* continetur) cum augmento oblato, seu adiectione Tertiæ. Scil. cum huiusmodi fundos priuati ad se traxissent, subinde emergebant, qui maiorem præstationis modum offerrent, quasi nimis vili pensione locatis. Quibus nouis licitationibus, vt non semper aurem præbuere Principes, imo regulariter non præbuere, facto initio a Valentiniano Sen. de quo plene *l. 3. supr.* imo Theodosius M. ipse *d. l. 3.* ita *hac leg.* aurem præbet idem Theodosius, nempe quod & opimos tantum fundos & leui pensione ad se traxissent conductores: Ideo illis steriles imponi, & Tertiam amplius pensionis partem oblatam eos agnoscere iubet: vel si nolint, nouis conductoribus eos addici, quicumque tandem voluntarii conductores accesserint. His tandem non repertis, fundos redire iubet sine adiectione & augmento Tertiæ, ad antiquos possessores, id est, Decuriones, vel quoslibet alios, id est, Collegiatos & Corporatos: quod ostendit quoque *lex prox. 5.* Est enim error Cuiacii, qui per *quoslibet alios* hic intelligit illos, qui ea prædia largiti sunt: quasi id *h. l.* iubeatur, fundos Reip. & Templorum ad veteres possessores reuerti: Reipublicæ, ad Curiales; Templorum, ad eos, qui ea prædia Templis largiti sunt. Quod alienum est. Nempe nullo discrimine, siue Reipubl. siue Templorum loca vel ad Decuriones reuerti iubet, vel ad quoslibet alios, Municipes scil. Collegiatos, Corporatos: Qui sane vtrorumque *possessores antiqui* fuerunt. Nempe Reipubl. loca & Templorum, Decuriones, Collegiati, Corporati olim possidebant, & pensiones ex his præstabant, vel ad Reip. vel ad sacrorum vsum. P. 403.

Vltimo loco adiicitur, idoneos fideiussores ab his conductoribus & possessoribus dari oportere: de quo *suo* mox *titulo 5. infr. qui conductores rei priuatæ fideiussores exigi.* v. & *l. 3. Cod. Iust. de omni agro deserto.*

V. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Messalæ P. P. (b)

ÆDIFICIA, hortos, (c) adque areas ædium publicarum; & ea Reipublicæ loca, quæ aut includuntur mœnibus Ciuitatum, aut pomeriis (d) sunt connexa; vel ea quæ de

de iure Templorum, aut per diuersos petita, (e) aut æternabili (f) domui fuerint congregata, (g) vel (h) Ciuitatum territoriis (i) ambiuntur, sub perpetua (k) conductione, saluo dumtaxat canone, (l) quem sub examine habitæ Discussionis (m) constitit adscriptum, penes Municipes, (n) Collegiatos, (o) & Corporatos (p) vrbium singularum conlocata permaneant, omni venientis extrinsecus, atque occultæ conductionis adtemptatione submota. Officia etiam Palatina (q) decem librarum auri multæ subiaceant, si cui aduersus præcepta huius sanctionis veniendi aditum adsentatione præstiterint. Dat. VI. (r) Kal. Decembr. Med. Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda & forte *lex* 2, *infr. de discussoribus*: *lex* 60. *sup. de cursu*, *l.* 1. *supr. de his qui potent. nomin.* GOTHOFRED.

(b) *Messala* PP. Italiæ sub Honorio, V. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Horti atque areæ*, nam hæc reguntur a voce *permaneant.* ID.

(d) *Pomœria* ciuitatum. IDEM.

(e) Iisque donata: vid. *infr. tit. de Petitionibus.* ID.

(f) *Æternabilis domus*, est priuata res Principis: vid. *Gloss. Theod.* Sic forte æterna res: *leg. vn. supr. qui bonis ex leg. Iul. cedere poss.* IDEM.

(g) *Congregata*, id est, adgregata, incorporata. ID.

(h) Id est, *etiam.* IDEM.

(i) *Territoria* Ciuitatum. IDEM.

(k) De perpetuariis fundis: v. *Parat.* ID.

(l) *Canone*, id est, pensione. IDEM.

(m) De *Discussoribus* agitur *d. l.* 2. *infr. de discuss.* quæ *huic* forte iungenda est. ID.

(n) *Municipes*, id est, decuriones v. quæ dixi iam ad *l.* 2. *supr.* & *paratitl. de Decurion.* ID.

(o) De *Collegiatis* his erit *infr. titulus* 7. *libr.* 14. ID.

(p) De *Corporatis*: vid. *infr. tit. de priuileg. corpor. vrb Romæ.* ID.

(q) Id est, *Palatini rerum priuatarum*, vel *S. L.* ID.

(r) *V.* dictis *legibus*, quæ forte *huic* coniungendæ sunt. ID.

COMMENTARIVS.

Manere semel conductas perpetuo iure possessiones Ædium publicarum, & Reipublicæ locorum & iuris Templorum, penes eosdem Municipes seu Decuriones (hi enim iam conducere poterant Reipubl. prædia, cum antea non possent; *l.* 2. *sup.*) Collegiatos & Corporatos, quibus semel legitime adscripta seu locata sunt, iubet *h. l.* Honorius Imp. neque vlla ad alios ratione transferri, etsi augmentum pensionis alius licitator nouus offerat. Quæ eadem est sententia circa priuatæ rei Principis fundos tum Valentinianeæ constitutionis, tum aliorum deinceps: de quo vid. *l.* 3. *supr.* & *l.* 2. *supr. de pascuis*, & alias *leges* quas ad *d. l.* 3. congessi. Pœna decem librarum auri Palatinis R. P. scilicet (nam ad Rationalium rei priuatæ sollicitudinem curamque pertinebant vniuersi fundi Templorum, vt docet *l.* 4 *Cod. Iust. de fundis rei priu.*) proposita, si quem nouum licitatorem admiserint, aditumque ei præstiterint *adsentatione* sua; forte potentiori alicui. Et sic securitati prouincialium hac quoque parte consultum voluit Honorius; qui & aliis capitibus alia quoque ratione iisdem cautum iuit, puta *l.* 2. *infr. de discussoribus*: *l.* 60. *supr. de Cursu publico*: *l.* 1. *sup. de his qui potent. nom.* quæ, vt quidem censeo, *huic legi* omnes coniungendæ veniunt, ceu vnius & eiusdem constitutionis partes.

Et hæc quidem de *huius leg.* sententia. Est ea porro eo quoque nomine singularis, non eo tantum respectu, quod tria locorum genera commemorat, 1. nempe publicarum ædium loca: 2. loca Reipublicæ: 3. loca iuris Templorum; verum & singulorum species situsque: nempe 1. *Ædium publicarum* loca, quæ in ipsa ciuitate erant, eaque trium generum hic proponuntur: vel enim ædificia erant, vel horti, vel areæ. 2. Reipublicæ loca duum generum pariter commemorantur; Alia mœnibus ciuitatum inclusa erant, alia pomœriis connexa; id est, propimuria, prope muros posita, id cuim sunt pomœria, de quo *l.* 3. *de pagan.* Tandem loca Templorum trium generum memorat: mœnibus scil. ciuitatum alia inclusa erant; alia pomœriis connexa; alia demum ciuitatum territoriis ambiebantur: nam & tria hæc erant Vrbium & Ciuitatum spatia: Mœnia, seu intramurana, Pomœria, Territoria: prima, muris; secunda, vicinia murorum; vltima iurisdictione ciuitatum finiebantur: de quo postremo ad *titul. de Decurionib.* Quæ omnia latissime exequuntur *leges Tituli, de verbor. signif.* eiusque Interpretes. De Templis, & locis Templorum, quæ Pomœriis connexa erant, vel Territoriis ambiebantur, dicam *infr. tit. de paganis.* De cæteris, quæ ad *huius legis* illustrationem pertinent, docent satis ea, quæ de locis Templorum iam superius dicta sunt: vt & *tit. de discussorib. tit. de Collegiatis*: *tit. de priuil. corpor.* V. R.

VI. (a) Idem AA. Nestorio Com. R. P. (b)

P. 404 Nvllvs Palatinorum, (c) qui in Officio Rei Priuatæ nostræ militat, (d) conductoris (e) nomine, vel per se, vel per quamlibet personam possessionum huiusmodi (f) conducendarum habeat facultatem. (g) Dat. VI. Kal. Aug. Vincentio & Fravitta Coss. [401.]

NOTAE.

(a) *L. 3. Cod. Iust. quibus ad conduct. prædiorum fiscalium accedere non licet.* Iungenda *huic* forte *lex vlt. C. Iust. de rescind. vend.* de quo mox plura. *GOTHOFRED.*

(b) Eidem *Nestorio* Comiti R. P. inscribitur An. 405. *lex 18. sup. de Palatinis. ID.*

(c) De his *Palatinis rei priuatæ*, fuit *supr. tit. de Palatinis S. L. & R. P.* fuit etiam *l. 5. sup. in fin. ID.*

(d) *Militant*, Cod. Iust. *RITTER.*

(e) *Conductionis*, Cod. I. *ID.*

(f) Rei priuatæ: Respicit scil. hæc vox superiora illa, *in officio rei priuatæ. GOTHOFR.*

(g) *Cum neque militi, neque Curiali hoc faciendum permittimus:* hæc addita *C. Iust. ID.*

COMMENTARIVS.

PALATINI rei priuatæ, id est, officiales Comitis rerum priuatarum (de quibus *suo titulo, supr. lib. 6. de Palatinis S. L. & R. P.*) possessiones rei priuatæ conducere vetantur *hac l.* ab Honorio Imp. siue per se, siue per quamlibet personam. Pariter, vt emere e priuatis rebus aliquid, veluti vestem, aurum, argentum, mancipia, vetantur ab eodem, Constitutione pariter ad eundem Nestorium Com. R. P. emissa (quod Cuiacius iam indicauit) *l. vlt. Cod. Iust. de rescind. vendit.* quæ proinde *huic* coassanda videatur: nisi quod Theodosii nomen *illi legi* quoque inscriptum, indicare videtur, eam posterius latam: vt vt sit, & paritate inscriptionis, & argumento *huic* optime congruit. Ratio autem huius interdictionis in aperto iam est, ex dictis ad *l. 2. supr.*

VII. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Vrsacio Com. R.P. (b) Post alia.

EMPHYTEVTICI iuris (c) prædia ita locari præcipimus, vt, cessante Inlustris priuatarum (d) Comitis iussione, quanta sors (e) in aliis functionibus fuerit subleuata, tanta etiam in pensione dematur. Illut (f) quoque pari diligentia statuimus, vt si quis etiam Rescriptum de nostris altaribus (g) meruerit, *alium Inspectorem loca debere discutere*, subreptio ista vacuetur, (h) & illut valeat quod probatissimi Peræquatoris generalis electio, non specialis & gratiosa forsitan definiuit (i) ambitio. Dat. prid. Id. Mai. Rau. Honor. A. XI. & Constantio II. Coss. [417.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ autem illi *lex 14. 15. 16. infr. de Censitoribus & peræquatoribus, lex 13. sup. de Senatorib. & glebali collat. lex 9. infr. de præd. nauicular.* etsi omnes Sebastio Com. primi ordinis inscribantur, de quo mox. *GOTHOFR.*

(b) Eidem *Vrsacio* Comit. R. P. inscribitur Anno superiore 416. *lex 13. infr. de Censitoribus*, quæ & ipsa agit de peræquatione, pariter vt *hæc lex*: & Anno 414. *lex 2. Cod. Iust. de Offic. Com. S. Pal.* seu *lex vltim. Cod. eod. de offic. Com. rer. priu.* Secundum quasdam editiones. *ID.*

(c) Rei priuatæ: vt docet inscriptio *legis*: item illa mox, *cessante Illustris Priuatarum Comitis iussione. ID.*

(d) *Priuatarum* absolute, pro *rerum priuatarum.* vid. *Gloss. ID.*

(e) *Sors*: de ea dicam ad *l. 15. infr. de annona & tribut. ID.*

(f) *Fugitiua* sententia hæc ab hoc *titulo* est, & generalem clausulam continet formulæ, seu mandatorum datorum peræquatori misso ab Honorio, de quo mox. *ID.*

(g) *Altaria* sibi vindicabant Imperatores, vt cætera, sacrilege. Vid. *Gloss. ID.*

(h) *Vacuari*, est viribus vacuari. *ID.*

(i) Definiuerit. *IDEM.*

COMMENTARIVS.


DE EMPHYTEVTICORVM fundorum rei priuatæ (de quibus plene in *Paratitlo*) locatione, peræquatione, est hæc Honorii *lex*: quæ pars est formulæ, seu mandatorum datorum Sebastio Comiti primi ordinis generali peræquatori, misso in prouinciam quandam, ad peræquationem fundorum faciendam: cuius fragmenta sex in vniuersum supersunt: puta præter hanc legem, *lex 14. 15. 16. seu vlt. inf. de Censitoribus & peræquatoribus: lex 13. sup. de Senatoribus & glebali collat. lex 9. inf. de præd. nauicular.* quæ proinde omnes *huic l.* sociandæ seu coassandæ veniunt.

Neque turbari quem oportet, quod hæc *lex* non Sebastio, vt illæ *leges* omnes, verum Vrsacio Comiti R. P. inscribatur: nempe, quia caput istud quod *hac l.* continetur, ad rei priuatæ fundorum peræquationem pertineret, ideo ex ampliore illa Formula seu constitutione, decerptum hoc ad Vrsacium Com. R. P. directum fuit, ad cuius dispositionem res priuatæ pertinebant: Qui mos Tralatitius, ad diuersos eandem constitutionem eodem exemplo emittendi, vel saltem aliquod caput ex ampliore constitutione aliqua decerptum, ad alium atque alium dirigendi. De quo peculiari capite, *in Prolegomenis Theodosianis.* Maneat igitur, hanc *legem* cum *illis* sociandam, velut ex eadem prolixiore constitutione petitam. Sic quidem vt posterior *huius legis* pars, ab *hoc titulo* P.405

fugitiua

fugitius, clausulam quandam generalem contineat formulæ illius, seu mandatorum Sebastio illi Comiti Primi ordinis Peræquatori generali, misso in prouinciam qua Honorius edicit, peræquationem generalis illius peræquatoris ratam omnino manere oportere, neque specialem ab aliquo Inspectorem a se impetrari posse, vel impetratum valiturum: de quo dicam ad *d. l. vlt. inf. de Censitoribus.*

Prioris partis *huiusce leg.* quæ sola proprie *huic titulo* conuenit, vtpote qua de locatione prædiorum Emphyteuticorum rei priuatæ agitur, duæ sunt sententiæ: Prior, Locationem hanc nunc faciendam, *cessante Comitis R. P. iussione*; cum tamen alias locatio fundorum Emphyteuticorum rei priuatæ Comitis R. P. dispositione & *iussione* fieret; quod indicant quoque satis *lex 3. 6. sup.* Nempe extra ordinem misso Peræquatore Generali, interim Comitis R. P. auctoritas hac parte interquiescebat. Posteriore sententia, Locationi emphyteuticorum prædiorum hanc *legem* dicit Honorius, videl. vt quemadmodum ad releuandum aliorum fundorum censum peræquator hic Sebastius missus fuit, (vt docent quinque *leges illæ*, quæ cum *hac* nostra coassandæ sunt, puta *d. lex 14. 15. 16. inf. de Censitoribus: & d. lex 13. sup. de Senatoribus & Glebali collat. & l. 9. inf. de pred. nauicul.*) Ita & emphyteuticorum pariter prædiorum *pensionem* subleuet. Et quidem pro eadem quantitate & proportione: *Quanta sors*, inquit, aliorum fundorum *in aliis functionibus fuerit subleuata, tanta etiam in pensione* Emphyteuticis prædiis *dematur*. *Pensio* hic, & *l. 9. inf. de extraordinar.* proprie est præstatio, quæ ex Emphyteuticis prædiis pendebatur: qui & *Canon* dicitur *l. 19. infr. de annona & tribut.*



DE ACTORIBVS PROCVRATORIBVS, ET CONDVCTORIBVS * REI PRIVATÆ.

TITVLVS IV.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. LXXI.

De Conductoribus & Procuratoribus, siue Actoribus prædiorum fiscalium & Domus Augustæ.

* Huc pertinet quoque *Titulus prox. 5. inf. qui conductores rei priu.* & *tit. vlt. hoc lib. de Conductoribus & hominibus domus Augustæ.*

PARATITLON.

I. DE ACTORIBVS rerum priuatarum præter *Rubricam*, & *l. 1. 2. h. tit.* agitur insuper *l. 1. 11. sup. de iurisdict. l. 7. 12. sup. de desertoribus: l. vlt. inf. de conlat. fundor. patrimonial. l. 12. inf. de extraord. muner. l. 6. inf. de exactionib.* Dicuntur Actores rei priuatæ Rubr. & *l. 2. h. tit.* & *l. 1. sup. de iurisdict.* & *l. 6. inf. de exactionib.* Rerum priuatarum Principis, *l. 1. h. tit.* Actores rerum Principis, *l. 7. sup. de desertoribus.* Actores domus Principis, *l. 12. sup. de desertorib.* Actores Dominici, *l. 11. sup. de iurisdict. l. vlt. inf. de conlat. fund. patrim.* & Interpres ad *l. 1. h. tit.* Actores patrimonii Principis, *l. 12 inf. de extraord. mun.* Priuilegiis quibusdam hi subnixi fuerunt, nempe immunitate a muneribus extraordinariis, *l. 12. inf. de extraord. mun.* Ac multo magis ab indictionibus Rectorum, Principalium curiarum, *l. 2. h. tit.* *Pœnæ* contra in hos decretæ seueriores, quia eorum etiam delicta grauiora erant, peccandique commeatum sibi facile faciebant. Itaque eadem disciplina cum cæteris prouincialibus teneri iubentur a Iudicibus prouinciarum, *l. 1. sup. de iurisdict. l. 7. 12. sup. de desertorib.* Imo grauior pœna in hos constituitur a Constantino M. *l. 1. h. tit.* Crimina eorum fuerunt hæc inter alia, deprædatio prouincialium, *l. 1. h. tit.* Latebræ præbitio reis, *l. 11. sup. de iurisdict. l. 7. 12. sup. de desertorib.* Contumacia in soluendis solemnibus speciebus, *l. 6. inf. de exactionib.*

II. De PROCVRATORIBVS rei priuatæ est non tantum *Rubr.* & *lex 1. h. tit.* verum insuper *lex vlt. sup. ad leg. Iul. Repetund. lex vlt. sup. de iure fisci: lex 1. supr. de Domibus ad rem priuat.* Procuratores nostri, *l. 1. de Equorum conl.* Procuratores domorum, *l. 1. de domib. ad rem pr. pert.* Procuratores possessionum Principis, *l. 13. de paganis:* hi domorum Principis P. 406 curam habebant reparandarum, *d. l. 1.* De horum calumniis, deque deprædationibus prouinciales sæpe questi, *l. 1. hoc tit.* Eos puniri ignis supplicio voluit Constantinus M. *leg. 1. hoc tit.*

III. De CONDVCTORIBVS Rei priuatæ præter *Rubricam* & *l. vlt. hoc tit.* insuper *lex 6. sup. de locat. fund. iur. emphyt.* erit *inf. tit. prox. qui conductores rei priu. fideiuss. exigi non debent.* Item *tit. inf. vlt. de conductorib.* & Patrimonii Principis, *l. 12. inf. de extraordinar.* Conductores domus Augustæ, *tit. vlt.* Conductores domus nostræ, *l. 54. infr. de hæreticis.* Hi suberant Rationali, *l. vlt. hoc tit.* & Fideiussores dare debebant, exceptis Comitibus

Consistorianis, *l. vn. qui conductores:* Hos Principes æquo iure cum aliis prouincialibus agere voluerunt, *l. 1. 2. de conduct. domus Augustæ*, vt in causis agendis, ita & tributorum illatione, *l. 6. inf. de exactionibus.*

IV. De COLONIS rei priuatæ præter *l. vlt. h. tit.* est insuper *lex 5. inf. de extraordinar.* & *l. 2. sup. de fugitiuis Colonis:* dicuntur homines, *l. vn. inf. de conductoribus & hominibus domus Augustæ.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Philippum Vic. Vrb. (b)

SI quis (c) ab Actore rerum priuatarum nostrarum, siue a Procuratore, fuerit vexatus, (d) super eius calumniis, vel deprædationibus, deferre querimoniam non dubitet. Quæ res cum fuerit comprobata, (e) sancimus, vt idem qui contra prouincialem (f) quidquam moliri fuerit ausus, publice concremetur: quoniam *Grauior* * *pœna constituenda est in hos, qui nostri iuris sunt, & nostra debent* (g) *custodire mandata.* Dat. III. Non. Mar. Heracleæ, (h) Constantino A. III. & Licinio (i) Coss. [313.]

INTERPRETATIO. *Quicunque ab actore dominico, vel procuratore fuerit alicuius iniuriæ improbitate vexatus, de eorum calumniis vel deprædationibus ad Principem conuolare debebit; quæ res si potuerit adprobari, eos qui circa prouinciales talia facere ausi sunt, placuit incendio concremari: quia grauiorem pœnam Principes constitui voluerunt in eos qui sui iuris sunt, & sua debent custodire mandata.*

NOTAE.

(a) Hæc *lex* in *Cod. Iust.* miris modis deformata: *l. 9. Cod. Iust. vbi causæ fiscales*: aliamque inscriptionem & subscriptionem habet, cum tamen euidenter hæc ipsa *lex* sit. GOTHOFR.

(b) *Philippus* Vicarius Vrbis sub Constantino M. Vicarii enim Vrbis, iam inter initia Imperii Constantiniani fuere: de quo *in Apolytico nostro de Suburbicariis.* ID.

(c) Prouincialis, vt *vers. quæ res.* ID.

(d) *Vexatus*, vel calumniis, vel deprædationibus, vt mox: in *Cod. Iust. vexatis iniuriis.* ID.

(e) *Probata*, MS. W. RITTER.

(f) *Prouinciarum* nomen tributum etiam positis intra Vicariam seu Vicarianam Vrbis diœcesim. ID.

* Hæc sententia translata & assuta *legi vn. Cod. Iust. de Conductoribus, procuratoribus, siue Actoribus prædiorum fiscalium* &c. ID.

(g) *Et non adhibent custodire*, MS. G. RITTER.

(h) *Heracleæ* hæc *lex* data proponitur: si de ea quæ in Macedonia, vel Thracia, vel Pontica, id accipiendum, tum hæc *lex* Licinio tribuenda fuerit: sed renititur inscriptio ad *Philippum Vic. Vrbis*, quæ hanc *leg.* Constantino M. (Vrbis Romæ domino) adserit. Igitur de *Heraclea Lucaniæ* id accipiendum fuerit. Sed & hoc dubium. Hoc enim tempore Constantinus M. Mediolani versatus est: Quid si de *Heraclea* id accipiendum, quæ in Gallia? cuius meminit Stephanus, vt in subscriptione pro *Mar.* scribendum videatur *Mai*: quo sane mense hoc Anno 313. Constantinus M. in Galliis fuit: Verum malo hanc *legem* referre ad An. D. 315. quo sane Anno Constantinus M. in Macedonia fuit: Quare eo ipso tempore data ab eo Thessalonicæ *lex 1. de diu. officiis* GOTHOFRED.

(i) *Licinio III.* MS. W. RITTER.

COMMENTARIVS.

DE POENA Actorum & Procuratorum rei priuatæ Prouinciales concutientium, est hæc Constantini M. Constitutio seuerissima: Qui vt cæteroquin aliis criminibus infames erant (de quo monuit iam satis *Paratitlon*;) ita prouinciales misere vexabant, obtentu rei priuatæ, & officii quod circa res Principis sustinebant; nempe eos calumniis seu calumniosis actionibus appetentes, vel deprædantes. Quare subinde constitutionibus Imperatorum repressa eorum audacia, tum alia in re, *l. 1. & 11. sup. de iurisdict. l. 7. 12. sup. de desertorib. l. 6. inf. de exactionib.* tum hac parte fundata prouincialium securitate, & indemnitate ab eorum vexationibus, calumniis, deprædationibus.

Ac primum, excitis & excitatis prouincialium querelis, qui vix etiam de his conqueri ausi, maiora veriti: haud aliter atque exciti, & excitati accusatores prauorum Iudicum, Comitum, Amicorum, Palatinorum ab eodem Constantino M. aureo Edicto quod extat *l. 4. supr. de accusation.* Secundo, pœnam atrocissimam his, qui conuicti essent prouincialem aliquem concussisse, minatur Constantinus M. nempe ignis, seu viui comburii; quæ Genium & characterem Constantini repræsentant: cuius etiam grauissimæ pœnæ rationem ipse subiungit: nempe quod *Grauior constituenda sit pœna in hos qui iuris Principis sunt, & qui Principis mandata custodire debent:* Cui concinit quadantenus & in genere *Valentiniani a Nouella 5. de Sepulcbris*, his verbis: *vehementius coërcendus est, quem peccasse mireris: scelus omne grauius facit claritudo personæ.* P. 407. Vt omittam vetustiora hanc in sententiam dicta; quale illud Iuuenalis *Satyr. VIII. v. 140.*

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

Quæ tamen omnia nondum exprimunt rationem Constantinianeam, & Constantini Characterem.

Viui-

Viui comburii porro pœnam & aliis pluribus constitutionibus, & facinoribus facile imposuit Constantinus; de quo vid. plura *in Paratitlo, de pœnis*: quomodo & alias idem in exacerbandis pœnis aliquando nimius fuit.

II. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. ad Seuerum Vic. Vrb. (b)

DIVVM Iulianum † hoc (c) competentissime (d) decreuisse comperimus, *Vt Actores rei priuatæ nostræ minime necessitatibus (e) terrerentur, (f) adque afflictarentur iniuriis, (g) quas sæpe numero Rectores prouinciarum, vel adrogatione inlicita Principalium, (h) vel propriis decretis Ordinis, (i) fieri censuissent:* Quod adeo nos probamus, vt ratum esse iubeamus. Dat. XI. (k) Kalend. Aug. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

INTERPRETATIO. *Iulianum principem bene ac salubriter statuisse certissimum est, vt Actores domus dominicæ nullis necessitatibus turbarentur, (l) aut fatigarentur iniuriis, quas eis frequenter Rectores prouinciarum per suggestiones principalium facere consuessent; cuius facti constitutionem in tantum rationabilem & necessariam iudicamus, vt firmam permanere iubeamus.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Hoc ipso Anno in Inscriptione *legis 68. inf. de Decurion.* Vbi dicam. ID.

† Iuliani hæc constitutio non extat: Et tamen cuiusnam constitutionis partem constituerit, mox eruam. ID.

(c) *Hoc*, abest a MS. W. RITTER.

(d) *Competentissime*: ita diserte habet Anianus Put. Cum Editiones quædam, Tiliana, Cuiaciana, habeant *competitissime*. Interpres *huius l.* explicat, *bene ac salubriter*. GOTHOFR.

(e) *Necessitatibus*, id est, muneribus: Sic extraordinaria necessitas *l. vlt. inf. de extraordin. munerib.* Plura in *Gloss.* IDEM.

(f) *Tererentur.* IDEM.

(g) *Iniuriis.* IDEM.

(h) *Principales.* IDEM.

(i) *Ordines.* IDEM.

(k) *X. Kal. Aug.* MS. W. RITTER.

(l) *Turbarentur*, MS. G. & Sichard. ID.

COMMENTARIVS.

EXTRAORDINARIIS INDICTIONIBVS, a Rectoribus Prouinciarum, Principalibus Curiisque, Actores rei priuatæ atteri vetat *hac l.* Valentinianus Sen. confirmata in hoc anteriore quadam *Iuliani Imperatoris* constitutione, qua hoc ipsum iam cautum fuerat: extraordinariis, inquam, indictionibus, quæ a Rectoribus indicebantur contra ius. Nam ab iis quæ a Principe seu Imperatore indicebantur, Iulianus neminem immunem esse voluerat, nequidem eos qui patrimoniales fundos retinebant: vt docet eius *lex 1. inf. de extraordin.* & *l. 2. inf. de conlat. fund. patrimonial.* Extraordinariis igitur tantum atteri vetuit Actores rei priuatæ. At enim Valentinianus vtramque pariter immunitatem sanciuit: nam & priuatæ rei possessionibus immunitatem ab extraordinariis muneribus tribuit, etiam iis quæ Princeps iure indiceret, vt docet *lex vlt. inf. de conlat. fund. patrim.* pariter vt eadem immunitas tribuitur, *l. 1. 2. 5. 9. 12. 13. 17. 20. de extraordin. munerib. l. 3. inf. de Indictionibus*: Et Indictiones illas extraordinarias, quibus Actores rei priuatæ atteri contra ius solebant, a Rectoribus prouinciarum, Principalibus, Curiis *hac l.* damnat; pariter vt Iulianus damnauerat: scilicet, quod *hac l.* docemur, Actores rei priuatæ iniuriis Rectorum, Principalium, & Curialium obnoxii erant; tanquam locupletes & ferendis oneribus pares; Sæpe inquam Rectores prouinciarum cæterique, quos dixi, pro arbitrio suo eos necessitatibus nonnullis atterebant, & iniuriis afflictabant, id est, iis quædam indicebant, tanquam de facili ea sustinere possent, forte ad opera publica, vel ad publicas voluptates, vel ad annonam ciuicam, aliaque similia. Quare id nunc damnat Valentinianus, Iulianum in eo secutus, *hac leg.* vbi cui videatur legendum; *Quas sæpenumero Rectores prouinciarum, vel adrogatione inlicita Principales, vel propriis decretis Ordines fieri censuissent*: vt ita tria hominum genera designentur, qui immediate miseros Actores rei priuatæ atterebant, ceu in prouinciis præualerent: Rectores, inquam prouinciarum, Principales item inlicita adrogatione, de quorum vsurpationibus illicitis dixi prolixe ad *l. 4. inf. de extraordinar.* Videndus & elegans eam ad rem Saluiani locus *lib. 5. c. 4.* Alioquin ordinariorum munerum adscriptio ab his fiebat, *l. 5. sup. de his quæ admin. l. 17. inf. de Decurion.* non extraordinariorum, *d. l. 4.* Tandem & Curiæ, decretis suis. Si vero vulgata lectione stamus, tum Rectores soli attriuisse Actores indicari videntur, stimulati tantum a Principalibus & Curiis. Quod interpres voluit: Sed prior interpretatio mihi magis placeat.

P. 408 **III. (a) Idem AA. (b) ad Crescentem (c) Vic. Afric.**

IN negotio criminali, per Rationalem Colonos, (d) vel Conductores (e) rei priuatæ nostræ, quorum repræsentatio (f) poscitur, (g) exhibendos, (h) esse Sinceritas (i) Tua cognoscat: In ciuili vero causa Defensorem (k) domus nostræ adesse debere. Dat. pridie Non. April. Alteio, (l) Valentiniano & Valente AA. (m) Coss.

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* Concordat vero ei *lex* I. & II. *sup. de Iurisdictione.* GOTHOFR.

(b) VALENTINIANVS & Valens. *ID.*

(c) *Crescens* Vicarius Africæ, sub Valentiniano Imp. cui inscribitur quoque Anno 371. *Gratiano II. & Probo Coss. lex* 17. *de annona & tributis:* Meminit eius & Am. Marcellinus, in eiusdem Anni 371. gestis. *lib.* 28. *extremo* Plura in *Prosopogr. ID.*

(d) De *Colonis* his rei priuatæ: v. & *l.* 5. *inf. de extraordinariis:* & *l.* 2. *sup. de fugitiuis colonis:* vbi consule *Paratitlon. ID.*

(e) *De Conductoribus* his rei priuatæ, v. *Paratitlon. ID.*

(f) *Repræsentatio*, id est, *exhibitio:* vt mox, *exhibendos. ID.*

(g) Per Iudicem, missis Officialibus. *ID.*

(h) *Exhibendos*, id est, tradendos Officialibus a Magistratu missis. *ID.*

(i) *Sinceritatis* titulus tributus Vicario: & quidem, Africæ. V. *Notitiam. ID.*

(k) *Defensor* domus Principis, id est Rationalis, vt *supra* vocatur, de quo mox. *ID.*

(l) De huius loci subscriptione mox. *ID.*

(m) *vg. III.* id est *A. D.* 370. vel, *IV.* id est *A. D.* 373. de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE PROCESSV in causis Colonorum vel Conductorum rei priuatæ tum Criminalibus, tum Ciuilibus, est hæc Valentiniani Sen. constitutio: De cuius sententia antequam ago, præter ea quæ iam in *Notis* de Crescente Vicario Africæ, ad quem *hæc lex* data est, dixi: de Æra Temporis seu Consulatu, deque loco vbi hæc *lex* data dicitur, prius dispiciendum est.

Quod prius attinet, subscriptus *huic l.* Consulatus *Valentiniani & Valentis:* non adscripto Consulatus numero: quomodo primus horum Augustorum Consulatus notari solet, qui congruit *A. D.* 365. Et his tamen Coss. hæc *lex* adscribenda non videtur: duplici ratione, tum argumento Crescentis Vicarii Africæ, ad quem hæc *lex* data est: qui vtique *Gratiano II. & Probo Coss.* id est, *A. D.* 371. fuit, vt ex *l.* 17. *inf. de annona & tributis*, & Am. Marcellino *lib.* 28. *extremo*, iam in *Notis* ostendi. Tum etiam argumento loci subscripti: de quo mox. Quare, quod & alibi sæpe ostendimus, adsignandus & huic Consulatui Valentiniani & Valentis numerus aliquis remotior; vel inquam, *Valentiniano & Valente Tertium Coss.* id est, *An. D.* 370. vel *IV.* id est, *An. D.* 373. In hoc enim tempus incidit Crescentis Vicariatus, quo ipso tempore Romanus erat Comes Africæ, vt ostendit Amm. Marcellinus *dicto loco:* Atqui Romanus fuit Comes Africæ A. D. 372. vt docet *lex* 13. *sup. de diuersis officiis.* Quare vitium etiam in Inscriptione, in qua soli duo Augusti Valentinianus & Valens scil. inscribuntur; etsi adscribenda cuipiam videretur hæc *lex Valentiniano & Valenti II. Coss.* id est, *A. D.* 368. Verum, malim ipse, hanc *leg.* referre ad A. D. 370. & in Inscriptione tres Augustos adnotare, *Valentinianum* scil. *Valentem & Gratianum, AAA.* quomodo etiam inscribuntur, *l.* 17. *infr. de annona & trib.* quæ, vt dixi, eidem Crescenti Vicario Africæ inscribitur.

Quod locum subscriptum attinet; Sane is vel corruptus, vel certe incognitus. Putet quis reponendum *Altino*, quomodo subscriptum A. D. 373. in *l.* 5. *inf. de reparat. Appellationum:* Certe si *Altino* retineamus; id stare non possit, quandoquidem A. D. 368. 371. Valentinianus non in Italia, verum in Gallia constitit: & Olybrius P. V. cui ea *lex* inscribitur, non fuit P. P. A. D. 373. Quare subductis omnibus, putem & hic reponendum *Alteio*, & in *d. l.* 5. forte pariter reponendum; vt sic *Alteium* in Gallia quæramus, vbi Valentinianus constitit A. D. 368. & A. D. 370: ac ferme Treuiris, vel Vangionibus. Ego, dum certius quid affertur, putem vel vicum *Eltz*, vel *Altzhemum*, qui eo omnino loci sunt. Et vero eo Rheni tractu Valentinianus per hæc tempora egit, apud *Vangiones*, inquam, *Altaripæ*, *Mattiatici*, *Contionaci*, *Brisiaci*, *Robore*: de quo in Chronologia.

Nunc de *huius l.* sententia, vbi præsupponendum Rectores seu Iudices ordinarios, in homines rei priuatæ delinquentes, Iurisdictionem nihilo secius atque in alios habuisse: *h. l.* & *l.* 1. *sup. h. tit.* & *l.* 3. *sup. de Iurisdict. l.* 8. 9. *Cod. Iust. vbi causa fiscales:* Hæc inquam certissima sunt: De exhibitione tantum rei per quem facienda esset, & num Rationalis præsentia in iudicio requireretur, agitatum fuit. Definit igitur Valentinianus Imp. *hac l.* in causa criminali, si colonus vel conductor rei priuatæ Principis criminis accusetur, Rationalem rei priuatæ, sub cuius alioquin dispositione erant prædicti coloni, & conductores, exhibere eos cogi & repræsentare seu tradere, missis officialibus ab ordinario Iudice seu Rectore, veluti Vicario: ita quidem, vt huic criminali negotio, eiusque cognitioni vel iudicio immiscere sese non possit, neque obtendere sese adesse debere: Quod tamen Rationales voluisse videntur, eo obtentu, quod, vt dixi, sub eorum dispositione illi essent. Et sane ita aliquando obtinuit, vt Rationali præsente causa tractaretur, *l.* 8. *Cod. Iust. vbi causa fiscales:* Verum hoc casu præsentiam Rationalis non expectari vult Valentinianus. Imo & Honorius Imp. postea nequidem ad exhibitionem reorum officium Rationalis necessarium esse definiuit *l.* II. *sup. de Iurisdictione:* Minime, inquit, *Prouinciæ Rector expectet in reos criminosos actorem dominicum, sed habeat exhibendis noxiis potestatem, vtatur legibus, nullo interposita Rationali: latebris reus potestate ordinarii Iudicis protrahatur, ne per conludium Actorum iudicii fiat dilatio.* Ergo ex *hac l.* in homines rei priuatæ Rectores Ordinarii seu ciuiles Potestates criminum reos ita iurisdictionem habent,

habent, vt non tantum sententiæ in eos ius habeant, punireque eos possint, verum etiam ita vt præsentia Rationalis non requiratur *h. l.* Illud tantum requiritur *h. l.* vt per Rationalem exhibitio fiat. Quod & ipsum remissum *d. l. 11. sup. de iurisdictione:* & sic capturæ ius Iudicibus quoque *ea l.* tributum. Et hæc quidem de causa criminali. In ciuili vero negotio Defensorem Domus Principis, id est Rationalem adesse debere definit *h. l.* Valentinianus, pariter vt *l. 5. sup. de iurisdictione:* quæ eiusdem Valentiniani est, & ad quam dixi.

Illud obiter notandum, *defensorem domus Principis*, pro Rationali hic dici: quomodo & Symmachus *lib. 10. ep. 53.* eodem παραλληλισμῷ, *Defensores & Rationales Augustissimæ domus* vocat: mox *fine eiusdem epistolæ, defensorem domus venerabilis,* Rationalem vocat.

Ratio porro differentiæ inter criminalem causam, & ciuilem in aperto est; vt Reatus scil. omnem honorem excludit, ita & publice interest reos quoscunque erui, puniri, qui sæpe Rationalium gratia elabebantur; at in causa ciuili, fisci vtilitas vertitur.

Cæterum haud inanis coniectura est, pertinere hanc *leg.* ad Tripoleos Africæ ærumnas, quas describit Amm. Marcellinus *lib. 28. extremo*, vbi disserte ait, apud Vticam, sententia *Vicarii Crescentis* (cui hæc *lex*, & *d. l. 17. inf. de annona & trib.* inscribitur) multos morti addictos fuisse.

QVI CONDVCTORES REI PRIVATÆ FIDEIVSSORES EXIGI NON DEBENT.

TITVLVS V.

Nullus talis Titulus extat in *Cod. Iustinianeo.*

I. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Eulogio Com. R. P. (b)

QVIDQVID Diui parentis (c) nostri Valentiniani Senioris iussio † *de fundis priuatæ rei* continebat, nostra etiam auctoritate firmamus. Vt igitur ille præceperat, *Ne Consistoriani (d) Comites fideiussores in suscipiendis possessionibus darent*, quod etiam Diuus Gratianus † secutus est, custodiri oportet. Dat. III. Kalend. Mai. Med. Honorio A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) Eidem *Eulogio*, Comiti R. P. inscribitur ante triennium An. 395. *lex 10. inf. de infirm. his q. sub Tyr.* & *l. 12. inf. de incorporat.* ID.

(c) *Parentem* vocat, in Imperio decessorem: de quo in *Imper. Romano.* ID.

† De hac Valentiniani Senioris constitutione, mox dicam. ID.

(d) De *Consistorianis Comitibus* fuit, *sup. titulus*, *lib. 6.* ID.

† *Gratiani* constitutio notanda, quæ alibi non occurrit. ID.

COMMENTARIVS.

FIDEIVSSORES regulariter Conductores rei priuatæ dare tenebantur: quod præter *hanc legem* docet quoque *lex 4. sup. de locat. fund. patrim.* vbi plura. Et Consistorianis tamen Comitibus id priuilegii loco datum relaxatumque, vt ne priuatæ rei possessiones conducentes fideiussores dare cogerentur; Quorum & alia priuilegia fuerunt: Nempe enim a sordidis muneribus immunes erant *l. 15. 18. infr. de extraord. siue sord. mun.* a præbitione Tyronum & equorum: *l. vn. infr. qui a præbit. Tyron.* a Præturæ onere, *l. 28. supr. de Prætor.* a metatis, *l. 3. supr. de metatis:* excepto necessitatis casu, vt in specie *Nouella Valentiniani*, quæ inter *Theodosianas*, est *41. de Tironib.* De quo & quinam hi Comites Consistoriani sint, *suo tit. 12. supr. lib. 6. de Comitibus Consist.*

Huius vero, qua de *hac l.* agitur, immunitatis primum auctorem facit *h. l.* Honorius Imp. Valentinianum Seniorem, eiusdemque approbatorem Gratianum. Quorum exemplum & ipse nunc sequitur, firmata Valentiniani super eo constitutione: neque in hoc tantum capite, sed constitutione generali *de fundis rei priuatæ.* Quæ quidem Valentiniana illa solemnis constitutio est, cuius pars adhuc quædam superest, siue *lex 1.* siue *2. supr. de pascuis:* cuius duo quoque alia capita memorantur *hac l.* & *lege 1. C. Iust. de locat. præd. ciuil.* Ea constitutione Valentinianus in vniuersum *de fundis rei priuatæ* accurate sanxerat, quod hæc *lex* ostendit: quam denique secuti Principes subinde vrsere: Gratianus & Valentinianus *d. l. 1. C. Iust. de locat. fund. ciuil.* Theodosius M. *l. 3. sup. de locat. fund. patrim.* & *l. 2. d. tit. Cod. Iust. de locat. fund. ciuil.* Honorius *hac l.* & *l. vlt. infr. de collat. fund. patrimonial.*

Hic interim exemplum habemus, quo fideiussoris dandi necessitas quibusdam remittitur, propter dignitatem videlicet suam: & alias huiusce cuiusdam gratiam [illegible] continent fideiussoris P. 410.

iussoris dandi necessitas; ac nominatim in his qui positi in dignitatibus essent: sic & *l. 17. Cod. Iust. de dignit.* in eius specie fideiussoris dandi necessitas viris Illustribus remittitur: Et alias quoque nonnullis aliis: vid. *tit. D. qui satisdare* & *l. 12. Cod. I. de proxim. sacr. scrin.* & *l. vlt. de Princip. Agent.* Habemus deinde exemplum, quo Consistorianis etiam Comitibus fundos priuatæ rei suscipere, conducere licebat.

DE GREGE DOMINICO.

TITVLVS VI.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. LXXV.

Paratitli vice adde & *l. 1. de Equis Curulib.* vbi pariter *gregum dominicorum* mentio fit.

I. (a) Impp. ARCADIVS & Honorius AA. Cæsario. P.P. (b)

PROPOSITIS Sublimis (c) Magnificentiæ Tuæ minimi maximique (d) moneantur Edictis, (e) vt sciant singulas auri libras ex propriis facultatibus eruendas (f) pro singulis equis vel equabus, siue Hermogenianis, siue Palmatis, (g) nisi eas (h) sponte (i) obtulerint; (k) In (l) his vero, quos ex aliis (m) Gregibus occupatos esse constiterit, sex auri vncias fisci viribus (n) inferendas. Dat. prid. Kalend. Decemb. Constantinop. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTAE.

(a) *L. vn. Cod. Iust. eod. tit. lib. 11. t. 75.* GOTHOFR.

(b) *Cæsarius* sub Arcadio Imp. P.P. & quidem Orientis, vt vel ex Palmatiorum equorum mentione liquet. v. de eo *Prosopogr.* & Philostorgium, *lib. 11. c. 5.* ID.

(c) Inuersa hæc *Cod. Iust.* ad maiorem εὐφωνίαν: *Propositis Edictis Sublimis Magnificentiæ Tuæ* &c. ID.

(d) Etiam Illustres. ID.

(e) De his *Edictis* Præfectorum Prætorio, mox. ID.

(f) *Seruandas*, in nonnullis *Cod. Iust.* male. ID.

(g) γρ. *Palmatis*, id est, *Palmatiis*: quomodo expresse habent nonnullæ Edit. *Cod. Iust.* ID.

(h) In *Cod. Iust. eos*: Quod si verum, vtrumque referendum fuerit eodem sensu ad equos, & ad equas. ID.

(i) De hoc, *fine Commentarii.* ID.

(k) Restituerint. IDEM.

(l) *Pro his.* IDEM.

(m) *Dominicis* scil. arg. *Rubricæ* de quo mox, non vero *priuatorum.* ID.

(n) *Iuribus*, in *Cod. Iust.* male. RITTER.

COMMENTARIVS.

GREGES EQVORVM (qui nobis *Haras*) varios habuere olim Imperatores Romani, vt vel hæc *lex* Arcadii Imp. ostendit: vt & altera Valentis *l. 19. supr. de Pratoribus:* Equorum inquam, in vsus videl. suos, de quibus etiam agitur *l. 2. sup. de tractoriis & statiuis: l. 2. sup. de pascuis: l. 1. & 2. infr. ne opera a conlat. exig.* Et sic sex in vniuersum de Equis Imperatoriis *hoc Codice* constitutiones occurrunt: In vsus inquam eorum, veluti in voluptates seu ludos; & Circenses quidem, vt docet *d. lex 19.* & *lex 1. inf. de equis curulib.* Qui & ideo *Greges Domin.* dicti: *Rubr. huius tit.* Quomodo & vetus Orbis Descriptor sub Constantio & Constante Imp. *diuina animalia*, θεῖα ζῶα, vocauit: *Diuina*, scil. huius æui stilo, id est, *Imperatoria*, seu *Dominica*: Alii *sacra*, de quo mox. Horum vero Gregum Præpositos memorat quoque Notitia *Imperii Orientalis* sub dispositione *Comitis rerum priuatarum*, id est, Rerum Dominicarum.

Erant autem hi Greges Dominici per Orientem varii, pro opportunitate videlicet Regionum, quæ Equis Generosis censebantur: Græci, de quibus *l. 1. infr. de Equis Curulibus:* Phrygii item & Cappadoces. De *Phrygiis*, & Phrygiæ gregibus nominatim est Valentis *dicta lex 19. sup. de Pratorib.* & non vna eorum mentio apud Nemesianum, Claudianum, alios, *locis mox producendis.* De equis Cappadocum inter omnes celebratissimis; deque Cappadocia ἱππότρόφῳ plures agunt: & in his quidem Xenophon iam olim *4. exped. Cyri.* Hierocles *in Hippiatricis:* Solinus *cap. 45.* vbi ait, *Cappadociam terram ante alias altricem equorum, & prouentui equino accommodatissimam:* Oppianus & ipse Cappadox *Cyneget. 1. vers. 191.* Apuleius *lib. 8 pag. 170. edit.*

edit. Pricai. & *pag. 154. edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* Dionysius *Periegetes*: Capitolinus *in Gordianis*: Vetus Orbis descriptor sub Constantio & Constante *cap. 21.* Gregorius Nazianzenus *orat. 20. in fun. Basilii p. 318. edit. Lips. Weidm.* Zosimus
P.411. *lib. 2. cap. 22.* Claudianus *lib. 2. in Rufin.* & *in laud. Serenæ*: & *de Equo Honorii*: Aethicus Sophista: Vegetius *lib. 4. Veterinaria cap. 46. Cappadocum*, inquit, *gloriosa Nobilitas*, *Hispanorum par*, *vel proxima*: quod ad interpretationem *leg. 1. infr. de equis Curulib.* maxime facit: Iustinianus *Nouella 30.* Ex Gregorii etiam Nazianzeni epistol. 183. colligere mihi videor, in Cappadocia Rectores prouinciarum multam Equorum iudicatis quandoque imposuisse. Atenim hoc æuo Insignes cumprimis primæque qualitatis in Cappadocia fuere Equi *Hermogeniani* & *Palmatii*, & Greges horum equorum. Palmatiorum equorum non *hac* tantum *lege*, verum quatuor insuper aliis locis mentio fit; puta primum *l. 1. infr. de Equis Curulib.* Secundo, in Itinerario Hierosolimitano seu Burdegalensi *pag. 577. ed. Wesseling.* quod scriptum sub extremis Constantini M. vbi perperam hactenus editum fuerat, villa *Pampali*, pro villa *Palmati*: *Cappadociæ*, inquit, *mansio Andauilis: ibi est villa Pampali* [γρ. Palmati] *vnde veniunt equi Curules. Ciuitas Tyana, vnde fuit Apollonius Magus.* Huius villæ etsi nulla mentio in vtroque Itinerario, *Peutingeriano*, & *Antonini*; attamen *Andauilis* prope *Tyanam* fit in vtroque mentio.

Itiner. Antonini *pag. 145. edit. Wesseling.*

Cappadocia Sasima. M. P. XXIV.
Andabilis. M. P. XVI.
Tyana M. P. XVI.

Itiner. Peutinger.

Scolla. XXII.
Addaualis XV.
Tyana. XXVII.

Tertio, & quidem ante hos omnes meminit Nemesianus in *Cynegetico v. 240.*

Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis,
Cappadocumque notas referat generosa propago
Argæa & PALMÆ nuper grex nomine sacrum.

Nam ita hic versus restituendus mihi videtur, vt iam alibi monui: cum hactenus *ibi* legeretur: *omnis auorum*: pro, *nomine sacrum. Grex sacrum*, id est, Grex equorum Dominicorum, Imperatoriorum. Nam quod aliter Barthius 3. *Aduersar. 15.* restituere conatur, nihili est. Sic enim & Claudianus *de laudib. Serenæ v. 190.*

- - - - - - *delectus equorum,*
Quos Phrygiæ matres Argæaque gramina pastæ,
Semine Cappadocum SACRIS præsepibus edunt.

Sacra præsepia, sunt Greges Dominici, an Grex sacrorum [Imperatoriorum] Equorum: vt Nemesianus? Idem Claudianus *de Equo Honorii*:

O felix sonipes! tanti cui frena mereri
Numinis, & SACRIS licuit seruire lupatis:
Seu tua per campos vento iuba lusit Iberos;
Seu te Cappadocum gelida sub valle natantem
Argæa lauere niues.

Et vetus Orbis descriptor sub Constantio & Constante *cap. 20. diuina animalia* vocat. Dicuntur Equi *sacro vsui* necessarii, *l. 2. supr. de Tractoriis.* Tandem insignis admodum locus de his Palmatiis equis extat Hesychii Illustrii, quinta Chronicæ historiæ suæ parte, quem nobis seruauit veterum Glossarum Nomicarum Author in Παλματίους: & hanc nobis seruauit quoque vir & doctissimus & omnium humanissimus Carolus Labbæus. Verba Glossarum Authoris sunt: Παλματίους ἵππους: ὁ τοῦ παλματίου ἵππος. ὢν δὲ Παλμάτιος οὗτος ἵπποις πανυπλούσιος, διὰ τυραννίδα ἐδημεύθη. περὶ οὗ φησιν ὁ Ἰλλούστριος Ἡσύχιος ὁ φιλοσοφήσας τῆς Μιλησίας ἐν τῷ ε. χρονικῷ διαστήματι τῆς ἱστορίας, ταῦτα: Κατὰ τοὺς χρόνους Οὐαλεριανοῦ ἐν Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας Παλμάτιός τις οἰκίαν μὲν ὑπὲρ τὰ βασίλεια κεκτημένος τῶν μοναρχούντων ἐφικνουμένω, ἀσελγὴς δὲ εἴ τις ἕτερος, ὡς καὶ ὑπατικοῦ τινος Ἰσοσίμου τοὔνομα γαμετὴν Αἰθερίαν λαλουμένην ἁρπάσαι, καὶ εἰς Σίδην ἐκκομίσαι: διότι προστατεύων ἐτύγχανε τῆς ἐναντίας τοῦ δήμου μοίρας.

Ex his omnibus iam Veterum testimoniis, nominatim ex Hesychii loco liquet: Primo quidem, etsi Cappadocum equorum antea quoque ceu insignium mentio fiat a plerisque e superioribus Scriptoribus, etiam ab Oppiano, qui & ipse Cappadox erat, attamen Palmatiorum nominatim in Cappadocia equorum originem repetendam a Valeriani Imp. temporibus; Quare etiam Nemesianus *Cynegetico* (quod scripsit is sub Cari Imp. liberis, Carino & Numeriano, viginti paulo plus post Valerianum Imperat. annis) nuperam originem eis tribuit:

- - *& Palmæ NVPER grex nomine sacrum.*

Secundo liquet apertissime ex prædicto Hesichii & Itinerarii Burdigalensis loco, itemque ex *l. 1. infr. de Equis Curialib.* Palmatios dictos a *Palmatio* quodam, Equorum istorum diuite, cuiusque villa in mansione Andauilis haud procul Tyana erat, in qua Equi illi stabulabantur. Quo forte respexerit Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episcop. *homil. in Psalm. 48. pag. 184. num. 7. Tom. I. Oper. edit. Benedictin.* cum notat inter alia vanitatis argumenta, quod quidam iusserint sua ipsorummet nomina Equorum gregibus imponi: ἤδη δέ τινες καὶ ἀγέλαις ἵππων τὰς ἑαυτῶν προσηγορίας ἐνσημηνάμενοι, ἐπὶ πολὺ συμπαραταθῆναι τῷ βίῳ τὴν μνήμην ἑαυτῶν ἐπενόησαν: *Iam vero nonnulli, nomine suo armentis etiam equorum imposito, induxère in animum, vt in longum vitæ tempus sua ipsorum memoria extenderetur.* Quare valeant iam inanes suauesque aliæ de Palmatiis his equis coniecturæ: Eorum primo qui *Palmatios* Equos a *palma* deriuant, quasi quod Triumphantium sint & Victorum, sicut Tunicæ fuere *Palmatæ*; vt maxime Nemesianus ad *Palmæ* nomen allusferit more poetico. Secundo inanis pariter coniectura est eorum, qui a *Palma* quoque deriuantes interpretantur, quasi quibus vterentur Aurigæ in Circo pro Palma consequenda: Alii quasi palmarum numero gloriosos, vt dicitur *leg. 6. de scen.* Alii, ex Palmæ candenti ferro armis equinis impressæ indicio, quo notarentur Equi ex Syria & Palæstina &c. Vt & eorum, quinto loco, qui Palmatios dictos censent a Palmato, qui P. V. Romæ fuit sub Honorio Imp. An. D. 412. (vt docet vel *lex vlt. de priuil. corpor. V. R.*). Qui error est Panciroli, ad *Notitiam Imperii*: & *Var. c. 257.* & grauis quidem; cum longe ante hunc Palmatum P. V. & ante Honorium Imp. Palmatiorum equorum mentionem fieri videamus, vel in Valentiniani Sen. Constitutione *l. 1. infr. de Equis Curialibus.* Sexto, inanis etiam coniectura est eorum, qui censent ab *Agitatore* quodam Circensi ita dictos, quod Alciatus & Cuiacius ex *prædicto* Hesychii *loco* collegisse videntur, in quo nil tale extat: verum de eo dicitur, διότι προστατεύων ἐτύγχανε τῆς ἐναντίας τοῦ δήμου μοίρας;

P.412 μοίρας; quæ verba hunc sensum habent: Quod Palmatius contrariæ factioni agitatorum quam cui Imperator fauisset ipse faueret, & sic contra Imperatorem. Septimo, neque a colore sic dicti *Palmatii*, quod Alciatus tentabat: quasi quod βαΐας, id est, Spadices cum fructu suo venusto colore præferrent, quos Gallice *Baies* vocamus. Neque octauo loco *Palladii* Equi hic substituendi, quasi a *Palladio* dicti, qui sub Theodosio summa velocitate in veredis agendis illustris fuit, teste Cassiodoro, quod & ipse Alciatus recte respuit. Alia vero ratione, ne quis erret, dicti *Cerui Palmati* in *V. Gordiani*, *cap. 3.* Palmati enim Cerui sunt, quorum cornua finxit natura in PALMAS digitosque ex iis quos *Platycerotas* ideo vocabant; teste Plinio *lib. 11. c. 37.* Suauius denique Ioannes de Platea, qui *Palmatos* equos interpretatur mansuetos, qui *palma* (manu) se tangi permittunt, vt contra Hermogenianos, Syluestres, ab *ermo*.

Igitur Palmatii equi dicti a *Palmato*, vel potius *Palmatio*, cuius cognominem Palmatium in Cappadocia memorat Basil. *ep. 259.* Equorum insignium in Cappadocia diuite: cuius bona cum confiscata fuissent, id est, dominio Principis incorporata, simul greges equorum ipsius Gregibus Dominicis additi fuere: quod postremum patet ex *hoc titulo*. Præcipuo exinde loco hi censiti, & quidem currendi velocitate. Nemesianus de his diserte *v. 249.*

Nec pes officium standi tenet, vngula terram
Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat.

Quomodo & Claudianus 2. *in Rufin. v. 31.*

- - iam pascua fumant
Cappadocum, volucrumque parens Argæus equorum.

Inde igitur Palmatii Circensibus destinati: & in eum quoque finem ex Oriente in Occidentem missi; quod vtrumque docet Valentinian. Sen. *d. l. 1. inf. de Equis Curulibus.* Sed & de illo testis auctor Itinerarii Burdigalensis: *Cappadociæ*, inquit, *mansio Andauilis: ibi est villa Palmati, vnde veniunt* EQVI CVRVLES. Hinc adeo veteris Orbis Descriptor sub Constantio, horum formositatem prædicat *cap. de Cappadocia 21. Negotia autem hæc optimo vbique mittere eam aiunt, leporinam vestem & Babilonicum pellium, & illorum diuinorum animalium formositatem.* Scripserat Auctor κάλλος. Ex Nemesiani item *loco superiore* discimus, Equis his Cappadocibus & quidem Palmatis admissas Equas Phrygias, vnde lectissimi Equi procedebant: quod & ipsum docet Claudianus *in Laudib. Serenæ v. 190.*

- - delectus equorum
Quos Phrygiæ matres, Argæaque gramina pastæ,
Semine Cappadocum, sacris præsepibus edunt.

Vbi Argæa gramina pastæ Phrygiæ matres dicuntur: sicut apud Nemesianum, *Generosa propago Argæa*, Ab Argæo monte Cappadociæ Equis celeberrimo. Idem Claudianus 2. *in Rufin. v. 31.*

- - iam pascua fumant
Cappadocum, volucrumque parens Argæus Equorum.

Et de Equo Honorii:

O felix Sonipes, &c.
Seu te Cappadocum gelida sub valle natantem
Argeæ lauere niues.

Magna igitur in celebritate Equi hi fuere, imo primæ qualitatis, præ Hispanis & Græcis, vt docet *l. 1. inf. de Equis Curulib.* Vnde & multa singularia circa hos constituta; *Primo*, his Equis debilibus factis in curuli certamine Romæ ex horreis fiscalibus alimonia præbita, vt docet *d. l. 1. inf. de Equis Curulib.*

Secundo, vendere eos factionariis permissum non erat, cum tamen Equos Hispani sanguinis (etsi & ipsi insignes Equi fuerint) vendendi copia esset, *d. leg. 1.*

Tertio, Solis Imperatoribus, horumque voluptatibus dicati fuere. Equi Palmatii, vnde vsurpare eos priuatis quibusque, *hac* Arcadii *lege* vetitum; cuicunque inquam, minimo-maximo; quo spectat hæc *lex* cuiuscumque scil. dignitatis meritiue quis esset, etiam clarissimis, etiam spectabilibus, etiam illustribus; Qui MAXIMI sunt seu summæ dignitatis. Id vero Eutropio consuli & Patricio, triennio post *hanc legem*, sub hoc ipso Arcadio Imp. vitio datum, eaque inter alias exitii eius causa fuisse a nonnullis dicitur, quod animalibus præter fas vsus fuisset, quibus nonnisi soli Imperatori vti licebat: ὁπόταν ὕπατος ἐγεγόνει, βοσκήμασιν ἀπεχρήσατο, οἷς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἐξῆν, μὴ ὅτι γε μόνῳ βασιλεῖ, vt refert Philostorgius *lib. 11. histor. Eccles. c. 6.* & *l. 3. c. 4.* in Constantii Imp. rebus, quo loco Theophilo Episcopo in Indiam propagandæ Christianæ Religionis gratia misso, 200. equos generosos, e Cappadocia ei cum aliis donis datos scribit, ad demulcendos Indos. Vbi pro βοσκήμασιν Nicephorus *lib. 9. cap. 18.* Philostorgii alioquin locum exscribens, ait κόσμοις παρ' ἀξίαν ἐχρήσατο, & mox de vestibus id perperam extulit, ὡς μόνῳ ἔξεστι βασιλεῖ ἀμφιέννυσθαι: Atenim Philostorgius de βοσκήμασιν, id est de animalibus seu equis agit, scilicet vt quædam alia ornamenta solis Imperatoribus, eorumque Consularibus reseruata hoc æuo erant, ita nominatim quoque βοσκήματα, animalia seu equi: vt & animalia alia quibus citra Principis indultum vti non licebat, de quo non vno loco Symmachus.

Nulli igitur equos Palmatios quocunque dignitatis obtentu ad Curulia certamina vsurpare licuit, vtpote formosissimos & præstantissimos e Gregibus dominicis Principisque vsibus seruatos, nonnulli hactenus ex his aliquos vsurpassent. Sane iam olim quoque Capitolinus *in Gordianis* præcipuam Cappadocum equorum rationem habitam testatur *c. 4.* Sic enim de Gordiano priuato scribens: *Palmatam*, inquit, *tunicam & togam pictam primus Romanorum priuatus suam propriam habuit: cum ante Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio: Equos Siculos C. Cappadoces C. permittentibus Imperatoribus, factionibus diuisit, & per hæc populo satis charus, qui semper talibus commouetur.* Qui Capitolini locus ostendit, solis Imperatoribus licuisse tum temporis equos Cappadoces & Siculos agitatorum factionibus diuidere: Perperam enim ex eo loco colligunt nonnulli, fuisse auctoritate Principis opus ad equos Curules, & quidem Cappadoces, emendos: comparare enim equos licuit sine Principis authoritate, sed non diuidere factionibus & largiri. Quod ipsum voluit & Symmachus, cuius alioquin auctoritate perperam vtuntur, *lib. 4. ep. 8.* sic & alias erogationibus huiusmodi modus positus: de quo ad *l. 1. infr. de expens. ludor.* P.413

Quarto, hac de causa Palmatos Equos vsurpantibus pretium, vel pœna, *hac leg.* statuta maiora quam alios vsurpantibus: nempe vt pro singulis Equis vel etiam Equabus singulæ auri libræ præstentur, id est, septuaginta duo aurei: quod vtique magnum pretium fuit, & quidem duplo maius cæterorum Gregum Dominicorum pretio; pro Equis scil. ex aliis Gregibus Dominicis occupatis dimidiam tantum eius partem, sex videl. auri vncias,

dias, id est, solidos seu aureos 36. solui iubet *hac leg.* Arcadius: nempe voluptatibus suis ita hac parte consultum iuit ipse Imp. voluptatum & ludorum studio immodicus. Suauis enim est Ioan. de Platea, qui huius constitutionis rationem in eo ponit, quia Equi hi seruarentur, vt contra hostes mitterentur: & hanc esse rationem specialis huius pœnæ in Equis, & non in aliis animalibus.

Eadem omnia & de HERMOGENIANIS equis *hac l.* statuuntur ab Arcadio, quos & priore loco *hic* memorat ante Palmatios: quorum mentio fit *altero* insuper *loco*, puta *d. l. 1. infr. de Equis Curulib.* vbi diserte *Hermogenis Equi* dicuntur, haud aliter atque *Equi Palmatii*. Vnde patet iam eos dictos ab *Hermogene* quodam, pariter vt Palmatii a *Palmato*, quo non minus respexerit Basilius *in Psalmum 48. pag. 184. num. 7. Tom. I. Oper. Edit. Benedictin.* loco *supra* laudato. Non igitur quasi Herma seu Mercurio geniti, quod tentabat Cuiacius: vel quasi cursu & velocitate Mercurio similes: verum ab Hermogene quodam: Quis autem Hermogenes ille? An Marcus Tigellius Hermogenes, quem Acron ad *Horat. lib. 1. serm. Satyr. 2. v. 3.* ait, Musicum peritissimum fuisse, vocisque eximiæ, Caio Cæsari Dictatori, & post Cleopatræ acceptissimum, Augusto Cæsari amicissimum: de quo etiam addit, *fuisse ipsum largiorem, adeo vt scænicis & circulatoribus multa donaret:* An vero auriga seu agitator alicuius factionis, quod Alciatus tentabat? An, quod Pancirolus *II. Var. 257.* volebat Anicius Hermogenianus Olybrius P. V. & P. P. quem & eundem cum Hermogeniano ICto facit? Nil horum. Forte verosimilius quod Alciatus asserere ausus non est, Hermogenianos Equos dictos ab Hermogene Pontico sub Constantio Imper. Præfecto Prætorio & Magistro Equitum, qui cum Constantii Imp. iussu Paulum Episcopali sede deiecturus esset, seditione facta, combustis ædibus a Constantinopolitanis occisus est, Ann. Dom. 372. teste Socrate *histor. Eccles. lib. 2. cap. 13.* & Sozomeno *lib. 3. c. 7.* de quo etiam Libanius *de vita sua, pag. 39. 40. edit. Morell.* & Ammianus Marcellinus *lib. 19. cap. 12. & lib. 21. c. 6.* Sane Palmatiis Hermogenianos proximos fuisse, & hæc *lex* & *d. lex 1. infr. de Equis Curulibus* ostendunt: sic quidem vt promiscue modo primi modo secundi memorentur.

Et hæc de equis Palmatis & Hermogenianis vsurpatis: pro aliis vero equis ex aliis videl. gregibus vsurpatis, pœna sex vnciarum auri imponitur: ex aliis inquam Gregibus Dominicis, non vero priuatis, vt Interpretes male, Glossa Ioan. de Platea. Hic enim discrimen statuitur inter Palmatos, & Hermogenianos equos, qui primæ qualitatis Principisque loci, inter equos Dominicos seu Imperatorios erant, & inter alios Equos Dominicos.

Duo adhuc *hac l.* obseruanda veniunt. Prius est, quod de Edictis Præfecti Prætorio *initio l.* dicitur: quibusque propositis omnes moneri iubentur. Omitto de aliis Præfectorum Prætorio Edictis, de quibus & Libanius *Orat.* κατὰ τῶν εἰσιόντων *num. 15. p. 100. edit. Gothofred.* siu. *pag. 435. Oper. minor. Gothofred. Ed. Trotz*, vbi de Cynegio PP. Monitorii Edicti genus hoc notandum, ad αὐτοπραγίαν, pœnamque anteuertendam vel euitandam. Simile Edictum vid. in *l. vlt. Cod. Iust. de veteris numismatis potestate.* Secundum est, quod ex *hac l.* ibi, *nisi eas* (eos) *sponte obtulerint*, colligunt interpretes ad praxin, pœnitenti, remque ablatam offerenti, ignosci in sp. *huius l.* Atque hæc præcipua ferme materies imo sedes Interpretibus disputandi ad *hanc leg.* quando pœnitenti, remque ablatam offerenti ignoscatur. Quod omne inane est: Nihil enim *h. l.* agitur de pœnitentia: verum ad αὐτοπραγίαν, id est, vltroneam & spontaneam liberam oblationem pro singulis equis occupatis inuitari iubentur omnes, ne alioquin ab inuitis ex eorum facultatibus *eruantur:* (quam vocem mutant *Codices* quidam *Iustinianei:*) Denique hoc vult Arcadius, moneri quemque spontanea oblatione exactionem coactam præuertere.



P. 414

DE CÆSARIANIS.

TITVLVS VII.

Abest hic *Titulus* a *Cod. Iustin.* De Cæsarianis præter duas huius tituli *leges*, sunt insuper *hoc Codice* tres aliæ, & quidem Constantini Magni, puta *lex 1. in fin. supr. de bonis proscript.* & *famosa lex 5. supr. de iure fisci:* in *Cod. Iust.* hac parte mutilata, & *lex 2. inf. de bonis vacantib.* Adde & *l.* Diocletiani & Maximiani *5. Cod. Iust. de iure fisci.*

PARATITLON.

CÆSARIANI, erant Officiales Rationalis *l. 2. infr. de bonis vacantibus* (seu Procuratoris *Cæsaris*, vnde his nomen) qui fiscalibus actibus nexi erant, *l. 1. supr. de bon. proscript.* qui bona ad Principem deuoluta, veluti vacantia, occupabant, *d. l. 2. infr. de bonis vacantibus*, qui ratiocinia Principis tractabant, seu ratiociniis obnoxii erant, *d. l. 1. infr. de bonis proscriptorum*, qui rationes fiscales tractabant: *l. 1. h. tit.* Fraudibus porro hi infames fuere, quod ostendunt *d. l. 5. supr. de iure fisci*, & *d. l. 1. de bonis proscript.* & *d. l. 2. infr. de bonis vacantibus.* Quare cum his seuerius actum, quam cum aliis: *d. l. 5.* & *d. l. 1.* Primo nempe, lite pendente his a fisco mota bonorum possessio eis eripiebatur, *d. l. 1.* Secundo item, alienata ab his etiam ante actum, reuocabantur si rationes fiscales conturbassent, *d. l. 1. supr. de bon. proscript.* Tertio, Neque in actu constituti, ad dignitates admissi,

admissi, *l. 1. h. tit.* Quarto, sed neque inconsulto Principe ad aliquod Corpus vocari potuerunt, *l. 2. h. tit.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Bithynos.

CÆSARIANOS in actu (b) dumtaxat constitutos, ad Perfectissimatus, (c) vel Ducenæ vel Centenæ, vel Egregiatus (d) dignitates non oportet admitti: Sed si inculpate (e) compleuerint suum officium, & ab omni vacent ratione fiscali, iudicio (f) datam huiusmodi dignitatem prodesse eis oportet. Dat. XII. Kal. Aug. Gallicano & Basso Coss. [317.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ autem ei sunt tres *huius Cod.* Constitut. puta *lex* 5. *infr. de Decurionib. l.* 3. *supr. de cohortalibus*, *l.* 1. *infr. de murilegulis*. GOTHOFR.

(b) Ἐμπράκτως. IDEM.

(c) De hac *Perfectissimatus* dignitate est titulus *sup. vlt. lib.* 6. ID.

(d) De *Egregiatus* dignitate dixi ad *l.* 1. *de honor. Codicill.* ID.

(e) *Inculpate.* ID.

(f) Nostro, seu Principis. ID.

COMMENTARIVS.

DIGNITATIS alicuius, e quatuor quæ *hac l.* memorantur, Codicillos num Cæsariani adipisci possint, *hac l.* quæritur? Et definitur a Constantino M. quamdiu hi in actu constituti sunt, quamdiu rationes fiscales tractant, non posse: post officium vero inculpate gestum, iam posse iudicio Principis scil. Quod & ipsum Constantinus definit de Primipilaribus, dignitates videl. his post emeritam militiam dari posse, *l.* 3. *supr. de cohortalibus & primipilar.* Item de Decurionibus & Principalibus (de quibus *suo titulo*) si cuncta patriæ suæ munia impleuerunt, *l.* 5. *infra de Decurion.* Diuersum vero in Monetariis, vtpote quos in sua semper durare conditione oporteat; *l.* 1. *infr. de murileg. & gyn. & monetariis.* Quæ *leges* omnes *huic* nostræ coniungendæ sunt, velut vnius & eiusdem Constantinianei Edicti ad *Bithynos* partes. Quo quidem Edicto in vniuersum, quantum ex iis *legi-*
P.415. *bus* colligere licet, occursum voluit Constantinus, fraudibus eorum qui in actu quolibet publico constituti, siue *fiscali*, vt Cæsariani & Monetarii, siue *prouinciali*, vt Primipilares, siue *municipali*, vt Decuriones & principales quæsitis dignitatibus, vel fisci rationibus, vel prouinciarum officiis, vel patriæ muneribus sese subductum ibant. Ergo nonnullos ex his in perpetuum dignitatibus submouit, vt Monetarios, *d. l.* 1. *inf. de Monetariis.* Alios non in totum, puta Cæsarianos, Primipilares, Decuriones, sed tum demum si officiis suis & muneribus non satisfecissent: scilicet conditioni suæ certa hominum genera ita nexa fuerunt, ita conditionales, vt in actu continuo & perpetuo essent, neque aliud officii aut dignitatis nomen induere vnquam possent, verum in officio suo immorari atque immori oporteret, veluti Monetarii: Alii vero certo annorum curriculo peracto dignitates adipisci poterant: veluti *Decuriones* & principales, si omnia patriæ munera obiissent: *Cæsariani*, si inculpate officium complessent: *Primipilares*, post emeritam quoque militiam. Ergo vt illi in totum a dignitatibus submouebantur, ita hi durante tantum militia vel officio: Ne alioquin huiusmodi dignitatum vmbraculo, vel rationes fiscales, vel officium muniaue sua conturbarent. De ratione diuersitatis dicam ad *d. l.* 1. *infr. de murilegulis.*

Quatuor porro dignitates, vt *hac l.* ita omnibus illis *legibus*, quas *huic* coniungendas dixi, & quidem eodem semper ordine memorantur puta *Perfectissimatus*, de qua fuit *titulus vlt. lib.* 6. Item *Ducena*, *Centena*, tandem *Egregiatus* dignitas: de quibus Dignitatibus alibi.

II. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Mamertinum P.P. (b)

NON conuenit, Cæsarianos inconsultis nobis ad alicuius Corporis (c) molestiam deuocari: Quapropter, si alicui (d) Corpori necessarii fuerint visi, ad Nostram Mansuetudinem referatur, (e) vt nobis decernentibus, his (f) iubeantur adiudicari, quibus eos rectissima ratione postulari Nostra Mansuetudo perspexerit. Dat. X. Kalend. Mai. Sirmio, diuo Iouiano & Varroniano Consulibus. [364.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Mamertinus* PP. Italiæ, Illyrici & Africæ sub Valentiniano Sen. v. *Prosopogr. ad Amm. Marcellinum.* ID.

(c) Veluti Decurionum. ID.

(d) *F. aliqui alicui Corpori &c.* ID.

(e) A Rectoribus prouinciarum. *ID.*

(f) Ordinibus, Corporibus. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE Cæsarianis CORPORI alicui adiudicandis, est hæc Valentiniani Sen. *lex*, quæ duplicem sensum admittere videatur. Primo quidem videri possit id *hac leg.* definiri, REDDI, inconsulto Principe alicui Corpori, vnde scil. recesserant, Cæsarianos non posse. Multi scil. e corporibus municipalibus, seu corporatis, corporis alicuius necessitate nexi ad Cæsarianorum officium confugerant: Hos postea corpora illa repetitum iuere: verum ne quod exinde rationibus fiscalibus detrimentum fieret, super eo consuli se voluit Valentinianus. Et ita quidem hæc *lex* accipi possit. Possit, & verius quidem, ita intelligi, VOCARI nunc primum ad molestiam alicuius corporis, seu corpori alicui adiudicari non posse aliquem e Cæsarianis, postulatum ad replendum Corpus aliquod defectum, sine Principis auctoritate. Nempe defecta Corpora sæpe ex aliis hoc seculo replebantur, & repleri necessitas cogebat: denique ex alio Corpore ad aliud Corpus supplendum, vel implendum, alii *necessarii* sæpe erant, seu aliud Corpus *postulabantur*, eique *adiudicabantur.* De quo Corporum ex aliis Corporibus supplemento, variæ extant *hoc Codice* constitutiones. Sic, exempli gratia, Iulianus Imp. *l. 53. infr. de Decurionibus*, Corpora designauit, vnde Curia Antiochena nominatim repleri posset. Idemque Iulianus *in Misopogone, p. 107. ed. Petau. & pag. 367. edit. Lips. Spanhem.* testatur, se ad replendum Decurionum Antiochenorum numerum, nominandorum eorum potestatem fecisse, ἀπὸ τῶν ἐπιτροπευσάντων τὰς θησαυρὰς, καὶ ἀπὸ τῶν ἐργασαμένων τὸ νόμισμα, id est, ex *Cæsarianis & monetariis:* ita enim ἐπιτροπεύσαντας τὰς θησαυρὰς interpretor, argumento etiam Monetariorum, qui his iunguntur, pariter vt Cæsariani Monetariis iunguntur in Constantini M. Edicto ad Bithynos, de quo ad *l. 1. supr. hoc tit.* & vtrique Decurionibus eodem Edicto. Nam quod Petauius *Præfectos Thesaurorum & Comites* intelligit, itemque *Procuratores monetales*, erroneum plane est. Supplementa enim Curialium & Curiarum e proximis Corporibus & Conditionalibus tantum fiebant, non ex his qui in dignitate aliqua constituti erant. Ergo ex Cæsarianis, & Monetariis. Sane enim ἐργασάμενοι τὸ νόμισμα, non sunt procuratores monetales, verum artifices, opifices, monetarii: ac proinde ἐπιτροπεύσαντες τὰς θησαυρὰς, sunt Cæsariani, qui Rationes fiscales tractabant, qui fiscalibus actibus nexi, qui Rationales Officiales erant, qui bona ad Principem seu ad thesauros Principis deuoluta vindicabant, qui Ratiocinia Principis tractabant, seu ratiociniis obnoxii erant, vt docent *leges*, quas in *Paratitlon* congessi. Vtrique tandem Cæsariani & Monetarii sub Rationalibus erant. Ergo, vt ad Iuliani mentem redeamus, obiicit eo loco Antiochenis, quod cum eis facultatem dedisset nominandorum ad Curiam locupletissimorum, *etiam ex Cæsarianis & Monetariis*, attamen ipsi vilissimos & tenuissimos ex plebe nominassent. Vnde discimus, Cæsarianos hos & Monetarios ditissimos ferme fuisse, atque adeo ferendis oneribus Curialibus idoneos.

P. 416

DE BONIS VACANTIBVS.

TITVLVS VIII.

Ex *hoc* & proxime *sequenti titulo* conflatus est *vnicus titulus*, *Cod. Iust. lib. 10. tit. 10. de bonis vacantibus & de Incorporatione:* vid. & *Nouellam* Maioriani 7. *de bonis caducis*, *siue proscriptorum.*

PARATITLON.

BONA VACANTIA, *Rubrica* & *l. 9. 11. 12. 13. 20. 27. 30. 31. h. t.* & *l. vlt. infra de petitionibus: l. 26. de appellationib.* sunt quæ iure suadente a fisco occupanda veniunt, *l. 2. hoc tit.* ratione iuris, *l. 1. infr. de Incorpor.* velut ex legibus, *l. 5. hoc tit.* delata legibus ad ærarium, *l. vlt. hoc tit.* fisco quæsita, *l. 31. de petition.* quæ ex cuiusque patrimonio in casum cecidere, *l. 3. h. tit.* fisco debitæ facultates, *l. 8. de petit.* ad fiscum fiscive dominium pertinentia, *l. 8. h. t.* & *vlt. de petit.* si locus fisco factus *l. 11. de petit.* in quibus & Caduca (quæ alioquin appellationibus distinguuntur, *l. vlt. hoc tit.*) tacita item fideicommissa (in fraudem legum) *l. 20. infr. de petitionib.* de quibus est & *lex vn. infr. de his qui se deferunt.* Imo & ex *huius Codicis* Conditorum mente, ex publicatione seu proscriptione *l. 4. hoc tit. l. 1. infr. de Incorporat. l. 23. 27. 29. infr. de petition.* de quibus est *supr. titul. peculiaris*, *de bonis proscriptorum:* veluti eorum qui hostem publicum sectati sunt, *d. l. 4. hoc tit.* Ad hanc de Bonis vacantibus materiam pertinet non tantum *hic titulus*, verum & quatuor sequentes. Nempe de *Donatione* horum vacantium bonorum a Principe facta agitur *hoc tit. de Incorporatione* eorum, *tit. prox. 9.* de *Delatione* & *Petitionibus tit. 10. 11. 12. 13.* De Forma seu ordine Donationis huiusmodi bonorum agitur *l. 2.* & *vltim. hoc titul.* de formula, *l. 1. h. t.* de temperamento, seu modo, *l. 4. h. t.* de effectu, *l. 3. h. t.*

Integro Statv *donata possessione vel domo [vacante forte] quid contineatur.*

I. (a) Imp. Constantinvs A. ad Æmilium (b) V.P. (c)

Rationalem: (d) Si quando Adnotationes (e) nostræ contineant, possessionem, siue domum, (f) quam donauerimus, Integro Statv donatam, hoc verbo (g) ea vis continebitur quam antea (h) scribebamus, *Cum adiacentibus, & mancipiis, & pecoribus, & fructibus, & omni iure suo*, vt (i) ea quæ ad instructum possessionis, vel domus pertinent, tradenda sint. Dat. VI. Id. Mar. (k) Med. Constantino A. III. & Licinio Coss. [313.]

NOTAE.

(a) *L. 2. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Pyrrhus hic legebat *Eumeliam*, mox & *Eumenium* hic substituebat, Oratorem videlicet Augustodunensem. Quod inane est. *ID.*

(c) *V.P.* id est, *virum Perfectissimum*, de quo mox. *ID.*

(d) Retrahenda hæc vox ad inscriptionem, vt recte *Cod. Iust.* de quo mox: de *Rationali* porro plene in *Notitia nostra.* IDEM.

(e) *Adnotationes* Principis, de quibus plene *supr. de diuers. rescriptis.* ID.

(f) Mihi, vel fisco meo deuolutam & vacantem: arg. *Rubricæ* seu tituli, sub quo *hæc lex* posita est. *ID.*

(g) *Verbum*, est sermo, formula. *ID.*

(h) *Ante conscribebantur*, in nonnullis Cod. Iust. Edit. vbi male et P. Faber *ad l. 191. D. de Regul. iuris, quæ ante cum scribebamus*, hoc sensu, *quæ ante* scil. continebatur; *cum scribebamus* diserte & expresse: Quo omni nil opus: Sensus apertus: verbo seu formula, *integro statu: eam vim contineri*, tacite scil. vt ipsa, *quam antea scribi*, nuncupatis verbis *mos erat.* Nisi ita malis, *quamquam antea scribebamus.* ID.

(i) *Et*, C. Iust. nonnull. Edit. Nostrum istud melius: iungat quis vtrumque, *vt & ea*, &c. *ID.*

(k) *Mai*, Morinus, de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

P.417

Constantini M. tres ordine sequuntur constitutiones super Donationibus a se factis, vel faciendis, bonorum aliquorum vacantium: *Vacantium* inquam, non quidem quæ alias ita specialiter nominantur, verum in genere, quæ priuatis dominis vacantia fisco vindicantur, de quo ad *l. 4. inf.* Adeo quidem, vt non temere putet quis, hanc *leg.* nostram pertinere ad possessiones & domos Templis detractas, Episcopis vero & Ecclesiis donatas, pariter vt *legem 2. sup. de iure fisci*, quæ tamen est de donatione possessionum & mancipiorum exemptorum fisci patrimonio. Hæc vero *lex* speciatim pertinet ad interpretationem formulæ cuiusdam seu *clausulæ*, puta *Integro statu*, in Donationibus huiusmodi vsurpari solitæ, quidnam ea inquam, importet, seu operetur: quomodo & aliæ constitutiones ab Imperatoribus latæ occurrunt de verborum significatione, *l. 14. sup. de cursu publ.* & *lex 2. de immunitate concessa. l. 65. inf. de hæreticis.* Finge nunc, possessionem siue domum quandam ab Imperatore donatam his verbis, *Possessionem*, vel *Domum* Integro Statv *tibi donamus.* Quæritur & vero quæsitum fuit in sp. *huius l.* quidnam sibi vellent illa verba, *Integro statu*, quamque vim haberent, denique quis donationis istius modus esset? num videl. ipsam tantum domum siue possessionem, an vero *adiacentia* simul domui seu possessioni, veluti hortum aut insulam adiacentem; itemque pecora domo vel possessione inclusa, itemque fructus, tandem instructum omne domus seu possessionis (de quo est alioquin *titulus* peculiaris in *Digestis, de Instructo, vel instrumento legato*) continerent? Quod non, videbatur Rationali: duabus rationibus. Primo quia hæc omnia a domo & possessione reuera diuersa videbantur, quam solam Princeps donasset, etsi *integro statu* donasset. Secundo, argumento a solito, quia cum hæc omnia comprehensa vellet Imperator, de more id etiam donationi adiicere soleret, *cum adiacentibus* &c. Ad hanc, vt videtur, Rationalis hæsitationem rescribit Constantinus, vtriusque formulæ eandem vim esse. Nempe enim *Integer status* domus vel possessionis, comprehendit omnia quæ domum vel possessionem *integrant*, & *instruunt*, & ex quibus omnibus domus vel possessio integra stat. Idque ex propria verborum interpretatione, non quia quod vulgus Interpretum hactenus censet, beneficium Principis latissimam recipit interpretationem. Nam & similium formularum in testamento eadem vis esset: veluti si quis fundum leget, *Ita vti est; vt in l. 78. §. 3. l. 101. inf. D. de legatis 3.* Ergo vis est in hac formula & clausula Integro Statv qua comprehenduntur Adiacentia, mancipia, pecora, fructus, omneque ius, & quæ ad instructum domus vel possessionis pertinent: nam ex his omnibus Integratvr & Instrvitvr possessio. Integrum, & integer status est, quo res integra omnibusque partibus suis absoluitur, inque his stat & consistit. Quare ἀπροσδιόνυσον est hic omne id ferme quod tractant Interpretes, quidnam *domus*, & similium appellatione veniat. Vti superuacaneum quoque ferme est quod quærunt inter alia hic Interpretes, vtrum & in donatione a *priuato* ita facta hæc *lex* obtinere debeat? Etsi putet quis, Constantini M. tantum peculiarem hanc indulgentiam esse, plenissimamque adeo Interpretationem beneficii sui eum fecisse: vt cæteroquin Princeps hic donationibus a se factis subinde fauit, ipsaque interpretatione & cautione eas prosecutus est: Sic enim & donationes a se factas ratas esse omnino voluit, *l. 2. & 3. inf. h. tit.* & *l. 2. sup. de iure fisci.* Et in commune in ambiguo ad Principes beneficiorum suorum interpretatio spectat, de quo vid. *leg. 191. D. de regulis iuris:* & Plinium *lib. 10. ep. 119.* etsi & ipsis Iudicibus suo quodam modo permissum, Principum beneficia quam amplissime interpretari: quod

quod ostendit *lex 3. D. de constit. Principum:* & *lex 21. D. de verborum significat.* & in beneficiis Principum habet locum interpretatio extensiua contra Principem. Quam in rem vid. elegantem neque absimilem decisionem Claperii *causa 33.* Vbi quæritur, vtrum Trireme donata a Principe, cum omnibus armamentis, & instructo, exceptis militaribus catapultis cæterisque tormentis igniuomis, an remiges donatione comprehendantur? Verum videre non possum, cur non eadem interpretatio adhibenda sit in donatione a priuato facta. *Integer status* quippe omnes proculdubio pertinentias complectitur, & omnem σύγκλησιν, fundum sub hac, vel simili, veluti, *vti est*, clausula, *leg. 78. §. 3. de legat. 3.* qua res integra conficitur, stat & absoluitur. Quare tuto dicamus, a priuato quoque fundum vel domum *integro statu (comme elle se comporte)* donatam, venditam, relictam, secum trahere adiacentia, mancipia, pecora, fructus, ὁλοκλήρως, nullo dempto. Integrum dicitur relatiue ad partes, ex quibus quacunque tandem ratione res componitur, siue eæ ὁμοιομερῆ sint, siue ἀνομοιομερῆ. Ergo idem in quolibet priuato qui vendiderit, donauerit, aut legauerit. *Adiacentium* vero appellatione quidnam hic comprehendatur, etsi non adeo sit huius loci prolixe quærere, quædam saltem adnotasse sufficiet; Vt nec quæ omnia *Instructi* appellatione veniant, de quo est *titulus* peculiaris in *Digestis*. *Adiacentia* itaque sunt hic quæ vicina, cohærentia, vna cum ipsa re ambulant, eique sunt, etsi corporibus secreta, affectata tamen & vnica: Quomodo & termini vrbis, & territorium Vrbi adiacens cum Vrbe ambulat: *l. 1. §. 4. D. de off. Præf. vrbi: l. 41. §. 6. D. de legat. 3.* insulæ Italiæ pars italiæ censentur: *l. 9. D. de Iudiciis.* Simile ita Adiacentium quæ cum alia re locoue ambulant, exemplum in Templorum, vt Gentilium, ita & Christianarum Ecclesiarum περιβολαίῳ, septo, περιόδῳ, quæ cum Ecclesiis eodem iure aliquando ambulant, de quo *l. 3. 4. sup. de his qui ad Ecclesi. conf.* vbi cellulæ, domus, hortuli, balnea, areæ, porticus, περικείμενα erant. Simile etiam exemplum in sepulchris, mausoleis, monumentis, quibus adiacebant sæpe ædificia, agri, horti, cæteræque culturæ cohærebant, circa monumenta, intra maceriam quoque sepulchrorum, *l. 73. D. de contrahend. empt. l. 4. 9. Cod. Iust. de Religiosis*: Sic vt habeant monumenta sui iuris hortorum modum &c. circumiacentem, vel præscriptum agri finem, vt scribit Aggenus Vrbicus *in Frontinum*, qui idem ait, paulo ante locis religiosis secundum cautionem, modum præstitutum antiquitus & præscriptum. Et cedebant huiusmodi multa in tutelam monumentorum, vt de agri aliquot iugeribus, Tabernæ cum ædificio testantur *Veteres Inscriptiones* apud Gruterum CCCXCIX. 1. DCXL. 2. DCLXXI. 6. Et Quintilianus *l. 7. c. 9.*
P. 418 *Si quis corpus suum in occulto loco poni iubeat, circaque monumentum multum agri ab heredibus in tutelam cinerum, vt solet, leget; Sit* &c. Sed & quantum cedere vellent agri modum præscribebant: quo pertinebat vulgaris clausula IN FRONTE PEDES *tot*, *in* AGRO *pedes tot*: Eodem præcepto vetus inscriptio non vna apud Gruterum, vt DCXVII. 2.

AEDIFICIA. PROPRIA. COMPARATA. FACTA
DICATAQVE. SVNT. MONVMENTO
T. POMPONI. MAXIMINI
CAES. N. LIBERTO. ET
OLLIS. QVAE. CONSECRATAE. IN. AEDIFICIS
AD. MANVM. LEVAM. INSVNT.
LOCVM. DEDIT. DONAVITQ.

Et DCCCIX. 2.

MINDIA. IVLIA ET P. AELIVS PHILETVS COMPARAVERVNT SIBI ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE POSTERISQVE EORVM HIC LOCVS CVM MONVMENTO SVO RELIGIOSO ET AEDIFICIOLIS SVIS MVRO CINCTVS AD SEPVLCHRVM MINDIAE IVLIAE ET P. AELI PHILETI PERTINET ET NE QVIS EA LOCA SS. NEQVE VENDERE NEQVE DONATIONIS CAVSA NEQVE DE NOMINE VTRORVMQVE EXIRE POSSIT QVOD SI QVIS CONTRA HANC INSCRIPTIONEM FECERIT INFERET POENAE NOMINE ARCAE PONTIFICVM SS. L. N. H. M. ET LOCIS. SS. D. M. A.

Ergo & profanis similiter locis, domibus, possessionibus, adiacentia quædam erant, quæ domui possessioni velut principali seruiebant; neque ideo tamen cum *domo*, *possessione*, etsi hæ voces collectiuæ sint, nisi aliquid aliud adderetur, cedebant: cedebant si domus *cum adiacentibus* donata, relicta fuisset, vel *domus integro statu:* quæ *huius l.* definitio est. Ergo falsa est Glossa in *l. final. de constit. Princip.* Domus appellatione, vbi beneficio Principis conceditur, & adiacentia venire in concessione.

Et hæc quidem ad *hanc leg.* sufficiant: Cætera quippe quæ ad eam ab Interpretibus cumulantur, non pertinent ad huius formulæ, *Integro statu* interpretationem, verum ad aliarum formularum explicationem, & ad alias quæstiones, quibus Interpretes sese, suosque lectores turbant & excruciant, ac nominatim vt *legibus* aliis respondeant, quæ huc nihil faciunt.

Nos pro more nostro quædam adhuc ad Inscriptionem & ad subscriptionem *legis* pertinentia adnotabimus. Primo obseruandæ in inscriptione notæ illæ *V. P.* quæ *Virum Perfectissimum* denotant, de quo ad *tit. de Perfectissimatus dignitate:* Cuiaciana nota mutabat in *R. P.* quasi *rei priuatæ Rationalis* hic indicetur. Male: Perfectissimi enim titulus Rationali competebat: Testis Symmachus *lib. 10. ep. 55: Nam cum apud Perfectissimum Rationalem Bassianum:* &c. Sed & vetus Inscriptio sub Diocletiano apud Gruterum CCLXXVIII. 6.

MAGNO. ET
INVICTO. IMP
CAES. M. AVR. VAL
DIOCLETIANO
PIO. FELICI. AVG
BASILIVS
DONATIANVS. V. P.
RATIONALIS. D. N. M.
Q. EIVS

De quo dicam adhuc aliquid ad *l. 26. inf. de Decurionib.* vid. & Iuretum, *ad Symmachum lib. 10. ep. 40.*

Secundo obseruandum, retrahendam vocem *Rationalem*, quæ hic initium *legis* occupauit, ad Inscriptionem *legis*; ita, *ad Aemilium V. P. Rationalem*, quomodo etiam habet *Codex Iust.* Pariter vt vox, *Aquarum* retrahenda ad Inscriptionem *in l. 1. inf. de Aquaductu:* de quo in *Prolegomenis*. Quod subscriptionem *huius leg.* attinet, loco *VI. Id. Mar.* reponebat nuper Morinus *de libert. Eccl. per Constantinum*, *p. 2. c. 12. p. 329. VI. Id. Mai.* Eo quod, inquit ille, Constantinus mense Martio huius anni in Germania contra Barbaros pugnaret, non vero Mediolani consisteret. Male; Imo enim hoc tempore in Italia, & quidem Mediolani versatus Constantinus: Maxentio quippe deuicto, superioris anni 312. fine, rebusque vrbanis constitutis Mediolanum hoc tempore perrexit, vbi & Licinio sororem suam in matrimonium dedit: testis Victor Schotti, Zosimus, *lib. 2. cap. 17.* & Chronicon Alex. vide & Edictum Constantini & Licinii apud Eusebium, *lib. 10. cap. 5.* In Galliam vero post demum profectus, post annuam videl. aduersus Maxentium expeditionem: vide *Chronicon nostrum*.

Tandem si *hunc Codicem* consuluisset nuperus Scriptor Amaya ad *lib. 10. Codicis p. 142.* Triboniano litem

litem non mouisset, quasi per incuriam is, & primus quidem, *hanc legem* in Titulum *de bonis vacantib.* retulisset, quæ melius pertineat ad *Tit. de bonor. petit. sublat.* Imo enim & *hoc Cod.* sub *eod. tit.* posita est: & si vel Inscriptionem *huius legis* ad *Rationalem*, bene ponderasset, non nuda coniectura, verum certissimo argumento vidisset *hanc leg.* ad *bona vacantia* pertinere. Idem etiam, si *hanc leg.* attente considerasset, *Pertinentias* cum *Adiacentibus* hic non miscuisset: latior enim *Pertinentiarum* quam *Adiacentium* significatio fuit.

De INVENTARIO *conficiendo bonorum vacantium.*

II. (a) Idem A. ad Priscum (b) Rationalem.

NE Principali liberalitate præuenta (c) dominium quis rei alienæ (d) affectet, iubemus, quotiens iure (e) suadente aliquorum bona ex Officio (f) Tuo fuerint occupata, breues (g) eorum plenissimos ad Virum Perfectissimum Comitem (h) & Amicum nostrum mitti, ne fraudibus Cæsarianorum (i) minuantur, vel petentibus (k) aliquid abiuretur. (l) Pœna contra Rationalem & officium eius proposita, si petitorem ante possidere permiserit id quod ei donatum est, prius quam prædicti breues commeauerint. (m) Dat. V. Id. Mar. Sirmio, Constantino A. V. & Licinio Cæs. Coss. [319.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* à *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Priscus* Rationalis sub Constantino M. IDEM.

(c) *Preuenta*, id est, circumuenta. *ID.*

(d) Quam Princeps alii donauit, vel donaturus est. *ID.*

(e) *Iure suadente*, id est publicatione, vel ratione iuris, *l.* 1. *inf. de incorporatione.* *ID.*

(f) Ab Officialibus Rationalis. *ID.*

(g) *Breues*, id est, Inuentarium, *V. Gloss.* *ID.*

(h) Comitem R. P. *ID.*

(i) De his *Cæsarianorum* fraudibus *suo titulo supr. prox.* *ID.*

(k) De Petitoribus bonorum *h. l.* & *l.* 4. 5. *infr.* & *suo tit.* mox. *ID.*

(l) *Abiuretur*, id est subripiatur, subducatur. *ID.*

(m) *Commeauerint Breues*, id est, transmissi fuerint ad Comitem R. P. IDEM.

C O M M E N T A R I V S.

P. 419. SECVNDA hæc *hoc titulo* Constantini M. constitutio est, donationibus bonorum vacantium, vel caducorum, a se factis & donatariis eorum consulentis, ne videl. quidquam exinde donatariis abiuretur seu detrahatur per Cæsarianorum fraudes. Igitur occupatis per Officiales Rationalis bonis aliquibus, statim *Breues*, id est descriptionem specialem & plenissimam, bonorum *Inuentarium* denique ad Comitem Rei priuatæ mitti iubet, vt postea eorum bonorum donatario fraus fieri non possit. Et hic quidem vt dixi primus finis fuit Inuentarii conficiendi, ne quid scil. a Cæsarianis donatario abiuraretur, & sic in fauorem donatariorum: Secundus & contrarius finis est, vt ita, petitorum inhiationi fibula imponeretur. Et quidem ne alienæ forte res impetrarentur: vt *initio huius l.* vel etiam (qui tertius finis fuit) ne maxima quæque a Principe peterentur. Igitur modus bonorum fisco delatorum diligenti stilo adscribi, id est Inuentario comprehendi debuit, quod etiam statuitur *l. vlt. inf. h. tit.* & *l.* 1. *inf. de Incorporat.* modusque adeo patrimonii Principi insinuabatur: *d. l. vlt. inf. hoc tit.* Ante Inuentarium istud nihil peti, vel saltem impetratum non ante effectui tradi potuit, *hac l.* & *l. vlt. inf.* & *l.* 2. *inf. de Incorpor.* & *l.* 11. *inf. de petitionibus.* Symmachus *lib.* 10. *ep.* 55. *Cum Marcianus Aggaria bona tanquam vacantia postulasset, statuerat Germanus Numinis vestri, vt si ea hereditas scriptum successorem, vel legitimum non haberet, in ius fisci tanquam domino nuda concederet: & tunc insinuato per Rationalem patrimonii modo, operiretur petitor quid ei sacra deferret humanitas.* Et hæc de sententia *huius l.* rationibusque Inuentarii conficiendi.

Inter alia singularia, Primo obseruanda *hac leg.* appellatio *Comitis & Amici*, quæ Comiti R. P. *hac l.* tribuitur: de qua Comitis & Amicorum dignitate sub Constantino, videnda *l.* 4. *sup. de accusat.* vbi plene dixi. Secundo notandum hunc Comitem, Virum *Perfectissimum* vocari, cum tamen nudi quoque Rationales, qui sub dispositione Illustris Comitis R. P. fuerunt, *Viri Perfectissimi* dicerentur, quod docuit *lex* 1. *sup. h. tit.* Iterum locus hic non est accipiendus de *Illustr. Com. Rer. Priu.* verum de Comite largitionalium titulorum, seu Largitionum, qui per singulas diœceses fuere: Perfectissimus enim hic erat, vt probat diserte inscriptio *l.* 1. *sup. fin. regund.* & *l.* 5. *inf. de exactionib.* De Perfectissimis alioquin in genere *titulo sup. suo* 37. *plene lib.* 6. Tertio, ex *h. l.* apparet Cæsarianos, id est Officiales Rationalis bonis fisco delatis occupandis operam nauasse, quod etiam discimus ex Diocletiano & Maximiano *l.* 5. *Cod. Iust. de iure fisci.* De quibus alioquin Cæsarianis in commune, *suo tit.* vbi consule *Paratitlon.*

III. (a) Idem

III. (a) Idem A. ad Seuerum P. V. (b)

NEc (c) interpellatis (d) his, quibus pro laboribus (e) suis ac meritis (f) aliquid donauerimus, (g) sed in iure suo, (h) hoc est sine molestia (i) litis manentibus, concitatorem (k) iudicii, qui inquietudinem inferre temptauerit, Examini Tuo præsentari oportet, vt citra molestiam possidentis ius suum manifestis probationibus doceat, in quo partes reluctantis (l) ipse suscipies, quoniam fructus liberalitatis nostræ pulsatur. (m) Hac enim lege sancimus, Vt quicumque in tales venient querelas, (n) secundum prædictam (o) formam ius suum ostendant: his quæ comperta fuerint ad Nostram scientiam referendis, vt salua possidentium proprietate, quibus, vt dictum est, in perpetuum quæsita est firmitas possidendi, deliberationis nostræ sit, qualiter his qui allegationes suas probauerint, beneficio lenitatis nostræ extrinsecus (p) debeat subueniri. Recitata III. Non. (q) August. in Palatio, (r) Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. [326.]

INTERPRETATIO. *Non inquietentur ii, quibus aliqua pro suo labore donauimus, sed omnibus quæ a nobis donata sunt (s) in ipsorum iure positis, ii qui eos inquietare voluerint, ad iudicii audientiam protrahantur, vt sine aliqua molestia possidentis ius suum pulsator valeat confirmare, omnibus quæ hac de re inter præfatos acta fuerint, ad nostram notitiam referendis, vt & nostris inquietatus (t) remediis adiuuetur.*

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iustin.* Memorat eam Leo Imp. *Nouella sua, de bonis vacantibus*, 3. ex hoc titulo. *Prolata est*, inquit, *constitutio de Codice Theodosiano sub titulo de vacantibus, qua D. Constantinus cauet*, &c. Mox & eam non abrogat: vt quidam volunt, sed coërcet ad bona vacantia, *huius tituli* argumento: de quo mox. GOTHOFR.

(b) Romæ: Fuit hic *Acilius Seuerus P. V.* & superiore, & hoc Anno; Vetus Notitia Præfectorum Vrbis. *Paulino & Iuliano Coss.* [id est A. D. 325.] *Prid. Non. Ian. Acilius Seuerus P. V. Constantino VII. & Constantio Cæs. Id. Noue. Anicius Iulianus P. V.* Eidem inscribitur hoc ipso Anno, sed dignitate omissa, *lex 1. supr. Vnde vi*: & *lex 2. supr. de fil. milit. apparit.* Et superiore Anno 325. dignitate expressa, *lex 3. sup. de diu. rescriptis*: & *l. 2. de Iudiciis.* IDEM.

(c) *Nec*, id est, Nequidem, nec quicquam: sine molestia litis: vel citra molestiam possidentis: vt mox dicitur. IDEM.

(d) *Turbent.* ID. MS. W. *Nec interpellent hi.* RITTER.

(e) *Labores.* GOTHOFR.

(f) *Meritum* dicitur, etiam de Clericorum instituto & voto: *l. 16. inf. de Episcopis, Eccl. & Clericis.* Quare neque hic reponendum, quod nonnulli faciunt *Emeritis*, quomodo legitur in Sichardina. ID.

(g) *Donauimus*, MS. W. RITTER.

(h) Id est, firmitate possidendi in perpetuum, proprietate, *infra.* GOTHOFRED.

(i) Citra molestiam possidentis, id est absque omni quæstione, *l. 2. sup. de iure fisci*: quæ eiusdem Constantini est, & in eodem argumento versatur. ID. MS. W. & G. hic legunt, *hoc est in molestia*, quod ex inscitia librariorum factum, qui notam, qua τὸ *sine* expressum, neglexerunt. RITTER.

(k) *Concitator* iudicii, qui mouet querelam, *qui inquietudinem infert.* GOTHOFR.

P. 420 (l) *Reluctantes*, MSS. G. W. & Sichard. RITTER.

(m) De *Pulsandi* verbo vid. *Gloss.* GOTHOFR.

(n) Quod scilicet res ipsorum *a Principe aliis donatæ fuerint.* IDEM.

(o) Nempe, *coram P. V.* & manifestis probationibus. ID.

(p) Aliunde. IDEM.

(q) De Subscriptione ista mox. ID. MS. W. & Edit. Sichard. *IV. Non.* RITTER.

(r) De *Palatio* hoc Vrbis Romæ, vid. eiusdem Constantini *leg. 1. inf. de paganis*: vbi vide *quæ dixi.* GOTHOFR.

(s) *Sed omnibus quæ iis donauimus*, MSS. W. G. & Edit. Sich. illa in 4. & prior Cuiac. RITTER.

(t) Imo, *inquietator.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

TERTIA isthæc Constantini M. constitutio est, *hoc titulo* de donationibus a se factis, qua donatariis, enixe consultum it. Nempe vt *l. 1.* plenissima verborum interpretatione donationes a se factas iurat: & *l. 2.* id agitur, vt plenum effectum donationes a se factæ sortiantur nullo abiurato: ita & *l. 2. sup. de iure fisci*: & *hac l. 3.* id agit, vt plenissimam & perpetuam securitatem, *fructumque* (qua voce *hæc lex* vtitur) donatariis conciliet, tum aduersus Rationales, &c. quo pertinet *d. l. 2. sup. de iure fisci*: tum aduersus δεσπότας, dominos, proprietatem rei donatæ sibi vindicantes, quo spectat *hæc lex 3.* Nempe, etsi sit qui rem a Principe alteri donatam ad se pertinere dicat, attamen Donatarium securum prorsus esse iubet: atque in iure suo manere, sine molestia litis, citra molestiam, aliaque

saluaque proprietate & possessione] cui in perpetuum quæri vult firmitatem possidendi: Quam quidem Constantini M. *legem* memorat, seu allegat Leo *Nouella 3. de bon. vacantib.* ex hoc ipso *Cod. Theodosiano*, & *titulo de bonis vacantib.* quam tamen *ibidem* ad consultationem Imp. Anthemii interpretatione sua restringit, & ad Rubricam, ita vt eam locum habere velit in bonis vacantibus proprie ita dictis, donatis a Principe, non vero in aliis; de quo adhuc ad *l. 4. infr.* quam interpretationem Leonis admisit quoque Anthemius *Nouell. 2.* Atenim hanc Constantini constitutionem Zeno postea indistincte imitatus est, qui & ipse bene prospexit iis, qui a fisco etiam per donationem quid acceperunt, sanciendo, vt ipsi quidem securi statim fierent, & victores existerent, *l. 2. C. Iust. de Quadriennii præscript.* cuius meminit quoque Iustin. *§. vlt. Inst. de vsucapionibus.* Ergo ex hac Constantini M. constitutione donatarius statim securus est: regressu tantum domino aduersus fiscum dato dominium sibi rei donatæ vindicanti; sub hac forma, Romæ exercenda: scilicet Præfecti vrbis Romæ examini iubet eum se præsentare, ibique probationes præstare: actionem eius excipiente, seu partes reluctantis suscipiente Præfecto ipso Vrbis: *Quoniam*, inquit, *fructus liberalitatis Principis pulsatur:* Et si probationem is præstiterit, super eo ad se referri iubet Constantinus, *extrinsecus*, seu aliunde, domino subuenturum se pollicitus: Quod cum iniquitate aliqua coniunctum videri possit, pariter vt iniquum ius Zenonis constitutione contineri pronuntiant Doctores communiter, sequentibus ferme rationibus, quas etiam Leo Imp. *hanc l.* vt dixi coarctaturus, perstringit: *Nam cunctorum*, inquit principio Nouellæ, *census vocatur in dubium, si per licentiam Principalem iura dominorum suam non habeant firmitatem.* Mox, *Satis putauit incongruum, vt tanta rebus negotiisque confusio vel iniquitas innectatur, & vnicuique suis vti non liceat, neque pro suorum defensione legitimum habere tutamen, sed in arbitrio sit forte subripientis* [*vr. subrepentis*] *facilis & iniusta nonnunquam Regia donationis auctoritas, & vt aliis iusta possessione fraudatis ab aliis liberalitate iniuste detineatur.* Et tandem *sub finem* sanctissime: *Neque enim aliud Imperatoriæ Maiestati, cui semper debet æquitas inhærere & vigere iustitia, videtur adcommodum* [ita compulsis literis legendum] *quam commune ius omnibus reseruare subiectis, & nihil amplius bonis licere Principibus nisi quod liceat priuatis, & hanc liberalitatem prætendere, quæ legibus & æquitate subnixa est, vt nemo se alienis & inlicitis ditatum lætetur, nemo bonis propriis destituat esse priuatum.* Rectissime & sanctissime omnia *Leo:* Nos iniquitatem huius rei adhuc clarius euoluamus: Nempe ita aufertur Domino ius vindicandæ rei suæ, quam ipsius interest forte habere potius quam pretium, vel aliud quid extrinsecus: item, ita Domino obiicitur durior aduersarius. Denique hac ratione citra alienationem, citra vsucapionem, seu præscriptionem, & sine facto suo alicui res sua eripitur. De Zenonis constitutione viderint alii: de Constantinianea nunc modo videamus, quidque causæ tandem esse possit, cur id ita nunc a Constantino M. constitutum fuerit, quaue ratione forte liberari ea possit iniquitatis suspicione, quam neque Leo satis *Nouella sua de bonis vacantib. 3.* capere potuit, perstringendo ea, restringendo mox secundum Rubricam ad *bona vacantia* proprie, seu ἰδίως sic dicta. Itaque putet quis, pertinere *hanc l.* pariter, vt plures alias Constantinianeas, quæ de donationibus a se factis agunt, ad donationes collatas in *Episcopos & Clericos*, & quidem in specie *huius l.* in *Episcopum & Clericos Romanos*: idque Argumentis sequentibus in vnum coniunctis. Primum inscribitur *hac l.* Seuero P.V. (Romæ scil.) cuius meminit quoque Auctor peruetustus Notitiæ Præfectorum Vrbis; cuius etiam examini præsentare se eum, qui se Dominum rei donatæ allegat, iubet: & ab eodem Præfecto V. ad se Constantinum referri, quo ipse postea, quid facto opus sit, dispiciat. Quanquam & alias in simili ferme specie cognitionem suscepit ex appellatione Præfectus Vrbi in Theodosii M. *legg. inf. de appellat.* & apud Symmachum *lib. 10. ep. 55.* Secundo dicitur hæc lex *Recitata in Palatio*, A. D. 326. mense Augusto: Nempe, ibi agente tum Constantino M. quod de superiore mense Iulio docet *lex 3. inf. de infirm. h. quæ sub Tyr.* fidem facit quoque Zosimus *lib. 2. cap. 29. 30.* Hieronymus, *Chronico*, & Auctor *Chronici Alexandrini* (errore tantum circa Consulatum admisso.) Et vero hæc est illa vltima Constantini M. Romæ mora, quæ Romam Constantino M. inconciliauit: de quo mox plura. Et vero quod Tertio loco cumprimis spectandum venit, in tantum inconciliatam, vt ipse exinde nouæ Vrbis, Romanæ Vrbi æmulæ, condendæ impetum sumpsisse dicatur, eamque suis ornamentis, etiam Palladio, spoliasse: de quo videndus Zosimus *lib. 2. cap. 30.* Et viceuersa ad ipsius contumeliam Romani processerint: de quo est Libanii locus, *Orat. 13. pag. 412. edit. Morell.* & inter *opera* Chrysostomi *Sauiliana tomo 8. p. 133.* Et hæc omnia, ob contemptum Gentilitiæ superstitionis, quod diserte testatur Zosimus, *d. lib. 2. cap. 29.* & ob detracta proculdubio quædam loca Templorum, Ecclesiæque Romanæ donata: Querentibus etiam nonnullis, quod vna cum locis Templorum, & sua quædam Constantinus donasset: Itaque hisce speciatim *querelis* Cognitorem nunc præbere videatur *hac l.* Constantinus M. Seuerum P.V. Romæ. P. 421.
Sic tamen, vt (quod Quartum) ad se referri velit, vt ita ipse dispiciat, quomodo illis *extrinsecus* subueniri debeat. Cur autem extrinsecus, ac non restitutis ipsismet illis bonis? Neque enim id ea tantum ratione generali constitui putet quis, quod donatariis Principis securitatem illico perpetuam conciliari æquum videatur, *ne fructus liberalitatis Principis pulsetur*, vt *hac l.* dicitur; quam æquitatis speciem secutus postea Zeno: verum specialiter propter subiectam materiam: quia de locis *Superstitioni Gentilitiæ* forte aliquo iure priuato nexis ageretur, quod ad iura Templorum retrahi noluerit Constantinus, verum in suo, & Ecclesiæ iure permanere: Et denique mores Constantini M. intuenti, nulla satis probabilis causa occurrere videtur, cur id ita statuere ipse voluerit, nisi in fauorem Ecclesiæ, & Episcopi, Clericorumque Romanorum, quibus multa ab eo donata fuerant. Neque Quinto loco huic coniecturæ refragari videantur illa, *pro laboribus suis ac meritis:* Nam & ita Clericatus dicitur, *meritum eximiæ singularisque virtutis, l. 16. infr. de Episcopis.* Verum hæc tantum coniectura est. Illud certum in hac specie Constantinum donatariis ita fauere, vt dominis extrinsecus consulturum se polliceatur. Et idem tamen contra, in alia specie, ita dominis fauit, quique in eorum locum successissent, vt donatariis (vel etiam emptoribus) restituendi necessitatem Edicto suo imposuerit: Nempe proscriptorum Christianorum bona vel ipsis δεσπότους, vel cognatis, vel Ecclesiis cuiusque loci ab Emptoribus & donatariis restitui præstarique iussit: quod testantur Auctor *vitæ Constantini lib. 2. c. 21.* & Sozomenus *lib. 1. c. 8.* qui ait, pollicitum sese donatariis vel emptoribus extrinsecus consulturum. τῶν δὲ παρὰ τῦ ταμεία πριαμένων, ἢ δωρεὰν λαβόντων, εἰς τὸν δυνατὸν καὶ πρέποντα τρόπον προνοεῖν ὑπέσχετο, *his autem, qui aut a fisco ea emissent, aut dono accepissent, quoad fieri posset competenti ratione prospecturum se promisit.* Quod sane *huic legi* e diametro contrarium est.

Nunc de subscriptione *huius leg.* Dicitur ea *Recitata in Palatio.* Scilicet variis locis Romæ Constitutiones Principum recitatæ, vel lectæ, vel propositæ:

positæ: *Lecta in Ecclesiis Romæ* dicitur *lex 20. infr. de Episcopis:* Lecta in Senatu, *lex 13. supr. de accusat. lex 8. infr. de metallis.* Recitatæ in Senatu, *lex 1. sup. de bonis maternis: l. 14. sup. de Senatoribus:* seu, Lecta apud Acta, vel, apud Senatum *l. 2. supr. fin. regund. l. 14. infr. de Episcopis:* Rursum: Propositæ in Foro Traiani, veluti *lex 2. supr. de iure fisci: l. 31. infr. de petitionib. l. 2. supr. ad leg. Corn. de fals. lex 3. sup. de sepulchr. viol. l. 4. supr. ad SC. Claudianum: l. 1. infr. de priu. corp. V. R. l. 6. supr. de adulter. lex 2. infr. de habitu quo vti: l. 4. infr. de collat. don.* Item Honorii *lex*, in foro Aproniani: *l. 29. de Nauicular.* Item, lecta in Pantheo, *l. 12. infr. de pistorib.* Item, alleg. in Basilica Thermarum Commodi, *lex 3. supr. de pactis.* In foro etiam *Suarii* leges proponi iussæ: veluti *lex 4. infr. de Suariis*, Item *PP. in programmate Vicarii vrbis Romæ, lex 25. de annona & tribut.* Tandem igitur *Recitata* hæc *lex* in *Palatio* Romæ. Quia scil. ibi tum Constantinus erat, in propria Imperii Sede: de quo dicam plene ad *l. 1. infr. de paganis.*

IV. (a) Imp. CONSTANTINVS (b) A. ad Iuuenalem Rationalem Numidiæ. (c)

QVAMVIS plurimis petentibus facultates eorum, qui sub HOSTE PVBLICO egerunt, atque in prælio pœnas debitas pependerunt, liberalitas nostra largita sit, tamen volumus, vt aurum, argentum, & mancipia vrbana, & vestes, ceteraque mobilia petitores (d) habeant, qui iam meruerunt, vel postea impetraturi sunt: Mancipia autem rustica, & possessiones, & domos (e) ad fiscum pertineant, Officii Tui instantia: His etiam reddituris, qui hæc percepisse noscuntur, vt Constitutio & de præterito, & deinceps, habeat firmitatem. Dat. Id. Iun. Constantio A. IV. & Constante III. Coss. [346.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* vt pote horum temporum Historiæ adscripta. *GOTHOFR.*

(b) *γρ. Constantius*, vt docent Coss. subscripti: Et tamen *Constanti*, Africæ atque adeo Numidiæ Imperanti tribuenda est. *ID.*

(c) *Rationalis Summarum Numidiæ*, mentio in Notitia Imperii sub *dispos. Comit. S. L. ID.*

(d) De *Petitionibus* bonorum *h. tit. & l. 2. supr. & l. 5. seu vlt. infr. & suo tit. infr. ID.*

(e) *γρ. Domus. IDEM.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTIS hæc constitutio est: non *Constantini* fratris, qui iam ante Sexennium decesserat: neque Constantii, vtpote cum hæc *lex* ad *Africam* pertineat, at nominatim ad Numidiam, inscribitur enim ea *Rationali Numidiæ:* Atquin in diuisione Imperii Constanti Africam cessisse, testis est Zosimus *lib. 2. cap. 39.* neque vllum in Africa ius tum temporis habuit Constantius: Cui rei etiam argumento est controuersia illa quæ inter Constantinum & Constantem ante Sexennium intercesserat super *Africa Proconsulari*, Constantino vltimum fatalis. Maneat igitur, *hanc leg.* Constanti adscribendam esse.

Alterum *hoc initio* peruestigandum venit, quisnam ille *Hostis publicus* sit, cuius *hac l.* mentio fit, & cum quo prælium in Numidia gestum fuerit. Ego non de alio id accipiam, quam de *Donato Bagaiensi* in Numidia, qui cum armatis Circumcellionibus suis, & furiosa turba conducta, cum Leontio primum & Vrsatio, mox *Macario* a Constante Imp. ad Vnitatem conciliandam misso congredi ausus, in prælio ipso pœnas debitas cum Circumcellionibus suis pependit: quod testatur Optatus Mileuitanus, *lib. 3.*
P.422 *cap. 4.* Igitur proscriptæ multorum ex his, qui cum Donato Bagaiensi egerant, facultates. Quod si ita est, vti omnino censeo, tum *huius leg.* ope chronologia historiæ Donatistarum, atque adeo Ecclesiastica, stabiliri posse videatur, & nominatim in quod tempus *Macariana* illa quæ dixi tempora (quomodo ea inuidiose, postea Donatistæ vocare soliti) incidant: Nempe in annum Domini 345. & 346. cum tamen hactenus ad A. D. 348. id referatur.

Horum igitur qui in prælio pœnas debitas pependerant, & sub Donato egerant, facultates proscriptæ fuerint: quas plurimi statim ab Imperatore Constante petierunt: & vero plurimis Constans Imp. eas largitus fuerat, neque dum tamen omnes *huius l.* tempore. Imo (quæ *huius l.* sententia est) neque omnis generis facultates largiri in animum inducit, quin & nonnullas concessas reuocari voluit *hac l.* scilicet *mobilia* & iam hactenus concessa, & porro concedenda valere definit: veluti aurum, argentum, mancipia seu seruos Vrbanos, vestes cæteraque mobilia; at non etiam, possessiones, & domus & mancipia rustica, quæ fisco seruari & restitui iubet. Quæ hac parte mobilium, & fundorum eorumque quæ cum his ambulant, differentia notanda venit. Facilius illa ex bonis proscriptorum conceduntur quam ista. Et vero facilius illa a Constante concessa subleuandis videl. pauperibus. Quorum etiam subleuandorum causa primum Constans Imperator *Macarium* illum, de quo dixi, in Africam miserat, vt testatur idem Optatus Mileuitanus *lib. 3. c. 4.* Fundi igitur modum communem & eleemosynæ excedere fiscoque magis conuenire visi. Quin & publicæ etiam pacis causa, eo quod non nisi inuidiose fundos istos Catholici possidere possent, Donatistis frementibus: Quare hanc turbarum fomitem nunc tollere visum Constanti Imp.

Et hæc satis ad Historiam, & quidem Ecclesiasticam *huius l.* At ICtorum filii ex *hac l.* iam sequentia obseruarunt.

Primum *h. l.* continetur exemplum Constitutionis, cuius vis in præteritum retroagitur; cuius exempla quoque plura alibi occurrunt. Secundo continet hæc *lex* differentiam inter seruos Vrbanos, & Rusticos: illi scil. cum mobilibus ambulant, hi cum fundis & possessionibus. Tandem, *huius l.* argumento liquet, ad hunc *titulum pertinere non tantum bona vacantia* proprie dicta, verum etiam bona proscriptorum, quæ publicatione fisco quæsita

sita sunt, & ipsa priuatis dominis vacantia, *Nouella Anthem. de bonis vacantibus 3.* Sane de his apertissime est haec *lex*. Vt proinde nimia subtilitas fuerit Leonis, qui legem Constantini tertiam supra restringendam putauit, ad *bona vacantia*, ἰδίως sic dicta: Item Interpretum, qui *legem 1. hoc tit.* eodem referunt. Nam (quod semel tenendum est ad huius *Tituli* intellectum;) *Bona vacantia in Rubr. huius tituli*, sunt ea omnia bona, quæ cum olim, & paulo ante etiam, priuatorum dominorum fuissent, hodie priuatis dominis vacabant, nondum tamen fisco incorporata, sed incorporanda: Quomodo, & *Caducorum* appellatio quandoque etiam vacantia bona comprehendebat, vt apparet ex *leg. Papia* Caducaria *Cap.* quod nobis est, *32.* Certe *lege* proxima, vtraque coniunguntur.

INCORPORANDORVM *fisco bonorum vacantium ordo & forma seu solemnitas, antequam ea peti possint.*

V. (a) Impp. THEOD. & Valentinianus AA. Hieritocrati (b) Com. R.P. (c)

SI vacantia (d) vel caduca (e) Dona (f) delata Legibus (g) ad ærarium in (h) Achaia perhibeantur, certi Palatini electi & iureiurando obstricti mittantur, vt eorum instantia V.S. (i) Proconsul præsente fisci patrono diligenter inquirant, (k) cuius vacans caducumque fuerit patrimonium, quantumque, vel quale videatur: (l) Et (m) cum, data reclamandi copia, nullum id iure (n) possidere, vel vindicare constiterit, locumque ærario factum esse, tam ipsius relatione, quam publicorum monumentorum fide, constiterit, rerum nobis notitia intimetur, vt iussu nostro vacantia, vel caduca, (o) nomine occupentur ærarii, quo (p) petentes (q) a nobis huiusmodi res sic demum (si ita visum fuerit) responsum legitimum mereantur: quorum petitiones antequam res prædicto ordine procuretur, nec accipiendas, nec instruendas (r) esse censemus. Quæ forma etiam in parte bonorum, in vna (s) alteraue re, seu actione vna, vel iam (t) pluribus seruetur. Nam si quid fraude (v) in dispendium ærarii fuerit admissum, missi quidem Exsecutores, non vitante indignatione (x) Proconsule, parte facultatum dimidia multabuntur. Fisci vero patronus detrimento, (y) quod vitio (z) eius fisco ingeritur, resarcire vrguebitur: aut (aa) si litem inprobe cuiquam intenderit, redhibitione sumptuum damnorumque cohercebitur: Petitores autem bonorum omni petitionis emolumento carebunt. Dat. VII. Id. Octobr. Constantinop. DN. Theod. A. XV. & (bb) qui fuerit nuntiatus, Coss. [435.]

NOTAE.

(a) *L. vlt. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) *Hermocrati* C. Iust. nonnull. edit. it. *Hierocrati.* Perperam hic nonnulli adnotabant *Heliocrati*, quem Comitem R. P. memorat Zosimus, *lib. 5. cap. 35. 45.* Ille enim & in Occidente erat, & longe ante A. D. 409. Et sic tempora & loca discrepant. *ID.*

(c) Achaiæ scil. *ID.*

(d) Ad *Comitem R. P.* pertinebat vacantium, & caducorum bonorum incorporatio, *h. l.* vid. plura *tit. prox. ID.*

(e) *Vel alio modo bona delata*: ita C. Iust. sublata, voce *Caduca*, propter caduca sublata: vt mox pro, *caducumque*, reposuit Tribon. *cadensque*: & rursum pro, *vel caduca*, repositum *vel alia res. ID.*

D. 423 (f) *Bona*, Edit. in 4. & prior. Cuiac. RITTER.

(g) Iure suadente, *l. 2. sup.* GOTHOFR.

(h) *In Achaia*, absunt a *Cod. Iust.* velut loco adstricta, vt generalem faceret legem. Eadem ratione, qua *supr.* vox *caduca* sublata. *ID.*

(i) Proconsul vir spectabilis. Tribonianus hic reposuit, *Præses Prouinciæ*, pariter *vt inf. sub finem legis*, vt generalem faceret legem. *ID.*

(k) γρ. *inquirat*, vt etiam habet Cod. Iust. *ID.*

(l) id est, *sit. ID.*

(m) *Vt*, C. Iust. *ID.*

(n) *Vel iure*, Cod. Iust. RITTER.

(o) *Vel aliæ res.* Cod. Iust. dicta iam ratione. GOTHOFRED.

(p) Hic *Versiculus*, vsque ad vers. *quæ forma*, expunctus a Tribon. propter petitiones sublatas: pariter vt *versiculus vlt. huius leg. ID.*

(q) De *petitionibus* bonorum, *h. l.* & *l. 4. sup.* & suo *peculiari tit.* mox. *ID.*

(r) *Instruere* preces; vid. & *l. 17. de bonis proscript. ID.*

(s) *Vel in una*, Cod. Iust. RITTER.

(t) *Vel etiam a* C. Iust. GOTHOFR.

(v) Id est, *per fraudem*, Cod. Iust. *ID.*

(x) γρ. *Indignationem.* Cæterum locus hic ita immutatus *Cod. Iust. Missi quidem executores non euitabunt indignationem, Præses autem facultatum parte dimidia multabitur. ID.*

(y) γρ.

(y) γϱ. *Detrimentum*: & ita quoque habet Cod. Iust. IDEM.

(z) *Pro vitio*, Cod. Iust. RITTER.

(aa) Cætera resecata a Cod. Iust. GOTHOFR.

(bb) *Et Valentiniano IV.* Ita l. 6. Cod. Iust. *de hereticis*: & leg. 5. Cod. eod. *de apostat.* ID.

COMMENTARIVS.


THEODOSII Iunioris hæc constitutio est: relata quoque in *Codicem Iustinianeum*, verum detractis περιςατικοῖς & temporariis, sublata scilicet *Achaiæ Proconsulis* mentione; vt ita γενικὴ staret, seu generalis esset perpetuamque formam contineret: detractis item, quæ a Iustiniano abolita: & ideo sublata tribus locis *Caducorum* appellatione, duobus vero locis *Petitionum* mentione. Est autem ea de ORDINE, (qua ipsa voce hæc *lex* vtitur) & forma, formulaque obseruanda, vacantibus & caducis bonis ad fiscum nunciatis: Idque triplici fine, tum vt *fisci* vtilitati consulatur, ne videl. eius commodo quidquam detrahatur: tum vt prouincialium *securitati*, ne litibus improbis vexentur: tandem, vt *inhiantium petitioni* occurratur. Cui legi concinit etiam *lex* 2. *sup.* & *l.* 1. 2. *inf. de Incorporat.* & *l.* 11. 14. 16. 26. *inf. de petit.* Et hæc quidem *lex* proprie ad *Achaiam* pertinet: vbi vacantia & caduca bona plura hac tempestate perhibebantur.

Ordo igitur hic a Theodosio Iuniore præscribitur, cautelæque adeo hæ proponuntur: Primo Palatini, id est Officiales Comitis R. P. (cui hæc *lex* inscribitur) Executores vt *hac lege* vocantur, ad peruestigationem bonorum vacantium & caducorum mittendi dicuntur, & quidem electi ac iureiurando obstricti: de quibus Palatinis fuit *supr.* peculiaris *titulus* 30. *lib.* 6. *de Palatinis S. L. & R. P.* Secundo, ad Rectorem prouinciæ a Palatinis res hæc perferenda. Tertio, Rector prouinciæ instantia Palatinorum diligenter inquirere debet, præsente Aduocato fisci, (de quo *suo titulo*) quis ille sit cuius vacans vel caducum patrimonium dicitur: quantum id sit & quale. Ergo Peruestigationem Palatinorum seu executorum, sequitur Inquisitio, seu cognitio Rectoris prouinciæ. Quarto, Data interim *Reclamandi* & contradicendi copia his qui ea caduca vel vacantia negant: quod etiam a Valente constitutum, *l.* 11. *inf. de petit.* & seruatum testatur Ammianus Marcellinus *lib.* 31. *c.* 14. v. & Symmachum *lib.* 10. *ep.* 55. Quinto, Relatio seu instructio a Rectore prouinciæ facienda ad Principem, missis in id publicis monumentis seu gestis, rerumque seu bonorum vacantium vel caducorum breuibus seu Inuentario, antequam ea bona peti possint: de quo iam *ad l.* 2. *sup.* & *l.* 2. *inf. de incorporat.* & *l.* 2. 11. *inf. de petitionibus.* vbi plene. Sexto, sic tandem Incorporatio iussu Principis facienda. Et hunc quidem ordinem præscribit *hac l.* Theodosius Iun. Paulo alius præscribitur *l.* 2. *sup.* & *l.* 1. *inf. de incorporatione*, & a Maioriano, *Nouella de bonis caducis siue proscriptorum* 7. Eum vero ordinem obseruari iubet, vel in vna paucisue rebus seu actionibus. Et ita quidem vt eo ordine, quod dixi, & petitionum inhiationi occurrat, & fisci vtilitati simul & prouincialium securitati consulat: scilicet, Petitionem horum bonorum admitti & instrui vetat, antequam prædicta eo quo dixi ordine facta fuerint: denique si ante peruestigationem Palatinorum, si ante Cognitionem Rectoris prouinciæ, si ante Relationem de modo patrimonii ad Principem factam, si ante iussionem Principis de incorporandis bonis, aliquis hæc bona a Principe petierit & impetrauerit, fructu donationis eum carere iubet: cui non omnino concinit *l.* 11. 14. 16. 26. *inf. de petitionibus*: & *l.* 1. 2. *inf. de incorpor.*

2. *Pœnam* etiam minatur tam Executoribus seu Palatinis, quam Proconsuli, & *Aduocato* fisci, si superiora legitime facta non fuerint, vel in fisci vel prouincialium detrimentum: scilicet Executoribus dimidiæ partis bonorum publicationem minatur, si quid in dispendium ærarii fuerit factum, id est, si quid bona fide ad ærarium seu fiscum non detulerint: Proconsuli quoque indignationem suam comminatur: tandem & *Aduocato* fisci pœnam imponit, si quod detrimentum fisco ingestum fuerit eius vitio, nempe vt id sarcire cogatur: siue litem improbam alicui prouinciali intenderit, id est, calumniosa lite vexauerit, quo casu Aduocatum fisci sumptus & damna vexato refundere iubet. Quod postremum notandum. Et vero *Constitutione* Caroli VII. *art.* 62. idem cauetur: & secundum id iudicatum Senatusconsulto Parisiensi, quod Paponus allegat, & post eum Rupiflauinius *lib.* 2. *de Parlamentis*, *c.* 7. *de Procuratoribus & Aduocatis Regiis* §. 51.

Obseruandum hinc interim bonorum vacantium & caducorum incorporationem factam instante fisci *Aduocato*, vel etiam proscriptorum, sic tamen vt calumnia abesset. Similiter Theodoricus Rex apud Cassiodorum *IV. Var.* 32. de bonis proscripti cuiusdam agens: vt *coram partibus* (inquit) *positis, te imminente, quod forma continet sanctimonialium Diualium censeatur. Ita tamen, vt nullo præiudicio, nulla iniuria, nullo damno innocentia prægrauetur, ne alienæ accusationis inuidiam tuam facere videaris offensam.* Plura ad hanc rem pertinentia *inf. tit. de Aduocato fisci.*

Per quem autem Magistratum incorporatio facienda sit? & quomodo *hac lex* hac parte concilianda sit cum *l.* 1. *inf. de Incorporatione?* ad eam mox videbimus.



P. 424 # DE INCORPORATIONE.

TITVLVS IX.

Ex *hoc & superiore Titulo* conflatus *Cod. Iust. t.* 70. *de bonis Vacantibus & incorporatione*, *lib.* 10. Præter *huius Tituli* leges, *de Incorporatione* sunt insuper *hoc Codice lex* 2. & *l. vlt. sup. de bonis vacantibus.*

PARATITLON.

INCORPORATIO, *Rubrica*, & *l. 1. 2. 3. hoc tit.* est, cum bona, vel alicuius publicatione, *l. 1. hoc tit.* (veluti eorum qui sub hoste publico egerunt, *l. 4. sup. de bonis vacantibus*, aut aliter bonis proscripti, de quo *sup. tit. de bonis proscriptorum:*) vel ratione iuris, *d. l. 1. hoc tit.* iure suadente, *l. 2. sup. de bonis vacantibus:* legibus delata ad ærarium, *l. vlt. sup. de bonis vacantibus:* Vt puta, quia vacantia sunt, caducaue, *toto tit. sup. de bonis vacantibus:* & *l. 2. hoc tit.* vel quia de iure Templorum descendunt, *tit. sup. de locat. fund. iuris emphyt.* & *l. 8. sup. de iure fisci:* vel ob pœnam delictumue *Adduntur* rei priuatæ Principis, *l. 1. hoc tit.* & *l. 7. sup. de bonis proscriptorum:* Adgregantur ei patrimonio quod priuatum Principis est, *d. l. 8. sup. de iure fisci:* rei Principis, *l. 16. de iure fisci:* patrimonio Principis, *l. 19. de bon. proscript.* priuatis rebus Principis, *l. 4. de Aquæductu:* congregantur æternali domui, *l. 5. sup. de locat. fund. iuris emphyt.* Nectuntur Principis patrimonio, *d. l. 7. sup. de bonis proscriptor.* sociantur fiscalibus corporibus, *l. 1. sup. de bonis proscriptorum:* domui Principis, *l. 2. de metatis.*

2. *Ordo* vero incorporationis hic erat: 1. Delatis bonis ærario, *Palatini* (seu Officiales Comitis rerum priuat.) electi & iureiurando obstricti emittebantur, *l. vlt. sup tit. de bonis vacantib.* ad peruestigationem bonorum faciendam: 2. *Rectoris* prouinciæ cognitio sequebatur, præsente Aduocato fisci & data reclamandi copia, *d. l. vlt.* bonaque describi curabat, *l. 7. sup de bonis proscript.* 3. *Descriptio* bonorum ad Principem mittebatur, *d. l. vlt.* & *l. 2. hoc tit.* 4. *Occupatio* tandem sequebatur bonorum, *d. l. vlt.* Quæ quidem fiebat rite atque solemniter, *l. 1. hoc tit.* dispositione Comitis rerum priuatarum, *l. 2. hoc tit. l. 1.* & *vlt. sup. de bonis vacantib.* & *l. 7. 8. 11. 12. 13. 14. 16. 18. 21. 23. 26. 31. 32.* & *l. vlt. infr. de petitionibus:* cura Rationalis, per cuius officium incorporatio complebatur, *l. 1. hoc tit.* & *l. 2. sup. de bonis vacantibus*, *l. 3. 7. 11. supr. de bonis proscript.* Titulis adiectis seu affixis prædiis, *l. 1. hoc tit.* & *l. 11. 20. sup. de bonis proscript. l. 4. infr. de Aquæductu.* Bonaque exacte rursus secunda inquisitione describebantur, *l. 7. de bonis proscript.* De forma obseruanda in incorporatione bonorum proscripti, siue damnati; vid. speciatim *l. 3. 7. 11. sup. de bonis proscript.* Cæterum his demum completis, non ante, bona fisco delata a Principe peti poterant, *d. l. vlt. sup. de bonis vacantibus:* & *l. 2. 3. hoc tit.* de quo *inf. tit. prox.*

De FORMA *Incorporationis, Inuentario, & Titulis fiscalibus.*

I. (a) Impp. Valentinianus, VALENS, & Gratianus AAA. ad Florentinum (b) Com. R. P.

SI quando, aut alicuius publicatione, aut ratione iuris, (c) aliquid nostræ addendum (d) est rei, rite adque solemniter, per Comitem rerum priuatarum, dein (e) Rationales in singulis quibusque (f) Prouinciis commorantes, incorporatio compleatur, (g) & diligens stilus singillatim omnia adscribat. Tituli vero, quorum adiectione (h) prædia nostris sunt consecranda nominibus, (i) non nisi publica testificatione ponantur. (k) Grauissimis statim subdendis suppliciis, qui huiusmodi aliquid propria vsurpatione temprauerint. Dat. IV. Kal. Aprilis Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

P. 425 NOTÆ.

(a) *L. 3. Cod. Iust. de bonis vacantibus & incorporat.* GOTHOFRED.

(b) *Florentinus*, in *l. 6. inf. de lustrali collat.* & *l. 3. inf. de immun. concess.* & *l. 11. inf. de Susceptorib.* quæ datæ sunt Anno 365. 366. vbi & *Comes S. L.* dicitur: De quo & Amm. Marcellinus. V. *Prosopograph.* ID.

(c) Iure suadente, *l. 2. sup. de bon. vacantib.* legibus delata ad ærarium, *l. vlt. sup. de bon. vacantib.* ID.

(d) *Addere* hic idem quod aggregare, *l. 8. sup. de iure fisci*, *l. 4. inf. de Aquæductu*: congregare, *l. 5. sup. de locat. fund.* nectere, *l. 7. sup. de bonis proscriptorum*: sociare, *l. 1. sup. de bonis proscriptorum.* Denique incorporare, vnde incorporatio *Rubr.* & *l. 1. 2. 3. hoc tit.* pro quo Ammianus Marcellinus *lib. 16. cap. 8. in fin.* dixit *adcorporare*, vt notauit etiam *Cuiacius.* ID.

(e) *Deinde per Rationales*: ita *C. Iust.* ID.

(f) *Rationales* in singulis quibusque prouinciis erant. ID.

(g) *Impleatur*, C. Iust. IDEM.

(h) Bene habet hæc vox: neque mutem cum Viro docto *de modo vsurarum, p. 639. c. 15.* in *adfixione*: Sic & *l. 2. Cod. Iust. vt nemo priuatus titulum imponere*, &c. ἐπιτίθεσθαι, Græci: *Nouella Iustin. 160.* ID.

(i) Pro hac voce substituunt *C. Iust. substantiis*, id est facultatibus. Recte autem hic nominibus; pariter vt *l. 11. sup. de bonis proscript.* Et tamen vtrobique numinum appellationem perperam substituit idem vir doctus, *p. 640.* de quo ad *d. l. 11.* IDEM.

(k) *Pro-*

(k) *Proponantur*, C. Iust. *IDEM.*
(l) Subdendis *iis.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Forma incorporationis bonorum ad fiscum delatorum, hac Constitutione præscribitur, aduersus priuatorum quorundam vsurpationem & Calvmniam seu Inivriam, quocumque modo bona ad fiscum delata sint; siue (nam hi duo modi sunt, quibus bona ad fiscum deuoluuntur) *publicatione*, id est, proscriptione, puta propter crimen aliquod (de quo fuit *supr. tit. de bonis proscriptorum*) veluti quia sub hoste publico quis egit, vt in sp. *l. 4. supr. de bonis vacantibus:* siue ratione Iuris, id est, quia bona vacantia sunt, vel caduca (de quibus *super. tit. de bonis vacantibus*) vel vt loquitur *lex 2. sup. de bonis vacantibus*) iure suadente, vel vt *lex vlt. eod. tit.* legibus delata ad ærarium: Legibus, inquam, non solis Caducariis, puta Iulia & Papia, quemodo Cuiacius id explicat, verum & aliis *Legibus*. Forma igitur hæc præscribitur. Rite & solemniter eam fieri oportere: & vt mox dicitur *publica testificatione:* scilicet (quod *fine l.* docemur) propria vsurpatione nonnulli bona tanquam vacantia & caduca fisco adnotabant, nulla satis præuia iustaque cognitione: Quare rite atque solemniter id nunc fieri iubetur: Dispositione scil. generali Comitis rerum priuatarum: quod etiam docet *lex vlt. supr. de bonis vacantibus:* & *l. 7. 8. 11. 12. 13. 14. 16. 18. 21. 22. 26. 31. 32.* & *l. vlt. infr. de petitionib.* Cassiodorus *VI. Var. 8.* in formula Comitiuæ rerum priuatarum: *Caduca bona non finis esse vacantia: ita quod vsurpatio patuit inuadere, tu Fiscum nostrum facis iustis compendiis obtinere: proximos defunctorum nobis legaliter anteponis, quia in hoc casu Principis persona post omnes est: sed hinc optamus non adquirere, dummodo sint qui relicta debeant possidere.* Secundo specialiter cura & sollicitudine Rationalis cuiusque per singulas prouincias: quod etiam docet *lex 2. sup. de bonis vac.* & *l. 3. 7. 11. sup. de bon. proscript.* Nempe vt Comites rerum priuatarum Illustres fuere, sub quorum dispositione totius Orientis vel Occidentis Res priuatæ per singulas diœceses fuere, (de quibus ad *d. l. 2. sup. de bon vacantib.*) ita per singulas ferme prouincias Rationales rei priuatæ fuere, quod docet etiam *Notitia Imperii.* Et hæc de Magistratibus per quos incorporatio facienda. Quinimo, hoc ipso Anno, sex ferme septimanis post, primum Inuentarium fieri voluit per ordinarii Officii solicitudinem, *d. l. 7. sup. de bonis proscript.* quod & ipsum congruit *legi vlt. h. t.* quæ cum *hac l.* perperam committitur, & pugnare vulgo creditur. Nempe Prima summaque incorporationis solicitudo ad Comitem R. P. & Rationales pertinebat. Inuentarium conficiebat Rector prouinciæ. Quare inanis est Interpretum labor, qui has *leges* aliter conciliant: & in his post alios Claperius *decis. fiscal. causa 32. quæst. 1. num. 3. 4.*

Modus igitur Incorporationis hic præstituitur, vt *Descriptio diligens* & sigillatim fiat bonorum, seu Inuentarium, de qua bonorum descriptione & quidem accurata facienda, est quoque *lex 2. infr. h. tit. lex 2.* & *vlt. supr. de bonis vacantib.* & omnium expressissima *lex 7. sup. de bonis proscript. 2. Titulos* nomine Principis prædiis fisco delatis apponi vult, pariter vt Theodosius M. *leg. 11. sup. de bon. proscript.* & *l. 4. infr. de aquaductu:* Honorius *l. 20. eod. tit.* publica testificatione, grauissimo supplicio proposito his, qui propria vsurpatione tale aliquid tentauerint. De *Titulis* his qui bonis ad ærarium delatis adfigi soliti, quibusque domus signabantur, Græci ἀποσημαίνεσθαι dicebant, & ἀποσφραγίζεσθαι Cuiacius, Ræuardus, Iuretus *in Symmachum*, Salmasius *de modo vsurarum c. 18.* pluraque iam annotauere, ex Symmacho *lib. 9. ep. 54.* Iustiniani *Nouella 27. 28. 29. 30. 160.* Tiberii *Nou. de diuinis domibus:* Cassiodoro *IV. Var. 14.* & *IX. Var. 18.* Agathia, *lib. 5. pag. 103. edit. Venet. inter Script. Rer. Byzant.* vbi γραπ]ὰς σανίδας vocat, Gregorio *lib. 1. indict. 1. ep. 63. lib. 4. indict. 13. ep. 77. 88.* & *lib. 5. ep. 43.* Horum Titulorum mentio fit hoc *Codice Theodosiano* præter hanc leg. *l. 11.* & *20. sup. de bonis proscriptorum: l. 4. inf. de aquaductu:* vbi quædam dico. Addatur hic Chrysostomi, qui σήμαντρα vocat, locus *ad Pop. Antiochenum, homilia 13. edit. Paris. p. 151. Sauil. tomo 6. p. 548.* & *Tom. II. Oper. edit. Benedictin. num. 2. pag. 136.* καὶ τὰς ὀυσίας ἐδήμευον, καὶ σήμαντρα ἐν ταῖς θύραις ἁπάντων ἦν ἰδεῖν, *bona publicabant, & in omnium foribus signacula cernere licebat.* Perperam vero eo refertur Ammiani Marcellini locus, *lib. 29. cap. 2. init. Immittebantur*, inquit, *confestim, qui signatis domibus inter scrutinia supellectilis, pœnis addicti, incantamenta quadam subderent.* Est enim locus ille non de titulis σανίσι adfixis bonis damnatorum, verum de signaculis impressis σφραγῖσι, simul ac quis inter reos receptus est, ne quid subducatur, vt prolixe ostendit Salmasius *de modo vsurarum, cap. 15. a pag. 649.* non magis quam pariter vt Teletis locus apud (Stobæum *c. 237.*) Alter Ammiani Marcellini locus hoc ipso Anno 369. *lib. 28. cap. 2.* Qui tamen quoad finem ipsum ad *hanc l.* proxime facit de grassatoribus Maratocupenis. *Id vnum sufficiet eorum exitiale poni commentum. Quæsitus in vnum impiorum hominum globus, imitatus Rationalis Officium ipsumque Iudicem,* [id est, Rationalem] *vespertinis tenebris lugubre clamante pracone ciuitatem ingressi, ambitiosam domum cuiusdam primatis, vt* Proscripti *iussique interfici, cum gladiis obsederunt: raptaque supellectilis pretiosa, quia subito perculsi familiares hebetatis sensibus non defenderant dominum, cæsis pluribus ante reuolutam lucem gressu discessere veloci. Verum cum exuuiis referti multorum rapiendi dulcedine nil prætermitterent, intercepti Imperiali motu, oppressi interiere omnes ad vnum, eorumque soboles parua etiam tum, ne ad parentum exempla subcresceret, pari sorte deleta est, & lares euersi, quos ambitiose luctuosis aliorum dispendiis construxerunt.* p. 426

Hos vero Titulos adfigere, adiicere, imponere prædiis, tanquam fisco delatis, priuata auctoritate vt *hac leg.* sub seuerissima pœna prohibetur, ita pariter ab Honorio *l. 1.* & Theodosio Iuniore *l. 2. C. I. vt nemo priuatus Titulos:* & Athalarico apud Cassiodorum *lib. IX. ep. 18.* scilicet nonnulli per inuidiam, iniuriam & calumniam, huiusmodi Titulos alienis prædiis adfigebant, vt ita possessores obiecto Principalis Nominis metu terreant. Quod de Anatolio memorat Agathias *lib. 5. pag. 103. edit. Venet. inter Script. R. B.* ἄδικός τε ἐς τὰ μάλιστα γεγονὼς, καὶ πολλοὺς ὅσους τῶν οἰκείων ἀφῃρημένος, ὅτι τε αἱ γραπ]αὶ σανίδες ἐκεῖναι καὶ τὰ ῥάκη τὰ ὑποπόρφυρα εἰς τόδε αὐτῷ ἀπελεύτησαν, ἃ δὴ πολλὰ τοῖς τῶν ἐυδαιμόνων οἴκοις θαμὰ ἐπέβαλλε, τὴν εἰς βασιλέα εὔνοιαν προϊσχόμενος: id est, *quippe qui iniustissimus fuisset, & multos bonis suis spoliasset: quodque scriptæ illæ tabulæ, & subpurpurei panni hunc exitum habuissent, quos ille opulentiorum domibus imposuit, prætexens beneuolentiam erga Imperatorem.* Qua de re querela quoque extat Gregorii *lib. 4. indict. 13. ep. 88.* vbi scribens ad Constantium Augustum, queritur de quodam Stephano Chartulario, qui nomine fisci, singulorum locis Titulos indicta causa imponeret, sicque inuaderet. Diuersus

ab hoc mos alter est, aliaque ratione prohibitus, quo nonnulli alienis prædiis tanquam suis Titulos suos affigebant, siue vt tenuioribus possessoribus patrocinia hac ratione præberent, de quo est lex 1. in sup. & C. Iust. de his qui potentior. nom. aut titulos: & decantatus Augustini locus in Psalmum 21. Siue, qui tertius mos est, vt eos sibi tanquam suos vindicarent, quo pertinet Synodi Romanæ sub Gregorio & Mauricio Imp. prohibitio, ne Rectores patrimonii Eccl. Romanæ, fiscali more, Titulos sua sponte imponerent vrbanis rusticisque prædiis, quæ iuri illius competere putabant: vt habet Gregor. lib. 4. ep. 45. & inseritur Decreto cap. 1. causa 16. q. 4. eodemque pertinet l. 1. & 2. C. I. vt nemini liceat sine Iudice signa: Item diuersus ab hoc mos est quartus, quo nonnulli suis prædiis Titulos Imperatoris adfigebant, ad vsurpandum Maiestatis Imperatoriæ instar quoddam, de quo est lex 1. Cod. Iust. vt nemo priuatus titulos.

Titulos affigebant prauo more nonnulli,

- vel
  - 1 Imperatoris idque vel
    - 1 *Suis* prædiis, vt ita Imperatoria Maiestate ea munirent.
    - 2 *Alienis* prædiis, vt ita inuidiæ & calumniæ ea obiicerent.
  - 2 Suos, *Alienis* prædiis, tanquam suis: idque vel
    - 1 *Patrocinii* cuiusdam specie.
    - 2 *Vindicationis* & vsurpationis illicitæ.

Et ita quidem hæc quatuor inter se distinguenda sunt, superioresque leges dispescendæ, quæ plerique turbide hactenus commiscent. Alia tandem nonnulla de his Titulis noto *ad l. 11. 20. sup. de bonis proscript.* & *ad l. 4. inf. de aquæductu.*

De INVENTARIO *&* INCORPORATIONE *post donationem Principis faciendis, &* SECVNDARIO *post hæc præcepto ipsius Principis.*

II. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Eulogio Com. R.P. (b)

QVICVNQVE a nobis caducas vacantesue meruerit facultates, siue cum auro siue cum argento, quod specialiter rarum (c) erit (nam sæpius habita horum exceptione præstatur) post allegationem (d) Beneficii Principalis, omnem bonorum, id est, mobilium, (e) mouentium, vel (vt plenissime loquamur) prædiorum vrbanorum, (f) ædium, mancipiorum, animalium, argenti, auri, ornamentorum, vestium, pecuniæ, fiscus incorporationem traditionemque percipiat. Et cum officii Palatini (g) breuibus (h) fuerint cuncta competenter inserta, omne illud, quod ex quibuslibet corporibus est repertum, nostris auribus intimetur. Nec quicquam horum ad petentem ante perueniat, quam suggestione Sublimitatis Tuæ informata Mansuetudo Nostra traditionem secundario (i) præcepto prioris liberalitatis inpertiat: vt nisi denuo a nobis fuerint confirmata, quæ videntur inpetrata nihil valeant. Dat. XVIII. Kal. Decemb. Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc lex a Cod. Iustin. Memoratur & confirmatur ab eodem Imp. viginti post annis, A. 415. *l. 26. inf. de petitionibus.* Confirmatur & abrogatur parte quadam ab eodem Honorio A. 418. *l. vlt. prox.* GOTHOFR.

P. 427. (b) Eidem *Eulogio* Comiti R. P. inscribitur hoc ipso Anno *lex 10. inf. de infirm. his quæ sub Tyrannis*: & A. 398. *lex 1. inf. de Conductor. rei priuat.* ID.

(c) Id est, quod speciatim concedere raro solemus. ID.

(d) De *allegatione* Rescriptorum, *sup. tit. de diuers. Rescript.* ID.

(e) Quare nulla *immobilium* hic mentio fit, cum tamen & ædes memorentur? Forte hic rescribendum, *id est immobilium, mobilium, mouentium* &c. ID.

(f) Quare nulla hic mentio *prædiorum rusticorum*? An quia rusticæ possessiones peti, & concedi non potuerunt? vt *l. 4. sup. de bonis vacantibus.* ID.

(g) V. *l. vlt. sup. de bonis vacantibus.* ID.

(h) *Breuibus*, id est Notitia, descriptione, Inuentario. ID.

(i) Secundo altero geminato: iterata supplicatione, *d. l. prox.* ID.

COMMENTARIVS.

HONORII Imp. duæ constitutiones sequuntur, quibus PETENTIVM a Principe bona caduca vacantiaue, inhiationi occurrit. Quæ leges, hæc inquam, & *prox.* (qua *hæc* in partem abrogatur ab eodem Honorio) in *sequentem proximum titulum, de petitionibus* (quo sane etiam *titulo l. 26.* hæc lex nominatim

miniatim confirmatur) melius conjecta fuisset. Nam quod de Incorporatione *hac l.* & *d. l. prox.* additur, id præcipuum finem non respicit, sed tanquam medium ad eum finem, quo hæ *leges* collineant assequendum. Igitur, cum petentium inhiationi, maxima quæque postulantium, & tamen modum bonorum petitorum mentientium, velut minorum, variis rationibus Principes occurrerint, de quibus *eo tit. de petitionib.* nonnulli sane petitionibus & petentibus aures præbere in totum noluerunt, nisi prius bonorum descriptione facta, vt Valens Imperator *l. 4. infr. de petit.* Gratianus, apud Symmachum *lib. 10. ep. 55.* Theodosius M. *l. 14. 16. infr. de petit.* Theodosius Iunior *l. vlt. superiore tit. de bonis vacantib.* At Honorius Imp. *h. l.* & *d. l. 26.* ad eundem finem, peti quidem bona a se ante descriptionem & incorporationem factam permittit, & sic diligentiori petitori locum facit, contra moris veteris institutum; sed tamen donationem valere seu admitti non vult, nisi post primam petitionem & donationem Inuentario, seu descriptione bonorum facta, secundo præcepto prior liberalitas confirmata fuerit ad secundam supplicationem, *h. l. prox.* & *l. 26.* Ergo peti quidem statim bona a diligentiore ius fuit, sed concessionem factam valere & effectui tradi vetat, nisi Princeps post descriptionem eam rursus confirmauerit, & sic bonorum incorporatione anteferri voluit competitionis effectui, quod 24. post Annis *moris veteris institutum*, vocat idem Honorius *l. prox.* Quod quidem vtrumque, vti dixi, ab Imperatoribus constitutum, quod petentium ambitu strangularentur, & circumuenirentur, modum patrimonii petiti ementientium, vt ita facilius ea impetrarent. Quare descriptionem bonorum omnino hac parte requisiuere, tanquam necessarium antecedens vel donationis faciendæ, vel saltem donationis iam factæ valituræ: denique effectui competitionis, anteferri incorporationem & traditionem fisco requirit Honorius *h. l.* & *d. l. 26.* *infr. de petitionib.* vbi ratio aperte assignatur, & *l. prox.*

In *hac leg.* obiter quædam notanda. Primo aurum, & argentum, ex bonis vacantibus & caducis, raro petentibus a Principibus, & quidem ab Honorio donari solita, imo sæpius expresse sub exceptione auri atque argenti bona vacantia caduca petentibus donata: cum tamen Constans in specie *l. 4. sup. de bonis vacantibus*, nullam separatam habuerit auri atque argenti rationem. Imo Arcadius Honorii nostri frater Anno proximo 369. aurum, atque argentum præcise peti vetuit, exceptis summis dignitatibus, *l. 21. infr. de petitionibus*: vbi de eius rei ratione, & Alexandri Seueri exemplo ex Lampridio in *eius Vita*.

Secundo obseruetur, non agi *hac l.* de donatione prædiorum rusticorum, sed tantum de vrbanorum: proculdubio, quia prædia seu possessiones rusticas de bonis vacantibus vel caducis hac tempestate petere vetitum: Nam & ita Constans *l. 4. sup. de bonis vacantib.* mancipia rustica, imo & possessiones & domus in totum peti vetuit. Nempe quia maioris pretii & reditus certioris ea visa, quam vt fisci compendiis eriperentur: Quare & domus maioris pretii petere vetitum a Theodosio M. Arcadii nostri Patre, *l. 16. infr. de petitionibus*.

Tertium, quod de Palatinis incorporationi bonorum fisco delatorum incumbentibus, & breuibus bonorum ab his conficiendis additur, iam expediit *lex vlt. sup. de bonis vacantib.*

Tandem notetur exemplum ex *h. l.* & *d. l. prox.* & *d. l. 26.* actus a Principe gesti inualidi, nisi *secundarium præceptum*, seu secunda iussio emanauerit: pariter vt *Nouella Iust. 17.* & *134.* & apud Cassiodorum *I. Var. 39.* Et quidem *h. l.* secundaria iussio ipsius Principis: quod mutauit ipse in secundariam seu iteratam Comitis R. P. concessionem, *l. prox. inf.* qua hæc *lex* hac parte abrogatur.

Confirmatio *legis superioris, vno excepto quoad Secundarium præceptum.*

III. (a) Impp. Honor. & Theod. AA. Largo P. V. (b) Africæ.

Et moris veteris instituto, incorporationem bonorum anteferri competitionis effectui decernimus, & de possessore iam fisco referri ad Viri Inlustris priuatarum largitionum Comitis scientiam censemus. (c) Illud Conpetitoribus conpendium relaxantes, vt quod a Mansuetudine Nostra iterata (d) supplicatione poscendum fuerat, (e) ab eius Sublimitate non expectato Imperiali beneficio postuletur, &c. Dat. V. Id. Octobr. Rau. Honor. XII. & Theod. VIII. AA. Coss. [418.]

NOTAE.

P. 428 (a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* Iungenda ei *lex 28. inf. de petitionib.* Imo & *lex 27. eod. tit.* Hic confirmatur ab vna parte, ab altera abrogatur *lex superior 2.* Denique & *hac lex*, vt *superior*, ab hoc *titulo* fugitiua est. *GOTHOFREDVS.*

(b) vp. P. C. id est Proconsuli: *Largus* Proconsul Africæ sub Honorio A. D. 418. *hac l.* & *l. 27. 28. inf. de petitionibus. IDEM.*

(c) *Censemus*, id est, iubemus. *ID.*

(d) Secundario præcepto *d. l. sup. 2.* *ID.*

(e) Secundum *leg. superior. 2.* & *leg. 26. 27. 28. inf. de petitionib.* *ID.*

COMMENTARIVS.

Secunda hæc *hoc titulo* Honorii constitutio est, & ipsa fugitiua, qua Petentium inhiationi occurrendum putauit: quæ quidem pars est prolixioris constitutionis Honorianæ, quæ variis rationibus petentium & inhiantium prædæ occursum iuit: ex qua supersunt duæ aliæ particulæ in *l. 27.* & *28. inf. de petit.* quæ proinde huic coassandæ veniunt. Inter alia igitur remedia & hac particula Petitionis effectui incorporationem bonorum (seu, vt vocatur *l. 26. inf. de petit.* Instructionis solemnitatem) anteferri

anteferri id est præcedere (quomodo & *anteferri constitutones* dicuntur) iubet Honorius, id est petitorem qui, quid bonorum a Principe impetrauit, concesso potiri non ante iubet *hac l.* pariter vt *l. 2. superiore*, quæ lata est ante 24. annos (quod ideo *moris veteris institutum* vocat) & *l. 26. inf. de petition.* (ante triennium) quam incorporatio bonorum prius facta fuerit, & de fisco iam possessore bonorum illorum ad Com. R. P. relatum fuerit, & instructionis solemnitas seu lux præcesserit: id est descripta bona fuerint. Item non ante, quam iterata supplicatione petitor bona illa impetrauerit: Quod ipsum cauebatur quoque *d. l. 2. sup.* & *d. l. 26.* Hoc tantum discrimine, quod cum antea iteratum seu secundarium eiusdem Principis indultum requireretur, nunc satis esse definiat, si id iterata supplicatione a Com. R. P. petatur. Et sic hac parte abrogatur *d. lex 2.* & *d. lex 26.* Quod vtique magnum Com. R. P. *προνόμιον* notandum est.

DE PETITIONIBVS, ET VLTRO DATIS, ET DELATORIBVS.

TITVLVS X.

Ad *Petitiones* pertinent quoque *Tituli* quatuor proximi. *Codice Iustinianeo* huic *Titulo* respondent duo *libri 10. Tituli, 11. & 12. de Delatoribus, & de Petitionibus bonorum sublatis.* Adde & Paratitli vice, *l. 17. de bonis proscript. l. 1. de Iure Fisci: l. vlt. sup. de bon. vacantib. l. 2. 3. sup. tit. prox. de Incorpor. l. vlt. de appellat.*

PARATITLON.

I. VACANTIA & CADVCA bona, vt & PROSCRIPTORVM, quæcunque tandem fisco quæsita, de quibus *supra titulo, de bonis vacantibus:* his qui circa Principem familiarius versabantur potissimum indicari solita, mox per hos a Principe *peti*, de quo postea. Quare & *Delatorum* audaciæ, prouincialium & possessorum securitatem sæpe attentantium, fortunasque affligentium, *v. l. 4. 8. 12. 19. 20. hoc tit.* & Petitorum auiditati & inhiationi variis Principum ferme omnium qui hoc sæculo vixere Constitutionibus occursum, Constantini M. *l. 1. 2. 3. h. tit.* & *l. 2. sup. de bonis vacantibus:* Valentiniani Senioris *l. 9. 10. h. tit.* Valentis, *l. 11. h. tit.* Theodosii M. *l. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. h. tit.* Arcadii *l. 21. 23. 24. h. tit.* Honorii *l. 22. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. h. tit. l. 2. 3. sup. de Incorporatione:* Theodosii Iun. *l. 32.* & *34.* seu *vlt.* & *l. vlt. supr. de bonis vacantib.* Valentiniani Tertii *leg. 33. h. tit.*

II. DELATORES porro isti (de quibus agitur *l. 1. 2. 3. 4. 7. 8. 9. 10. 12. 13. 17. 18. 19. 20. 22. 24. 28. 30. 32. 33. h. tit.*) humani generis inimici dicuntur, *l. 10. h. tit.* proditores, *l. 17. h. t.* (& quidem P.429 speciatim dominorum delatores serui, de quibus forte *lex illa 17.* accipienda est) maximum humanæ vitæ malum, *l. 2. h. t.* execranda pernicies, *d. l. 2.* lingua eorum, inuidiæ linguæ, *d. l. 2.* nomen infestum, *l. 24. h. t.* Audacia eorum *l. 4. h. t.* nequitia, *l. 3. h. t.* proscribitur, qua attentabant possessorum quietem, *l. 20. h. t.* securitatem, *l. 4. 12. 19. h. tit.* vel fisco bona directe deferendo, *l. 1. 2. 3. h. tit.* vel aliis priuatis, ea a Principe petituris, *l. 8. 9. 12. 13. 18. 20. 22. 30. h. tit.* quod blandum ministerium dicitur, *l. 12. h. t.*

Hi igitur, atque alii Delatores aliquando prorsus inhibiti, puta a Constantino M. *d. l. 1. 2. 3. h. t.* sub pœna capitali, *dictis legibus:* Sic vt ne quidem vox eorum admitteretur, *d. l. 2. h. t.* vt & a Valentiniano Tertio, Ioanne Tyranno cæso, *l. 33. hoc tit.* & in sp. *l. 24. hoc tit.* Aliquando vero repressi tantum variis rationibus.

Primum enim si ipsi fisco deferrent, coram Iudice prouinciæ de rei veritate prius quæri oportebat, quam ad Comitatum, aut ad officium Comitis R. P. proficiscerentur, *l. 7. h. t.* At priuatis nunciarent, qui postea ea peterent, a petitoribus publicari eos, seu iudiciis sisti oportuit: *l. 8. 9. 12. 13. 18. 20. 22. 30. h. tit.* & *l. 2. inf. si vagum pet. mancip. l. vn. infr. de petitorib. & desistentib.*

Secundo, si eorum calumnia detecta fuisset, *l. 1. 2. h. t.* si causam non tenerent, *l. 1. 2. h. t.* si non probassent, *l. 8. h. t.* si concessa a Principe titubarent, *l. 30. h. t.* competenti seueritate, *l. 8. h. t.* gladio, *l. 10. h. t.* cauto legibus supplicio, *l. 12. h. t.* calumniæ pœna, *l. 3. h. t.* pœna, *l. 32. h. t.* afficiebantur. Serui speciatim Dominorum delatores, etsi obiecta probassent, seuerissimæ sententiæ subiugabantur: *l. 17. h. t.*

Tertio, quod a Principe impetratum fuerat, iis vendi non poterat, *l. vn. inf. si vagum peti mancip.*

Tandem & artem quandam delationis exercentes, odio maxime prosecuti Imperatores:

nam

nam & post victoriam tertiæ delationis, capite plecti eos voluit Theodosius Imp. *l. 21. inf.* & *l. 13. h.t.* imo nequidem audiri tertio deferentes, sed pœnam protinus subire voluit Honorius *l. 28. h.t.*

III. PETENTIVM seu petitorum auiditati occurritur *l. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 18. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 29. 30. 31. 32.* & *l. vlt. h.t.* & *l. 2. 4. vlt. sup. de bonis vac. l. 2. 3. sup. de incorpor.* Petitores hi (vnde & petitio, *Rubr. l. 8. 9. 18. 21. 24. h. tit. l. 17. sup. de bon. proscr. l. vlt. sup. de bonis vacant.*) dicuntur & competitores, *l. 30. 31. 33. hoc tit.* & *l. 23. sup. de bonis proscript. l. vn. sup. de quinqu. præscr.* (vnde in hoc argumento *competendi* verbum *l. 27. infr.* & competitionis, *l. 29. 30. h. tit.* & *l. 23. supr. de bonis proscript. l. vn. sup. de quinqu. proscript. l. vlt. sup. de incorporat.*) De quibus est & *lex vn. supr. de bonis milit. lex vn. sup. de bonis Cleric.* Petitores huiusmodi fuere maxime qui in Principis obsequio constituti erant, *l. 2. inf. si petit. socius:* veluti Castrenses S. Palatii, quique sub eius dispositione erant, *l. 1. d. tit. si petit. socius:* item sacro cubiculo seruientes, *l. vlt. h. tit.* Protectores, vt apud Symmachum *libr. 10. ep. 55.* Horum igitur inhiantium prædæ, *l. 27. h.t.* inuerecundæ inhiationi, *l. 15. h.t.* cupiditati inlicitæ, *l. 29. h.t.* auiditati postulatorum, *l. 11. h.t.* nefariæ petitioni, *l. 24. h.t.* vitiis, *l. 23. h.t.* assiduæ libidini grassari solitæ, *l. 25. h.t.* variis subinde Imperatorum constitutionibus occursum fuit.

Primo nonnulla & nonnullorum bona vacantia & caduca petere omnino vetiti: veluti bona Maiestatis reorum, *l. 15. h.t.* Possessiones item palatiis magis quam prædiis aptas, *l. 16. h.t.* Item (*L.S.*) vel Reipublicæ a priuatis possessas in sp. *l. 24. h.t.* Aurum item quandoque & argentum, *l. 21. h. tit.* & *l. 4. sup. de bonis vacantib. l. 2. sup. de Incorpor.* Mortuorum bona quamlibet facinorosi dicuntur, non conuictorum, *l. 30. h.t.* Viuentium bona non damnatorum, *l. 27. h.t. inf.* & *l. 29. h.t.* Eorum qui ob Barbaricam incursionem sedes mutauerunt externas, *l. 25. h.t.* Item bona decurionum qui successores non habent. Curiæ quippe ea addicta, *l. 2. sup. de bonis decurionum.* Item Clericorum, *d. l. vn. sup. de bonis Cleric.* Item bonorum damnatorum pluribus, partem deficientem, *l. 1. 2. inf. si petit. socius.* Plura item bona vno petitorio vel pittacio petere vetitum, *l. 29. h.t.* Imo & Proscriptorum bona vel deportatorum intra biennium petere prohibitum, *l. 23. 29. h. tit.* & *l. 17. sup. de bon. proscript.*

Secundo, ante incorporationem petere, vel saltem impetrationem effectui tradi vetitum: *l. 2. 3. sup. de Incorporatione.*

Tertio, antequam a petitore peti possent, *l. 16. 23. 26. h.t.* vel saltem impetrari *l. 11. 14. h.t.* denique antequam impetrato potiri possent, *l. 2. sup. de Incorpor.* huiusmodi petitionem apud officium Comitis Rerum priuat. instrui oportebat, *l. 14. 16. 23. 26.* bona occupari & describi, deque his ad Principem referri dispositione Comitis R.P. oportuit, *d. l. 11. h.t.*

Quarto qui huiusmodi bona petierant, vel impetrauerant, rescriptum allegantes, *l. 12. 13. 20. 30. h. tit.* & *l. 2. inf. si vagum pet. mancip. l. 2. sup. de Incorporat.* cum delatoribus suis ad iudicia venire oportuit, *l. 8. h.t.* seu adesse iudiciis, *d. l. vn. inf. de petit. & desist.* delatores suos publicare debeant, *l. 9. h.t.* iudiciis introducere, *l. 12. h.t.* exprimere, prodere, *l. 18. h.t.* vid. *l. 20. h.t.* & *l. 2. inf. si vagum pet. manc.* in iudicio constituere, *l. 22. h.t.* Palatino officio P.430 adsignare, *l. 30. h.t.* officio productum in iudicio tradere, *Nouella* Theodos. *de competitionib. 44.* etsi non vniuersitas bonorum, sed carptim aliquod prædium peteretur, *l. 12.* etsi petitionem Principi probandam verisimile sit, *l. 18. h.t.* etsi specialis super hoc adnotatio Principis præferatur *l. 20. h. tit.* qui delatores postea ad prouinciam, in qua bona impetrata erant, dirigebantur: *l. 12. 13. 18. h. tit.* Hæc si facta non fuissent, petitor effectum petitionis seu impetrationis non adipiscebatur, *l. 9. 12. 13. hoc tit.*

Quinto, post hæc ita facta, si Dominus bonorum contradiceret, & iniuste bona sua vindicari diceret, annus, vel sex menses, pro ratione bonorum, ei dabantur: *l. 27. 30. 31.* contra, Annus quoque ei dabatur qui impetrauerat ad demonstrandam æquitatem petitionis suæ, *d. l. 31.* Sed & illud quandoque constitutum post hæc omnia, vt impetrata bona cum ærario is qui impetrasset partiretur: *l. 32.* & *l. vlt. h. tit.* a quo excepti tantum cubiculo Principis seruientes, *d. l. vlt.* Quandoque etiam ad extraordinariam collationem hi vocati: de quo *inf. tit. de collat. donatarum.* Tandem vacantibus caducisue bonis petendis quinquennii præscriptio posita fixaque, *l. vn. sup. de quinqu. præscript.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Populum (b) Post alia.

DE Delatoribus iam certa statuimus, + quibus, si quis contra fecerit, pœnam capitalem excipiet. PP. XV. Kalendas Febr. (c) Constantino A. III. & Licinio III. Coss. [313.].

NOTÆ.

(a) Abest a *Cod. Iust.* Iungenda *huic* est *lex 1. infr. de censu siue adscriptione.* GOTHOFR.

(b) Vrbis Romæ. IDEM.

† De hoc mox videbimus. *ID.*

(c) *Rom.* hoc addendum ex *d. l.* 1. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI Magni tres constitutiones, seu tria Edicta, ad populum & ad prouinciales emissa, ordine occurrunt aduersus Delatores συκοφάντας, quibus odium prolixe suum denunciat & contestatur: tum elogiorum, tum & pœnarum acerbitate: Optimorum quorumque ante se Principum exemplo, de quibus Tacitus, Suetonius, Martialis, Plinius, Dio, Capitolinus, alii: Aduersus *delatores*, inquam, non tantum bonorum vacantium & caducorum, quo pertinet *lex 3.* & de quibus proprie est hic *titulus*; verum etiam reorum, quo spectare existimo *l. 1. & 2. h. t.* Duplex scil. delatorum genus est: tum reorum, tum & rerum seu bonorum: quanquam & per reorum delationem ad rerum seu bonorum delationem & proscriptionem peruenitur: & vt Interpretatio recte habet *ad l. 2. infr.* & ex eo *Capitular. lib. 7. cap. 126.* *Delatores dicuntur qui aut facultates prodiderint alienas, aut caput impetierint alienum.* Quod ad *eam l.* recte adnotatum est.

Nunc de *hac l. 1.* Igitur Constantinus M. iuxta anteriorem quandam constitutionem suam, delatoribus capitalem pœnam minatur *hac l.* quæ pars est Edicti prolixioris ad populum Romanum, Romæ propositi: cuius pars altera extat quoque *l. 1. infr. de censu:* quæ proinde huic coassanda venit. Nempe eo Edicto Constantinus securitati publicæ consulturus, duplici malo, quo ea maxime percellebatur, consulendum putauit, puta aduersus Census iniquitatem, qua tenuiores premi solebant, quo pertinet *d. l. 1. infr. de censu*: item aduersus Delatores, qui famam, vitam, & caput, bonaque plurimorum appetebant: quo pertinet *hac lex.*

Cuius Edicti temporis characterismus summopere notandus venit: Nempe enim Maxentio Tyranno, fine mensis Octobris Anni Superioris 312. ante trimestre non integrum deuicto, Edicto hoc suo Constantinus securitati publicæ consulendum putauit, ac nominatim aduersus Delatores: qui de more deuictis Tyrannis emergere soliti, de quo fidem faciet quoque *lex 33. infr. h. tit.* & *l. 3. supr. de calumniator.* V. & *Nouellam Maioriani 3.* atque exinde indicare bona eorum qui Tyranni partes secuti fuerant, quæ mox vel ipsi, vel alii ex Aula potentiores petere soliti. Cui quidem rei Delatoribus repressis intercedit *hac l.* Constantinus, ad fundandam scil. omnium securitatem. Quod vt ab aliis retro Principibus factum, in quibus & Claudius II. de quo singularis extat Zonaræ locus, quem P. Faber 1. *Semestr. vlt.* expendere conatus: & ita antea *iam* a se factum *hac ipsa l.* indicat, proculdubio proxime post Maxentium a se deuictum: ita quidem vt *legem 2. proximam, infr.* indicare videri possit, de quo ad *eam legem:* Imo ante Maxentium deuictum quoque prohibitas a Constantino M. delationes, Auctor est Incertus Panegyristes Gallus, *eo Panegyrico* ad Constantinum ipsum, qui incipit *Vnde mihi.* De apparatu quippe Constantini M. aduersus Maxentium agens, & Constantinum cum Maxentio committens seu comparans, inter alia hæc scribit. *Illum spoliatorum Templorum, trucidati Senatus, plebis Romanæ fame enectæ piacula* (sequebantur) *Te abolitarum calumniarum, Te PROHIBITARVM DELATIONVM, te conseruatio atque homicidarii sanguinis gratulatio:* Vbi Liuineius periodum sic inuertit: *te prohibitarum delationum & homicidarii sanguinis gratulatio, te conseruatio.* Et sic tres iam Constantini M. constitutiones tenemus, quas is partim ante Maxentium deuictum, partim statim vt is deuictus fuit, aduersus delatores sanciuit. Et sic per initia Imperii sui, ac nominatim per Italiam & ante & post Maxentium Tyrannum deuictum: quo more alii quoque Impp. imperii sui initio odium in Delatores professi, veluti Maiorianus *Nouella 3.* Et post deuictos Tyrannos, vt Valentinianus III. post Ioannem Tyrannum cæsum, *l. 33. infr. hoc tit.* In commune tandem Victor quoque inter cætera Constantini Elogia eum *calumnias sedasse seuerissimis legibus.* Eodemque pertinet Nazarii locus, quem adfero ad *l. prox. 2.* P. 431.

Et certis tamen casibus idem Constantinus delatores & exciuit, & præmio dignos iudicauit, vt in sp. *l. 1. in fin. supr. de maleficis: & l. 4. supr. de accus.* ad quæ vid. quæ dicimus.

In DELATORES *pœnæ a Constantino M. sancitæ.*

II. (a) Idem A. ad Populum. (b)

CONPRIMATVR vnum maximum humanæ vitæ malum, delatorum exsecranda pernicies, & inter primos conatus in ipsis faucibus strangulетur, & amputata radicitus inuidiæ (c) lingua (d) vellatur, ita vt Iudices nec calumniam, nec vocem prorsus deferentis admittant; Sed qui (e) delator exstiterit, capitali sententiæ (f) subiugetur. Dat. & PP. in foro Traiani. (g) Kal. Decemb. Constantino A. V. (h) & Licinio Cæs. Coss. [319.]

INTERPRETATIO. DELATORES (i) *dicuntur, qui aut facultates prodiderint alienas, aut caput impetierint* (k) *alienum. Quicunque delator cuiuslibet rei extiterit, in ipso proditionis initio* (l) *a Iudice loci correptus continuo strangulетur, & ei* (m) *incisa radicitus lingua tollatur, vt si quis proditor futurus est, nec calumnia, nec vox illius audiatur.*

NOTAE.

(a) Abest & hæc lex a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Vrbis Romæ. *IDEM.*

(c) An pro, *inuidia linguæ?* Non, hoc sustinendum: inuidiæ, id est, ad inuidiam vel inuidia lingua prodenda lingua: *ID.* *Inuidiæ* abest a MS. G. *RITTER.*

(d) Hunc vnicum locum e *Cod. Theod.* ex auditu laudat Accursius ad *l. 5. C. Iust. de delatoribus.* *GOTHOFR.*

(e) *Sed si quis*, MS. G. Edit. & quæ in 4. prod. & Cuiacian. prior. *RITTER.*

(f) *Sententia*, MS. W. *ID.*

(g) De hac subscriptione fuse iam ad *l. 3. sup. de bonis vac.* *GOTHOFR.* *In foro Diui Traiani*, MS. W. G. & Edit. Sichard. *RITTER.*

(h) Forte II. vt referatur ad A. D. 312. *GOTHOFR.*

(i) Bona est hæc Interpretatio, de qua iam ad *l. super. 1.* Quæ & inserta Capitularium *lib. 7. c. 126.* & ex parte ibi, *nec calumnia nec vox*, inserta Eleutherii Papæ *Epistolæ cap. 3. pag. 103.* *Tom. I. Concillor. Edit. Hardain.* & Felicis I. *Ep. 1. cap. 6. pag. 200. edit. cit.* & Iulii I. *Ep. 2. cap. 24. pag. 565. edit. cit.* *ID.*

(k) *Impetunt*, MS. G. & Edit. Sichard. *RITTER.*

(l) *Reus* additum hic in Sichard. *IDEM.*

(m) *Ei* abest a MS. W. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc *hoc titulo* Constantini M. constitutio est, seu secundum Edictum aduersus *Delatores.* Secunda quidem θέσει, at forte *superiori* reuera anteferenda: ita quidem, vt hæc illa indicari videatur: mutato tantum Constantini A. *V.* in Constantini A. *II.* Consulatu: errore tralatitio, quo in numerum quinarium *V.* facile binarius *II.* per συνδέσμα transit. Verum nil temere muto. Sane vt illa, ita & hæc Edicti populo Romano propositi pars est: & quidem *propositi* in foro Traiani, quomodo & proposita *lex 31. inf.* & plura alia ibidem proposita *hoc Codice* occurrunt, quæ congessi ad *l. 3. sup. de bonis vacantib.* quæ scil. ad communem populi vtilitatem, vel etiam vt loquuntur *politiam* spectarent. Imo non proposita tantum, verum etiam *Data* Romæ scil. hæc *lex* dicitur, vbi sane fine Anni 312. post deuictum Maxentium Constantinus constitit bimestri ferme, in quod incidit mensis *Decembris*, quo hæc *lex* data & proposita fuit Romæ.

Hac sane *leg.* Constantinus & elogiorum acerbitate, & vocis interclusione, & pœnarum atrocitate cum maxime delatores insequitur: Delatores inquam, non bonorum, sed personarum & reorum t nam de his *hanc leg.* accipio. 1. Elogiorum, inquam, acerbitate, cum delatores *vnum maximum humanæ vitæ malum vocat*, item *delatorum execrandam perniciem*; rursum, linguam eorum *inuidiæ linguam*: quibus accedunt illa quæ occurrunt *l. 3. 4. 10. 24. inf.* de quibus in *Paratitlo*, item quæ occurrunt *l. 4. C. eod.* & apud Firmicum Matern. *lib. 3. cap. 13. & 4. cap. 7.* Synesius quoque *in Epistolis* eos κοινὰς ἀλάστορας τῆς χώρας vocat. 2. Vocis interclusione: scilicet inter ipsos conatus perniciem delatorum in ipsis faucibus strangulari iubet, quomodo mox subiicit, nec vocem nec calumniam prorsus deferentis admitti. Error enim est Interpretis, & ex eo *Capitularium lib. 7. c. 126.* qui delatorem strangulandum hic interpretantur, cum Metaphorica sit hæc locutio: qua ipsa formula Ambrosius *ep. 64.* dixit *strangulari libertatem calumniantium.* Sic Valerius *lib. 5. c. 3. pestifera Tib. Gracchi manu faucibus apprehensam Rempubl. strangulari passus non est:* Ita Saluianus *de Gubernat. lib. 4. cap. 6.* dixit *Rempubl. tributorum vinculis strangulatam.* 3. Pœnarum acerbitas *hac l.* duplex. 1. Quod delatoribus capitale supplicium minetur Constantinus M. pariter vt *l. 1. sup.* Item, quod amputatam radicitus inuidiæ linguam velli iubeat, id est linguam delatori radicitus incidi, velli iubet, vt Interpretatio subdita habet: Quomodo & Capitularium *lib. 7. c. 277.* Sancitum delatori aut lingua capuletur, aut conuicto caput amputetur. Bonus quoque Accursius hunc e Codice Theodosiano locum vnicum, & adhuc ex auditu, refert: quod Cuiacius quoque notauit: verum non ex integro *Codice Theodosiano*, sed decurtato isto Gothorum manu, cum interpretationibus, qui *Codicis Theodosiani* nomine tum circumferebatur: e quo mutuati illius æui passim Scriptores Epistolarum Pontificalium, item Capitularium Auctor, Iuo Carnotensis: Alii, sic quidem vt meras Anianeas Interpretationes *Codicis Theodosiani* seu legum Theodosianarum nomine laudare soleant: quod recte obseruauit Iuretus in *Iuonis epistolam 212.* De quo in *Prolegomenis Theodosianis* plenius. Cæterum & hæc *lex* Constantini M. de earum Constantini constitutionum numero est: de quibus Nazarius *c. vlt. Nouæ leges regendis moribus & frangendis vitiis constitutæ: veterum calumniosæ ambages recisæ, captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt.* Eam vero *proxima l.* ab ipsomet Constantino abrogatam, quod tradit Menochius *2. de arbitr. cap. 198. n. 14.* falsum est. Illud sane & ex *hac l.* & aliis nonnullis discimus, Constantinum pœnas acerbissimas legibus indixisse, si quisquam Principum, vt a malo videl. subditos auerteret, & vitia frangeret: de quo iam *alibi.* P. 433

III. (a) Idem A. ad Prouinciales.

OMNES Iudices inuigilare præcipimus, & delatores (b) pœnis adficere: apertissimi enim iuris est, vt quod ex cuiuscunque (c) patrimonio ceciderit in casum, (d) & legibus, & recto (e) iuris ordine, fisci Aduocatis agentibus, vindicetur. Sed quia nonnulli præcipites (f) secundum ius possessa patrimonia deferre non cessant, damus omnibus (g) qui se læsos existimant, contra delatores seueritatem Iudicum inplorare, ferro destrictam: *Nemo* enim (h) *potest delatorem plus agnoscere, quam ille qui iniuriam per eius nequitiam sustinuit.* Dat. II. (i) Kal. April. Constantinop. Constantio, & Albino Coss.

INTERPRETATIO. *Custodimus iustitiam nomen persequimur delatorum, ita vt cum agniti & conuicti fuerint delatores, gladio puniantur.*

NOTÆ.

(a) *L. 5. seu penult. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) *Sine fisci aduocato denunciantes*, additum Cod. I. RITTER.

(c) *Cuiusque*, Cod. I. ID.

(d) *In casum cadere*, id est fisco committi: vid. quæ scribo ad *leg. Pap. p. 41.* In cadere in commissum dicitur. Strabo *lib. 17.* πίπτειν ἐς Καίσαρα dixit. GOTHOFR.

(e) *Retro*, MSS. W. G. & Sichard. RITTER.

(f) *Præcipites*, id est affectibus, in transuersum acti. Male enim Cuiacius hic interpretatur, *sine Aduocato Fisci.* GOTHOFR.

(g) *Licentiam*, addit *C. Iust.* ID.

(h) Sequens ratio recisa a *Cod. Iust.* Inserta ex parte *epistolæ* Eleutherii *cap. 3. pag. 103. Tom. I. Concil. Ed. Hard.* IDEM.

(i) *X. Kal.* MSS. W. G. & Sichard. *XI.* Kal. Cuiac. prior. & illa in 4. & vlt. Cuiac. RITTER.

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc Constantini M. hoc titulo in Delatores constitutio est, seu Tertium Edictum: duo superiora ad populum Vrbis Romæ: istud vero ad *Prouinciales*, id est ad omnes prouincias emissum, & ad earum prouinciarum Iudices seu Rectores. In *Delatores* inquam, qui præcipites secundum ius possessa patrimonia deferebant, id est qui iustos possessores delationibus suis inquietabant. Nam de hoc delatorum genere est hoc Constantini M. Edictum, puta de delatoribus *rerum:* Superiora vero (quæ secunda inter hanc constitutionem & illas differentia notanda venit) ad delatores *reorum* pertinent.

Hoc igitur Edicto Constantinus, Iudices delatoribus aures præbere vetat, imo pœnis eos adfici iubet: præstituta forma, qua bona fisco delata vindicari possint: Nempe non per delationes id faciendum, verum & legibus recto iuris ordine, puta Aduocatis fisci agentibus. Cui postremo simile est, quod statutum postea a Theodosio Iun. *l. vlt. sup. de bonis vacant.* puta vt Proconsul Achaiæ præsente Aduocato fisci diligenter inquirat, cuius vacans caducumque patrimonium, quantumque vel quale videatur; de quo plura *inf. tit. de Aduocato fisci.* Ergo si quando delatorem quem adgnoscat Iudex, eum statim pœnis adficere (nullo querente scilicet) iubet Constantinus. At si delatorem non agnoscat ipse Iudex, saltem querelis læsorum seu turbatorum euigilare eum iubet, ferroque, id est gladii pœna delatores afficere. Ratione huic postremo subdita (quam Tribonianus a *Cod. Iustin.* resecauit) cuius hæc sententia est: Nempe, quod Iudices sæpe delatores non noscant; at ipsi læsi, qui iniuriam per eorum nequitiam sustinuerunt, id est quorum possessio turbata fuit, longe facilius eos agnoscere possint. Facilius læsus quam Iudex delatorem suum noscere potest, qui occultas sæpe delationes (vt docet (*lex prox. 4.* agitat: quæ plerumque tam occultæ esse non possunt, quin læsus delatorem peruestigare possit: æmulos vtique suos, atque inimicos ferme agnoscens, qui patrimonia deferre non cessant secundum ius maxime possessa, æmulatione vel inimicitia aut cupiditate præcipites (nam ita vox *præcipites* interpretanda est) Ita *præcipitans* auaritia *l. vn. inf. ne Conlat. translatio postuletur.*

P. 433. *In* DELATORES *Constantii & Constantis lex.*

IV. (a) Imp. CONSTANTIVS A. Celsino PF. P. (b)

INNOCENTIAM securitate (c) firmantes, & quorundam audaciam prohibentes, Edictum † promulgauimus, *Ne quid occultis delationibus possit in hominum licere fortunas.* Dat. prid. Id. Iun. Viminaci, (d) Vrso & Polemio Coss. [338]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) *Celsino* huic inscribitur Anno prox. 339. *lex 27. inf. de decurion.* sub hac subscriptione, *Haue Celsine K. N. B.* (in qua *leg.* mentio fit Carthaginis & Africæ) item Anno 331. *lex 6. sup. de donationib.* omissa pariter dignitatis appellatione. ID.

(c) Ita quoque *l. 19. inf.* ID.

† Edictum Constantii & Constantis Impp. in delatores. Hieronymus ad *Pammachium* de optimo genere interpr. *pag. 245. Tom. II. Operi edit. Francf. apud Christ. Gensch. &c. Si ante tribunalia Iudicum hoc vobis crimen impingerem, reos legibus subiugarem: quæ etiam pro vtilitatibus fisci noxiis delatoribus pœnas statuunt & cum suscipiant proditionem, damnant proditorem.* ID.

(d) *Viminaci* in Mœsia inferiore Constantius & Constans his Coss. constitere mense Iunio. Hinc adeo ibi data hæc: *lex* ad Celsinum PP. Italiæ & Africæ, vbi etiam Athanasius prima vice cum Constantio congressum sese scribit *Apol. ad* Constantium. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

Constantini & Constantis (qui hoc tempore An. 338. eodem loci consistebant, & conregnabant) quinque constitutiones ordine sequuntur, e quibus tres puta 4. 7. & 8. in Delatores scriptæ sunt: duæ vero ad donationes a Principe factas, puta 5. & 6. Illæ pro possessorum innocentia & securitate, vt loquitur hæc ipsa *lex 4.* Istæ pro donationum a Principe factarum firmitate. Duobus scil. his machinis possessorum securitas, hac quoque Constantii & Constantis Imp. tempestate subinde labefactata: nempe lacessitis partim propriis possessorum patrimoniis, quasi vacantibus aut caducis: partim vero nuper quæsitis, per donationes Principum. Igitur Constantio & Constantii Impp. Delationibus occurrere visum *hac lege:* ac nominatim delationibus occultis; quibus innocentium fortunæ per summam audaciam hac tempestate percellebantur. Vnde apparet proprie de delationibus reorum (& per consequens tamen rerum) hanc *leg.* accipiendam esse. Quæ coniectura ad alteram nos deducit, videri posse multos hoc tempore, tanquam Constantii patrui Dalmatii Cæsaris, Hannibaliani, Ablauii PP. Optati Patricii, qui Constantii Imp. iussu cæsi fuerint, teste Zosimo *lib. 2. cap. 40.* vel saltem a militibus, (quomodo id excusat Iulianus *Orat. 1. pag. 52. edition. Petauii.*) partium deleti, quorum tamen plerique innocentes erant: Occultæ autem delationes sunt; quibus delatores non palam, sed clam potentiores apud Principem, & quiduis mox impetrantes, instruebant: Igitur his occultis delationibus occurrisse, aiunt, Edicto quodam suo Constantius & Constans: proculdubio, coactis petitoribus; delatores suos edere: de quo *l. 8. 9. 12. 13. 18. 20. 22. 30. inf.*

Et quoniam Constantii constitutiones ingredimur de delatoribus & petitionib. iuuat hic adnotare iudicium Ammiani Marcellini *lib. 16. cap. 8.* de Constantii temporibus, in Gestis Anni 356. *Inflabant itidem hac malorum ciuium buccinas potentes in Regia, ea re vt* Damnatorum Petita Bona *suis accorporarent, essetque materia per vicissitates eorum late grassandi. Namque vt documenta liquida prodiderunt, proximorum fauces aperuit primus omnium Constantinus. Sed eos medullis prouinciarum saginauit Constantius. Sub hoc enim Ordinum singulorum autores infinita cupidine diuitiarum arserunt, sine iustitiæ distinctione, vel recti. Inter Ordinarios Iudices Rufinus primus Præfectus Prætorio: & inter Militares Equitum magister Arbetio, Præpositusque cubiculi Eusebius, & Vrsicinus Equestris Ordinis Præfectus; Quæstor & in Vrbe Anitius, quorum ad auorum æmulationem posteritas tendens, satiari nunquam potuit cum possessione multo maiore.* Et idem Ammianus sub *finem libri 21.* *Augebat*, inquit, *amaritudinem temporum flagitatorum rapacitas inexpleta, plus odiorum ei, quam pecuniæ conferentium.* Zosimus quoque in gestis A. D. 354. similia bis notat *sub finem lib. 2.* Quod quidem Ammiani Marcellini & Zosimi iudicium incidit in eos annos Constantii posteriores, quibus nulla amplius eius *lex* aduersus delatores occurrit: vt postea mores in deterius mutasse, ex collatione harum Constantii constitutionum in delatores, & testimoniorum duorum superiorum colligatur.

Quis Potior *e duobus donatariis.*

P. 434 V. (a) Idem A. Callepio Rationali trium Prouinciarum. (b)

Donatarum rerum dominium his tradatur, quos anteriores tempus Imperialis donationis ostenderit. Dat. IV. Non. Feb. Naisso, Acyndino & Proculo Coss. [340.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iustin.* ID.

(b) Id est, *Siciliæ, Sardiniæ, Corsicæ:* vt docet *Notitia Imper. Occidentalis*, sub *dispositione Comitis S. L.* vid. & *l. 2. inf. de Susceptoribus: l. 1. sup. de communi diuid.* ID.

COMMENTARIVS.

De Donatione ab Imperatore facta est hæc Constantii, vt & sequens Constitutio: Et hac quidem quæritur, duobus eadem re a Principe donata, vter præferendus sit? aliquando scil. euenit, vt pluribus eadem res a Principe donetur, siue per immemoriam, siue per ambitum & importunitatem petitorum: Et definitur, illi dominium rerum donatarum tradendum, quem anteriorem, tempus Imperialis donationis ostenderit: denique priorem tempore, potiorem quoque hic iure esse, quod aliquatenus incidit in *tractatum* famosæ *l. 15. Cod. I. de rei vendicat. l. penult. 4. C. Gregor. eod. tit. Paul. 5. sent. 11. §. 4.* de quo etiam nonnulla Louetius, eiusque Interpres *Lit. V. art. 1.* & Anton. Faber, *Decade 86.* In quo argumento multæ quæstiones occurrunt. Hæc sane *lex* proprie est de re duobus a Principe diuersis temporibus donata, nequedum alterutri tradita: hæc, inquam, duo in hac specie occurrunt. 1. Quod duæ *diuersis temporibus donationes factæ* eiusdem rei proponuntur, vt sæpe Principes petentium auiditate strangulabantur, iam factæ donationis quoque immemores. 2. Quod nondum cuiquam res tradita fuerit. Igitur in hac specie priori tempore donatario, dominium rei tradendum definit *h. l.* Constantius. Scilicet data semel fides a Principe, factaque semel donatio, in perpetuum irreuocabilis est: quacumque dignitate, quocumque merito posterior donatarius censeatur, quamlibet speciali adnotatione donationem is meruerit, priori tempore cedat necesse est. Dispar quadamtenus ratio est in munere Aduocati fisci pluribus collato: Constantinus quippe non priorem, sed meliorem, innocentia potiorem, literis pollentiorem, præferri voluit *l. 2. infr. de Aduocato fisci.* Alia proinde hac parte rerum, & officiorum seu munerum ratio. Quæ omnia pertinent & vtiliter tradi possunt, ad illustrationem & explicationem Regulæ, *Qui prior tempore, potior iure.*

DONATIONES *ex priuatis rebus a Constantino factae a Constantio confirmantur.*

VI. (a) Idem A. (b) ad Eusebium (c) Com. R. P.

DONATIONES a diuino (d) Genitore Nostro ex priuatis rebus factas valere praecipimus. Dat. VIII. Id. April. Sabariae, (e) Constantio A. III. (f) & Constante iterum Coss. [342.]

NOTAE.

(a) Abest & haec *lex a Cod. Iustin.* velut temporaria. *GOTHOFR.*

(b) CONSTANTIVS. *IDEM.*

(c) *Eusebii* huius sub Constantio ex Comite rerum priuatarum (cui cognomen inditum erat *Mattiocope*, vel Metiocoptae, ματιοκόπη, vt Petauius restituit *in notis ad orat. 4. Themistii pag. 523. edit. Harduin.*) meminit Ammianus Marcellinus in A. D. 355. *lib. 15. c. 5.* Non alius ab hoc Eusebius, de quo Sozomenus, *lib. 3. c. 1.* προεστήκει, inquit, δὲ τότε τῆς βασιλικῆς οἰκίας Εὐσέβιος: quae verba *Comitem rerum priuatarum* designant (quod tamen Interpres non cepit) Et ex Sozomeno Cassiodorus *Tripartitae lib. 6. c. 1.* Qui etiam eum Arianum fuisse ostendunt. Meminit & Palladius *in Lausiaca pag. 158. ID.*

(d) *Diuo*, Ed. prior Cuiac. & illa in Quart. *RITTER.*

(e) *Sabariae* in Pannonia hoc tempore constitit Constantius: v. *Chronolog. GOTHOFR.*

(f) Malim referre ad An. D. 352. vel, quod minus puto ad A. D. 357. *Constantio A. VI. & Constante iterum Coss. ID.*

COMMENTARIVS.

DONATIONES a Constantino M. patre suo, ex rebus priuatis factas valere praecipit, atque adeo labefactari vetat *h. l.* Constantius Imp. filius eius. De Constantino M. μεγαλοδώρῳ, deque Donationibus ab eo factis, iam dixi ad *l. 2. de iure fisci*, & *ad l. 1. 2. 3. supr. de bonis vacantib.* Eas vero subinde labefactare nonnulli conati, tum ipsomet Constantino superstite: vnde variae eiusdem constitutiones extant, quibus donationes huiusmodi perpetua firmitate donat, veluti *d. l. 2. de iure fisci*: & *d. l. 3. supr. de bonis vacantib.* Tum mortuo eo; quare iam filius eius Constantius eas *hac leg.* ratas esse iubet. Liberalitatis scil. effusae Princeps Constantinus M. (in Ecclesias praesertim) varias & immensas donationes contulerat, & quidem ex rebus priuatis (etiam quae ex iure Templorum manauerant) quas nonnulli petitores Aulici, Spadones ad rem priuatam reuocatas volebant, & vero est vbi reuocabant: sic vt res priuata Euripi instar, suas res rursum resorberet. Quo etiam pertinet Libanii locus, in *βασιλικῷ ad Constantium & Constantem, p. 146. in edit. Morell.* quam orationem habuit septennio post *hanc l.* vbi superiora tempora comparans, cum Constantinianis temporibus, de illis ait, τὰς δόσεις αἱ δημεύσεις κατελάμβανον: ἐῴκει δὴ τὸ γιγνόμενον Εὐρίπου στροφαῖς, εἰς γὰρ τὸν δεδωκότας τὸ δῶρον ἐπανήρχετο, *subhastationes dona corripuerunt. Quare quod fiebat, Euripi conuersionibus simile erat, etenim munus ad eum qui dederat* reuertebatur, de his vero, νῦν δὲ πολὺς μὲν ἐκ βασιλέως πλοῦτος εἰς τοὺς ὑπηκόους μεταρρεῖ, πανταχοῦ δὲ τὸ βέβαιον τῇ φιλοτιμίᾳ συνέζευκται: καὶ τοῖς λαμβάνουσιν οὐ μείζων ἡδονὴ τοῦ λαβεῖν, ἢ τοῦ μετ᾽ ἀσφαλείας ἔχειν, *nunc autem multa regum opulentia ad subditos confluit, & vbique stabilitas munificentiae coniuncta est; & accipientibus non minor in accipiendo voluptas est, quam in possidendo cum securitate.* Sed & Iulianus, *Oratione 1. ad Constantium, p. 44. edit. Lips. Spanhem.* pariter cum superioribus Impp. Constantium committens, ait eum superiores Impp. vicisse & donorum magnitudine, & eorum quae donata semel erant firmitate: εἰ τῷ μεγέθει μὲν τὰς περὶ τῶν βασιλέων δωρεὰς ὑπερβαλλόμενος: τῇ βεβαιότητι δὲ τῶν ἅπαξ δοθέντων τὰς παρὰ τῶν δήμων χάριτας ἀποκρυπτόμενος. *Adeo vt donorum magnitudine regum munia vinceres; & eorum, quae concessa semel erant, firmitate, data a populis beneficia obscurares.* Haec ita nunc Constantius. At contraria Honorio mens fuit in sp. *l. 15. sup. de iure fisci.* Et *huius* tamen & *superioris l.* occasione omittere non possum quod de Constantio hoc, Amm. Marcellinus scribit *lib. 21. extremo*: *Eratque adimere facilis quae donabat.* Ergo in *hac l.* exemplum habemus, successoris in Imperio decessoris sui donationes ratas esse iubentis, seu confirmantis.

P. 435

DELATORES *rerum, quo ordine admittendi seu audiendi sint.*

VII. (a) Idem A. ad Eustathium (b) Com. R. P.

NVLLI Palatino (c) delatorios libellos de competentibus (d) rei priuatae nostrae rebus accipere liceat, nec delatori ad Comitatum (e) Nostrum, vel Officium Sublimitatis Tuae (f) pateat accessus, priusquam Ordinarius (g) Iudex cognitione suscepta veram esse delatoris assertionem probauerit, atque ad Tuam Sublimitatem retulerit. Dat. Id. Maii. Treu. (h) Amantio & Albino Coss. [345.]

NOTAE.

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) *Eustathii* huius Comitis R. P. sub Constante Imp. meminit Philostorgius, *lib. 3. c. 12.* de quo mox. *ID.*

(c) Officiali Comitis R. P. de quo suo *tit. sup. de Palatinis S. L. & R. P. ID.*

(d) Tanquam vacantibus aut caducis. *ID.*

(e) *Comitatus* Principis, v. *Gloss. ID.*

(f) Comitis rerum priuatarum. *ID.*

(g) *Ordinarius* Iudex, id est, Rector prouinciæ: vid. *Gloss. ID.*

(h) Hinc colligitur, vt & ex Eustathii C. R. P. nomine, cui hæc *lex* inscribitur, hanc *leg.* tribuendam *Constanti* Imp. de quo mox. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

ORDO Delationum seu deferendorum bonorum, & exinde fisco vindicandorum, *hac l.* præstituitur a Constante Imp. aduersus præcipites hinc delatorum conatus, inde Palatinorum executiones, pro possessorum securitate. Igitur & delatorios libellos a Palatinis recipi vetat, & delatori ad Comitatum Principis, vel ad Comitem R. P. aditum seu accessum denegat, priusquam Iudex ordinarius seu Rector Prouinciæ cognitione suscepta veram esse delatoris adsertionem probauerit: & exinde ad Comitem R. P. retulerit. Ordo igitur hic notandus in Delationib. Primo, delator Rectorem prouinciæ adire debet. 2. Mox Rector prouinciæ cognoscere debet, vtrumne vera sit eius delatio, necne. 3. Tum Iudicem de eo ad Comitem R. P. referre oportet. 4. Tum demum Palatinis libelli delatorii dari possunt, & delatori ad Comitatum Principis, vel ad Comitem R. P. accessus patet. Qua parte idem ferme statuitur, quod cum res petentibus a Principe donarentur, de quo ad *l. prox.* sic nonnisi elimatæ ad Principem delationes delatæ, quomodo & prouincialium desideria elimata ad eum perferri iussa *l. 8. inf. de Legatis.*

Notanda porro *huius l.* Inscriptio; vbi *Eustathio* Comiti R. P. hæc *lex* inscribitur. Meminit eius Philostorgius, *lib. 3. c. 12.* quem ait apud Constantem Imp. πιθανώτατον fuisse: Εὐστάθιον, inquit, ὃς Κόμης ἦν τῶ τῶν λεγομένων πριβάτων, καὶ τῷ βασιλεῖ πιθανώτατ☉. *Eustathium Comitem rerum priuatarum, qui auctoritate plurimum valebat apud Principem.* Ibidemque falso scribit, Athanasium, Eustathio hoc muneribus subacto, minaces a Constante ad Constantium pro sui restitutione literas retulisse: de quo, eaque occasione plura *in dissert. ad Philostorgium.* Ex his interim discimus, *hanc l.* Constanti Imp. adscribendam: Quod etiam discimus ex subscriptione; *Dat.* TREVERIS: quæ Constanti parebat, & vbi Constans hoc tempore hærebat.

P. 336 *De* DELATORIBVS, *post petitionem sistendis in Iure, cogendisque probare res ad fiscum pertinere: alioquin puniendis.*

VIII. (a) Idem A. ad Orionem (b) Com. R. P.

QVI largientibus (c) nobis aliquid fuerint consecuti, cum delatoribus suis ad Iudicia (d) veniant, in iure consistant, negotia persequantur, vt adseueratio (e) delatorum prodat fisco debitas facultates: In eos autem, qui aliquorum detulerint patrimonia, adfirmantes ad fisci nostri dominium pertinere, si non potuerint ostendere (f) quod adstruxerant, seueritas competens exeratur. Consequens igitur erit, petitiones (g) Legibus minime consentaneas a Iudiciis remoueri, nec eos adfici metu qui Legibus (h) possident proprias facultates. Dat. III. Non. Mart. Sirmio, Constantio A. VI. (i) & Constante Cæs. Coss. [352.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Orion* Comes R. P. sub Constantio Imp. Eidem inscribitur A. 348. *lex 2. inf. si petit. socius*: dignitate tamen omissa, ita tantum, *Orioni V. C.* etsi ex *legis* nihilominus argumento coniectura satis duci possit, de dignitate hac Comitis R. P. Nam & ea ipsa, vt hæc, est de *petitionibus. ID.*

(c) Eadem verba occurrunt *d. l. 2.* quæ eidem Orioni inscripta est. *ID.*

(d) Id est, ad Iudices seu Rectores prouinciarum. *ID.*

(e) Adsertio, *l. 7. prox. sup. ID.*

(f) *Ostendere*, est probare. v. *Gloss. Theod. ID.*

(g) Ac per consequens, *donationes. ID.*

(h) Id est secundum leges, iusteque. *ID.*

(i) Rescribendum *Constantio A. V.* quo sane Anno Constantius Sirmii, (vbi *hæc* data) constitit: vt docet *lex 5. C. Iust. qui test. fac. poss. lex 1. sup. de sponsalib. l. 6. sup. de veteranis*: non vero Constantio A. VI. Vid. *Chron. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

VLtima hæc *hoc titulo* Constantii Constitutio est, pro possessorum securitate aduersus DELATIONES iniustas bonorum, ac proinde & PETITIONES donationesque. Nempe Tria eam in rem *hac l.* constituit Constantius. I. Vt qui quid a Principe impetrauit tanquam fisco debitum, id est, vacans aut caducum, antequam effectu potiatur, Delatorem suum coram Iudice sistat, vt ita reuera constare possit, num ad fiscum res spectet; nec ante possessor inquietetur: Quæ & ipsa Delatoris publicandi, vel iudicio sistendi necessitas *nouem* insuper *huius tituli*, & *duabus* aliis præterea *constitutionibus* comprobatur & sancitur: a Constante *l. 7. prox. sup.* a Constantio *h. l.* a Valentiniano Sen. *l. 9. prox. l. 2. infr. si vagum pet. mancip.* a Theodosio M. a Valentiniano Iun. *l. vn. infr. de petit. & desistentib. l. 12.* (quæ omnium elegantissima est) *13. 18. 20. infr. h. tit.* ab Honorio *l. 22. 28.* Valentiniano Tertio, *l. 30. infr.* vt proinde duodecim hac de re in vniuersum Constitutiones *hoc Codice* occurrant: quibus addenda & Theodosii Iun. *Nouella de Competitionib. 44.* Obtinuisse hoc ipsum sub Valentiniano Iun. præter *d. l. vn.* testis est Symmachus *lib. 10. ep. 55.* qui anteriora super eo *sacra scita* allegat: *Statuerat*, inquit, *receptus in cælum Germanus Numinis vestri* (i. Gratianus) *cum Martianus dudum Protector Aggariæ bona tanquam vacantia postulasset, vt si ea hæreditas scriptum successorem vel legitimum non haberet, in ius fisci tanquam Domino nuda concederet: & tunc insinuato per Rationalem patrimonii modo, operiretur petitor, quid ei sacra deferret humanitas.* Et mox: *Cum apud virum Perfectissimum Rationalem Bassianum: primo Delator bonorum, secundum* SACRA SCITA *peteretur, nouo ausu calcata præscriptio est*, &c. Et hæc quidem inter alias notanda est Præscriptio Delatoris non exhibiti. Hæc vero delatoris iudicio sistendi necessitas inducta, vt ab vna parte per eum liquido constare posset, de fide & modo patrimonii ceu vacantis delati: ab altera, vt (quod secundum *huius leg.* caput est) vt falso deferentes plectantur: De quorum pœna agitur rursum *l. 10. 12.* (quæ omnium elegantissima est) *30. 32. h. t.* Ergo hac constituitur, vt petitiones atque adeo donationes a Principibus factæ bonorum ceu vacantium, quæ tamen non sunt, in eodem iudicio remoueri, vt ita nullo incommodo, nullo metu iusti possessores afficiantur. Atque adeo pronunciarunt Iudices, Rescripta huiusmodi ceu viribus cassa, quibusque nihil deferri oporteat.

Illud obseruandum, superioris anni fine Magnentium Tyrannum a Constantio profligatum: vt forte *hac lex* referenda videatur ad Magnentiacam proscriptionem.

P. 437

De DELATORIBVS *sistendis in iure a petitorib.*

IX. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Prouinciales Byzacenos. Post alia.

DE Munificentia Principali quælibet bona tanquam Caduca poscentes, non aliter adipiscantur petitionis effectum, nisi Delatores valuerint publicare. Dat. Prid. Id. (b) Septembr. Aquil. Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem ei, *lex 60. infr. de Decurion.* Et forte etiam *lex 59. eod. tit.* & *lex 17. infr. de Episcopis*: & *lex 3. de conlat. fund. patrim.* Quod postremum non temere adsero. GOTHOFR.

(b) Ita quoque *d. l. 60.* At *Id. Septembr. d. l. 3. IV. Id. Sept. d. l. 59.* & *17.* ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. duæ constitutiones sequuntur *in Delatores*, & quidem vtraque per Africam, proculdubio hac tempestate a delatoribus maxime infestatam. Et hac quidem priore PVBLICANDI delatoris, i. in iudicio sistendi necessitatem iniungit ei, qui quid a Principe ceu caducum impetrauit, antequam petitionis effectum nanciscatur. Quod ipsum cauetur præterea nouem *aliis huius tituli* constitutionibus, & duabus aliis, & sic vniuersum duodecim constitutionibus *huius Codicis*, de quo *ad l. 8. prox. sup.* Vbi & Symmachi locum in id protuli. *Publicare* est in iure sistere. Apud Iudicem inducere, *l. 13. infr.*

Istud obseruandum, *hanc leg.* partem esse prolixioris Valentinianæ constitutionis ad prouinciales Byzacenos, emissæ: e qua extat quoque *lex 60. infr. de Decurionibus*, huic proinde coassanda: forte etiam *l. 59. eod. tit.* & *l. 17. infr. de Episcopis*: & *l. 3. de conlat. fund. patrim.* (e quibus *d. l. 60.* versatur quoque in eodem argumento de sistendo aliquo sacerdotibus: quippe *ea l.* & Curialibus id priuilegii datur, vt ne iubeantur sui præsentiam exhibere vltra terminos propriæ ciuitatis) vt contra petitores bonorum delatores *publicare*, i. sistere, *h. l.* iubentur. Et vniuersum æstimanti mihi, easque *leges* inter se componenti, apparet, ea constitutione Valentinianum Byzacenorum ea tempestate variis rationibus afflictorum securitati & leuamento consultum iuisse; siue aduersus nimietatem quorundam Christianæ Religionis obtentu; quo pertinet *d. l. 59. 60. infr. de decurionib.* & *l. 17. infr. de Episcopis*: siue fasce tributorum, quo spectat *l. 3. de conlat. fund. patrim.* siue petitorum calumniis & auiditate, quo referenda est *hac lex*.

DELATORES *gladio afficiendos.*

X. (a) Idem AA. ad Prouinciales Afros.

IN tantum humani generis inimicos (b) arbitra æquitate persequimur, vt delatores pronuntiatos (c) puniri gladio iusserimus. Dat. Prid. Non. Feb. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

Hæc lex Interpretatione non indiget.

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Dixi ad *leg. 2. sup.* IDEM.

(c) *Prouinciales*, hic legit Sichard. RITTER.

COMMENTARIVS.

ALTERA hæc *hoc titulo* Valentiniani Sen. constitutio est, & quidem pariter vt *superior*, ad Africam pertinens, in delatores: qua, tum elogii acerbitate, (de qua iam ad *l. 2. sup.*) tum pœnæ grauitate delatores maxime prosequitur: pœna gladii in eos proposita: in *delatores*, inquam, *pronunciatos*, id est falso detulisse pronunciatos, & calumniatores; ita enim hæc verba accipienda sunt, non de delatore simplici: (neque enim hac tempestate deferre, prohibitum fuit,) verum de pronunciato delatore, id est, falso delatore condemnato. Et vero id ex aliis quoque legibus apparere potest: in quibus pariter in huiusmodi Delatores pœna sancitur: puta *l. 8. sup.* & *l. 12. 30. 32. inf. h. tit.*

Porro, si bene coniicio, referenda videatur hæc *lex* ad Valentinianum & Valentem IV. Coss. A. D. 373. sic vt ad Delatores & calumnias referatur, quæ Firmi Tyranni Romanique occasione exortæ sunt: quarum calumniarum meminit & Amm. Marcellinus, *lib. 29. cap. 5.*

P. 438. INQVISITIONEM *de bonis fisco delatis præcedere debere, antequam a Principe impetrentur.*

XI. (a) Imppp. VALENS, (b) Gratianus, & Valentinianus AAA. Alexandrino (c) Com. R. P.

SVPER vacantibus ac caducis, cum forte largitatem nostram auiditas circuit (d) postulantium, prius Tua (e) scribta mittantur. Certi (f) etiam dirigantur, (g) qui cuncta sollerter inquirant, & cuius fuerint facultates: & si (h) nemo eas sibi iure nititur retentare, ac si (i) locum fisco factum esse claruerit; occupatis prius bonis, & rerum omnium describtione perfecta, Serenitatis Nostræ scientia protinus instruatur, vt quid statuendum sit pro legum ordine terminemus. Dat. III. Id. Dec. Marcianop. Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(c) Inuerso ordine ita rescribendum. *Imppp. Valentinianus* VALENS *& Gratianus.* ID.

(c) *Alexandrinus* Comes R. P. sub Valente. Eidem inscribitur An. 367. *lex 1. inf. de equorum conlat.* & *l.* ii. *sup. de iure fisci*: & *l. 14. inf. de Susceptoribus.* ID.

(d) *Circumeundi* vox hic propria: quomodo & in delatoribus bonorum vacantium & caducorum Zosimus *lib. 5. cap. 24.* καὶ τοὺς περὶ τὴν αὐλὴν εὐνούχους καὶ περιέπον, *& eunuchos palatinos perpetuo stiparet*, v. locum inf. ad *l. 1. & 2. si petition. socius.* IDEM.

(e) Comitis rerum priuatarum. IDEM.

(f) Palatini, seu Officiales Comitis R. P. *l. vlt. de bon. vac.* ID.

(g) A te Comite R. P. ID.

(h) Si nullus contradictor existit. V. mox locum Am. Marcellini. ID.

(i) γε. Sic. IDEM.

COMMENTARIVS.

VALENTIS Imp. hæc constitutio est, aduersus auiditatem petentium vacantia, vel caduca bona, & vt castigatius agerent inquieti, vt Marcellinus loquitur. Qua is ordinem seruandum præscribit, priusquam ea Princeps largiatur. Nempe INQVISITIONEM sollertem contradictore scil. admisso, & descriptione seu Inuentario bonorum facto, præcedere oportere definit: deque eo ad se referri INSTRVCTIONE Comitis R. P. antequam quicquam concedat. Quod ipsum & Theodosius M.

M. constituit, *l. 14. 16. inf. h. tit.* & Theodosius Iun. *l. vlt. sup. de bonis vacantib.* Etsi ex aliis constitutionibus Honorii donatio Principis quidem hæc præcedere potuit, sed tamen non rite effectui tradi, quam post instructionem, secundario præcepto donatio confirmata fuerit, *l. 2. & 3. sup. de incorporat. & d. l. 16. inf.*

Ad hanc vero omnino *legem* pertinet, quod Ammianus Marcellinus, *extremo lib. 31. cap. 14.* de Valente Imp. scribit; *super his omnibus liberalis erat cum moderatione: cuius rei licet abundent exempla, vnum tamen sufficiet poni. Vt sunt in Palatiis nonnulli alienarum rerum* AVIDI, *si qui* CADVCVM, *vel aliud* PETIISSET, *ex vsu, cum magna iustorum iniustorumque distinctione*, CONTRADICTORI *copia seruata*, DONABAT *ei qui* PETIERAT, *tres vel quatuor alios absentes aliquoties impetratorum participes iungens, vt castigatius agerent inquieti, lucra quibus inhiabant hoc minui commento cernentes.* Quo signate loco agitur de auiditate petentium, vt *hac leg.* item de petitione caducorum, pariter vt *hac l.* Rursum, vt *hac l.* solertem inquisitionem, legitimo contradictore admisso (ibi, *etsi nemo eas sibi iure admissa nititur retentare*) requirit Valens: ita & illo loco Ammiani, *cum magna*, inquit, *iustorum distinctione, contradictoris copia seruata:* Sicut & Honorii *l. 27. infr.* ibi, *& contradictionem domini:* & in fin. *quorum contradictor potuerit inueniri.* Theodosii *l. vlt. sup. de bonis vac. data reclamandi copia.* Quibus iam patet, *hanc l.* illi Amm. Marcellini loco aptari proprie oportere. Valentis Constitutioni congruit omnino & Gratiani Rescriptum, de quo Symmachus *lib. 10. ep. 55.* ad Valentinianum Iun. *Statuerat receptus in cœlum Germanus Numinis vestri*, [id est Gratianus] *cum Martianus dudum Protector, Aggariæ bona tanquam* VACANTIA *postulasset: vt si ea hæreditas scriptum successorem vel legitimum non haberet, in ius fisci tanquam domino nuda concederet, & tunc insinuato per Rationalem patrimonii modo operiretur petitor, quod ei sacra deferret humanitas.* Qui locus omnino congruit cum *hac leg.* & quidem etiam vltima eius verba, cum his *huiusce l.* verbis, *vt quod statuendum sit pro legum ordine terminemus.* Nempe Valens post illa omnia prius peracta, statuturum se ait, & terminaturum, quid statuendum sit pro legum ordine; id est, quid, quantum petitori datum velit? Illa igitur in hoc petitionis & impetrationis argumento taxatio perpetua, *Si bona nulli iure ac legibus sunt relicta*, vt Symmachus quoque indicat, *lib. 9. ep. 117.*

p. 439

XII. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Pancratio (b) Com. R. P.

QVI, (c) cum ex præsenti die vt caducas poposcerit facultates, ex consensu nostræ liberalitatis acceperit, non ante allegare Rescribtum, (d) non prius obtinere sententiam, non denique effectum exsecutionis debebit accipere, quam eum Iudiciis introducat, a quo sibi id, quod poposcerit, delatum adserit esse patrimonium. Quod quidem non solum in generali iubemus bonorum petitione seruari, verum etiam si carptim (e) fundos, vel vacantia rura, aliqua (f) denique prædia, vel rustica, vel vrbana poscentur, aliqua etiam huiusmodi quæ viritim (g) solent obtentu liberalitatis inuadi: vt si caussam non tenuerit, (h) cautum Legibus supplicium delator excipiat. Neque sane introduci eum (i) satis erit eo tempore, quo Rescribtum allegatur ac liberalitas intimatur, verum dirigendus is erit ad eam prouinciam prouinciasue, in quibus patrimonia delata consistunt, vt eius instruat actiones, qui nostra liberalitate nitetur, & cuius se honestati (k) per blandum ministerium iniustæ delationis immersit: vt scilicet maiore omnium plausu detecta ibi calumnia, eius supplicio publicæ seueritati litetur, vbi (l) securi ac tuti domini trepidauere fortunæ. Illud etiam ad professionem Odii quo vniuersas delationes exsecramur, adiungimus, Vt si idem delator etiam in bonis caussis tertio tamen fuerit inuentus, post victoriam tertiæ proditionis capitali supplicio coherceatur. Dat. III. Kal. (m) Feb. Thessal. Grat. V. & Theod. I. AA. Coss. [380]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iustin.* Concordat *huic l.* proxima *lex*: imo ei, vt videtur, coniungenda. GOTHOFR.

(b) *Pancratius* Comes R. P. sub Theodosio. Eidem inscribitur Anno superiore 379. *lex 12. supr. de iure fisci*: & hoc ipso Anno *lex 2. supr. de Palatinis lex 14. infr. h. t. & l. 3. infr. de locat. fund.* ID.

(c) *Quicumque ex &c.* & mox, *consensu.* Quomodo ferme & *l. 27. infra*, quæ hoc *huius leg.* initium proxime imitatur. IDEM.

(d) Rescriptum qui impetrauerat, id allegare iudiciis tenebatur: vid. *supr. tit. de editione rescripti.* In *huius* vero *leg. specie*, Iudicium Comitis R. P. indicatur, vt docet *d. l. prox.* ID.

(e) *Carptim*, *hac leg. & l. prox.* ID.

(f) *Alia*, Edit. quæ in 4. prod. RITTER.

(g) *Viritim.* GOTHOFREDVS.

(h) *Caussam tenere*, est vincere *hic*, & apud Suetonium. ID.

(i) Apud Comitem Rerum priuatarum; vt docet *lex prox.* ID.

(k) *Honestas* est dignitas, existimatio, v. *Ciceronem.* An forte etiam φιλανθρωπία? Prius illud verum: id enim vult blandum ministerium delatoris. IDEM.

M (l) Est

(l) Est qui tentat, *non securi*, male: *Securus* est, qui in securitate viuit. *ID.*
(m) Prid. *Kal.* Sept. *d. l. 13. prox.* IDEM.

XIII. (a) Idem AA. (b) Edictum ad Prouinciales.

DELATORES ab ipsis qui bona a (c) nobis delata vel (d) carptim suscipiunt, fundos, (e) vel vacantia rura, tam rustica quam vrbana, cum Rescribtum allegatur, primum apud Virum Clarissimum Com. (f) inducantur; deinde, ad prouinciam prouinciasue ducantur, vt, præsentibus ibidem probationibus, quæ detulerant indicarent. (g) Illud etiam odio eorum ducti decernendum esse censuimus, vt & si vera in delationem negotia detulissent, post victoriam tertiæ delationis delator capite plecteretur. Dat. prid. (h) Kal. Sept. Thessal. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* Eique concordat *lex superior* 12. imo, vt videtur, eidem iungenda, de quo mox. GOTHOFREDVS.

(b) *vg. Idem AAA.* IDEM.

(c) Hanc voculam, *a*, habent omnes Editiones, vltima Parisiensi excepta: a qua perperam recisa: vox enim *delata* (quod Parisienses non attenderunt) hic concessionem Principis, non delatorem delatoris significat. *ID.*

(d) Id est, *etiam carptim*, non tantum generali bonorum petitione, vt *l. 12. supr. h. tit.* *ID.*

(e) Fundos scil. IDEM.

(f) Comitem rei priuatæ, v. *d. l. 12. supr.* *ID.*

(g) *Indicent*, designent, demonstrent, comprobent. *ID.*

(h) III. Kal. Feb. *l. prox. supr.* Alterutro loco vt videtur error admissus. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 440 THEODOSII M. constitutiones nouem ordine sequuntur, partim aduersus *Delatores*, quo pertinent sex ex his: puta hæ duæ *leges* 12. 13. & *lex* 17. 18. 19. & 20. *h. tit.* partim aduersus Petitorum auiditatem: quo spectant tres *leges*, puta *lex* 14. 15. 16. *h. tit.* Quo duplici malo perculsa quoque fuerant Theodosii M. tempora. Hæ duæ porro priores in delatores, inter se coniungendæ videntur: sic quidem vt prior latior & diffusior ad Comitem Rerum priuatarum scripta sit, cuius curam hæc res respiciebat: posterior vero contractior, & velut causæ coniectio prioris, ad Prouinciales emissa, seu Edictum (vt inscribitur) *ad prouinciales*. Vt cæteroquin vel eodem exemplo, vel eodem saltem argumento eædem *leges* ad diuersos dari vel emitti solitæ: de quo in *Prolegomenis*. Summa igitur duarum legum vt & Constantinianæ *l. 8. sup.* Valentinianæ *l. 9. sup.* Theodosianæ *l. 12. 13. 18.* & Honorianæ *l. 22. 28.* isthæc est. Antequam liberalitate Principis petitor potiri possit, Delatorem iudicio sisti publicari a petitore oportere: De quo iam plene ad *l. 8. 9. sup.* sub duabus extensionibus. Prima, respectu *rerum*, & hanc quidem, nempe delatorem iudicio sisti a petitore oportere, non tantum si vniuersitatem bonorum a Principe quis petierit & impetrauerit, verum etsi singularem aliquem fundum quemcunque tandem, vel quamcunque aliam rem singularem, quæ peti vel concedi solet carptim seu viritim: Cum tamen alias (quæ ratio dubitandi hic erat) hoc casu non tam facile obrepi posse Principi videretur, per occultas delatorum delationes, vt cum vniuersitas bonorum petitur: neque tanti momenti illo casu res videretur. Verum neque id negligendum Theodosius M. putauit. Altera extensio est, ratione loci & temporis. Nempe delatorem a petitore sistendum, non tantum eo tempore quo rescriptum allegat iudicio Com. R. P. Comitis inquam rerum priuatarum Viri clarissimi, id est Comitis Largitionum priuatarum, de quo dixi ad *l. vn. supr. de Consulib. & Præsidib.* verum etiam ad Prouincias mittendum, in quib. bona delata consistunt, vt ibi prolationes præstet, & instruat actiones petitoris. Nempe, optime & breuissime de delationis fide seu veritate in ea prouincia in qua sita sunt bona, quæ caduca dicuntur, constare potest, *præsentibus ibidem probationibus*, vt ait *lex* 13. viceuersa ibi detecta calumnia maiore plausu punienda venit: nam (vt eleganter dicitur *l. 12.*) *maiore omnium plausu detecta ibi calumnia, delatoris supplicio publicæ seueritati litatur, vbi securi ac tuti Domini trepidauere fortunæ.* Denique miseros prouinciales calumniatoris delatoris supplicio oculos suauissime pasci indicat. Et hæc de delatore sistendo.

Supplicio eius qui iniustæ delationi se immersit, qui causam non tenuit, id *l. 12.* a Theodosio M. cauetur, eius supplicio publicæ seueritati litandum, cautumque *legibus* supplicium delatorem excipere oportere: Capitale scil. de quo iam supra.

Tandem tertio loco ODIVM suum Theodosius M. *his duabus legib.* in delatores cum maxime profitetur; statuit enim capitali supplicio delatorem adficiendum, licet veracem, si trinam delationem fecerit. Ita quidem Theodosius M. At enim Honorius filius eius postea, nequidem audiri tertio deferentes voluit, *l. 28. inf.* Artem scil. & studium delationis exercentes, odio cummaxime exsecrati Principes illi.

XIV. (a) Idem (b) AA. Pancratio (c) Com. R. P.

NEMO possit ad indultum a nobis beneficium pertinere, (d) nisi qui ante, instructionem ab Officio quod Tuis (e) meritis paret, adnuentibus nobis, fuerit consecutus. Dat. XII. Kal. Octobr. Thessal. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) *ve. Idem AAA.* vt *l.* 12. & 3. *sup.* & *l.* 15. *inf.* ID.

(c) *Pancratius* Comes R. P. sub Theodosio M. Eidem inscripta *lex* 12. *sup. h. tit.* vbi dixi. ID.

(d) Peruenire ad beneficium Principis, seu largitate Principis potiri. ID.

(e) Officium Comitis R. P. IDEM.

COMMENTARIVS.

PETENTIVM auiditati & vt ipsemet loquitor *lex prox. inuerecundæ petentium inhiationi* Theodosius M. *hac l.* & duabus sequentibus *legibus* occurrit. *Hac l.* prius INSTRVCTIONIS solemnitatem præcedere vult petitionis effectum, neque impetrationem quidquam valere, nisi instructio præcesserit, id est, nisi de patrimonii modo constiterit ex Descriptione, & Relatione officii Comitis rerum priuatarum: de quo fuit quoque iam *l.* 11. *sup.* vt *lex* 16. 23. 26. *inf.* & *l. vlt. sup. de bonis vacant.* & *l.* 1. 2. *sup. de Incorporat.* & locus Symmachi *lib.* 10. *epist.* 55. qui *huic l.* maxime respondet: quem iam *supra* laudauimus ad *dict. l.* 11. Idem iure Gallico, *Don de confiscations ne se peut faire auparauant l'adiudication d'iceluy.* Voyez *le Style des finances pag.* 66. 67.

P. 441

XV. (a) Idem AA. (b) Eutropio PF. P. (c)

QVISQVIS in crimine Maiestatis deprehensus (d) fuerit & punitus, bonaque eius (sicut plectendi consuetudo criminis habet) fiscus inuaserit, nullus easdem (e) sub spe (f) munificentiæ tuæ (g) Principalis audeat proprio iuri (h) poscere: Qui contra legem id ausus fuerit sperare quod non licet, reus violatæ legis habeatur. Sed quoniam plerumque ita in nonnullis (i) inuerecunda petentum inhiatione (k) constringimur, vt etiam non concedenda tribuamus, ne Rescribto quidem nostro aduersum formam latæ Legis loci aliquid relinquatur. Si quid autem ex bonis talibus nostro iudicio, (l) nullo tamen desiderante atque poscente, concedi cuiquam voluerimus, huiusmodi tantum valeat liberalitas. Dat. XVI. (m) Kalend. Decemb. Thessal. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

INTERPRETATIO. *Quisquis in crimine Maiestatis inuentus fuerit & punitus, bona eius fiscus acquirat, ita vt nullus aliquid ex eius facultatibus sibi velut munificentiæ iure audeat postulare: Et si aliquis contra leges crediderit postulandum, nec id quod petiit accipiat, & violator legis habeatur. Si quid tamen nullo petente, proprio arbitrio de talibus bonis cuiquam dederimus, donatio huiusmodi firma permaneat.*

NOTAE.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. de petitionib. bon. subl.* Forte huic iungenda *lex* 8. 9. *supr. de bon. proscriptor.* & aliæ de quibus ibi. GOTHOFR.

(b) *ve. Idem AAA.* qui scil. *l.* 12. 11. 14. *sup.* Et vero *Cod. Iustin.* recte hæc *lex* inscriptos habet *Gratianum, Valentinianum & Theodosium AAA.* ID. Recte etiam in MS. G. Augustorum nomina expressa sunt. RITTER.

(c) *Eutropius* PP. Orientis sub Theodosio M. vid. *Prosopogr.* GOTHOFR.

(d) *Comprehensus*, MS. W. RITTER.

(e) *ve. Eadem*: vt etiam habet *Cod. Iust.* GOTHOFR. *Eadem* recte legit MS. W. & Edit. Sichard. RITTER.

(f) Hinc quoque apparet non mutandam hanc vocem in *specie*, quod vulgati Codices faciunt contra fidem veterum. Itaque etiam mox: *Qui contra legem id ausus fuerit sperare.* GOTHOFR.

(g) Vox hæc delenda ceu spuria & irreptitia, nata ex occasione postremæ syllabæ vocis proxime præcedentis, vt etiam abest a *Cod. Iust.* pro quo si quid substituendum, reponenda vox, *Meæ.* ID. *Tuæ* abest a MS. G. & Edit. Sichard. RITTER.

(h) *Iure*, Cod. Iust. & Ed. Sichard. IDEM.

(i) *Causis*, additum Cod. Iust. IDEM.

(k) *Inhiationis* vox hic propria, quam in eadem re vsurpat Symmach. *lib.* 9. *ep.* 117. auiditas dicitur *l.* 11. *sup.* ibidem, *l.* 25. *inf.* siue inhiantium præda, *l.* 27. *infr.* GOTHOFR.

(l) Pro-

(l) *Proprio arbitrio*, Interpr. IDEM.

(m) *XV.* ita in *Aniano* optimæ notæ: & tamen in omnibus *Codicis huius* editionibus editum *XVI.* quomodo etiam habent nonnullæ editiones *C. Iust.* in vulgatis vero legitur *XVII.* I D.

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc *hoc titulo* Theodosii M. constitutio est, seu secundum frænum, quod inuerecundæ petentium inhiationi (vt ipsemet loquitur) imponendum credidit; ratione bonorum, quæ petuntur: Nempe MAIESTATIS reorum proscriptorum bona a Principe peti non posse, impetrata non valere: At VLTRO DATA ex his, seu a Principe concessa, valere. Vltro data, vt habet *Rubrica huius tituli:* quæ videlicet iudicio Principis, nullo tamen desiderante atque poscente, vt habet *hac lex;* quæ motu proprio (vt hodie loquuntur) seu proprio (id est spontaneo) arbitrio, vt Interpres, a Principe conceduntur: scilicet quædam non recte petuntur, quæ vltro præstita valent: denique sunt quæ non peti, sed præstari debent, vt loquutus alibi Imperator in *l. 2. D. de origine Iuris.* Vt omittam, quod dicitur, quædam honeste accipi, quæ non honeste petuntur, *l. 1. §. 5. D. de extraordin. cogn.* In hoc sensu vltro datorum stare voluit Theodosius Imp. bona proscriptorum ex Maiestatis crimine.

An autem solorum *Maiestatis reorum*, quasi aliud obtinere debeat in proscriptis ex alio crimine; an vero quorumcunque reorum ex alio quoque crimine proscriptorum (nam & ex aliis criminibus ademptio facultatum pœnam præmissæ indignationis accumulabat, *l. 29. inf.)* etsi de Maiestatis reorum bonis nominatim quæsitum fuerit? Illud mihi fit verisimilius, aduersus receptam hactenus Accursii & Cuiacii interpretationem: Nam & cæteroquin Theodosius alibi peculiarem haberi voluit rationem bonorum ex crimine Maiestatis proscriptorum, vt apparet ex *l. 8.* (cui iungenda & *lex 9. sup. de bonis proscript.)* quæ hoc ipso Anno ad eundem *Eutropium PP.* datæ sunt ex eadem vrbe Thessalonica: sic vt parum absit, quin cum *hac* eas iungendas censeam. Et sane peculiaris quædam ratio hic fuisse videtur; siue quod plerique obtentu Maiestatis principalis vindicandæ, cupiditati suæ vnice seruirent, vt cæteroquin crimen hoc in occasionem & obtentum quæsitum: siue quia peculiari quadam lenitate, prope nimia, Maiestatis reos persequutus Theodosius Imp. in se dicta factaue facilius ignoscens, de quo videnda Themistii *oratio 5.* habita triennio ferme post *hanc l.* & Libanius *ad Theodosium post Concil. cum Antiochenis, orat. 13. Morell.* videatur & *lex vn. sup. si quis Imp. maled.* & ad eam prolixe dicta. Quare petitis a se Maiestatis reorum bonis (quod vtique statim post damnationem fiebat) lenitati suæ ianuam seu aditum præcludi voluerit Theodosius, quia fieri poterat, vt ei ingenitum erat, vt duriores casus & tristiorem fortunam Imperatoria humanitate molliret. Quam rationem filius eius Arcadius ostendit *l. 23. inf.* qua statuit, ne proscriptorum bona vel eorum qui publicam videntur excepisse sententiam, intra biennium quis postularet. Ergo qua ratione Arcadius intra biennium ea bona peti noluit, eadem Theodosius in hac specie abscise postulari vetuerit. Cæterum, sicut *hac l.* Theodosius Maiestatis crimine damnatorum bona peti, postulari, vetat: ita *l. prox.* bona Maiestati Principis magis conuenientia. Et hæc quidem de Theodosii mente: de Iustiniano enim minus dubitandum, ex eius sententia *hanc leg.* hodie porrigi ad omnia alia crimina, vtpote qui petitionibus locum esse in totum noluerit; siue fisco bona delata sint ex proscriptione, quo pertinet *hac lex* ibi, *legem*, id est, constitutionem: siue quia vacantia & caduca sint, quo pertinet *lex 2.* p. 442.

Duo notabilia (præter superiora, quæ *hac leg.* occurrunt, iam alibi discussa,) interim *hac l.* notentur. Primo de bonorum proscriptione, quæ crimen Maiestatis sequitur, *sicut plectendi criminis consuetudo habet*, ait, *lex.* Item casus singularis quo Rescripto suo deferri quidquam vetat Theodosius *hac l.* pariter vt Imp. in *l. 32. infr.* & Valentinianus III. in *l. 2. C. I.* qui casus aliis accensendi, quibus Rescripta non valent. In quem tractatum ferme Interpretes hic sese diffundunt nimis quam otiose. Tertio cum eo quod *hac l.* occurrit de inuerecunda inhiantium petitione, congruit Epistola Symmachi *lib. 9. ep. 117.* item quod *l. 27. infr.*

Postremo loco, notandum, quod ait Theodosius, eum qui ausus fuerit petere bona Maiestatis damnatorum, *reum violatæ legis* habendum. Quibus verbis Accursius intelligit, pœnam extraordinariam, laudata *l. 41. D. de pœnis.* Cuiacius, pœnam sacrilegii, arg. *l. 1. Cod. Iust. vt dignitat. ordo:* (quæ est *lex 30. supr. eod. tit.*) & *l. 13. Cod. eod. de erogat. mil. ann.* (quæ est *lex 30. supr. eod. tit.*) Addatur & *lex 16. infr. prox.* & *lex 24. infr.* & *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas 38. in fin. de successi. Curialium.* Quæ duæ sententiæ eodem recidunt: nempe sacrilegii pœna irrogari dicitur sacrarum legum transgressoribus, de quo semel plene dixi ad *l. 2. supr. vt dignit. ordo:* & ad *l. 4. de domesticis*, cuius modus extraordinarius est. Quare non est admittenda Scip. Gentilis interpretatio ad *l. 5. Iul. Maiest. lib. 1. de Coniuration. p. 66. 67.* qui his verbis pudorem tantum sugillandum eius qui petierit, indicari putat. Neque duobus ipsius argumentis moueor: Quorum prius, quod vltra pudoris dispendium petitores hos onerare non æquum videatur in re præsertim olim *legibus* licita: Nam vt maxime olim id licitum fuerit, attamen vbi vetari cœpit, pœnam proculdubio etiam mereri cœpit. Neque mouet alterum argumentum petitum a *legibus* minus perfectis, quæ nihil vltra, quam *improbe factum*, pronunciant, vt *lex Valeria, de prouocatione*, quod satis validum vinculum legis appellat Liuius *lib. 10.* & constitutio D. Marci, quæ in alia re, non recte facere quem pronunciat, neque tamen pœnam statuit *l. 14. §. 14. D. de Religiosis.* Nam vt hæc admittam, diserte hic pœna aliqua statuitur, *Reus*, inquit, *violatæ legis habeatur:* id est, ea pœna & quidem graui (vt *d. l. 16. infr.)* afficiatur, qua violatores legum afficiuntur: quæ pro modo delicti, varia est.

XVI. (a) Idem AA. (b) Nebridio Com. R.P. (c)

NEMO eas sine summo sacrilegio (d) possessiones existimet postulandas, quæ cum magno censu, (e) tectorum ambitu, Palatiis (f) sint magis aptæ quam prædiis: Adeoque hoc nomen (g) refugiendum sibi esse cognoscat, vt sacrilegii vereatur inuidiam, etiamsi laqueos (h) deceptæ ignorationis inciderit; cum *semper in petendo debeat esse sollicitus,*

tus, quicunque est in impetrandi occasione curiosus. Laudanda igitur Experientia Tua Officio grauem pœnam tali lege constituat, si vnquam instructione (i) deceperit, & petenti nefaria conlusione consenserit, illi etiam vt deprehenso (k) beneficii adimat potestatem. Dat. XIII. Kal. Iun. Constantinop. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

N O T Æ.

(a) Abest & hæc lex a Cod. Iust.

(b) Idem AAA. vt l. 12. 13. 14. 15. sup. ID.

(c) *Nebridius* Comes R. P. sub Theodosio Magno. Eidem inscribitur Anno prox. 383. *l. 16. infr. & l. 4. supr. de locat. fund. l. 5. supr. de Palatinis S. L.* Adde & *l. 5. Cod. Iust. de fundis rei priu.* sine dignitate, sine die & Consule. *ID.*

(d) De hoc *Sacrilegii* genere dixi ad *l. superiorem: v. & l. 24. infr. ID.*

(e) *Censu*, id est, æstimatione, reditu. *ID.*

(f) Principis: de *Palatiis* dixi *supra, tit. ne quis in Palatiis maneat, lib. 7. ID.*

(g) Possessionum, seu prædiorum Palatiis magis aptorum: vel potius petitorum, vt *l. 19. infr.* nomen delatorum pro delatoribus. *ID.*

(h) *Laquei deceptæ ignorationis*, inque eos incidere. *ID.*

(i) *Instructio* officii Comitis R. P. præcedebat petitionem *hic*, & *l. 14. supr. ID.*

(k) *Reprehenso.* NON. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

TERTIA hæc iam *hoc tit.* Theodosii M. constitutio est, seu Tertium frænum, quod petentium inhiationi ponendum credidit, idque ratione rerum quæ peti solebant: Nempe PALATIIS magis, quam prædiis, similes, aptasque possessiones vacantes, vel caducas: quia scil. magno censu tectorumque ambitu constant, peti vetat, Maiestati scilicet Imperatoriæ magis conuenientia peti noluit Theodosius imperator. De Palatiis Principum dixi plene *supra tit. ne quis in Palatiis maneat.* Sanctione triplici porro hanc prohibitionem sancit Theodosius: 1. *Sacrilegii* reum pronunciat eum, qui talem possessionem petierit: de quo iam dictum ad *l. 15. supr.* 2. In tantum, vt etiam si ignorans quis petierit, & ipse deceptus, & vt eleganter loquitur, *etiamsi laqueos deceptæ ignorationis inciderit*: id est, per ignorantiam deceptus fuerit; nihilominus sacrilegii pœna teneri velit: addita eleganti ratione: *quod semper in petendo debeat esse sollicitus, quicunque est in impetrandi occasione curiosus.* Qui casus notandus est, quo etiam deceptæ ignorantiæ non succurritur: contra casus, vbi sollicitudo & curiositas requiritur, suæ conditionis vt quemque memorem esse oportet; ita & curiosum petendi tantum ea, quæ suæ conditioni conueniunt. Et contrarium tamen statuitur in sp. *l. 2. infr. si vagum pet. mancip.* 3. Officium Comitis R. P. graui pœna puniri a Comite R. P. iubet, si forte instructione sua *deceperit*, id est, rerum petitarum modum non suggesserit (de qua instructione agitur & *l. 14. supr. hoc tit.*) & petenti huiusmodi possessionem per collusionem consenserit. Tandem, si quid tale a Principe concessum fuerit, id a Comite R. P. ei, qui impetrauit adimi iubet: *vt deprehenso*, inquit, *beneficii adimat potestatem.* P. 443

In SERVOS *Dominorum delatores.*

XVII. (a) Idem AAA. Panellino (b) Consular. Lydiæ. (c)

SERVVM domini delatorem iubemus, in exemplum (d) omnium proditorum, seuerissimæ sententiæ subiugari, etiamsi obiecta (e) probauerit. (f) Dat. VII. Kal. Nou. Constantinop. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

Hæc lex interpretatione non indiget.

N O T Æ.

(a) *Lex 8. Cod. Iust. de delatoribus.* GOTHOFRED.

(b) Ita vltima Paris. Editio. *Panellinio* in Aniano, Put. & Reg. *Panhelleuio*, Cod. Iust. In Tiliana & Cuiaciana prior. & illa in quarto, male *Pallio.* Ad Panellenium duæ extant *epistolæ* Libanii *in Codice Regio, 757. 759.* in Vaticano *lib. 2. ep. 255. 287.* Male quidam in Cod. Iust. habent *Palladio. ID. Panellinio*, MS. W. *Panellino*, MS. G. *Panellenio*, Ed. Sichard. RITTER.

(c) Ita constanter *MSS.* & Editio Tiliana, Cuiaciana prior, & illa in 4. Male Paris. editio vltima *Lybiæ.* Procliui errore. Sic & vice versa apud Claudianum *in Theodori Cos.* de Præfectura eius Italiæ, in *hoc vers. 200.*

Italiam, Lybios Pœnosque secunda.

quidam, & ipse Cluuerius, male præferunt *Lydos.* Contra recte Scaliger & Barthius. GOTHOFR. *Lybiæ* legit MSS. W. & Ed. Sichard. RITTER.

(d) Vid. *leg. 6. in fin. De de custod. reor. & l. 5. sup. ad leg. Iul. Repet.* seu *l. 1. Cod. Iust. eod.* GOTHOFR. *Exemplo* legit MS. G. RITTER.

(e) Obiecta

(e) *Obiecta sibi*, MS. G. *ID.*

(f) *Excepto crimine maiestatis*: additum hoc *Cod. Iust.* ex *l.* 2. 3. *supr. ne præter crim. maiest.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

IN Delatores THEODOSII M. constitutiones *Tres* ordine sequuntur, præter *duas* quæ iam *supra* occurrerunt, puta *legem* 12. & 13. Et hæc nominatim, etsi de *seruis* agat, atque ideo in argumento desito versetur; egregia tamen & politicis scemmatibus, Iuridicisque obseruationibus plena est. Igitur Theodosius M. *hac l.* vel potius rescripto suo, SERVOS dominorum delatores seu proditores, etsi a se obiecta probauerint, seuerissimo, id est, summo supplicio affici iubet. Nempe quia ita de facto contigerat, apud Panellinum Consularem Lydiæ, vt serui ad deferendum admissi obiecta a se probauerint. Nam alioquin ne audiri quidem seruos dominorum delatores Imperatores voluere: vt vetustiores omittam, Traianum, teste Plinio in *Panegyr. cap.* 51. Macrinum *teste* Herodiano *lib.* 5. *cap.* 2. Tacitum, teste *Vopisco in Vit. cap* 9. Seuerus *l.* 2. § 6. *D. de iure fisci*, Constantinus M. *leg. vnic. supr. ad leg. Iul. Maiest.* Gratianus *l.* 2. *supr. ne præter crimen maiest.* Arcadius *l.* 3. *eod. tit.* Et vero Theodosius *hac l.* ideo seuerissimam pœnam proposuit, (quod primum hinc scemma politicum educi potest) in *exemplum omnium proditorum*, & ad deterrendos eos; vti ne deinceps omnino serui ad dominorum proditionem accederent, hac sibi spe blandientes, quasi impune id eis cessurum, si obiecta probassent. Simul & alterum hinc educi potest scemma Iuridicum simul & politicum, *veritate* & probatione facti, non ideo quem in hac facti specie excusari: cui similia alibi congeruntur, inter alia *l.* 1. 2. 7. *supr. de famos. lib.* Vt & tertium, (quæ alioquin passiua & tralatitia obseruatio est) pœnas sæpe in aliorum exemplum, & ad deterrendos alios intendi, augeri: quod & similibus firmare legibus vel exemplis, superfluum puto: vt & *Exceptiones* ad *hanc leg.* afferre, cuiusmodi vnam in maiestatis crimine videl. *huic legi* in *Codicem Iustinianeum* hinc translatæ, attexuit Tribonianus, de qua *sup. tit. ne præter crimen maiest.*

Illud notandum, cum alias in genere *proditorum* appellatione intelligantur omnes, qui quid clam gestum produnt, & in apertum educunt, hic proprie seruos dominorum proditores & delatores significari: quomodo & *supr. d. tit. ne præter crim. maiest.* & apud Tertullianum 1. *ad Nationes cap.* 7. Ergo his verbis, *in exemplum omnium proditorum* Theodosius M. ab hypothesi ad thesim in futurum assurgit, & assurgi voluit.

P.444 XVIII. (a) Idem (b) AAA. Nebridio (c) Com. R.P.

ETSI color (d) petitionis, aut ratione (e) aliqua aut tempore, (f) possit admitti, secundum nostras † Leges, non debet audiri prius quam proditum delatorem competens pœna constrinxerit. Dat. III. Kal. Septembr. Merob. II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Imo, *Valentinianus THEODOSIVS & Arcadius.* vid. *Chron. Theod.* ID.

(c) *Nebridius* Comes R.P. sub Theodosio M. Eidem inscribitur *lex* 16. *supr.* Anno superiore 382. vbi dixi. ID.

(d) Sic & *color fiscalis* in eadem re, apud Symmachum *lib.* 5. *ep.* 54. ID.

(e) Quia vacantia vel caduca. IDEM.

(f) Quia biennium a proscriptione effluxit. ID.

† Intelligit *legem* 12. 13. *supr.* & si quas similes. IDEM.

COMMENTARIVS.

QVARTA hæc e Theodosianis *hoc titulo* constitutio est, de Delatoribus: Et hæc quidem, pariter vt eiusdem Theodosii M. *lex* 12. 13. *supr.* & *lex* 20. *de Delatoribus prodendis, publicandis, iudicio sistendis, præsentandis a petitore.* De quo & proximo Anno 384. quoque extat testimonium apud Symmachum. *lib.* 10. *ep.* 55. cuius verba retuli iam ad *l.* 8. *supr.*

XIX. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. ad Senatores (b) Ciuitatis Alexandrinæ. (c)

SECVRITATI vestræ studentes, & iustitia necessariæ Legationis (d) animati, dedimus litteras ad Virum Clarissimum (e) & Inlustrem Cynegium (f) Præfectum prætorio, quibus iussimus, *Vt delatores, quos iam etiam sua sententia meritis pœnis adfecit, vbi* (g) *reppererit, pari* (h) *supplicio persequatur:* fundatis (i) omnibus, quæ super possessionibus ac terris, quas hoc nomen (k) hucusque vexauit, idem Vir Inlustris constituit. Agite igitur securi, atque ita patrimonia vestra tenete, colite, frequentate, vt boni sæculi (l) poscit affectio. Dat. XVI. Non. Mar. Constp. Valentiniano A. III. & Eutropio Coss. [387.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* velut temporaria. Nota hanc Inscriptionem, de qua mox. GOTHOFRED.
(b) Vide quæ dicam ad *l.* 189. *infr. de decurionib.* ID.
(c) Vide quæ dicam ad *d. l.* 189. *de decurionib.* ID.
(d) De Legationibus his *in suo titulo lib.* 12. ID.
(e) *Vir Clarissimus* & *Illustris*: titulus Præfecti Prætorio, *h. l.* & *l.* 6. *infr. de annona & trib.* vbi dicam. ID.
(f) De hoc *Cynegio* P. P. mox. V. & *Prosopogr.* & quæ dixi *ad orat. Libanii* κατὰ τῶν εἰσιόντων. ID.
(g) *Vbi-vbi.* ID.
(h) quo eos, quos iam pœnis adfecit. ID.
(i) *Fundatis*, id est, firmatis. ID.
(k) Delatorum scil. *Nomen* Delatorum, id est, delatores. ID.
(l) *Seculi* sui felicitatem Imperatores deprecauere. V. Iuretum *in Symmach. lib.* 3. *ep.* 43. ID.

COMMENTARIVS.

QVINTA hæc e Theodosii M. in DELATORES *hoc titulo* Constitutio est: quæ ab eo emissa est ad Legationem Senatus Alexandrini: quaque comprobatur a Theodosio, factum & Edictum quoddam Cynegii Præfecti P. Scilicet hac tempestate Alexandriæ Delatores quidam Senatorum fortunas & possessiones appetiuerant: cum aliquos ex his Cynegius P. P. iam meritis pœnis affecisset, & possessiones senatorias fundasset Edicto suo, superque eo legatio a Senatoribus ad Theodosium Imp. missa fuisset, Theodosius ad hanc legationem Senatus Alexandrini, securitati Senatoriæ plene studens, & hac constitutione sua & literis ad Cynegium P. P. datis, porro Delatores *iisdem pœnis*, quibus scil. iam cœpisset, persequendos statuit, & Cynegii statuta super possessionibus & terris, quas Delatores vexassent, firmauit. Erat scil. tum Cynegius PP. Orientis (ad quem plures *hoc Codice* constitutiones extant: meminit & Libanius *Orat.* κατὰ τῶν εἰσιόντων, aliique; & Zosimus *lib.* 4. & Idacius in *Chronico*) Alexandriæ: quo a Theodosio M. occludendis Gentilium Templis, & sacrificiis prohibendis, missus fuerat; vt testatur Zosimus *lib.* 4. *cap.* 37. Κυνεγίῳ, inquit, τῷ τῆς αὐλῆς ὑπάρχῳ πεμπομένῳ κατὰ τὴν Αἴγυπτον προςεταγμένῳ τε πᾶσι τὴν εἰς τὰ θεῖα θρησκείαν ἀπαγορεῦσαι, καὶ κλεῖθρα τοῖς τεμένεσιν ἐπιθεῖναι: *Cynegio Præfecto Prætorii, quum eum ablegaret in Ægyptum, & omnibus numinum religione per ipsum interdici, ac fana claudi præcepisset.* Et mox, Κυνέγιος τῶν κατὰ τὴν Ἑῴαν καὶ τὴν Αἴγυπτον ἅπασαν ἱερῶν, καὶ αὐτὴν δὲ
P. 445 τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἀπέκλεισε τὰς εἰσόδους, θυσίας δὲ εἶρξε. *Cynegius aditus templorum per Orientem, & vniuersam Ægyptum, & ipsam Alexandriam occlusit, sacrificiaque prohibuit.* Idacius, Anno Theodosii 10. (id est, An. D. 388.) *Cynegius Theodosii Præfectus habetur Illustris, qui factis insignibus præditus, & vsque ad Ægyptum penetrans, gentium simulacra subuertit.* Idem in Fastis Consularibus An. 388. *Cynegius Præfectus Orientis, vniuersas prouincias longi temporis labe deceptas, in statum pristinum reuocauit, & vsque ad Ægyptum penetrauit, & simulacra gentium euertit.* Hic vero dicto Anno prox. 388. ex Ægypto reuertens, Constantinopoli in Consulatu suo defunctus est, teste eodem Zosimo *lib.* 4. *cap.* 45. & Idacio, *dictis Fastis Consularib.* qui addit, eius corpus cum magno fletu totius populi Ciuitatis deductum ad Apostolos, die XIV. Kal. April. & post annum transtulisse ipsum matronam eius Achauiam ad Hispanias, pedestri itinere scil. Igitur gentilitiarum & agonotheticarum possessionum nomine, quas fisco tum ex mandato Theodosii Imp. Cynegius vindicabat, exorti videntur delatores, aliquot ex Senatoribus Alexandrinis deferentes, tanquam possessiones iuris templorum possidentes, pariter vt in *sp. l.* 24. simili de causa delatores exorti. In quos Cynegius insurgendum putauit, securitati Senatorum Alexandrinorum studens. Quare Theodosius illius hac parte acta, statutaque *hac l.* firmatum iuit, non sine testimonio propensi & amici in Cynegium animi. Quod luculenter etiam ostendunt ea, quæ memorat Libanius *orat.* κατὰ τῶν εἰσιόντων. *§.* 15. *p.* 100. *edit. Gothofred.* & *pag.* 434. 435. *Oper. minor. Gothofred. edit. Trotz.* vbi ad Theodosium verba faciens ait, Cynegium defunctum a Theodosio laudibus coronatum, moxque Amicum eius vocat. Συναγορεύει μοι καὶ τετελευτηκὼς, ὁ τοῖς παρὰ σοῦ στεφανούμενος ἐπαίνοις Κυνήγιος. *Adstipulatur vero mihi defunctus atque a te laudibus coronatus Cynegius.* Et mox, καὶ τιμῶν φίλον τίθει νόμον, *& amicum honorans legem pone.* Quo etiam Libanii loco memoratur Cynegii huius PP. Edictum aduersus ingredientes in Iudicum domos: quod Libanius a Theodosio firmari contendit: pariter vt *hac l.* edictum eius alterum in delatores firmatum it. Neque vero Cynegium defunctum tantum laudibus prosequutus Theodosius M. verum etiam viuentem atque in os eius: *Iustitia*, inquit, *& æquitate, qua notus es*, in *l.* 15. *sup. de accusation.* Et hæc quidem ita se recte habent ad historicam *huius legis* Interpretationem & Alexandrinam historiam: quibus addatur: Primo id, quod Zosimus ait, Datum negotium Cynegio in Ægyptum misso a Theodosio, vt *Maximi imaginem* conspiciendam publice Alexandrinis proponeret & consortem eum imperii factum declararet; de quo etiam ad *l. vn. supr. qui ad stat. conf.* Imo Libanius *Orat. ad Theod.* 12. *Morell. pag.* 392. indicat Alexandriæ hoc tempore tumultuatum, & Alexandrinos in Theatro aduersum Theodosium maledicta iecisse, Maximumque in Ægyptum publice vocasse.

Tandem obseruandum, biennio post *hanc leg.* Templum Serapidis Alexandriæ, Theodosii Imp. edicto destructum, de quo videndi Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, & Marcellinus, *Chronico A.* 389.

XX. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & (b) Honor. AAA. Flauiano PF. P. (c)

PLERISQVE mancipia vaga, (d) tacita (e) fideicommissa, bona vacantia & caduca monstrantibus (f) quies possidentibus abnegatur: ideoque præcipimus, vt omnium officio-

Officiorum periculo custodiatur, Vicarii etiam atque Ordinarii (g) cognitores moneantur, ea animaduersione proposita, quæ non facultates eorum sit expetitura, sed sanguinem, vt nullum huiusmodi (h) Rescribtum Mansuetudinis Nostræ, nec si specialis super hoc Adnotatio proferatur, nisi vna cum delatore, suscipiant: vt (i) de animo eius & facto, vel impletis probationibus vel desertis, iuxta constituta Legum, quæ super hoc iamdudum a Diuis Principibus lata sunt, iudicetur. PP. VI. Id. April. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Honorii* nomen tollendum: vtpote qui initio tantum Anni proximi 393. Augustus a patre creatus fuit: teste Socrate *lib. 5. cap. 24.* & Marcellino in *Chronico*. *ID.*

(c) *Flauianus* P. P. sub Theodosio M. de eo vid. *Prosopogr.* & dixi ad *l. 2. supr. de constit. Princip.* *ID.*

(d) *Infr. tit. si vagum mancipium petatur.* *ID.*

(e) De his *tacitis fideicommissis* agitur, & *l. vn. de his qui se deferunt*: & *l. 27. inf. de Episcopis.* *ID.*

(f) Deferentibus. *ID.*

(g) Id est, Rectores prouinciarum. *ID.*

(h) Quo mancipia vaga &c. a nobis donantur. *ID.*

(i) *De animo*, neglecto τὸ *vt*, in vltim. Paris. & illa in 4. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

POSTREMA hæc *hoc titulo* Constitutio est Theodosii M. & Sexta quidem de Delatoribus in genere; in specie vero de DELATORIBVS iudicio præsentandis, publicandis a petitore, qui rescriptum siue liberalitatem aliquam a Principe impetrauit, de bonis seu vacantibus vel caducis: pariter vt tres aliæ eiusdem Theodosii M. puta *lex 12. 13. 18. supr.*

Hac vero, nominatim duplex pœna statuitur: Prior in Officia & Iudices huiusmodi rescriptum, etiam specialis adnotationis, admittentes; non proscriptionis, verum sanguinis, seu vitæ amissionis. Altera, delatoribus si probationes non impleuerint. Quæ, aliaque, ostendunt quantopere securitati & *quieti* possessorum studuerit Theodosius M. Est & eo quoque singularis hæc *lex*, quod vacantibus & caducis bonis, quæ peti solebant, iungit ceu diuersa hæc duo, *vaga mancipia*, & *tacita fideicommissa*: etsi & ipsa alioquin sub illis comprehendantur. De prioribus est *tit. pecul. 12. inf. si vagum petatur mancipium.* De tacitis fideicommissis, vid. *leg. Papiam Caducariam*, & *l. vn. inf. de his qui se deferunt.*

P. 446 XXI. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. Laurentio (b) Com. R. P.

SIT hæc mensura bona poscentium, ne quis oblatis precibus, in petitione bonorum (c) *Auri atque argenti* faciat mentionem. Ac ne generaliter in omnes hæc fuerit (d) constituta, summis dignitatibus vsque ad Secundicerium Notariorum hoc seruari (e) decernimus, ceteris ab hac licentia retentatis, (f) *Ne dum nimia largitas tenditur, publica commoditas neglegatur*: ita vt si qui post hanc legem textum (g) impetratæ petitionis (h) attulerit, effectu denegato frustretur. Dat. VIII. Kal. Mai, Constp. Arcad. IV. & Honor. III. AA. Coss. [396.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) *Laurentius* Comes R. P. sub Arcadio. *ID.*

(c) Rufini forte, in sp. *huius l.* *ID.*

(d) An *fuerint*? non: *hæc* mensura scil. *IDEM.*

(e) Vt aurum atque argentum petere possint: *seruari* ergo, est reseruari. *IDEM.*

(f) *Retentatis*, submotis. *ID.*

(g) *Textus* Rescripti seu beneficii Principis. *ID.*

(h) Auri atque argenti. *ID.*

COMMENTARIVS.

ARCADII Imp. tres constitutiones sequuntur, puta hæc *lex 21. & lex 23. & 24. infr.* quibus bona petentium inhiationi occurrendum fibulam que imponendam putauit. Primam igitur hanc fibulam eis imponit, ratione rerum seu bonorum. Nempe, AVRVM atque ARGENTVM peti regulariter

lariter vetat. Sane etiam Honorius Arcadii nostri frater profitetur, *l. 2. supr. de Incorporat.* raro facultates cum auro atque argento concedi, imo saepius habita horum exceptione concedi. Cum tamen, Constans in sp. *l. 4. sup. de bonis vacantibus*: nullam separatam habuerit auri atque argenti rationem. Contra, iam olim Alexander Seuerus, teste Lampridio *c. 46.* aurum & argentum nunquam dabat. *Dabat*, inquit, *haec in beneficiis, quae famam eius non laederent, Bona punitorum; sed nunquam cum auro, argento, vel gemmis (nam id omne in aerarium reponebat:) dabat. Praepositurae locorum ciuilium, non militum, dabat eas administrationes quae ad Procurationes pertinerent.* Qui quidem locus integer ita vti feci interpungendus est. Simile igitur exemplum secutus *hac l.* Arcadius: *Ratione* addita, *ne dum nimia largitas tenditur, publica commoditas negligatur*: vbi *tenditur*, pro extenditur, pariter vt in illo Capitolini CL. Salmasius voluit, *cum oppressis foenore possessoribus latius suos tenderet fines*: quanquam Alii tueri malunt, *teneret.* Peculiaris scil. ratio visa Auri atque Argenti, vtpote quod publicae commoditates & necessitates, atque adeo aerarium Principis (vt in Lampridii loco) iis adiuuari maxime & facillime possunt.

Et quasdam tamen dignitates excipit *hac ipsa l.* Arcadius, a quibus Aurum atque Argentum ex bonis (proscriptorum forte) peti posse definit; summas, inquam, Dignitates vsque ad Secundicerium Notariorum. Auri atque Argenti scil. largitas summis Dignitatibus reseruata, id est Illustribus Viris; quos proxime sequebantur primi inter Spectabiles Primicerii & Secundicerii Notariorum, vt patet quoque ex ordine *titulorum, sup. lib. 6.* vbi post *titulos* de Dignitatibus Illustribus, *titulus primus* occurrit, *de Primicerio & Notariis*, Quomodo & in *Notitia Imperii* idem ordo obseruatur. *Secundicerius Notariorum*, *l. 2. sup. de Primicerio & Notar.* dicitur *sequens Primicerium Tribunus & Notarius.* Secundum inter Notarios gradum vocat Ammianus Marcellinus *lib. 29. circa princip.* Is eodem honore atque ordine quo Primicerius perfruebatur, vt docet *d. lex 2.* ac proinde si de consistorio sine administratione discederet, Vicariis pariter anteponebatur, & Proconsulib. aequabatur, ita vt tempore inter se contenderent. Pari igitur ratione *hac l.* Aurum atque Argentum ex bonis (proscripti forte) petere, vt Primicerio, ita & Secundicerio Notariorum non minus quam Illustribus permittitur: ac proinde Vicariis, aliisque id negatur. Verum de Primiceriis & Secundiceriis his Notariorum plene *suo titulo lib. 6.*

Porro non inanis coniectura est, pertinere *hanc legem* ad Rufini bona; de quo plene dictum ad *l. 14. 15. supra de bonis proscriptorum.*

XXII. (a) Idem AA. Firmino Com. R. P. (b).

DIVI Patris Nostri statuta + renouantes, aeterna lege sancimus, Officium Palatinum quinquaginta auri libras de suis facultatibus exigi, si prius allegari diualia Rescribta permiserit, quam delator in iudicio fuerit constitutus. Dat. VI. Kal. Nou. Med. Honor. A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTAE.

P. 447

(a) Abest & haec *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Firminus* Comes R. P. sub Arcadio sane; ita quoque Anno prox. 399. in *l. 25. infr. de Susceptorib* habetur Firmino Com. R. P. Atenim hoc ipso Anno in Inscriptione *l. vlt. infr. de coll. fund. patrim.* & *l. 1. Cod. Iust. de locat. fund. fiscalium*: & *l. 2. supr. de domibus ad rem priuat.* (quae cum *hac* forte coniungenda est) habetur *Com. S. L.* IDEM.

+ Intelligit Theodosii *l. 12. 13. 20. supr.* & si quas similes. ID.

COMMENTARIVS.

HONORII Imp. octo constitutiones sequuntur, puta *haec lex*, & *lex 25. 26. 27. 28. 30. 31. infr.* Quibus tum petitorum libidini variis 29. rationibus occurrit, tum delatoribus. *Hac* sane, vt & *l. 30. infr. Delatores* a petitoribus iudicio praesentari iubet, antequam rescriptum quo bona eis a Principe donata sunt, allegari, & effectum sortiri possit, confirmatis nominatim patris sui Theodosii Magni super hoc constitutionibus, puta *l. 12. 13. 20. supr.* & si quae similes super hoc processerunt: Poenaque proposita Officialibus Comitis R. P. 50. librarum auri, nisi id obseruauerint, id est, si allegari prius passi fuerint apud se (vti moris erat) beneficium seu rescriptum Principis quam delator exhibitus fuisset.

XXIII. (a) Idem AA. Studio (b) Com. R. P.

NE quis proscribtorum bona, vel eorum qui publicam videntur (c) excepisse sententiam, intra biennium aestimet postulanda. abstineant facultatibus intra id temporis expetendis, vt aut proprias quis recipiat, si (vt nobis ingenitum est), duriores casus & tristiorem fortunam Imperatoria humanitate molliamus: aut tum demum postulet, cum iam fiscalem potius quam proscribtorum expetisse noscatur. Si quis autem petendas proscribti vel deportati intra biennium crediderit facultates, careat fructu liberalitatis Augustae: ita vt, nec instruantur huiusmodi petitiones, nec si temere instructae fuerint, & sub

sub specialis beneficii munificentiam (d) nostram prouocauerit liberalitatem, habeant aliquas vires indulta. Dat. XIV. Kal. Feb. Constp. Vincentio & Frauitta Coss. [401.]

NOTAE.

(a) Repetita hæc *lex* totidem verbis *l.* 17. *supr. de bonis proscriptorum.* Eam confirmauit postea Honorius *l.* 29. *infr.* *GOTHOFR.*

(b) *Studius* Comes R. P. sub Arcadio. Hic idem postea P. V. Constantinop. fuit. v. *Prosopogr.* *ID.*

(c) *Videntur excepisse*, id est, exceperunt: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(d) Locus hic, & *hic*, & *d. l.* 17. corruptus, ita restituendus: *&, sub specialis beneficii munificentia, nostram prouocauerint liberalitatem.* *ID.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc *hoc titulo* Arcadii Constitutio est, repetita *titulo de bonis proscriptorum*, quamque Honorius postea confirmauit *l. 29. infr.* honestissima; qua petitorum libidini alteram fibulam imponit, ratione temporis, quam prolixius *tit. de bonis proscriptorum* edisserui: vnde dicta huc deriuari possunt.

XXIV. (a) Idem AA. & Theod. A. Anthemio PF. P. (b)

PRo (c) incluti (d) Principis Constantini sanctione, + quam nos etiam hac lege roboramus, in his possessionibus, quæ velut (e) de Patrimoniali, vel Reipublicæ aut Templorum, aut cuiuslibet huiusmodi tituli, iure subtractæ, (f) a nostra liberalitate poscuntur, cesset penitus delatorum nomen infestum, (g) omnesque se ab hac nefaria (h) petitione retineant: (i) scientes, nullum ex hoc posse fructum adquiri, sed huius decreti violatores sacrilegii (k) pœnam contrahere. Dat. VIII. Id. Nou. Stilicone II. & Anthemio Coss. [405.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOFR.*

(b) *Anthemius* PP. Orientis sub Arcadio, v. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Id est, iuxta sanctionem. *ID.*

(d) *Constantinus* inclytus Princeps. *ID.*

+ Hæc *lex* non extat. *ID.*

P. 448 (e) Hic color, hic obtentus fuit. *ID.*

(f) Olim subtractæ, & a priuatis vindicatæ, occupatæque. *ID.*

(g) *Infestum* delatorum nomen vocat, quod scil. quietem & securitatem possessorum infestat. *ID.*

(h) *Nefaria* petitio eorum, qui quietam possessionem aliorum infestant. *ID.*

(i) *Retinere se* ab aliqua re, pro abstinere, temperare. *ID.*

(k) De hac *Sacrilegii* pœna & voce dixi ad *l.* 15. *sup. h. tit.* *ID.*

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc seu postrema *hoc titulo* Arcadii Imp. Constitutio est, aduersus PETITORES & Delatores, qua tertiam Petitorum & Delatorum libidini fibulam imponit: Nempe peti vetat a Principe possessiones a priuatis scil. possessas, quæ olim vel iuris patrimonialis, vel Reipublicæ vel Templorum, vel similis alicuius iuris fuisse dicuntur, confirmata hac parte Constantini Imp. sanctione. Scilicet, quod iam sæpe notatum, a Constantini M. temporibus, vt patrimonialia, ita & Reipubl. iurisque Templorum prædia quamplurima, non modo a Principibus priuatis vendita donataue fuerant: de quo *l. 2. 8. supr. de iure fisci*, *l. 6. supr. hoc tit. l. 1. supr. de locat. fund. iuris Emphyt. Reipubl. & Templ.* verum etiam priuata authoritate occupata. Quo proprie *hæc lex* spectat, quod de locis Templorum, etiam Aggenus Vrbicus scripsit *in Frontinum*, *p. 78. edit. Rigalt.* & *pag. 61. edit. Gœs.* Quare subinde exorti Petitores, & Delatores, qui huiusmodi bona, tanquam fisco aut Reipubl. perperam *subtracta*, sibi poscerent: Quorum fauces & auiditatem subinde Principes reprimere necesse habuere; In his Theodosius M. *l. 19. supr.* vt existimo, Honorius iam antea *l. 41. infr. de operibus publ.* postea tamen aliter in sp. *l. 20. inf. de paganis*, & Arcadius *hac l.* qua *Delatores* maxime insectatur: cum tamen Zosimus auctor sit *lib. 5.* in Gestis Anni 398. *cap. 12.* & in Gestis Anni 404. *cap. 24.* sub Arcadio Imp. cum Eutropio obnoxius ageret, mox & Eudoxiæ, coniugi, ingentem συκοφαντῶν calumniatorum & delatorum καταμηνυόντων, exortam, qui bona deferrent, peterentque, facili ad hæc Principe. Insignis est cumprimis locus ille Zosimi, vbi nominatim agit de bonis tanquam vacantibus per summum nefas petitis, & a Principe impetratis, cum tamen superessent defunctorum liberi, parentesque. Quod *superiore leg.* ab Arcadio emendatum censebat Scipio Gentilis *lib. 1. de coniurat. p. 68.* sed male: nam & *lex* illa anterior est eo, quod Zosimus narrat, illo loco; neque *lex* illa est de bonis vacantibus, verum de bonis proscriptorum.

XXV. (a) Idem AA. ad Theodorum PF. P. (b)

Cum per Illyrici (c) partes (d) Barbaricus (e) speraretur (f) incursus, numerosa incolarum manus sedes (g) quaesiuit externas, (h) in cuius ingenuitatem adsidua petitorum solet libido grassari, eique inlicite iugum seruitutis inponere: Igitur perscribtum (i) Tua Sublimitas recognoscat, vt Illyricianos omnes, quos patria complectitur, vel alia qualibet terra susceperit, (k) petere non liceat. Dat. IV. Id. Decemb. Rau. Basso & Philippo Coss. [408.]

NOTAE.

(a) Abest haec *lex* etiam, velut ad horum temporum Historiam pertinens, a *Cod. Iustin.* Iungenda autem illi *lex* 2. *supr. de postliminio*: & *lex* 1. *supr. de litorum & itin. Custod.* Imo & *lex* 3. *Cod. Iust. de commerciis*: vt puto & *lex* 8. *Cod. eod. de Episcopali aud.* GOTHOFRED.

(b) *Theodorus* PP. sub Honorio A. D. 408. & quidem Italiae, in qua Praefectura Illyricum quoque Occidentale fuit. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) Occidentalis, quod Honorio *huius l.* auctori parebat. IDEM.

(d) *Partes*, proprie v. *Gloss.* IDEM.

(e) Gothorum &c. ID.

(f) *Speraretur*, id est, timeretur: vt in illo Virgilii 4. *Aeneid. v.* 419.

Si potui tantum sperare dolorem.

Eodem sensu saepe apud veteres ICtos. *l.* 66. *D. de rei vindicat. l.* 3. §. 6. *D. si cui plus quam per leg. Falcid. l.* 13. *in fin. D. de damno infect.* Suidas quoque *voc.* ἐλπίσας, refert Atticos τὴν ἐλπίδα de cuiusuis euentus etiam aduersi expectatione vsurpasse. v. *Glossar.* ID.

(g) *Sedes*, id est, possessiones, & quidem tutiores. IDEM.

(h) *Externas*, siue in eadem patria & dioecesi: siue extra eam, in alia qualibet terra, vt *fine legis*. ID.

(i) *Praescriptum*, Edit. prior Cuiac. & illa in 4. RITTER.

(k) Hinc *susceptorum* vox hac in re propria: vid. *Gloss.* GOTHOFREDVS.

COMMENTARIVS.

Secunda haec *hoc titulo* Honorii Constitutio est in Petitores: qua eorum *libidini* (vt *h. l.* vocatur) auiditati, froenum iniicit. Quae quidem pars est prolixioris & humanissimae constitutionis Honorianae, vnde desumptae sunt duae praeterea *hoc Codice* Constitutiones, puta *lex.* 1. *sup. de litorum & itinerum custodia*: & *lex vlt. supr. de postliminio*: Imo & Tertia, vt existimo, puta *lex* 3. *Cod. Iust. de Commerciis*: tandem & Quarta, vt censeo, *lex* 8. *Cod. Iust. de Episcop. aud.* quae proinde omnes huic nostrae coassandae veniunt. Ea constitutione Honorius Imp. caeso Stilicone id vnum egit, vt quia Barbari Gothi &c. Orbem Rom. lacessissent, ac nominatim *Illyricum Occidentale*, vt inquam, commercio, communioni, communicationi, charitati denique Christianae, & mutuo, sic vt dicam, compassui, consultum iret, e contra prouincialium ipsorum Barbarae in se inuicem immanitati & feritati
P. 449 occurreret, idque partim rerum, partim personarum respectu: Rerum, inquam, hinc scil. perniciosam litorum & portuum Illyrici custodiam, quam Stilico instituerat, ne ex Oriente ad Imperium Occidentale pateret accessus, submouet *d. l.* 1. *de litorum & itinerum custodia*: vt frequentior esset diuersarum mercium commeatus, & eundi ac redeundi libera esset facultas. Hinc *d. l.* 3. *Cod. Iust. de commerciis*, nobiliores ac ditiores mercimonium exercere vrbibus perniciosum prohibet, quia difficile & graue est plebeio cum Nobili commercium. Ad *Personarum* vero respectum pertinet haec *lex* & *d. l. vlt. sup. de postlim.* Nempe cum personarum quarundam status hac tempestate periclitaretur, quarundam auiditate seu libidine necessitates alienas captantium, qui nihilo minus in conciues suos saeuirent quam Barbari: huic quoque rei & vel maxime consulendum credidit Honorius Imp. Erant scilicet qui obtentu vestium vel alimoniae miseris prouincialibus ad se confugientibus praebitarum, vel etiam ob redemptionis pretium a se depensum, eos in seruitutem seu statum seruilem deductos vellent. Itaque huic rei opitulari instituit Honorius *d. l. vlt. sup. de postliminio*: Huc pertinet quoque *lex vn. sup. de Ingenuis qui tempore Tyranni seruierunt lib.* 5. *t.* 6. Imo erant qui vagis tantum incolis ob metum Gothici exercitus, inlicite iugum seruitutis imponere vellent, idque etiam a Principe petere auderent. Id quod hoc capite prohibere visum Honorio: vetito quoquam Illyriciano peti in seruitutem. Ergo neque praeiudicio alimentorum aut redemptionis aut habitationis seu incolatus, tandem neque obtentu petitionis aut rescriptionis, quemquam in seruitutem duci petiue voluit Honorius. Quod tamen hac tempestate nonnulli volebant, agebantque: exercitumque id paulo post etiam, teste Saluiano, *lib.* 5. *de Gubernat. Dei*, *cap.* 9. loco huic quam conuenientissimo; qui in eum morem inuehitur grauissime. *Illud grauius*, inquit, *& acerbius, quod additur huic malo saeuius malum: nam suscipiuntur vt aduenae, fiunt praeiudicio habitationis indigenae: & exemplo quodam illius maleficae potentis, quae transferre homines in bestias dicebatur: ita & isti omnes, qui intra fundos diuitum recipiuntur, quasi circei poculi transfiguratione mutantur. Nam quos suscipiunt vt extraneos & alienos, incipiunt habere quasi proprios: quos esse constat ingenuos, vertuntur in seruos. Et miramur, si nos Barbari capiunt, cum fratres nostros nos faciamus esse captiuos*, & quae sequuntur.

Et haec quidem tum huius capitis, tum integrae Honorianae constitutionis, vnde hoc caput desumptum est, continentia est. Quod historicam Gothorum in Illyricum irruptionem attinet, de qua *hac l.* diserte agitur, id iam plene alibi explicatum est *ad l.* 1. *sup. de litorum & itin. custod.* & *d. l. vlt. sup. de postliminio*. Videatur de hoc inter alios Sozomenus, *lib.* 9. *c.* 5. Socrates, *lib.* 7. *cap.* 10.

XXVI. (a)

XXVI. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Maximo Com. R. P. (b)

ANTECEDENTIVM temporum constituta † firmamus, vt carere se fructu impetrati nouerint, qui contra geminatam præceptionem (c) contenderint: Nec cuiquam liberum permittatur arbitrium, instructionis sollemnitate transgressa, quicquam inprobum (d) de Nostra Clementia flagitare, cum oporteat instructionis luce euidenter agnosci, (e) cuius (f) æstimatio meritum (g) ponderandum sit, quod Nostra Munificentia relaxatur. (h) Dat. VIII. (i) Kalendas Aug. Honor. X. & Theod. VI. AA. Coss. [415.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Maximus* Comes R. P. sub Honorio Imp. Dicitur Comes S. L. *l. vlt. Cod. Iust. de commerciis*, quæ lex tamen potius tribuenda videatur Theodosio Iun. arg. *l. 4. eod. tit. de commerciis.* Hic est, PETRONIVS MAXIMVS COMES SACRARVM REMVNERATIONVM PER TRIENNIVM: Idemque post, PRÆFECTVS VRBIS, cui statua & inscriptio posita Romæ ab Honorio, Theodosio, & Constantio, in Corpore Inscription. CCCCXLIX. 7. *ID.*

† Intelligit *legem suam 2. sup. de Incorporatione*: ante 20. annos datam. *ID.*

(c) *Contra geminatam præceptionem*, est contra iteratam iussionem. *ID.*

(d) *Improbum* est, quod improbe petitur. Sic omnino Claudianus in eadem re, *lib. 2. de laudib. Stilicon. v. 146.* loco quem quoque laudabo ad *l. 27. inf.*

— — paruo non improba litera libro
Absentum condemnat (condonat) *opes. ID.*

(e) *Agnosci*, pro cognosci. V. *Gloss. IDEM.*

(f) Id est, cuius rei. *ID.*

(g) *Meritumque. ID.*

(h) *Relaxatur*, id est, conceditur, relaxari petitur, *h. l.* & *l. vlt. sup. de Incorporat. IDEM.*

(i) Eodem hoc die, iisdem Coss. data ad Grachum P. V. *lex 20. sup. de diuers. offic.* seu *l. 5. Cod. Iust. eod. tit. IDEM.*

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc *hoc titulo* Honorii Imp. Constitutio est, PETITORVM auiditati occurrentis: firmata anteriore super hoc ipso constitutione sua: puta *l. 2. sup. de Incorporatione*, quæ ante 20. annos data est A. D. 395. pariter vt *d. l. vlt. Cod. Iust. de commerciis*, quæ huic Maximo inscribitur, vetustas leges idem Imperator seruari iubet. Id scil. requirit Honorius, vt qui quid petiit & impetrauit a Principe, impetrato potiri, petitioque effectui tradi possit, post impetrationem ad se Imperatorem mittat Instructionem, quam *Instructionis lucem* vocat, id est, Breuem, Inuentarium, Descriptionem bonorum petitorum, quod & ipsum tertia adhuc *lege* constituit, puta, præter *hanc l.* & *d. l. 2. l. 3. sup. de incorporatione:* In hoc
P. 450 diuersus ab aliis nonnullis Imperatoribus, qui ne peti quidem ante hanc instructionem quidquam voluerunt: vt Valens Imp. *l. 11. sup.* Gratianus, apud Symmachum, *lib. 10. ep. 55.* (cuius verba retuli ad *d. l. 11.*) Theodosius M. *l. 14. 16. sup.* Theodosius Iun. *l. vlt. sup. de bonis vacantib.* Et rationem addit Honorius, nempe quod ex Instructionis luce euidenter agnosci debeat & possit, cuius æstimationis & meriti sit quod petitur: ne alioquin improbum quid & immodicum petatur. Ad eundem sane quoque finem Honorius alteram cautelam innexit *d. l. 2. & 3.* nempe, peti quidem bona ante Instructionem permisit, sed Impetrationem non ante effectui tradi voluit, quam secundario præcepto primam concessionem confirmauerit, de quo ad *d. leg. 2.* plenius. Et forte hæc ipsa videri possit sententia *huius leg. in pr.* ibi, *qui contra geminatam præceptionem contenderint:* id est, qui non expectato secundario præcepto, bona petita occupauerint. Secundarium igitur præceptum hac in re requisiuit Honorius, & quidem Principis, *d. l. 2.* qui postea tamen secundarium Comitis R. P. præceptum sufficere voluit, *d. l. 3. seu vlt. de Incorporatione.*

Interim quicquid *hac leg.* & *similibus* Honorius caueat, notandum hic est, quod Olympiodorus apud Photium *Cod. LXXX. pag. 186. Edit. Schotti*, & *Tom. I. Script. Rer. Byzant. Edit. Venet. pag. 148.* in Gestis Anni 414. scribit, Constantium vna postulatione, ἐκ μιᾶς αἰτήσεως, vniuersa Heracliani bona ab Honorio accepisse.

1. De TEMPORE *quod datum contradictori rei domino, ad se defendendum, & ad Comitatum veniendum. 2. de* VIVENTIVM *non conuictorum, non damnatorum, bonis non petendis.*

XXVII. (a) Idem AA. Largo (b) Proc. Afric.

QVICVNQVE ex præsenti die, sub specie caducorum, (c) quæcunque bona putauerit postulanda, eademque consensu nostræ liberalitatis acceperit, siue supplicis (d) Rescripti auctoritate nitatur, siue elicitis specialiter apicibus Adnotationis (e) expressæ, cum ad Transmarinam (f) prouinciam vel prouincias, in quibus sunt patrimonia constituta peruenerit, & contradictionem (g) domini, per quamcunque personam rem propriam defendentis, acceperit, effectum adepti benefici suspensa exsecutione non peragat, & ad Comitatum (h) spondentem venire immatura profectione non vrgueat: Immo ille qui pulsatus (i) fuerit, institutum (k) sibi integri anni spatium recognoscat, idoneum satis tempus muniendæ congruæ (l) tractatibus (m) litis, & instruendi, quem deserit, laris habiturus, nec ad iacturam veteris dominii sub iniuria properæ festinationis artandus; omnium Iudicum, quos locorum ratio exegerit implorari, publico muniendus auxilio, vt prædæ inhiantium (n) non dedatur. Quem si mora forsitan pro voluntate prolixior delectarit, nec intra anni metas quas fiximus, ad Inlustris Viri priuatæ rei Comitis examen occurrerit, sciat seipsum in se (o) tulisse sententiam, nec subeundi vltra certaminis experiendam esse fortunam. Cui si per impugnantium profectionem (p) circumdato (q) ad Comitatum pergere, aut peruenire liberum intra curricula præfinita non fuerit, apud quemcumque Iudicem contestatis querelis, & euidenter probatis, præiudicio contractæ non suo vitio tarditatis exutus, (r) & de factionis (s) auctore vindictam congruam prosequatur. Illud sane præ ceteris (t) prouidæ cautionis habiturus, vt statuto tempore legitimam (v) personam sui probaturus adueniat, non inlusor vtilitatis alienæ, nec futuræ disceptationis circumscribtor occurrat. Cum vero intra contiguas (x) vicinasque prouincias bona aliqua expetuntur, quorum contradictor potuerit inueniri, ad præbendam inter legitimas personas audientiam, & exercendum inter partes iure conflictum, ex die conuentionis perlatæ in notitiam pulsatorum (y) sex mensium spatium præcipimus custodiri, cuius euentum examinis adsertor iuris proprii debeat præstolari. Viuentium quoque bona (z) competendi licentia vindicamus, qui criminibus, in (aa) quibus videntur (bb) argui, nec iudicio conuicti, nec sententia probantur addicti, &c. Dat. V. Id. Octob. Rau. Honor. X. & Theod. VI. AA. (cc) Coss. [415.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iust.* Iungenda autem huic, *lex 28. prox. inf. & l. vlt. sup. de Incorporatione.* Hanc *leg.* suam memorat & confirmat idem Honorius *l. 30. in f. inf.* GOTHOFR.

(b) *Largus* Proconsul Africæ sub Honorio, cui inscribuntur *dictæ leges.* *ID.*

(c) Hic generali *Caducorum* appellatione veniunt etiam vacantia: Denique omnia quæcunque cadunt in fiscum. *IDEM.*

(d) *γρ. Simplicis.* Nempe *simplici rescripto* opponuntur hic *eliciti specialiter apices*, & *Adnotatio expressa*, de quo mox plura. *ID.*

(e) De his *Adnotationib.* dixi semel in *Paratitlo de diuers. rescript.* *ID.*

(f) *Transmarina* prouincia, id est, Africa: cuius Proconsuli *hæc lex* inscribitur: data ex vrbe Rauenna: cuius respectu transmarina prouincia Africa. *ID.*

(g) De *Contradictore* mox rursum *infr. versi. dum vero.* V. quæ *supra* notaui ad *l. 11.* *ID.*

P.451 (h) *Comitatus* Principis: Vbi Comes quoque rei priuatæ erat, vt sequentia ostendunt. *ID.*

(i) *Pulsatus*, id est in possessione sua turbatus, inquietatus, conuentus: ita mox rursum *sub fin.* V. *Gloss.* *ID.*

(k) Pro *præstitutum*, vel *indultum.* *ID.*

(l) *γρ. Congrue.* *IDEM.*

(m) *Tractatus* sunt instrumenta, probationes, documenta. *ID.*

(n) *Inhiantium* vox, de petitoribus: & inhiationis, *l. 15. supr.* vbi dixi. *ID.*

(o) *In se* ferre sententiam, *h. l. & l. 30. in fin. infr.* Sic & D. Paulus de hæretico post vnam & alteram admonitionem deuitando ad *Titum, c. vlt. v. 11.* εἰδὼς, ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος; vbi Tertullianus *sibi damnatum*, interpretabatur. Similis formula *canone 19. Codicis Africani Tom. I. Concil. pag.* 875. *edit. Harduin. Si autem ad Concilium vniuersale anniuersarium occurrere noluerit, vt vel ibi causa eius terminetur, ipse in se damnationis*

tionis sententiam dixisse iudicetur. Videndus & *canon* 29. *eiusdem Codicis pag.* 879. *edit. cit.* Eadem formula vsurpata & de his, qui vim vitæ suæ inferrent a Tertulliano *Apologetico*, & Apuleio *lib.* 8. *pag.* 143. *edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* *IDEM.*

(p) An *porro factionem*, vt infra? *ID.*

(q) *Circumdato*, id est, constricto, impedito. *ID.*

(r) *Exutus*, id est, liberatus. *ID.*

(s) *Factio*, de impedimento obiecto, quominus quis in iudicio seu iure se sistat. *ID.*

(t) Id est, ante omnia hanc prouidam cautionem habiturus, seu prouide dispecturus. *ID.*

(v) Quod legitimus sit dominus bonorum petitorum. *ID.*

(x) Veluti in prouincia Venetiarum: & similibus. *IDEM.*

(y) Id est, Conuentorum, vt *supr.* *ID.*

ALTERVM *huius l.* caput. *ID.*

(z) *γρ. Bona a competendi licentia vindicamus.* *ID.*

(aa) Id est, de quibus. *ID.*

(bb) *Videntur argui*, id est, arguuntur. vid. *Gloss.* *ID.*

(cc) Reponendus hic Consulatus, vt exstat *dict. l.* 28. *infr. prox.* & *d. l. supr. de incorporat.* Honorio XII. & Theodos. VIII. id est, An. D. 418. *ID.*

---

1. *De* DELATORIBVS *iudicio sistendis.* 2. *inque* DELATORES *Secundo, vel Tertio deferentes.*

XXVIII. (a) Idem AA. Largo PROC. (b) Afric. Post alia.

DELATORES, sine quibus petitionem nullam aut inchoari, aut peragi iubemus, certa denuntiatæ auctoritatis (c) condicione constringimus, vt ignoscendum sibi si semel probauerint delata, non ambigant; Periculosam vero sibi futuram esse victoriam iteratæ proditionis abrupto (d) periculo recognoscant: Sin vero tertia voce (e) detulerint, non probandum, sed pœnam sibi protinus nouerint potius subeundam, &c. Dat. V. Id. Octobr. Rau. Honor. XII. & Theod. VIII. AA. Coss. [418.]

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abest a *Cod. Iust.* Et coniungenda ei *lex* 27. *supr.* & *d. l. vlt. supr. de Incorpor.* GOTHOFR.

(b) *Largus* Proc. Africæ sub Honorio. *ID.*

(c) *Auctoritas* hac *leg.* & *l.* 31. 32. *infr.* pro Iussione Imperatoria: vid. *Paratitl. de constit. Princip.* *ID.*

(d) *Abruptum* periculum: hac voce vtitur Am. Marcellinus *lib.* 14. *cap.* 1. & *lib.* 15. *cap.* 2. & Aurelius Victor. *in Alexandr. cap.* 24. vid. Lindemb. *in Am. Marcellinum lib.* 14. *cap.* 1. *pag.* 7. *edit. Gronou.* *ID.*

(e) Et vice. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

QVARTA, Quintaque hæc *hoc titulo* Honorii constitutio est, vtraque inter se coniungenda simul & *l. vlt. supr. de incorporatione:* Sunt enim hæ tres *leges*, vnius & eiusdem Honorianæ constitutionis partes: qua is prolixe tum fisci vtilitati, tum possessorum securitati aduersus petitorum inhiationem, & delatorum proditiones consultum voluit: Fisci, inquam, vtilitati aduersus petitorum improbas & immodicas petitiones, quo pertinet *d. l. vlt. supr. de incorporatione:* Possessorum vero securitati aduersus petitorum inhiantium prædam, *leg.* 27. aduersus delatorum proditionem, *leg.* 28. Igitur Honorius priore *l.* 27. duobus frænis iniectis petitorum prædæ & inhiationi, possessorumque securitati consultum it: non tantum *si simplex* (nam ita rescribendum) rescriptum quis impetrauerit: sed & si specialem adnotationem & expressam. *Rescriptum simplex* erat, cui solus Quæstor subscribebat, his ferme verbis, *QVÆSTOR LEGI:* vt constitutionibus Iustini & Tiberii *de adscriptitiis.* At specialis adnotatio, *h. l.* & *l.* 2. *sup.* cum ipse Princeps libello subscribebat, vt in *Nouella* Valentin. *de homicidio casu facto*, vnde adnotatio manus Principis *l.* 52. *infr. de hæreticis:* adnotatio nostra, *l.* 47. *eod. tit.* adnotatio sacra, *l.* 41. *infr. de op. publ.* Eliciti specialiter apices Adnotationis expressæ, *hac leg.* de quo plene sup. *paratitlo de diuersis rescr.* Primum frænum est ratione & fauore *Possessorum*; scilicet iustum *Temporis* spatium, possessoribus bonorum, quæ ceu caduca petita & a Principe donata sunt, datur, ad sese defendendos. *Contradicendi* scil. seu opponendi sese potestas libera, his qui in possessione bonorum erant, quæ a Principe donata fuerant: quod etiam ex singulari Ammiani Marcellini loco *lib.* 31. *cap.* 14. liquet, quem ad *l.* 11. *supr.* produxi: & ex illa ipsa *l.* 11. & *l. vlt. supr. de bonis vacantibus.* Eaque (quod etiam hic notandum) contradictio seu oppositio per quamcumque personam nomine domini fieri poterat: Domini, inquam, absentis, per personam coloni, actoris, procuratoris, conductoris, qui absentis nomine possident. Igitur pro diuersitate seu longinquitate locorum spatium illud *hac l.* tribuitur, vt P.458 in aliis cæteroquin legitimis præscriptionibus: quod etiam docet *lex* 13. *supr. de iure fisci:* *l.* 41. 63. *infr. de appellat.* Nempe si in Transmarina aliqua prouincia bona donata constituta sint, velut in Africa, quæ vtique transmarina prouincia fuit, & ἰδίως dicebatur, de quo dixi plene *l.* 4. *supr. de feriis.* Italiæ respectu, ex cuius vrbe Rauenna, vbi tum Honorius Imp. eiusque comitatus erat, hæc *lex* data dicitur; tum domino seu possessori bonorum dona-

donatorum Honorius *hac l.* anni spatium tribuit ad contradicendum, & propriam rem defendendam. Quod & ipsum rursum statuitur ab eodem Honorio *fine l. 30. infr.* Atque adeo ad Comitatum Principis veniendi: vbi Comes R. P. cuius sententia excipienda erat. Si vero in contigua vicinaque Comitatui Principis prouincia res sit, sex mensium spatium tribuit. In cuius capitis contextu multa singularia occurrunt.

Primo non esse arctandum possessorem, neque immatura profectione vrgendum, seu iniuria properæ festinationis; verum suspensa executione, dandum ei idoneum tempus ad muniendam congrue tractatibus litem, & instruendum quem deserit larem. Quomodo & reo ad componendos mœstos penates triginta dies indulgentur *l. 3. & l. vlt. supr. de exhib. reis.*

Secundo implorari posse Iudicum auxilium a possessore, ne prædæ inhiantium dedatur, ne ad iacturam Dominii arctetur, id est, possessione expellatur, sub iniuria properæ festinationis. Qui casus addendus aliis, quibus nobile iudicis officium implorari potest ad vim arcendam.

Tertio, Possessori bonorum donatorum opponi non posse præscriptionem superiorem annalem, si per impugnantium profectionem circumdato ad Comitatum pergere aut peruenire intra annum præfinitum non licuerit: vt cæteroquin qui per aduersarii factum vel factionem (vt *hac leg.* vocatur) iudicio se non sistit, præscriptione repelli non potest: de quo *tit. D. siquis cautionibus in iudic. sisti:* & præiudicio tarditatis non suo vitio contractæ exuitur, vt *h. l.* eleganter dicitur. Vnde colligere licet, quanta tum temporis audacia petitorum prædæ inhiantium fuerit, qui non tantum absentium bona peterent, verum etiam miseris possessoribus ad Comitatum Principis veniendi aditum etiam præcludere sustinuerint. Contra, Claudianus inter *laudes Stiliconis* (penes quem Summa Imperii Honorii, cuius hæc est lex, erat) *lib. 2. a v. 145.* ponit

- - non indecores Æraria lassant
Expensæ: paruo non improba litera libro
Absentum condonat (condemnat) *opes:*

qui locus hic singularis est; nam & eo spectat *hac lex*, & *d. l. 29. 30. 31.*

Alterum frænum, quod Petitorum auiditati *hac l. 27.* ab Honorio iniicitur est, quod *viuentium* non conuictorum damnatorumque aliquo crimine bona peti vetet. Quod & ipsum vetitum rursus ab eodem Honorio *l. 29. infr.* Et hæc quidem de *l. 27.* & de frænis quæ inhiantium seu petitorum prædæ obiicienda credidit Honorius.

Idem & DELATORIBVS occurrendum putauit *l. 28.* duobus circa eos constitutis: Primo (quod & ipsum pro fræno Petitorum auiditati positum) Delatorem a petitore iudicio sisti iubet, antequam petitio inchoetur vel effectui tradatur, de quo sunt decem præterea *hoc Codice* constitutiones: de quo semel ad *leg. 8. sup.* Secundo, non sine periculo secundam seu iteratam delationem quem instituere posse. Tertio, deferentes ne audiri quidem vult, verum pœnam iis protinus imponi: Cum tamen Theodosius M. pater eius audiri quidem eos voluerit, sed tamen supplicio capitali affici, etsi vera detulerint, *l. 13. supr.* vbi plura. Artem scil. delatoriam exercentibus odium suum indixere boni Principes: Nemo elegantius & detestatius quam Honorius *h. l.* cuius elegans gradatio notanda est.

VIVENTIVM *bona, quænam & quando peti possint? 1. Nonnisi* proscriptorum; 2. *Nonnisi* post biennium: 3. *Nonnisi* vnius: 4. *Non ex* Edictis pendentibus. 5. *Non ex* priuatorum contractuum inficiatione.

XXIX. (a) Idem AA. & Constantius A. Palladio P. F. P. (b)

NVLLVM patimur conpetitioni subiacere *Viuentem*, nisi quem crimini obnoxium capitalis sententia deportationi addixerit, vt ademptio facultatum pœnam præmissæ indignationis adcumulet. (c) De quibus tamen, sicut Diuali sanctione + decretum est, competi per biennium nihil iubemus. Vno tamen petitorio (d) singulorum bonuscula (e) iubemus adscribi, nefas esse censentes, plurimorum vno pittacio (f) postulari sub inlicita cupiditate fortunas. * Ex Edictis etiam pendentibus nullas conpetitionis causas iubemus inferri; cum vix (g) subiurgii sit contumeliis Edictum, nec (h) existimationem latentis (i) incesset, Criminalis vero programmatis tenor, hanc tantum (k) ferat (l) de iure censuram, vt inter reos adnotato non tam (m) censum (n) debeat transferre, (o) sed (p) famam. (q) Ex priuatorum quoque sollicitudine contractuum, qui frustra (r) negantur, illis plerumque personis, a quibus publici muneris iniuncta curantur, nullum fomitem calumniæ (s) patimur litis accendi: Cur enim continentiam (t) venditionis (v) alienæ inquisitio Palatina rimetur? Quinquaginta sane libris auri multandum se Palatinum discat Officium, (x) nisi legis huius salubre decretum perpetua executione seruauerit. Dat. VIII. (y) Id. Iul. Rau. Eustatio & Agricola Coss. [421.]

NOTAE

P. 453 (a) Iungenda huic est lex prox. 30. infr. & lex vn. sup. de quinquennii præscr. lex 23. sup. de bonis proscriptorum: Ex hac desumpta vel interpolata est lex 3. Cod. Iust. de requir. reis: ex l. prox. l. 4. Cod. eod. de Bonis vacantib. ex d. l. 23. lex 10. Cod. Iust. de iure fisci. GOTHOFR.

(b) Palladius PP. sub Honorio: sed non Orientis, vt perperam habet Cod. Iust. d. l. 10. de iure fisci. Vid. Prosopogr. IDEM.

(c) Id est, si pœnam ademptio facultatum sequatur. *ID.*

† Arcadii *l.* 23. *sup. ID.*

(d) *Petiterium* vnum, mox pittacium, μὲν δέησις Olympiodoro, apud *Photium Cod. LXXX. pag.* 186. *Edit. Schotti,* & *pag.* 148. *Tom. I. Script. R.B. Ed. Venet.* vbi de Heracliani bonis a Constantino petitis. *ID.*

(e) *Bonuscula.* Sidonius *lib.* 9. *ep.* 6. *Reuelare, quantum de bonusculis auitis paternisque, sumptuositas domestica Charybdis abligurisset.* Sic & *Resculae* dicuntur. *ID.*

(f) *Pittacium,* paulo supra *petitorium. ID.*

* *Lex* 3. *seu vlt. Cod. Iust. de requir. reis,* hinc interpolata est. *ID.*

(g) γρ. *Fixsum sit iurgiis & contumeliis,* id est, *in pecuniariis caussis,* vt mutatum id *Cod. Iust. Iurgium* de priuatis caussis, seu ciuilibus, *contumelia* de priuatis delictis. *ID.*

(h) *Nec,* id est, nequidem. *ID.*

(i) Seu latitantis, qui edicto citatus est. *ID.*

(k) *Cod. Iust.* plane contra: *hanc,* inquit, *tantum ferat de iure censuram, vt inter reos adnotati non tantum patrimonium debeat transferre, sed & famae existimationem ledere. ID.*

(l) *Inferat. ID.*

(m) *Non iam,* cui respondet mox, *sed. ID.*

(n) *Censum,* id est, patrimonium, vt habet *C. Iust. ID.*

(o) Vox hæc verbis quoque illis, *sed famam,* respondet. Quod cum Triboniano non placeret, peculiare verbum verbis illis, *sed famam,* aptauit; *ledere. Transferre* est, alio traducere, μεταφέρειν, & sic famam, (bonam scil.) alio transferre, id est, *malam.* Contra, *famam proferre. ID.*

(p) Respondet hæc aduersatiua illis sup. *non iam. ID.*

(q) *Famam.* Tribonianus substituit *famae existimationem*: quo nil opus erat, *fama* absolute pro bona: vt in illo Virgilii *Æn. X. v.* 468.

Famam extendere factis.

est contra vbi absolute pro *mala. ID.*

(r) Id est, perperam. *ID.*

(s) *Calumniosæ litis. ID.*

(t) Continentia, *le contenu. ID.*

(v) *Conuentionis. ID.*

(x) Officialium Palatinorum Comitis R. P. *ID.*

(y) *VII. Kal. Iul.* nonnullæ Edit. Cod. Iust. *in d. l. vlt. ID.*

MORTVORVM *bona quando peti possint, & impetrata effectui tradi: Nempe* 1. DELATORE *prius exhibito (de cuius etiam pœna aliquid additur)* 2. *& vnius Anni induciis possessori tributis ad ius suum allegandum.*

XXX. (a) Idem AA. & Constantius A. Palladio (b) PFP. (c) Post alia.

CADVCA * *Mortuorum* bona tunc ad conpetitores (d) iubemus ex nostra largitate transferri, si nullum ex qualibet sanguinis linea vel iuris titulo legitimum reliquerit intestatus heredem. Eorum ** vero patrimonia mortuorum, qui vitæ suæ tempore diuersis conscientiam suam dicuntur polluisse criminibus, conpeti (e) nequaquam debere censemus, nisi quos publica accusatione constiterit fuisse conuictos. Dummodo inpetrationis huiusce Rescribtum non prius liceat allegari, quam delator Palatino fuerit adsignatus Officio, nulli penitus satisdationi credendus. In quem, si concessa titubauerint, (f) calumniæ pœna referatur, quamuis hoc ipsum quod voluit esse delator, pœnæ (g) iam sit ex iure mancipium. Vbi tamen impetratæ conpetitioni (h) auctoritas possessorem conuenerit, sicut iam generali lege † decretum est, per hunc (i) vnum annum conueniendi (k) ad Inlustre (l) iudicium intemeritatis (m) facultatibus præstamus indutias, vt cognitione suscepta substantiam (n) sui iuris alliget. (o) Qui si per anni metas, dissimulatis his suo vitio, non fortunæ casibus aduersantis, (p) fraude defuerit, in se (q) videbitur tulisse sententiam, &c. Dat. VIII. Id. Iul. Rau. Eustathio & Agricola Coss. [421.]

NOTAE.

(a) Iungenda huic legi *lex superior* 29. aliæque quas ad *eam leg.* indicaui. GOTHOFRED.

(b) *Palladius* PP. sub Honorio Imp. *IDEM.*

(c) Orientis, *in Codicib. nonnullis Iustin.* male. *ID.*

* *Lex 4. Cod. Iust. de bonis vacantib. & de Incorporatione*, hinc desumpta est: mutata prima hac voce *Caduca* in *vacantia*, propter Caduca sublata. *ID.*

(d) *Ad fiscum*, C. Iust. resecatis etiam sequentibus illis, *ex nostra largitate*, propter petitiones sublatas. *ID.*

P. 454 ** *L. 10. Cod. Iust. de iure fisci*, hinc desumpta & interpolata est. *ID.*

(e) *Fisci rationibus nequaquam competere, vel ab eo alienari.* Ita C. Iust. ob dicti rationem: de quo mox. *ID.*

(f) Id est, non talia fuerint, & sic non fisco quæsita, quæ donari possent. *ID.*

(g) *Mancipium* pœnæ. *IDEM.*

(h) *γρ. Competitionis*, vt expresse habet Editio in 4. & prior Cuiac. *ID.*

† *Leg. 27. sup.* intelligit. *IDEM.*

(i) *Huic per vnum annum.* Sed nil temere muto. *ID.*

(k) *Conueniendi* pro simplici *veniendi*. *ID.*

(l) Ad Inlustrem Com. R. P. vt docet *d. lex 27.* *ID.*

(m) *Intemeratis* facultatibus, id est, penes eum manentibus interim. *IDEM.*

(n) *Substantia iuris*, est meritum. v. *Gloss. Th.* *IDEM.*

(o) *γρ. Alleget.* *IDEM.*

(p) *Fortunæ aduersantis casus.* *ID.*

(q) Dixi ad *d. l. 27. not. o.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

Sexta & Septima hæc *de Petitionibus bonorum* Honorii *hoc titulo* Constitutio est: quæ prolixioris Honorianæ constitutionis partes sunt, vna cum *leg. vnic. sup. de quinquennii proscr.* & *l. 23. supr. de bonis proscriptorum:* quæ proinde hisce coassandæ veniunt. Ea Constitutione Honorius Imp. prolixe & enixe, tum Petitorum cupiditati occurrit, quo pertinet *lex 29.* & pars *legis 30.* vt & *d. l. 23. sup. de bonis proscriptorum:* tum Delatorum proditioni, quo spectat altera pars *d. legis 30.* tandem & Possessorum quieti consulit *fine legis 30.* & *d. l. vn. sup. de quinqu. proscript.* Tria proinde harum *legum* capita sunto. Primo capite, *Petitorum* cupiditati occurrit Honorius Imp. definitis bonis, quænam videl. quoue casu, & modo, peti possent: cum petitorum cupiditas nihil indiscussum relinqueret, omnesque deprædandi sinus pertentaret, & fine modo bona tanquam fisco quæsita sibi vindicaret, tum viuentium, tum & mortuorum. Igitur quænam Viuentium, quænam Mortuorum bona peti possent, definiendum sibi semel credidit Honorius. De *Viuentium* bonis primum, quæ variis occasionibus peti solebant: ac primum damnationis pœna capitali & criminis occasione. Igitur damnatorum viuentium bona Honorius peti vetat, quamlibet criminis damnatorum: nisi pœna deportationis affecti fuerint. Deportatio scil. bonorum proscriptionem secum trahit; & *vt hac l.* eleganter dicitur, *ademptio facultatum pœnam præmissæ indignationis adcumulat:* Neque minus a Constantino M. *l. vn. sup. de sent. passis & restitutis*, deportationis ipsum per se nomen rerum omnium spoliatio est. Idque ipsum comprobant *hoc Codice*, *lex 8. sup. de bonis damnat. l. 2. in f. sup. de vi: l. 3. de fisci debitor. l. vn. sup. ne sine iussu Princip. l. vn. in f. sup. de Nili aggerib.* Viuentium equidem, nisi criminis conuictorum, & sententia addictorum bona, idem Honorius iam antea peti vetuerat, *l. 27. in f. supr.* at nunc eorum tantum bona ῥητῶς peti concedit, qui deportationis pœna affecti fuerint. Vnde colligi posse videtur, non aliorum reorum, quibus vita relinqueretur, bona proscripta, quam eorum qui deportationis pœna affecti fuissent: de quo aliquid adhuc ad *d. l. 3. inf. de fisci debitor.* Quinimo vt maxime deportatorum bona peti concedat *hac l.* Honorius, duas tamen adhuc fibulas hac parte *Petitorum Cupiditati* imponit. Prima est ratione *Temporis:* nempe intra biennium post deportationem bona ea peti vetat, firmata super hoc Arcadii *lege 23. supra hoc titulo* quæ repetita *leg. 17. supra de bon. proscriptorum.* Quod anno postea mutatum Theodosii Iun. *Nouella 44. de competitionibus:* qua hoc ipsum cauebatur: vbi & ratio eius rei redditur, humanitatis plenissima. Altera fibula est, quod *Vnius* tantum proscripti bona ab aliquo peti possint, non vero plurium. Nimiæ scil. petitorum cupiditati vela vlterius laxari noluit Honorius. Et hæc de viuentium criminis damnatorum bonis, quorum, inquam, & quando, & quatenus ea peti possint.

Secundo, *Latitantium quoque Edictis citatorum* bona, peti vetat *hac l.* Honorius: siue in causa ciuili, siue in criminali: in causa ciuili hac ratione reddita, quod hoc casu Edictum *fixum sit iurgiis & contumeliis*, ita enim *hanc l.* restituo: & nequidem existimationem latentis incesset: in quod Edictum citatorium propositum seu pendens in causa ciuili, meram *vtilitatem priuatam* spectet, tantumque abest, vt bona ideo latitantis fisco adquirantur, vt nequidem existimatio seu fama latentis percellatur, quod hinc transfusum est *in l. 3.* seu *vlt. Cod. Iust. de requir. reis.* In causa vero criminali programma seu Edictum citatorium, hanc tantum censuram de iure infert, vt citati, & inter reos adnotati censum seu patrimonium non *transferant*, id est, non ideo bona confiscentur, verum fama tantum, bona scil. alio *transferatur*, in malam scil. Quod Tribon. mutauit in *lacessatur*. Vt alioquin fama in ancipiti est. In quo Honorii alia mens est, quam fuerat Constantino M. *l. 2. sup. de accusat.* seu *l. 2. C. Iust. de requir. reis*, cuius sententiam prætulit Iustinianus: atque ideo hanc *huius l.* sententiam in contrarium sensum immutauit Tribonianus *d. l. vlt. Cod. Iust. de requir. reis:* nempe tantam censuram inferre criminalis programmatis tenorem, vt inter reos adnotati, non tantum patrimonium transferatur, sed & famæ existimatio lædatur. Et est locus hic admodum singularis de Edictis pendentibus seu citatoriis, eorumque vi.

Tertio, neque ob *Inficiationem Contractus* cum eo initi, a quo publicum munus iniunctum curatur, quidquam fisci nomine, vel a fisco peti permittit *hac l.* Honorius. Scilicet vt maxime quis cum eo qui publicum munus adcurat, contractum aliquem inierit, mox *frustra* seu mala fide contractum illum inficietur, attamen non hanc inficiationis istius pœnam esse vult Honorius, vt bona eius ideo confiscentur, vel in totum vel in partem: Cur enim, inquit, continentiam venditionis (malim *conuentionis*,) alienæ inquisitio Palatina, id est, Palatinorum Comitis R. P. rimetur? Ac si diceret, nihil commune habet fiscus cum contractu priuato, neque ex inficiatione eius lucrum aliquod fiscus captare potest: sua scil. est inficiationis pœna, sed priuata, quæque priuatam vtilitatem tantum spectat: vt sane XII. Tabulis olim duplionis pœna imposita inficianti erat: quod docet Cicero 3. *de Officiis cap. 17.* Et notum quod de actionibus quæ

inficiando crescunt, etiam *Instituta* monent, & Paulus 1. *sentent.* 19. §. 1. Et hoc quidem de viuentium bonis; & sic de *lege* 29.

P. 455. Sequitur *lex* 30. in qua agitur de *Mortuorum* bonis; quando scil. ea peti possint. Sunt porro mortuorum bona triplici pariter in discrimine. 1. Vel enim eorum bona tanquam *Caduca*, id est, ἀκληρονόμητα petuntur. Igitur *hac l.* definit Honorius: Quænam proprie bona caduca, id est, vacantia (quam vocem substituit Tribonianus *leg.* 4. *Cod. Iust. de bonis vacantib.* quæ hinc desumpta est) Mortuorum ἀκληρονόμητα bona dicenda sint, & vt talia a fisco peti possint. Nempe tum demum, si mortuus *intestatus* nullum hæredem reliquerit ex qualibet sanguinis linea, vel iuris titulo. Vnde colligi posse videtur, ante *hanc leg.* quædam *intestatorum* bona, etsi aliquem ex sanguinis linea, vel iuris titulo legitimum hæredem relinquerent, fisco adquiri, ac proinde & peti solita. Ait lex, *ex qualibet sanguinis linea*, id est, quamlibet remota agnatorum, cognatorum linea, remoto gradu: cognationem scil. omnem *sanguinis* appellatio hic complectitur: Ait lex, *Ex quolibet iuris titulo*, non tantum ex testamento, verum etiam ex alio successionis genere: veluti coniux (vt probat quoque *lex vlt. sup. de legitim. hæred.*) consors, (de quo *inf. tit.* 14.) patronus: Post hos omnes scil. Fiscus est, anomalus hæres: de quo Symmachus etiam *lib.* 10. *ep.* 55. in hoc ipso argumento: *Statuerat,* [Gratianus] *cum Martianus dudum Protector, Aggariæ bona tanquam vacantia postulasset, vt si ea hæreditas* SCRIPTVM *successorem vel* LEGITIMVM *non haberet, in ius fisci tanquam domino nuda concederet,* &c. Eodem refero & alteram Symmachi *epistolam* 117. *lib.* 9. *Petitio tua super hæreditate C. M. V. Ærii, neque mihi, neque aliis, qui tui curam gerunt, visa probabilis: Nam quæ* IVRE AC LEGIBVS *sunt relicta, alienari impetratione non possunt. Quod ita esse Valentinianus communis amicus expertus est, qui magnopere laborauit, vt aliquid si fieri posset excuteret: sed eum refragante iustitia deseruit laboris effectus. Proinde si quid mihi credis, remoue a te petitionis inuidiam, quod etiam consorti opto suaderi. Malo vobis integram esse famam, quam imputari huiusmodi inhiationem.* Videndus & Theodoricus apud Cassiodorum *VI. Var.* 8. & *Nouella Iustin.* 1. Et hæc de mortuorum absque vllo iusto hærede bonis, seu de bonis *vacantibus*. Et sic quoque de *leg.* 4. *Cod. Iust. de bonis vacantib.* quæ hinc interpolata est.

Secundum genus Mortuorum est *Reorum* criminum. Et hi rursum in duplici discrimine sunt; vel enim superstites conuicti non fuerunt publica accusatione, sed post mortem tantum dicuntur vitæ suæ tempore, diuersis criminibus suam conscientiam polluisse: Et horum bona peti omnino vetat Honorius; Nempe vt mors crimina, ita & bonorum proscriptionem soluit, quæ tamen petitorum auiditate hactenus quandoque non soluebantur; qui ex cineribus & reliquiis defunctorum, reatu iniecto, prædæ inhiabant. Et hæc quidem altera sententia est *huius leg. vers. eorum vero:* quæ mire interpolata extat *l.* 10. *seu vlt. Cod. de iure fisci:* & ad quam prolixe tractant Interpretes, quando hæredes ex crimine defuncti teneantur? Vel superstites pro criminibus suis meruere puniri seu morte affici, & tum vel bona fisco nondum addicta sunt, & ea peti vetat, sed fisco ea addici, nisi liberos, patrem, matrem, matremue hæredes relinquat; quæ sententia est *legis* 23. *sup. de bonis proscriptor.* quæ eiusdem constitutionis Honorianæ portio *huic* coniungenda est, atque ita coassanda venit: vel iam addicta sunt: & tum peti possunt, *hac l.* ibi, *nisi quos* &c. Hinc igitur apparet, ea quæ ab Interpretibus etiam nouissimis *Codicis Iustiniani* prolixe tractantur, ad hanc rem nihil facere: qui post omnia, etiam *legem* hanc, vt relata fuit in *Codicem Iustinianeum*, nequidem cum *hac Originali* conferunt. Hactenus fibulæ impositæ Petitorum cupiditati Honoriana constitutione, e qua hæ duæ leges desumptæ sunt.

Secundo eius Constitutionis capite (quod continetur *l.* 30.) DELATORVM proditioni, idem occurrendum putauit; duobus circa delatores constitutis: quanquam & prius etiam ad petitorum cupiditatem refrænandam pertinet. Primum igitur statuit Delatorem iudicio seu apud Officium Palatinum Comitis R. P. adsignari, sisti, exhiberi, publicari oportere, priusquam liberalitas Principis allegari, & effectui tradi possit: de quo sunt decem præterea *hoc Cod.* constitutiones, deque eo ad *l.* 8. *sup.* Et ita quidem, iudicio sisti delatorem iubet Honorius, *vt nulli penitus satisdationi credendus sit*, id est, vt ipse iudicio sese sistere debeat, nulla cautione admittenda, qua liberari ab hac sui exhibitione possit. Est scil. tale factum delationis, tantum eius odium, vt incoram eam sustinere quis debeat, neque satisdationi credendus sit delator, propter pœnam quam eum sustinere oportet. Alterum in delatores istud statuitur *hac l.* quod si delator delationem sustinere non possit, *calumniæ* pœnam ferre debeat: addito hoc, quod eo ipso etiam quod voluit esse delator, pœnæ iam sit ex iure mancipium. Quod Honorii odium in delatores ostendit, maius quam antea anteriorum Principum, qui tertiæ tantum delationi pœnam minari deprehenduntur, *l.* 13. 28. *sup.*

Tertio iam & postremo capite constitutionis suæ Honorius, *fine legis* 30. *h. t.* & *l. vn. sup. de quinquennii præscript.* (quæ & ipsa *huic* coniungenda est) POSSESSORVM securitati cauet: Nempe 1. Neque ante annum elapsum a petitione, possessorem bonorum petitorum, & donatorum possessione deiici vult *d. l.* 30. *in fin.* verum *inducias* anni seu spatium annuum ei tribui, vt se iusque suum, & possessionem defendat apud Comitem R. P. pariter vt iam tribuit *l.* 27. *sup.* & postea *l.* 31. *prox.* 2. Neque post quinquennium: nempe pacifica quinquennali seu lustrali possessione, vt fiscus excluditur, ita & competitor: *d. l. vn. sup. de quinquennii præscript.* Atque ita iam non tantum duarum harum *legum* explicationem habemus, verum totius continentiæ constitutionis Honorianæ. Qua multa inter alia singularia continentur de *Iure fisci:* quod & quando in *Viuentium* vel *Mortuorum* bonis fiscus iuris habeat, vel non.

P. 456 *De* ANNI *spatio præstituto vt possessori ad contradicendum, ita & petitori ad demonstrandam petitionis suæ æquitatem. Deque* DESISTENTIS *pœna.*

XXXI. (a) Idem AAA. (b) Proculo Com. R. P. (c)

EDICTALI lege sancimus, vt sicut possessori vnius anni spatia præstita (d) sunt, intra quæ propriis allegationibus adfuturus adsit examini, ita his, (e) qui caduca, vel vacantia

cantia bona, vel quocunque nomine, tamquam fisco nostro quaesita, crediderit postulanda, simili forte teneatur: Quod nisi intra anni metas ex die auctoritatis (f) intra prouinciam publicatae petitionis suae demonstrauerit aequitatem, careat impetratis, ac possessori ad propria reuertendi facultas libera tribuatur. Cui desistente competitore, consuli volumus etiam de sumptibus & litis expensis. PP. in Foro (g) Traiani, VIII. Kal. Septemb. Honor. XIII. & Theod. X. AA. Coss. [422.]

NOTAE.

(a) Abest haec *lex a Cod. Iust. GOTHOFREDVS.*

(b) Imo, *Honorius & Theodosius AA. ID.*

(c) *Proculus* Comes R. P. sub Honorio: dicitur PP. *l. vlt. inf. de praed. nauicul.* vid. *Prosopogr. ID.*

(d) Et *praestituta. ID.*

(e) *Is. IDEM.*

(f) *Auctoritas* est Rescriptum, Adnotatio Principis; *hac l. & l. 28. sup. & l. 32. infr. ID.*

(g) *PP. in foro Traiani* haec *lex, & l. 2. sup. h. t.* vt multae aliae *hoc Codice*, quas cumulaui ad *l. 2. sup. de bonis vacantibus. IDEM.*

COMMENTARIVS.

ANNI spatium, quod possessori ad contradicendum, datum ab Honorio *l. 27. & 30. sup.* intra quod nisi sese defenderet, petitori locus fieret: hoc ipsum inquam anni spatium praefigitur *hac l.* ab eodem Honorio hac octaua sua *hoc tit.* constitutione, ipsi petitori ad petitionis suae demonstrandam aequitatem: Nempe saepe etsi possessores intra annum sese sisterent, attamen petitores, mora ludificante, in longum possessores protrahebant, neque sese iudiciis sistebant. Igitur *hac l.* Honorius petitori quoque ad petitionis suae aequitatem demonstrandam hoc ipsum anni spatium praefigit: Cum ante annalem hanc praescriptionem inductam, post trinam conuentionem petitor repelleretur, vt docet Valentiniani Iun. *lex vnica, infr. de petitor. & desistentibus.* In tantum etiam, vt petitorem, nisi intra annum adesset, vel desisteret, in sumptus litisque expensas condemnari velit *hac l.* Quod & ipsum Valentinianus Iun. *dicta l. vn.* constituerat. Qui vtique sumptus magni fuere. Quandoquidem necesse erat possessori, cui controuersia moueretur, ad Comitatum Principis & Comitem R. P. properare, saepe ex transmarina etiam prouincia, vt docuit *lex 27. 30. sup.* Et sic vt ad praxim *lex* haec deducatur; in *hac l.* exemplum habemus *annalis praescriptionis*, quod aliis addendum venit. Item exemplum habemus aliis addendum, condemnationis *in sumptus & expensas litis*, si qui in lite desistat. Quomodo & delator tenetur in sp. *l. 2. in f. si vagum pet. mancip.* vbi *habitae concertationis impendia* vocantur.

DIVISIO *seu* SOCIETAS *bonorum inter petitorem & fiscum.*

XXXII. (a) Impp. THEOD. A. & Valentinianus Caes. Valerio (b) Com. R. P. (c)

PETITORES bonorum partiri cum aerario nostro praecipimus; ac (d) si quis, (exceptis iuris Templorum possessionibus, vel patrimonialibus,) qualitercunque aliquid ad nostrum aerarium pertinens, nostrae nutu clementiae meruerit, postquam efficax quod impetrauerat postulatum rei ipsius euentum (e) constiterit, ex aequa cum aerario diuidere parte non dubitet; videlicet, impensis omnibus litis & sumptibus inputatis, ac petitori dein (f) summa integra tribuendis, vt quod pure (g) ad quaestus eius compendiumque deuenerit, in eius proculdubio (h) societatem admittat aerarium: Nullo ex his, quae de temporibus possidentis, vel aliis, veteri obseruatione & conpetitionum (i) auctoritate sunt tradita, deminuto, sed in sua omnibus stabilitate durantibus, vt in Delatores quae est nihilominus poena, &, si fieri potest, aceruior (k) exeratur. Quin & Iudex, siue Vir Inlustris Comes rei priuatae is fuerit, seu prouinciae moderator, integritatis proculdubio erit vehemens obseruator, quandiu priuato iurgio aequis conflictibus decertatur.
p. 457 Fisci etiam Aduocati praecipimus vocem in suo manere silentio, nec partem aerario vindicandis (l) admitti prius, quam iure cognitionali (m) sententia, quam quidem praesente fisci patrono proferri ac tractari praecipimus, petitor certissimam victoriam fuerit consecutus. Etiamsi lis ex transactione aut qualibet alia ratione fuerit sopita, modis omnibus suam a petitore vindicaturo aerario portionem: Quamuis etiam beneficio quis speciali sibi *de vniuersitate* praecauerit: alioquin titubet in petitore perceptio, si ius suum non constet aerario. Dat. III. Id. Mai. Constantinop. Theod. A. XI. & Valentiniano Caes. Coss. [425.]

NOTAE.

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* velut abolita, & propter petitiones sublatas. Memorat hanc *leg.* suam Theodosius Iun. *leg. vlt. h. t.* vbi partim eam confirmat, partim ei derogat. GOTHOFRED.

(b) Valerius Comes R. P. sub Theodosio Iun. Eidem inscribitur sine die & Cos. *lex vlt. Cod. Iust. de Agricolis & mancipiis domin.* IDEM.

(c) Dicitur *Comes S. L.* in *l. 17. infr. de murilegulis.* Ad *Valerium Virum Illustrem Comitem,* extat Augustini *Epistola* de eodem agit & *lib. aduers. Iulianum.* ID.

(d) *Ac proinde si quis.* IDEM.

(e) *γρ. Euentu.* IDEM.

(f) *γρ. De summa.* IDEM.

(g) *Pure:* id est, deductis impensis & sumptibus. ID.

(h) *Proculdubio* hic & infr. pro omnino. ID.

(i) *γρ.* vel *competitionum auctoritati,* vel *Constitutionum auctoritate.* ID.

(k) *Acerbior.* IDEM.

(l) *γρ. Vindicantis,* fisci Aduocati scil. vocem. ID.

(m) Id est, cognitione Iudicis. IDEM.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris duæ constitutiones sequuntur, puta hæc *lex 32.* & *lex vlt. h. t.* quæ vtraque in eodem argumento versatur; ita tamen, vt illa huic vnico tantum casu deroget. Nouumque vero ius quoddam hac constitutione a Theodosio Iun. inuehitur circa PETITORES, tum eorum cupiditati cohibendæ, tum Ærario seu Fisco locupletando, qui hac tempestate subsidiis Reipubl. necessariis vix & ægre sufficiebat. Quæ causa vel potissima fuit, huiusce noui iuris inuehendi. Igitur Theodosius Iun. *hac l.* & *d. l. vlt.* id vult, vt qui quædam bona forte ceu vacantia vel caduca a Principe petiit & impetrauit, cum Ærario seu fisco diuidere ex æquo debeat: sic vt dimidia pars eius petitori cedat, altera fisco. Quod quidem etiam inductum in Gallia Constitutione Regia A. 1561. Qua parte Theodosius Iun. æquabilem diuisionem instituit: Nam vt petitionibus locum adhuc esse voluit, ita petitori tum beneficii alicuius loco, tum & operæ in conquirendis bonis illi compensandæ, dimidiam sufficere credidit: quæ vtique opera sæpe vulgaris non erat: iudicio quippe sæpe, & lite ambigua aduersus contradicentem ei contendendum erat, variisque conflictibus res decertabatur: sic etiam vt non semper iudicio, verum transactione sæpe res finem acciperet, vt hæc ipsa *lex* ostendit.

Cæterum huic iuri ita nunc a se adinuento Theodosius Iun. varias exceptiones, limitationes, Extensiones *hac l.* & *d. l. vn.* subiungit. Exceptio prior *hac l.* est ratione *rerum.* Nempe ab hac diuisione possessiones iuris *Templorum* & Patrimoniales excepit, sic vt petitori eas ex asse cedere velit. Hic enim huius exceptionis sensus est. Ratio vero in aperto est: Eorum scil. bonorum dimidiam Theodosius Iun. Ærario seu fisco cedere voluit, quæ nunc primum fisco deferretur: atenim possessiones Iuris Templorum & patrimoniales iam in Ærario Principis erant: itaque cum ea donarentur, vtique ea in solidum petitori cedere oportuit. Altera exceptio quæ continetur *l. vlt. hoc tit.* est ratione *personarum.* Nempe priuilegio quodam singulari ab hac diuisionis necessitate excipiuntur ab eodem Theodosio Iun. Cubicularii, qui Principis cubiculo seruiunt, sic vt eos integro statu perfrui donatione velit: de qua exceptione *ad eam legem.* Et hactenus quidem exceptiones iuris huiusce noui.

Sequuntur *Limitationes.* Prima ratione *diuisionis*; Nempe deductis omnibus litis impensis & sumptibus, hanc diuisionem fieri oportere definit Theodosius: id est, ita, vt donatarius seu petitor prius ex bonis donatis quos fecit sumptus deducat, ac deinde ex residuo, quod *pure* quæstui & compendio eius cessit, dimidiam fisco tradat. Quod quidem tralatitium ius est: vt vbi diuidenda res venit, qui sumptus fecit, eos prius deducat: *Diuisionis* denique hæc *lex* est: cuius hæc species in tractatu diuisionis notanda.

Secunda limitatio est ratione *Processus Iudiciorum*, super bonis ceu vacantibus & caducis, donatis: ne alioquin fiscalis iam commodi obtentu lis suo Marte non decurrat, prauoque iudicio & corrupto res transigatur: contra, vt *hac l.* dicitur, *priuato iurgio æquis conflictibus decertatur.* Nempe non quia pars eius fisco cessura est, ideo Iudex minorem integritatem in hoc iurgio adhibere debet: sed causam discingere, haud aliter atque priuatum iurgium. Scilicet fiscalis commodi intuitu Iudices & cognitores sæpe ab integritate desciscunt. Cæterum notandum, quod *h. l.* Iudex huius iurgii constituitur vel Comes rei priuatæ, vel Rector prouinciæ: prout scil. bona vel in ea prouincia sita sunt vbi Comitatus est, vel in remota. Vnde apparet, hoc Theodosiano iure, possessorem bonorum petitori donatorio contradicentem, non iam necesse habuisse ad Comitatum venire, vt antea *ex l. 27. & 30. supr.*

Tertia Limitatio & ipsa ratione Processus Iudiciarii, atque eodem semper fine, quo secunda Limitatio, est; quod etsi Aduocato fisci præsente hoc iudicium agitari oporteat; (vt cæteroquin causas alias fiscales, *l. vlt. supr. de bonis vacantib. l. 3. §. 9. D. de iure fisci:*) attamen Aduocatum tacitum ibi adesse, neque vocem eius audiri oportet: Ne alioquin eius clamoribus & sermonibus Cognitores in praua trahantur: Et sic suo Marte hanc cognitionem decurrere voluit. Ergo tum demum vox eius audiri debet, cum petitor victoriam fuerit consecutus sententia cognitionali. Quod vtique singulare est, & notandum; Nudam aliquando præsentiam alicuius in actu aliquo iudiciario requiri, sic vt is tacere necesse habeat, eique silentium indicatur. Hactenus Exceptiones & Limitationes. P. 458

Sequuntur *Extensiones* duæ. Prior hæc est, quod etsi lis *Transactione* vel alia qua ratione sopita fuerit, Ærario semper dimidiam deberi iubeat Imperator, eius, quod in transactionem venit. Ergo transigere quidem licuit petitori seu donatario, vt in ambiguo seu de incerta lite: sed tamen ita, vt non ideo minus dimidia Fisco deberetur. Quod ideo statutum, ne alioquin per *Transactiones* fiscus iure suo priuaretur. Quæ sententia in materia *Transactionum* notanda est.

Secunda

Secunda Ampliatio hæc est; quod Fisco dimidia semper debeatur, etsi petitor forte Rescriptum a Principe impetrauerit de vniuersitate; id est, etsi rescripto expressum fuerit a Principe, nolle se Ærarium suum in communionem & societatem huius commodi venire. Qui quidem casus addendus est aliis, pariter vt *leg. 15. supr.* quibus Rescriptis suis fidem haberi, eaque obtinere Principes noluerunt. Quod quidem in hac specie, pro fræno petitorum auiditati, & vel potentissime positum. *Alioquin*, vt *hac l.* dicitur eleganter, *titubet in petitore* perceptio, si ius suum non constet Ærario.

Et hæc quidem de nouo isto Diuisionis iure. At enim vetus ius Theodosius *hac leg.* in cæteris confirmatum it: Nempe circa tempora possidentis, puta vt & annus integer possessori detur ad contradicendum, neque post quinquennium molestari possit: de quo ad *leg. superiorem:* item circa Delatores: adeo quidem, vt non tantum pœna statuta affici eos velit, verum & si fieri possit, acerbiore: de quo ad *leg. 30. supr.* Est igitur hæc *lex* velut singularis admodum notanda: qua petitorum partim auiditati modus impositus, partim fisci commodis innocenter consultum hoc nouo & legitimo *societatis & diuisionis* iure inducto: cuiusmodi etiam legalis partitio, societas, & diuisio in Thesauro reperto continetur *l. 1. infr. de Thesaur.* vt & in sp. *leg. vn. infr. de his qui se deferunt.* Et sic exemplum habemus nouæ rationis locupletandi fisci. Imo & inter priuatos quodam societatis genere in plures habenæ laxatæ, de quo *tit. si petitionis socius:* eidem olim partim petitorum cupiditati modus impositus, partim liberalitatibus Principis.

Post TYRANNVM *deuictum, in petitores & delatores, &c. ad Senatum Valentiniani* III. *Oratio.*

XXXIII. (a) Imp. Theod. & VALENTINIANVS AA. ad Senatum. (b)

NVSQVAM calumnia perstrepet, nullus innocentium fortunarum Delator occurret: stabit legitima seruitutis libertatisque discretio: iura dominorum, seruorum non impune rebellium restitutione (c), sancimus: Patricii (d) fori solidantes priuilegia, inuiolabilem manere decreuimus trabeatam (e) quietem: Competitorum non tantum vitia conprimimus, sed ipsum etiam nomen abolemus, &c. Dat. VI. Kal. (f) Ian. Rom. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. Coss. [426.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* ceu historica, siue horum temporum propria. Iungendæ autem illi videntur *lex 14. supr. de Senatoribus & glebali collat.* & *lex 2. infr. de conductor. & hom. dom. Augustæ,* etsi in die & mense nonnulla diuersitas sit. *GOTHOFR.*

(b) Vrbis Romæ, *d. l. 14.* & *d. l. 2.* *ID.*

(c) Dominis ipsis facta, aduersus quos serui rebellauerant. *ID.*

(d) Id est, *Senatorum fori.* *ID.*

(e) *Trabeata quies*, id est, Senatorum. *Trabea*, vestis Consularis: de quo ad *l. 4. supr. ne quid publ. lætit.* *ID.*

(f) In *d. l. 14. VI. Kal. M.* At *d. l. 2. III. Non. Ian.* de quo mox plura. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Tertii constitutio isthæc est; & quidem pars prolixioris Orationis ad Senatum, cuius partes pariter videntur *lex 14. supr. de Senatorib. & glebali collat.* & *lex 2. infr. de conduct. & hom. domus Augustæ:* ac proinde huic coniungendæ. Quæ quidem dicitur data *Romæ:* quinimo vt habet *d. lex 14. recitata in Senatu per Theodosium Primicerium Notariorum:* Eo videl. tempore, quo Ioanne Tyranno cæso vrbem Romam ingressus Valentinianus Tertius, fine Anni 425. initio adhuc Anni 426. *Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. Coss.* ibidem constitit: vt docet præter Olympiodorum *apud Photium num. LXXX. pag. 199. edit. Schotti, & pag. 153. Tom. I. Script. R. B. ed. Venet.* subscriptio *legis 6. supr. de legitim. heredit.* vt proinde hæc *lex* data potius videatur *VI.* vel *III. Non. Ian.* vt habet *d. l. vlt. de conductor. & hom. domus Augustæ:* & sic initio huius Anni 426. quam *VI. Kal. Ian.* id est, fine eius Anni: tum quia fine eius Anni Valentinianus non reperitur *Romæ* constitisse, verum Rauennæ: tum quia ipsum *huiusce l.* argumentum id suadet, eam *leg.* datam, statim vt Ioannes deuictus, & Valentinianus III. Roma potitus, & alterum Consulatum ingressus, est. Denunciat enim *hac leg.* seu publice profitetur *Oratione sua* Valentinianus, se delatoribus & petitoribus aures, locum non daturum: qui vtique cæsis & profligatis Tyrannis emergere solebant.

Imperatores contra, rerum iam potiti, atque in ipso ortu Imperii sui reprimere eos, soliti. Quod etiam Maiorianus in ortu Imperii sui *Oratione* sua pariter ad Senatum emissa, seu *Nouell. 3.* fecit, Reipubl. quoque ab hoste externo & a domestica clade liberata, in ingressu Consulatus sui Idibus Ianuariis. *Imperatorem*, inquit, *me factum*, *P. C.* *agnoscite: Dicatis quoque Iano Kalendis suscepti feliciter Consulatus ereximus fasces.* Et mox: *Præsumite iustitiam nostris vigere temporibus, & sub innocentiæ merito proficere posse virtutes.* *Nemo* DELATIONES *metuet: quas & priuati in aliorum moribus condemnauimus, & nunc specialiter persequimur: Nullus* CALVMNIAS *reformidet, nisi quas ipse commouerit.* Qui locus huic plane constitutioni geminus est. Et sane in *hac* quoque *leg.* ipso Orationis filo aperte ostendit Imperator sese securitati omnium in futurum consultum ire, præ iis quæ tum vsu venerant: *Nusquam*, inquit, *calumnia* PERSTREPET: *nullus innocentium fortunarum Delator* OCCVRRET: STABIT *legitima* &c. pariter vt *d. Nouella,* p. 459

Nouella, Nemo Delationes METVET *&c.* Hoc ipso scil. indicantes, quod recenter factum fuerat.

His ita præmissis, de ipsa Ioannis Tyrannide videndum est, tum de sententia *huius leg.* Honorio scil. Occidentis Imp. mortuo, fine Anni 423. Ioannes Tyrannus apud vrbem Romam in Imperium surrexerat: Parte altera Theodosius Iun. Orientis Imp. Placidiam cum Valentiniano filio consobrino suo aduersus Ioannem Tyrannum misit: dato Placidiæ Augustæ, Valentiniano *Nobilissimi* nomine: & adiuncto valido exercitu. Mox Thessalonicæ Valentinianus Cæsar factus. Inde cæso Ioanne Tyranno mense Augusto A. D. 425. *Theodosio XI. & Valentiniano Cæs. Coss.* Placidia vna cum Valentiniano filio Cæsare Rauennam iniit, mox Romam: vbi septennis Imperatoria veste indutus est, & sic Augustus factus est. Quæ omnia a coæuis scriptoribus memoriæ mandata; ab Olympiodoro *fine Syluæ, seu Historiæ suæ apud Photium pag. cit.* Renato Frigerido *duodecimo Historiarum libro* apud Gregor. Turon. *lib. 2. c. 8.* Socrate *lib. 7. c. 24.* Idacio, Marcellino, *Chronicis.* Sic igitur Valentinianus iam Imperator, iam Roma potitus, imo iam Romæ consistens, inter alia, tum malis, quæ Ioannis Tyrannis inuexerat, mederi instituit; tum iis occurrere, quæ post Tyrannum extinctum emergere solebant. Ad quod vtrumque collineat hæc eius ad Senatum Oratio.

Hinc scilicet primo Calumniatoribus, seu Delatoribus, & Competitoribus silentium *h. l.* indicit, qui innocentium fortunas alioquin appetituri videbantur, quasi qui Ioannis Tyranni partibus fauissent: *Nusquam*, inquit, *calumnia perstrepet, nullus innocentium fortunarum delator occurret.* Et post, *Competitorum non tantum vitia comprimimus, sed ipsum etiam nomen abolemus.* Quæ sane verba sunt apertissima, occurrentis malo quod imminere videbatur, tum Delatorum, tum Competitorum: quæ duo hominum genera, imo vitia, cohærebant, in fortunas ex æquo grassantium: quod innumeris legibus vel *hoc titulo* docemur. Quare vtrorumque fauces occludit hac *Oratione sua* Valentinianus: Etsi non ideo postea competitorum genus omne abolitum ab eo; vt docet *lex vlt. inf. de appellationib.* Et hæc quidem de malis quæ metuebantur hoc tempore: & sic de priore *huius l.* parte.

2. Hinc & idem priuilegia Ecclesiarum, quæ Ioannes Tyrannus inuiderat, statim reuocauit seu stabiliuit, *l. vlt. inf. de Episcopis.*

3. Hinc & hac Orationis suæ parte concussum Romæ statum partim Oeconomicum, partim Senatorium solido loco constitutum, pacemque adeo stabilitum iuit. Nempe, vt ex *hac l.* colligitur, *Serui* Romæ aduersus Dominos sese erexerant, atque in libertatem sese vindicauerant, nulla iam seruitutis & libertatis discretione: proculdubio Ioannis partes sectati, qui seruos in partes suas traxerat, vexillo libertatis erecto. Quod & iam in aliis Imperii Romani partibus hac tempestate euenit; veluti in Gallia Armorica. Testis ante decennium ferme Rutilius Claudius Numatianus *Itinerario primo a v. 213.* vbi de Palladio.

Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc postliminium PACIS *amore docet.*
Leges restituit, LIBERTATEMQVE *reducit,*
Et seruos FAMVLIS *non sinit esse suis.*

Quos tamen versus alii aliter interpretantur, de Gothis, qui Armoricam peruasissent: Quod Historiæ minus conuenire *alibi* probo. Igitur *hac l.* Valentinianus Tertius legitimam seruitutis libertatisque discretionem stare iubet; iuraque dominorum sancit, restitutione seruorum non impune rebellium, id est, seruos qui aduersus dominos rebellauerant restitui iubet: Et hæc circa statim Oeconomicum.

Senatorius etiam Romæ status ordoque turbatus sub Ioannis Tyrannide fuerat: priuilegiis videl. Senatorum & fori Senatorii infirmatis, turbataque adeo quiete Senatus: Atenim hac eadem Oratione Valentinianus *Patricii fori priuilegia* solidatum & restitutum it: & sic manere decernit inuiolabilem quietem Trabeatam: *Patricii fori priuilegia*, id est, Senatorii: Patricii quippe, & Patriciæ stirpes, pro Senatoribus & pro Nobilitate, Plebi opponuntur: vide & Ammian. Marcellinum *lib. 16. cap. 10.* & Claudianum passim, inter alia *in 6. Cos. Honorii v. 599.*

Patricii reuerenda fouet sacraria cœtus.

Vide & *Symmachum.* Scilicet peculiare Senatorum forum fuit, ac nominatim in criminalibus caussis, Romæ Senatorum Iudex erat Præfectus vrbis, adscitis Quinqueuiris administrationum honore functis, forte ductis, non etiam sponte delectis: Quod iam olim constitutum a Gratiano, *l. 13. sup. de accusat.* & abhinc biennio, quodque excurrit, ab Honorio Imp. *l. 12. sup. de iurisdict. Trabeata tantum quies*, quid sit videndum est: *Trabea* Consulum παράσημον vestis & indumentum fuit; quod docuit exacte *lex 4. sup. ne quid publ. lætit. fastis si honor datus fuerit Regalium Trabearum*, id est, si Imperator Consulatum fuerit amplexus. Hinc Trabeæ Consulares apud Ammianum *lib. 26. cap. 5.* & *lib. 29. cap. 2.* Pacatum *in Panegyrico cap. 25.* Ausonium *in Grat. act. cap. 21. Annalis Trabea*, Symmacho *lib. 9. ep. 102. Trabeatæ imagines* Consulis Eutropii, apud Sidonium *lib. 1. ep. 6. Trabeata anus*, Consul Eutropius Eunuchus, Claudiano *lib. 1. in Eutropium v. 9. Trabeata Nobilitas Anitia*, *Ep. 84.* inter *Ambrosianas* ad Demetriadem, & quam Costerius ait, in vetusto Codice tribui S. Prospero Aquitanico. *Trabeæ Summitas, leg. 1. Cod. I. de Consulib.* Claudianus rursus, *lib. 2. de laudib. Stilicon. v. 3.* & *4.*

Quo tandem flexus trabeas auctore rogante
Induerit, fastisque suum concesserit annum.

Et idem *alibi* sæpe, veluti *in Theodosi* cos. Trabea absolute pro Consulatu, Marcellino *lib. 16. c. 10.* Igitur Trabeatam *quietem* inuiolabilem manere decernit *hac Oratione* Valentinianus Tertius, id est, *Consularem dignitatem*: Ciuilis enim & Pacatus Trabeæ habitus, quietusque fuit: quomodo Palmatam seu Trabeam Consularem Ausonius *in gratiar. action. cap. 21.* vocat *ciuilium decorum indumenta*: & similia, quæ cumulaui ad *l. 1. de habitu quo vti*: vt ita videatur Ioannes Tyrannus circa Consulum dignitatem aliquid immutasse: pariter vt circa Senatorum forum, item circa Ecclesiarum priuilegia, denique circa iura dominorum in seruos. P. 460 Quanquam & simpliciter per Trabeatam quietem hic intelligi potest Senatoria: Quomodo Claudianus *in 6. cos. Honorii* postquam patricias domos memorauit, mox *v. 74.* subiicit,

Collecti trabeatus adit delubra Senatus.

Hæc omnia igitur Valentinianus *Oratione sua*, seu *hac l.* & *d. l. pen. inf. de Episcopis* in integrum restituit. Et eo tandem refero quæ in capite veteris vrbis Romæ descriptionis Notitiæ Imperii (quam scriptam An. proximo 427. *alibi* prolixe ostendo) præmittitur, *vrbs, quæ aliquando desolata, nunc gloriosior piissimo Imperio restituta.* Valentiniani scil. Tertii imperio restituta.

EXCEPTIO ad l. 32. sup. CVBICVLARII Principis petitores caducor bonorum excepti a diuisione seu societate bonorum cum fisco.

XXXIV. (a) Idem AA. Thalassio Com. R. P. (b)

SI quis ex his qui sacro nostro Cubiculo seruiunt, ad petitionem caducorum ad fiscum pertinentium adspirauerit, cum impetrabile (c) huius fuerit postulatum, Lege † qua pars dimidia vindicatur ærario, protinus absoluatur; primoque nutu nostræ Clementiæ statim integro perfruatur, nec laboret ad partis alterius quæ fisco videtur addicta, prorsus petitionem attingi: Norma Legis (d) antea promulgatæ in ceteris omnibus custodita. Dat. VIII. Kal. Mart. Constantinop. Theod. A. XIII. & qui fuerit nuntiatus. [430.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex a Cod. Iustin.* velut abolita, & propter petitiones sublatas. GOTHOFR.

(b) *Thalassius* Comes R. P. sub Theodosio Iun. hic postea PP. fuit, teste Socrate *in fin. hist. Ecclesiast.* & quidem *per Illyricum*, vt docet præter Socratem, *lex 7. C. Iust. de Aduocatis diu. Iudicum.* ID.

(c) *Impetrabile*, id est, quod impetrari potuit, iustum, æquum: vid. *d. l. 32.* probabile, apud Symm. *9. ep. 117.* ID.

† Intelligit *legem 32. sup.* ID.

(d) Id est *d. legis 32.* ID.

COMMENTARIVS.

EXCEPTIONEM quandam proponit *hac lege* Theodosius Iun. ad *l. 32. sup.* qua petitores impetrata bona cum ærario diuidere iussi fuerant, confirmata in cæteris *ea lege.* Exceptio hæc est: nempe CVBICVLARIOS petitores, dimidiam partem bonorum sibique concessorum ærario offerre seu dare non teneri. Quæ quidem Theodosii Iun. in Cubicularios animi eius propensio fuit: pariter vt in Præpositum eorum, seu S. Cubiculi: Nam & Dignitatem eius auctum iuit, eo scil. in secundum Illustrium gradum seu Quadrigam relato, Præfectisque Prætorio, Præfectis vrbi & Magistris militum æquato, *l. vn. de Præpos. S. Cubiculi*, quod etiam ostendit *lex vlt. sup. de metatis:* & Notitia Imperii, triennio ferme ante *hanc leg.* conscripta. Imo & iurisdictionem eiusdem ampliauit, quod docet *lex 9. sup. de indulg. debitor. l. 2. Cod. Iust. de Præpositis S. Cubiculi: l. vlt. Cod. Iust. vbi causæ fiscales:* & eadem Imperii Notitia: de quo ad *l. 2. sup. de Palatinis S. L.* Scilicet Cubicularii, atque id genus alii, veluti Castrensiani, Protectores, in Principis obsequio ordinarie constituti, petitionibus huiusmodi rem fecere, & liberalitates Principum, facilius extorsere: vt docet quoque *lex 1. & 2. infr. si petitionis socius:* vbi dicam adhuc: & Symmachus *lib. 10. ep. 55. in pr.* Amm. Marcellinus quoque *lib. 22. cap. 4.* de Tonsore (Imperatoris) sub Constantio agit, qui inter cætera compendia *fructuosas petitiones* memorabat. Petentes denique in Regia, huiusmodi bona petere soliti: testis rursum Am. Marcellinus *lib. 16. cap. 8.* in Constantii rebus. *Instabant itidem has malorum ciuilium buccinas Potentes in Regia, ea re, vt damnatorum petita bona suis accorporarent, essetque materia per vicinitates eorum late grassandi &c.* Sed ex Palatinis Cubicularii cummaxime Eunuchi bona petebant & impetrabant: Quod & hodie fieri solet. Zosimus *lib. 5. cap. 24.* sub Arcadio, Theodosii istius Iun. Patre. τὸ δὲ τῶν συκοφαντῶν, ὡς οὔπω πρότερον ἐπιπολασάντων, καὶ τοὺς περὶ τὴν αὐλὴν εὐνούχους ἀεὶ περιεπόντων· εἴπου τις τῶν πλουσίων ἀπέθανεν, ὡς οὐκ ὄντων παίδων ἢ συγγενῶν, ἐμήνυον τὰς οὐσίας καὶ τοῦ βασιλέως ἐφέρετο γράμματα: τοῦδε τὴν οὐσίαν τῷ δὲ παραδοθῆναι κελεύοντα καὶ παρεδίδοντο τοῖς ᾐτηκόσιν οἱ κλῆροι παίδων ἑστώτων, καὶ τοὺς πατέρας μετ᾽ οἰμωγῆς ἀνακαλουμένων, id est, *Cum autem* DELATORES *magis quam antea excreuissent, &* EVNVCHOS *ac* PALATINOS *perpetuo circumirent, sicubi diuitum quis vita excessisset, eius facultates deferebant quasi nullis liberis vel cognatis existentibus. Hinc adeo Imperatoris rescripta praeferebantur, quæ iuberent huius bona huic tradi: & tradebantur his qui* PETIERANT *hæreditates, liberis existentibus & parentes cum gemitu implorantibus*, &c. Quo Zosimi loco Eunuchorum appellatione Cubicularios quoque intelligo: nam & hi eorumque Præpositi Eunuchi ferme iam ab antiquo fuere: de quo *sup. tit. de Præpos. S. Cub.* etsi Eunuchorum etiam nomen his inditum quidam censeant a cubiculi custodia: Leo *Nouella de Eunuchis 98:* καὶ τῆς εὐνῆς ἀνυπόπτους φύλακας εἶναι, τοῦτο γὰρ ἡ κλῆσις ἐγγυᾶται, *cubilisque fidi, & in quos suspicio non cadat, custodes sint, quos sane ipse vocis sonus promittit.* Hinc & Leo alter & vetustior, *l. pen. Cod. Iust. de Præpos. S. Cubiculi: cum quis dederit Eunuchum sacri cubiculi ministeriis adhæsurum.* Euagrius *lib. 4. cap. 22.* Ἐξ αὐτῶν γὰρ τὰ πολλὰ οἱ τοῖς βασιλικοῖς ἐξυπηρετούμενοι κοιτῶσι, οὓς εὐ- P.461 νούχους ἡ συνήθεια καλεῖ. *Ex his enim vt plurimum eligebantur ministri imperialis cubiculi, quos vulgo Eunuchos vocant.* Neque dubito quin ab eodem Constantii in Eunuchos & cubicularios studio seu affectu, profecta sit *lex 5. Cod. Iust. qui testam. fac.* de qua iam dixi *alibi.* Ergo cum hisce Cubiculariis Theodosius Iun. obnoxius viueret, hoc priuilegio singulari eos euexit, vt ne sibi a Principe donatum cum ærario diuidere necesse haberent, verum vt donato seu impetrato soli in solidum potirentur: *nutuque*, vt ipsemet ait, *clementia sua statim* INTEGRO *perfruerentur.*

DE

DE HIS QVI SE DEFERVNT.

TITVLVS XI.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XIII.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. Rationalibus Hispaniarum. (b)

IS cuius tacitæ fidei commissa fuerit hereditas, statim Officio Grauitatis Tuæ nunciet (c), & gesta (d) prodat, & continuo quod actum fuerit renuntiet, & post hanc fidem (e), tertiam ab (f) omnibus defuncti bonis percipiat portionem. Quod si ab vxore defuncti istud Officio (g) deuotionis tuæ fuerit reuelatum, ipsam (h) etiam quam defunctus esse voluit heredem, si gesta aperuerit (i), tali præmio mancipetur (k), vt ex omni patrimonio medium consequatur, & eam (l) fisco nostro celebret diuisionem, id etiam habitura priuilegium, vt prior eligat portionem (m): & tunc occultator ille gestorum, fisci & mulieris pariter inimicus, exutus omni patrimonio suo ac fisco vindicato, in insulam deportetur. Dat. Id. Mar. Gallicano & Basso Coss. [317.]

NOTÆ.

(a) *L. vn. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Rationales* Hispaniarum: quorum etiam mentio fit in *Notitia Imperii.* Interim obseruandum, hoc Anno ipso 317. duas præterea Constantini M. Constitutiones occurrere ad Magistratum, Comitem, inquam, Hispaniarum: puta *l. 4. inf. de Decurionibus: & l. 1. sup. de accusationib.* ID. Cod. Iust. legit, *Maximo Rational. Hispaniarum.* RITTER.

(c) *Al. se.* Quod & Rubrica huius tituli ostendit, & sequentia mox quoque. Est tamen qui hic eodem sensu restituat: *nunciet, vt &c.* Sane in nonnullis Cod. Iust. Edit. habetur, *renunciet*, in vulgatis, *nuntiet.* GOTHOFR.

(d) Sic *infr. si gesta aperuerit:* & fine leg. *occultator gestorum.* ID.

(e) Id est, *sui delationem.* ID.

(f) Id est, *Ex:* vt repositum *Cod. Iust.* ID.

(g) *Ad officium*, C. Iust. non recte. ID.

(h) *γε. Ipsa:* vt etiam habetur *C. Iust.* vbi & vox, *persona*, addita. ID.

(i) Vulg. Cod. Iust. *Si gesta apparuerint*, male: Sic & sup. initio. *Et gesta prodat*, & fine leg. *Occultator gestorum.* ID.

(k) *Præmio mancipetur*, id est, *donetur.* ID.

(l) *γε. Cum*, vt *Cod. Iust.* ID.

(m) Sic & *sup.* male in Cod. Iust. *optionem*, vt recte iam monuit *Contius.* ID.

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. hæc constitutio est, aduersus tacita hæreditatum fideicommissa, in fraudem legum, in capacibus per leges relicta: ac nominatim in sp. huius leg. *vxoribus*: Vxores scil. per leg. Iul. Papiam seu Caducariam decimariam intra certum tantum modum ex mariti bonis capere potuerunt: Solidum vero non nisi iure liberorum subnixæ: id quod præter ipsas *leges decimarias*, seu *legem Iuliam & Papiam*, & quidem *caput* eius *duodecimum*, ostendunt vel *hoc Codice* eiusdem Constantini M. *duæ* aliæ *leges*: puta *lex 1. sup. de bonis proscriptorum: & lex 7. inf. de Nauiculariis:* item Theodosii Iun. *lex 2. sup. de iure liberorum: & lex vlt. sup. de legit. hered.* Quam quidem legem *Papiam decimariam* Constantinus M. adhuc obseruari voluit, siue ad replendam iustis liberis Rempubl. siue potius implendo Ærario. Quæ postea demum, & diu post, abrogata, in Oriente *d. l. 2. 3. sup. de iure liberorum*: non tam cito vero in Occidente, vt docet *lex vlt. d. tit. de iure liberor.* Igitur per tacita sæpe fideicommissa elusæ *Decimariæ leges*: capaci videl. hærede instituto, qui mox tacita fide interposita eandem incapaci, v. g. vxori defuncti restitueret: quod præter *hanc leg.* docet quoque elegans Papiniani *lex vlt. in pr. D. de his quæ vt indignis*: vt cæteroquin seu in commune per fideicommissa legibus illudi dixit Hieronymus, *ad Nepotianum*, idque etiam comprobat *princ. Instit. de fideicommiss. hæred.* De cuiusmodi tacitis fideicommissis singularem olim *librum* scripserat Paulus I.C. vnde duo tantum fragmenta supersunt, *l. 49. de iure fisci*, & *l. 129. D. de V. S.* & de his fuit duæ insuper *hoc Codice* constitutiones, *lex vn. sup. tit. prox. de petit.* & *lex 27. inf. de Episcopis.* Quorum tacitorum fideicommissorum exitus hic erat, vt in fiscum caderent, quod docuit vel *d. lex 20.* Quare & exciti delatores huiusmodi tacitorum fideicommissorum, præmio publice proposito; quod factum & *ipsa l. Pap.* & deinceps, vt ex Tacito *lib. 3. Annal. cap. 28.* Suetonii *Nerone cap. 10.* liquet. Præmium P.462

 autem

autem varie constitutum delatori: vulgare quidem, extraneis delatoribus: At enim sui ipsius delatori, non vulgare, sed maius: & vero maximum ei, cuius commodo tacitum fideicommissum cessurum erat. Quæ Constantini M. mens est *hac leg.* Nempe, quæ prima *huius* & *distinctionis* pars est, *Rogato* seu hæredi deferenti rem, Tertiam bonorum defuncti pro præmio tribuit: Dimidiam vero, quæ secunda *legis* & *distinctionis* pars est, *incapaci*, vxori v. gr. se deferenti, cui restituenda, vel restituta est tacita fide interposita hæreditas. Quod ius iam olim Edicto Traiani introductum fuit, vt docet *l. 13. 15. §. 3. l. 16. l. 49. D. de iure fisci.* Maiore scil. præmio incapax, v. gr. vxor euocanda fuit, cum in tacito fideicommisso de præcipuo magnoque eius commodo ageretur; quod alias ne sibi præciperetur, vix vnquam reuelatura videbatur: tenaci præsertim ad hæc sexu. Politicum igitur hinc σκέμμα jam efficiatur, Maiore præmio inuitandos, quos malus alioquin lucrum præter leges manet. Et hæc quidem aperta est *huius legis* distinctio: vt proinde pro conciliatione eius *secum*, vel cum aliis *legibus*, ad Vates recurrendum non fuerit: Multo minus (quod Amaya fecit ad *l. 1. Cod. de delatorib. n. 58.*) Cuiacio dica scribenda, quasi is huius distinctionis gloriam Plateæ præripuerit: Iniquiore adhuc censura, quasi nos hic Gallis Interpretibus sit, aliorum nomine suppresso, de suo solam speciositatem verborum addere, nihil vero de substantia. Ad rem.

In tantum porro Constantinus vxori tacitum fideicommissum deferenti dimidiam bonorum tribuit, vt (quod & alterum singulare priuilegium est) ei eligendæ portionis dimidiæ ius tribuat, altera, quam spreuerit, fisco cessura. De qua Diuisionis lege, & Electionis prærogatiua seu priuilegio, vt omittam alia, vide quæ similiter cauentur *l. 5. sup. de metatis*, seu *l. 2. Cod. Iust. eod.* vid. & quæ Fornerius *5. quotidian. 22.*

Ac tandem vt præmiis, ita & pœnis propositis occultatorem fiduciarium hæredem affici voluit Constantinus M. nempe pœna bonorum proscriptionis & deportationis.

SI VAGVM PETATVR MANCIPIVM.

TITVLVS XII.

Abest hic *Titulus* a *Cod. Iustin.*

Addantur *Paratitli vice huic titulo lex 20. sup. de petitionibus:* & *l. 12. inf. de annona & tribut.* quæ & ipsæ sunt de petitione vagorum mancipiorum.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS, & Valens AA. ad Probum (b) PF. P.

QVI vaga mancipia iuris alieni (c) petunt, si iustitia (d) eadem probant, impetrati beneficii (e) auctoritate potiantur; Vendendique concessam, aliis quam Delatoribus, habeant facultatem: Si vero aut his qui detulerint distracta fuerint, aut ab his qui ante possederint detinentur, non effugiatur vltio, quæ est Legibus constituta. Sed & dominis propriorum vindicatio competat: Et eadem pœna, quæ de occultatoribus & fugitiuariis (f) data est, vnusquisque (g) teneatur. Dat. XII. Kalend. April. Treu. Valentiniano & Valente AA. (h) coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) *Probus* PP. sub Valentiniano Sen. vid. *Prosopogr.* Eidem inscribitur *lex prox.* ID.

(c) Quæ iuris alieni olim fuerunt. ID.

(d) Symmachus *lib. 10. ep. 55. Annus fere secundus est, vt per defensores & Rationales Augustissimæ domus, cum iustitia solemnis oraculi, scripti fatigantur heredes*: At sensus hic est, si iuste, si rite, vaga mancipia esse probent. ID.

(e) Rescripti, quo vagum mancipium sibi a Principe donatum est. ID.

P.463 (f) *Fugitiuarii* hic sunt serui fugitiui occultatores: cum alias fugitiuarii sint, qui fugitiuos persequantur, *l. 18. D. de praescript. verb.* Paulus *1. sent. tit. 6. de fugit. §. 1.* & Florus *lib. 3. cap. 19.* ID.

(g) Occultator seu fugitiuarius. ID.

(h) Malo referre ad *Valentinianum & Valentem II Coss.* i. e. *an. 368.* pariter *legem 2. prox.* quo sane Anno Valentinianus Treueris constitit: non *Valentiniano & Valente AA. Coss.* id est, A. D. 365. ID.

II. (a) Iidem

II. (a) Idem AA. ad Probum (b) PF. P.

QVICVMQVE habuerit super vagi mancipii postulatione Rescriptum, non prius quicquam inquietudinis (c) moliatur, quam, facta eius allegatione, sollemniter delatorem, a quo fuerit instructus, expresserit: careat etiam, si eum prodere supersederit, fructu & commoditate beneficii. Nec antè aliquis quem poposcerit per manus iniectionem æstimet vindicandum, quam definitiua inter partes (d) fuerit dicta sententia. Has vero cognitiones ad Ordinarios (e) volumus pertinere Rectores; vt delatoribus primitus in medio conlocatis, his etiam qui quasi vagi sacro nominabuntur indulto, ad iudicia productis, totius causæ interna (f) discutiant, sollicite que ac diligenter interrogent, de quorum dominio, fuga, vel quo alio genere, discesserint qui petuntur, vt is in quo vitium (g) deprehenderint, ad dominum sub prosecutione (h) reuocetur. Si quis etiam vel Tributarius (i) repperitur, vel Inquilinus (k) ostenditur, ad eum protinus redeat, cuius se esse profitetur. Nihilo minus etiam eo pergat indago, vt cuncta rimando (l) cognoscat, vtrum is fuerit petitionis hortator, qui iniquæ retentionis inuidiam aliquo necesse habuerit colorare (m) velamine; (n) vt si Colonos eadem occulere arte quæsiuerit, indemnitatem sarciat tributorum: si seruos, ad eam pœnam quæ dudum est Legibus constituta teneatur. Quisquis autem plebeium se adserit esse, vel liberum, fide rei ostensa, ab omni molestia vindicetur, & ad ea loca, ex quibus eum esse claruerit, remittatur. Contra in his (o) qui aut dominis sine herede defunctis, inuenientur dominos non habere, aut serui pœnæ aliquando facti ac postmodum liberati, iudicialibus dominos amisere sententiis: postremo in vniuersis de quibus iniectio manus fisco rite præbetur, munificentiæ principali congruus patebit effectus. Sane, quia in petitione deceptis conuenit prouideri, quotiescumque fuerit circumscribta simplicitas, ex delatorum hisdem re atque substantia, ad eum modum, quem habitæ concertationis impendia supputata collegerunt, (p) postulatique hominis æstimatio comprehenderit, consulatur. Dat. XV. Kal. Iul. Treu. Valentiniano & Valente AA. (q) Coss.

NOTAE.

(a) Et hæc *lex* abest a *Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) Dixi ad *l. superiorem.* ID.

(c) Possessori forte vagi mancipii, vel ipsi mancipio, quod vagum dicitur. ID.

(d) Inter petitorem & possessorem, vel ipsum mancipium, quod vagum dicitur. ID.

(e) Id est, Rectores prouinciarum. IDEM.

(f) *Interna* causæ V. *Gloss. Theod.* ID.

(g) *Vitium*, fugæ scil. proprie. ID.

(h) De *Prosecutione* dixi. ID.

(i) De tributariis his, V. *paratitlon de fugit. colon.* ID.

(k) De Inquilinis: V. *tit. de Inquilinis*, vbi dixi. ID.

(l) Iudicem cuncta rimari oportet, *l. 1. sup. de Iudiciis.* ID.

(m) *Colorare.* ID.

(n) *Velamine.* ID.

(o) Descriptio vagorum reuera mancipium sequitur. ID.

(p) *Colligi* modus dicitur. ID.

(q) Iam ad *l. super.* ostendi referendam, *hanc l.* vna cum superiore ad Annum 368. Addatur ad id magis adhuc comprobandum, *Valentiniano & Valente AA. Coss.* id est, A. D. 365. hoc ipso die *XV. Kal. Iul. Mediolani* constitisse Valentinianum, vt docet *lex 11. inf. de annona & tribut.* IDEM.

COMMENTARIVS.

VAGA mancipia, seu vagi serui, & ipsi tanquam vacantes sine Domino, instar aliorum bonorum vacantium ad fiscum pertinebant, inque iis, vt loquitur *lex 2.* fisco iniectio manus præbebatur: Et exinde ad fiscum pertinentes, a petitoribus postulabantur, & vero sæpe concedebantur: de quo præter *duas huiusce tituli leges* Valentiniani, est & *Tertia* hoc Codice eiusdem *lex 12. inf. de annona & tributis*; & *Quarta* adhuc Theodosii M. *lex 20. sup. tit. de petitionib.* Porro, quia variæ fraudes in his petendis admittebantur siue ab ipsis petitoribus, siue delatorum, siue eorum qui eos possidebant artibus: ideo Valentinianus, & *illa l. 12.* & hisce duabus hanc in rem modum multiplicem, variasque cautelas adhibuit, quas hic certo ordine proponam, etsi non eodem ordine positæ sint.

Præcipuæ & primariæ cautelæ eo pertinent, vt constare possit, num reuera vaga mancipia sint, quæ petita sint & impetrata a Principe: cuiusmodi sane sunt ea vaga mancipia (quod diserte ostendit *vers. contra in his: l. 2.*) quæ aut dominis sine hærede defunctis, aut serui pœnæ aliquando facti, ac P.464 postmo-

postmodum liberati Dominos iudicialibus sententiis amisere: aliique in quos manus iniectio fisco rite præbetur. Vbi duas præcipuas causas adsignari notandum est, ex quibus vagum mancipium censetur: Nempe si ἀκληρονομήτα alicuius decedentis serui sint: nam cum serui alieni olim extitissent, ob crimen pœnæ serui facti fuerunt, & sic domino erepti: Nam etsi postea pœnæ seruitute liberarentur, attamen in ius & potestatem pristini domini non redibant, verum fisco cedebant. Qua parte duo notanda veniunt: Primo seruos priuatorum, ob crimen seruos pœnæ fieri quoque solitos, & sic dominis ereptos; Deinde, vt maxime postea serui pœnæ esse desierint, non ideo tamen pristinis dominis restitui solitos, verum fisci semper mansisse: Sed honestiore tantum loco, seruitute inquam vulgari, non pœnæ. Ergo cum hi reuera vagi serui essent, essent autem & alii qui ceu vagi peterentur, ideo in id enixe incubuit Valentinianus, vt hi ab illis seiungerentur, neque vagorum mancipiorum obtentu, aut alieni reuera peterentur, aut liberi. Alieni inquam: Exempli gratia, serui agris *adscripti* qui ex desertis agris recesserant: neque enim hos petere licuit, nisi quis integrum tributum agri in se reciperet, quæ sententia est *d. legis 12. supr. de annona & tribut.* Item serui *fugitiui*, qui de dominorum dominio fuga, vel quo alio genere discesserunt: quo pertinet *vers. solicite: l. 2. h. tit.* Tertio, Tributarii, inquilini, seu coloni alieni: de quo est *d. lex 2. vers. etiam* & *vers. nihilominus.* Et hæc de seruis & colonis alienis, de quibus suo titulo *de fugitiuis* colonis, inquilinis: & altero *de inquilinis & colonis.* Erant & nonnulli alii qui ceu Vagi serui sæpe petebantur, plebeii reuera tamen liberi erant, vt *d. l. 2.* dicitur; verum propter summam vilitatem & inopiam sine certa sede, & seruorum instar agebant: in quorum etiam statum quidam petitores grassabantur, haud aliter atque in specie *leg. 25. sup. de petitionib.*

Ergo cum ceu vagi serui quamplurimi peterentur, qui tamen vagi serui non erant, ideo Valentinianus, varia constituenda putauit, quo vaga mancipia probarentur *iustitia*, seu iusto modo & ratione.

Primum igitur (quod & in cæterarum rerum vacantium & caducarum petitionibus obtinebat) eum, qui rescriptum impetrauit seu donationem, ceu vagi alicuius mancipii *Delatorem* suum, a quo fuit instructus, iudicio sistere iubet, de quo ad *l. 8. supr. tit. de petitionib.* vt ita is delationem suam sustineat: Alioquin fructu beneficii carere eum, qui delatorem suum non stiterit.

Secundo, non ante seruo ceu vago sibi donato manus iniicere potest donatarius, quam definitiua inter partes sententia dicta fuerit, seruo ipso in iudicio constituto. Non ante scil. seruum ceu vagum vindicare sibi quis potest, quam vagus pronunciatus fuerit: interea igitur sustinenda manus iniectio, neque medio tempore præiudicium aliquod hac parte generandum est. Quod & cæteroquin tralatitium est, ne pendente iudicio, cuiusquam statui præiudicium fiat; vt nec dominio: vt *l. defensionis, supr. de iure fisci.* Tertio cognitionem hanc iniungit Valentinianus Rectoribus prouinciarum ordinariis; & quidem sollicitam & diligentem, sic vt qui reuera vagi non sunt, si alieni sint, ad dominos remittantur: si liberi suæ conditioni relinquantur. Quarto loco iam censuram exerit Valentinianus in eos qui alieni iuris seruos, vel plebeios, non tantum occultauerint, verum, vt peterentur, hortatores & auctores fuerint: sæpe scil. qui alieni iuris seruos vel colonos retinebant, vt iniquæ retentionis inuidiam effugerent, Palatinis, forte vel Cubiculario, id genus aliis qui circa Principem gratiosi erant, hortatores erant, vt huiusmodi seruos a Principe, tanquam reuera vagos peterent, mox de seruo cum his conuenturi; Palatinorum *simplicitatem circumscribentes*, decipientesque, qui reuera vagos seruos putabant.

Igitur tum illorum calliditati occurrendum tum horum simplicitati succurrendum putauit Valentinianus *hac l. 2.* quod non æque fit in sp. *l. 116. sup. de petitionibus* tribus his statutis. Primo Hortatorem illum & occultatorem, si colonos hac arte occultat, indemnitatem tributorum sarcire oportere: id est, tributa agrorum quibus coloni adstricti erant, soluere oportere: si seruos, pœna legibus dudum constituta teneri: Quænam vero illa? Nempe.

Secundo ipsi (Palatino forte) decepto, regressum dat aduersus delatorem seu hortatorem: nempe vt & sumptus seu impensas in vindicando huiusmodi homine, quem seruum putabat, sibi a Principe donato, ab eo recuperet, ac præterea hominis postulati æstimationem, quandoquidem ei Princeps semel factum voluit. Quod vtrumque singulare est. Quod condemnationem attinet in sumptus & litis expensas, v. in hoc ipso petitionis argumento, alterum exemplum in *l. 31. in fin. supr. de petition.* & tertium in *l. vnic. infr. tit. prox. de petit. & desist.*

Tertio vetat *l. 1. 2. h. tit.* Valentinianus, vagum mancipium impetratum vendi a donatario Delatori vel ei qui id ante possederit: Nempe collusio quædam intercessisse videtur, si petitor a se impetratum mancipium ceu vagum, hortatori petitionis, vel possessori venderet seu distraheret. Iusta scil. (quod notandum) exinde præsumptio oritur, voluisse eum hac ratione *iniquæ retentationis inuidiam hoc velamine colorare:* vt eleganter loquitur *l. 2.* Et hic interim singularis casus notetur, quo vendere quis rem suam certis personis prohibetur.

P. 465 # DE PETITORIBVS, ET DESISTENTIBVS.

TITVLVS XIII.

Paratitli vice, sub hunc quoque Titulum compelli potest lex 31. supr. de petitionibus.

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. (b) AAA. ad Gorgonium (c) Com. R. P.

SI quispiam alienæ substantiæ (d) petitor mora ludificante (e) in longum protrahere cœperit possidentem, & tertio conuentus, cum Delatore noluerit (f) adesse Iudiciis; non solum iurgii quod exortum est amissione multetur, verum etiam sumptus & litis expensas ei reddere compellatur, quem superfluo litigio credidit esse vexandum. Quod quidem etiam in absentem contumacem, post trinam, vt dictum est, conuentionem, statuendum esse censemus. Dat. VIII. Id. Iun. Mediol. Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Arcadii* nomen hic nonnulli expungunt; Maleque: vid. *Chronol.* *ID.*

(c) *Gorgonius*, Comes R. P. sub Valentiniano Iun. *Gorgonii* meminit Ammianus Marcellinus, cui thalami Cæsariani cura commissa erat *lib.* 15. *cap.* 2. Meminit & Gorgonii Symmachus *ep.* 33. *lib.* 1. qui post quietem apud Picentes ad procinctum seu Comitatum Principis profecturus esset. *ID.*

(d) Bonorum alienorum. *ID.*

(e) Ita Ludificationes, *l.* 1. *infr. quorum appell. non recip.* & apud Symmachum *lib.* 4. *ep.* 71. *ID.*

(f) *Neglexerit*, in *quodam Cod. Theodos.* in cuius *fine* tres vel quatuor *leges* habentur. *ID.*

(g) Id est, lite multetur. *ID.*

COMMENTARIVS.

FRAVDIBVS variis atque inhiationi petitorum, *duob. titulis* supra puta *tit. de petitionib.* & *tit. si vagum petat. mancip.* variis Principum constitutionibus, rationibus & præscriptionibus occursum fuit. Petitorum vero inter alias fraus quoque ist hæc fuit, quod impetratis bonis a Principe tanquam vacantibus, possessorem eorum bonorum iudicio percellerent, mox tamen a iudicio recederent, desisterent, & possidentem mora ludificante in longum protraherent; vt ita diuturna lite iurgioque eo tandem eum adigerent, vt nisi in totum bonis cederet, saltem aliquo dato vel relicto a veternosa lite sese redimere cogeretur: vel sane possessio eius in incerto esset fluctuaque: Igitur Terminos quosdam poni, pœnamque figi procaciæ petitorum æquum visum est. Quod hac Valentiniani Iun. *lege* fit. Scil. post trinam citationem seu conuentionem, desistentem, petitorem, neque iudicio sese cum delatore (de quo dictum *plene ad l.* 8. *supr. de petit.* & *l.* 1. 2. *supr. si vagum pet. mancip.*) sistentem, siue præsentem, siue absentem, non solum lite multari iubet, verum etiam in sumptus & expensas litis condemnari. De trinæ citationis seu conuentionis solemnitate, res nota est. Atenim Honorius postea istud mutauit anni spatio *l.* 31. *supr. de petitionib.* nempe petitionem si intra annum æquitatem petitionis suæ non demonstraret, & lite multari, & in expensas litis pariter condemnari voluit.

Huc sane in genere etiam facit querela Symmachi de petitoris cuiusdam ludificatione, *lib.* 10. *ep.* 55. *Annus fere secundus est, vt per Defensores & Rationales Augustissimæ domus cum iustitia solemnis Oraculi scripti fatigantur heredes, licet iam sextus annus a testamenti recitatione numeretur.* Tandem, vt cœpto a petitore iurgio terminando certæ temporum metæ positæ fuerunt, ita certa quoque præscriptione, puta quinquennii, competitorem ab inchoanda lite repelli postea voluit Honorius *leg. vn. supr. de quinq. præscript.* quinquennii inquam, quo possessor bona hodie donata pacifice possedit.

* * *

P. 466 SI PETITIONIS SOCIVS * SINE HEREDE DEFECERIT.

TITVLVS XIV.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XIV.

Vbi Tribonianus *titulum* ita refinxit, propter petitiones sublatas: *Si liberalitatis Imperialis socius sine herede decesserit.* Quo more & alibi petitionum memoriam sustulit, vt ex collatione *legum* hoc *Codice* & *illo* apparet.

* Consors *l.* 1. & 2. *h. t.* & apud Symmachum *lib.* 9. *ep.* 117.

I. (a) Imp.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Mygdonium (b) Castrensem (c) S. Palatii.

SI quis forte decesserit eorum qui communi (d) nomine donatum aliquid a Nostra impetrauerunt (e) Clementia, nec superstites dereliquerit (f) successores (g) placet non ad extraneam quamcumque (h) personam, sed ad socium, vel consortem, (i) peruenire portionem illius, qui intestatus, aut sine liberis, (k) diem defunctus est. Dat. XII. Kalend. April. Antiochiæ, (l) Constantino A. IIII. & Licinio (m) Coss. [315.]

INTERPRETATIO. *Si aliquis ex his mortuus fuerit ad quos nominatim munificentia nostra processit, & nec testamentum fecisse, nec filios reliquisse cognoscitur, placet, vt portionem eius, is cum quo pariter defunctus accepit, id est, socius eius, acquirat: merito (n) enim socius præfertur, vbi filii nulla persona interuenisse cognoscitur.*

NOTAE.

(a) *Legi vnica Cod. Iust. eod. tit.* Inscriptio & Subscriptio tantum *huius l.* addita, contextu ipso desumpto ex *l. 2. prox.* *GOTHOFR.*

(b) Mygdonius, Castrensis S. Palatii sub Constantio M. Anno 315. *ID.* MS. W. *ad Migdonem*, MS. G. *ad Macedonium.* *RITTER.*

(c) De *Castrensi* S. Palatii dixi *supr. tit. de Castrensianis.* *GOTHOFR.* *Castrensem Palatii*, Cuiac. prior. illa in 4. & MSS. W. & G. In Sichardina hæc verba corruptissime ad legem translata, ita: *Castrense peculium si quis*, &c. *RITTER.*

(d) Nominibus iunctis, *l. 2. prox.* communiter, *eadem l. 2.* *GOTHOFR.*

(e) A se petitum: vt *impetrati* vox ostendit: & *Rubrica* sub qua *lex* posita est, & *l. 2. infr.* *Impetrandi* vox hic propria: V. & locum Marcellini mox. *IDEM.*

(f) Sic & *l. 2. infr.* Si nullo hærede relicto decesserit. *ID.* *Reliquerit*, MS. G. & Sichard. *reliquit*, MS. W. *RITTER.*

(g) De hac voce mox. *GOTHOFREDVS.*

(h) quæcumque illa sit: sic & *l. 2. ad personam aliam.* *ID.*

(i) *Consors* hac *leg.* & *l. prox.* & Symmach. *lib. 9. ep. 117.* *ID.*

(k) *Aut sine filiis defunctus est*, MS. W. *Aut sine liberis defunctus.* MS. G. *functus*, Sichard. prior Cuiac. & illa in 4. *RITTER.*

(l) Si *Antiochiæ* hæc *lex* data est, tum Licinio ea tribuenda fuerit Orientis Imperatori, cuius vertex Antiochia. Sed forte reponendum *Antigoniæ* prope Stopis in Macedonia, quæ pace cum Licinio inita, Constantino cessit. *GOTHOFR.*

(m) *Et Licinio IV.* MS. W. Edit. Sichard. prior Cuiac. & illa in 4. *RITTER.*

(n) De Ratione hac mox. *GOTHOFR.*

II. (a) Imp. CONSTANTINVS (b) A. Orioni V.C. (c)

NONNVLLI, in Nostro, vel Patris (d) Nostri, obsequio (e) constituti, nominibus iunctis professionem (f) sibi largientibus nobis tribui poposcerunt. Iubemus * itaque, vt si qui forsitan ex his qui (g) communiter (h) aliquid impetrauerint, nullo (i) herede derelicto decesserit, ad consortem potius solatium, (k) quam ad personam aliam, (l) pars perueniat decedentis. Dat. XV. Kalend. Iul. Med. Philippo & Sallia Coss. [348.]

P.467

NOTAE.

(a) *Legis vn. Cod. I. eod. tit.* contextus ex *hac leg.* desumptus est: omissa priore sententia, quæ ad petitionem pertinet: Inscriptione autem & subscriptione tantum ex superiore ei adsuta. Vnde perperam sub Constantini nomine ea hodie ambulat & allegatur. *GOTHOFR.*

(b) *vg.* CONSTANS. *IDEM.*

(c) *Orion* hic idem videtur qui *Comes R.P.* dicitur, cuique inscribitur quinquennio post, *lex 8. sup. de petitionib.* Vnde Dignitatis nomen hic reponendum, quod etiam ex *huius leg.* argumento, quod est, *de Petitionibus*, satis alioquin conficitur. *ID.*

(d) *vg.* *Fratris.* *ID.*

(e) *Obsequii* vox hic propria. De obsequio & ministerio Palatino, Castrensi: dixi *sup. ad tit. de Castrensianis.* *IDEM.*

(f) *Professionem*, id est, Substantiam, possessionem, facultates in censu professas. *Professio*, de censuali professione, *l. 2. 3. inf. ne conlat. transl. l. 15. de iure fisci*: & Professio pro re ipsa professa. *ID.*

* *Lex vn. Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est, superioribus recisis. *IDEM.*

(g) *Quibus communiter a nobis aliquid donatum sit.* Ita Trib. immutauit, propter petitiones sublatas. *ID.*

(h) Sic

(h) Sic Frontinus *de aquaeductibus, p.194. Ed. Poleni,* de aqua in prædia sociorum data: *Dum quis ex iis, qui communiter impetrauerunt, superesset.* ID.

(i) Sic quoque *l. 1. supra: nec superstites dereliquerit successores.* ID.

(k) *Solatium* hic est emolumentum, & commodum portionis deficientis: de quo mox plura. ID.

(l) Ad extraneam quamcunque personam, *l. 1. sup.* ID.

COMMENTARIVS.

SOCIO, seu CONSORTE & PARTICIPE (quem Græci συνδότην vocant) donationis, id est, eo qui a Principe communiter seu nominibus iunctis quid cum alio impetrarunt, nullo successore seu hærede derelicto superstite, decedente, alteri socio seu consorti portionem eius deficientem adquiri volunt, *his duabus legibus*: Constantinus primum *l. 1.* deinde & filius eius Constans, *l. 2.* ex qua vtraque vnicam *legem* suam *Cod. Iust. eod. tit.* concinnauit Tribonianus: seruata scil. *ibi* Inscriptione & Subscriptione *legis vn.* contextu vero *legis 2.* Et sic, quod Poeta dixit, *de Arte Poet. v. 1.*

Humano capiti ceruicem pictor equinam:

resecata adhuc priore *d. legis 2.* sententia, quæ de petitionibus est, eo quod illæ iam vetitæ essent: Quorum prius illud improbe factum cum historicæ veritatis detrimento: sic enim Constantino *illius l.* contextus, tribuitur, & ita quoque passim hodie laudatur, cum tamen Constantis sit, triginta quinque annis posterius scripta. Cur autem Tribonianus, *dictæ legis 2.* verba prætulerit? de eo mox quædam.

Vt hæ *leges* intelligantur. Primo præsupponendum est, hac tempestate nonnullos (de quibus mox) magnitudinem rei a se petitæ abiurantes, veritosque, ne totam professionem aliquam, id est substantiam, possessionem, successionem, remue quamcunque fisco quæsitam, ceu vacantem forte vel caducam, vel ex proscriptorum bonis, singuli solique a Principe impetrare non possent, vel etiam veritos, ne per mutuum concursum sese impedirent, *communi nomine*, seu *communiter iunctisque nominibus*, (vt *his duabus legibus* diserte dicitur) eandem rem a Principe petere, & exinde impetrare solitos: & sic eiusdem donationis reique consortes, socios, participes, συνδότας factos. Qui quidem proprius casus est *harum duarum legum*, nempe in duobus pluribusue eiusdem rei coniunctim *petitoribus*. Nam & alioquin ipsi sæpe Principes siue liberalitatem in plures spargere cupientes, siue vt petitores castigatius agere docerent, plures aliquoties impetratorum participes, prout etiam magna professio seu substantia esset, iungere soliti. Quod de Valente Imp. nominatim obseruat Ammianus Marcellinus, *lib. 31. cap. 14. Super his omnibus*, inquit, *liberali erat* [Valens] *animi moderatione: cuius rei abundent licet exempla, vnum tamen sufficiet poni. Vt sunt in* PALATIIS *nonnulli alienarum rerum auidi, si qui* CADVCVM *vel aliud* PETISSET *ex vsu cum magna iustorum distinctione, contradictoris copia seruata, donabat ei qui* PETIERAT: *tres vel quatuor alios absentes aliquotiens* IMPETRATORVM PARTICIPES IVNGENS: *vt castigatius agerent inquieti, lucra quibus inhiabant hoc minui commento cernentes.* Similiter iam olim Alexander Seuerus thesauros repertos iis qui repererant reliquisse dicitur: *& si multi*, seu magni, thesauri essent, ADDIDISSE his eos, quos in suis habebat officiis, teste Lampridio, *in eius V.* quam Constantino M. nostro inscripsit. His igitur duabus de causis seu rationibus sæpe pluribus simul aliquid a Principibus donabatur, vel vltro, seu *motu proprio*; vel petentibus simul pluribus.

Secundo prænoscendum, quod vtraque hæc *lex* docet, huiusmodi donatarios petitores sociosque, donationum & consortes, seu συνδότας, ex Palatinis ferme fuisse: Palatinis inquam, qui in Principis obsequio constituti erant, vt generaliter dicitur: *l. 2.* veluti *Castrensiani*, de quibus est *lex 1.* quæ ideo Castrensi SP. inscribitur: de quo vt & de Castrensianis *suo titulo sup. lib. 6.* Cubicularii item: de quo fidem facit *lex vlt sup. de petitionib.* Eademque discimus ex Ammiano Marcellino non tantum superius laudato loco, sed & altero *lib. 22. cap. 4.* Symmacho, *lib. 10. ep. 55. in pr.* Zosimo, *lib. 5. c. 24.* qui de cubiculariis Palatinis, τοῖς περὶ τὴν αὐλὴν εὐνέχοις agit: Imo præter duos superiores Amm. Marcellini locos, est & tertius hic eiusdem. *lib. 16. cap. 8.* in Constantii rebus: *Inflabant itidem has malorum ciuilium buccinas* POTENTES IN REGIA, *ea re vt damnatorum* PETITA *bona suis adcorporarent, essetque materia per vicinitates eorum late grassandi*, &c.

His duobus ita præmissis & præcognitis, nunc fingamus, rem aliquam vacantem, vel caducam, vel ex bonis proscripti pluribus communiter, communi nomine, seu iunctis nominibus petentibus a Principe donatam: sed nondum exacta ea seu incorporata, vel vt Amm. Marcell. loquitur, adcorporata, (id enim hic præsupponendm necessario est, nam alioquin si incorporata iam sit, his *legibus* locus non est; verum iure ordinario res stat:) vnum ex his decessisse, nullo hærede vel successore derelicto, sed relicto in hæreditate sua hoc iure: Quærebatur quid de decedentis istius portione fieri oporteret? non vtrum ad fiscum seu Principem rediret, & sic nouæ donationi & com- P.468 petitioni (quod Cuiacius quoque credidit) locus fieret; sed num ad extraneam quamcunque personam, vt dicitur *leg. 1.* ad personam aliam, vt *leg. 2.* pars ista peruenire posset, id est ad successores & hæredes alios, quam institutos, vel liberos extraordinarios etiam, vt est vir & vxor; an vero συνδότης, socius, consors donationis socio portionem eam sibi vindicare posset quodam accrescendi iure; Et vero postremum istud *his legibus* constituitur, & quidem a Constantino M. primum hoc ius inductum fuit. Vbi videndum est de quinque sequentibus. 1. Quando proprie *his legibus* locus sit. 2. Qua ratione, quoue exemplo, hoc ius inductum fuerit. 3. Adfinia quædam iura subiiciemus, & ab hoc submouebimus. 4. De Limitationibus: & 5. Tandem de Ampliationibus viderimus.

Et quanquam *legem vnic. C. I. eod. tit.* hinc desumptam latissime post Veteres interpretentur Ioannes Antonius Bellonius Præses Taurinensis, *tomo 1. de iure Accrescendi, quæst. 6. c. 36. & seqq.* & Amaya *commentario ad eam legem lib. 10. Codicis*, nos tamen quæ ad rem pertinent, hic breuiter tractabimus: vbi forte noua quædam occurrent: vbi & illud præmiserimus, sententiam quam Bellonius *illi legi*, vel etiam *his legibus nostris* affingit erroneam prorsus esse. Sententia illius hæc est, *his legibus* non id dici, quasi ipso iure socio seu consorti pars socii adquiri dicatur, verum id definiri, quod si Princeps partem socii ceu vacantem fiscoque deuolutam alicui concedere velit, debeat potius concedere socio quam extraneo, & sic noua opus esse concessione. Quod inanissimum est, & aduersus apertissimam *harum legum* dispositionem: quibus socii partem socio ipso iure adquiri aperte indicatur, perpetuo iure constituto, *Places*, inquit,

inquit, *peruenire portionem* &c. rursum, *ad consortem pars perueniat decedentis.* *Peruenire* ea dicuntur, quæ ipso iure semel constituto adquiruntur, non quæ specialem desiderant concessionem. Ad rem.

Prima igitur quæstio, eaque valde agitata est, vtrum *post omnes demum hæredes legitimos* cuiuscunque gradus & ordinis, an vero deficientibus statim liberis, socius consors, συνδότης, protrito non tantum fisco, sed & omnibus hæredibus præter institutos, & liberis exclusis, partem socii vindicet? Pro illa sententia facit *Titulus* generalis, *vtroque Codice, si &c. socius sine hærede defecerit.* Faciunt generalia itidem verba vtriusque legis: *Legis*, inquam, 1. *in principio*, ibi: *nec superstites dereliquerit successores: Legis* 2. ibi: *si nullo hærede derelicto defecerit.* Contra faciunt expressa verba posteriora *dictæ legis primæ*, ibi: *qui intestatus aut sine liberis diem defunctus est.* Facit Interpretatio, quæ vulgo Aniani, hic subdita, duobus locis, ibi: *nec filios reliquisse cognoscitur*: item ibi *in f. vbi filii nulla persona interuenisse cognoscitur.* Dubitationem auget quod *hæredis* appellatione quandoque continentur quicunque tandem, qui per successionem quamcunque quamuis longissimam, defuncto hæredes existunt. De quo sunt textus notissimi in *l. 65. 70. 170. de V. S. l. 194. de R. I. l. 17. §. fin. D. ad Trebell. l. vlt. C. I. de hæred. instit. l. 22. Cod. eod. de legatis.* Aliquando conditio hæc, *si sine hærede*, vel simpliciter appellatio *hæredis* multoties restringitur ad liberos, pro subiecta scil. materia, de quo inter alios Ioannes de Platea prolixe *hic.* Mihi quoque placet, deficientibus statim liberis huic iuri locum esse, & sic socium excludere omnes alios hæredes præter institutos & liberos: quomodo vt dixi *hæredum* appellatio sæpe non large accipitur sed ad filios restringitur. Primo: quia quod *initio l. 1.* dicitur, *nec superstites dereliquerit successores*: fine *leg.* id ita explicatur, *qui intestatus, aut sine liberis diem defunctus est.* Ergo socius admittitur, si vel testamento hæredem socius non instituerit, vel sine liberis diem defunctus est. Secundo mouent illa, *non ad extraneam quamcumque personam*: Extranea quæcunque persona, est quæcunque tandem, quæ vel testamento instituta non est, vel ex liberis non est: Quomodo & *alia persona* dicitur *l. 2.* Sic *alieno hærede* mori quis dicitur, qui sine liberis decedit: *l. 17. §. vlt. D. ad SC. Trebell.* Nisi malis *extraneam* personam quamcumque, & *aliam personam* dici opposite ad socium seu consortem. Quanquam & illud tentari posse cui videatur, hanc quidem Constantini mentem fuisse *l. 1.* aliam vero Constantis fuisse *l. 2.* vt ita quod ius a Constantino inductum fuit, restringi a Constante videatur: Sic vt Constans non voluerit socium admitti, nisi post omnes hæredes, cuiuscunque gradus & iuris; sed fisco tantum præferri vellet: Nullo, inquit, *hærede derelicto.* Id inquam tentari posse cui videatur: idque Iustiniano magis placuisse, prælato *legis 2.* contextu: Contra, abdicato textu *legis 1.* Et tamen priori sententiæ adhærendum: Neque enim alius sensus est *legis 2.* quam *legis 1.* Et certe verba quoque illa, *nullo hærede derelicto*, de testamentariis & liberis recte accipias, quibus *Persona* Alia ibi opponitur; non minus quam *l. 1.* verba illa generalia, *nec superstites dereliquerit hæredes*: & persona Extranea *quæcunque*, *in f.* explicatur per illa, *qui intestatus aut sine liberis diem defunctus est.* Ergo persona *extranea*, vt habetur *l. 1.* & persona *alia*, vt *l. 2.* est omnis præter institutos & liberos. Quam vocem, *extraneam*, satis audenter & incaute Tribonianum expunxisse vult Amaya. Quod minus pense dictum: quandoquidem totum *legis 1.* textum Tribonianus abdicauit, retentis verbis *legis 2.* vbi *persona alia* dicitur. Ad rem. Et sane videntur Imperatores Palatinis suis, quibus obnoxii erant, quam plenissime factum fautumque hac parte voluisse. Et sic alia ratio est huius iuris, quam extraordinariæ successionis, quam *lex* operatur, de quo postea; ibi quippe post omnes demum hæredes extraordinarii succedunt. Quinimo & Ratio ob quam ius hoc singulare inductum fuit, eam sententiam liquido comprobare videtur: de qua nunc secundo loco.

Ratio scil. huius noui iuris non ea est generalis, quod cum Imperatoris sit, beneficium suum interpretari, Constantinus & Constans hanc beneficio suo, duobus communiter dato in hac specie legem seu conditionem addiderit. Neque enim hæc ratio satisfacit: semper enim quæritur, qua ratione moti, quo colore id Imp. Constantinus primum induxerit: Vt neque sufficit ratio Interpretationis *legi 1.* subditæ. *Merito enim socius præfertur, vbi filii nulla persona interuenisse cognoscitur.* Semper enim quæritur, cur *merito* id ita inuectum fuerit. Vera igitur ratio, qua motus primum Constantinus ad hoc ius descendit, est coniecturata quædam *Iuris accrescendi* in hac specie ratio, vt recte post Accursium *hic*, Platea, Lucas de Penna, Bartolus, Iason, Rebuffus, aliique: Nempe (vt id edisseram) quia plures a Principibus eadem donatione comprehensi per concursum partes faciunt: qui vtique nisi concurrissent, vni solidum Princeps donaturus fuisset. Quare cuidam & æquabili accrescendi iuri hoc casu locum fecit Constantinus, & post eum Constans, quod & Theodosius Iun. *hoc tit.* & Iustinianus *tit. Codicis sui huic concordante* probauit. Et certe similis omnino huic ratio est in iure Accrescendi, eadem re pluribus coniunctim a testatore legata, qui per concursum partes faciunt, solidum alioquin seu ex asse habituris, ex coniecturata testatoris voluntate. Et sic *coniunctionis* & consortii ratione hoc ius primum inductum fuit a Constantino M. Qui Princeps alioquin & alias magnam consortii rationem habuit, pluresque edidit constitutiones in consortium fauorem: veluti *legem vn. sup. de dominio rei quæ poscitur*: vt & constitutionem, quam memorat simul & abrogat famosa *lex dudum* 6. & 14. vtroque *Cod. de contrah. empt.* ad quam vide etiam quæ dixi. P. 469

Neque obstat quod diuersæ sententiæ Sectatores aiunt, post adquisitam semel portionem a socio cessare ius accrescendi, excepto tantum vsufructu. Nam & in hoc quoque casu nostro præsupponendum est, socium decessisse ante adquisitam & incorporatam cæteris bonis suis portionem. Vt neque illud mouere debet, quod ius accrescendi inter eos tantum seruetur, qui eodem iure vocantur, non diuerso: Nam & in hoc quoque casu socii eodem iure vocantur: ex liberalitate videl. Principis duobus coniunctis nominibus facta. Tandem neque illud mouere debet, quod in contractibus, quibus & donationes adnumerantur, ius accrescendi locum non habeat: Nam vt omittam hanc quæstionem vtramque, quam pluribus tractant Interpretes, est hoc accrescendi ius singulare & extraordinarium, sed tamen eodem colore nixum, quo reliquæ accrescendi iuris species. Notetur itaque iam singularis hæc accrescendi species: vbi consorti pars nondum quæsita, nondum incorporata, accrescit socio, seu consorti συνδότῃ; non fisco tantum protrito seu excluso, (quod Cuiacius quoque *ad l. vn. C. I. eod.* voluit) verum aliis quibuscunque hæredibus legitimis, imo & viro & vxore (quod nonnulli perperam negant:) Quare imperfecta est Interpretum sententia summaque, quam ex *d. l. vn. C. I. eod.* conficiunt, *socium in bonis socii absque legitimo hærede socii decedentis, præferri* Fisco. Ergo superest, hanc Accrescendi iuris speciem quandam esse. Quare probanda non est eorum sententia, qui id *successionis* cuiusdam iure socio adquiri volunt: alia enim ratione ius hoc nixum, constitutumque iam ostendimus. Ac multo magis ea sententia explodenda, id procedere ex tacita quadam *substitutione* fidei-

fideicommissaria seu reciproca, quam Princeps inter consocios fecisse censetur; arg. *l. 32. D. §. 6. de leg. 2.* & adducta *l. 24. cum seq. D. de hæred. instit.* Nam etsi is cui portio accrescit, quasi substitutus habeatur *l. 61. §. 1. D. de legatis 2.* tamen substitutiones & fideicommissa nonnisi a testatore proficiscuntur. Et sane in *sp. d. l. 24.* agitur de tacita substitutione a testatore facta, vt ex verbis institutionis colligitur.

Tertio nunc loco videndum est de iis quæ velut similia huic iuri exempla adferuntur, vel adferri possunt. Enimuero ea omnia, etsi commune aliquid habeant & adfine, longe alia tamen ratione fineque instituta sunt, neque cum hoc commisceri debent. In his est Constantini Porphyrogenetæ *Nouella περὶ τῶν στρατιωτικῶν*, vt & Romani Edictum, *πρὸς τοὺς ἐν τῷ θέματι τῶν Θρακισίων* in consortium seu *συνδότων* fauorem, de fundis militaribus, nullis adgnatis existentibus aut adfinibus qui ex *lege* vocantur, *τοὺς συνδότας καὶ συναίχμους αὐτῶν ἀκούεσθαι προαρχομένους*, ad euincendos seu retrahendos fundos militares, qui donati fuerant, alienatos. Neque enim plenum adeo ibi beneficium vt in *sp. nostra*, consortibus tribuitur: nam neque ibi iuri crescendi ad rem suo iure vindicandam locus est, non magis quam in specie *dictæ leg. 24.* sed ad ius retrahendi: & nonnisi agnatis omnibus & adfinibus deficientibus ius illud tribuitur. Secundo accedit quidem aliquatenus quod Theodoricus Rex statuit apud Cassiodorum *II. Variarum 21.* paludosis locis duobus donatis a Principe, vt ad culturam redigantur, cessante vno ex his, eius portionem ad consortem beneficii pertinere: cui similis altera quoque est epistola, *II. Variarum 33.* vbi *societatis* & *collegii* vocibus vtitur. Verum in hoc casu & culpa quædam intercedit, & viuo donatario propterea res eripitur: In hoc casu nostro pars decedentis superstiti accrescit, etsi ille nihil admiserit. Tertio ab hoc iure diuersum est extraordinarium successionis ius, quo, deficientibus quibuscunque testamentariis & legitimis hæredibus, alicui Corpori, bona decedentis ex eo corpore, addicuntur: veluti Curiæ, Cohorti, Nauiculariorum corpori, Fabricensibus, Ecclesiis & Monasteriis: de quo *l. vn. sup. de bonis militum: l. vn. sup. de bonis decurionum l. vn. de bonis Clericorum: l. 1. 2. 3. 4. 5. Cod. Iust. de hæredit. decur. l. 20. Cod. eod. de Episcopis.* Quas tamen species Commentatores, etiam Cuiacius, cum his *legibus* ceu similes plane & concordantes commiscent, in quibus priuatum singularis corporis priuilegium continetur. Quarto ab hoc iure diuersa sunt accrescendi iura in bonorum possessionibus: veluti quotiens pluribus *liberis*, cessante legitima successione, bonorum possessio defertur, beneficium Edicti perpetui quibusdam omittentibus, his solis qui bonorum possessionem agnouerunt, portio *non petentium* accrescit: de quo est *Titulus*, & *lex vn. Cod. Iust. quando non petentium partes petentibus adcrescant.* Ibi enim de non petentium parte agitur. Quinto, ab hoc iure diuersa est species *leg. 24. D. de bonis libertorum:* in qua si a communi liberto alter ex duobus patronis iusiurandum exegerit ne vxorem ducat, & viuo liberto is decesserit, is qui extra hanc culpam fuerit & superuixerit, partis vtriusque debitæ bonorum possessionem solus habere dicitur. Ibi enim culpa quædam vertitur, inque fauorem nuptiarum, odiumque eius & pœnam qui has inhibere conatus est, id constitutum: quia patronus non potest cogere libertum ad tale iuramentum; alias priuatur iure patronatus: *l. 6. 15. D. de iure patron.* Sexto diuersa est species *l. 13. in princ. D. de iureiurando:* Nam neque ibi pars alteri competens, mox deficiens, decedente altero, alteri adcrescere dicitur: verum alterius ex duobus patronis iure prætenso, per iusiurandum liberti *se libertum eius non esse* extincto, id desinitur, etsi id alteri patrono non prosit, attamen multum fidei & auctoritatis apud Iudicem patronum habiturum, quo magis solum se patronum probaret, quod libertus iurasset, alterum patronum non esse.

Septimo, diuersum est vetus illud ius accrescendi, cuius mentio fit apud Vlpianum *in fragm.* & Paulum *4. Sent. 12. §. 1. & §. vlt. Inst. de donationib.* quodque postea abolitum est a Iustiniano *l. vlt. Cod. Iust. de communi seruo man.* quo scil. olim, si communem seruum habens aliquis cum alio solus ei libertatem imposuisset, eo casu pars eius amittebatur, & socio adcrescebat: Ibi enim pariter factum P. 40 condomini aliquod intercedebat, vnde eo iure totum ius in vnius persona consolidabatur, velut indiuiduo libertatis iure. Quæ & ipsa octauo loco ratio est sententiæ Sabini, Cassii, & post hos Iuliani, in *l. 30. D. de liberali causa:* nam & ibi eadem ratione ius dominii in vno Domino consolidatur, propter indiuiduam libertatis naturam. Nono diuersa est species *cap. vn. de duobus fratribus a capit. inuest. in vsibus feudorum:* Nam ibi quod alter ex fratribus altero mortuo domino præfertur, id fit, non consortii ratione, verum propter tenorem inuestituræ, vt ibi expresse dicitur. Ergo hæ species omnes, quas hic ferme Interpretes cumulant, & apponunt velut concordantes, huc proprie non faciunt, etsi quadamtenus similes videantur: Nos enim hic versamur in re duobus a Principe donata, quæ ex coniecturata Principis voluntate citra culpam aut factum consortis, alteri quodam casu accrescendi iure adquiritur. Ergo hoc casu, socii decedentis pars, consorti adquiritur seu adcrescit ipso iure, citra specialem concessionem: extraneis quibuscumque protritis, etiam legitimis hæredibus, solis liberis exceptis.

Sequuntur nunc *Limitationes*. Prima est ratione personarum; Nempe ius hoc in consortibus tantum donatariis Principum constitutum, non in aliis consortibus. Quod ex *ratione* superius allata omnino efficitur. Secundo ratione rerum: Nempe præsupponendum est (quod & *supra* monuimus) rem donatam nondum incorporatam aliis consortis, qui decessit, bonis fuisse: nam si incorporata ea fuerit non alio ea pars iure censetur, quam reliqua bona: in quibus sane consors nil iuris habet. Pariter vt accrescendi ius locum non habet post adquisitam semel portionem, *l. 61. D. de adquir. hæred. l. 16. § fin. D. quemadm. seru. amitt.* excepto tantum vsufructu, ex ea ratione, de qua *l. 1. §. 3. D. de vsufr. accr.* Fingendumque adeo est hac in re consortem post donationem sibi cum alio a Principe factam, antequam partem suam persequi vel consequi posset, decessisse: Est enim Doctorum quorundam error, etiam Manticæ, hoc adcrescendi ius locum habere post quæsitum etiam emolumentum. Alio igitur atque alio iure eiusdem personæ bona hic habentur: reliqua scil. bona, iure successionis hæredibus deferuntur: pars donationis deficiens ad consortem iure quodam accrescendi pertinet. Quod singulare omnino est, vt duplici iure bona eiusdem personæ habeantur, ea semper ratione subnixum, quam supra reddidimus. Quare crassus etiam hic Interpretum quorundam error est, qui ad omnia bona socii hoc referunt, atque ita *leg. vn. C. eod.* ita sumunt: *Socius in socii BONIS absque legitimo hærede decedentis præfertur FISCO.*

Nunc de *Ampliationib.* Ex superiori etiam ratione conficitur, etsi hic *titulus*, seu *ius* hoc, denique *leges* hæ duæ nostræ, sint de consortibus qui communiter, seu iunctis nominibus a Principe quod *petierunt* & impetrarunt, attamen idem proculdubio obtinuisse & obtinere debere, in *vltro datis*, cum videl. Princeps vltro duobus, iunctis nominibus, rem eandem donasset: quod sæpe factum *initio* ostendimus: semper enim eadem ratio, præsumptio, coniectura voluntatis Principis ibi militat.

 Etsi

Etsi verum quidem est, frequentius huiusmodi consortes petitores fuisse. Contra, hodie petitionibus sublatis, hoc ius nonnisi ad liberalitates meras Principis, seu ad vltro data, &c, vt loquuntur, si donatio motu proprio Principis facta fuerit, pertinet: Et sic *leges* hæ, quæ de petitionibus erant, ad vltro data a Triboniano translatæ sunt: ob petitiones videl. abolitas: non quasi reuecto si quando petitionum more, non idem ius obtinere debeat, cum eadem semper ratio militet. Quam recte autem harum legum vsum ad *Feudorum* materiam (de quo Rosentalius *tract. de feud. cap. 6. conclus. 73. 74. 75. & 76.*) & ad *Talliabiles*, vbi indiuisio *Escheutam* quam vocant, impedit, & ad *Emphyteusin*, aliaque traducant Interpretes & Pragmatici, ex superioribus facile dignosci deinceps poterit. Nos ad alia properamus: ea etiam quæstione prætermissa, vtrum hoc ius obtineat quoque, si socius non quidem naturaliter, sed ciuiliter mortuus sit.

Notanda superest vox *solatii* in *l. 2.* vbi solatium est, non *παραμυθία*, quo sensu vox ea ferme accipitur, & quidem luctuosa successione. Multo minus (quod Amaya scripsit ad *l. vn. C. Iust. eod. tit. p. 175. n. 3.*) ea voce intelligenda sunt annua salaria, seu mercedes, donationes aut liberalitates, quæ ob exhibita seruitia vel ob magnificentiam (f. munificentiam) a Principibus concedebantur. Imo dic *solatium*, id est, lucrum, commodum & emolumentum: & quidem si alludere lubeat ad priorem illum *solatii* significatum, quod consorti hoc casu, decedente iam consorte, tribuitur solatii cuiusdam loco quod ab initio & per concursum solidam donationem nactus non fuerit. Sed tutius est *solatium* simpliciter, vt feci, interpretari: quomodo alibi passim ea vox effertur: de quo in *Glossario Theodosiano*.

P. 471. # DE ADVOCATO FISCI.

TITVLVS XV.

LIB. II. COD. IVST. TIT. IX.

Hic *Titulus* positus est, nempe inter *Titulos* de *Aduocatis*: *συνήγορος τῦ ταμείυ* Basilio, *ep. 84.*

PARATITLON.

1. ADVOCATVS fisci, *Rubr. l. 1. hoc tit. l. 1. supr. de concuss. Aduocat. l. 3.* & *32. supr. de petition* (quæ & Aduocatio fisci, *l. 41. infr. de appellation.*) Patronus fisci, *l. 5. supr. de his quæ administr. l. vlt. supr. de bonis vacantib. l. 32. supr. de petition.* vnde & fisci patronatus, *Nouella Theodosii de postulando 16.* patronus fiscalium commodorum, *l. 3. h. t.* Defensor fisci: *l. 3. supr. de delation.* Symmachus *lib. 10. ep. 55.* defensor domus Principis, *l. vlt. supr. de actorib.* vnde & defensacula fisci *l. 2. h. t.* item vox fisci Aduocati, *d. l. 32. sup. de petitionibus:* Sunt qui fisci commoda vel vtilitatem tuentur; Interpres ad *l. 1. h. t.*

2. *Erant* huiusmodi Aduocati fisci in foro Præfectorum Prætorio, *l. 2. h. t.* & *d. Nouella 16.* & Sulpitius Seuerus *lib. 2.* item in foro singulorum Administratorum seu Iudicum vicariorum, *l. 3.* & *vlt. hoc tit.* veluti Africæ, *d. l. 3.* Ordinariorum Rectorum, *d. l. vlt. h. t.* Proconsulum, veluti Africæ, *l. 1. h. t.* & *l. 1. supr. de concuss. Aduoc.* Achaiæ, *l. vlt. supr. de bonis vacantib.*

3. *Eligebantur* ii vel a Principe, *l. 2. h. t.* nempe in foro Præfecturæ Prætorianæ: quo casu si plures a Principe electi fuissent, is præponendus erat qui melior, innocentia potior, literis præstantior esset, *d. l. 2.* In prouinciis, ex Aduocatorum corpore *d. Nouella 16.* a Vicariis & Rectoribus prouinciarum *l. vlt. h. t.*

4. Officium eorum erat, vt iis interuenientibus fisci commoda tractarentur: vnde, *γλῶττα τῦ ταμείυ* dicitur Philostrato, *συνήγορος τῦ ταμείυ Basilio.* Ideo vacantia bona caducaque his agentibus præsentibus inquirebantur, *l. vlt. sup. de bonis vacant.* vindicabantur *l. 3.* & *32. sup. de petit.* iudiciumque adeo super eo præsentibus his tractabatur, proferebatur; *d. l. 32.* Rationales priuatæ rei, vel causæ sacri ærarii præsidentes, examen præsentibus his suscipiebant, *l. 41. infr. de appellat.* iis præsentibus, ciuilis causa coloni conductoris rei priuatæ agebatur, *l. vlt. supr. de actor. procurat.* Hi quoque deficiente alio accusatore, accusatores reis apponebantur, vt ex Seuero Sulpicio *lib. 2. sacræ historiæ* discere est.

5. *Leges* Officio eorum *hæ ponuntur, seu in his hæc* desiderantur: Ab vna parte, ne fiscalia commoda occultent, *l. 1. hoc tit.* vt fidem cum veritate tueantur, *l. 3. h. t.* Ab altera, vt ne priuatis fisci nomine calumnias commoueant, *l. 1. h. tit.* ne litem improbe cuiquam commoueant: alioquin sumptus & damna resarciant: *l. vlt. supr. de bonis vacantibus.* Ne quenquam lædant: alioquin læso iniuriam probante conuicti competenti seueritati subiiciantur, *l. 1. supr. de concuss. Aduoc.* Ne tempora agendis causis fiscalibus elabi sinant: alioquin ex facultatibus suis damnum fisci sarciant, *l. 3. hoc tit.* Ne interea dum fisci Aduocati sunt, in prouincia ea quidquam comparent, *l. 5. supr. de iis quæ administr.*

6. Priuilegia eorum quædam repetenda ex *d. Nouella 16.*

De

P.472 ## *De* OFFICIO *Aduocati fisci: tum fisci, tum priuatorum respectu.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. Æliano (b) Proc. Afric. Post alia.

FIsci Aduocatus, pœnam metuens, caueat, ne fiscalia commoda occultet: neue, (c) nullo negotio (d) existente, fisci nomine priuatis audeat calumnias commouere. Dat. VI. (e) Id. Nouembr. (f) Treu. (g) Constantino A. IV. & Licinio IV. Coss. [315.]

INTERPRETATIO. *Hii qui fisci nostri commoda, vel vtilitatem tuentur, hanc debent custodire mensuram, ne negligentes circa ea quæ nobis iure debentur existant, & ne prouincialibus calumniatores, dum aliquid ab iis iniuste fisci nomine repetunt, adprobentur.*

NOTAE.

(a) *L. 3. Cod. Iust. eod. tit.* quæ *vnica lex*, ex hoc *titulo* in *Cod. Iust.* transfusa est. Iungenda autem *huic l.* est *lex 1. supr. de concuss. Aduocatorum*: Imo etiam, vti censeo, *l. 2. infr. de annona & trib. lex 1. infr. de exactionib.* GOTHOFREDVS.

(b) *Æliani* huius Proconsulis Africæ meminit ipsemet Constantinus *epistola ad Probianum* P. C. Africæ huius Æliani successorem, apud Augustinum *ep.* 68. & *lib.* 1. *contra Cresconium*, *c.* 74. Item Optatus *lib.* 1. & Acta Felicis, edita Parisiis. Hic ille scilicet est, qui de Donatistarum & Felicis Aptungitani causa Constantini mandato cognouit, ac tandem (Volusiano & Aniano Coss. id est, Anno Dom. 314.) *XV. Kal. Martii* contra Donatistas pronuntiauit: teste Augustino, *post collat. c.* 33. & *epist.* 152. V. plura in *Prosopogr.* *ID.*

(c) *Neue*: id est, & vice versa, *ne.* *ID.*

(d) *Nullo negotio*, id est, Nulla causa, nulla lite, nulla substantia litis. *ID.* Cod. Iust. & MS. G. *vllo negotio*, Ed. Sichard. *in vllo negotio.* *RITTER.*

(e) Ita quoque *d. l. 1. supr. de concuss. Aduoc.* & *d. l.* 3. *Cod. I. eod. tit.* At *d. l. 2. de annona*: & *d. l. 1. de exaction.* & *l. 1. Cod. Iust. de lucris aduocat.* GOTHOFR.

(f) *Kal. Nou.* *ID.*

(g) Hic inserenda sunt ex *d. l. 1. supr. de concuss. Aduoc.* hæc verba. *Acc. XV. Kal. Mar. Karthagine.* Sane Consules subscripti, tempori datæ *legis*, non conueniunt: Imo in totum Consules *huic l.* subscripti mutandi sunt: neque enim Anno 315. Constantinus Treueris constitit, neque Ælianus A. 315. PC. Africæ fuit, sed Probianus. Quare subscribendi *huic l.* & cæteris, quæ illi coniungendæ sunt, Consules, *Constantinus A. III. & Licinius III.* id est, Annus 313. *ID.*

COMMENTARIVS.

OMNES *huius tituli* constitutiones eo spectant, vt recte & innocenter per Aduocatos fisci, fiscalia commoda procurentur, fidemque cum veritate tueantur (vt loquitur *lex 3. infr.*) Quandoquidem Aduocati fisci, non semper probi erant, de quo est Herodiani quoque locus *lib. 7. c. 4.* Quare & OFFICIO eorum & ELECTIONI certæ leges ponuntur. Et quidem CONSTANTINI M. duæ constitutiones de Aduocatis fisci primo loco occurrunt: præter quas sunt duæ aliæ insuper eiusdem constitutiones, in quibus de Aduocatis fisci agitur: puta *lex 3. supr. de petitionibus*: *lex 1. supr. de concuss. Aduocat.* (quæ *huic* inter alias iungenda est) Inter alias scil. curas Constantini M. hæc quoque fuit, vt Aduocatis fisci iustos haberet χρηστούς. Quam in rem est hæc eius constitutio, pariter vt *d. l. 1. sup. de conc. Aduoc.* Quæ vtraque Constantinianeæ constitutionis ad Ælianum Proconf. Africæ datæ pars est: qua is OFFICIO eorum certas leges ponit: hinc Fisci vtilitati, inde vero Prouincialium securitati, a fraudibus & concussionibus publicarum personarum, consultum cupiens; ex qua ipsa constitutione desumptas insuper puto *legem 2. supr. de annona & trib.* & *l. 1. infr. de exactionib.* quæ postrema potissimum collata cum *d. l. 1. supr. de concuss. Aduocat.* id comprobare videtur.

Ergo quid cauendum sit Aduocato fisci, quæue eius partes sint *hac l.* definitum iuit Constantinus M. Ita scil. Aduocatos fisci rem fisci accurare iubet, vt ne fisci vtilitatem occultent; contra, ne fiscalis nominis obtentu, priuatis calumniosas actiones & lites intentent, & vt Græci hic efferunt δι᾽ ἀφανοῦς κατηγορίας ἐπιβουλεύεσθαι ἑτέροις. Quæ vtique summa officii Aduocati fisci est: atque ideo hæc vnica lex ex *hoc titulo* in *Cod. Iust.* transfusa est. Hactenus scil. Aduocatum fisci sese benignum & iustum præbere oportet, vt ne commoda Fisci dissimulet: hactenus fisci commodis consulere efficacia & instantia sua, vt ne priuatos ideo concutiat aut vexet: denique, vt ait *lex 3. fidem cum veritate tueatur.* Quæ officii regula & aliis quoque rem alienam & fauorabilem gerentibus publice posita est; veluti Tutoribus *l. 9. §. 6. D. de admin. tutor. l. 6. Cod. Iust. de admin. tutor. l. 2. Cod. eod. de his quib. vt indign.* Verba *d. l. 6.* hic apponi merentur: *Non est ignotum, tutores vel curatores adulescentum, si nomine pupillorum vel adultorum scientes CALVMNIOSAS instituant actiones, eo nomine condemnari oportere, ne sub prætextu NOMINIS eorum, propter suas simultates, secure lites suas exercere posse existiment.*

Exerranti porro Aduocato fisci extra hanc regulam, pœnam & competentem seueritatem minatur Constantinus M. *hac l.* & *d. l. 1. supr. de concuss. Aduocat.* Quod vtique arguit, quis, quamque innocens & iustus Constantini M. animus erga fiscum suum, quis erga priuatos fuerit. Imo ex *prox. l.* apparebit quam potior apud eum priuatorum causa fuerit, quam fisci. Omittere vero hic non possum de officio Aduocati fisci præter Ausonii locum quem profero ad *l. 2. infr.* Theodorici R. epistolam apud Cassiodorum *l. Var. 22.* vbi Aduocatum fisci instruit, rebus verbisque *huic l.* imo omnibus *huius tituli* constitutionibus, quam congruentibus. *Sume igitur FISCI nostri TVENDA negotia: Ita per medium iustitiæ tramitem moderatus incede, vt nec CALVMNIA innocentes graues, nec iustis petitionibus necentatores exoneres. Illa enim vera lucra iudicamus, quæ integritate suffragante percipimus. Non*

ergo gloriam fugenes, sed quemadmodum vincas inquiramus. Æquitatem nobis placiturus intende: non quaeras de potestate nostra, sed potius de iure victorias: quando laudabilius superare fisci perditur, cum Iustitia non habetur. Nam si Dominus vincit, oppressionis inuidia est: aequitas vero creditur, si supplicem superare contingat. Non ergo paruo periculo causas dicimus, quando tunc fama nostra proficit, cum se COMMODITAS iniusta subducit. Quapropter sit interdum causa mala fisci, vt bonus Princeps esse videatur: maiori quippe compendio perdimus, quam si nobis indebite victoria suffragetur.

Tandem quod *pœnam* attinet, quam hic comminatur fisci Aduocato Constantinus, sed indefinite, notanda ea quoque, quam Theodosius Iun. comminatur *l. vlt. supr. de bonis vacantibus. Fisci vero patronus*, inquit, *detrimentum quod vitio eius, fisco ingeritur, resarcire vrguebitur: Aut si litem improbe cuiquam intenderit, redhibitione sumptuum damnatumque coërcebitur*, ad quam v. quæ dico; vt & consuli velim quæ Mornacius ad *hanc legem.*

E DVOBVS a Principe, diuersis temporibus Aduocatis fisci creatis, vter potior sit.

II. (a) Idem A. ad Pacatianum P.P. (b)

ETSI *potior aput nos priuatorum causa est, quam fisci tutela*, præcipimus tamen, si a nobis plures defensacula (c) fisci meruerint, eum præponi ceteris, qui melior, innocentia potior, litteris pollentior reliquis, examinata fide esse noscetur: etiamsi post alios hoc beneficium a Nostra Clementia reportabit. (d) Dat. III. (e) Non. Iul. Singinduno (f) Optato & Paulino Coss. [334.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* De causa mox viderimus. GOTHOFR.

(b) *Pacatianus* PP. sub Constantino M. Eidem inscribitur hoc ipso Anno *lex* 1. *infr. de suariis:* (ex qua apparet eum PP. Italiæ fuisse) & Anno prox. commissa dignitate eius *l.* 1. *supr. de lucris officiorum, lib.* 8. *t.* 9. ID.

(c) *Defensacula fisci*, id est, defensio: vnde & defensor fisci, defensor domus Principis. v. *Paratitl.* ID.

(d) *Reportauit.* ID.

(e) *III. Non. Iul.* Edit. prior. Cuiac. & quæ in 4. prod. RITTER.

(f) *Singiduni* in Mysia, mox Naissi in Dacia constitit hoc tempore Constantinus M. vide *Chronicon nostrum.* GOTHOFREDVS.

COMMENTARIVS.

ALTERA isthæc *hoc tit.* Constantini M. constitutio est *de Aduocatis fisci:* Quisnam videl. e pluribus, quibus Imperator defensionem fisci, id est, Aduocati fisci munus commisit, diuersis temporibus, præponendus sit: Finge, Imperatorem Aduocatum fisci aliquem fecisse, mox alium, id ipsum ab eodem Principe impetrasse: & sic vtrumque codicillis Principis munitum: Quæritur, vter præponendus sit? Et definit Constantinus M. *hac l.* non vtique illico priorem tempore præferendum, verum eum qui examinata fide, *Innocentia* potior, *literisque* pollentior fuerit, etsi tempore posterior. Ratio dubitandi erat a studio seu moribus ipsiusmet Constantini M. nempe quod potior apud eum priuatorum causa esset, quam fisci tutela: vnde efficiebatur, in hac quæstione non spectandum, vter ex promotis fisci commodis promouendis aptior & idoneor esset, verum quis prior Principis iudicium promeruisset: Ac maxime (vt id addam) cum sacrilegii instar sit dubitare an is dignus sit, quem elegit Imperator, vt ad Symmachum P.V. rescribebat Valentinianus Imp. *l.* 2. *C. I. de crimine sacrileg.* Proinde pro eo qui primus promotus esset respondendum videbatur. Quomodo & sexennio ferme post *hanc leg.* vt & hoc tertio loco addam: in rebus donatis filius eius Constantius potiorem esse voluit eum, quem anteriorem tempus Imperialis donationis ostenderet: *l.* 5. *supr. de petition.* Et tamen Constantino M. hac in sp. aliter visum: nam, vt maxime priuatorum apud ipsum causa potior esset, quam fisci tutela, ac proinde eius augendi cum priuatorum incommodis studium: attamen potior illa priuatorum causa, non id efficere debet, vt negligantur fisci commoda, dummodo innocenter ea administrentur: Quod ipsum in priuatorum vtilitatem recasurum est: si videl. Innocens vir, literisque pollentior fisci commoda procuret; Sic enim priuati a calumniosis litibus liberabuntur, quibus alioquin obnoxii essent, si neque innocens, aut ineruditus fisci commoda tractaret. Et hæc quidem est Constantini M. *h. l.* ratiocinatio, quæ non illico cuiuis appareret. Nunc de Quinque videndum est.

Primo loco occurrit optime Principis dictum illud de moribus suis: *Quod potior apud eum priuatorum causa sit, quam fisci tutela:* Quod de se dictum aliæ complures Constantini M. constitutiones contestantur & confirmant. De Constantio Chloro patre eius hoc ipsum prædicat Eutropius *l.* 10. *c.* 1. *Vir egregius & præstantissimæ Ciuilitatis, diuitiis prouincialium ac priuatorum studens, fisci commoda non admodum affectans, ducensque melius publicas opes a priuatis haberi, quam intra vnum claustrum reseruari:* Videndus hanc in rem & Auctor *Vitæ Constantini lib.* 1. *c.* 14. Simil a aliorum Principum dicta, vel de his scripta; vt & iuris Auctorum definitiones, quibus ostenditur potiorem esse priuatorum causam quam fisci tutelam, hic cumulare supersedeo, quæ congeri solent ad *l.* 10. *de iure fisci:* etiam ex Plinii *Panegyrico ad Traianum.* Cum hac descriptione congruit omnino illa Ausonii in Parentalib. de *Latino Eutonib.* 15. *av.* 7.

Ore decens, bonus ingenio, facundus, & omni
Dexteritate vigens, præcipuusque fide:
Hoc Præfectura sedes, hoc Illyris ora
Præside te experta est, fiscus & ipse cliens.

Secundo obseruanda sunt *huc l.* Qualitates (vt hodie

die loquuntur) duæ illæ, quas Constantinus M. in Aduocato fisci spectari vult, Bonitatem. Innocentiam morum & literarum peritiam, summam fidem: vt ne videl. quid cupide aut auariter agat, aut per ignorantiam admittat. Et vero quis neget, summam, in literis & quidem iuris studio peritiam exactam in Aduocatis fisci requiri? cum tot Caducorum causæ & fiscalium iurium controuersiæ, non nisi ex intima Iurisprudentia decidi possint: cuius ignorantia, si in Aduocatum fisci cadat, quam perniciose ab eo errari necesse esse.

Tertio, ex *hac* quoque *leg.* vt & ex *leg. 1. supra de lucris officior.* colligi potest, quo animo Constantinus M. & Pacatianus PP. cui duæ *leges* illæ inscribuntur, literarum studia seu liberalia complexi fuerint. Certe Victor, de Constantino, inter cætera eius Elogia & hoc memorat, *Nutrire Artes bonas, præcipue studia literarum.*

Quarto loco obseruandum, hanc *legem* pertinere ad *Aduocatos fisci* in foro Præfecti Prætorio, quos Imperatores ipsi eligere, vt hæc *lex* docet: cum in aliorum Magistratuum foro Aduocati fisci ab ipsis Magistratibus eligerentur, *l. vlt. infr. hoc tit.* de quo vid. & *Paratitlon.* Hinc & examen huius rei Præfecto P. *hac leg.* committitur.

Postremo notandum hanc *legem* a Triboniano abdicatam, proculdubio quod tempore priorem, hoc casu potiorem, seu prælatum, vellet.

Aduersus COLLVSIONES & PRÆVARICATIONES *Aduocatorum fisci, in necem fisci.*

III. (a) Imp. CONSTANTIVS A. (b) ad Petronium (c) Vic. Afric.

PATRONI fiscalium commodorum fidem cum veritate (d) tueantur: nisi (e) forte intra præscribtas causæ cognoscendæ metas, (f) fiscus aliqua circumscribtione fuerit inretitus, (g) conlusionis fraude vulgata, (h) ex eorum facultatibus recuperet (i) quidquid calliditate præuaricationis perdiderit. Subscribta V. (k) Id. April. Aquil. (l) Acyndino & Proculo Coss. [340.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* quia sufficere visa *lex 1. supr.* Iungenda autem ei *lex 5. supr. de dilationibus.* GOTHOFREDVS.

(b) γρ. *Constans*, de quo mox. *ID.*

(c) *Petronius* Vicarius Africæ sub Constante. *ID.*

(d) Citra præuaricationem, vt *fine leg.* *ID.*

(e) γρ. *Nam si*, vel potius, *ne si.* *IDEM.*

(f) Quatuor, vel sex mensium *d. l. 3.* *ID.*

(g) *Inretiri* circumscriptione, *hac leg.* laqueis conditionum, *l. 28. sup. de cohort.* necessitatib. apparitionum ciuilium, *l. 12. supr. de Veteranis.* *IDEM.*

(h) *Vulgata*, est detecta. *ID.*

(i) *Recuperet*, fiscus scil. *ID.*

(k) Ita quoque *d. l. 3.* in *Manuscriptis*, & in *C. Iust.* At enim in editis, *VI.* *ID.*

(l) Ad hanc subscriptionem vide, quæ scripsi *d. l. 3.* & quæ mox dicam. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTIS hæc constitutio est, cui etiam socianda venit velut vnius & eiusdem constitutionis pars *l. 3. supr. de dilationib.* non Constantii: quod ex subscriptione eius liquet: *subscripta* enim seu *data* dicitur A. D. 340. *Aquileia*, vbi tum Constans versatus est post cæsum fratrem apud Aquileiam: de quo videnda *Consularia Theodosiana*, & quæ diximus ad *d. l. 3.*

Ea porro constitutione Constans fisci commodis non vna ratione consultum iuit; partim ne fisci commoda diu protraherentur, quem in finem ideo breues temporum metas ad causas fiscales finiendas seu terminandas posuit, *d. l. 3.* quæ etiam hac *legis huius* particula indicantur: partim vt incorrupte ab Aduocatis fisci causæ fiscales agerentur, citra *circumscriptionem*, *collusionem*, aut *prauaricationem*: cui occurrit hac *huius l.* particula: Ideo sc. Constans præuaricatores Aduocatos fisci, veluti si non necessariis dilationibus tempus præstitutum præterlabi per collusionem, calliditatem, vel præuaricationem fuerint, damnum fisco datum sarcire iubet.

De ADPONENDIS *fisci Aduocatis a Rectoribus prouinciarum cum de re priuata lis vertitur.*

IIII. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Rufinum PF. P. (b)

VICARIOS (c) Præfecturæ, Ordinariosque (d) Rectores, præcelsa (e) Sinceritas Tua, istius sanctionis auctoritate commoneat, Vt priuatæ rei nostræ, quotiescumque aliquas

quas vel denuntiauerit, (f) vel exceperit actiones, idoneos tribuant Aduocatos. Dat. XIV. Kal. Iun. Remis, (g) Lupicino & Iouino Coss. [367.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* quia sufficere visa *lex* 1. GOTHOFR.

(b) *Rufinus* PP. sub Valentiniano Sen. A. D. 365. 366. 367. V. *Prosopogr.* & Am. Marcell. *lib.* 27. *cap.* 7. & 11. Et quidem fuit is PP. Italiæ. *ID.*

(c) Vicarios Præfecti P. Italiæ obserua: de quibus in *Notitia*: qui ab Ordinariis Rectoribus separantur. *ID.*

(d) *Ordinarii* Rectores, id est, Rectores prouinciarum: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(e) *Sinceritas tua precelsa*: Titulum Præfecti P. obserua, V. *Notitiam Dignitat.* *ID.*

(f) Res priuata nostra: *Denuntiauerit* autem, hic est intentauerit solemni denunciationum more: de quo *lib.* 2. *supr. tit. de denunciat.* *ID.*

P. 475 (g) *Remis* hoc tempore in Gallia Valentinianus constitit: quod plures aliæ constitutiones docent: vid. *Consul. Theodos.* *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris hæc constitutio est, de Tribuendis & Adponendis Aduocatis fisci, & quidem idoneis, in litibus Rei priuatæ: A Vicariis scil. Præfectorum P. & Rectoribus prouinciarum idoneos Aduocatos dari iubet, siue fiscus Rei priuatæ nomine agat, siue conueniatur: agat, siue conueniatur: agat, vel vt *hac l.* dicitur, *actiones denunciauerit*: de qua denunciatione litis dictum *suo tit. lib.* 2. *t.* 4. Id si intellexisset Gutherius, non *lib.* 3. *c.* 25. *p.* 631. siu. *pag.* 771. *edit. Lipsiens. de offic. domus Augustæ*, id de denunciationibus Thesaurorum & cæterorum ad fiscum pertinentium accepisset: perperam omnino; est enim hæc *lex* de *Denunciatione* litis.

Illud interim ex *hac l.* discimus, datos & electos Aduocatos fisci in foro Vicariorum & Rectorum prouinciarum, ab ipsismet Vicariis & Rectoribus. Aliud in foro Præfecti Prætorio: ibi quippe dati a Principe: *l.* 2. *supr.*

DE FISCI DEBITORIBVS.

TITVLVS XVI.

LIB. X. COD. IVST. TIT. II.

De conueniendis fisci debitoribus. Ita plenius *Cod. Iust.* repudiata *l.* 1. *h. tit.* quæ etiam ad *Tit. de fide & iure hastæ*: potius pertinet.

PARATITLON.

DEBITORES fisci, *Rubr.* & *l. vlt. h. t.* fisco obnoxii: *l.* 2. *h. t.* veluti Susceptores, Exactores, *d. l. vlt. h. t.* item Diacatochi, qui fiscales lacerarent rationes, *l.* 1. *h. t.* seueritate iudiciaria ad solutionem vrgebantur, *d. l. vlt. h. t.* Patrimonia eorum vendebantur, *l.* 1. *h. t.* neque cessionis beneficium ipsis competebat, *d. l. vlt. h t.* neque solutionem frustrari eo obtentu poterunt, quod ipsi alios debitores haberent: *l.* 2. *h. t.* etsi alioquin veri eorum debitores a fisco conueniri poterant: *l.* 3. *h. t.* Quod appellationes attinet: potuerunt & fisci debitores appellare, ex *l.* 14. 21. 28. 39. 41. 45. 46. 64. *de appellat.* quod aliquando immutatum: *l.* 12. *quorum appellat.* etiam in specie *l.* 26. *de appellat.* Quod & de manifestariis debitoribus fisci cautum: *l.* 6. 8. 9. 10. 12. 13. 18. 19. 21. 27. 30. 32. *quorum appellat.*

I. (a) Impp. Valentinianus, & VALENS AA. ad Auxonium R. P. (b)

DE diacathocis (c) quosdam comperimus, ita fiscales lacerasse (d) rationes, vt satisfieri ærario nostro, sine patrimonii eorum venditione, non possit: Sed eorundem bonis propositis, (e) nonnulli fiscalem refugiant functionem, (f) metuentes, ne si aliquam bonorum emerint portionem, etiam ad reliqua (g) debita inferenda teneantur: Nihil igitur ab his amplius flagitetur, quam, pro rerum viribus (h) generaliter compa-

ratarum,

ratum, decursis hastis, (i) voluntaria fuerint pretii oblatione polliciti. Dat. Kal. Septembr. Valentiniano & Valente AA. (k) Coss. [365.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Quæ melius collocata fuisset sub *tit. prox.* vbi etiam *lex* 2. quam Tribonianus seruauit, quæque eundem Valentem authorem habet, eandem sententiam præfert. *GOTHOFR.*

(b) *Auxonius* PP. Orientis sub Valente: de quo V. *Prosopogr.* vide & interim *l. vn. infr. de Classicis*; & Zosimum, *lib.* 4. *cap.* 10. *ID.*

(c) Pro *Diacatochis*, διακατόχοις, de quibus mox. *ID.*

(d) *Lacerare* rationes fiscales *h. l.* & *l.* 6. *supr. de Numerariis*: lacerare patrimonia fortunasque: *l.* 15. *supr. de cursu*: lacerare commoda publica, *l.* 36. *infr. de decurion.* *ID.*

(e) Venalibus sub hasta: *Proponere*, pro venale quid proponere: V. *l.* 2. *supr. de Veteranis*, & *Gloss. Theod.* *ID.*

P.476 (f) Est qui tentabat, & in his Cuiacius, ad *l.* 37. *D. de iure fisci*: *auctionem.* Ego nil mutem: sequentia enim ostendunt, quid sit *fiscalem functionem refugere*: nempe, metuere ne ad reliqua inferenda quis teneatur. *Functio fiscalis*, est debitum fiscale. *ID.*

(g) Et sic vniuersa debita. *ID.*

(h) *Vires* rerum, sunt modus rerum & facultatum: Vid. *Gloss.* *ID.*

(i) Hastis decursis: *h. l.* & *l.* 2. *infr. de fide & iure hastæ*: hastis habitis, *l.* 1. *supr. de domib. ad rem priu.* *ID.*

(k) Malim referre *hanc l.* ad *Valentinianum*, *& Valentem II. AA. Coss* id est, An. D. 368. pariter vt *l.* 2. *infr. de patrocin. vicor. leg.* 2. *supr. de milit. veste*: *l.* 4. *infr. de murilegulis.* *ID.*

COMMENTARIVS.

De Emptoribvs qui sub hasta, bona quædam *diacatochorum*, qui fiscales rationes lacerauerant, emerunt, quatenus videlicet illi teneantur, est hæc Valentis Imp. constitutio data ad Auxonium PP. Orientis, ab *hoc tit.* fugitiua, quæque melius posita fuisset sub *tit. prox. infr. de fide & iure hastæ:* quo titulo *lex* 2. eiusdem Valentis huic omnino concordat, quam etiam Tribonianus, hac spreta prætulit, nonnullis ex *hac l.* adscitis.

Ante omnia videndum est, quinam sint *h. l. Diacatochi?* Quod statuere difficile est. Dicuntur sane hi *hac l. fiscales lacerasse rationes.* Quomodo & Numerarii publicarum ciuitatum rationes versutis fraudibus lacerare dicuntur, *l.* 6. *supr. de Numerariis:* qui sane publicas rationes ciuitatum tractabant. Item vniuersi qui ex Comitibus, vel ex Præsidibus suffragio perceperunt dignitates, iubentur plebeiam capitationem sustinere, ne commoda publica sub vmbratili suffragiorum pactione lacerentur: *l.* 36. *infr. de decurionib.* Item vetantur *l.* 15. *supr. de cursu publ.* otiosis ædium cultibus patrimonia prouincialium fortunasque lacerari (per translationem:) *Lacerare* proprie est perdere rem aliquam: Ita etiam Plautus *Mercatore, Actu* 1. *sc.* 1. *Lacerari v.* 48. *valide suam rem, illius augerier*, quod paulo post ait, *v.* 58. *diffunditare ac deterere.* Denique *lacerare*, est conturbare, decoquere. Quæ cum ita sint, videri possint *Diacathoci* fiscales rationes tractasse: hi quippe demum publicas lacerare videntur rationes, qui eas tractant: qui cum Ærario non satisfaciunt, ad patrimonii eorum venditionem decurritur. Et tamen Græca vox *Diacatochon*, διακατόχων possessores, detentatores indubie significat, vt κατοχὴ, vel teste Paulo *l.* 1. *D. de adqu. poss.* & διακατοχὴ *possessionem*, passim *in libris Iuris Græcis*, & *Glossarum* scriptoribus. Sed & Theodosii M. constitutione ad Cynegium emissa, puta *l.* 7. *Cod. Iust. de omni agro deserto*, *& quando steriles fertilib. imponuntur*, *diacatochiæ* mentio fit: ita quidem vt possessionis & possessoris genus quoddam fuisse, ibi indicetur. Posteaquam scil. dixit *ea leg.* eos qui fundos patrimoniales defectos exercuerunt, fertilesque præstiterunt, saluo patrimoniali canone perpetuo iure sibi eos habere & suis relinquere, neque ἐπιβολὴν sterilium pati necesse habere: contra eos qui opimos possident, pro defecta portione (cuius ἐπιβολὴν pati eos necesse est, summam debiti implere oportere: Tertio, eos qui medii generis fundos emphyteuticorum detinent, puta neque in totum idoneos, omnibus modis defectos seu vacuos, sterilium partem & ἐπιβολὴν accipere cogi sub hoc præmio, vt biennalis canonis immunitate fruantur. Tandem subiicit: *Nemo tamen qualibet meriti & potestatis obiectione submoueatur*, (id est, excipiatur,) *quo minus ad diacatochiæ vicem*, *defectas possessiones patrimonialis iuris accipiat*, *earum tributa & canonem soluturus.* Vbi, *ad diacatochiæ vicem*, significat ad compensationem possessionis: *ad vicem* (nam id ita explicandum) id est, loco & pro compensanda diacatochia, ἐπιβολῆς genere & æquitate: Ergo diacatochia fuit possessio, detentio, quomodo Budæus iam recte vertit: & ita passim in iure vsurpatur, in Glossis διακατοχὴ *possessio*, διακάτοχος possessor, detentator: pro bonorum possessione apud Græcos Iurisconsultos: & in Gloss. Labæi διακατοχὴ, κλερονομία. Quare & diacatochus possessor, forte tracta significatione a genere ad speciem, diacatochus possessor fundorum patrimonialium perpetuo ac priuato iure velut domesticorum & auita successione quæsitorum, vt ait *lex* 7. *Cod. Iust. de omni agro deserto*, saluo patrimoniali canone: vt ita opponantur diacatochi Emphyteuticariis qui domini non efficiuntur, *l.* 1. *D. si ager. vectig.* Et ita video quoque sensisse Dominicum *de prærogat. allodior. c.* 8. *p.* 67. Et quidem appellatione, vt existimo, propria per Ægyptum: vbi huiusmodi Græcæ appellationes vsurpatæ plures tum personarum, tum rerum, quas cumulaui ad *l.* 1. 2. *infr. de frumen. Alexandrino:* & *l.* 6. *infr. de patrocin. vicor.* Sane duæ illæ *leges*, quibus diacatochorum & diacatochiæ mentio fit, *hæc* inquam, & *d. l.* 7. Præfectis Prætorio Orientis inscribuntur: *hæc* Auxonio; *d. lex* 7. Cynegio: qui & ipse aliquandiu Theodosii Imper. mandato in Ægypto & Alexandriæ vixit, vt ostendi ad *leg.* 19. *supr. de petitionibus.* Nil moror iam, quæ Accursius *hic*, aliique postea errauere: imo nec quæ Alciatus ad *d. l.* 7. *C. Iust. de omni agro deserto:* qui diacatharotiæ munus ibi fingit, cum Imperator fundos priuatis ita concedit, vt purgentur.

Ergo cum multi ex huiusmodi diacatochis, publicas lacerassent rationes, id est, Ærario non satisfecissent, debita non intulissent, canonem inquam tributarium, quem ex *diacatochia* debebant, necessario deuentum ad patrimonii eorum venditionem, & ad bona eorum proponenda sub hasta: Sed cum

metu quodam deterrerentur emptores ab his emendis, eum metum his Valenti *hac l.* adimere visum: Scilicet qui aliquam saltem bonorum ad diacatochos pertinentium portionem empturi erant, verebantur, ne *ad solida* debita tenerentur: quasi nunquam securi futuri, quandiu aliquid fisco adhuc deberetur. Verum, vti dixi, hunc metum & scrupulum adimit *hac leg.* Valens Imp. hoc constituto, nihil amplius ab emptore exigendum, quam pretium portionis quod obtulerunt. Qui ex hasta publice quid emit, si pretium tantummodo quod licitatus est inferat, securus est, neque vltra tenetur ad reliquam debitorum portionem. Quæ ipsa sententia est *legis 2. infr. de fide & iure hastæ:* seu *l. 6. Cod. Iust. eod.* quæ eundem vti dixi, Valentem Imp. auctorem habet.

Et ita quidem *hæc lex* intelligenda est. Neque enim *hac l.* & *d. l. 2.* id quæritur, vtrum qui rem debitoris fisci sub hasta emit, teneatur præstare & soluere reliquas, id est, quæ in reliquis residerunt tributariæ functionis, quæ quæstio est *legis 36. D. de iure fisci,* & *tit. sine censu vel reliquis infr. lib. 11.* verum quod magis & specialius, vtrum qui vel vnam rem emit, & portionem bonorum, pro solido debito teneatur: *Reliqua debita* hic, &, *reliqua fiscalia*, *d. l. 2. seu d. l. 6.* non sunt quo sensu alias *reliqua* dicuntur, P.477 λοιπάδες, *les arrerages*, verum debita etiam alia atque adeo omnia, excedentia pretium portionis emptæ.

Vt obiter tamen quæstionem illam attingam, num prædiis a fisco distractis, præteriti temporis tributum seu eorundem prædiorum onus ad emptorem spectet? distinctione opus est: vel enim pro ipsis reliquis tributorum soluendis a fisco res distrahitur, & tum nonnisi pretium licitationis debetur, vt *hac l.* & *l. 2. Cod. Iust. de fundis rei priuatæ*, (quæ Valentem quoque habet inscriptum, sed Valentiniano reuera tribuenda est) Idemque est in peræquatione, si videl. alicui nouo domino adsignata fuerit possessio in peræquatione, *l. vlt. Cod. Iust. de censib.* seu *l. 15. infr. de Censitoribus.* Vel alia de causa prædia distrahuntur, ceu fisco quæsita, & tum vltra pretium, præteriti temporis reliqua ab emptore debentur, *d. l. 36. D. de iur. fisci*, haud aliter atque a priuato ementem reliqua sequuntur: de quo *infr. tit. sine Censu vel reliquis:* Quare multiplici errore hactenus inuoluuntur, etiam Cuiacius, ad *d. l. 36.* dum huius *l.* & *d. l. 2.* & *d. l. vlt.* speciem & quæstionem confundit, cum sp. *d. l. 36.* Item dum vt has *leges* cum *d. l. 36.* in concordiam adducat, ita distinctione rem componit, quasi Papiniani responso locus sit, nisi aliud fiscus prædixerit ante venditionem, vel cauerit in vendendo.

DEBITORVM *suorum obtentu, debitorem fisci solutionem ideo morari non posse.*

II. (a) Idem AA. Gratianus A. ad Archelaum. Com. Or. (b)

HII qui fisco Nostræ Mansuetudinis obnoxii (c) sunt, omissa frustratione (d) teneantur, vt quod suis nominibus debent, de suis facultatibus cogantur exsoluere: seruatis, cum compleuerint, (e) allegationibus propriis, si quas aduersus quoscumque ex suis contractibus debitores competere sibi ex iure crediderint: ita vt aduersus eos, quos sibi obnoxios adseuerant, legibus & iudiciis experiendum esse cognoscant. Dat. III. (f) Non. Iul. Nouioduno; (g) Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTAE.

(a) *L. 4. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendæ *huic* videntur *lex 7. Cod. eod. de vectigalibus:* & *lex 1. infr. de vestibus oloueris.* GOTHOFR.

(b) Ita quoque *Cod. Iust. d. l. 4.* & *d. l. 7.* At enim *d. l. 1. infr. de vestib. oloueris* inscriptio habet, *Com. S. L.* vt & *lex 7. supr. de falsa moneta.* Quod quidem postremum prætulerim: versantur enim hæ *leges* omnes in eo argumento, quod ad dispositionem Comitis S. L. pertinebat. *ID.*

(c) *Obnoxii*, hic, & *fine legis* sunt debitores: vid. *Gloss. Theod. ID.*

(d) *Frustratione*, id est, tergiuersatione, mora: de hac voc. vid. *Gloss. Theod. ID.*

(e) Id est, *soluerint.* Eodem sensu apud Eumenium in gratiar. action. Constantino A. dicta Flauiensium nomine *cap. 11.* & *Implere* hoc Codice *l. 15. de annona:* vide *Gloss. ID.*

(f) V. *d. l. 1. infr. de vestib. oloueris. ID.*

(g) Vid. dicta ad *leg. 1. infr. de vestib. olouer.* RITTER.

COMMENTARIVS.

DEBITORVM suorum vel conueniendorum obtentu, vel indicatione, debitor fisci, actionem seu conuentionem fiscalem euitare, morari, frustrari non potest; verum quod ipse suo nomine debet, fisco de suo soluere cogitur; seruatis illi aduersus debitorem suum legitimis actionibus. Non potest scil. debitor fisci, fiscum vel remittere ad debitores suos (quam veram speciem *huius l.* puto) vel morari, frustrari, vsque quo ipse eos conuenerit. Posset equidem fiscus si vellet debitoris sui debitores exigere: verum a debitore vt id faciat adigi non potest. Denique non differtur actio fiscalis, quoad debitor fisci suos debitores exegerit.

Cæterum *huic l.* omnino cohæsisse puto *legem 7. Cod. Iust. de vectigalibus*, quæ eorundem Imperatorum nomina præfert, & ad eundem, *Archelaum Com. Or.* emissa est: sed Consulibus caret. Qua quidem *leg.* definitur, ex præstatione vectigalium nullius omnino nomine quidquam minuendum: quin octauas more solito constitutas, omne hominum genus quod commerciis voluerit interesse, dependere oportere: nulla super hoc militarium personarum exceptione facienda. Est igitur lex illa de vectigali Octauario, quod ex rebus venalibus fisco præstabatur: de quo est quoque *lex 8. Cod. Iust. eod. tit.* & *lex vlt. Cod. eod. de eunuchis:* & *l. 7. Cod. eod.*

cod. de locato. Quare nunc, coassata illa *l.* 7. cum *hac l.* finge: Mercatorem ob venditas in nundinis merces, octauarii vectigalis fisco debitorem esse: Non potest is exactionem fisci morari, frustrari, hoc obtentu, quod dicat, eos quibuscum *contractus* iniit, quibus merces vendidit, debitores suos sibi obnoxios, pretium sibi mercium nondum soluisse: vel aliter solutionem eos detrectare, morari. Quod *suo* quisque *nomine* debet, de suis facultatibus exsoluere, seu complere cogitur: seruatis ipsi actionibus aduersus debitores suos. Et sic quidem *huius l.* species ponenda videtur, in debitore vectigalis, rerum venalium in nundinas nomine. Quod & id ipsum conicere licet ex *l.* 1. *infr. vestib. oloueris:* quæ ad eundem Archelaum data, huic ipsi iungenda videtur: Nam & ea ad nundinas, resque venales tenetur: paragaudarum vestium commercio, nundinis *ea l.* priuatis interdicitur.

P.478 NON CONSTITVI *vel Probari quem Debitorem, etiam fisci, ex propria adnotatione: sed testibus, vel cautionibus.*

III. (a) Imppp. VALENS, Gratianus & Valentinianus AAA. Fortunatiano (b) Com. R.P.

INTER chartulas (c) deportati (d) breuis (e) quidam adseueratur (f) inuentus, qui nomina continebat debitorum seu contractorum, (g) cum tamen neque testibus credita pecunia probaretur, neque cautionibus (h) quæ inserta (i) sunt doceantur, (k) facile (l) esse perspeximus, vt sub propriæ adnotationis manu vnusquisque faciat debitorem: Occasionis igitur (m) huius calumniam præsenti volumus iussione cohiberi, vt breuis vanitate (n) reiecta, (o) nullus ad redhibitionem (p) de (q) his quorum nomina conscribta sunt, vrgueatur. (r) Dat. Prid. Non. Iul. Hierap. Gratiano A. IV. & Merobaude Coss. [377.]

INTERPRETATIO. *Si prolati breues vel a quocunque dimissi inueniantur, in quibus sibi quicunque aliquos faciat debitores, nullis cautionibus prolatis, neque aliis euidentibus documentis, nullam adscribti breues obtineant firmitatem.*

NOTAE.

(a) *L.* 5. *Cod. Iust. eod. tit. de conueniendis fisci debitorib.* GOTHOFR.

(b) *Fortunatianus* Comes R. P. sub Valente: de quo mox, & in *Prosopogr.* IDEM.

(c) Similem locum ex Am. Marcellino mox apponam. *Chartulæ* porro vox hic propria, de domesticis. Symmachus, *lib.* 5. *ep.* 34. *Reddentur etiam vobis chartulæ curas domesticas continentes.* ID.

(d) *Confiscati*, habet *Cod. Iust.* de qua Triboniani mutatione mox. ID.

(e) *Breuis* est chartula, adnotatio, vt *hac* quoque *leg.* vocatur: de hac voce vid. *Gloss. Theod.* ID.

(f) Forte, a te ipso Fortunatiano. ID.

(g) Insolens hæc vox, pro qua C. Iust. *Contractuum:* Neque tamen quidquam facile mutem, *contractorum*, pro contractu nexorum: vel *contractum* pro *contractus.* ID.

(h) *Cautionib.* id est, chirographis: V. vel *l.* 40. *D. de reb. credit.* ID.

(i) *Breui*, quam vocem addidit Tribon. ad maiorem intellectum. ID.

(k) *Ostendantur*, Cod. Iust. ID.

(l) *Iniquum* substituit Tribonianus in *d. l.* 5. de quo mox. ID.

(m) *Occasiones igitur huius calumniæ*, Ed. Sichard. *occasionis igitur huiusmodi*, Cod. Iust. RITTER.

(n) *Vanitas* breuis, sic Iuuenalis *Satyra vlt. v.* 41.

Vana superuacui dicens chirographa ligni. GOTHOFRED.

(o) A te Comite R. P. in specie *huius l.* ID.

(p) *Redhibitionem*, id est, *solutionem*: V. *Gloss. Theod.* ID.

(q) Ex his, seu ex eorum numero. ID.

(r) A te, in specie *huius leg.* Addit hic Tribon. *Quod & in aliis similibus causis obseruandum esse censemus.* ID.

COMMENTARIVS.

ADNOTATIONEM seu breuem & SCHEDVLAM patrisfamilias alicuius proscripti & deportati, denique chartulam manu proscripti adnotatam, nulloque teste vel chirographo munitam, inuentam inter cæteras eius chartulas, non ideo debitorem quenquam constituere vel probare: atque adeo adnotatum in chartula a fisco qui deportati bona occupauit, conueniri seu exigi, & ad redhibitionem, id est, solutionem vrgeri non posse definit *hac l.* Valens Imp. Quæ sane famosa *lex* est, & ab Interpretibus *Cod. Iust.* iam satis illustrata, quin & similibus aliis pluribus legibus in-commune firmatur, veluti *l.* 5. 6. 7. *Cod. Iust. de probationibus.* Nos ea tantum hic ferme sublegamus, quæ aliis intacta nouimus.

Primo notari cupio, inscribi hanc leg. *Fortunatiano Comiti R. P.* cui alioquin inscribitur & *lex* 2. *supr. de tironibus, lex* 5. *infr. de metallis:* *l.* 2. *de* Aqua-

Aquaductu: cuiusque meminit Amm. Marcellinus, *lib. 29. initio*, & Zosimus, in eadem historia, *lib. 4. cap. 14.* Quod quidem non inani curiositate notari cupio, verum quia hic ille est Fortunatianus Comes R. P. *Molestus flagitator*, cui proculdubio *hac l.* fibula a Valente Imp. ponitur. Marcellini verba de eo hæc sunt: *Procopius quidam inquies homo, turbarum cupiditati semper addictus Anatolium detulerat & Spudasium Palatinos, exigi quæ de Ærario interceperant iussos, insidiari Comiti Fortunatiano, molesto illi flagitatori.* Zosimus de eo ita: Φορτουνατιανὸς τῇ τῶν βασιλικῶν ἐφεστὸς ταμιείων φροντίδι, *Fortunatianus Comes Rei priuatæ*, & post *in fin. capitis.* οἱ δὲ τὰς οὐσίας ἀπώλλυον, παῖδας καὶ γυναῖκας καὶ τὴν ἄλλην συγγένειαν ἐσχάτῃ τύχῃ καταλιπόντες, ἦν γὰρ τὸ σπουδαζόμενον ἐκ πολυτρόπων ἀσεβημάτων συλλογὴν τῷ δημοσίῳ πολλῶν γενέσθαι χρημάτων. *Alii autem facultates amittebant liberis & conjugibus ceterisque cognatis extremæ fortunæ relictis: hoc enim agebatur, vt per nefarias rationes multiplices magnam fiscus pecuniæ copiam colligeret.* Ergo & *hac l.* Valens procurrenti Fortunatiani nimietati fisci obtentu occurrisse videtur, & forte ad eius relationem: quod colligat quis ex voce, *Adseueratur:* item ex illis in fin. *nullus vrguebatur.*

Secundo notetur quoque geminus Ammiani Marcellini locus, *lib. 28. cap. 6. de chartis proscripti*, inquit, (ita enim legendum, non *præscripti*, quomodo vtraque Editio melior habet.) *Romani rem mobilem, vt iussum, scrutaretur.*

Nunc tria Triboniani emblemata, seu interpolationes spectare iuuat: quæ inquam ab eo immutata, addita *in hac l.* a se relata in *Codicem Iustinianeum.*

P.479 Prima igitur interpolatio versatur circa *hypothesin huius legis*: Est scil. hæc *lex* proprie de deportato, *Inter chartulas DEPORTATI*, inquit: At Tribonianus substituit *Confiscati*, nempe generaliter eam ad omnes quorum bona confiscata porrigens, & sic *huius l.* hypothesin ad thesin reuocaturus. Et tamen non frustra est, quod in *h. l.* nominatim de deportato agitur: soli quippe deportati proscriptionis pœna adfecti, vt ostendit *lex 29. de petitionibus*: vbi plura eam ad rem.

Secunda interpolatio est circa *Rationem*: Nempe rationem ita ingreditur Valens hic. FACILE ESSE *perspeximus* &c. Pro quo Tribonianus substituit vocem *Iniquum*; Quomodo in *l. 7. Cod. Iust. de probationib.* in hoc ipso argumento, *exemplo perniciosum* dicitur. Et tamen Valens aliud voluit: nempe, si ex huiusmodi charta quis conueniri a fisco posset, facile futurum & promiscuum, denique hanc oportunam *occasionem calumniis* (vt mox loquitur) futuram: Quo tamen ipso iniquitas rei satis & egregie ostenditur: Exemplum scil. hoc semel admissum non ibi stiturum, sed ad alia processurum: & *procliue* cuique fore, debitorem sibi constituere.

Tandem *Ampliationem* addidit Tribonianus, *fin. leg. Quod & in aliis similibus causis obseruandum esse censemus:* Nempe tracta *huius l.* æquitate ad quasuis alias causas, etiam priuatorum: quod sane alioquin tot aliis *legibus* cauetur: Quod tamen *huius legis* Inscriptioni minus conuenit: nam cum ea data sit ad Comitem R. P. ad eos casus proprie pertinet, & aptata est, vbi de fisco seu Ærario Principis agitur, deque deportati proscriptique bonis. Sane & Interpretatio quoque *huic l.* subdita eam generalem fecit. Cætera ex Interpretibus *Codicis Iustin.* repetere licet, nos enim alio properamus.

Illud ad praxin breuiter notari in *h. l.* oportet: creditam pecuniam non probari, sola priuata adnotatione eius, qui sese creditorem hac ratione constitutum it: neque vllam fidem mereri, etiam in fauorem fisci, qui forte notatori successit: Contra, probari creditam pecuniam duplici ratione, vel testibus, vel cautionibus, seu chirographis & instrumentis legitime confectis.

CESSIONIS BONORVM beneficium non pertinere ad debitores fisci.

IV. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AA. Florentio, Proc. (b) Palestinæ.

NEMO Susceptor, (c) vel Exactor, (d) vel debitor fisci duntaxat, cessionem bonorum faciens, intentionem (e) publicæ necessitatis euadat: sed omnes omnino, quos fisci nostri esse constiterit debitores, ad solutionem ea seueritate quam vigor (f) iudiciarius postulat, vrgueantur. Dat. VIII. Kal. Septemb. Constantinop. Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Florentius* Proconsul Palestinæ sub Theodosio M. IDEM.

(c) V. *infr. tit. de susceptoribus lib.* 11. ID.

(d) V. *supr. tit. de exactorib.* & *infr. tit. de exactionib. lib.* 8. & 11. ID.

(e) *Intentionem*, id est, actionem, executionem, solutionem: v. *Gloss.* ID.

(f) *Vigor* Iudiciarius, v. *Gloss. Theod.* IDEM.

COMMENTARIVS.

CESSIONIS Bonorum beneficium, (de quo suo *titulo supr. lib. 4. tit. 19.*) (quo videl. debitores carceris, verberumque periculo liberantur, *l. 1. & 4. Cod. Iust. qui bonis cedere*: τῆς τοῦ σώματος τιμωρίας *Nouella Iustin. 135. cap. 1.*) Susceptoribus, Exactoribus (de quibus *suis titulis*,) qui tributorum nomine fisco tenentur, aliisque debitoribus fisci denegat *hac l.* Theodosius M. Quinimo eos ad solutionem vigore iudiciario seu congrua & dignissima pœna seu seueritate vrgeri iubet. Id, inquam, exertis verbis de illis tribus Debitoribus fisci DVNTAXAT cauet *hac l.* Theodosius M. A contrario igitur vetus

tur cessionis bonorum beneficium priuatis debitoribus relinquit. Quæ & ipsa Gratiano mens fuit, *l. 1. supr. qui bonis ex leg. Iulia cedere:* & Iustiniano *Nouella 135.*

Inscriptio vero *huius l.* notanda: vbi Proconsulem Palestinæ præfuisse docemur sub Theodosio M. A. D. 385. pariter vt *l. 42. de appellat.* quæ data est A. D. 384. & *l. 28. infr. quorum appell.* A. D. 383. cum tamen antea Consularis ei præfuerit, & quidem sub Iuliano, vt docet *lex 55. infr. de Decurionib.* & postea quoque sub Theodosio Iun. vt docet *Notitia imperii.* Certe Hieronymus quoque *ep. ad Eustochium 27.* Proconsulis Palæstinæ meminit. Sed & Iustinianus *Nouella 103.* Proconsularem primum prouinciam factam auctor est.



P. 480

DE FIDE ET IVRE HASTÆ.

TITVLVS XVII.

LIB. X. COD. IVST. TIT. III.

De Fide & Iure hastæ fiscalis, & de Adiectionibus.

PARATITLON.

DEBITORVM fiscalium, seu fisci (de quibus *superiore titulo*) ob cessationem tributorum, vel etiam ob vestium auri atque argenti debitum *l. 2. infr. de distrah. pignor.* pro reliquis prodigorum in annonario titulo, cæterisue fiscalibus debitis: *l. 1. h. t.* pignora capiebantur, occupabantur, *d. l. 2. infr. de distrah. pign.* (vnde pignorum capio *d. l. 2.*) id est, fundi, mancipia, *d. l. 2.* & *l. 1. eod. tit.* vel quæcunque alia corpora, *l. 1. h. t.* pro pignore abducebantur, *d. l. 1. infr. de distrah. pignor.* Mox, conuento debitore, *d. l. 2.* & apud Iudicem interpellatione celebrata *d. l. 2.* si non solueret, *d. l. 2.* intra duos menses a pignorum capione, *d. l. 1. infr. de distrab. pign.* pignora vendebantur sub hasta & auctione fisco auctore, hoc ordine.

Primum, bona proscribebantur, *l. 2. h. t.* vnde proscriptio, *d. l. 2. h. t.* seu proponebantur, *l. 1. supr. de fisci debitorib.* Deinde licitationes fiebant, *l. 1. hoc tit.* vnde licitatio currens, *leg. 1. supra de domibus ad rem priuatam,* seu auctio, *dict. leg. 1.* & *vltim. hoc titul.* (vnde sub auctione licitari *leg. 1. hoc titul.*) pretii oblatio, *dict. leg. 1. supr. de fisci debitoribus:* Idque olim hasta in foro posita, sicut omnes venditiones fiscales; vnde formulæ hæ, sub hasta distracta comparare, *leg. 2. infr. de distrahend. pignor.* hastis decursis, *leg. 2. hoc titul. leg. 1. supr. de fisci debitorib.* hastis habitis, *leg. 1. supr. de domibus ad rem priuatam:* sub hastæ solemnis arbitrio, *leg. 1. hoc titul.* indeque & subhastatio publica, *leg. 3. hoc titul.* Tandem ei qui licitatione vicisset, addicebantur, *leg 1. hoc titul.* adiudicabantur, *leg. 2. hoc titulo.*

Ita comparatis bonis, pretio suo non gratiose distractis, *leg. vltim. hoc titul.* ea perpetuo penes emptores iure dominii erant, *l. 1. h. t.* perpetuo dominii iure iis potiebantur, *leg. vlt. h. t.* firmiter comparabant, *l. 1. infr. de distr. pign.* perpetuam emptionis firmitatem emptio accipiebat: *l. 2. inf. de distr. pign.* sic muniti erant, vt nullius extrinsecus conuentioni subiacerent: *l. 2. h. t.* sic vt rescripti auctoritate infringi facta venditio non posset: *l. 1. hoc titul.* Item, etsi minorum res pro fiscali debito venditæ fuissent, *dict. leg. 1. hoc titulo.*

Atque hæc est *Fides* hastæ, vt *Rubrica huius Tituli* vocatur: sic etiam vt non vltra pretium, quod obtulissent emptores tenerentur *leg. 1. supr. de fisci debitor.* & *leg. 2. hoc titul.* vid. & *l. 15. infr. de censitorib.*

VALENTINIANI *Sen. constitutio, de Fide & iure hastæ.*

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens, & Gratianus AAA. ad Viuentium P. (b) F. P. Gall.

QVÆCVMQVE, pro reliquis (c) prodigorum (d) in annonario (e) titulo ceterisue (f) fiscalibus debitis, in quibuscunque corporibus, (g) sub auctione licitanda sunt, fisco (h) auctore vendantur, vt perpetuo penes eos sint iure dominii, quibus res huiusmodi sub hastæ sollemnis arbitrio fiscus addixerit: Et si quid vnquam, vt a fisco facta venditio possit infringi, auctoritate Rescribti fuerit impetratum, nullus obtemperet: Cum etiam Mino-

 ribus,

P481. ribus, si quando aliquid ex rebus eorum pro fiscalibus debitis adiudicatur (i) emptoribus, repetitionis facultas in omnem intercipiatur ætatem, Dat. III. Non. Nouemb. Treu. Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTÆ.

(a) *L. 5. Cod. Iust. eod. tit. de fide & iure hastæ fiscalis.* GOTHOFR.

(b) *Viuentio huic PP. Galliarum* plures aliæ Valentiniani Sen. constitutiones inscribuntur: quas ex *Indice Personarum* petere licet: & quidem inter alias, *lex 4. & 6. de censu.* ID.

(c) *Reliqua* sunt λοιπάδες, ἐλλείμματα, *arrerages.* vid. *Gloss.* ID.

(d) *Prodiga* quid sint? mox dicam. ID.

(e) *Annonarius* titulus est, quod in annonis & annonariis speciebus fisco penditur. ID.

(f) Vel pro cæteris. ID.

(g) *Subhastatio* igitur dicitur non tantum de immobilibus seu fundis, verum etiam de quibuscunque corporibus. Et vsus tamen aliter obtinuit: nisi vniuersitas bonorum, vel vna cum prædiis corpora alia hastæ subiiciantur. ID.

(h) Publice, sub hastæ solemnis arbitrio, vt mox dicitur, non priuatim. ID.

(i) *Addicatur*, in quibusdam Ed. Cod. Iust. ID.

COMMENTARIVS.

DE DEBITORVM fiscalium rebus sub hasta distrahendis, non de aliis subhastationum generibus sunt omnes *huius tituli leges*: quibus partim Emptorum securitati consulitur, quo pertinet *lex 1. & 2.* partim Debitorum ipsorum indemnitati, quo spectat *lex 3.* Emptorum inquam securitati. CONVELLI scilicet factam semel rerum debitoris fisci sub hasta venditionem, Principis rescripto vel ætatis beneficio vetat *h. l.* Valentinianus Sen. quæ ad rem tributariam, seu censum Gallicanum pertinet: pariter vt & aliæ nonnullæ eiusdem constitutiones ad eundem Viuentium PP. Galliarum data: puta *lex 4. 6. infr. de censibus*: vbi tum Valentinianus morabatur; vt ex subscriptione *huius l.* liquet, *Dat. Treueris*: Rhenum videlicet tum omnem a Rhetiarum exordio adusque Oceanum magnis molibus communiens, castris castellisque & turribus assiduis per habiles locos & opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo excitatis: de quo videndus Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 2.* Itaque cum multis operis numerosoque exercitu in Gallia Valentinianus vteretur, annonariis speciebus cæterisque corporibus ad hæc opus erat: Quæ enim nonnulli minus præstarent, & in Reliquis residerent, pro reliquis prodigorum, & cæteris fiscalibus debitis moratorum facultates fisco auctore sub hasta vendi voluit: Emptoribus ad id allectis, spe præmioque perpetui atque inconcussi dominii penes eos mansuri: ita quidem vt Principis rescripto, non magis quam ætatis minoris beneficio, hæc venditio rite facta deinceps conuelli possit: Quod vtique tralatitium iuris est, seu vulgaris hæc fides hastæ fiscalis est, & quidem in hac ipsa specie, vt probat præterea Constantini M. *lex 1. infr. de distr. pignor. trib. caus.* & Constantini Iunioris *lex 2. eod. tit.* (quæ vtraque ad Hispanias pertinet, quæ & ipsa sub PP. Galliarum erant) & Valentiniani Iun. *lex vlt. infr.* Et quidem *d. l. 2.* de Minoribus pariter agitur: sic tamen vt si de minorum pignoribus & rebus ob cessationem tributorum distrahendis agatur, *ea lege* Constantinus Iun. desideret interuentum legitimi defensoris: quod *hac lege* non exprimitur, etsi proculdubio supponatur.

Ex his igitur patet, minorem non restitui aduersus subhastationem. Quod & variis statutis deciditur. Et de hac tamen quæstione vid. Posthium *de subhastationib. inspectione 57.* Item ex his patet, *hanc legem* esse de venditione rerum debitoris fisci facta a fisco iure creditoris. Quare otiose Interpretes hic agunt de venditione rei alienæ facta a fisco, tanquam rei suæ.

Illud singulare *hic*, & notandum, quod a *Minoris ætatis* priuilegio ad *Rescripti* beneficium Imperator argumentetur tanquam a pari, vel certe etiam a maiori: Nempe, quod *Minor ætas* non præstat, Principis *Rescriptum* vel Indultum præstare non potest. Et hæc de sententia *huius legis*: In qua inter alia vox *Prodigorum* notanda. Prodiga sunt quæ pro vsu quotidiano prodigi oportet: puta species annonariæ, vt ex hoc ipso loco liquet, (veluti, vinum, frumentum, esculenta, poculentave quæ prodiguntur; *leg. 18. D. de officio Præsidis*) *Prodigorum*, inquit hæc *lex*, *in annonario titulo.* Ergo τρόφιμος, vt voluit recte Cuiacius, & quidem in specie *huius leg.* annona militaris, quæ in dies prodigenda est.

VALENTIS *constitutio de fide & iure hastæ.*

II. (a) Idem AAA. ad Felicem Com. S. L. (b)

SI qui proscribente (c) ac distrahente fisco, debitorum fiscalium emerint facultates, pro earum rerum tantum pretiis (d) obnoxii sint, quas eos patuerit, decursis hastis (e) & proscribtione habita, comparasse. Nam ita eos munimus, vt nullius (f) conuentioni patiamur extrinsecus subiacere. Dat. VII. (g) Id. Mart. Marcianop. Valentiniano & Valente AA. (h) Coss.

NOTAE.

P482. (a) *L. 6. seu vlt. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Felix hic idem ille est Comes S. L. sub Iuliano: ad quem ab eo scripta A. 362. lex 5. supr. de bonis proscriptor.* & cuius

& cuius mentio fit *l. 5. infr. de fide testium.* Hic idem est, de quo Iulianus *in Misopogone, p. 125. ed. Petau.* siu *pag. 365. edit. Lips. Spanhem.* Amm. Marcellinus *lib. 23. cap. 1* Libanius *pro Aristophane, p. 218. edit. Morell.* & *Ep. 29. ad Iulianum:* Chrysostomus *de laudib. Pauli. homil. 4. pag. 492. 493. Tom. II. Oper. Edit. Benedictin.* & *orat. 2. in S. Babylam, contra Iulianum & contra gentiles, num. 22. pag. 573. Tom. eod. Oper. edit. cit.* Philostorgius, *lib. 7. cap. 10.* Theodoretus, *lib. 3. cap. 8. & 12. ID.* Quamuis hic statuat *Gothofredus eli. eum* hunc eundem esse, qui sub Iuliano fuit, μνημονικὸν tamen σφάλμα id, cum Felix ille, iam anno 363 *profluuio-sanguinis repente extinctus sit*, vt docent expressa Marcellini verba *loc. cit.* Necesse itaque, vt *Felix* ad quem *hæc lex* data, seiungatur ab illo, qui *Iuliani Augusti* temporibus *Com. S. L.* fuit, de quo locis superioribus omnibus auctores citati scripserunt. *RITTER.*

(c) Sic mox *infr.* proscriptione habita: proponere, *l. 1. supr. de fisci debitor:* Proscribere est publice proponere. *GOTHOFR.*

(d) *Pretio*, Cod. Iust. *ID.*

(e) Similes formulas vide *in Paratitlo. ID.*

(f) *Vt nullius conuentionis reliquorum fiscalium nomine patiamur extrinsecus subire iacturam:* ita *Cod. Iustinian.* de quo mox. *ID.*

(g) In veris Codicib. Iustinianeis similis subscriptio: male aliter in aliis. *ID.*

(h) *ye. AA. III. COSS.* id est, An. D 370. *Valentiniano* quippe & *Valente AA. COSS* id est, A. D. 365. Constantinopoli fuit Valens, non Marcianopoli. Itaque vel ad A. 368. *Valentiniano & Valente II. AA. COSS.* quo Consulatu Valens *Marcianopoli* egit, referenda: vel ad A. 370. quod etiam suadet ordo *harum legum:* superior enim Anno 369. conuenit. *ID.*

COMMENTARIVS.

EMPTORVM, qui res debitorum fiscalium *sub hasta* emerunt vel deinceps emerent, securitati hac Valentis non Valentiniani, vt quidam perperam *hanc l.* allegant pariter constitutione consulitur: Nempe pretii tantum nomine eos teneri vult, non vltra ab vllo conueniri. Quod & ipsum idem Valens altera constitutione sanciuit, puta *leg. 1. supr. de fisc. debitoribus:* vbi iam dixi. Idemque constituitur *leg. pen. infr. de censibus*, in eo cui a peræquatore res addicta est. Non vltra inquam, siue a fisco: quo pertinet *dict. lex 1.* scilicet emptor qui aliquam bonorum portionem emit, ad reliqua debita inferenda non tenetur, & nihil amplius ab eo flagitari oportet: id est, non ad solida debita fisco soluenda tenetur, quæ *legis illius 1.* sententia est, vt & *legis 2. Cod. I. de fundis rei priuatæ:* & pro parte *leg. vltim. Cod. Iust. de censibus:* seu *legis 15. infra de censitoribus:* Nempe nouum emptorem & Dominum qui a fisco rem accipit, reliquorum fiscalium nomine non teneri: cui alioquin vulgo obstare creditur *lex 26. D. de iure fisci:* Verum ei satisfactum est ad *dict. leg. 1.* Neque a priuato, quo proinde pertinere videatur hæc *lex:* argumento illorum verborum, *nullius conuentioni patimur extrinsecus subiacere.* Quæ verba tamen ita immutata sunt *Cod. Iustinian. nullius conuentionis reliquorum fiscalium nomine extrinsecus subire iacturam.* Quod si ita est, tum fuerit *huius leg.* in summam eadem sententia quæ *superioris.* Quanquam nil etiam vetat, quin hac generali NVLLIVS appellatione, vtrique, & fiscus & priuati comprehendantur.

VALENTINIANI *Iunioris Constitutio, de Debitoris fisci bonis iusto pretio vendendis: & Æstimatione facienda.*

III. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theodosius, & Arcadius AAA. ad Magnillum (b) Vicarium Africæ.

SI quos debitorum mole (c) depressos (d) necessitas publicæ rationis (e) adstringat proprias distrahere facultates, rei qualitas & redituum quantitas æstimetur, ne (f) sub nomine *subhastationis publicæ*, locus fraudibus relinquatur, & (g) possessionibus viliore (h) distractis, plus Exactor (i) ex gratia, quam debitor ex pretio consequatur. Hii (k) postremo, sub empti titulo, perpetuo dominii iure potiantur, qui tantum adnumerauerint fisco, quantum exegerit vtilitas priuatorum: Etenim *periniquum est, vt, alienis bonis sub gratiosa auctione distractis, parum accedat publico nomini, cum totum pereat debitori.* Dat XIII. Kal. Iul. Aquil. Acc. Id. Ian. Hadrumeti, (l) Post (m) conf. Tatiani & Symmachi VV. CC. [392.]

INTERPRETATIO. *Si quicunque publici debiti enormitate constringitur, vt non possit hoc ipsum debitum, nisi propria vendita facultate dissoluere, in huiusmodi debito hanc Executores* (n) *formam seruare debebunt, vt non ita rem præcipitent, vt res minore quam valeat pretio distrahantur: nec tales sub quolibet conludio prouideant emptores, vt & debitor proprietatem perdat & parum fiscus adquirat.*

NOTÆ.

P.483

NOTÆ.

(a) *L. 16. Cod. Iust. de rescind. vendit.* GOTHOFRED.

(b) Ita diserte habet Cod. Iust. Tiliana, Cuiaciana, Quartana editio. Errore operarum typographicarum, Parisiensis vltima habet *Magnellum*. Huius *Magnilli Vicarii Africæ* expressa mentio apud Symmachum *lib. 3. ep. 34.* ad Ambrosium: *Neui instar est, vt, Frater meus*, inquit, *Magnillus Vicaria potestate per Africam functus, testimonio omnium publice priuatimque conspicuus, variis in eam prouinciam retardetur obstaculis: Nosti optimi viri maturitatem, ceterasque artes bonas, quibus etiam tuum amorem cum Liguriam gubernaret*, (nam ita repono) *attraxit. Et ideo apud te redundantis est operæ laudare compertum. Quare impendio peto, vt cum a baiulo literarum causas morarum acceperis, religiosum pro eius reditu interuentum digneris adhibere, quo tandem patriæ restitutus, longæ peregrinationis inituiam desiderata quiete commutet.* Ad eundem Magnillum extant eiusdem Symmachi epistolæ septendecim *libro 5. a 17. ad 33.* sic quidem vt *ep. 20. 21.* Vicariatum eius indicet. *ID.*

(c) *Publici debiti enormitatem* vocat Interpres, μεγέθει, *Græci. ID.*

(d) *Deprehensos*, MS. G. & Sichard. Ed. *comprehensos*, MS. W. RITTER.

(e) Id est, publici ratiocinii, vel vtilitatis. GOTHOFR. *Necessitas publicationis*, MS. G. & Sichard. Ed. RITTER.

(f) *Nec*, C. Iust. quanquam & alii habent *Ne.* GOTHOFR. *Nec sub*, MSS. W. G. & Ed. Sichard. RITTER.

(g) *Vt*, Cod. Iust. GOTHOFR.

(h) *Pretio* hoc additum *Cod. Iust.* Etsi *viliore* absoluere, pro *viliore pretio*, eleganter positum. *ID. Pretio viliore*, MS. G. RITTER.

(i) *Exactores* pignori capiebant res debitorum fiscalium, eaque distrahebant. GOTHOFR. MS. W. *plus exactoris gratia, quam debetur ex pretio, consequatur.* RITTER.

(k) Id est, *Quare ii demum.* GOTHOFR. Cod. Iust. *hic prostremo* &c. *potiatur*, MS. W. *is postremo*, MS. G. & Ed. Sichard. *hii postremum.* RITTER.

(l) *Hadrumeti* Vicarius Africæ. GOTHOFR.

(m) Hic consulatus pertinet ad tempus Acceptæ, initio huius anni, huiusce *legis*: data quippe ea superiore Consulatu Anno 391. Et hæc causa est cur *hæc lex* subnotatum habeat hunc Consulatum *Post consulatum Tatiani & Symmachi*: quia, cum data fuisset fine Anni superioris, initio demum huius Anni accepta fuit. Nam alioquin Annus hic 392. *Arcadio & Rufino* signari solet, non modo a Neotericis (quod tradidit Iuretus *de dignitatib. & Script. Symmachi pag. 6. Ed. Paris. 1604. 4.*) verum in *hoc Codice*, & in *Fastis* omnibus. *ID.*

(n) Ita Sichardus & Cuiaciana Editio: *Executores*, qui in *leg.* ipsa Exactor. *ID.* MSS. W. & G. *executores vel exactores.* RITTER.

COMMENTARIVS.

DEBITORVM fiscalium, quorum res ob debitorum molem, & necessitate publicæ rationis adstringente, sub hasta veneunt; (nam de his proprie est hæc *lex*, seu propria hæc *huius leg.* hypothesis est) indemnitati consulit *hac leg.* Valentinianus Iunior, haud aliter atque securitati emptorum sub hasta securitati consulitur duabus superioribus *legibus*: Indemnitati inquam debitorum, aduersus *Exactorum*, vel *Executorum* (vt habet Interpres) & Emptorum fraudes, seu colludium, præcipitationem, (vt habet rursum Interpres) per gratiam siue *sub gratiosa auctione*, vt habet *hæc lex*; aperta fraude emptoris, vel gratia: vt Alex. Seuerus in hac ipsa specie *leg. 3. Cod. Iust. de iur. fisci*: per collusionem siue fraudem, vt in eadem sp. *l. 3. seu vlt. Cod. Iust. si aduers. fisc.* hactenus scil. emptorum securitati consulendum est, sic *vt perpetuo dominii iure potiantur* re a se empta sub hasta, vt ne miseris debitoribus, quibus res suæ pereunt, fraus fiat: contra vt bona fide res procedat, non per fraudem, machinationem, circumscriptionem: Quo pariter pertinet *d. lex 3.* Idque ipsum obtinet in venditione, auctione seu subhastatione pignorum ob priuatum debitum per gratiam facta, *l. 4. & 9. Cod. Iust. de distrab. pignor. l. 1. & 3. C. eod. si vendito pignore*: *l. vlt. §. 5. Cod. eod. de iure dominii impetr.* Exactores scil. qui fiscalia debita exigebant, (de quibus suo *tit. infr. lib. 11. & tit. de exactionibus*:) eoque nomine pignora debitorum capiebant, mox & hastæ publicæ subiiciebant, sæpe per fraudem & gratiam seu gratiosa auctione per collusionem cum emptoribus, viliore pretio miserorum debitorum bona emptoribus addicebant: sic vt Exactor aliquid lucri inde faceret, & vt hic dicitur, *plus ex gratia, quam debitor ex pretio consequeretur*: Imo vt *fine l.* dicitur, *alienis bonis sub gratiosa auctione distractis parum accederet publico nomini, cum totum periret debitori.* Et sic in fraudem fisci quoque. Et hæc quidem de fine *huius l.* maloque, atque adeo subiecto eius.

Iam de remedio (quod secundo notandum:) huic igitur malo fraudique Valentinianus Iun. *h. l.* remedium adhibitum it; puta vt ante subhastationem *Æstimatio* seu *Taxatio* prius rei pignori captæ meatur: Indicio insuper facto (quod hic tertio notandum) de modo seu vnde æstimatio seu taxatio facienda sit: nempe ex his duobus: *ex rei qualitate, & redituum quantitate.* His scil. duobus *pretia* rerum & fundorum æstimantur, quod iuxta *hanc l.* de pretio excutiendo secundum reditum fundi, vel pro fructuum modo, docet quoque *lex 91. D. de legatis 1. l. 13. seu pen. in pr. D. de rebus eorum qui sub tutela.* Alioquin (quod Quartum) si viliore pretio per gratiam distractæ fuerint possessiones, venditionem seu subhastationem rescindi oportere definit. Quod & ipsum firmatur in fundo vendito ob vectigal Reipubl. a Scæuola I. C. in *leg. pen. D. de rescind. vend.* & in hac ipsa specie ab Alexandro Seuero *d. l. 3. Cod. Iust. de iure fisci*: & Diocletiano Maximianoque in *d. l. 3. seu vlt. Cod. Iust. si aduers. fiscum*, vt & in priuatis, *supra dictis legib.* Venditionis proinde rescindendæ causa hæc inter alias notetur: Qua causa etiam Tribonianus *hanc leg.* in *titulum de rescind. venditione* retulit, in *dictam legem 16. eius tituli.* Et sic *lex* hæc commode referri potest non tantum ad hunc *titulum*, verum etiam ad *d. tit. de rescind.* ad *tit. de distr. pignor.* ad *tit. si aduersus fiscum*, & ad *titulum si vendito pignore agatur.* Notabilis proinde & singularis hæc *lex* esse potest in praxi: si agatur 1. de Exactorum & Executorum officio in rebus sub hasta distrahendis. 2. si de *Æstimatione* seu Taxatione præuia & præambula, vt loquuntur, ad euitandas fraudes & collusionem: qua de re vid. Mangilium *de subhastat. non vno loco*: Postium *de subhastat. inspectione 47.* Item 3. si de *modo* Æstimationis, de quo Postius *de subhastat. dicta inspectione 47. a n. 63.* Tandem & 4. si de *Rescissione* subhastationis agatur.

DE

P.484

DE THESAVRIS.

TITVLVS XVIII.

LIB. X. COD. IVST. TIT. XV.

PARATITLON.

THESAVRVS *Rubr.* & *l. 1. 2. 3. hoc tit.* opes, *d. l. 1. h. t.* conditaque ab ignotis dominis tempore vetustiore monilia, *d. l. 2. h. t.* suadente Numine, vel ducente fortuna *l. 3. h. t.* quolibet denique casu, *l. 2. h. t.* reperta.

Cuinam porro & quatenus Thesauri cedant, tribus *huius tituli* constitutionibus cauetur: Constantini, inquam, M. *l. 1. h. t.* & Theodosii M. *leg.* 2. & 3. *h. t.* Nempe indistincte inter inuentorem & fiscum æqualiter diuidi thesaurum voluit Constantinus M. *d. l. 1. h. t.* At Theodosius M. locorum distinctionem fecit: nempe, si in suo quis reperisset, eo potiri solum inuentorem voluit, quæcumque tandem metalli qualitas, aut reperti modus esset & sine aliquo terrore, *l. 2.* & *l. vlt. h. t.* si in alieno, quartam domino loci dari, *d. l. 2. h. t.* Ita tamen, vt ne ideo quis aliena effodiat, aut in locis non sui iuris per famam suspecta rimetur, *d. l. 2. h. t.*

Thesauri Principis alio sensu dicuntur: de quibus v. inter alias, *l. 48. sup. de Cursu:* quibus præerant Comites Thesaurorum: de quibus *l. 14. de diu. offic.* Thesaurenses, *d. l. 14.* & 23. *de diu. offic.*

CONSTANTINI M. *constitutio, de Thesauris ab aliquo repertis: quid inuentori, quid fisco, inde cedere debeat.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Rationales. (b)

QVICVNQVE Thesaurum inuenerit, & ad fiscum sponte detulerit, medietatem consequatur inuenti, alterum (c) tantum fisci rationibus (d) tradat: ita tamen, vt citra inquietudinem quæstionis (e) omnis fiscalis calumnia (f) conquiescat: *Haberi enim fidem fas est his, qui sponte obtulerint, quod inuenerint.* Si quis autem inuentas opes (g) offerre (h) noluerit, & aliqua ratione proditus fuerit, a supradicta venia (i) debebit excludi. Dat. III. Kalend. April. Constantino A. IV. & Licinio IV. Coss. [315.]

NOTAE.

(a) Absunt huius tituli *leges* omnes a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Ad Rationalium* curam pertinebat Thesaurorum repertorum vindicatio, vt aliarum rerum priuatarum, & fisci rationum, vt *hac l.* vocantur, cura; ac nominatim bonorum vindicandorum, *l. 1. 2. 4. sup. de bon. vacant. l. 1. de incorpor.* Quibus vtique bonis vacantibus proximi sunt Thesauri: hinc etiam *Titulus* hic positus est in ordine *Titulorum*, qui sunt de iure fisci. *ID.*

(c) *Alterum tantum*, id est, alteram Thesauri partem. Sic Liuius *lib. 1. cap. 36. numero alterum tantum adiecit.* Plaut. 3. Epid. 4. *v.* 80. *Imo etiamsi alterum tantum perdundum est, perdam potius quam* &c. Cicero *de Oratore perfecto cap.* 56. *aut altero tanto, aut sesqui maiorem esse.* Sic & Græci, Demosthenes *contra Midiam*, τοσούτων ἑτέρων. v. Nannium 5. *Miscell.* 13. *ID.*

(d) *Rationes* fisci: vnde Rationales, quibus hæc *lex* inscribitur. *ID.*

(e) *Quæstionis*, id est, tormentorum, v. sup. *tit. de Quæstionibus. ID.*

(f) *Calumnia* fiscalis est indagatio, actio fisci nomine: *recherche, demande.* Sic quoque *l. 2. infr. ID.*

(g) *Opes* inuentæ de thesauris. Sic & Tacitus, *initio lib. 16. Annal.* in eodem argumento de thesauro reperto: *& obuias opes deferre Deos.* Manilius *libr. 4. v. 246. scrutari cæca metalla, Depositas & opes. ID.*

(h) *Offerre*, est vltro indicare: similiter in loco Cassiodori, quem mox subiiciam. *ID.*

(i) De hac *veniæ* appellatione mox. *ID.*

P.485

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. de Thesauris constitutio hæc est: quæ data est *ad Rationales:* vtpote ad quos vindicandorum omnium, quæ ad fiscum pertinebant, cura spectabat, vt docent vel *lex l. 2. 4. supr. de bonis vacantibus: l. 1. sup. de incorporatione:* Idque sub dispositione Comitis R. P. ad cuius curam hæc ipsa thesaurorum fisco vindicandorum cura spectabat: de quo est Cassiodori locus *VI. Variar. 8. in formula* Comitiuæ rerum priuatarum: *Depositiua quoque pecunia, quæ longa vetustate competentes*

petentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris adplicantur aerariis, & qui sua cunctos patimur possidere, aliena nolis debeant libenter OFFERRE: *sine damno siquidem inventa perdit, qui propria non amittit.* Cæterum putaret quis, Licinium potius auctorem *huius leg.* esse, velut Licinii moribus conuenientiorem, quos describit Eusebius, *lib. 10. histor. Eccl. c. 8.* & ex eo Auctor *vitæ Constantini, lib. 1. c. 49. 50.* Quod non admitto: Imo enim Constantini moribus magis conuenit *huiusce legis* humanitas, præ superiorum Imperatorum immanitate & auaritia: specta enim mihi sis illa *citra inquietudinem quæstionis:* & rursum *fine legis, a supradicta* VENIA, de quibus mox. Ergo vult *hac l.* Constantinus M. hæc Tria: Primo, Inuentori thesauri, si fisco thesaurum vltro offerat, mediam thesauri partem adquiri, alteram fisco: societatis ita cuiusdam specie inter fiscum & inuentorem inducta: pariter vt in sp. *l. 32. supr. de petition.* Ita quidem, (quæ secunda *huius l.* pars est,) vt de modo Thesauri referenti illi credatur, neque ideo quæstioni is subiici possit. Contra, (quod Tertium est) si reticuerit, proditusque fuerit, superiore beneficio priuari velit. Hæc inquam est huius Constantinianeæ constitutionis continentia: vbi *initio* quæri potest, de *loco:* num, inquam, hæc *lex* quoque accipienda sit de Thesauro reperto in loco suo proprioque? Quod vtique videri possit, quando nullius loci hic mentio fit: verum indistincte, indefinite de thesauro reperto ea agitur: cui alioquin obnititur vulgaris iuris dispositio, imo & Theodosii M. *lex 2.* & *3. infr.* quibus, thesaurus in proprio solo seu fundo repertus domino loci eidemque inuentori integro iure cedit. Et tamen ita omnino censeo, hanc Constantini M. Constitutionem accipiendam quoque de thesauro reperto in loco suo (quod etiam Cuiacio recte placuit *IX. obseruat. 37.*) puta vt hoc quoque casu fisco dimidia reperti adquiratur: duobus argumentis: Primo quidem ob indefinitam Constantini orationem: *QVICVNQVE,* inquit, *Thesaurum inuenerit:* & mox *fine leg. si QVIS autem inuentas opes offerre noluerit,* &c. Secundo, ex cognitione vetustioris iuris, quo videl. sub Imperatoribus quamplurimis, fisci sui commodo nimio plus obnoxiis, thesaurus, etiam in solo suo repertus, TOTVS fisco cedebat: quod tamen, vt dixi, ad dimidium TANTVM *huius l.* humanitate reducitur. Enimuero, ante Neruam & Hadrianum id ita obtinuisse colligere quoque est ex Cæsellii Basli exemplo sub Nerone, referente Tacito, *initio vltimi Annalis.* Nerua vero, teste Zonara *pag. 440. Ed. Venet. int. Script. R. B.* thesaurum inuentum dominis prædiorum concessit, cuiuscunque modi thesaurus esset: vt Attici quoque exemplo liquet apud Philostratum, *lib. 2. de vitis Sophistarum, in vita Herodis ab init. pag. 546. edit. Feder. Morelli.* Similiter & Hadrianus, qui naturalem æquitatem secutus totum Thesaurum in loco suo inuentori concessit, vt testatur Spartianus in *V. Adriani, c. 18.* & §. 39. *Inst. de rerum diuisione.* Quod ius sub Seuero & Antonino Caracalla stetisse colligo ex Calistrato *l. 3. in fin. D. de iure fisci:* & Paulo *l. 31. §. 1. D. de adquir. rer. dom.* Quinimo, cum ius illud medio inter Caracallam & se tempore, proculdubio sub Heliogabalo mutatum fuisset, Alexander Seuerus thesauros pariter repertos iis qui repererant reliquit: eo tantum excepto, quod si thesauri *multi* seu magni essent, iis eos quos in suis habebat Officiis addidit, vt Scriptor *vitæ Alexandri Seueri,* quam is Constantino nostro inscripsit, tradit *cap. 46.* de quo aliquid dixi ad *l. 10. si petitionis fortius:* Post Alexandrum Seuerum, ante Carum & Carinum Imperatores, fisco thesauri denunciandi erant, etiam in suo reperti, eique adeo adquirebantur: Id quod sub Caro & Carino abolitum docet Calpurnius, *Ecloga 4. a v. 117.* qui sub Carino scribebat:

> *Iam neque damnatos* METVIT *iactare ligones*
> *Fossor, & inuento,* SI SORS DEDIT, *vtitur auro:*
> *Nec* TIMET, *vt* NVPER, *dum iugera versat arator,*
> *Ne sonet offenso contraria vomere Massa* [auri sc. vel argenti]
> *Iamque palam presso magis ac magis instat aratro.*

Qui sane luculentus Calpurnii locus est, cuius alioquin etiam multa verba accedunt ad *l. 2. infr.* Tandem sub Diocletiano & Maximiano, cæterisque, forte etiam sub Maxentio Tyranno, ante Constantinum M. thesaurum totum fisco cessisse ex *hac l.* colligo: qua id iam immutatum: sic vt Constantinus alterum tantum, id est, dimidiam fisco adquiri velit: Post Constantinum certe maior adhuc pleniorque humanitas constitit: reditum enim Theodosii M. constitutionibus & Edictis *l. 2.* & *3. infr. hoc tit.* ad ius Hadrianeum, sic vt in solo suo thesaurum reperiens, eo ex asse potiretur. Quod & Leo probauit, *l. vn. Cod. Iust. de Thesauris:* tandem & Iustinianus: quæ causa est, cur hanc Constantini constitutionem a *suo Codice* is abesse voluerit. Viceuersa, post Iustinianum, thesauri toti fisco quæsiti *Nouella Leonis 51.* Cedrenus *Nicephoro pag. 378. ed. Venet. int. Script. R. B.* quod ius Gothis quoque placuit: teste Cassiodoro *dicta epistola 8. Variarum VI.* Tam varie scil. ius istud habitum, pro Principum videl. cupiditate seu auaritia libidineque. Quare præceps eorum iudicium est, qui hanc Constantini *legem* de thesauro tantum reperto in loco publico, fiscali, vel religioso, Cæsarisue, non vero in suo, intelligendam pronunciant.

Nos ad Constantinum reuertamur. Igitur is dimidiam Thesauri reperti fisco cedere *hac l.* voluit, alteram dimidiam inuentori: Idque addita æquabili & clementissima lege seu conditione: puta, vt qui vltro thesaurum a se repertum fisco nunciaret, ita cum fisco diuideret, vt etiam plenissima fides ei adhiberetur de modo thesauri renuncianti: neque ideo quæstioni subiici posset ad veritatem indagandam. Hoc vtroque scil. præmii seu veniæ genere, Constantinus inuentores thesaurorum ad deferendos eos fisco a se repertos, inuitare voluit: præmia inquam, dimidiæ partis, & immunitatis seu veniæ a quæstione, sic vt plena eis fides adhiberetur, & ἀξιόπιστοι in totum essent. E contra, reticenti vtrumque beneficium denegat, *hac l.* nam cum *fine l.* a venia supradicta excludi reticentem iubet, non modo quæstioni eum subiiciendum indicat, verum & multo magis dimidiæ partis beneficio priuandum: Id quod etiam diserte cauit Leo, *fine Nouellæ 51.* Certe Callistrati & sic Seueri & Antonini Caracallæ ætate, qui thesaurum, ex quo pars fisco debebatur, non detulisset, & partem ad fiscum pertinentem suppressisset, totum thesaurum cum altero tanto soluere cogebatur, vt docet *lex 3. in fin. D. de iure fisci.* Quod grauius adhuc est. P. 486

THEODOSII

THEODOSII M. *duæ constitutiones de Thesauris: Quidnam inuentori, quid soli domino inde cedere debeat.*

II. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. ad Populum Vrb. Constantinopolitanæ. (b)

QVISQVIS thesauros, (c) & (d) condita (e) ab ignotis dominis tempore vetustiore monilia, (f) quolibet casu (g) reppererit, suæ vindicet potestati, neque calumniæ (h) formidinem, fiscali, aut priuato nomine, vllis deferentibus pertimescat: Non metalli qualitas, non repperti modus, sub aliquod periculum quæstionis (i) incurrat. In hac tamen naturali æquitate (k) animaduertimus quoddam temperamentum adhibendum, vt si qui (l) in solo proprio huiusmodi contigerit, integro id iure præsumat: qui in alieno, in quartam reppertorum partem, eum qui loci dominus fuerit, admittat. Ne tamen per hanc licentiam quisquam aut aliena effodiat, aut in locis non sui iuris per faniam suspecta rimetur. Dat. VII. Kal. Feb. Thessal. Gratiano A. V. & Theod. A. I. Coss. [380.]

INTERPRETATIO. *Si quicunque thesaurum in sua terra inuenerit, ei ex integro quod inuentum est adquiratur, & nullam calumniam pertimescat. Si vero in loco alieno thesaurum casu inuenerit, eum qui loci dominus est in quartam inuentarum rerum debet admittere. Attamen nullus effodiendo loca aliena præsumat ista requirere.*

NOTÆ.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(b) De hac Inscriptione, mox. *ID.*

(c) *Thesauri* appellatio stricte *hic*, pro pecunia condita: cui mox opponuntur, *monilia. ID.*

(d) Hæc sententia inserta est constitutioni Leonis, *l. vn. Cod. Iust. de thesauris*; ita tamen, vt pro *&*, ibi positum sit, *id est*: mox pro, *monilia*, redditum, *mobilia. ID.*

(e) *Condita*, vox hic propria de Thesauris v. *Gloss. ID.*

(f) *Mobilia*, C. Iust. *d. l. vn.* de quo mox. *ID.* *Mobilia* legit MS. G. RITTER.

(g) Siue fortuito, siue data opera: V. §. 39. *Instit. de R. D.* & *d. l. vn. Cod. Iust. hoc tit.* & *Feudor. lib. 2. tit. 56. quæ sint Regal.* sub temperamento, quod *sine leg.* GOTHOFR.

(h) *Calumnia*, hic vt & *l. 1. supr.* est indagatio, actio, intentio, inuidiosa calumnia. *l. vn. Cod. Iust. eod.* Terror *l. prox. 3. infr.* IDEM.

(i) An actionis & inquisitionis? an tormentorum? *ID.*

(k) Similia *in* §. 39. *Instit. de Rer. diuis.* IDEM.

(l) *γρ. quid*, vel *cui. ID.* Priorem lectionem habet MS. G. & Sichard. alteram editio in 4. RITTER.

III. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Neotherio P. P. (b)

EOS qui suadente Numine, vel ducente fortuna, thesauros repererint, reppertis lætari rebus, sine aliquo terrore, (c) permittimus. Dat. VI. Non. Mart. Constantinop. Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* pariter vt duæ superiores. GOTHOFRED.

(b) *Neotherius* sub Theodosio M. PP. Orientis: v. *Prosopogr. ID.*

(c) Calumniæ & quæstionis vt *l. 1. & 2. supr.* IDEM.

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. duæ hæ sunt Constitutiones de *Thesauris*, quos & *initio prioris leg.* ita describit; *Thesauros & condita ab ignotis dominis tempore vetustiore monilia*: Quibus concinit & Pauli definitio *l. 31. §. 1. D. de acquir. rer. dom.* & Virgiliana *1. Æneid. v. 362. 363.* Cassiodoriana item *VI. Var. 8.* Ait lex, *Monilia*, pro quo *Cod. Iust.* reponit, *Mobilia*: Verum hoc nostrum rectum est; P. 487 *Monilia*, κειμήλια, mundus omnis κόσμος, torques, armillæ, aliaque ornamenta; vt in monumento Dauidis, vnde Thesaurus ab Hyrcano ablatus, teste Iosepho *lib. 13. Antiq. Iudaic. cap. 16.* & *de bell. Iud. lib. 1. c. 2.* Itemque in Cyri sepulchro, teste Arriano *lib. 6. expedit. Alexandr. cap. 29. & 30. pag. 271. 272. edit. Gronou.* Ita Homeri Scholiastes *Iliados γ'* κειμήλια exposuit, ἔργα καὶ ἀπόθετα χρήματα, *opes abditas & reconditas*.

Ad rem: Ergo Theodosius M. *bis legibus*, repertum

tum in suo loco seu fundo thesaurum inuentori loci domino totum addidit, *naturali æquitate*, vt ipsemet ait, pariter vt §. 39. *Inst. de rer. diuis. Thesauros, quos quis in loco suo inuenerit, D. Hadrianus naturalem æquitatem secutus ei concessit qui inuenerit.* Ita vt repertis eum lætari rebus sine terrore aliquo iubeat, *l. 3.* neque calumniæ formidinem fiscali aut priuato nomine vllis deferentibus pertimescat. Quibus concinunt & quæ Calpurnius loco quem citauimus ad *l. 1. sup.* denique citra periculum quæstionis, vt *lex 2.* loquitur: cui concinentes aliorum Imperatorum constitutiones, Neruæ, Hadriani, Alexandri Seueri &c. iam ad *leg. 1. supr.* laudauimus. Qua parte Theodosius M. Constantino M. iam amplius quid fisci sui commodis detractum iuit, qui dimidiam tantum partem Thesauri inuentori locique domino addixerat, altera dimidia fisco vindicata, *d. l. 1. supra.*

Cuius Theodosii M. *in Altero*, hæc quoque æquitas cernitur, eaque *Ampliatio*, atque adeo secundum hic caput est, quod Thesaurum inuentori addixerit, quicunque is, & quantuscunque esset: *Non metalli*, inquit, *qualitas, non reperti modus sub aliquod periculum quæstionis incurrat.* Sic & Nerua Imperator inuentorem Thesauri Atticum magnitudine inuenti superari se dicentem, abuti iussit inuento quod suum esset, referente Philostrato, *lib. 2. de vitis Sophistar. in vita Herodis ab initio pag. 546. edit. Morell.* Contra Alexander Seuerus; nam si multi seu magni thesauri essent, addidit his eos quos in suis officiis habebat: teste Lampridio, *in eius vita c. 46.* Nempe ita quibusdam videbatur, *auri* forte thesauros massamque vt loquitur Calpurnius fisco addicendam, quemadmodum & cæteroquin peculiaris quædam auri ratio hac tempestate & constitutionibus Impp. habita: vt docet *lex 1. inf. de expens. ludor. l. 2. Cod. Iust. de statuis. & l. 21. supr. de petitionib.* Item si thesauri *modus* seu quantitas priuatam superare fortunam videretur. Ita sane hodie in Gallia sunt qui censent, auri Thesaurum ad Regem spectare, v. Bacquetum *des droicts de Iustice, cap. 32. n. 2. 3. & seqq.* & Brettium *decis. 4.* In quam rem B. Ludouici constitutio memoratur, quam tamen alii in dubium vocant, Bacquet *d. c. n. 15.* Alii fabrefactum aurum, ac maxime specie Imperatoria vel Regia ad Regem pertinere volunt, de quo Brettius *dict. loco.* De Tamerlano sane memorant quoque, eum Thesaurum fisco adquiri voluisse, si iconio Regis moneta insignis foret. Alia vero mens fuit, vti dixi, Theodosio M. his constitutionibus, quibus domino loci eidemque inuentori solidum indistincte, *integro iure*, vt dicitur *l. 2.* vt Interpres, *ex integro* addixit, quæ, qualis, quanta pecunia esset.

Et hæc de Thesauro reperto in loco suo: At enim thesauri reperti in *alieno*, quartam tantum loci domino seruari iubet, dodrantem vero Inuentori cedere: Adeo scil. (quod *tertium* hac parte Theodosianæ æquitatis argumentum est) Inuentioni & Inuentori Thesauri qui in apricum & vsum Reipubl. abditas opes efferret, fauit Theod. M. pariter vt fauit Leo *Nouella 51.* Hinc igitur ciuili quoque illa ratione Inuentoribus tam prolixe prospectum est: Et quidem Theodosii Magni lege inuenienti in alieno amplissimum præmium propositum, nempe dodrantis, quarta tantum parte loci domino seruata: Cuius proportionis & *temperamenti*, vt ipse vocat, ratio non aliunde petenda est, quam a publico, quem dixi, inuentionis fauore. In Gallia sane trimembris diuisio fit, inter inuentorem, loci Dominum, & Principem: vid. Choppinum 2. *de doman. tit. 5. n. 12.* & Bacquetum *des droicts de Iustice, c. 32. n. vlt.*

Et hanc tamen Limitationem seu Temperamentum (quod quartum hic caput est) addit Theod. M. in alieno Thesaurum reperienti hactenus faueri: *vt tamen non liceat cuiquam aliena effodere, seu in locis per famam suspecta rimari.* Nempe hactenus inuentori fautum voluit Theodosius M. dum ne Tertio præiudicium fieret; neue in loco Tertii eo inuito quis quid moliretur: Quamlibet thesaurus dicatur in alieno loco latere, atque adeo publice interfit eum erui, attamen inuito loci domino, nil hanc in partem statuendum est, ne forte etiam hoc obtentu aliena ædificia effodiantur, subruantur, pariter vt obtentu metallorum, in sp. *l. 14. inf. de metallis.* Idem vero multo magis dicendum fuerit de his, qui sepulchra violant, conditis opibus eruendis; de quo *sup. tit. de sepulchr. violat. 17. lib. 9.* Illud igitur obseruandum, præsupponi hic thesaurum casu fortuito in alieno repertum: contra, interdictum rimari in alieno Thesaurum: & sic hic frustra tractaturum quem eam quæstionem de Thesauro in alieno reperto, voluntate domini: de qua sane agitur in *leg. vn.*

Interim circa modum *inuentionis*, in transcursu duo de Thesauri inuentione *his duab. legib.* obseruanda sunt: Primum est quod dicitur, *per famam suspecta rimetur*, puta siue ipso loci genio suspicionem faciente, thesauri in eo abditi: siue fama πατροπαραδότως excepta: siue denique vulgi opinione, quia domus spectris infesta, qua thesauris dæmones incubare creduntur: de quo Palladius *in Macariis*, & Cedrenus *in Anastasio, p. 286. edit. Venet. int. Script. R. B.* Secundo obseruandum, quod dicitur *l. 3. qui suadente numine, vel ducente fortuna Thesauros repererint:* (vt absolute thesaurum *donum fortunæ vocat, l. 63. §. 1. D. de acqu. rer. dom.*) At Christianus Princeps Theodosius M. Gentilem formulam, *ducente fortuna*, altera παραλλήλως posita, *suadente Numine* mitigandam putauit, & Leo *Nouella 51.* Θεοῦ δῶρον dixit. Neque enim duas hasce formulas hic aliter distinguo, quam vt formulas Christianorum & Gentilium: Neque audio ita distinguentem; *suadente numine* in somnis videl. (etsi blandiri videatur Tacitus, *initio vltimi Annalium*) *ducente* vero *fortuna*, casu scil. dum quis alii rei operam dat. Quanquam & e gentilibus ipsis nonnulli thesaurum quoque *Dei donum*, Θεοῦ δῶρον dixere, Libanius *declamat. 11. pag. 378. edit. Morell.* Tacitus *d. loco, Deos obuias opes deferre.* Sic quidem vt Gentilitas *Herculi* nominatim, vel etiam *Mercurio* hanc prouinciam delegaret.

Sic rursum pro Thesauro inueniendo sacrificia facta, Magosque consultos, legitur: quod docet Lucianus Apollonius *in Pseudomante siu. in Alexand.* & Philostratus *de Vita Apollonii Tyan. lib. 6. cap. 16. pag. 313. edit. Feder. Morelli*, & *l. vn. Cod. Iust. eod. tit.* vide & Glycam *in Annalib. p. 4.* Cedrenum *in Anastasio d. l.* Atenim id tacite a Theodosio *leg 3.* improbari videtur, & diserte in *l. vn. Cod. Iustin. de Thesaur.* sacrificiis aut alia qualibet arte legibus odiosa, thesaurum quærere seu peruestigare prohibuit Iustinianus.

Et hæc quidem de harum duarum Theodosii M. constitutionum sententia: quas quo propius intueor, P. 488 ac nominatim *legem 2.* quæ *ad populum Vrbis Constantinop.* emissa est; mihi mens ea, Theodosium hæc constituisse occasione Vrbis Constantinopolitanæ, quæ tum eo Authore in maius augebatur, vbi passim ædificia quamplurima excitabantur: de quo videndus vel Themistius *orat. Petau. 6. p. 160. 161. 162.* Quod opus cum eo tempore ferueret, multi thesauri reperiebantur, dum solum scil. verteretur, & fundamenta nouis operibus ponerentur. Itaque ne prærepto thesaurorum compendio animi ædificantium frigescerent, thesaurum in priuato, siue alieno, siue suo repertum, priuatorum commodo cedere voluit. Verum hæc coniectura nostra est. Illud certum, has a Theodosio M. *leges* positas, vt *Delationibus* atque adeo *petitionibus* thesaurorum hac parte occurreret, vt ex *leg. 2.* manifeste liquet: imo & Leo ex *leg. 3.* ibi, *sine aliquo terrore;*

rore: Nempe erant qui huiusmodi thesauros ab aliis repertos, his inhiantes, ad Principem deferrent, vel deferendos crederent: quam delationis atque adeo petitionis speciem Theodosius auersatus est, *his legibus*.

DE METALLIS ET METALLARIIS.*

TITVLVS XIX.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. VI.

Inverso ordine. *De Metallariis & metallis, & Procuratoribus metallorum.* Quia scilicet *Codice Iustinianeo* Titulus ille stat in censu Corporum, & Corporatorum: *hic* inter res fiscales.

* In vetusto Martyrol. *IV. Kal. Septemb. Herodes metallarius.* τὰ μέταλλα ἐργαζόμενοι.

PARATITLON.

METALLA sunt vel *Loca*, quo sensu *Metallorum* vox accipitur *l. 1. 11. 13. hoc tit. l. 9. 11. infr. de indulg. debitor.* (quæ & *metallica loca* dicuntur: *l. vlt. h. t.* vnde & metallopus, *l. 8. supr. de desertoribus*) vel sunt *Res* ipsæ quæ secantur, *l. 1. h. t.* cæduntur, *l. 1. & 2. h. t.* eruuntur, *l. 8. h. t.* exsecantur, *l. 8. 11. h. t.* exciduntur, *d. l. 11. h. t.* exercentur, *d. l. 11. & 13. h. t.* (vnde & exercitium metallorum, *l. 3. h. t.*) effodiuntur, vnde effossiones saxorum, *l. 10. h. t.* Sunt autem hæc Metalla, vel *Lapidicinæ*, *d. l. 8.* quo pertinent *l. 1. 2. 8. 10. 11. 13. 14. h. t.* (id est, venæ: *l. 2. 10. 11. h. t.*) saxorum, *l. 2. 10. h. t.* saxorum nitentium, *d. l. 2. h. t.* seu marmorum, *l. 1. & 2. h. t.* vnde & marmorum venæ, *leg. 11. h. t.* marmoreum metallum, *l. 13. h. t* seu cautium nobilitas, *l. 14. h. t.* vel sunt *Auri* metalla, *l. 7. h. t.* quo pertinent septem *leges*, puta *lex 3. 4. 5. 6. 7. 9. 12. h. t.*

Lapidicinæ seu Metalla erant vel *Priuata:* de quibus *l. 1. 2. 8. 10. 11. 14. hoc tit.* quæ & loca priuatorum generalius dicuntur, *d. l. 10. h. t.* Lapidicinæ priuatæ, *l. 8. h. t.* Eæque propriæ vel alienæ, *l. 10. 11. 14. h t.* vel erant Metalla publica, *l. 2. infr. de lenonibus:* vnde metallopus publicum *l. 8. supr. de desertorib.* Metalla huiusmodi lapidicinarum memorantur in Occidente veluti per Africam, *l. 1. h. t.* in Imperio Orientali, *l. 10. 11. 13. 14. hoc tit.* ac nominatim per diœcesim Orientis, *l. 2. h. t.* in Asia, Docimenum, Proconense, Troadense, *l. 9. & 11. infr. de indulg. debitorum*, per Macedoniam, *l. 8. h. t.* per Illyrici tractum, seu Illyrici prouincias, *d. l. 8. hoc tit. & d. l. 9 & 11. infr. de indulg. debitor.* Sicut & auri pariter metalla memorantur per Orientem, *l 3. & 7. h. t.* in Pontica & Asiana diœcesi, *l. 12. h. t.* per Thraciam, *l. 7. h. t.* per diœcesim Macedonicam, *l. 7. h. t.* per Illyricum, *d. l. 7. h. t.* per Sardiniam, *l. 6. 9. h. t.* per Gallias, & Italiam *l. 9. h. t.*

1. DE PRIVATIS lapidicinis hæc constituuntur: In suo marmora cædere cuique licere, *l. 1. 2. hoc tit.* Imo & in alieno regulariter, *d. l. 8. 10. 11. 14. h t.* Secandorum marmorum facultas cuique erat: (non tamen sub ædificiis, ne forte actis cuniculis caderent, *l. 14. h. t.*) Quo videlicet complures marmorum venæ in lucem vsumque peruenirent, *l. 2. h. t.* Sic vt distrahendi, *l. 1. h. t.* vendendi, donandi & quo vellent transferendi potestatem haberent; *d. l. 1. & 11. h. t.* Hac tamen conditione, puta vt decimæ vectigal fisco *leg. 8. 10. & 11. h. t.* altera decima loci domino præstaretur, *dict. leg. 9. 10. 11. h. t.* Deinde vt & si transferrent ea, porto-
P.489 rium eo nomine agnoscerent, exceptis tantum Senatoribus vrbis Romæ, *leg. 8. h. t.* Et hæc regulariter: Aliquando tamen certis de caussis id prohibitum: *leg. 3. h. t.*

2. In FISCALIBVS metallis erant METALLARII, *Rubr. & l. 5. 6. 9. 15. seu vlt. h. t. & l. 9. infr. de indulg. debitorum* qui & *metallici* dicuntur, *d. l. vlt. h. t.* Et quidem, qui auri metallum sectabantur, *l. 7. h. t.* proprie *Aurileguli* dicebantur, *l. 9. h. t.* Hi originis ratione, isti conditioni soloque genitali adstricti erant: *l. 7. & vlt. h. t.* sic vt ab ea recedere non possent: *l. 5. 6. 9. & vlt. h. t.* vt & eorum loca simul & proles *d. l. vlt. h. t.* Erant alii, qui pro criminum qualitate, *l. 2 supr. de pœnis:* metallis publicis addicebantur: *l. 2. infr. de lenonib.* metallo adiudicabantur, *dict. l. 2. supr. de pœnis*, dabantur, *l. vn. supr. ad leg. Fabiam*, metallis dedebantur, *l. vlt. supr. ad leg. Iul. de vi*, qui metallis, seu metalloperi publico, seu metallorum suppliciis, deputabantur, *l. 10. infr. de indulgent. debit. leg. 8. supr. de desertoribus: leg. vnic. supr. de his qui pot. nom.* metallo implicabantur, *l. 6. infr. de Decurion.* in metallum tradebantur, *dict. leg. 6.* idque in perpetuum. *l. 40. infr. de hæreticis:* sic etiam vt notarentur in parte aliqua corporis: *l. 2. sup. de pœnis.*

Priuatis quoque quibuscunque *Aurilegulis* esse alicubi licebat, *leg. 12. hoc titulo* seu sponte iis exercitium [auri] metallorum concedebatur, *leg. 3. h. t.* his videlicet conditionibus: puta, Primum, vt fisco certum quid præstarent, puta singulis annis in balluca, pro diœceseon varietate, vel octonos scrupulos, *leg. 4. h. t.* vel septenos, *leg. 12. h. t.* qui *Canon Metallicus* dicitur, *leg. 4. h. t.* isque a Susceptore Largitionibus inferebatur, sic vt quatuordecim vnciæ ballucæ libram constituerent, *l. 4. h. t.* Deinde, quod vt collegissent, fisco potissimum distraherent, *l. 5. h. t.*

Magistratus, quantum ex *hoc titulo* notare licet, qui metallorum curam habuere, fuerunt Præfectus Prætorio, *l. 6. 7. 10. 11. 13. h. t.* Comes S. L. *l. 4. 12. 14. 15. seu vlt. h. t.* Comes R. P. *leg. 5. h. t.* Comes Orientis, *l. 2. h. t.* Vicarii, *leg. 9. h. t.* Rationales, *leg. 4. h. t.* Denique & proprius quidam alicubi metallorum magistratus constitutus, qui *Comes Metallorum* dictus *l. 3. h. t.*

MARMORVM *secandorum ex quibuscunque metallis, & distrahendorum, cuicunque potestatem per Africam facit Constantinus M.*

De MARMORIS *secandi ex quibuscunque metallis & exinde etiam vendendi facultate tributa, Constantini lex.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Maximum (b) Rationalem Afric. (c)

SECANDORVM *Marmorum* ex quibuscunque (d) metallis, volentibus tribuimus facultatem: ita vt qui cædere metallum, atque ex eo facere quodcumque decreuerint, etiam distrahendi habeant liberam potestatem. Dat. Prid. Kalendas Octobr. Constantino A. VI. & Constante Cæs. Coss. [320.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Concordat illi *lex* 2. 8. 10. 11. *hoc tit.* GOTHOFR.

(b) *Maximus* Rationalis Africæ sub Constantino M. *ID.*

(c) Rationalem Africæ nota: de quo in *Notit. Dignitatum.* *ID.*

(d) An priuatis? an vero publicis? mox dicam. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINVS M. *hac l.* per *Africam* secandi marmoris ex quibuscunque tandem metallis potestatem cuicunque facit: A. D. 320. etiam distrahendi facultate data. Nempe, vt compluria marmora in lumen vsumque & decus publicum peruenirent; quam rationem suggerit *lex 2. prox.* Imperatores Romani secandi marmoris plenam facultatem tribuere: vt Constantinus *hac l.* ita & Iulianus *l. 2.* Gratianus *l. 8.* Theodosius M. *l. 10. 11. hoc tit.* in priuatis videl. lapidicinis, neque tantum propriis, verum & alienis: vt docet *d. lex 8. 10. & 11.* Et quidem *hac l.* absolute seu simpliciter: cum postea sub conditione quadam id permissum fuerit, *d. l. 8. 10. 11. inf. hoc t.*

Ex *hac* interim nominatim *lege* patet, quantopere Constantinus ædificiorum excitationi atque ornatui publico fauerit.

Obseruandum, & illud, pertinere *hanc leg.* ad Africam: cuius Rationali ideo ea inscribitur: Rationali, inquam, summarum Africæ, cuius mentio quoque fit in *Notitia Imperii*: vt & Rationalis summarum Numidiæ: Præter quos erat & Magister rei priuatæ per Africam: Cui hoc ipso Anno inscribitur altera Constantini Magn. *lex 4. supr. de iure* P.490
fisci. Quare notetur hic locus de marmore Africano, pariter vt altera *lex* Iuliani, puta *lex 16. supr. de cursu public.* cui iungenda *lex 7. Cod. Iust. de ædific. priuat.* vbi de columnis vel statuis. De Lybico marmore Themistius quoque *orat. 6. Ed. Petau.* Numidici marmoris frequens mentio inter alios apud Plinium, *lib. 5. cap. 3.* & *lib. 36. cap. 6.*

Cur autem *Rationali Africæ* hæc *lex* inscribitur? Nempe ideo, quia absque eius licentia marmor hactenus cædere non licebat, & aliquid ex marmoribus fisci nomine exigebat, de quo postea *ad leg. 10. infr.* Quod *hac leg.* abrogatur.

MARMORVM *cædendorum potestatem cuique facit per Orientis diœcesin Iulianus.*

II. (a) Imp. IVLIANVS (b) ad Rufinum Com. Officiorum. (c)

QVONIAM, *Marmorum* cupiditate, in immensum quoddam saxorum (d) pretia aucta sunt, vt sumptuosa voluntas (e) copia relaxetur, permittimus omnibus, vt qui volunt cædere, habeant licentiam adtributam: Fore enim (f) arbitramur, vt etiam con-

plures

plures saxorum nitentium (g) venæ (h) in lumen vsumque perueniant. Dat. XI. Kal. Nou. Antiochiæ, Iuliano A. IV. & Sallustio Coss. [363.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* velut temporaria. *GOTHOFR.*

(b) An *Iuliano* Imp. hæc *lex* tribuenda sit? mox discutiam. *ID.*

(c) *γρ. Orientis*: de quo Rufino Com. Orientis hoc ipso Anno Am. Marcellinus *lib. 23. cap. 1.* Hic idem videtur, cui superiore Anno inscribitur *lex* 10. *infr. de operibus publ. ID.*

(d) *Saxa* hic & mox plenius *saxa nitentia*, sunt Marmora. *ID.*

(e) F. *Voluptas*, qua voce etiam vtitur in hac ipsa re Plinius, *lib. 36. cap. 1. & 2.* Quanquam & istud ferri potest. Et sæpe hæc inter se mutantur. Sic & apud Firmicum: *Qui se ob alienæ gratiæ voluntatem nundinati sanguinis iactura ad mortis spectaculum vendunt. ID.*

(f) Sic enim fore arbitramur. *ID.*

(g) Nitentia saxa sunt marmora, vt *sup.* Cautium nobilitas, *l. 14. in fin. ID.*

(h) *Venæ* Marmorum, saxorum, *h. l.* & *l. 10. 11. inf.* sic & venæ auri apud Am. Marcellinum *lib. 31. c. 6.* Auri & argenti apud Firmicum: Argenti, Manilio *lib. 5. v. 533.*

Et coquet argenti glebas, VENASque latentes
Eruet, & silicem viuo saliente liquabit.

Vbi *venæ latentes*, sunt quidquid argenti in glebis latet, ignique subiectis inde eruitur & liquescit. Primum scil. argenti glebæ coquuntur, inde venæ liquatæ eruuntur. Quare recte habent versus illi, neque ὕστερον πρότερον, quod quidam censent, ibi vllum est.

COMMENTARIVS.

IVLIANO Imp. hæc *lex* adscribitur: cui tamen aduersatur subscriptio: iam enim Iulianus Consulibus *huic l.* subscriptis, decesserat: Quare superiore Consulatu datam eam aliquando putabam: verum rursum huic renititur inscriptio *legis:* nondum enim Rufinus mense Octobri eius Anni 362. Comes Orientis erat, verum adhuc Iulianus, vt docet *lex 3. sup. de contrah. empt.* Rufinus enim Iuliano demum auunculo suo defuncto ab Imp. Iuliano in locum eius Comes Orientis promotus fuit, vt testatur Amm. Marcellinus *lib. 23. cap. 1.* Quare *Iouiano* tribuenda videatur hæc *lex;* sed tamen malim hanc leg. *Iuliano* adserere: vt ita error potius hæreat in subscriptione: sane est & altera *Iuliani* lex, in qua de *Marmorum cupiditate* agitur, pariter vt *in hac leg.* puta *l. 15. supr. de cursu publ.*

Huius vero *leg.* eadem sententia est, quæ *superioris*, licentiam scilicet cædendi marmoris quibuscunque volentibus tribuit *hac lege* Imp. pariter vt Constantinus *l. superiore:* & Gratianus *l. 8. infr.* Theodosius M. *l. 10. 11. infr. h. t.* Hoc videl. *fine*, quod *hac l.* diserte dicitur, vt complures marmorum *venæ in lumen vsumque perueniant*, & vt *sumptuosa voluptas copia relaxetur.* Hac vero *occasione*, quod marmorum pretia tum in immensum aucta fuissent, ob marmorum cupiditatem. Scilicet marmora in ædium cultus hac tempestate passim transiere; quod ostendit altera illa quam dixi, Iuliani *lex 15. supr. de cursu publico* (quæ tamen ad Africam pertinet, vt *lex 1. supr.*) cui iungenda est *lex 7. C. Iust. de ædif. priuat.* in qua priore agitur, de Marmorum translatione; cauetur que ne parangariæ aut parauredi in ciuitatibus ad Canalem commoueantur: & multo minus, ne marmora priuatorum vehiculis prouincialium transferantur, ne otiosis ædium cultibus prouincialium patrimonia fortunæque lacerentur. In posteriore vero agitur de columnis & statuis cuiuscunque materiæ ex alia eademque prouincia non auferendis vel mouendis. Igitur cum in inmensum aucta fuisset tum marmorum cupiditas, atque ideo maximo venirent, & longe peterentur magno sumptu atque impendio: Iulianus libertatem cædendi marmoris cuiuis tribuendam credidit. Vnde vero hæc marmorum cupiditas? Ex duplici fonte: Primo, non dubito ob templa & sacella Deorum, aliaque loca Gentilium superstitionis, quæ tum passim instaurabantur: deinde generatim, ob luxum Constantiani & Iuliani sæculi: Quo, vt Ammianus Marcellinus testatur *lib. 22. cap. 4.* etiam militibus ædes marmoreæ quærebantur: forte etiam ex eo, quod Iulianus Antiochiam, vbi hæc *lex* data est, & ad cuius Comitem emissa est, marmoream facere cogitabat: quod ipsemet ait apud Libanium *in legatione ad eum ipsum Iulianum*, *pag. 163. edit. Morell.* ἐγὼ δὲ, ἔφην, αὐτὴν διενοούμην ποιῆσαι μαρμαρίτην. *Equidem aiebas ipsam marmoream facere cogitabam.* Politicum interim σκέμμα in *hac l.* obserua in re metallica: si quando vsus exigat, eorum, in quibus ornatus publicus consistit pretio in immensum augescente, eruendorum facultatem omnibus concedendam, vt ita copia vilitasque relaxetur, concilietur. P. 492.

De AVRI *eruendi ex metallis potestate, Valentiniani lex.*

III. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Cresconium Com. metallorum. (b)

PERPENSA (c) deliberatione duximus sanciendum, Vt quicumque (d) exercitium (e) metallorum vellet adfluere, is labore proprio & sibi & Reipublicæ commoda compararet. (f) Itaque, si qui sponte confluxerint, (g) eos Laudabilitas Tua octonos scripulos in balluca cogat exsoluere: Quidquid autem amplius colligere potuerint, fisco potissi-

potissimum distrahant, a quo competentia ex Largitionibus nostris pretia suscipient. (h) Dat. IV. Id. Decemb. Parisis, (i) Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iust. eod. tit. de metallariis & metallis.* GOTHOFRED.

(b) De hoc *Comite metallorum* dicam mox. *IDEM.*

(c) De hac voce & formula dixi ad *l. 2. sup. de constit. Principum.* *ID.*

(d) Quisquis. *IDEM.*

(e) *Exercere* metalla, *hac l.* & *l. 11. 13. infr.* Pacatus *panegyr. ad Theod. c. 28.* *ID.*

(f) *Compares*, Cod. Iust. RITTER.

(g) In *Cod. Iust.* male hodie *Conduxerint*, quod hinc emendandum. *ID.*

(h) *Suscipiant*, Cod. Iust. *IDEM.*

(i) *Parisis*, id est, Parisiis. *Parisiis* datae hoc ipso Anno a Valentiniano *l. 13. infr. de annona & trib.* & *lex 11. supr. de Numerariis.* De hac Valentiniani mora Parisiis v. & Ammianum Marcellinum *lib. 26. cap. 5.* vid. & *Chronicon nostrum.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris quatuor constitutiones sequuntur, de AVRI metallis: puta haec *lex*, & *lex 4. 6. 7. infr.* & duae quidem priores de aurilegulis priuatis: duae posteriores de metallariis aurilegulis fiscalibus. Scilicet & olim alia alibi metalla priuatis patebant, alia publico: quod de Hispanicis metallis suo aeuo scribit Strabo, *lib. 3. p. 220. 221. Ed. Almelou.* sic tamen vt idem dicat, auri metalla pleraque ad publicum spectasse.

Valentinianus igitur, *h. l. 3.* & *l. 4. infr.* priuatos ad auri exercitium inuitat, & vt passim sponte quoque ad id exercitium confluerent, auri legendi potestatem cuique fecit: *Perpensa*, vt ipse ait, *deliberatione*, nempe vt ita auri copia in publicos vsus efferretur; vel vt de marmoribus dicitur *l. 2. supr.* sumptuosa voluptas copia relaxaretur. Nempe Auri pretium hoc tempore auctum, aurique copia imminuta fuerat: Quare huic rei hoc quoque eurematico succurrere visum nunc Valentiniano: & deinceps aliis remediis, de quibus *ad l. pr. 4.* & ad *l. vn. supr. de obl. votorum.* Inter alia vero ideo quoque imminuto librae pondere seu solidorum numero, de quo ad eas *leges*. At nunc *hac l.* auri legendi potestate cuiuis facta, noua & *perpensa* deliberatione. Quae vox Index est rei nouae, & matura quadam deliberatione inuectae: de quo plene ad *l. 2. supr. de constitut. Principum*, vbi dicta huc omnino arcessenda sunt, & nisi ibi dicta essent, hoc loco opportune notanda forent. Hoc vero ipsum quod *hac l.* statuitur secutus quoque Theodosius M. vt ostendit *lex 12. in f. h. t.* Videlicet, vt eadem opera seu *labore*, *& sibi & Reip. commoda quisque compararet*, ait Valentinianus: Reipublicae, in quam, idque duplici ratione. Primo enim octo scripulos in balluca a singulis fisco solui iubet, per annos singulos, vt docet Theodosii Magni *lex 12. in fin.* qua constitutione septem tantum scripuli exiguntur: Atque hic est ille Canon metallicus, qui memoratur *l. 4. hoc tit.* *Scripulus* hac leg. & *dict. l. 12.* & *l. 1. in fin. de ponderatoribus*, erat sub Constantino M. Imp. vicesima octaua pars vnciae, vt diserte docet *d. lex 1. infr. de ponderatorib.* vbi quoque dicam. Idque huius constitutionis tempore adhuc obtinebat: paulo post enim A. 367. auri libra a Valentiniano *huius l.* auctore imminuta est: & cum ante 84. solidorum fuisset, 72. solidorum eam effecit: de quo plene *dixi* ad *d. l. vn. sup. de oblat. votor.* Quae caussa est, cur postea septenni tantum scripuli ab aurilegulis fisco inferrentur, vt docet *dict. lex 12. infr.*

Ii porro in *Balluca* soluebantur, vt haec *lex*, & *lex 4.* docent. *Balluca* seu *Balucis*, vel *Balux*, est quae Graece χρύσαμμος appellatur, quod addidit Tribonianus *legi 1. Cod. Iust. eod. tit.* quae hinc alioquin desumpta est. Recte. Est scilicet *Balluca auri*, non vt ioculariter Accursius, vtilitas publica; a voce scil. χρήσει, χρήσαμμος, vel vt idem, *vas lucens*, vt cassae Cardinalium, quasi baiulans lucem vel lancem, vel vt Hugurio, & ex eo Albericus pro lance a ballando, quia dum huc & illuc inclinatur, ballat, quae omnia suauia sunt: verum arena aurosa, seu minuta ramenta nondum excocta, quae πολλὴν μείωσιν ἔχει, vt Graeci notarunt. Glossae Philoxeni *Balluca*, ἀχώνευτος γῆ, ἡ χρυσώδης: & alibi γήδιον χρυσοῦ ἀκαθάριστον: alibi χρύσαμμος *balluca*. Plinius *lib. 33. c. 4.* Hispanicam vocem fuisse ostendit. *Aurum*, inquit, *arrugia quaesitum non coquitur, sed statim suum est: Inueniuntur ita massae, nec non in puteis etiam denas excedentes libras: Palacras Hispani, alii Palacranas: Iidem quod minutum est, BALLVCEM vocant.* P. 492
Eandem intellexit & Pollux *lib. 7. cap. 23. init.* quam χρυσίδα ψάμμον vocat: χρυσίτην ἄμμον Strabo, *lib. 3. pag. 216. edit. Almeloueen.* vbi de Hispania quoque: Denique Graecis χρυσοβώλιον. Hanc vocem quoque restituit nuper Cl. Salmasius, *in Solinum*, *p. 277.* in Iustini loco, *lib. 44. c. 1.* vbi de amnibus Hispaniae: *Plerique etiam diuites auro, quod in balucibus* (hactenus *paludibus*) *vehunt.* Et Martialis *lib. 12. epigr. 57. v. 8.* *Illinc ballucis malleator Hispaniae.* vbi quoque hactenus *palludis* editum. Denique *balluca* vel *balluce* est aurum in ramentis, minutis, ἐν ψήγμασι: quomodo & βάλλεξ Hesychio ψῆφος, minutus calculus: Sane quoque alicubi ramenta *belucas* vocant. Quare error est eorum qui censent, ballucas esse auri massas.

Nunc ad rem. Ergo auri metalla exercentes, in balluca canonem metallicum inferebant: & vero *hac l.* inferre iubentur. Proportio vero istius ballucae ad aurum coctum seu obryzum haec erat. Nempe quatuordecim vnciae ballucae in singulas auri libras inferebantur, de quo est expressa eiusdem Valentiniani *lex 4. prox.* cum alias auri cocti duodecim vnciae essent: Vnde apparet septima tantum parte ballucam in excoctione minorem factam & μείωσιν passam. Et haec quidem de priore ratione & conditione qua Valentinianus Sen. *hac leg.* Reipublicae seu fisco consultum iuit, seu priore conditione, sub qua priuatis quibuscunque auri legendi potestatem fecit. Quae quidem peculiaris ratio hoc aeuo locupletandi fisci ex auri metallis inuecta: cum antea metallarii in id ferme damnati, integrum aurum ad fiscum referrent. Illud nominatim omittere non possum quod Strabo notat, *lib. 3. p. 220. Ed. cit.* ex Polybio, de metallis argenti prope Carthaginem, vbi quadraginta millia hominum versabantur, & in *singulos dies* populo Romano, 25. millia drachmarum

marum deferebantur. Sane Attico quoque iure qui καινοτομίαν μετάλλων instituebat, id apud Præfectos huic rei profiteri tenebatur: & Quartam vicesimam metalli eruti pendebat: Suidas in ἀγράφε μετάλλε δίκη. Aliter non licebat nouum metallum exercere.

Altera conditio, sub qua auri legendi potestatem facit hac l. Valentinianus est conditio πρωτοπραξίας, nempe vt qui aurum legit fisco potissimum distrahat, iusto pretio contra e fisco accepto: Qui casus addendus est aliis tum fisci priuilegiis, tum πρωτοπραξίας exemplis, quibus scil. quis alium in venditione rei suæ præferre tenetur, contra *l. dudum* quod Interpretes hic extendunt ad *Salinas*, vt videl. omnes facientes sal in salinis, ipsum sal fisco vendere cogantur: vt & ad colonos & Vassallos, qui res quas habent venales dominis prius vendere tenentur. Et sic tria politica & iuridica σκέμματα hic habemus. *Primum*, in re metallica ea quoque, quæ alioquin publici iuris videntur, sed tamen vel operose eruuntur, vel pretio augentur, vti certatim eruantur, quibuscunque vulgari seu patere oportere, modico tantum vectigali exinde fisco præstito. *Secundo*, e publico eruta licet colligentium fiant, fisco tamen potissimum distrahi oportere, & sic πρωτοπραξίας ius in his fisco competere. *Tertio*, fiscum quoque, qui πρωτοπραξίας ius habet, competens pretium soluere debere.

Notanda postremum huius l. inscriptio, ad *Cresconium Comitem metallorum*. Peculiaris scil. metallorum Comes fuit, sub Valentiniano; cuius per Illyricum mentio quoque fit in Notitia Imperii *sub Comite S. L.* in Imperio vero Occidentali nullus talis ibi Comes memoratur: Nam qui ibi *Comes auri* dicitur, ab hoc Comite metallorum diuersus est: qui videl. auri cuiuscunque illati Comes erat: quomodo & peculiaris *Vestiarii Comes* fuit. Male vero cum hoc Comite metallorum nonnulli eosdem faciunt procuratores metallorum, qui memorantur *l. 4. Codice Iust. eodem*; hi enim viles erant & ex Curialibus sumpti: At Comes Metallorum Magistratus erat. Vt ad Illyrici metalla reuertamur: Notum, ibi magna metalla fuisse: & nominatim in Macedonia, vbi A. V. C. 597. metalla instituta fuisse ait Cassiodorus. Et Liuius *l. 45. c. 29.* ingens Metalli Macedonici vectigal fuisse refert. Meminit & Strabo, *lib. 7. circa fin.* metallorum auri plurimi prope Philippos vrbem Macedoniæ, imo Pannoniam vsque: sed tamen ad quænam metalla proprie hæc *lex* pertineat; mihi non liquet. Possit enim forte ea pertinere ad Hispanica, quæ in fama fuere, & vbi *Ballucæ* vox genuina.

De AVRI *canone, qui ab* AVRILEGVLIS *præstatur.*

IV. (a) Idem AA. ad Germanianum Com. S.L. (b)

OB metallicum canonem; (c) in quo propria (d) consuetudo retinenda est, quatuordecim vncias ballucæ pro singulis libris constat inferri. Dat. VI. Id. Ian. Rom. (e) Lupicino & Iouiano Coss. [367.]

NOTAE.

(a) *L. 2. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendaque *huic* est *lex* 13. *infr. de susceptoribus:* & *lex* 1. *Cod. Iustinian. de veteris numism. potest.* GOTHOFR.

(b) *Germanianus* Comes S. L. sub Valentiniano Sen. cui præter hanc *leg.* *d. l.* 13. & *d. l.* 1. inscribitur A. D. 365. *lex* 1. *sup. de pascuis:* & *l.* 3. *de murilegulis.* ID.

(c) *Canon* metallicus est vectigal seu pensitatio, quæ ex metallis fisco pendebatur. ID.

(d) Alia scil. ab alterius canonis præstatione. ID.

(e) γρ. *Rem.* (id est, Remis:) & *hic* & *d. l.* 13. hoc quippe tempore Valentinianus Remis constitit: vid. *Chron. Theod.* & *Ammianum.* ID.

COMMENTARIVS.

P. 493.

DE AVRI seu *metallico Canone*, id est, pensitatione quæ a quibuscunque Aurilegulis fisco infertur, est hæc altera Valentiniani S. constitutio; de quo ipso fuit iam *lex 3. supr.* vnde pleraque huc arcessi possint.

Illud tantum superest notandum, *hanc legem* partem esse prolixioris Valentinianeæ constitutionis, vnde desumptæ sunt tres præterea *leges*, puta *l. 13. infr. de susceptoribus:* (ex cuius *fine* est petita *l. 5. Cod. Iust. eod. tit.*) & *l. 1.* & *2. Cod. Iust. de veteris numism. potest.* Quæ proinde *huic* coniungendæ veniunt: Ea constitutione Valentinianus circa speciem *Auri*, siue quod in commercatione esset, siue quod largitionibus inferendum erat, occupatus fuit: quatenus scil. eam in publico priuatoque commercio stare oporteret; quatenus, vbi de publicis illationibus seu pensitationibus ageretur. Ad prius pertinet *d. l. 1. C. Iust. de vet. n. potestate.* Nempe cum essent, qui solidos veterum Principum veneratione seu vultu, formatos respuerent, atque ita inter ementes & vendentes refragatio oriretur, statuit Valentinianus, eos omnino suscipi oportere, modo debiti ponderis ii essent; & speciei probæ.

Ad posterius pertinet *hæc lex*, vna cum *d. l. 13.* Nempe quomodo, & quatenus, seu qua lege aurum largitionibus esset inferendum. Igitur, si aurum purum & obryzum inferendum sit, statuit vt tum non nummi aurei seu solidi, verum aurum in massa soluatur; ne alioquin susceptores adulterinos solidos subrogarent: quæ sententia est *d. legis 13.* primo eius capite: cui congruit & *l. 12. eod. tit.* Item, vt libra auri in massa, pro 72. solidis accepto feratur: id est, vt qui 72. solidos inferre debet, libram auri in massa inferat, quæ sententia est, *d. l. 13. infr.* de quo plenissime dixi ad *d. l. 13.* & *ad d. l. vn. sup. de oblatione votorum.* Cuius quidem libræ duodecim vnciæ fuerunt. Et hoc si aurum purum largitionibus inferendum sit. Aliud vero, si de *balluca* agatur inferenda ab Aurilegulis, seu de canone metallico: quia tum 14. vncias pro singulis libris inferri iubet. Et sic in Canone metallico PROPRIAM consuetudinem retineri vult, quæ *huius leg.* sententia est. Breuiter ballucæ libra 14. vnciis constabat: obryzi, 12. Rationem diuersitatis iam adsignaui ad *leg. super.*

Illud etiam semel obseruandum, hanc *leg.* & *l. 12.*

l. 12. 14. 15. infr. Comiti S. L. [illegible], vtpote ad cuius dispositionem metalla pertinerent, vt diserte quoque constat ex *Notitia imperii*, vbi in *Notitia Comitis S. L. per Orientem fol. 49.* sub eius dispositione inter alios ponitur *Comes Metallorum per Illyricum.* Nihil tale vero in *Notitia Occidentis*: cum tamen per Occidentem quoque metalla sub dispositione Comitis S. L. fuerint, nihilominus atque in Oriente: vt ex *hac l.* discimus, quæ est Valentiniani Sen.

Illud quoque obseruandum, non auri tantum metalla, quo pertinet *hac lex* & *lex 12.* & *lex vlt. hoc tit* verum etiam saxorum seu marmorum metalla ad eiusdem Comitis S. L. dispositionem pertinuisse, quod discimus ex *l. 14. h. t.* Paternus enim cui ea *lex* inscribitur, Comes S. L. erat, vt ad *eam* probabo ex Symmacho quoque. Et tamen sub Comitis quoque R. P. dispositione metalla fuisse docebit *lex prox.* vbi v. quæ dicam.

Hinc iam apparet, non hanc esse *huius leg.* sententiam quam Interpretes adferunt, canonem metallicum non debere per scrupulos exsolui, verum pro singulis libris 14. vncias præstari: Verum, quod etiam Albericus diuinauit, *hac l.* id definiri, quumque videri, vt licet regulariter libræ sint duodecim vnciarum, hoc casu propterea maiores sint, quod species metallicæ *nondum purgari* præstantur. Hoc inquam recte diuinauit, etsi quid *balluca* esset, ignorauit, quo id aperte indicatur.

Et sic *hac l.* exemplum habemus; Primo, consuetudinis peculiaris in certo illationis seu collationis genere. Secundo, proportionis inter ballucam, auri, & aurum coctum: de quo ad *l. super.* item exemplum, rei alicuius fisco soluendæ pro arbitrio, vel in cocto, vel in nondum cocto, proportione tantum retrimenti vel intertrimenti habita.

De AVRILEGVLIS *fugitiuis per Orientem retrahendis Valentis lex.*

V. (a) Imppp. Valentinianus, VALENS & Gratianus AAA. Fortunatiano Com. R. P. (b)

NVLLAM partem Romani (c) Orbis credidimus relinquendam, ex qua non Metallarii (d) qui incolunt latebras producantur, & (e) quos Domus nostræ secreta retinent, & in conprehendendis eis Inuestigatores eorum Rectores congruis auxiliis prosequantur. Dat. Prid. Kalend. Maii Antiochiæ, (f) Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* velut temporaria. Hanc *leg.* Valentis fratris sui memorat & sequitur Anno prox. 370. Valentinianus Sen. frater *l. 7. infr.* GOTHOFRED.

(b) *Fortunatianus* Comes R. P. sub Valente, eidem inscribitur hoc ipso Anno 369. *lex 2. infr. de aquæductu*, & An. 365. vel 368. *lex 2. supr. de Tironibus*: item A. 377. *l. 3. supr. de fisci debitor.* Eiusdem meminit Ammianus Marcellin. *lib. 9. initio*, & Zosimus, *lib. 4. cap. 14.* ID.

(c) *Orientalis*, vt vel ex *hac l.* apparet, quæ Valentem Imp. auctorem habet & ideo data *Antiochiæ.* Sed & præterea diserte docet *dicta lex 7. in fin.* Ergo *orbis Romanus*, qui Imperatori Romano paret, etsi non totum imperium Romanum. ID.

(d) *Metallarii*, id est, aurileguli. ID.

P. 494 (e) Id est, etiam ii quos. Hanc vero sententiam inseruit Tribonianus *legi vlt. C. Iust. hoc tit.* quæ alioquin interpolata est ex *l. vlt. hoc tit.* ID.

(f) *Antiochiæ* Valens hoc Anno non constitit, verum Marcianopoli in Thracia A. D. 367. 368. 369. vel in Mysia V. *Chronolog. Theod.* & ideo *Data*, hic pro *Reddita*, vel *Proposita* accipiendum fuerit. Antiochiæ scil. erat Comes R. P. Nisi Antiochiam hic accipias, quam Stephanus in Scythia collocat: vel Antiochiam insulam in Propontide, cuius meminit Plinius *H. N. lib. 5. c. 31.* & *Itin. Peutinger.* vel quæ in Caria, eodem Stephano teste, vel prope Martianopolim inquam in Scythia: V. Arrianum in *periplo Euxini.* ID.

COMMENTARIVS.

VALENTIS Imp. hæc vnica *hoc titulo, de Metallariis* (quos τὰ μέταλλα ἐργαζομένους vocat Chrysostomus *homil. in Matth. 55. edit. Paris. p. 604.* siu. *num. 4. init. pag. 559. Tom. VII. Oper. Edit. Benedictin.* quique χρυσορύκτοι Græcis, vid. Socratem *lib. 7. cap. 18.*) De Metallariis, id est, vt docet *lex 7. infr.* de *Aurilegulis* retrahendis constitutio est, data ad Fortunatianum Comitem R. P. cui & aliæ *leges hoc Codice* inscriptæ occurrunt: cuiusque meminit Ammianus Marcellinus *initio lib. 29.* quem *molestum flagitatorem* vocat: & Zosimus *lib. 4. c. 14.* vbi & similia de eo. Et vero ad eius relationem hæc *lex* a Valente data videtur. Metallarii scilicet Thraciæ (vt docet *lex 7. infr.*) forte etiam molestum illum flagitatorem fugientes) ex metallis publicis [illegible] & latebras quæsiuerant, ad euitandam conditionem suam: erant enim originis ratione metallarii isti conditioni adstricti; vt præter *hanc leg.* docet *lex 6. 7. 9. vlt. infr.* & vt aperte ostendit locus Ammiani Marcellini ad *l. 7. infr. quod graues vectigalium sarcinas perferre non possent.* Igitur Valens eos erui ex latebris, & ad loca sua retrahi *h. l.* iussit. Et quidem quod Valenti parebat. Per *omnem Orientem*, seu omnes Orientalis Imperii orbis prouincias sub his quatuor ampliationibus 1. Ratione loci nulla parte Romani istius orbis relicta: 2. *Inuestigatoribus* in id vbique missis: 3. Item ex quibuscunque latebris, etiam ex domibus Principis, si quos earum secreta metallarios retinerent: 4. Tandem ita, vt Rectores prouinciarum ad eos comprehendendos competentibus auxiliis Inuestigatores iuuent.

Qua

Qua parte obseruandum singulare *Inuestigatorum* genus ad metallarios eruendos: obseruandum, domos Principum etiam inuestigatoribus his patuisse ad eruendos inde metallarios: obseruandum, manus militaris seu congrui auxilii genus, quo Rectores prouinciarum Inuestigatores iuuare tenebantur: cui par auxilii congrui præstatio Iudicibus ordinariis iniungitur *l. 9. sup. de Senatorib.*

Et hæc quidem *hac l.* ita Valens, suffecturum id putans ad eruendos Metallarios. Verum mox, cum didicisset vel suspicaretur, aliquos in Occidentem sese contulisse, & quidem in proximas Orientali Imperio diœceses, puta Illyricum & diœcesim Macedonicam, ad Valentinianum quoque Seniorem fratrem suum eo nomine scripsit, qui mox elicuit *legem 7. infr.* vbi plura.

Ex hac interim *l.* discat quis sub dispositione quoque Comitis R. P. fuisse metalla, cum alias sub Com. S. L. essent, de quo ad *l. super.* Nisi putemus, ideo *h. l.* datam ad Com. R. P. eo, quod in ea agatur de eruendis Metallariis ex domibus rei priuatæ Principis.

De AVRILEGVLIS *in Sardiniam non transfretandis.*

VI. (a) Idem AAA. ad Probum PF. P. (b)

SI qua nauis Metallarium (c) ad Sardiniam transtulerit, gubernator ipsius, vel magister, (d) quinos pro singulis hominibus solidos cogatur inferre. Dat. Prid. Non. Iun. Martiatici, (e) Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Probus* PP. sub Valentiniano: de quo V. *Prosopogr.* & quidem Italiæ & Illyrici, de quo ad *l. prox. 7.* ID.

(c) Id est, Aurilegulum. Vid. *infr. leg. 9.* ID.

(d) De Magistro nauis vid. *tit. D. de exercitor. actione.* ID.

(e) *γρ. Mattiatici* vel *Mattiaci*: quod omnino suadent Valentiniani itinera hoc Anno per Galliæ seu Rheni limitem: sed & biennio ferme post *hanc leg.* Ammianus *lib. 29. cap. 4.* ait, Valentiniano contra Macrianum profecto, Seuerum antegressum contra Mattiacas aquas. Nisi malit quis hic *Martiaticum* capere sedem *Martensium* militum, qui *Altæ ripæ* erant, vt docet Notitia Imperii sub duce Mogontiacensi *fol. 178.* sane hoc ipso mense 12. ferme post diebus, a Valentiniano data *Alta ripa*, *lex 4. infr. de repar. appell.* verum de hoc plura in *Chronico.* IDEM.

COMMENTARIVS.

DE AVRILEGVLIS, id enim METALLARIORVM appellatione exaudiendum est, vt docet quoque *lex 9. infr.* in Sardiniam non transfretandis, est hæc a Valentinianeis quatuor, *hoc titulo* constitutio: cui concordat & altera quoque Gratiani filii eius *lex 9. infr.* In Sardiniam scilicet transire vetiti *hac l.* & *d. l. 9.* Aurileguli.

Cuius rei ratio in obscuro est. Isthæc mihi videtur: ne aut abductis in Sardiniam metallariis cæterorum exercitium metallorum cessaret, aut certatim omnibus in Sardiniam confluentibus Sardiniæ metalla exhaurirentur. Quomodo & *lege Censoria* Ictimulorum in Vercellensi agro cautum aliquando reperio apud Plinium *lib. 33. c. 4.* Ne *plus quinque*
P.495 *millia hominum in opere Publicani haberent*: ne alioquin Publicani vna conductione totum aurum prouinciæ vel fodinæ exhaurirent. Sane memorabile est etiam quod ex Polybio memorat Strabo *lib. 3. pag. 220. edit. Almelooeen.* prope Carthaginem nouam in Hispania 40. hominum millia in argenteis metallis exercendis occupata fuisse: atque inde in singulos dies 25. millia drachmarum populo Romano ab iis pendi solita. Sardinia scilicet metallis, & quidem argenti, censebatur: Sidonius *Carmine 5. v. 49.*

Sardinia argentum; naues Hispania defert.

Quintianus Architrenius in Cleopoli: *Argento Sardinia, & Attica melle.* De eodem accipio & illud Rutilii Claudii Numatiani, *Itinerario primo v. 353.*

Non Biturix largo potior strictura camino,
Nec quæ Sardonio cespite massa fluit.

De AVRILEGVLIS *Thracibus ex Illyrico & Macedonia, quo fugerant, in Thraciam retrahendis, Valentiniani* lex.

VII. (a) Idem AAA. ad Probum PF. P. (b)

QVEMADMODVM Dominus (c) Noster Valens, per omnem Orientem, (d) eos, qui ibidem auri metallum vago (e) errore sectantur, (f) a possessoribus (g) cunctis iussit arceri: ita Sinceritas Tua vniuersos per Illyricum (h) & diœcesim Macedonicam prouinciales Edicto conueniat, Vt nemo quemquam Thracem (i) vltra in possessionem propria (k) putet esse celandum, sed vt singulos potius regredi ad solum genitale conpellant, quos inde (l) venisse cognoscunt: Alioquin grauis in eum animaduersio proferetur, qui latebram

bram huiusmodi hominibus post hæc interdicta præbuerit. Data XIV. Kalendas April. Treu. Valentiniano & Valente (m) AA. Coss. [370.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex a Cod. Iust.* velut temporaria & historica. GOTHOFR.

(b) *Probus* PP. sub Valentiniano, de quo vid. *Prosopogr.* & quidem Illyrici, quod vel ex *hac l.* liquet: de quo mox plura. *IDEM.*

(c) Et frater: sic obseruа, etiam fratrem a fratre, & Seniore quidem, eodemque Imperii auctore, *Domini nostri* appellatione decoratum. *ID.*

(d) Romanus orbis, *l.* 5. *supr.* *ID.*

(e) Fugitiui scil. Metallarii seu aurileguli: qui incolunt latebras *dict. leg.* 5. *ID.*

(f) *Sectandi* vox propria rei metallicæ: hinc & *sequendarum auri venarum periti*, Amm. Marcellino, *lib.* 31. *cap.* 6. & Firmico, metallorum inuentores, qui latentes auri & argenti venas subtili inquisitione *persequuntur*. *Scrutandi* vox alioquin propria quoque. Manilius *lib.* 4. *v.* 246. *Scrutari cæca metalla*. *ID.*

(g) *Possessionibus*: vt *infr.* quoque *in possessionem*. *ID.*

(h) *Illyricum* hic a diœcesi Macedonica seiungitur: de quo mox. *ID.*

(i) Metallarium scil. de quo mox. *IDEM.*

(k) Vel hic reponendum *propriam*, vel supra *possessioni*. Neque nouum, *in possessionem propriam celare*: vide *Gloss. Theod.* *IDEM.*

(l) Ex Thracia & Oriente. *IDEM.*

(m) Adde *III.* id est, 370. Vid quæ in *Chronol. Theodos.* *ID.*

COMMENTARIVS.

De Avrilegvlis Thraciæ ad solum genitale, suaque adeo metalla retrahendis, est hæc e Valentinianeis quatuor *hoc titulo* constitutionibus: Ad cuius intellectum, plurima in ea notanda veniunt historica.

Primo, ex *hac l.* liquido discimus, Valentiniano Sen. in Imperii diuisione cum fratre Valente, *Illyricum & Macedoniam* cessisse; quod etiam docet Zosimus *lib.* 4. *cap.* 3. Quomodo & inter Constantini M. liberos diuiso Imperio, Constanti vna cum Italia & Africa Illyricum & Macedonia cesserant, teste Eunapio *in Ædesio p.* 45. *edit. Commelin.* Zosimo *lib.* 2. *cap.* 39. & Cedreno *in Annal. pag.* 235. *edit. Venet. int. Script. R. B.* quæ postea Macedonia inquam, vna cum Illyrici parte Orientalis Imperii fuere: de quo plura ad *leg.* 2. *supr. de constitution. Princ.*

Secundo ex *hac leg.* discimus; Illyricum cum Macedonia dispositioni Probi PP. cui hæc *lex* inscribitur vna cum aliis plurimis *hoc Cod.* quas repete ex *Prosopographia*, cuiusque mentio apud Ausonium, Marcellinum, & in veterib. Inscriptionib. suppositа fuisse; cui alioquin etiam Italia Africaque paruit.

Tertio obseruandum in *hac l.* Macedoniam ab Illyrico separari & seiungi, quomodo etiam separatur Gratiani *l. prox.* 8. & a Sexto Rufo Festo *in Breuiario ad Valentem Imp.* quod Anno superiore 369. conscriptum (vt vel ex fine eius collato cum Ammiano *lib.* 27. *cap.* 4. 5. & 12. colligo) sic tamen vt generali quoque Illyrici appellatione ibidem *Macedoniam* comprehendat: pariter vt *vetus Index prouinciarum*, qui sub Theodosio M. conscriptus, *Sconbouianus*. Sane postea Macedonia & Dacia (duæ inquam hæ diœceses) peculiarem Præfecturam Prætorianam *Illyrici* Orientalis scil. confecerunt, vt docet *Notitia Imperii.*

Quarto obseruandum, *hac l.* & *id. l.* 8. Gratiani, *Illyricum* complecti; Illyricum tum Orientale (Macedonia dempta) in quo Dacia; tum Occidentale Illyricum, quod solum postea, Occidentis Imperio cessit; cum Illyricum, in quo Dacia Orienti cederet; vt docet rursum *eadem Notitia Imperii.*

Quinto igitur obseruandum, Valentiniano in Diuisione Imperii cum fratre Valente cessisse totum P. 496 Illyricum, tam Orientale, quam Occidentale; Thraciam vsque, quod præter *hanc legem* Zosimus quoque clare ostendit *d. lib.* 4. *cap.* 3. Quomodo & Gratiano postea cessit, vt testatur *lex prox.* 8. Ex his itaque iam tenemus, vni Præfecto prætorio hoc tempore vniuersum Illyricum & diœcesin Macedoniam paruisse. Inde quoque indistincte huic Probo nostro in *l.* 28. *de cursu public.* Italicum Illyrico subiicitur. Idemque indistincte Probus PP. Illyrici vocatur *l. vn. infr. ne damna prouincialib.* vbi vide etiam quæ dixi. Tandem *leg. vn. infr. si per obreptionem*, Probo huic PP. sub Valentiniano Iun. supponuntur præter omnem Italiam, vrbicarias Africanasque regiones Omne Illyricvm. Quod sane etiam discimus ex Amm. Marcellino *lib.* 26. *cap.* 5. qui sub Valentiniano & Valente tres tantum Præfectos Prætorio ita recenset. *Valentinianus Mediolanum, Constantinopolim Valens discessit. Et ORIENTEM quidem regebat potestate Præfecti Salustius; Italiam vero cum Africa & ILLYRICO Mamertinus: & GALLIAS prouincias Germanianus.* Quare & idem Marcellinus *lib.* 30. *cap.* 5. huic Probo nostro *Epirum* suppositam fuisse docet, quæ certe postea Illyrici Orientalis fuit: narrans quippe quomodo Valentinianus acceptis a Probo PP. de Illyrici clade literis in Illyricum venerit, hæc ait: *Ad prouincialium residuorum exemplum, etiam EPIROTÆ, acturos sibi gratias a Præfecto mittere compulsi Legatos.* Et tamen sub Constantino antea Illyricum sub duabus Præfecturis fuisse testatur Zosimus *lib.* 2. *c.* 23.

Tandem obseruetur, *Orientis* appellatione *hac l.* intelligendam Imperii partem illam, quæ Valenti in diuisione Imperii cesserat, nempe a Thracia Ægyptum vsque, quod & ipsum pariter docet Zosimus *d. loco.* Eius verba nunc tandem hic semel iternenda sunt: ἔδοξε τῷ Οὐαλεντινιανῷ, διελομένῳ πρὸς τὸν ἀδελφὸν τὴν ἀρχὴν, ἐπιτρέψαι μὲν αὐτῷ τὴν ἑῴαν, ἄχρις Αἰγύπτου καὶ Βιθυνίας, καὶ Θρᾴκης, λαβόντα δὲ τὰς ἐν Ἰλλυριοῖς πόλεις αὐτὸν, εἰς τὴν Ἰταλίαν διαβῆναι, καὶ τὰς ἐν ταύτῃ πόλεις ἔχειν ὑφ' ἑαυτῷ, μετὰ τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἐθνῶν, Ἰβηρίας δὲ καὶ τῆς Βρεττανικῆς νήσου καὶ Λιβύης ἁπάσης, id est, *Visum est Valentiniano diuiso cum fratre Imperio, ipsi quidem credere ORIENTEM, Ægyptum & Bithyniam, & TRHACIAM vsque, sibi vero seruatis ILLYRICI vrbibus in Italiam transire, siuesque in ea ciuitates sibi habere, vna cum transalpinis gentibus, Hispania, & Britannica Insula,*

& tota

& *tota Africa*. Quæ quidem omnia scire distincte, multum interesse plures *leges* ostendunt. Ostendit vel hæc nostra, cuius alioquin sententiam capere fas non esset. Nempe his ita clare distinctis: sententia *huius legis* hæc est: Cum Valens Orientis Imp. metallarios ex *Thracia* (Imperii sui atque adeo Orientis parte) profugos per *Orientis prouincias* omnes inuestigari eruique præcepisset, *l. 5. supr.* mox & comperisset idem nonnullos e Thracia, & sic Orientis suoque adeo Imperio, in finitimas Occidentalis, & sic Valentiniani Imperii dioeceses, puta *Illyricum* & *Macedoniam*, sese proripuisse, fratrem rogatum iuit, vt hac parte sese adiutum vellet. Igitur Valentinianus *hac l. Edicto P. P. Illyrici*, puta Probi (cui hæc *lex* inscribitur) possessores Illyrici & Macedoniæ commoneri iubet, vt *Aurilegulos* Thraces ad genitale solum regredi faciant: proposita graui pœna eos celantibus.

Vbi notandum, quod sexto loco *hac l.* obseruandum, *hanc l.* esse nominatim de Thracibus Aurilegulis, scilicet auri metalla in Thracia fuere: vt docet Strabo *lib. 7.* & Amm. Marcellinus *lib. 31. cap. 6.* in gestis Anni 377. sub Valente, de quo mox, & Zenobius *in Adagiis*. Inter Thracas porro Bessi metallica clari fuere, a quibus Romani μεταλλεύειν didicere, teste Cassiodoro. De his Pacatus *in Panegyr. Theodosii, cap. 28. Parum ille pretiosum putabat aurum, quod de montium venis aut fluminum glareis quæsitor BESSVS, aut scrutator Callaicus eruisset.* Vegetius *de re militari lib. 2. c. 11. Vsque eo etiam vt cunicularios haberent, qui ad morem BESSORVM, ducto sub terris cuniculo, murisque intra fundamenta perfossis improuisi emergant.* Et Ammianus Marcellinus sub hoc ipso Valente *lib. 31. cap. 6. in* Gestis Anni 378. agens de Gothico tumultu in Thracia: *Quibus*, inquit, *accessere sequendarum auri venarum periti non pauci, vectigalium perferre posse non sufficientes sarcinas graues: susceptique libenti consensione cunctorum, magno vsui iisdem fuere ignota peragrantibus loca, conditoria frugum occulta & latebras hominum, & receptacula secretiora monstrando: nec quicquam, nisi inaccessum & deuium præeuntibus iisdem mansit intactum.* Ex quo simul loco liquet, quod & ipsum ad *hanc legem* & *dict. leg. 5. supr.* illustrandam facit, quod ad *eam legem* sic diuinabamus, causam, cur metallarii ex Orientis seu Valentis imperio fugerent, vel Barbaris sese sociarent, eam fuisse, quod *graues vectigalium sarcinas perferre non possent*: id est, Canon metallicus nimium grauis esset.

Vt ad Illyrici metalla & metallarios redeam, eo quoque pertinet Comes metallorum, cui inscribitur *lex 3. supr.* vbi plura dixi ex Strabone quoque.

De *Macedonia* illud notandum septimo loco, auri fodinas ibi fuisse quod *hac* quoque *leg.* colligere licet: Sicuti per eandem fuere lapidicinæ insignes, quod docet *lex proxim. 8.* vt & ferri fodinæ, & plumbi, vt ex Veteri Orbis descriptione discere est, *cap. 34.* Tandem de metallis per Macedoniam, Daciam &c. est quoque *lex 5. Cod. Inst. de metallariis.*

P. 497 *De Iure* MARMORIS *exsecandi ex priuatis lapidicinis per Macedoniam & Illyricum omnibus, & nominatim Senatorib. V. R. indulto:* lex *Gratiani.*

VIII. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus, AAA. ad Senatum. (b)

POTESTATEM eruendi vel exsecandi (c) de priuatis lapidicinis iampridem, † per Macedoniam & Illyrici (d) tractum, (e) certa sub condicione, (f) permisimus; Sed, Vobis, Patres Conscribti, volentibus liberalius (g) deferetur, suo vt quisque sumptu, suoque emolumento, (h) vectigalis operas (i) & portorii damna non metuens, pariat (k) eam copiam, &c. Lecta in (l) Senatu Id. Aug. Valente V. & Valentiniano AA. Coss. [376.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Inst.* velut historica & temporaria. Iungendaque ei *lex 19. infr. de operib. publ.* & forte etiam *lex 13. supr. de accusat.* quod non temere assero. GOTHOFR.

(b) Vrbis Romæ, vt etiam docet *d. lex 19.* ID.

(c) Lapides, *marmora.* ID.

† Lex hæc *Gratiani* nuspiam comparet. ID.

(d) Metallariorum per Illyrici prouincias mentio quoque *l. 9. infr. de indulg. debi.* ID.

(e) *Tractus*, pro dioecesi. V. *Gloss. Theod.* ID.

(f) Vectigalis & protorii scil. vt *fine l.* ID.

(g) Sic Symmachus *lib. 10. ep. 21.* inter Pareanas, *vt res annonaria satietati vrbana liberalius ingeratur.* ID.

(h) Ita quoque *d. l. 19. infr. de oper. publ. non contractis veteribus emolumentis.* Emolumenta *hic* & *d. l. 19.* seu *emolimenta*, sunt moliotiones, vt vocantur *l. 3. infr. de oper. publ.* ab *emoliri*: Symmachus *lib. 10. ep. 9. Vereor, ne operi emoliendo estiua opportunitas subtrahatur.* Emolumentum est structura, opera ad ædificandum seu opus moliendum impensa. Nisi *emoluenentum* hic pro commodo accipias. Ego prius malim. ID.

(i) Malebam aliquando *onera*, vt mox, *portorii damna*: sed nil muto: *vectigalis* hic positum pro *vectigalis*: *Vectigales operæ* eleganter dicuntur, quæ vectigali soluendo obnoxiæ sunt vel redduntur. IDEM.

(k) *Parere* copiam sibi: sic Symmachus, *lib. 7. ep. 63. Tibi honor militiæ pariat fructus secundos*: & *lib. 8. epist. 35. quæ assiduitati gratiam parit*: & *libr. 9. epistol. 73. quæ tibi laudem seruatæ amicitiæ pariet.* Sic & *libr. 10. epist. 47. exilium parere.* IDEM.

(l) Lectæ in Senatu orationes Principis ad Senatum. V. *Paratitl. de constitut.* IDEM.

COMMENTARIVS.

GRATIANI Imp. duæ constitutiones sequuntur. Et prior quidem hæc de metallis lapidum seu lapidicinis: posterior vero *lex 9. de Aurilegulis* metallariis. Prior hæc autem de Lapidicinis, pars est prolixioris Orationis Gratianeæ ad Senatum vrbis Romæ, quæ & ideo *Lecta* dicitur *in Senatu*: vnde altera quoque pars desumpta *hoc Codice* occurrit, puta *lex 19. infr. de operibus publicis*: quæ proinde huic coassanda venit. Ea oratione Gratianus Ædificiis Romæ, qua publicis & priuatis tuendis, qua de nouo excitandis a Iudicibus & Senatoribus, curam enixam intendit. Tuendis inquam, quo pertinet *dict. lex 19.* duobus *ea leg.* in id constitutis: nempe prohibitis Senatoribus veluti Præfecto Vrbis aliisque Iudicibus Romæ noua opera sumptu publico excitare: quin potius excolendis veteribus animum intendere: Item prohibitis, per aliorum ædificiorum ruinas noua opera excitare; contra suis operibus, si velint ea absoluere, iussis. Et hæc quidem ita Gratianus ad ædificiorum Romæ tuitionem.

De *Nouo* vero excitandis animum pariter intendit ea Oratione Gratianus: Quo pertinet *hac lex*: scilicet, cum & antea potestatem exsecandi de alienis priuatis lapidicinis (quod & ipsum conceditur *l. 10. 11.*) id est, marmoris per Macedoniam & Illyricum potestatem omnibus, sub *certa* (vectigalis scilicet & portorii) conditione, fecisset; hac iam Oratione, vt noua opera Romæ a Senatoribus passim excitarentur, eam potestatem adeo *liberalius* vt ipsemet ait, *defert*, vt cum alii vectigal & portorium lapidum excisorum seu marmorum nomine soluere tenerentur ex sua anteriore constitutione, hac iam Oratione sublata conditione illa, sub plena vectigalis & portorii immunitate Senatoribus cædendi lapidis tribuat.

Et hæc quidem est *huiusce leg.* imo totius illius, quatenus superest Orationis Gratianeæ, sententia, super ædificiis Romæ: Quæ quidem tota cothurno Gallicano assurgit, maxime *fine huiusce l. & fine* rursum *d. legis 19.* Eiusmodi vero plures Orationes ad Senatum a Gratiano hoc Anno 376. ipso, post patris statim mortem, missæ fuerunt, atque inter cæteras ea quoque, quam memorat, & a se in Senatu lectam, maximopere commendat Symmachus *lib. 1. ep. 89. & lib. 10. ep. 2.* quam quidem hoc ipso Anno ad Senatum datam autumo.

Tam enixo scil. studio Romanæ vrbi & Senatui hoc Anno consultum iuit Gratianus A. simul & Præfectura Vrbis in excelsum fastigium euecta, quod docet Symmachus *lib. 10. epistol. 17.* & *lex* ipsius 3. *Cod. Iustin. de officio P. V.* qui tamen Senatum postea Romanum sibi inconciliauit, cum Gentilium sacris abolendis animum intendisset, eorumque petitionibus in negotio Religionis non detulisset: de quo P.491
videnda Symmachi relatio, & *l. 20. infr. de paganis*: & Ambrosius *duobus locis*.

Quod de Macedonia & Illyrico *hac leg.* dicitur, id iam ad *leg. super.* plene discussum est: Ex hac sane discere licet Gratianum hoc tempore adhuc toti Illyrico & Macedoniæ imperasse, quidquid Zosimus dicat *lib. 4. cap. 19.* quamlibet Valentinianum fratrem Imperatoriæ dignitatis participem, adsciuisset: & sic Illyricum adhuc indiuisum fuisse, quod adscito mox in imperium Theodosio Ann. Dom. 379. in Orientale & Occidentale *abiit*.

Vectigal interim & portorium quod lapidis excisi nomine præstabatur ex *hac leg.* notandum est, vectigal, inquam; cuius tamen modus quis fuerit *hac leg.* non exprimitur: Sane Theodosius Magn. *l. 10. & 11. infr.* decimam construit: præter quam & alteram decimam loci domino præstari voluit: Quam sane & ipsam partis alicuius loci domino præstationem inter cæteras conditiones fuisse puto, quas hic indicat Gratianus: quam neque Senatoribus seu Patribus Conscriptis remiserit, verum vectigal tantum & portorium, suum scil. compendium remittere Princeps potest, & vero facilius solet, at non & alienum.

De AVRILEGVLIS *per Gallias & Italiam, in Sardiniam non transfretandis: Gratiani* lex.

IX. (a) Idem (b) AAA. ad Vindicianum (c) V. C. Vicarium.

DATIS ad Inlustres viros Præfectos Galliarum, & Italiæ litteris, (d) primum metallarios (e) præcipimus (f) admoneri, ne eis nouelli statuti, † quod fuerat elicitum, priuilegio, transeundi ad Sardiniam spes improba blandiatur: Deinde prouinciarum quæ mari alluuntur iudices, (g) scientes (h) fieri, vt vniuersorum (i) nauigatio huiusmodi hominum generi clauderetur: ita, vt si aurileguli transfretare temptassent, seueritate Iudicis audaciæ suæ ferrent digna supplicia: adficiendis etiam pœna Custodibus, (k) si neglegentia nauigandi hisdem copiam præbuissent; ita vt hæc non sine periculo suo Rectores prouinciarum neglegenda meminerint. Dat. (l) XVIII. Kal. Septembr. Valente IV. & Valentiano II. AA. Coss. [378.]

NOTAE.

(a) Abest & hæc *lex* a *Cod. Iust.* quia localis & temporia: Concordat ei *lex 6. supr.* GOTHOFR.

(b) Imo *huic legi* reuera nonnisi duo *AA.* inscribendi essent: iam enim ante 4. vel 6. diem Valens obierat 3. vel 5. Idib. Augusti: verum cum mortem Valentis nondum rescivisset Gratianus, Valentis nomen retinuit & inscripsit *huic legi* pro more solito. *ID.*

(c) De hoc *Vindiciano* mox dicam: cui etiam inscribitur *lex 12. infr. de Medicis & professoribus.* *ID.*

(d) Ita quoque *l. 4. infr. de Aurilegulis.* *ID.*

(e) Aurilegulorum infra. *ID.*

(f) *Præcipimus.* *ID.*

† Lex hæc Gratiani non comparet. *ID.*

(g) Id

(g) Id est, Rectores prouinciarum, vt *fine leg.* *ID.*

(h) *Scientem* fieri. Ita & Symmachus *lib. 9. ep. 116.* *Is vbi te scientem dolobis mei fecerit.* *ID.*

(i) *An in vniuersum?* Vniuersorum, hominum scil. *ID.*

(k) Custodes littorum intelligit: de quibus *supr. tit. de littorum & itin. custodia.* *ID.*

(l) An *Treuiris?* V. *Chronologiam.* *ID.*

COMMENTARIVS.

De Avrilegvlis χρυσορύκτους in Sardiniam non admittendis, non transuehendis, est hæc Gratiani constitutio, pariter vt Valentiniani Sen. *lex 6. supr.* vbi de eius ratione iam dixi. Singularia tantum quædam *hac leg.* notentur.

Primo, inscribi hanc *leg.* *Vindiciano V. C. Vicario.* Qui equidem Vindicianus ille idem est, Comes Archiatrorum, cuius ad Valentinianum Imp. *epistola* extat, præmissa *Operi* Marcelli Empirici, *tomo vlt. Medicorum auctorum p. 348.* cui inscribitur præterea Anno proximo 379. altera eiusdem Gratiani Imp. constitutio, puta *lex 12. infr. de medicis & professorib.* Sane ex hac *Inscriptionum* & *epistolæ* collatione, discimus, eundem & Comitem Archiatrorum, & Vicarium fuisse alicuius diœceseos: vt cæteroquin *lex 15. 16. vlt. inf. de Medic. & Profess.* docent Archiatris administrationes creditas, imo & ad maiores dignitates eos ascendisse. Quinimo ex *hac leg.* id colligimus, Vindicianum hunc *Vicarium* alicuius diœceseos per præfecturam *Galliarum fuisse*, quandoquidem Gratianus *hac l.* ait sese literas ad Præfectos Prætorio Galliarum & Italiæ dedisse, quibus præcepit admoneri metallarios, ne in Sardiniam transirent: nempe quia metallarii aurileguli per Præfecturam Galliarum, certatim in Sardiniam quæ sub PP. Italiæ erat, transibant. Vbi in transcursu notandum, Imperatorem de suis literis a se datis loqui: pariter vt *l. 11. infr. de aurilegulis:* proinde pro *præcipimus*, reponendum, *præcepimus:* quod etiam sequentia ostendunt, *clauderentur, ferrent.*

Secundo igitur loco notandus fuerit hic locus de Aurilegulis, aurique metallis per Galliarum Præfecturam: cuiusmodi sane celebratissima fuere auri metalla per Hispaniam, de quo Scriptores omnes qui de Hispania egere: Notaque iam omnia de Tago aurifero Hispaniæ, deque Turditania, de quibus inter alios Strabo *lib. 3. pag. 216. 272. edit. Almeloueen.* vt & per Gallias, de quo auro Gallico Plinius *lib. 33. c. 4.* & *Nouella:* ac nominatim in Cemmeno monte sub ipsum Pyrenæum, de quo Strabo; *lib. 3. dict. p. 216.* in Tarbellis, idem, *lib. 4. p. 290.* per Alpes in Salassis: idem *lib. 4. p. 314.*

Tertio obseruetur nupera quadam constitutione P. 499
priuilegium hoc metallariis datum fuisse, vt in Sardiniam vnde cunque (ex Hispania etiam Galliaque) transire possent: proculdubio temporaria aliqua ratione, vt ita in Sardinia auri effodiendi opus ferueret, quod præter solitum apparere videbatur. Id quod *hac l.* reuocatur, nempe quia aliorum locorum auri metalla hac ratione desererentur.

Postremo, quando *Aurilegulorum* vox hoc vnico *loco huius Cod.* occurrit, haud abs re fuerit, de his quædam notare. In Glossis *Aurilegulus*, χρυσόλογος, χρυσοκλέπτης, χρυσορύκτης. Manilius *lib. 4. v. 246.* ita describit: - - *scrutari cæca metalla,*

Depositas & opes, terraque exurere venas.

Item *lib. 5. a v. 523.*

Quærere sub terris, aurum, furtoque latentem
Naturam eruere omnem, orbemque inuertere terra
Imperat, & glebas inter deprendere gazam
Inuitamque nouo tandem producere cælo.
Ille etiam fuluas auidus numerabit arenas
Perfundetque nouo stillantia littora ponto,
Paruaque ramentis faciet momenta minutis.
Pertulit, vt legeret census spumantis in aurum.

De Marmoris *exscindendi in priuatis lapidicinis iure cunctis indulto, sub duarum decimarum præstatione.*

X. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Floro PF. P. (b)

Cvncti qui, per priuatorum loca, saxorum venam (c) laboriosis effossionibus (d) persequuntur, (e) decimas fisco, decimas etiam domino repræsentent: (f) cetero (g) modo suis (h) desideriis (i) vindicando. Dat. IV. Kal. Septembr. Constantinop. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

N O T Æ.

(a) *L. 3. Cod. Iust. eod. tit.* Huius *leg.* suæ meminit Theodosius *l. 16. infr.* biennio post. *GOTHOFR.*

(b) *Florus* PP. sub Theodosio M. & quidem Orientis, V. *Prosopogr.* *ID.*

(c) Marmorum Venam: *d. l. prox.* de hac voce V. dicta ad *l. 1.* *ID.*

(d) *Effossionibus:* male in nonnullis Iustinianeis, *effusionibus.* Ouidius *Metamorphos. I. v. 148.*

Effodiuntur opes, irritamenta malorum. *ID.*

(e) Rimantur, sectantur, scrutantur. *IDEM.*

(f) Id est, soluant, seu præstent. *ID.*

(g) Reliquo: vt *d. l. 11.* quicquid reliquum fuerit. *IDEM.*

(h) *Propriis suis.* C. Iust. *ID.*

(i) Sic vt quomodo voluntas suaserit, ita de eo libere disponere possint, *leg. prox. 11. infr. ID.*

XI. (a) Idem AAA. (b) Cynegio PF. P. (c)

HII, quibus ad exercenda metalla priuata diues marmorum vena (d) consentit, excidendi exsecandique iuxta legem † dudum (e) latam habeant facultatem, ita vt decima pars fisci nostri vtilitatibus, decima ei cuius locus est deputetur. Quidquid vero reliquum fuerit, id iuxta eiusdem Legis tenorem exercentibus cedat: habiturus licentiam vendendi, donandi, & quo voluntas suaserit transferendi. Dat. III. Non. Octobr. Constantinopol. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

NOTAE.

(a) Abest hæc lex a *Codice Iustinian.* vtpote cuius eadem sententia sit quæ *superioris*: quæ nominatim *hac leg.* confirmatur. *GOTHOFRED.*

(b) Imo tribuenda hæc lex *Valentiniano THEODOSIO & Arcadio*: vtpote Gratiano iam cæso, & Arcadio adscito. *IDEM.*

(c) *Cynegius* PP. sub Theodosio M. & quidem Orientis: de quo in *Prosopogr.* & ad *l. 15. supr. de accusat. ID.*

(d) *Vena*: vide quæ iam dicta ad *l. super. 2. ID.*

† Intelligit *legem prox. 10. super. ID.*

(e) Ante biennium, Ann. 382. *ID.*

P. 500 COMMENTARIVS.

THEODOSII M. quinque Constitutiones de metallis sequuntur: e quibus quatuor sunt de metallis saxorum & marmorum, puta hæ duæ *leges 10. 11. & lex 13. & 14.* De auri metallis *lex 12.* Hisce duabus Theodosius M. An. 382. & 384. repetita constitutione, MARMORIS cædendi *libertatem* per priuatorum loca & metalla omnibus relaxat seu concedit: Pariter vt Constantinus *leg. 1. sup.* Iulianus *l. 2. supr.* Gratianus *l. 8. supr.* In tantum, vt decima tantum fisco inde præstita, & altera decima loci domino, quod reliquum est inuentori cedere iubeat pleno iure; sic vt etiam alienare, id quo velit modo permittat. Quod postremum etiam Constantino M. visum, *d. l. 1.* Imo Gratianus speciali priuilegio Senatoribus vectigal & portorium remisit *d. l. 8.*

Notanda interim hæc Decimæ species, & quidem gemina: quarum prior fisco præstanda erat, altera loci domino. Quarum prior in Gallia quoque Caroli IX. Edicto A. 1563. & 1567. sancita pro omni metallorum genere. Cæterum vt suæ & peculiares causæ fuerunt Constantino M. Iuliano, Gratiano, *illis legibus* tribuendæ libertatis promiscue marmorum secandorum ex priuatis lapidicinis: & Gratiano quidem, vt vrbem Romam ædificiis egregiis frequentaret, vt ad *d. l. 8.* ostensum est: Ita & Theodosius M. hac vtraque *leg.* non alia causa fuit libertatis seu licentiæ istius tribuendæ, quam vt Constantinopolim ædificiis frequentaret; cuius ornandæ augendæque studiosissimum fuisse veteres Scriptores testantur: & in his Themistius, eo ipso Anno 384. quo *l. 11.* lata est, *Oratione 6. p. 160. 161. 162. edit. Petau.* seu *orat. 18. edit. Harduini pag. 222. 223. 224.* neque tantum publicis operibus, cuiusmodi est *portus* Theodosianus, quo spectat *lex 23. infr. de operib. publ.* quæ & ipsa lata est eodem Anno 384. aliaque quorum mentio in *veteris vrbis Const. descript.* Verum etiam priuata: vt præter has *leges* testatur *d. loco* Themistius *d. pag. 222. edit. Harduin.* vbi & ædificia marmore Laconico, Libyco, Ægyptio ornata passim scribit. Adeo vt tandem Themistius pronunciet, dubium deinceps fore, vtrum Constantinus M. an Theodosius Constantinopoli magis contulerint?

Ab hac nihilominus mente sua postea aliquando recessit Theodosius *l. 13. infr.* interdicto priuatarum lapidicinarum exercitio: ea ratione quæ ibi redditur.

De AVRI *Canone seu præstatione, quæ ab* AVRILEGVLIS *præstatur.*

XII. (a) Imppp. Valentinianus THEODOS. & Arcad. AAA. Romulo Com. S. L. (b)

PER annos singulos septeni (c) per hominem (d) scripulii largitionibus (e) inferantur ab aurilegulis, non solum in Pontica diœcesi, verum etiam in Asiana. Dat. XI. Mar. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTAE.

(a) *L. 5. Cod. Iust. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) Eidem *Romulo* Comiti S. L. sub Theodosio Magno hoc ipso Anno inscribitur *lex 11. supr. de his qui ad Ecclesiam confug. IDEM.*

(c) Septeni in vulgat. Cod. Iust. *RITTER.*

(d) Id

(d) Id est, per singulos homines aurum legentes. GOTHOFR.
(e) Fisco. IDEM.

COMMENTARIVS.

AVRI LEGENDI potestatem priuatis quibuscunque, vt alii retro Principes fecere, & in his Valentinianus Sen. teste *l. 3.* & *4. supr.* ita & Theodosium M. fecisse hæc *lex* ostendit: sub hac conditione tamen, vt certus canon auri, per homines, id est, in singulos Aurilegulos, fisco inferretur: Quod vt a Valentiniano statutum, *dictis legibus*; ita & a Theodosio M. *hac leg.* Et quidem octo scripuli ex Valentiniani *d. l. 3.* ex hac vero, septem: vtpote libra auri, quæ antea 84. solidorum erat, ad 72. iam reducta: vt ad *d. l. 3.* fusius docui, etsi Valentinianus eam reductionem iam fecisset.

Septenos igitur scripulos annuatim per singulos homines, id est, aurilegulos ab his qui horum opera vterentur, solui voluit Theodosius M. Id quod in *Pontica* diœcesi perspicuum erat:, verum eosdem septenos scripulos etiam in Asiana diœcesi, solui iubet: Proculdubio enim non tantus modus per singulos homines soluendus videbatur in Asiana diœcesi: An quod maior ibi quam in Pontica auri copia esset? An potius quod difficilior ibi esset auri legendi labor? Asianæ sane diœceseos prouincias 12. numerat *Index Sconbouianus*; in *Notitia Imperii* octo tantum numerantur, *Pamphylia*, *Lydia*, *Caria*, *Lycia*, *Lycaonia*, *Pisidia*, *Phrygia Pacatiana*, *Phrygia salutaris*: apud Theodoretum *lib. 6. c. 28.* vndecim. Cæterum quis nescit, de Pactolo *Lydiæ* flumine Crysorrhoe, χρυσοῦ ψῆγμα, auri ramenta secum trahente? Ponticæ vero diœceseos prouinciæ erant octo sub Theodosio M. *Pontus Polemoniacus*, *Pontus Amasiæ*, *Honorias Bithynia*, *Paphlagonia*, *Armenia maior*, *minor*, *Cappadocia*, vt docet vetus *Index* prouinciarum *Sconbouianus*: sub Theodosio Iuniore fuerunt, postea vndecim, vt apparet ex *Notitia Imperii*, & Theodoreto *lib. 5. c. 28.*

P. 501. MARMORIS *cædendi ius priuatis interdicitur hac leg.*

XIII. (a) Idem AAA. (b) Rufino PF. P. (c)

PRIVATORVM manus ab exercendo quolibet (d) marmoreo metallo prohiberi præcipimus, vt fiscalibus instantia locis liberior relaxetur. Si qui vero clandestino opere vetita deinceps exercere temptauerit, omne id, quidquid exciderit (e) iuri fisci & publico vindicandum. Dat. Prid. Id. Febr. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* & iungenda ei, *lex 1. supr. quis in gradu præf.* GOTHOFR.
(b) *γρ. Imppp. THEODOSIVS, Arcadius, & Honorius*, vt *d. l. 1.* ID.
(c) *Rufinus* PP. sub Theodosio M. idque Orientis: vid. *Prosopogr.* ID.
(d) Priuato. IDEM.
(e) *γρ. Quidquid excidERIT*, id est, *quidquid exciderit, erit* &c. *vindicandum.* ID.

COMMENTARIVS.

MARMORIS CÆDENDI potestatem priuatis per priuata metalla interdicit *hac l.* Theod. M. A. D. 393. (contra quam ipsemet antea anteriorum Principum exemplo *l. 10. 11. supr.* statuerat, imo, contra quam mox mense proximo obseruatum sub eodem per Occidentem scil. vt docet *lex 14. prox.*) Idque sub pœna confiscationis marmoris quod cæsum fuerit. Cuius facti sui Rationem hanc adsignat, *vt fiscalibus locis instantia liberior relaxetur.* Quorum verborum quis sensus sit, ambigi potest. An igitur hæc verba eo pertinent, vt ex fiscalibus locis, id est, ex publicis lapidicinis, eo maius compendium fiscus quæreret: interquiescentibus ab vna parte priuatorum lapidicinis: ab altera, priuatis ad ædificia excitanda fiscalia marmora emere coactis. Vt Theodosii sæculo, priuatorum studia maxime inualuerunt circa ædificia Constantinopoli excitanda, & marmorum indaginem vsque: quod Themistius quoque testatur *oratione 6. p. 161. 162. ed. Petau.* siu. *orat. 18. edit. Harduin. pag. 222. 223.* de quo ad *d. l. 10. & 11. supr.* An hic potius sensus fuerit *huiusce legis*, & mens Theodosii, vt priuatorum, quo numero Iudices potissimi, ambitioni modum poneret, nouis & priuatis ædificiis excitandis studium suum addicentibus, quin potius vt ad opera publica excitanda eos traduceret: quæ hic *fiscalia loca* dicuntur, quomodo & horrea publica, dicuntur horrea fiscalia, *l. 12. infr. de operib. publ.* & *l. 16. inf. de susceptorib. lex 1. infr. de Equis Curulib.* Ergo, verba hæc *vt fiscalib. instantia locis liberior relaxetur*, ita accipienda fuerint, vt eo maiore instantia loca operaque publica excitentur. Quam quidem interpretationem etiam iuuant *lex 20. 39. infr. de operib. publicis*: quæ post paucos dies hoc ipso mense ab eodem Theodosio M. datæ sunt: quibus pariter publicorum operum fabricæ consultum Princeps ille iuit, Iudicibus vetitis noua ædificia moliri ante quam ea quæ erepta sunt absoluerentur, & nutantia repararentur: Item vetitis, inchoandæ publicæ fabricæ gratia, domos diruere. Et sic præposteræ Iudicum hac parte ambitioni contraire instituerit Theodosius M. tum *dictis legib. 29. & 30.* tum *hac l.* Quomodo alia eiusdem constitutionis parte (cui hæc coniungenda venit) puta *l. 1. supr. quis in gradu præferatur*: quorundam aliorum ambitioni modum impositum it: Quod & ipsum argumento esse possit ad firmandam posteriorem *huius legis* interpretationem.

De MARMORIBVS: *sub ædificiis alienis non perquirendis.*

XIV. (a) Idem, (b) AAA. Paterno. (c)

QVOSDAM operta humo esse saxa (d) dicentes, id agere cognouimus vt defossis in altum, (e) cuniculis, alienarum ædium fundamenta labefactent: Qua (f) de re, si quando huiusmodi marmora sub ædificiis latere dicantur, perquirendi eadem copia denegetur; (g) Ne dum cautium (h) ementita nobilitas cum ædificiorum qualitate (i) taxatur, & pretium domus, ne diruatur, offeretur, non tam publicæ (k) rei studium, quam priuati causa videatur fuisse dispendii. Dat. XVII. Kal. April. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio CONS. [393.)

INTERPRETATIO. *Quicunque metallum dicentes latere sub alienis ædificiis quælibet saxa vel marmora effodienda crediderint, vt per eos fundamentorum firmitas incipiat vacillare, his inquisitionis huius licentiam denegamus, nedum nobiliores lapides se quærere adserunt, aut vendere, aut subuertere aliena fundamenta præsumant.*

P. 502

NOTAE.

(a) *L. 6. Cod. Iust. eod. tit.* multis detractis *in fine.* GOTHOFRED.

(b) Nempe, THEODOSIVS, *Arcadius, & Honorius.* ID.

(c) Comiti S. L. non tantum argumento *huius l.* iuncto argumento ex Inscriptione *legis* 4. 5. 11. *supr.* & *l. vlt. infr.* verum Symmachi epistolarum aliquot ad hunc Paternum *lib.* 5. ab *ep.* 58. *ad* 68. ac nominatim *ep.* 63. vbi *Itali ærarii* mentio fit; vnde simul apparet per Occidentem hunc Comitem fuisse. Nec dubito quin is ipse sit, ad quem Ambrosius scribit *lib. 6. Ep.* 48. *Tom. V. Oper. Edit. Cardinal. Felicis de Monte Alto.* qua quidem *epistola* inter alia agit de vetito coniugio a Theodosio inter patrueles fratres & consobrinos. *ID.*

(d) *Saxa,* pro marmoribus, *hac l.* & *l.* 2. 10. *supr.* ID.

(e) *In altum,* id est, in profundum. *IDEM.*

(f) Pro, *Quare.* *IDEM.*

(g) Huc vsque, *Cod. Iust.* Sequentia enim ibi omnia absunt. *ID.*

(h) *Cautium nobilitas,* id est, lapidum marmorum. *ID.* MS. G. hic legit. *cautione mentita,* & Ed. Sichard, *cautio ementita,* vbi Sichardus emendauit, *causa ementitæ nobilitatis.* RITTER.

(i) *Qualitas* ædificiorum. *GOTHOFR.*

(k) Marmoris efferendi, atque exinde ædificandi: in quo publicus nitor consistit: quod *publicæ rei studium* hic dicitur. *ID.*

COMMENTARIVS.

MARMORIS CÆDENDI equidem potestas in priuatis lapidicinis etiam alienis, præstita decima, regulariter quibuslibet patuit, quod ostenderunt *lex 1. 2. 8. 10. 11. supr.* quinimo quod & hæc ipsa *lex* ostendit, (contra quam per Orientem paulo ante visum fuerat eidem Theodosio M. *l. 13. prox. supr.*) *propter publicum* videl. *rei studium* (vt *fine l.* dicitur) id est, propter fauorem ædificiorum, quibus publicus ornatus comparatur; At enim si marmora sub ædificiis alienis latere dicerentur, *hac l.* Theodosius M. ea perquiri vetuit; pariter vt thesauros, *l. 2. supr. de thesaur.* Ne alioquin defossis in altum cuniculis alienarum ædium fundamenta labefactentur: Vel, (quod omne in *Cod. Iust.* omissum est,) domini ingenti pretio redimere sese necesse haberent ab inquisituris, ne id faciant: Ingenti, inquam, pretio; vel totius domus: nempe marmorum nobilitate eiusque eruendi spe, cum ædificii qualitate taxata: id est, dum æstimationem marmoris eruendi præstare mauult ædificii dominus, quam pati vt id ædificium sumptuosum forte vel gratum sibi diruatur. Hæc enim huius loci sententia est, quam Interpres non plane cepit: Tribonianus plane intercepit seu omisit velut obscurum.

Hinc igitur obseruandum, spolii genus, quod nonnulli hoc æuo colligebant a dominis ædificiorum, obtentu marmoris sub iis quærendi; seu *ementita* sæpe *cautium nobilitate.* Et si bene colligo, per ipsam *Italiam;* vbi Paternus cui hæc *lex* inscribitur, Comes S. L. erat: quod ad inscriptionem ostendi ex Symmacho & Ambrosio. Neque quidquam obest quod hæc *lex* Constantinopoli data dicatur: Theodosius enim hoc tempore Monarchiam totius Imperii obtinebat.

De METALLARIIS *fiscalibus desertoribus, filiisque eorum, & bonis retrahendis.*

XV. (a) Imp. THEOD. A. Maximino Com. S. L. (b)

METALLARII, (c) qui (d) ea regione deserta, ex qua videntur (e) oriundi, (f) ad externam (g) migrarunt, (h) indubitanter (i) ad propriæ originis stirpem laremque (k) reuocentur. (l) Eorum (m) autem earumque *progenies,* qui ex domibus priuatorum eligere

gere maluerunt consortia nuptiarum, de qua (n) inter fiscum meum, & parentes suos æqua lance diuidatur: ita vt qui singulorum tantummodo filiorum probabuntur esse genitores, ex (o) integro vnicis fisco affectibus (p) cedant. In posterum cunctis metallariorum conditionem necessario secuturis, quicumque ex ipsis & ex quocumque fuerint latere procreati. Qui vero metallica *loca*, prædictæ obnoxia functioni, emisse perhibentur, hisdem proculdubio, quæ auctores (q) eorum implere consueuerant, muniis subiacebunt. Nam de his qui ad *census* annonarios transierunt, obseruandum est, vt illi qui ante quinquennium tantummodo nexibus priuatorum videntur inplicitï, sine dubio ad originem propriam redire cogantur: ex æquo cum publicis fundis eorum subole diuidenda, & vnico filio metallariorum origini vindicando: omni tamen ceteris in futurum huiuscemodi licentia arte (r) præclusa. Quod si quis postea illud quod nunc prohibetur, fecerit, sciat nullum exinde præiudicium fisco esse generandum, etiamsi is, quem metallicum esse constabit, (s) priuatis censibus suum nomen indiderit. Data V. Id. Iul. Constantinop. Victore V. C. Cons. [424.]

NOTÆ.

(a) *Lex vlt. Cod. Iust. eod.* hinc decurtata est, mutataque, vt ad perpetui iuris necessitatem aptaretur. GOTHOFR.

(b) *Maximinus* Comes S. L. sub Theodosio Iun. Eidem inscribitur hoc ipso Anno *lex* 14. *infr. de murilegul.* & *lex* 3. *infr. de conl. æris*: & Anno proximo 425. *lex* 15. *infr. dict. titul. de murilegul.* & *lex* 3. *infr. de vestib. oloueris.* vid. *Prosopograph. ID.* Vulgatæ Cod. Iust. Ed. legunt *Maximo.* RITTER.

P. 503 (c) *Siue Metallariæ*, add. *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(d) *Qui queue*, add. *Cod. Iust.* IDEM.

(e) *Videntur oriundi*, id est, sunt: vid. *Gloss.* ID.

(f) *Vel oriundæ*, add. *Cod. Iust.* IDEM.

(g) Regionem: vel *externa.* IDEM.

(h) *Migrauerint*, Cod. Iust. ad perpetui iuris formam. ID.

(i) *Sine vlla temporis præscriptione*, add. *Cod. Iustin.* ID.

(k) *Vna cum sua sobole*, add. *Cod. Iust.* ID.

(l) *Etiam quos domus nostræ secreta retineant*, add. *C. Iust.* ex *leg.* 5. *sup.* ID.

(m) Sequentia omnia recisa *C. Iust.* vsque ad vltimum *huius leg.* versiculum, ibi, *sciat.* ID.

(n) γρ. *Æqua*, vt infr. *ex æquo*: & sic elegans hic καλλιλογως fuerit. ID.

(o) *Ex integro*, non est de nouo, sed integre penitus. ID.

(p) *Affectus*, pro liberis: vid. *Gloss.* & ita infr. *vnico filio.* ID.

(q) Authores, a quibus res prouenit, seu promanat. ID.

(r) Pro, *arte.* IDEM.

(s) *Constiterit*, Cod. Iust. RITTER.

COMMENTARIUS.

Metallarii seu Metallici publicorum, seu fiscalium metallorum, eorumque progenies, seu liberi, loca item seu possessiones eorum, ita metallorum functioni, & quidem in certa regione, originis ratione, obnoxia erant, vt eidem omnino inhærere deberent; neque ab ea diuelli seu recedere possent: Quod de Metallariis, præter *hanc leg.* docent insuper quatuor *leges huius tituli:* puta *lex* 5. 6. 7. 9. *supr.* Quare, cum hi subinde 1. regione sua deserta, ad externas, seu ad alias transirent, 2. vel etiam nuptias cum *priuatis*, id est, conditioni huic metallicæ non adstrictis contraherent, 3. item *loca* sua *metallicæ functioni obnoxia*, sæpe distraherent. 4. tandem & priuatorum coloni adscriptitii nonnulli fierent, seu, vt *hac leg.* dicitur *ad census annonarios transirent, nexibusque adeo priuatorum sese implicarent, priuatis censibus nomen suum inderent*, & ipsos, & liberos & loca eorum, ad conditionem, originem, & regionem suam reuocari subinde oportuit. Et vero *hac l.* Theodosius Iun. quadruplici isti *licentiæ* (vt vocatur) occurrit.


Igitur, Primo, Metallarios desertores, ad Regionem suam, seu propriæ originis stirpem, laremque reuocari iubet, pariter vt Valens *l.* 5. *supr.* & Valentinianus Sen. *l.* 6. 7. 9. ad quamcumque externam regionem migrarint, *hac l.* & *dictis legib.* Imo etsi domus Principis secreta eos retineant *d. l.* 5. vnde Tribonianus *legi vlt. Cod. Iust. eod. tit. de metall.* (quæ alioquin ex hac interpolata est,) hæc verba inseruit, *etiam quos domus nostræ secreta retineant:* Quæ de Lauris alioquin perperam accepit Cuiacius.

Secundo, *Liberos* ex metallario & priuato susceptos, in præsens si plures sint æqua lance inter fiscum & parentes diuidi iubet, sic vt media pars metallariæ conditioni addicatur: Quæ stirpis partitio seu diuisio notanda, quæ & alias vsurpata si vnicus filius sit, fisco is addicatur: in futurum vero, omnes liberos metallariorum conditionem sequi iubet. Igitur ex impari huiusmodi matrimonio nati, ad metallariam conditionem addicti. Quod & ipsum constitutum in quamplurimis aliis: originalibus seu conditionariis: qui certæ conditionis ratione fisco nexi erant.

Tertio, *locorum* metallicorum, *metallicæ functioni obnoxiorum* seu obstrictorum, id est, ad Metallarios pertinentium emptores, ad Authorum, a quibus manarunt, id est, Metallariorum munia teneri iubet: Quod & ipsum alias constitutum, de aliis huiusmodi fundorum publicæ functioni obnoxiorum emptoribus.

Postremo *Colonos* adscriptitios priuatorum, factos (de quibus plene semel *tit. de Inquilinis & colonis*) in præsens, si quinquennium tantum elapsum fuerit, reuocari iubet, sub eadem sobolis, quæ secundo casu, diuisione: (vnde apparet, maiori quam quinquennii præscriptioni hic locum fecisse Theodosium:) in futurum vero, quandocunque reuocari iubet; non obstante scil. quacunque (etiam 40. annorum) præscriptione: cui postea procul dubio derogatum ab Anastasio Imp. *l. 4. Cod. Iust. de præscript. 30. ann.* Tribonianus tamen adhuc in *d. l. vlt.* quæ hinc interpolata est, hanc ipsam clausulam adiecit, *sine vlla temporis præscriptione.*

Ex collatione tandem *huius leg.* cum *d. l. vlt. C. Iust. h. t.* videmus, quot rationibus hanc *legem* interpolauerit, decurtauerit Tribonianus, vt eam perpetui iuris in posterum tantum faceret; omissis omnibus & resecatis iis, quæ potissimam *huius leg.* partem conficiunt: quæ præteritum respicit.



P. 504

DE MVRILEGVLIS[a] ET GYNÆCEIARIIS[b] ET MONETARIIS[c] ET BASTAGARIIS.[d]

TITVLVS XX.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. VII.

De Murilegulis & Gyneciariis, & Procuratorib. Gynecii, & de Monetatariis, & Bastagariis.

a De *Murilegulis* agitur *l. 5. 12. 14. 15. 16. 17. 18.*
b De *Gynæciariis*, *l. 2. 3. 6. 7. 8. 9. & 16.*
c De *Monetariis*, *l. 1. 10. 16.*
d De *Bastagariis*, *l. 4. 11.*

PARATITLON.

1. MVRILEGVLI, *Rubr.* & *l. 14. 15. 16. hoc. tit. l. 3. de his qui ad Eccles.* dicuntur & Conchyloleguli, *l. 5. h. tit.* a legendis videl. conchyliis, *l. 12. h. t.* Conchylioleguli, *l. 17. hoc tit.* & *l. 9. infr. de lustrali collat.* Horum certa Corpora *l. 16. h. t.* seu Collegia, *d. l. 16. h. t.* & familiæ erant, *l. 5. h. t.* per Occidentem: quo spectat *lex 5.* & *12. hoc. tit.* & per Orientem, quo pertinet *lex 14. 15. 16. 17. 18. hoc tit.* Qui scilicet conchylia legerent *l. 12.* & *vlt. h. t.* seu muricem *d. l. 12.* & *l. 18. seu vlt. h. t.* & purpuram *d. l. vlt.* ad fucationem, seu ad colorandam, tingendam blattam sericam & metaxam, in vsus Principis: *d. l. vlt. h. t.* in baphiis ad id destinatis, de quibus *d. l. vlt. hoc tit.* veluti in Phœnicia, *d. l. vlt. h. t.* & *d. l. 9. infr. de lustral. conlat.* In quem vsum & nauiculæ deputatæ erant, functioni scil. muricis, & legendis conchyliis, *d. l. 12. h. t.* Porro murileguli hi, ita conditioni suæ adstricti erant, vt ipsi conditionem suam deserere non possent, *l. 14. h. t.* Vxorem etiam de eorum familiis accipiens, eorum conditioni nectebatur, *l. 5. h. t.* Ex filiabus denique eorum nati, matris conditionem sequebantur *d. l. 15. h. t.* De murilegulo ad Ecclesiam confugiente, *l. 3. supr. de his qui ad Eccles.*

2. GYNÆCEIARII, *Rubr.* & *l. 3. hoc tit. l. vlt. supr. de militari veste, l. vn. de Burgariis*, a Gynæceiis dicti: quorum mentio fit quinque locis *hoc Codice l. 2. 7. hoc tit.* & *l. 24. infr. de annona & trib.* & *l. 6. infr. de Iudæis.* Gynæceia autem dicebantur, quæ alias textrina Principis, *l. 6.* & *l. 9. hoc tit.* & *d. l. 24. de annona.* Horum quoque certa corpora seu collegia fuerunt: *l. 16. hoc tit.* & familiæ, *l. 7. h. t.* seu mancipia, *l. 2.* & *9. h. t.* idque per Occidentem: quo pertinet *lex 2. 3. hoc tit.* (veluti in Africa, Karthagine, *l. 8. hoc tit.* & *l. 24. infr. de annona & trib.*) per Orientem, quo pertinet *lex 7. hoc tit.* veluti Cyzici in Hellesponto, quo spectat *d. l. 7. hoc tit.* Pars ex his vestes conficiebant in vsus Principis, ex serica blatta & metaxa, *l. 13. h. t.* auratas ac sericas paragaudas auro intextas, *l. 1. infr. de vestib. oloueris.* Pars vero in textrinis separatis, *l. 6. h. t.* vestes texebant, in vsus erogationum Principis, *l. 6 hoc tit.* veluti militarem vestem, *d. l. vlt. supr. de militari veste*, puta linteam vestem, *l. 6. h. t.* Hi textores, *d. l. 6. h. tit.* opifices linteæ vestis contexendæ, *d. l. 6. h. t.* proprie LINTEONES dicebantur *l. 8. h. t.* seu lintearii, *l. 16. h. t.* & Lynifi, *l. 8. h. t.* seu Lynifarii, *d. l. 16. h. t.* Quorum & ipsorum certa Corpora seu Collegia erant, *d. l. 16. h. t.* veluti in Cœle-Syria Scythopoli, *d. l. 8. h. t.*

Et hi omnes conditioni suæ adstricti erant, nexuque sanguinis, ad diuinas largitiones pertinebant, *l. 16. h. t.* eosque celantes mulctabantur, *l. 2. 6. 7. 8. 9. h. t.* mulieresque ingenuæ quæ his se sociassent, post denuntiationem maritorum suorum conditione tenebantur *leg. 3.*

P.505 *leg. 3. h. t.* Gynæcio Præpositi quidam erant, *leg. vlt. ad leg. Iul. repetund.* sub Comite domorum, *dict. leg. vlt.*

3. MONETARIORVM quoque de quibus agitur *Rubr. & l. 1. 10. 16. hoc tit.* (qui scil. monetam in Principis monetis cudebant) certa Corpora seu Collegia fuerunt, *d. l. 16. h. tit.* tum in Oriente *l. 1. & 16. h. t.* veluti in Bithynia *d. l. 1. h. t.* tum in Occidente *d. l. 10. h. t.* Et hos in sua conditione semper durare oportuit: *d. l. 1. h. t.* filiæque eorum extraneis copulari non poterant *d. l. 10. h. t.* viceuersa nec alia mulier monetario necti poterat, alioquin post legitimam conuentionem mariti conditione tenebatur, *d. l. 10. h. t.*

4. BASTAGARII quoque, de quibus agitur *Rubr. & l. 4. 11. hoc tit.* (a bastaga, de qua *l. 11. supr. de cohortalib.*) ita dicti, qui scilicet species fiscales animalibus transferebant, *dict. leg. 4. h. t.* militiam suam itidem deserere non poterant, neque aliam impetrare, *dicta leg. 11. h. t.* Ab ea sollicitudine immunes erant Cohortales Syriæ, *dict. leg. 11. supr. de Cohort.*

Hi vero omnes erant sub dispositione Comitis S. L. quod de Murilegulis seu Conchylioleguis speciatim testatur *l. 5. 13. 14. 15. 16. 17. 18. h. t.* de Gynæciariis *lex 3. 7. h. t.* de Monetariis *d. lex 16. h. t.* de Bastagariis *lex 11. h. t.* de omnibus ferme *d. lex 16. h. t.* de Linteonibus, seu Lintеariis *lex 8. 16. h. t.* de Lynifariis, *d. l. 16. h. t.* Quibus omnino concinit *Notitia Imperii* tum Occidentalis, tum Orientalis. Et *Orientalis* quidem his verbis *fol. 49.*

SVB DISPOSITIONE VIRI ILLVSTRIS COMITIS S. L.

Magistri Lineæ vestis.
Procuratores Gynæciorum.
Procuratores Baphiorum.
Procuratores Monetarum.
Præpositi Bastagarum.
Procuratores Linificiorum.

Occidentalis Notitia ita fol. 140. 141.

SVB DISPOSITIONE VIRI ILLVSTRIS COM. S. L.

Procuratores Monetæ, &c.
Procuratores Gynæciorum, &c.
Procuratores Linificii, &c.
Procuratores Baphiorum, &c.
Præpositi Bastagarum, &c.

Fuerunt & præter hos, sub dispositione Comitis R. P. nonnulli *Præpositi bastagæ*, *itemque Gynæcii rei priuatæ*, quod eadem *Notitia* docet.

De MONETARIIS, *ad dignitates non euehendis.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Bithynos.

MONETARIOS in sua semper durare conditione oportet; nec dignitates eis (b) Perfectissimatus (c) tribui, vel Ducenæ, vel Centenæ, vel Egregiatus. Dat. XII. Kal. August. Gallicano & Basso Coss. [317.]

N O T A E.

(a) *L. 1. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem huic est *lex 3. supr. de Cohortalib. lex 1. sup. de Cæsarianis: lex 5. infr. de Decurionib. GOTHOFREDVS.*

(b) *Nec dignitatis cuiuscunque priuilegio ab huiusmodi conditione liberari.* Ita hunc locum immutauit Tribon. hanc legem generaliorem ita reddens: de quo mox. *ID.*

(c) De Perfectissimatus dignitate, fuit *supr. tit. 37. lib. 6. ID.*

COMMENTARIVS.

DE MONETARIIS est hæc Constantini Magni constitutio: pariter, vt duæ aliæ *hoc titulo:* Valentiniani scil. Iun. *lex 10.* & Theodosii Iun. *lex 16.*

Quinam vero ii fuerint, nihil attinet prolixius monere, quando id vel ex ipso satis nomine clarum: Eam certe vocem retinuere etiam Græculi, quos & describunt Hesychius & Suidas; Iulianus in *Misopogone p. 135.* siu. *pag. 368. init. edit. Lips. Spanhem.* ἐργασαμένυς τὸ νόμισμα, vocat: Monetæ opifices, Auctor libelli, qui Notitiæ Imperii subditus est, *c. 3.* De iisdem est & Theodorici R. epistola apud Cassiodorum *V. Var. 39.* & quidem; (quo pertinet hæc *lex*) de retrahendis his, & functionibus applicandis, qui in priuatorum compendium transierant. Verum hæc plus satis. Illud potius

ex hac l. notandum, fuisse huiusmodi Monetariorum corpora, atque adeo monetas, in Bithynia. Quomodo & in proxima Hellesponti prouincia fuere Cyzici: quod discere licet ex Sozomeni loco *lib. 5. cap. 15.* τῶν δημοσίων, inquit, ἐριουργῶν, καὶ τῶν τεχνιτῶν τοῦ νομίσματος, οἱ πλῆθος ὄντες, καὶ εἰς δύο τάγματα πολυάνθρωπα διακεκριμένοι, ἐκ προστάγματος τῶν πρὶν βασιλέων, ἅμα γυναιξὶ καὶ οἰκείοις, ἀνὰ Κύζικον διέτριβον, ἔτους ἑκάστου ῥητὴν ἀποφορὰν τῷ δημοσίῳ κατατιθέντες, οἱ μὲν, στρατιωτικῶν χλαμύδων, οἱ δὲ, νεοκόπων νομισμάτων: *publicis opificibus lanariis, itemque monetariis: qui numero abundantes, & in duas numerosas cohortes distributi, ex praecepto superiorum principum, Cyzicum cum vxoribus ac domesticis incolebant: certam quotannis pensionem fisco inferentes; illi vestem militarem; hi nummos recens cusos.* Quare & Ammian. Marcellin. *lib. 26. cap. 8.* Cyzici thesauros fuisse testatur, vbi & Gynæciarii pariter fuere: de quo ad *l. 7. infr.*

Nunc ad ipsam *legis* sententiam. Iubet Constantinus M *hac l. Monetarios* in sua semper conditione durare, sic vt nulla ex quatuor dignitatibus, quæ hic memorantur, ab ea liberari possint: denique perpetuo conditioni suæ inhærere eos vult: Cum tamen diuersum statuat in tribus aliis hominum generibus, certæ alioquin conditioni pariter obnoxiis, puta in Cæsarianis, *l. 1. supr. de Cæsarianis.* in Primipilaribus, *l. 4. supr. de cohortalib.* in Decurionibus, *l. 5. infr. de decurionib.* quæ *leges* omnes velut eiusdem Edicti ad Bithynos emissi partes, huic coniungendæ sunt. Scilicet hæc tria hominum genera dignitates eas adipisci posse definit: nempe Cæsarianos, vbi inculpate officium complessent: primipilares item, post emeritam militiam, Decuriones tandem post obita omnia patris munera: non item vero monetarios: quæ huius capitis mens est: Eademque ratio est eorum, qui in Baphiis erant & Gynæciis, *l. 2. Cod. Iust. eod. tit.* vbi *Baphii* & *Gynæcii* dicuntur, Baphiis & Gynæciis adstricti: quod Cuiacius non intellexit, & ideo *legem* illam emendauit: Græci pro parte assecuti sunt. Eadem ratio Murilegulorum, *l. 14. inf.*

Monetarios scil. deteriore conditione esse voluit Constantinus, quam illos; nempe, ne ad priuatam vitam redacti, monetam priuatim adulterinam cuderent; artemque adeo suam extra monetas publicas exercerent. Multum interest inter actum fiscalem & publicum, & artificium fiscale: actus fiscalis & publicus, veluti Cæsariani, Primipilaris, Decurionis, priuatim exerceri non potest; atque adeo nil metuendum, si officio suo probe defuncti cum dignitatibus dimittantur: Atenim Monetarii ars vbique exerceri potest: quare ne pessimo publico priuatim artem suam porro exerceant, perpetuo conditionales, atque in conditione sua publica scil. morari eos oportuit: Genus hominum cæteroquin ad fraudes natum: vnde & consilium postea Auctoris libelli, qui subditus Notitiæ Imperii, *cap. 3.* de fraude & correctione monetæ. *Huic quoque parti Maiestatis vestræ est, vt in omnibus adhibenda correctio: ita vt opifices monetæ, redacti vndique in vnam insulam congregentur, nummariis & solidorum vsibus profuturi: a societate videlicet IN PERPETVVM contigua terræ prohibiti, ne commixtionis licentia fraudibus opportuna, integritatem publicæ vtilitatis obfuscet: Illic enim solitudine suffragante, integra fides monetæ præstabitur, nec erit fraudi locus, vbi nulla est mercis occasio.* Et Iulianus tamen postea Antiochenis Curiam suam repleri petentibus, etiam Monetarios in Curiam allegit, quod ipsemet testatur *in Misopogone p. 135. siu. pag. 368. edit. Lips. Spanhem.* de quo etiam dico ad *leg. 5. infr. de decurion.*

De quatuor dignitatibus, quarum *hac l.* mentio fit, alibi plene. Illud hic saltem de his notandum, iis minora officia illa decorata hoc æuo: nam quæ aliæ supra has dignitates erant maiores, maioribus etiam officiis seruatæ. Quare historicam veritatem mutauit Tribonianus, cum dignitatibus quæ *hac l.* nominantur expunctis, ita hunc locum immutauit: *nec dignitatis cuiuscunque priuilegio ab huiusmodi conditione liberari:* Certe qui minoribus his dignitatibus decorari non poterant, multo minus maioribus potuere.

Et hæc quidem de Monetariis Constantinus, de cuius alioquin studio circa rem Monetariam *sup. lib. 9.*

De GYNÆCIARIORVM *occultatoribus.*

II. (a) Imp. CONSTANTIVS A. ad Taurum P.P. (b)

QVINQVE auri librarum multam (c) exigatur, qui mancipium (d) *Gynæcii*, quod celat, non intra Kal. Septembr. prodiderit. Dat. (e) XIV. Kal. April. Med. Datiano & Cereale Coss. [358.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* velut historica & temporaria. Concordat huic, *lex 6. infr.* GOTHOFR.

(b) *Taurus* PP. sub Constantio: & quidem Italiæ: vid. *Prosopogr. ID.*

(c) *Multam exigi* quis dicitur. Vid. *Gloss. ID.*

(d) Ita & *l. 9. infr. Textrini nostri mancipia. ID.*

(e) Id est, *reddita*: nam & Ammianus quoque Marcellinus *lib. 17. cap. 12.* & Sozomenus *lib. 4. c. 15.* testantur, Constantium, bello aduersus Quados & Sarmatas illigatum, Sirmii hoc anno 358. constitisse: & complures aliæ leges id docent. Reddita igitur hæc *lex* Mediolani, vbi Taurus PP. consistebat. *ID.*

COMMENTARIVS.

GYNÆCIARIVM celanti, occultanti, *hac* Constantii *lege* pœna imponitur: pariter vt imponitur a Valente, *l. 6. 7. 8. h. t.* & a Valentiniano *l. 9. inf.* De Gynæciariis iam affatim, *in Paratitl.* Horum quoque mentio fit apud Euseb. *lib. 2. de Vita Constantini cap. 20. in fin.* & Sozomenum, *lib. 1. c. 8.* qui a Licinio multos ob Christi nomen γυναικείοις ὑπηρετεῖν, condemnatos scribit. Texendarum igitur vestium artifices, seu opifices fuere in his Gynæceis: quos seu texendi artifices Gynæciarios scil. vt olim dicta; vbi mulieres præcipue lanificio & textrinæ operam dabant; ita hoc æuo, Principis Textrina

Textrina erant vbi vestes texebantur. Texendarum igitur vestium artifices seu opifices fuere in his Gynæciis: quos ceu texendi artifices summos sæpe sollicitari occultarique a priuatis contigit, quod clare etiam ostendit *l. 6. inf.*

Quare subinde pœnæ propositæ aduersus huiusmodi sollicitatores & occultatores: vtpote per quos fiebat, vt in Gynæceis vestes in vsum erogationum Principis non texerentur: ac nominatim in vsus militum, quibus vestis inde præbita: vt docuit P.507 *supra, tit. de militari veste:* & quidem a Gynæciariis texta, vt ostendit diserte *l. vlt. d. tit. de milit. veste.* Igitur & *hac leg.* Constantius Gynæciarium occultanti multam imponit, si eum intra Kal. Septembres non prodiderit, & sic intra quintum & vltra ab *hac l.* mensem.

Cur vero terminus hic Kalendarum Septembrium ponitur; Nempe, non alia ratione, quam qua Valentis constitutione, *leg. 2. supra dict. titul. de militari veste*, canon vestium ex Kalend. Septembribus Principis Largitionibus inferri præcipitur: scilicet, quia ab eo tempore, imminente iam sæuiore Anni tempestate, vestis militi in vsus suos præberi cœpta: quæ vtique præberi non poterat, nisi essent qui tum texerent. Et tamen Valens Imper. vno mense adhuc anterius, intra Kalend. Augustarum videlicet diem, Linteonum horum occultatores, eos reddere iussit: *leg. 8. infr.* vt ita eo maturius adhuc vestis prætexeretur, atque in parato haberetur.

Multæ tandem modus diuersus obseruetur, qui huiusmodi occultatori impositus fuit: Quinque librarum auri multa *hac leg.* imponitur, pariter, vt *l. 7. & 8. infr.* Trium vero *l. 6. & l. 9. infr.*

De muliere ingenua GYNÆCIARIO *nupta.*

III. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Germanum (b) Consularem. (c)

INGENVÆ mulieres, quæ se *Gynæcearijs* sociauerint, (d) si conuentæ denuntiatione sollemni splendorem generis contuberniorum (e) vilitati præferre noluerint, suorum maritorum condicione teneantur. Dat. IV. Kal. Iul. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365]

N O T A E.

(a) *L. 3. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat huic, *lex 10. infr.* *GOTHOFREDVS.*

(b) *Germanianum*, aliis legibus; de quo mox. *ID.*

(c) *γϱ. Com. Sac. Largition.* vt docet non tantum argumentum *huius leg.* & suadent complures aliæ *huius tituli* leges, *Comitis S. L.* pariter inscriptæ, verum diserte complures aliæ *Leges* eidem *Germaniano* inscriptæ: puta *lex 1. supr. de pascuis*, quæ hoc ipso Anno data est, & An. 367. *lex 13. infr. de Susceptor. l. 4. supr. de metallis: lex 1. Cod. Iust. de veter. num. pot.* quæ tres *leges* inter se coniungendæ sunt. Similis sane error admissus *lege 1. supr. qui bonis ex leg. Iulia cedere*: & forte *l. 91. infr. de decur.* *ID.*

(d) *Sociauerunt.* Cod. Iust. nonnullæ edition. *ID.*

(e) *Contubernium* proprie, de seruili. v. *Gloss. Theod.* *ID.*

COMMENTARIVS.

GYNÆCIARIO mulierem ingenuam iungi vetat *hac leg.* Valentinianus Sen. alioquin Gynæciariam eam fieri iubet: si videl. conuenta denunciatione solemni in eius contubernio manere pergat: Et sic *splendore generis excidere, suorumque maritorum conditione teneri.* Vti contra, legitimo matrimonio mulieres genere maritorum eriguntur, dignitate nobilitantur. Quod & ipsum cauetur de iuncta Monetario *l. 10. inf.* Nempe secundum auctoritatem Senatusconsulti Claudiani, vt diserte ait *d. lex 10.* ex quo trina denunciatione opus fuit: de quo suo *tit. supr. ad SC. Claudianum.* Atque hæc est illa conuentio & denunciatio solemnis, quæ *hac leg.* requiritur, cuius proinde vis hic notetur.

Illud interim obseruandum, ingenuas mulieres sæpe ad Gynæciariorum contubernia prolapsas, propter Gynæciarii videl. operis studium & affinitatem. Certe vtriusque sexus Gynæciarii fuere: ita quidem etiam, vt quemadmodum pœnæ loco quidam in Gynæciam damnati, de quo v. & locum Sozomeni ad *l. 2. supr.* ita & speciatim mulieres. Chrysostomus ita *in ep. ad* Iuniorem viduam, de Theodori vxore *tomo Sauil. 6. p. 300.* siu. *Tom. I. Oper. edit. Benedictin. num. 4. pag. 343.* ἡ δὲ τούτου γυνὴ, πάντων ἄφνω γυμνωθεῖσα τῶν αὐτῆς, καὶ τῆς ἐλευθερίας ἐκπεσοῦσα, ταῖς ταμιακαῖς ἐρίθοις ἐγκατελέγετο, καὶ πάσης θεραπαινίδος οἰκτρότερον ζῆν ἠναγκάζετο βίον: *ipsius autem vxor, omnibus repente rebus suis spoliata, ac libertate amissa cubiculariis ancillis annumerata, ac nulla non ancilla miseriorem vitam agere coacta est.* Ex *hac* tandem *leg.* discimus, quam vilis Gynæciariorum conditio fuerit.

De BASTAGÆ *reparatione.*

IV. (a) Idem AA. ad Auxonium P. P. (b)

QVOD ad præsens remedium pertinet, decimum (c) animal *Bastagariis* pro reparatione præbeatur. Data Id. Decembr. Marcianop. Valentiniano & Valente (d) AA. Coss.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *L. 4. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Auxonius* PP. sub Valentiniano Sen. & quidem Orientis. vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Quintum* Cod. Iust. ID.

(d) *yg. II.* id est, Ann. Dom. 368. Duobus argumentis. Nam & *Auxonius* cui hæc *lex* inscribitur, non ante PP. factus vid. Zosimum, *lib.* 4. *cap.* 10. Et *Valens* Marcianopoli (vnde hæc *lex* data) non fuit An. 365. verum Anno demum 367. & 368. bello Gothico illigatus: Et sane auctor est Ammianus, *lib.* 27. *cap.* 5. Valentem ab expeditione Gothica Anno hoc 368. Martianopolim ad hyberna rediisse. ID.

P. 508

COMMENTARIVS.

DE BASTAGÆ reparatione, deque BASTAGARIIS est hæc Valentis Imp. constitutio: vt & altera Theodosii Magn. *lex* 11. *infr.* & tertia *lex* 11. *de cohortalib.* de quibus iam in *Paratitlo* & ex *Notitia Imperii.* *Bastagarii*, quod tum ex ipso nomine, tum ex *hac leg.* satis colligitur, erant qui species fiscales *animalibus*, id est iumentis ἀλόγοις transuehebant, ἀπὸ τοῦ βασάζειν. Onus transuectionis ipsum Bastaga dicitur *d. l.* 11. *supr. de cohortalibus:* vnde Bastagarii, transuectioni operam nauantes, vecturarii. Hesychius βασαγή, βάρος. Sic & onus ipsum, & transuectio oneris *bastaga* dicta: nam quod *bastagiam* quidam mallent in *d. l.* 11. non admitto: maxime cum *bastagæ sollicitudo* ibi dicatur. Corona quoque pretiosa βασαγιάρης, *baiulus*, ἀχθοφόρος. Inde & βασάγιον quoque theca, in qua recondita arma sua milites portabant, apud Leonem, *in Tacticis cap.* 5. §. 3. (a) Hinc quoque Gallis onus equi & animalis, clitellæ, *Bast*, & *Bastage*, quod exigitur animalium nomine &c. in nonnullis *Consuetudinibus*.

Nunc de ipsa *leg.* Igitur cum Bastagarii animalibus seu iumentis species fiscales transueherent, interque animalia nonnulla subinde senio vel aliter intercciderent, reparari ideo quoque eorum numerum oportuit: pariter vt veredos cursus publici subinde reparari oportuisse docet *l.* 34. 42. *supr. de cursu publico.* Et vero cum hac tempestate intercidissent bastagariorum animalia, Valens modum isti reparationi *hac leg.* ponit, nempe vt decimum animal bastagariis repararetur, id quasi remedium istud ad præsens sufficiens esset. *Ad præsens* inquam; Vnde apparet non debuisse Tribonianum hanc *leg.* in *Codicem* suum transferre, velut perpetui iuris, cum ea temporaria seu momentanea sit: quicquid etiam is ibi pro *decimo* animali, quintum substituerit. Qui porro ridere volet, is veteres Interpretes Cod. Iust. ad hanc *leg.* legat: & in his Ioannem de Platea.

(a) Vide MEURSIUM voc. βασάγιον, & CL. DU FRESNE *voc.* βασάγια, qui hanc opinionem confutat.

De MVRILEGVLA *vxore ab extraneo ducta.*

V. (a) Imppp. VALENTINIANVS, VALENS, & Gratianus AAA. Filematio Com. S. L. (b)

SI quis vxorem de familiis *Conchylegulorum* acceperit, sciat condicioni eorundem se esse nectendum. Dat. IV. Kalendas Iul. Treu. (c) Gratiano A. II. & Probo Coss. [371.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* prælata *l.* 15. *infr.* quæ coniecta in *l.* 11. *C. Iust. eod.* GOTHOFR.

(b) *Filematius* Comes S. L. sub Valente Imp. Eidem inscribitur An. prox. *lex* 7. *infr.* ID.

(c) Dicam mox de hac subscriptione. IDEM.

COMMENTARIVS.

MVRILEGVLAM seu CONCHYLEGVLAM vxorem ab *extraneo*, vt vocatur *l.* 10. *in fin. inf.* id est, ab eo qui monetarius non est, vel alienigena, vt *l.* 14. alienæ originis, *l.* 15. conditionis alienæ, *l.* 17. a priuato duci vetat *hac l.* Valens Imp. alioquin & ipsum qui eam duxerit Conchylegulum fieri iubet: Quomodo & viceuersa priuatam mulierem ingenuam eadem pœna proposita Gyneciario iungi vetat, *lex* 3. *supr.* Huius sanctionis Ratio hæc fuisse videtur, ne alioquin Conchylium destinatum Principis vsibus hoc obtentu in priuatos vsus conuerteretur. Ideo inter alia hoc connubii iure interdictum a Valente Imper. eum quippe *huius legis* authorem censeo, vt probabunt ea quæ dicam ad *l.* 7. *infr.* Et postea tamen interdictum hoc connubium non fuit, ea tantum conditione addita, vt ex eo matrimonio suscepti, matris conditionem sequerentur: *l.* 15. *infr.*

De Conchylegulis seu Conchyliolegulis affatim dictum in *Paratitlo:* de quibus etiam agitur *d. l.* 17. *in fin. infr.* & *leg.* 9. *supr. de lustrali collat.* de Conchylio rursum agetur *l.* 12. & *l. vlt. infr.* Iidem cum Murilegulis, de quibus idem Paratitlon, πορφυρεῖς Græcis. Hi piscatores & nautæ conchylii seu muricis fuere: vnde nauiculæ functioni muricis & conchyliis legendis deputatæ: *leg.* 12. *infr.* Quare & Cassiodorus *leg.* I. *Var.* 2. de purpuræ artificibus loquens: *Quid agunt*, inquit, *tot artifices*, *tot Nautarum catenæ*, *tot familiæ rusticorum* [an tinctorum, an fucatorum? Nil muto.]

De

P.509

De LINTEONVM occultatoribus.

VI. (a) Idem AAA. ad Modestum. (b)

OPIFICES vestis *Linteæ* contexendæ, in vsu (c) erogationum nostrarum (d) operam dantes, sollicitatos a plurimis esse cognouimus. Igitur & eos penes quos sunt; & Textores ipsos terna auri pondo thesaurorum commodis inferre præcipimus: Quin etiam Opifices ipsos Textrinis (e) linteæ vestis vindicari conueniet. Quod si aliquis detegetur in eadem insolentia permanere, & iugiter Opificem detinuerit, non iam multam, vt præterito tempore iusseramus, sed proscribtionem subire debebit. Dat. V. Kal. Iul. Modesto, & Arintheo Coss. [372.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOFR.*

(b) *Modestus* PP. Orientis scilicet, quod hic supple: de hoc Modesto PP. Orientis sub Valente vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Ferri potest: quanquam melius, *vsum.* *ID.*

(d) In milites: Ergo *erogationes* hic eodem sensu quo *erogatio* militaris annonæ, non vero pro Ærario. *ID.*

(e) *Textrina* Principis *hac l.* & *l. 9. infr.* & *leg. 24. infr. de annona & trib.* quæ alias *Gynecia*, vnde παραλληλισμὸς *dict. l. 24. Textrinis vel Gyneceis*, in quibus species publicæ texebantur. Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 9. cuius literæ ad Tyrii Textrini præpositum celerari speciem perurgebant.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

LINTEONEM, Linteæ vestis opificem, seu textorem Gynæciarium e textrinis Principis, occultanti, retinenti pœnam *hac l.* imponit Valens: pariter vt Constantius *l. 2. supr.* & idem Valens rursum *l. 7. 8. prox. infr.* Valentinianus Iun. *l. 9. infr.* Gynæciariorum genera iam dispescui *in Paratitlo:* hæc *lex* proprie est vt dixi de *Linteonibus*, seu de Lintieariis, de quibus sunt præterea *l. 8.* & *16 infr.* id est, Linteæ vestis opificibus seu textoribus *in vsus* videlicet *erogationum Principis:* id est, in vsus vestis militaris quam Princeps militi erogabat: de quo *supr. tit. de militari veste*, ἐριουργοὶ στρατιωτικῶν χλαμύδων, vt vocantur apud Sozomenum. Est enim magnus error Viri docti, qui *Linteones* vestem texuisse putat in vsus ipsius Principis.

Hos igitur sollicitari, atque occultari a priuatis sæpe contigit, velut optimos texendi artifices, sed in fraudem textrinæ Principis: inde enim fiebat, vt militaris vestis non sufficienter, neque suo tempore texeretur. Itaque sollicitatoribus & occultatoribus eorum quod iam dixi *leg. 2. supr.* pœnæ subinde propositæ.

His Linteonibus seu Lintieariis præerant, qui Procuratores Linificiorum dicuntur in *Notitia Imperii:* a quibus & *Magistri lineæ vestis* distinguuntur in eadem *Notitia*, qui & Magistri linteæ vestis, *l. 14. Cod. I. eod. tit.* An vero distinguendi sint a Linteonibus Lynifi, plenius disquiram ad *l. 8. inf.* Porro horum Lintieariorum sub hoc ipso Valente & Modesto PP. qui Cæsareæ Cappadociæ erant, meminit Gregor. Nazianzenus, *monod. in Basilium fratrem, p. 354. edit. Lips. apud Weidmann.* οἱ, inquit, περὶ τὴν βασίλειον ἱστουργικήν.

De GYNÆCIARIORVM occultatoribus.

VII. (a) Idem AAA. ad Filematium Com. S. L. (b)

QVI aliquem ex familiis *Gynæcei* in latebris habere conperti sunt, quinque librarum auri damno (c) subicientur. Data XII. Kal. Septembr. Ciliciæ, (d) Modesto & Arintheo Coss. [372.]

NOTAE.

(a) *L. 5. Cod. Iust. eod. tit.* *GOTHOFR.*

(b) *Filematius* Comes S. L. sub Valente. Eidem inscribitur Anno *supr.* prox. 371. *l. 5. supr.* *ID.*

(c) *Damnum*, pro multa: v. *Gloss. Theod.* *ID.*

(d) γρ. Vel *Cyzici*, vel *Seleuciæ*: v. *Chronol.* Est qui tenent *Sisciæ.* *ID.*

COMMENTARIVS.

GYNÆCIARIVM occultanti rursum multam imponit *hac leg.* Valens Imper. de quo ad *l. super.* Valens, inquam, Imp. nam huic *hanc leg.* accepto ferendam puto: quare & data *Ciliciæ* dicitur. Vbi tamen insolens, *Datum Ciliciæ*, adscripto prouinciæ nomine, non etiam vrbis aut loci specialis. Quare tentet quis haud improbabiliter reponendum hic *Cyzici*, vt ita dicamus *hanc leg.* datam, id est, redditam vel propositam Cyzici, vbi Gynæciarii fuere ἐριουργοὶ στρατιωτικῶν χλαμύδων: de quo insignis est ille Sozomeni locus *lib. 5. cap. 15.* quem *ad l. 1.* produxi. De tinctura quoque Cyzicena locus apud Suidam

Suidam in *βάμμα Κυζικηνὸν*, & apud Aristophanem *in Pace pag. 711. edit. Colon. Allobrog. 1607. in f.* & *pag. 946. in Corpor. Poetar.* Τηνικαῦτα τ᾽ αὐτὸς βέβαπται βάμμα Κυζικηνικὸν, *tum colore Cyziceno tinctus astutum patet.* Sane similem errorem profligauit CL. Salmasius *in Capitolino, in V. Antonini Pii, cap. 3.* Nam quo loco vetus editio habebat *Cilicia*, optime ex vetustiorum librorum vestigiis reposuit *Cyzici: Cyzicum etiam de simulacro Dei ad statuam eius corona translata est.* Nisi hæc restitutio placet, reponam *Seleucia:* vbi hoc ipso anno data est a Valente *lex vn. infr. ne conlat. translatio.*

p.510

De LINTEONVM & LYNIFORVM *occultatoribus.*

VIII. (a) Idem AAA. ad Tatianum Com. S. L. (b)

INTRA Kalendarum Augustarum diem, qui *Linteones* retentare dicuntur, antiquis eos condicionibus reddant, aut se, pro ingentis audaciæ contumacia, quinis auri libris per singulos eorum pœnæ nomine sciant esse feriendos. Non minore circa eos etiam multæ comminatione proposita, qui obnoxios Scythopolitanos Lynifos (c) publico canoni, in posterum suscipere conabuntur. Dat. XIV. Kal. Mart. Antiochiæ, Gratiano A. III. & Equitio Coss. [374.]

N O T Æ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Tatianus* Comes S. L. sub Valente Imp. per Orientem. Eidem inscribuntur hoc ipso Anno *lex 1. infr. de fabricensibus, lex 7. de falsa moneta, supr.* Eidem inscribitur *lex 2. Cod. Iust. de commerciis.* ID.

(c) γρ. Inuersis litteris, *Linyfos*: pariter vt rescribendum *l. 16. linyfarios*: λινύφος Græcis, de quo plura Salmasius, *in Hist. Aug. pag. 455. edit. Paris.* siv. *ad Flavii Vopisci Saturninum init.* ID.

COMMENTARIVS.

LINTEONVM occultatori iam tertia *hac l.* Valens Imp. pœnam minitatur & in præsens, & in futurum: pariter vt duabus superioribus *leg. 6. & 7.* In præsens, inquam; quo pertinet prior *huius leg.* pars: & in futurum, quo spectat posterior. Neque enim vllo alio inter se differunt *initium*, & extrema *legis* pars: quod ipsa verba satis ostendunt. Priore scilicet parte censura exeritur in eos, qui Linteones tum *retentare dicebantur:* posteriore comminatio continetur aduersus eos, qui *in posterum suscipere* conabuntur. Quod quidem obseruari primo loco *hac l.* velim, tanquam argumentum certissimum, Linteones & Linyfos eosdem fuisse. Hinc adeo (quod secundum argumentum habeo) *παραλληλισμὸς* ille in *l. 16. inf. vel lintearioriorum*, seu *Linyfariorum.* Tertio aperte in Glossis λίνυφος *linteo*, Item λινοῦφος *linteator.* De quibus nunc paulo plenius. Igitur vt *Linteo* & *Lintearius* promiscue dicitur *b. l.* & *d. l. 16. infr.* ita & *Linyfus* & *Linyfarius*, *d. l. 16.* Imo & *Linyfio*, in *epistola* Hadriani de Alexandria, apud Vopiscum *in Saturnino cap. 8. Ciuitas opulenta, diues, fœcunda: in qua nemo viuat otiosus: alii vitrum conflant: ab aliis charta conficitur: alii Linyfiones sunt: Omnes certe cuiuscunque artis & videntur & habentur: podagrosi quod agant habent: habent cœci quod faciant; ne chiragrici quidem apud eos otiosi viuunt.* Ergo vt linteo & lintearius his *legibus* iidem: (alio sensu quippe aliquando siue Linteo siue Lintearius, pro linteæ vestis negotiatore; *l. 2. infr. de excus. artif.* & in *Glossis* Lintearius ὀθονιοπώλης, & vetus Grammaticus, linteo est mercator: quod cum *hoc titulo* nil commune habere potest, quo agitur de conditionalibus, in vsum erogationum Principis, lintea texentibus.) Neque quidquam discriminis video apud Glossarum Scriptorem, vbi hæc distincte, λινουργὸς *linteo*, λινοῦφος, *linteator, linitextor*, quis enim λινουργὸς nisi *linitextor*, idemque *linteo:* Ita & iidem *linteo* seu *lintearius* & *linyfus* seu *linyfio.* Hinc adeo (quod quarto loco notandum) proxime cum Gynæciis λινουφεῖα apud Eusebium *lib. 2. de vit. Constantini cap. 34* ὥστε καὶ ἢ γυναικείοις, ἢ λινουφίοις ἐμβληθέντες ἀπηνῆ τε καὶ ἄθλιον ὑπομενεῖν κόπον, καὶ οἰκέται νομίζεσθαι τοῦ ταμείου: *vt in gynæcia aut linyphia contrusi, durum atque ærumnosum laborem perferrent, aut serui fisci haberentur.* Vide & Sozomenum *lib. 1. cap. 8.* Quomodo pariter *l. 16. infr. ex corpore Gynæciariorum, vel Lineariorum seu Linyfariorum.*

Et sane tandem, vt ad primum argumentum redeam, non alia mens Valenti *hac lege* est, quam vt in præsens & in futurum caueat, ne linteones seu Lynifi, Scythopolitani, nominatim occultentur: nam & de iisdem prior *legis* pars accipienda est, de quibus subductis e textrino Scythopolitano ad Valentem querelæ perlatæ fuerant: Cui enixe prouidere in animum induxit, quod linteones isti seu Lynifi vtilissimi forent *publico canoni*, vt *hac leg.* dicitur, vestium scil. (ad erogationem inquam vestium militarium) ἐριουργοῖς στρατιωτικῶν χλαμύδων. Ergo qui *initio legis* Linteones, iidem *fine legis* Linyfi: voce Græca quæ vsitata Scythopoli vrbe Syriæ. Quare neque Cuiacium, neque alios audio distinguentes *linteones* a *linyfis* & *lintearis.*

Porro huc omnino pertinet, quod vetus Orbis descriptor sub Constantio Imp. de Scythopoli scribit duobus locis: *cap. 17. de Syria, l. 9. Tripolis & Scythopolis, & Biblus, & ipsa ciuitas in industria posita*; Scripserat ἐν ἐργασίᾳ, in *opificio & textrino:* Et rursum §. 12. singularia bona ciuitatum Syriæ prædicans. *In linteamina sunt hæ, Scitopolis, Ladicia, Biblus, Tirus, Beritus, quæ linteamen omni orbi terrarum emittunt, & sunt habundantia.* Ad quem locum iam hanc ipsam *legem* notaui.

Quod de Kalendis Augustis *hac l.* adiicitur, id iam discussum est ad *l. 2. supr.*

De

P. 511.

De GYNÆCIARIORVM *vel* LINTEONVM *occultatoribus.*

IX. (a) Imppp. GRATIANVS, Valentinianus, & Theod. AAA. ad Eucherium. (b)

QVI *Textrini* (c) nostri mancipia occultatione celauerit, ternis libris auri pro singulorum hominum suppressione plectatur. (d) PP. Kartha. III. Kal. Mar. Post consulatum Auxoni & Olybri. [380.]

NOTÆ.

(a) *L. 6. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Eucherius* hic proculdubio Proconsul Africæ erat, vt ex subscriptione colligo *PP. Karthag.* ID.

(c) Dixi *supr.* ad *leg. 6.* ID.

(d) *Plectetur*, Cod. Iust. RITTER.

COMMENTARIVS.

IN GYNÆCIARII vel Linteonis occulatores iam Quinta hæc *hoc titul.* constitutio est: & hæc quidem Valentiniani Iunioris: Constantini quippe fuit de eo *lex 2. supr.* Valentis *lex 6. 7. 8. supr.* Hæc vero nominatim pertinet ad Gynæciarios & textrina Africæ, & quidem Karthagine: vt docet eius subscriptio *PP. Karthag.* Quarum mentio & in Notitia Imperii, *Procurator, Gynecii Carthaginiensis Africæ.* De quibus est & altera *hoc Codice* constitutio Honorii, videl. *lege 24. infr. de annona & tribut.*

De MONETARIO, *ne extranea ei nubat: & de* MONETARIA, *ne extraneus eam ducat.*

X. (a) Idem AAA. ad Hesperium P. P. (b)

EDICIMVS, ne qua mulier splendidioris gradus (c) *Monetarii* adhærens consortio, decus natiuæ libertatis amittat. Quod si quam ab hac præceptione (d) statutum nostræ perennitatis abduxerit, ea, secundum (e) auctoritatem Senatusconsulti Claudiani, (f) vel legitima admonita conuentione discedat, vel si conplexui monetarii putauerit inhærendum, non ambigat se (g) & liberis præiudicaturam, & eius condicioni esse nectendam. Nihilhominus (h) autem & eas, quæ ante legem nostram monetariis videntur (i) esse coniunctæ, placuit prædicto titulo conueniri; scientes, nisi interdicta coniunctione discesserint, mutasse se statum. Si qua vero originaria seu colona (k) possessionis alienæ ignaro domino, seu sciente, Monetario adsociabitur, hii (l) conuenti mox iuri agrorum debitas personas retrahere festinent, vel de cetero sciant repetendi facultatem, silentii sui conhibentiam (m) perdidisse. Sed vt Monetario nullam (n) necti volumus, ita & Monetario (o) patre susceptas prohibemus extraneis copulari. Data Prid. Id. Mart. Aquil. Post consulatum Auxoni & Olybri. [380.]

NOTAE.

(a) *L. 7. Cod. Iustin. eod. tit.* Concordat huic *lex 3. supr.* GOTHOFR.

(b) *Hesperius* PP. Italiæ scil. v. *Prosopogr.* ID.

(c) Ingenua *leg. 3. supr.* splendore generis *dict. leg. 3.* cui *fine huius legis* opponitur, *originaria seu colona possessionis alienæ.* ID.

(d) Locus intricatus: Quid si ita restituendus duobus locis. *Quod si quam ab hac præsumptione statutum nostræ perennitatis non abduxerit?* ID. In vulgat. Cod. Iust. Edit. est: *quod si qua ab hac preceptione statutum nostræ serenitatis abduxerit.* RITTER.

(e) Absunt hæc, *secundum auctoritatem SC. Claudiani*, a Cod. Iust. propter *tit. de S.C. Claudiano toll.* GOTH.

(f) De hoc *SC. Claudiano* fuit supra Titulus, *lib. 4. tit. 9.* ID.

(g) *Se sibi & liberis*, Cod. Iust. RITTER.

(h) Recidit hanc sententiam Τελβον velut huius temporis propriam. ID.

(i) *Videntur*, pro, *sunt*, passim *hoc Cod.* ID.

(k) *Colonaria*, Cod. Iust. de Colonis plene *supr. Paratitlo de fugitiuis colonis.* ID.

(l) Domini scil. Nota numeri enallage: nisi quod hac voce comprehenditur, dominus ignarus, & sciens. ID.

(m) Ferri potest: melius tamen *conhibentia*, vt etiam Cod. Iust. *conniuentia.* ID.

(n) *Nullam extraneam*, Cod I. RITTER.

(o) *Et ex Monetario*, Cod. Iust. Istud nostrum melius. GOTHOFR.

P.512.

COMMENTARIVS.

MONETARIO Mulierem Extraneam siue splendidioris gradus, id est, *ingenuam*, siue originariam & colonam alieni iuris, iungi vetat *hac l.* Valentin. Iun. vt & viceuersa monetarii filiam extraneo copulari: alioquin illas, ingenuam inquam mulierem, vel etiam colonam alienam, conditionem mariti sequi iubet: si prior inquam ex forma SC. Claudiani legitime admonita & conuenta, trina videl. denunciatione, a complexu monetarii non discedat. Quod & ipsum de ingenua Gynæciario iuncta Valentinianus Sen. antea constituit *l. 3. sup.* vbi de trina hac denunciatione & SC. Claudiano plura: item si posteriore casu dominus pariter conuentus & admonitus, colonam suam non retraxerit. Et sic denunciationis seu protestationis vis & potestas notetur vt *b. l.* ita & *d. l. 3.*

De BASTAGARIIS *in militiam non admittendis.*

XI. (a) Idem AAA. (b) Trifolio Com. S. L. (c)

ÆTERNAM fiximus legem, Ne vnquam *Bastagariis* militiam vel suam deserere liceat, vel aliam (d) subreptiua (e) iNpetratione temptare. (f) Et Tribuni, (g) qui scientes huiusmodi milites ad (h) numerum (i) receperint, per singulos bastagarios singulas auri libras fisco cogantur inferre. Et super hoc dedimus literas (k) ad Inlustres Magistros vtriusque (l) militiæ. Dat. IX. Kalend. Aug. Heracleæ, Richomere, & Clearcho Coss. [384.]

NOTAE.

(a) *L. 8. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Tribuenda *Valentiniano* THEODOSIO *& Arcadio.* ID.

(c) *Trifolius* Comes S. L. sub Theodosio M. Eidem inscribitur hoc ipso Anno *lex 7 supr. de Palat. S. L.* & Anno prox. 385. *lex 8. & 9. eod. tit. de Palat. S. L.* ID.

(d) *Antequam eam impleuerint*, hoc additum a *Triboniano.* ID.

(e) *Surreptitia*, Cod. Iust. RITTER.

(f) Cætera resecauit τρίβων. GOTHOFR.

(g) *Tribuni* militum, de quibus *supr. lib. 7.* ID.

(h) *Ad*, pro *in.* ID.

(i) Militarem: Tribuni sane Numerorum quoque dicuntur *l. 23. de erogat.* Hic Numerum accipere possis & pro singulari Numero militari, & generaliter, pro *in numerum militum recipi.* ID.

(k) Sic & *l. 9. sup de metallis*: vbi v. quæ dixi. ID.

(l) Equestris & Pedestris. ID.

COMMENTARIVS.

BASTAGARIOS (de quibus iam *supr. l. 4.*) in sua semper conditione seu militia manere iubet *hac l.* Theodosius M. *Æternam*, inquit, *fiximus legem*, id est, perpetuam, generalem, rursum, *ne vnquam.* Quod cum non attenderet Tribonianus, limitationem hanc, *antequam militiam suam impleuerint*, addendo *legi 8. Cod. I. eod. tit.* (quæ ex hac alioquin desumpta est) contradictioni sese manifeste implicuit. Hinc igitur apparet, inter alia plura Conditionalium genera, fuisse & Bastagarios.

Porro ad militiam, nominatim, *armatam*, Bastagarios transisse, & a Tribunis militum traductos, *hac l.* testatur Theodosius Magnus: proculdubio, quia Bastagarii validi homines erant, & ad malitiam duritiemque militiæ facti, vt qui transuehendis oneribus fiscalibus, & itineribus emetiendis operam nauarent, roburque exinde colligerent.

Igitur a Tribunis militum eos in numeros recipi vetat Theodosius, pœna libræ auri Tribunis proposita: Eumque etiam in finem dedisse literas ait ad Magistros vtriusque militiæ, Equitum scil. & peditum, quo illi Tribunis imminerent. De Tribunis Numerorum, & Magistris vtriusque militiæ satis *lib. 7. supr.*

De NAVI MVRILEGVLÆ *functioni obnoxia non vsurpanda.*

XII. (a) Idem AAA. ad Principium P. P. (b)

SI quis nauiculam (c) functioni *Muricis*, & (d) legendis conchyliis deputatam, ausus fuerit vsurpare, duarum librarum auri inlatione teneatur. Dat. VI. Kal. Octobr. Aquil. Arcad. A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTAE.

P.513.

(a) *L. 9. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Principius* PP. sub Valentiniano Iun. & quidem Italiæ. Quamplurimæ porro huic *leges* hoc Anno 386. inscribuntur, quas vide in *Prosopogr.* *ID.*

(c) *Nauiculæ* vocem hanc mox expendo. *ID.*

(d) Pro, *Siue.* *ID.*

COMMENTARIVS.

Navem murilegulorum functioni muricis (quidam piscem quoque Iturio olim recte hic intellexit) legendisque conchyliis, seu conchis purpuræ, destinatam vsurpanti, duarum librarum auri multam imponit *hac leg.* Valentinianus Iunior. Scil. vt murilegulorum seu conchyliolegulorum variæ familiæ fuerunt, ita suæ quædam *nauiculæ* ad id deputatæ erant, ad legenda seu piscanda conchylia in vsus purpuræ Imperatoriæ: Et proculdubio *Nauiculæ* ad id factæ, propriæque quibus ea piscatio facile fieri poterat, vt inquam murex seu concha, qui ἑρπηστής est, inter reptatores pisces, qui ἅλος νάιουσιν ἐναλίως, qui maris recessus habitant, e locis angustis, & petrosis vel arenosis extrahi posset: vt sane purpura seu conchylium de eorum numero est: Οἱ δὲ καὶ ἐν πέτρῃσι, καὶ ἐν ψαμάθοισι νέμονται: vt scribit Oppianus ἁλιευτικῶν *libr. 1. v. 168.* Qui etiam plura de eius captura *lib. 5.* ἁλιευτικῶν, *a v. 598.* vt & Plinius *lib. 9. c. 38.*

Igitur Nauiculam huiusmodi vsurpare vetitum: non tantum vt existimo ne purpuræ piscatio in vsus principis impediretur: verum, & vel maxime, ne harum nauicularum ope priuati, purpuram sibi legerent priuatorum vsibus denegatam: de quo plene ad *l. vlt. infr. h. t.*

Cæterum (quod V. CL. Morellus *ad Dionem Chrysostomum* recte notauit) *Nauiculas* has μικρὰ πλοῖα piscandæ purpuræ ἤως κοτύλαις παρομοίοις fuisse, scribit Scholiastes Dionis Chrysostomi *ad orat. 7.* quæ inscribitur, εὐβοικός; vnde & piscator purpuræ seu conchyliolegulus, κοτυλάριος: πορφυρεῖς, inquit, κοτυλαρίους παρὰ τὸ ἐν μικροῖς πλοίοις, ἤως κοτύλαις παρομοίοις πορφυρεύεσθαι: Purpuræ piscatores scaphis cymbalisue vsos tam pusillis vult, vt a *cotulis*, vasculis scil. mensuris liquidorum, parum differrent: quomodo & Hercules apud Aristoph. *in Nebul. Charontis* πλοιάριον, vola palmæ curuatæ ostensa, τυννουτονὶ festiue nuncupat. Quare & hic *Nauiculam* proprie ideo dixit Valentinianus Iun.

Porro cum hæc *lex* Valentiniani Iun. sit, & ad PP. Italiæ data sit, proculdubio ad *Sardiniam* ea pertinet, de cuius purpura & conchylio multa Suidas: nominatim in βάμμα Σαρδιανικόν.

De Sericis *speciebus lotis inferendis in ærarium Principis.*

XIII. (a) Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Filometori Com. S. L. (b)

Lotas in posterum serica (c) *Blattæ* ac mataxæ (d) huiusmodi (e) species (f) inferri (g) præcipimus; viginti librarum auri condemnatione proposita his, qui scrinium Canonum tractant: prioribus etiam eiusdem (h) Officii, si statuta cælestia (i) a quoquam passi fuerint temerari. Dat. V. Kal. Iul. Constantinop. Arcad. A. VI. & Probo Coss [406.]

NOTAE.

(a) *L. 10. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) *Filometor* Comes S. L. sub Arcadio. *ID.*

(c) *Serico blattæ* C. Iust. Malim hic *Sericas blattæ ac metaxæ.* *ID.*

(d) *Et Metaxæ* C. Iust. Ita *l. vlt. infr. metaxa.* *ID.*

(e) An potius *cuiusmodi*, id est, quæcunque. *ID.*

(f) *Species*, id est, vestes. *ID.*

(g) *Ærario* nostro, seu sacris Largitionibus, quarum Comiti hæc *lex* inscribitur. *ID.*

(h) *Cuiuscunque*, Cod. Iust. *ID.*

(i) *Cælestia* statuta: ita *l. 15. iuxta formam cælitus datam*; de quo alibi semel fuse. *ID.*

COMMENTARIVS.

Sericas species, seu vestes, siue iam purpura tinctas, siue nondum tinctas, sacris Principis Largitionibus inferri, Lotas, iubet *hac leg.* Arcadius Imp. Vbi multa notanda seu illustranda veniunt. Primum de *Blatta.* Blatta significat cruorem, grumum, seu bullam sanguinis concreti. In Glossis *Philoxeni, Blattela* (malim *blatea*) θρόμβος αἵματος τῶν κογχυλίων. Et post, *Blattia*, θρόμβος αἵματος. Vnde & apud Festum, *Blattiæ vel Blatteæ*, αἵματος. Igitur *blatta* in proprie bullæ luti ex itineribus. Igitur *blatta* in genere, cruor & grumus sanguinis concreti; in specie vero conchylii, vt ex *superiore* Glossarum *loco* liquet. Epiphanius *de XII. gemmis, quæ erant in veste Aaronis, num. 5. pag. 227. edit. Coloniens. apud Ierem. Schrey.* Σάπφειρος πορφυρίζων ὡς βλάττης πορφύρας τῆς μελαίνης τὸ εἶδος: *Sapphirus purpurascit, vt species blattæ, id est purpuræ nigræ.* Hinc etiam *blatta*, genus purpureum insecti cuiusdam: Paulus Diaconus in *Glossis*: *Blatta genus purpureum vermis:* & in *Glossis* Philoxeni & Cyrilli, *Blatta* σίλφη. Hinc igitur serica blatta, *hac leg.* & *leg. 18. infra*: quæ est sericum, purpura fucatum seu tinctum, hinc

hinc *pallium blatteum* sericum & *blattea tunica*, id est, purpuræ, apud Vopiscum *Aureliano cap. 46.* & apud Gregorium Turon. *lib. 2. cap. 38.* & simpliciter *blattea* apud Cassiodorum *I. Variar. 2.* & *rutila blatta*, apud Sidonium *lib. 9. ep. 13.* Hinc *funes blatta & serico & cocco intorti*, apud Lamprid. *Heliogabal. cap. 33.* & *blatteus color*, Isidoro *Origin. lib. 12. cap. vlt.* item *blattifer Senatus*, Sidonio *in Carmine epistol. vltim. lib. 9. v. 22* Sidonius rursum *Epithalam. Ruricii carmin. XI. v. 83. collata rubori, Pallida blatta latet.* Item in *Panegyr. Maior. carmin. 5. v. 48. Pontus castoream, blattam Tyrus, æra Corinthus.* Hinc quod Suetonius ait *in Neron. c. 30. Neronem purpura coccoque funibus nexis piscatum:* hoc Eutropius *lib. 7. cap. 9. blattis* dixit. Apud Venantium quoque Fortunatum non semel ea vox: apud Anastasium sæpe; *Crux, periclysis vestis ex blattia, vel de blattia.* Eodem sensu sequiori Græciæ βλατίον pro *veste purpurea* apud Nicetam, Codinum, Cedrenum: Imo apud Actuarium quoque βλάτ[illegible]ιον βυζάντιον, ὅ ἐστιν ῥινὸς τῆς πορφυρᾶς, *blatta Byzantii est os ex naso purpuræ.*

Ergo serica blatta *hac leg.* & verso nomine blatta serica, *l. 18 infr.* est sericum purpura infectum: Cuius blattæ species etiam variæ fuerunt, prout ea intensior seu clarior, vel pressior erat: hinc *oxyblatta*, purpura intensioris luminis, quæ hyancinthinæ opponitur, *leg. 1. Cod. Iust. quæ res ven.* Contra *Metaxa* est sericum, purpura non infectum, vt discere licet ex *leg. 18. infr.* vbi Metaxæ huius fit quoque mentio; *quibus solemniter*, inquit, *artibus, quibus conscііs ac ministris metaxa tinguebatur.*

Metaxa est filum & νήμα σηρικὸν quodcunque: Hinc & iam olim Lucillio apud Festum *metaxa lini*, pro filo seu funiculo lini. In glossis Philoxeni *mataxa* (nam ita quoque scriptum, vt *hac leg.*) σειρά. Hanc vocem retinent etiam Vascones Pyrenii & Hispani, *Madeia* vel *Madexa*, quod glomum fili significat. Apud Actuarium, & Nicolaum Myrepsum μέταξα ὠμή, *sericum crudum*, hoc est bombycum vellus nondum euolutum. Et tamen apud Marcianum *l. vlt. §. 7. D. de publicanis*, distinguntur hæc: *metaxa, vestis serica, subserica, attincta, carbasea, nema sericum: Metaxa* inquam, ibi separatur a *nemate serico.* Vnde Cuiacius recte putabat, metaxam esse rude sericum & αὐτοφυὲς, nondum in fila deductum, & ideo a nemate serico separatum *ea lege*, quod quidem verum est: Atenim postea μέταξα dicta sericum omne, siue in fila non deductum, siue deductum, nondum tamen fucatum. Moschopulus: σὴρ. ὁ σκώληξ, ὁ τὴν μέταξαν ἐργαζόμενος, ἀφ' οὗ σηρικὰ ἱμάτια, τὰ μετάξωτα. Zonaras *in gestis Iustiniani, Annal. lib. 14. pag. 54 Tom. II. Oper. edit. Venet. inter Script. R. B.* καὶ τὰ τῶν σηρῶν νήματα, ἡ μέταξα δηλαδὴ, παρὰ Ῥωμαίοις γίνεσθαι ἤρξατο. *tela serica a romanis texi cœpit.* Suidas *voc.* σηρικὴ, ex Procopii *lib. 1. de bello Persico cap. 20.* Σηρικὴ· ὅτι ἡ μέταξά ἐστιν, ἐξ ἧς εἰώθεσαν τὴν ἐσθῆτα ἐργάζεσθαι, ἣν πάλαι μὲν Ἕλληνες Μηδικὴν ἐκάλουν, τὰ δὲ νῦν σηρικὴν ὀνομάζουσιν. *Serica. Metaxa est illa, ex qua vestem conficere solebant, quam olim Græci Medicam vocabant, nunc vero sericam nominant.* Hesychius σῆρες, ζῶα νήθοντα τὴν μέταξαν. Apud Menandrum *in Eclogis Legationum* sæpe: veluti *pag. 72. init. Tom. I. Script. R. B. Ed. Venet.* ὡς ἂν ἐκεῖσε ἀπιόντες οἱ Σογδαΐται ὤνιον παράσχοιντο τὴν μέταξαν τοῖς Μήδοις, *quo Sogdaitis eo proficiscentibus purpuram venum exponere Medis liceret.* Procopius quoque apud Suidam *loc. cit.* ὅπως οἱ Αἰθίοπες ὠνούμενοι τὴν μέταξαν ἐξ Ἰνδῶν, *vt Æthiopes sericum ab Indis emerent*, &c. A Metaxa *metaxarii*, id est, metaxæ negotiatores, *leg. vlt. Cod. Iust. de pignoribus.* Et Μεταξιατικὸν, tributum quod pro metaxa soluebatur, in diplomate Andronici Imper. apud *Phrazem. libro 3. capite 24.* Vestis ipsa serica μεταξωτὴ apud Balsamonem, *ad Concil. 7. can. 16. pag. 318. Tom. I. Pandect. Canon. Edit. Guil. Beuereg.* & Anonymum de *Nuptiis Thesei*, ὁ ζῶα μετάξη: in recentioribus Græcorum Imperatorum constitutionibus: Τὸ χρυσόβουλλον διὰ μετάξης ὀξείας ἀπῃώρητο. (a)

Ex his iam apparet, duas sericas species *hac leg.* indicari: vnam sericam blattæ, *alteram metaxæ:* & vero proculdubio sic hic legendum, *sericas blattæ ac metaxæ species:* ac si dixisset, sericas species siue blatteas, id est, purpura fucatas, siue metaxatas, id est, nondum fucatas. *Species*, id est, vestes: quo sensu *speciei* vox sæpe *hoc Codice*, ac nominatim *leg. vltim. infr. titul. proximo de vestibus oloueris*, & apud Ammianum Marcellinum *lib. 14. cap. 9.*

Nunc de sententia *legis.* Iubet Arcadius deinceps species, seu vestes sericas, siue blatteas siue metaxatas, *lotas* inferri sacris Largitionibus: *Lotas*, id est, elotas, mundas, puras. In vtrisque scilicet fœtor quidam: In blatteis, id est, purpureis seu conchylio tinctis; non tantum, quod conchylii graue virus in fuco esset, vt diserte Plinius loquitur *lib. 9. cap. 37.* id est, male olerent. Cassiodorus *I. epistol. 2. Cum sex pene mensibus marinæ deliciæ a vitali fuerint vigore separatæ, sagacibus naribus nesciunt esse grauissimæ;* verum etiam ex Physicis περὶ χυμείος, quæ sub nomine *Democriti* conscripta, liquet; vbi de tingendis purpuris: cuius verba protulit Salmasius *de pallio, pagin. 142.* In metaxatis quoque vestibus suus quidam fœtor erat, quem elui proinde voluit Arcadius *hac leg.* antequam inferrentur sacris largitionibus, vbi condebantur, vsque quo in vsus Principis expromerentur.

Ergo & ex hac quoque lege liquet, probatas species ac nominatim purpuram, antequam in thesaurum Ærarii Principis inferrentur: quod vtique muneris fuit olim Procuratoris ærarii, vt docet Lampridius *in Diadum. c. 4.* Comitis S. L. *hac ætate* cui *lex* hæc inscribitur: sub quo Thesauri Principis fuere, in quibus & vestes. Lampridius *Alexandro Seuero. In Thesauris vestem nunquam nisi annuum esse passus est, eamque statim expendi iussit.*

Quo loco *Thesaurorum* appellatio non significat speciatim locum in quo vestis sacra & priuata Principis recondebatur: verum generaliter Thesauros Principis, in quibus quicquid tandem quod ad S. L. pertinebat, referebatur. Neque alio sensu *leg. 14. Cod. Iust. de Murilegulis* accipiendi sunt *Præpositi Thesaurorum*, quorum etiam mentio in *Notitia Imperii:* non alio, *Comes Thesaurorum.* Falluntur enim qui hos *Thesauros & Præpositos & Comites Thesaurorum*, ad vestium thesauros restringunt. Ab hoc ærario & vestium thesauro, diuersum est *vestiarium*, quod erat speciatim locus in quo vestes in vsus Principis reconditæ erant: quo sensu Vopiscus *Aureliano c. 25. Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit.* Moschopulus, βεστιάριον, κυρίως, ἐν ᾧ τὰ βασιλικὰ ἐνδύματα φυλάσσονται: de quo plene Meursius in βεστιάριον. (b) Huic præerat Comes vestiarii: de quo in *Notitia Imperii:* item *Magister lineæ vestis & priuatæ.*

Sanctionem porro seu multam viginti librarum auri, addit *hac lege* Arcadius, si id quod diximus factum non fuerit, scrinio Canonum, & prioribus eiusdem Officii. Huius *scrinii Canonum* fit rursum mentio

(a) Loca hæc ex MEVRSII *Glossario* excerpta sunt. Alia videbis huc pertinentia apud CL. DV FRESNE *voc.* μέταξα, & *sequentib.*

(b) Plenius CL. DV FRESNE *in Gloss. voc. ead.*

mentio *leg. vltim. infra*, & *leg. 7. supr. de Palat. S. L.* quod sub Comite S. L. fuit, vt ex *huius* & *duarum illarum ll.* inscriptione apparet. De quo etiam exerte *Notitia Imperii fol. 49.* tum Orientis tum Oc-P. 515 cidentis *sub dispositione Comitis S. L. Officium, Primicericum totius officii, Primicerium scrinii Canonum, Primicerium scrinii Tabulariorum.* Scrinium *hoc canonum, erat ratiocinium* canonicarum illationum, quæ inferebantur in Sacras Largitiones. Inter cæteras vero illationes erat vestium illatio: ex baphis (quæ sub Comite S. L. erant) sericarum, blattearum. Quare & *d. l. leg. vltima infra*, iubetur per certum tempus septimus de scrinio Canonum, quintus de scrinio Tabulariorum *ad baphia* Phœnices mitti a Comite S. L. vt fraus omnis in auertenda purpura prohibeatur eorum solertia.

De MVRILEGVLIS *e quacunque dignitate vel militia, vt eorum* BONIS *retrahendis.*

XIV. (a) Imppp. THEODOS. A. & Valentinianus Cæs. Maximino Com. S. L. (b)

MVRILEGVLI, qui relicto adque despecto propriæ condicionis officio, vetitis se infulis (c) *dignitatum*, & cingulis penitus denegatis, muniisse dicuntur, ad propriæ artis & originis vincla (d) reuocentur. Ab illis autem qui *rebus* eorum videntur (e) inhiasse, quos in sua origine permanere & sollemnibus ministeriis inseruire manifestum est, omnia quæcumque constiterit ex quocumque titulo possessa, antiquis possessoribus restituantur. Quod si alienigenæ detentatores oneribus condicionis externæ maluerint subiacere, quam restituere facultates, & futura deinceps agnoscant (f) munia (g) sibi esse subeunda, & de præterito, si qua ipsis possidentibus reliqua (h) colliguntur, a semetipsis sciant sine aliqua excusatione soluenda. Dat. XVII. Kal. Nou. Constantinop. Victore CONS. [424.]

NOTAE.

(a) *L. 11. Cod. Iust. eod. tit.* Forte iungenda huic *lex vlt. infr. de vestib. olou.* quod temere non assero. GOTHOFREDVS.

(b) *Maximinus* Comes S. L. sub Theodosio Iun. Eidem inscribitur hoc ipso Anno *lex vltima supra de Metallis*: *lex 5. infr. de conlat. æris*: & Anno proximo *lex 15. prox. infr.* & *d. l. vlt. de vestib. oloueris.* ID.

(c) *Infulæ* dignitatum: V. *Gloss.* ID.

(d) *Vincla*, pro *vincula*, vt etiam editum *C. Iust.* ID.

(e) *Videntur* inhiasse, id est, inhiarunt, V. *Gloss. Theod.* ID.

(f) *Agnoscant*, pro cognoscant. ID.

(g) *Munera*, Cod. I. RITTER.

(h) *Reliqua* præteriti temporis: λοιπάδες. V. *Gloss.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

MVRILEGVLI (de quibus affatim *in Paratitlo* & *l. 5. 12. supr.* & de quibus præterea *quatuor sequent. legib.*) eorumque res, huic arti seu ministerio originis seu conditionis iure perpetuo addicti fuere, vna cum rebus suis. Quare *hac* Theodosii Iun. *l.* duo definiuntur. Primum ipsos ab hac conditione liberari non posse vllius dignitatis impetratæ obtentu. Quod & ipsum commune fuit cæteris Conditionalibus, de quibus *hoc tit.* (Quanquam substituto alio idoneo postea liberari potuisse ostendet *lex 16. infra*) Secundo, res ab his in alienigenas extraneos translatas, his rursum restituendas (hic enim huius loci sensus est, quem Glossa & Cuiacius minus assecutus est) si restituere nolint ad murilegulorum conditionem deuocandas, sic quidem vt etiam præteriti temporis reliqua soluere cogantur, si quæ murileguli contraxerint, id est, si reliquati fuerint in canone conchyliorum seu muricum fisco persoluendorum.

De MVRILEGVLA, *& liberis ex ea & extraneo susceptis.*

XV. (a) Idem A. & Cæs. Maximino Com. S. L. (b)

HII qui ex filiabus *Murilegulorum* & alienæ originis patribus sunt vel fuerint procreati, iura maternæ conditionis agnoscant. Dat. IX. Kalend. Iun. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. Coss. [425.]

NOTAE.

(a) *L. 12. Cod. Iust. eod. tit.* Hanc *leg.* suam indicat Theodosius *l. 17. infr.* GOTHOFRED.

(b) *Maximinus* Comes S. L. sub Theodosio Iun. eidem inscribitur *lex 14. prox. sup.* vbi dixi. ID.

COMMEN-

P.516

COMMENTARIVS.

MVRILEGVLI seu conchylioleguli (vt habetur *L.17. infr.* qua hæc lex confirmatur) filiam alienæ seu alterius conditionis vir ingenuus vxorem ducere olim non poterat, vt docet *lex 5.* Atenim hac tempestate potuit: ea tamen conditione, vt ex hoc connubio nati, maternam conditionem sequerentur, & murileguli essent. Et sic hac quoque parte, partus ventrem sequitur, vt ferme in impari coniugio adsolet. Cæterum hanc *legem* suam Theodosius Iun. biennio post confirmat simul & explicat *l.17. infr.* vbi definit ei in futurum tantum locum esse.

De PRINCIPIS *beneficio: quibusque conditionibus ii de quibus agitur hoc titulo a conditione sua liberari possint.*

XVI. (a) Impp. THEOD. & Valentinianus AA. Acacio Com. S.L. (b)

SI quis ex corpore *Gynæceariorum*, vel *Lintceariorum*, siue *Lynisariorum*, (c) *Monetariorum* ac *Murilegulorum*, vel aliorum similium ad diuinas largitiones nexu sanguinis pertinentium, voluerint posthac de suo collegio liberari, non quoscumque nec facile (d) in locum proprium, freti dexteræ (e) Triumphalis absolutione, substituant, sed eos quos omnibus idoneos modis, sub ipsis quodammodo Amplissimæ Tuæ (f) Sedis obtutibus adprobarint: Ita tamen, vt is qui ab huiusmodi condicione, iuxta formam cælitus (g) datam, beneficio Principali fuerit absolutus, vniuersam (h) generis sui prosapiam in functionem (i) memorati corporis permanentem cum omnibus eius (k) qui absoluitur rebus obnoxiam largitionibus sacris futuram esse non dubitet. Dat. VII. Kal. Mar. Constantinop. DD. NN. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. Coss. [426.]

NOTAE.

(a) *L.13. Cod. Iust. eod. tit.* GOTGHOFR.

(b) *Acacius* Comes S.L. sub Theodosio Iun. Eidem inscribuntur hoc ipso Anno 426. duæ aliæ *leges*: puta *lex vlt. supr. de prox. sacr. Scrin.* IDEM.

(c) *vg. Linysariorum*: vt *l. 8. Linysos*, male Cod. I. vulgat. *lymphariorum*. ID.

(d) *Nec facile*, id est, nec promiscue. ID.

(e) Imperatoriæ: similiter. ID.

(f) Comitis S.L. sub quo erant superiores omnes. *l. pen. infr. de annonis ciuicis.* ID.

(g) *Cælitus data forma*, id est, a Principe: sic cœlestia statuta, *l.13. supr.* En quo fastus Imperatorum hac tempestate processit? de quo semel in *Imperatore Romano.* ID.

(h) *Vniuersi*, Cod. Iust. RITTER.

(i) Pro *in functione*, vt *Cod. Iust.* GOTHOFREDVS.

(k) *Suis.* IDEM.

COMMENTARIVS.

GYNÆCIARIOS, LINTEARIOS seu LINYFARIOS, MONETARIOS, MVRILEGVLOS, cæterosque similes (veluti Bastagarios) sacris Largitionibus nexu sanguinis seu originis iure seruientes (de quibus sigillatim *supr.* dictum fuit) a collegio suo seu conditione sua antea recedere seu liberari non potuisse ostendit *lex 1. 11. 14. supr.* Atenim hac tempestate liberari potuisse beneficio Principis substituto alio in locum suum hæc *lex* docet: Cui *substitutioni* has tres *leges* nunc ponit *hac lege*. Theodosius Iun. 1. Vt *idonei* omnino substituantur, non quicunque, *non facile*, id est, non promiscue. 2. Sub obtutibus ferme Comitis S.L. sub cuius dispositione hi omnes fuere, quod vt de singulis complures e superioribus *leges* docuerunt, ita de omnibus ἀθρόως hæc *lex* egregie docet, iuxta *Notitiam Imperii*, cuius verba iam in ingressu *huius tituli* protuli. 3. Vt prosapiam suam seu liberos suos in functione eiusdem corporis relinquere teneatur cum omnibus rebus suis. Similis substitutionis exempla alibi plura occurrunt.

De MVRILEGVLA *& liberis ex ea & extraneo susceptis.*

XVII. (a) Idem AA. Valerio Com. S.L. (b)

PLACET, si *Conchyliolegulorum* (c) filiæ condicionis (d) alienæ nupserint viris, qui ex ipsis fuerint procreati, ab eo tempore nexum maternæ adscribtionis agnoscant; ex quo promulgatam super hoc cognouerint Legem. + De his vero quos ante eam natos

esse

esse constiterit, huiusmodi forma seruetur, vt siue conchyliolegulorum, seu adscribtorum progenies fuerit colonorum, paternam tantum conditionem sequantur: (e) Si qui vero post Legem aut patre conchyliolegulo geniti probabuntur, aut matre, memoratæ adscribtioni obnoxios se esse non ambigant. Dat. X. Kal. April. Constp. Hierio & Ardabure Coss. [427.]

P. 517.

NOTAE.

(a) Abest potissima *huius legis* pars a *Cod. Iustin.* vtpote quæ temporaria sit, & in quem vltima tantum sententia relata in *l.* 15. *eodem titulo.* GOTHOFR.

(b) *Valerius* Comes S.L. sub Theodosio Iun. V. *Prosopogr.* ID.

(c) Seu *Murilegulorum*, *l.* 15. *supr.* quam hæc *lex* indicat. ID.

(d) *Originis alienæ*, *d. l.* 15. *supr.* IDEM.

† *Legem* 15. *sup.* intelligit. ID.

(e) Hinc desumpta *d. l.* 15. Cod. I. RITTER.

COMMENTARIVS.

Mvrilegvli filiam hactenus ducere alienæ conditionis viro permissum fuit a Theodosio iuniore ante biennium *leg.* 16. *supr.* vt ex ea nati matris conditionem sequerentur. Id vero *hac leg.* tantum accipiendum statuit, de susceptis post eam *leg.* non vero vim eius *leg.* retro agendam.

De Pvrpvræ *nundinis prohibendis.*

XVIII. (a) Idem AA. Apollonio Com. S.L. (b)

Qvoniam trecentas pene libras *Blattæ* (c) sericæ (d) clandestina fucatione, (e) non sine læsæ Maiestatis crimine, coloratas, (f) & adæratum (g) conchylii (h) non minimum pondus patefactum est, quæstione prodente, quibus sollemniter artibus, quibus consiliis, ac ministris metaxa (i) tinguebatur, cum priuata & fiscalis æqualiter publico murice tinguebatur, Purpuræ * nundinas, licet innumeris sint Constitutionibus prohibitæ, recenti quoque interminatione vetamus; &, (k) dispositione Inlustris memoriæ Synesii reuocata quæ perperam infirmata est ab Inlustri (l) memoriæ Anisio, a quo subreptum nobis est veritate celata, septimum (m) de scrinio Canonum, (n) quintum de scrinio Tabulariorum ad Basia Fenicis per certum tempus mitti præcipimus, vt fraus omnis eorum prohibeatur sollertia, timentium, ne quæsitis multo (o) sudore stipendiis careant, etiam viginti librarum auri condemnatione (p) proposita. Dat. VIII. Id. Mar. Constp. Isidoro & Senatore Coss. [436.]

NOTAE.

(a) Historica hæc præfatio vsque ad *purpuræ nundinas* abest a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Apollonius* Comes S.L. sub Theodosio Iun. Forte hic, ad quem extat Theodoreti *ep.* 73. & 103. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) De *Blatta* serica dictum plene ad *l.* 13. *supr.* ID.

(d) Ad priuatos pertinentis: itaque & mox *infr. metaxa priuata* &c. ID.

(e) *Fucationis* vox hac in re propria. Ita & *Fucandæ* vel *distrahendæ purpuræ*: *l.* 1. *Cod. Iust. quæ res vendi*: & *l.* 3. *Cod. eod. de vestib. oloueris.* *Vellera adulterino colore fucata in speciem muricis sacri intingere non sinimus, nec tinctum cum Rhodino prius serico alio postea colore fucari.* Ministri fucandæ purpuræ Ammiano *lib.* 14. *cap.* 9. Ausonius Panegyrico *cap. vltim.* *Prætextam, meam purpuræ tuæ luce fucatam.* Virg. Georgic. IV. v. 335.

Vellera Nymphæ
Carpebant hyali saturo fucata colore.

(f) *Colorari* fucatione. ID.

(g) *Adæratum*, id est, ære æstimatum, seu pecunia contrauenditum; id enim est *adærare.* vid. *Gloss. Theod.* ID.

(h) De *Conchylio* iam ad *l.* 5 *supr.* ID.

(i) De *Metaxa* dictum ad *l.* 13. *supr.* ID.

* *Lex vlt. Cod. Iust. de vestib. holoueris* hinc desumpta est, resecatis superioribus omnibus Historicis: vt & in sequentibus quæ eius generis sunt. ID.

(k) Et *ideo septimum* &c. Ita *C. Iust.* resecatis vt dixi intermediis ceu Historicis. ID.

(l) *vel. Inlustris.* IDEM.

(m) *Septimum de scrinio exceptorum, sextum de scrinio canonum* &c. Ita *Iust. Cod.* ID.

(n) Dixi ad *l.* 13. *supr.* ID.

(o) *Longo,*

(o) Longo, C. Iusti d. l. vlt. ID.

(p) Condemnatio, pro multa: vid. Gloss. Theod. ID.

COMMENTARIVS.

PVRPVRÆ *Nundinas* veteribus & innumeris iam constitutionibus prohibitas (e quarum numero est quoque *lex 1. Cod. Iustinian. quæ res venire:*) *hac* rursum *leg.* Theodosius Iun. prohibet; *Nundinas*, inquam, id est, vt ne publico murice metaxa aliena coloretur in baphiis Principis: item vt ne conchylium quod ad fiscum pertinet, adæretur seu vendatur. Id enim *nundinarum* purpuræ appellatione hic indicatur, vt præfatio Historica *huius leg.* indicat: *Nundinæ*, seu *nundinatio*, de qualibet rei & quidem publicæ conuersatione & commercio, πραγματεία: de quo in *Gloss. Theodos.* plura ac maxime de lucro omni defœdo, quod capitur occasione rei publicæ: V. *l. 10. supr. de cohortalib. l. 3. supr. de exhib. reis:* & *l. 5. supr. de iis quæ adm.* vnde & *nundinatio*, κυρίως μὴν τὸ λαμβανόμενον προφάσει ἐμπορίας, ἐνίοτε δὲ καθόλυ τὸ κέρδος, in *Gloss. Nomico Sirmondi.* Simili significatu *nundinationis* vox apud Amm. Marcellinum *lib. 28. cap. 1.* vt & *l. vlt. infr. de his qui cum dispensatore.*

Ergo purpuræ fiscalis nundinas vetat *hac leg.* Theodosius Iun. metaxam, inquam, alienam, seu sericum alienum in baphiis Principis ex purpura fiscali colorari: & conchylium seu purpuram exinde distrahi seu vendi. Quod vtrumque cum factum alicubi, in basiis, inquam, Phœnices hoc tempore fuisset, Theodosio *huius leg.* sanciendæ occasionem præbuit.

Vbi notandum quod ait, factum id, *non sine læsæ Maiestatis crimine.* Purpuræ scilicet species, eiusque vsus soli Principi dicatus erat ceu Maiestatis Principalis παράσημον, Principesque adeo περιπόρφυροι fuere: eaque sæpe calumniandi seges, maiestatisque inde crimen, si priuatus eam vsurparet: de quo ad *leg. vlt. infra titul. prox. de vestibus oloueris.*

Ergo ne id porro fieret, & vt fraus omnis prohiberetur, septimum de scrinio Canonum (de quo dixi ad *legem 13. supr.*) quintum de scrinio Tabulariorum ad Basia Fenicis per certum tempus mitti, a Comite scilicet Sacr. Largition. iubet, vt fraus omnis, eorum solertia prohiberetur.

Ad *Basia Fenicis* inquam, nam de his in specie *huius legis* agebatur: eaque præcipua baphia fuere in Oriente: quo etiam pertinet *lex 9. infra de lustrali collat.* Vnde & Synesio *de regno pag. 18. edit. Petau.* φοινικοβαφὴς χιτὼν, pro veste purpurea. De Tyria purpura & fiscatione conchylii, textrinoque seu Gynæcio purpureo, eiusque purpuræ nobilitate obuia sunt testimonia. Inter alios, & vt omittam Poëtas, Strabo *lib. 16. pagin. 1098. edit. Almeloueen.* Plinius *libr. 5. capit. 19.* & *lib. 35. capit. 6.* Clemens Alexandrinus *lib. 2. pædagog. cap. 10.* Eusebius *lib. 7. hist. Eccles. capite vltim.* Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 7. & 9.* (vbi etiam agitur de ministro fucandæ purpuræ torto seu quæstioni supposito, pariter vt in specie *huius legis:*) vetus item Periegetes sub Constantio, quem edidi, *cap. 17.* Sidonius in *panegyrico Maioriani:* Cassiodorus 1. *Variar. 2.* His omnibus adde Libanium *epistol. ad Andronicum 190.* vbi Phœnices decora commemorans, inter alia, καὶ ἀφ' ἧς ἡ βαφὴ, ἣν μηνυθῆναι φασὶ τὸ πρῶτον τύχῃ τινὶ διὰ κυνὸς, ὅθεν εἰδότος ὧν ἔπραττεν.

Et ita quidem Theodosius *hac lege:* iuxta dispositionem seu ordinationem Synesii olim Comitis S.L. quam Anisius Comes S.L. infirmari fecerat a Theodosio, cui subreptum ab eo fuerat veritate celata.

Synesius vero hic ille est, cui Ann. 412. inscribitur *lex 10. supr. de Curiosis:* vbi pariter statuit hic idem Theodosius Iunior, Curiosos, non a Magistro officiorum mittendos per diuersas regiones, prouincias, litora, portus, loca alia, ad speculandum, ne *Imperiales species*, (in quibus *purpura*) auferantur, verum ab ipso Comite S.L. Quod *huic legi* vicinum est. Eiusdem Synesii Comitis S.L. meminit & *Fastorum Siculorum* seu *Chronici Alexand.* Auctor in Anno 407. *p. 717. edit. Raderi*, ὑπήντησαν inquit, αὐτοῖς οἱ δύο στρατηλάται Οὐαράνης καὶ Ἀρσάκιος, καὶ Συνέσιος ὁ Κόμης τῶν λαργιτιώνων, *occurreruntque illis duo præfecti militares Varanes & Arsacius, Synesius quoque Comes Largitionum.* Male enim in vtraque istius *Chronici* editione particula καὶ inserta: καὶ Συνέσιος καὶ ὁ Κόμης; postremum enim καὶ tollendum est. Hic idem ille videtur Synesii Episcopi Cyrenes frater: ad quem ipse scribit *epistol. 18. & 35.* ex quibus de eius dignitate, Comitiua scilicet S.L. coniecturam facere licet. Et hæc de Synesio.

Anysio vero Comiti S.L. cuius *hac leg.* mentio fit, inscribitur quoque Ann. 416. *lex 21. supra de Palatinis S.L.* & Ann. 419. *lex 22. dict. titul.*



P. 519

DE VESTIBVS OLOVERIS ET AVRATIS.

TITVLVS XXI.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. VIII.

Vbi additum, *& de tinctione Sacri muricis:* relata in eum titulum, *lege vlt. superioris tituli*, quæ de eo ex parte est.

De PARAGAVDIS auratis vetitis: Valentis lex.

I. (a) Impp. Valentinianus, & VALENS AA. Archelao Com. S. L. (b)

AVRATAS, ac sericas paragaudas auro intextas, tam viriles (c) quam muliebres, priuatis vsibus contexere conficereque prohibemus, sed (d) Gynæceis (e) tantum nostris fieri præcipimus. Dat. V. (f) Non. Iul. Nebiodumi. (g) Acc. XV. Kal. August. Marcianop. (h) Valentiniano NP. P. & Victore Coss. [369.]

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendæ huic videntur *lex 2. supr. de fisci debitoribus*, & *lex 7. Cod. Iust. de vectigalibus*, in quibus *Comes Or.* dicitur. *GOTHOFR.*

(b) *Archelaus* Comes S L. sub Valente Imp. cui inscribitur hoc ipso Anno *l. 7. supr. de falsa moneta. ID.*

(c) *Viriles*: ita Τρ.βο.. subductis his, *tam*, *quam muliebres*: de quo mox. *ID.*

(d) *Et in Gynæciariis*, ita *C. Iust. ID.*

(e) *in Gyneceis*: de quibus *tit. superiore. ID.*

(f) *III. d. l. 2. supr. de fisci debitor. IDEM.*

(g) γρ. *Nouioduni*; vbi tum Valens erat: qui inde tertio hoc belli Gothici Anno, perrupto Barbarico, Gothos aggressus, Athanaricum Iudicem in fugam coëgit, Ammiano Marcellino teste *lib. 27. cap. 5.* Ibidem data, biduo post, nisi idem dies reponendus, *dicta lex 2. supr. de fisci debitor. ID.*

(h) *Marcianopoli* in Mysia constitutus hoc tempore Comes S. L. vbi eum reliquerat Valens aduersus Gothos profectus: Marcianopoli quippe Valens hac Gothici belli tempestate constitit, vt docent complures *leges* An. 367. puta *lex 1. infr. si Curialis*: *l. 1. infr. de equorum collat.* An. 368. *lex 2. supr. de Tironibus*: *lex 2. supr. de milit. veste*: *l. a. supr. de murilegulis*: hoc ipso Anno 369. *lex 7. supr. de falsa mon.* quæ huic eidem Archelao Comiti S. L inscribitur: *lex 15. de erog. mil. ann.* Quo tandem Valens hoc Anno postea Athanarico Iudice fugato cum omnibus suis ad hyemem agendam rediit, vt in illis tractibus habilem, teste Ammiano Marcellino *lib. 27. cap. 5.* & docet quoque *lex 11. supr. de petitionibus. ID.*

De PARAGAVDIS auratis vestibus vetitis Theodosii M. lex.

II. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & THEODOS. AAA. Floro P. P. (b)

NEMO (c) auratas habeat, aut in tunicis, aut in lineis, paragaudas: (d) Non enim leui animaduersione plectetur, quisquis vetito se & indebito non abdicarit indutu. (e) Dat. III. Kal. April. Constantinop. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

NOTAE.

(a) *L. 2. Cod. Iust. eod. tit. GOTHOFR.*

(b) *Florus* PP. sub Theodosio M. & quidem Orientis. V. *Prosopogr. ID.*

(c) *Nemo vir*, ita Cod. Iust. de quo mox. *ID.*

P.520 (d) *Nisi hi tantummodo, quibus hoc propter Imperiale Ministerium concessum est*: Hæc exceptio addita *Cod. Iustin.* de quo mox. *IDEM.*

(e) *Indutu*, id est, veste, amictu: in Cod. Iust. *indumento. ID.*

COMMENTARIVS.

DE PARAGAVDIS & PARAGAVDIIS vestibus, sunt hæ duæ constitutiones: Prior quidem Valentis Imp. posterior vero Theodosii M. & sic per Orientem vtraque. De *Paragaudis* istis hæc discimus ex his duab. *legib.* Primo, *Paragaudas* fuisse accessionem alterius vestis: *Nemo auratas*, inquit, Theodos. *habeat*, *aut IN tunicis*, *aut in lineis paragaudas*. Neque etiam alio sensu *l. 1. paragaudarum* vox accipienda est. Ab his vero paragaudis, vestes ipsæ, paragaudis ornatæ, *Paragaudæ* dictæ, sex aliis locis, quos hic sub vnum semel obtutum proponere iuuat. Valerianus Imp. primus apud Vopiscum, *in vita Probi cap. 4.* in epistola ad Præfectum Prætorio, de Probi (qui postea Imp. fuit) Tribuni Salario: *Huic igitur dari iubebis, quoniam mediocris fortunæ est, vt eius dignitas incrementis iuuetur, Tunicas russulas duas, pallia Gallica duo fibulata, interulas paragaudias duas.* Gallienus Imp. in epistola de Claudio qui postea Imperator fuit, apud Trebell. Poll. *in Vit. Claud. c. 17.* inter alia dona quæ se ad eum misisse memorat: *Vestes*, inquit, *diuersas XVI. Albam subsericam, paragaudem triuncem vnam; Zanchas de nostris Parthicas paria tria.* Vopiscus inde *in Aureliano cap. 15. Vidimus proxime Consulatum Furii Placidi, tanto ambitu in Circo editum: cum darentur tunicæ subsericæ, Lineæ paragaudæ.* Et rursum *cap. 47. Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit, cum ante nonnisi rectas purpureas accepissent, & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & vsque ad Pentelores, quales hodie lineæ sunt.* Hesychius παρα-

παραγαύδας, χιτῶν παρὰ Πάρθοις. Author Chron. Alexand. *anno 4. Iustini Thracis, pag. 767. edit. Raderi.* Φορέσας στιχάριον, ἄσπρον παραγαύδιν, καὶ αὐτὸ ἔχον χρυσᾶ πλουμμία βασιλικὰ, ὡσαύτως φέροντα τὸν χαρακτῆρα τοῦ αὐτοῦ βασιλέως Ἰουστίνου, *gestans tunicam albam paragaudin, quae similiter aureis plumulis formam Iustini Imperatoris referebat.* Ergo in vniuersum non plura quam octo haec testimonia de *Paragaudis* his, siue institis, siue vestibus occurrunt. Ergo paragauda vestis, differt a paragauda, quae accessio vestis fuit. Sed quodnam accessionis genus id erat? Ac primo quarumnam Vestium? Tunicarum nempe & Linearum; *Nemo*, inquit, *l. 2. auratas habeat aut in tunicis aut in lineis paragaudas.* Linearum paragaudarum quoque meminit nominatim Vopiscus *Aureliano* superiore loco, cum *darentur tunicae subsericae, lineae paragaudae:* Ex quo tamen loco non recte conicitur, quod aetate Vopisci, & sic Constantii lineae paragaudae solae in vsu essent: quia Vopisci sensus est, datas tum in munere lineas paragaudas; Cum nihilominus tamen sericae quoque paragaudae in vsu aliquo essent. Luxus scil. eo subsericae, sed non tunicae paragaudae. Meminit earundum idem & altero illo loco, linearum harum paragaudarum: *Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit, &c. & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & vsque ad pentelores, quales hodie Lineae sunt.* Ex quo loco apparet, de luxu Constantiani saeculi, quo lineae paragaudae, pentelores ferme erant. Sane Ammianus quoque Marcellinus testis, *lib. 22. cap. 4.* sub Constantio, vsus abundantes serici & textiles artes auctas fuisse. Eodem, ad lineas, inquam, paragaudas, pertinet Vopisci locus ille, *interulas paragaudias duas: interulae* enim lineae fuerunt. Ex hac interim *tunicarum* & *linearum* oppositione, discere licet tunicas fuisse non lineas. Fuere scil. tunicae holosericae, subsericae, vel sericae: vnde & altero illo Vopisci loco opponuntur *tunicae subsericae, & lineae paragaudae.*

Sed qualenam vestis genus istud fuit paragauda? Certe in duplici eae genere fuerunt, vel Auratae, in totum scil. *l. 1.* & *2.* vel saltem sericae auro intextae: *Auratas, ac sericas paragaudas auro intextas*, ait *lex 1.* Fuit sc. paragauda institae genus, seu lori species quaedam: *lorum* est segmenti genus, fasciae, vittae, quod vesti accedit, adsuitur vel atteritur, & quidem Phrygio opere: vnde quod *Phrygium* habet Latinus contextus Donationis Constantinianae, vertit Balsamo λῶρον. Paragauda igitur similiter lorum, seu segmentum Parthico opere, de quo mox. Porro huiusmodi paragaudae seu lora vestibus circumtexta fuere; modo singula, vnde *monolores paragaudae*, modo plura vnde *dilores*, *trilores*, *pentelores*.

De harum vsu quoque videndum, vt ita plenius adhuc liqueat, quidnam eae fuerunt, & cur *hac l.* & *prox.* prohibeantur. Primum igitur liquet ex Valeriani epistola apud Vopiscum *in Probo* (quae antiquissima eius, vt dixi, mentio occurrit) datas salarii loco, inter caetera interulas duas paragaudias, Probo adhuc imberbi Tribuno facto: *Quoniam mediocris fortunae erat, & vt eius dignitas incrementis iuuaretur.* Dedit pariter Gallienus Claudio, qui militibus praeerat, inter alia dona, & quidem inter alias vestes *albam subsericam paragaudam triuncem vnam.* Dedit Aurelianus primus paragaudias vestes militibus, cum ante non nisi vestes rectas purpureas accepissent. Tandem datas aurigis Circensibus Constantii Imper. tempestate, docet Vopiscus *Aureliano* tunicas subsericas, & lineas paragaudas, quod inter luxuriae argumenta deputat Vopiscus.

Ergo paragaudae vestes, id est, paragaudis auratis vel sericis auro intextis ornatae, ostensionali sic vt dicam hominum generi in vsu, propriaeque, vt videtur, fuere: Militibus videlicet, Tribunis, Aurigis Circensibus: Adde & mulieribus, quod *lex 1.* docet. Ita quidem, vt magnae luxuriae id haberetur: & vero maioris, *subsericae paragaudae*, quam *lineae paragaudae.*

Vtraeque igitur, vt harum ad Legum sententiam veniamus, *his duabus legibus* Valentis & Theodosii M. prohibentur; & quidem *l. 1.* iuxta, in *mulieribus* ac viris, cum tamen indulgendae saltem *foeminis* viderentur, ostensionali generi, φαντασίας ergo, cui ad cultum ferme plura licent. Scilicet sub Constantio proxime paragaudarum harum vsus foedum patrimoniorum exitium fuisse ex Vopisco apparet: Itaque a Valente mox prohibitae, deinceps & a Theodosio: cum aliqui adhuc paragaudarum vsum sibi tum vindicarent: Quare peremptoria *lege* omnibus paragaudarum vsu interdicendum putauit: *Nemo*, inquit, *lex 2. habeat paragaudas*, & *lex 1. tam viriles quam muliebres.* Et Iustinianus tamen sua aetate mulieribus paragaudarum vsum concessit: ideo cum Tribonianus *hanc leg.* in *Codicem suum* referret, *virilium* tantum paragaudarum prohibitarum mentionem fecit, subducta muliebrium mentione: sed & *l. 2.* vocem *vir* addidit, *Nemo vir*, qui tamen non animaduertit sequentia huic interpolationi reniti: nam cum a Gynaeciariis tantum Principis (velut habet *lex* ipsa) in Gynaeciis tantum Principis paragaudae fieri praecipiantur, eo ipso omnibus earum vsu interdicitur, praeterquam Principi, vel Principis ministerialibus, vt docet assumentum Triboniani *leg. 2. hoc titulo* (qui alias &p. 521
ipsi auratas vestes induere, de quo Lamprid. *in Alex. Seuero cap. 34.*) *priuatis*, inquit, *vsibus contexere conficereque prohibemus: sed Gynaeceis tantum nostris fieri praecipimus.* Ergo in Gynaeceis Principis tantum fieri paragaudas, est eas priuatis vsibus, & sic mulieribus quoque in totum interdicere: commercium & nundinas earum prohibere: nam eo tendunt hae leges ac nominatim *lex 1.* arg. *l. 7. Cod. Iust. de vectigalibus*, & *l. 2. supr. de fisci debitoribus:* quae *huic l.* coniungendae videntur, vt ad *d. l. 2.*

Ex Hesychii interim loco, quem restituit Salmasius, apparet, vestem & vocem Paragaudarum, Parthicam esse: quanquam, quod Casaubonus ex Ionathane paraphraste ostendit, pura puta haec vox Syrorum est, & aliorum Orientalium, a quibus Syri acceperunt. פרגדה siue פרגודה *paragoda.* Nomen etiamnum corruptum apud Hispanos remansisse videri cui possit, apud quos *Brocado* dicitur: vt apud nos *brochе d'or.* Quanquam eius vocis origo aliunde peti potest. Sane quod Parthicam vestem & nomen Hesychius facit, verum id esse ex eo quoque colligere licet, quod Valeriani Imp. primum aetate earum vsus innotuit; cui cum Parthis maxime res fuit, a quorum etiam R. Sapore tandem victus captusque est.

Tandem neque omittenda est comminatio, sub qua Theodosius M. *l. 2.* paragaudarum illarum vsu interdicit: *Non leui animaduersione*, inquit, *plectetur, quisquis vetito se & indebito non abdicarit indutu.* Vnde quoque apparet, quam graue id visum: eo scil. quia indutus hic Principi eiusque Aulae reseruaretur: qua causa priuatorum omnium respectu, *vetitus & indebitus indutus* dicitur.

Vnicum tantum discrimen inter *leg. 1.* & *l. 2.* notare mihi videor: nempe quod etiam sericas paragaudas auro intextas Valens prohibeat, *l. 1.* At Theodosius M. *l. 2.* aureas tantum: nisi *auratarum* voce vtrasque intellexerit.

De Holoveris *vestibus vetitis: Theodosii Iun.* lex.

III. (a) Imp. Theod. A. Maximino (b) Com. S. L. (c)

Temperent vniuersi, qui (d) cuiuscunque sunt sexus, dignitatis, artis, professionis, & generis, ab huiusmodi speciei (e) possessione, quæ soli Principi, eiusque domui, dedicatur: Nec pallia tunicasque domi quis serica (f) contexat aut faciat, quæ tincta conchylio (g) nullius alterius (h) permixtione subtexta (i) sunt: Proferantur ex ædibus tradanturque tunicæ & pallia ex omni parte texturæ, cruore infecta conchylii: Nulla stamina subtexantur (k) tincta conchylio: Nec eiusdem infectionis, (l) arguto (m) pectine solidanda, fila decurrant: Reddenda ærario olouera vestimenta (n) protinus offerantur. Nec est, vt quisquam de abiurato (o) pretio conqueratur, quia sufficit calcatæ legis inpunitas: *nec* (p) *vacet illi curare de quæstu, cui sua salus esse non* (q) *debet in pretio:* Ne quis vero hunc (r) huiusmodi (s) suppressione in laqueos Nouæ Constitutionis (t) incurrat: alioquin ad similitudinem læsæ Maiestatis (v) periculum sustinebit. Dat. XVII. Kal. Feb. Constp. Victore V. C. Cons. [424.]

NOTAE.

(a) *L. 4. Cod. Iust. eod. tit.* Forte huic iungenda *lex 14. supr. de murilegulis.* GOTHOFRED.

(b) *Maximinus* Comes S. L. sub Theodosio Iun. Eidem inscribitur hoc ipso Anno *lex 14. supr. de Murilegul. lex vlt. supr. de metallis: l. 3. supr. de conlat. æris.* & Anno sequente 425. *l. 15. de murileg.* vid. *Prosopogr.* IDEM. Cod. Iust. vulgat. Edit. *Maximo.* RITTER.

(c) Comiti S. L. hæc *lex* inscribitur pariter vt *lex 1. Cod. Iust. quæ res venire non poss.* quæ in eodem argumento interdictæ priuatis purpuræ versatur. GOTHOFR.

(d) *Cuiuscunque sint*; ita *Cod. Iust.* ID.

(e) *Speciei*, id est, vestis, V. *Gloss.* ID.

(f) *Sericas*: Cod. Iust. verum hoc rectum est. ID.

(g) De *Conchylio* dixi *supr.* ad *tit. de murilegulis.* ID.

(h) Coloris scil. ID. *Quæ nullius alterius*, Cod. Iust. RITTER.

(i) *Subtexta*, pro simplici *texta*, vel *contexta*, vt habet Cod. Iust. GOTHOFR.

(k) *Subtexantur* pro simplici *texantur*, vel *contexantur.* IDEM.

(l) *Infectionis*, id est, coloris. ID.

(m) Imitatio Virgiliana (ex *Georg. 1. v. 294.*) quod Lucas de Penna indicauit: ID.

Arguto coniux percurrit pectine telas. ID.

(n) *Virilia*, additum Cod. Iust. RITTER.

(o) *Abiuratum* pretium, id est, non præstitum, non solutum: *Abiuratum, pretium* proprie, apud Symmachum quoque *lib. 2. ep. 87. partem pretii proteruus emptor abiurat:* Cassiodorus *X. Var. 3. Non sum callidus abiurator.* GOTHOFREDVS.

(p) Abest hæc sententia a *Cod. Iust.* ID.

(q) Ridicula vox: sensus hic enim huius loci est: Esse satis quod sibi de vita sua & salute gratuletur, quam vt de quæstu seu lucro laboret: vitam ipsam sibi quæstui, lucro, & pretio deputare oportere. ID.

(r) *γρ. Nunc*, vt *Cod. Iust.* ID.

(s) An, *Cuiusmodi subreptione*, id est, quacunque subreptione? Minime. ID.

(t) Huius. IDEM.

(v) V. Pariter *l. vlt. supr. in pr. de murilegulis.* ID.

COMMENTARIVS.

P. 522. Holovera veste priuatis omnibus interdicit *hac leg.* Theodosius Iun. pariter vt *l. vlt. supr. de murilegulis.* In qua complurima notanda simul & illustranda veniunt. Primo generalitas prohibitionis ratione personarum: *Temperent*, inquit, *vniuersi, cuiuscunque sexus, dignitatis, artis, professionis & generis: Cuiuscunque sexus*, inquit; Olim scilic. purpurea vestis & mulierum & bacchantum propria fuit: de quo vid. Salm. *de pallio, p. 290. 291.* verum Theod. Iun. etiam mulieribus purpurea veste interdictum voluit. Sane etiam matronis vetita purpura, seu conchyliata vestis jam a Iulio, teste Suetonio *in Iulio cap. 43.* qui alias tamen modum tantum eius vsurpandæ statuit, non vero in totum ademit; Vetita & sub Nerone: vid. Sueton. *Nerone cap. 32.* Permisit postea Aurelianus, vt matronæ blatteas tunicas haberent seu purpureas; teste Vopisco, *in v. Aureliani cap. 46.* Post hæc matronis quoque rursum denegata hæc vestis, etiam a Theod. Iun. *hac l.*

Quibuscunque pariter *dignitatib.* holouera veste idem interdicit. Nempe eminentissimæ dignitates, veluti Consules & Præfecti prætorio purpuræ vsum aliquatenus iam affectasse videntur: quorum posteriorum summa dignitas erat, sic vt purpura tantum ab Imp. secernerentur: vnde ab Bunaplo

βασίλεια ἀπόρφυρος vocatur in *Vita Proæresii, p. 150. edit. Commelin.* Rursum ait, *cuiuscunque artis & professionis:* scil. scænici scænicæ eas vsurpasse quoque videntur, vt retro sub Theodosio M. crustas vestes, in quibus alio admixtus colori puri muricis rubor inardescebat, cui pariter id prohibere visum: *leg. 11. inf. de scænicis.* Chrysostomus *homil. in Paralyt. num. 4. pag. 554. Tom I. Oper. edit. Benedictin.* τῷ βασιλεῖ φέρειν ἁλουργίδα, καὶ διάδημα ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς μόνῳ ἔξεστιν, *soli Imperatori licet gestare purpuram, & diadema in capite.* Theophilactus *in 2. ad Timot. c. 4.* ὥσπερ ἂν οὐδεὶς ἁλουργίδα καὶ διάδημα βαστάζει, *quemadmodum vero nemo purpuram & diadema gestat.* Hinc & regalis purpura, Optato Mileuit. *lib. 5. cap. 7. pag. 86. Ed. du Pin.*

Secundo, contra notandum quod *hac leg.* dicitur, holoueræ vestis seu huius speciei possessionem soli Principi, eiusque domui dedicari: mox *& fine legis*, ad similitudinem læsæ maiestatis periculum sustinere, qui eam possederit, pariter vt *l. vlt. sup. de murilegulis:* dicitur priuata metaxa, seu sericum non sine læsæ Maiestatis crimine coloratum: scilicet purpuram Imperatoriæ Maiestatis *παράσημον* seu *γνώρισμα τῆς βασιλείας* fuisse notum est, seu (vt eleganter loqueretur Polybius) ἔξαλλος qua scil. ab aliis Princeps distinguebatur infinitis authoritatibus, Eunapii, *Porphyrio pag. 13. edit. Commelin.* Cassiodori, *I. Var. 2.* Synesii *de regno p. 18. edit. Petau.* Quare & quos Cæsares allegerent, eis purpuram tradebant vel transmittebant: vide Eunapium *Ædesio, p. 47. edit. cit.* Vnde & purpuræ adorationis mos, de quo *sup. lib. 6.* Et purpuram sumere & imperium sumere, idem; Pollio *in Balista, Zonobia, Gordianis.* Imo Libanius *in Iuliani necem, p. 305. edit. Morelli*, ait, *nefas esse Imperatorem non ferre purpuram,* ἐπεὶ καὶ τὴν ἁλουργῆ χλαμύδα φέρων, ἣν οὐκ ἦν βασιλεύοντα μὴ φορεῖν. Inde & præcipua sæpe calumniarum seges, si quis priuatus diceretur purpuram vsurpare, haud aliter atque indicium Tyrannidis affectatæ. vid. Sueton. *Neron.* Ammianum *lib. 14.* Chrysost. *orat. de Anathemate.*

Tertio ex *hac l.* liquet purpureas seu holoueras vestes *sericas* fuisse, quod etiam docet *lex vlt. supr. de murilegulis*, vnde blatta serica, *d. l. vlt.* vel serica blatta, *l. 13. d. tit.* vbi dixi.

Quarto notetur, purpuram duplici modo Tinctam: vel enim conchylio tingebatur nullius alterius permixtione: vt *hic* dicitur; vel alii admixtus colori puri muricis rubor inardescebat, cuiusmodi vestes *crustæ* dicebantur: vt docet *lex 11. inf. de scænicis.* Harum vsus honestioribus matronis permissus erat, non Mimis, *dict. l. 11.* At illarum vsus omnibus prohibitus erat.

Quinto iam obseruetur, *Holoueras* vestes hic aperte eas dici, quæ conchylio seu purpura tinctæ erant, nullius alterius coloris permixtione & *holoueræ*, quia meræ purpuræ, puri muricis, vt dicitur *d. l. 11. infr. de scænicis* citra vllius alterius coloris permixtionem; aliæ quippe purpurei quidem coloris aliquid habere poterant, sed non meri, non sinceri, verum ei admixtus alius color erat, sic vt illi muricis rubor inardescceret, vt loquitur *dicta lex 11.* quæ *crustæ* dicebantur. Ergo *holouera* vestes, quæ si quid purpuræ continerent, meræ purpuræ id erat, seu puri muricis. *Vera* purpura quod Cl. Salmasius ostendit, primum; seu verum lumen purpuræ, mox *verum* absolute, & *purpura vera* dici cœpit: vnde Chlamydes *veri luminis* apud Pollionem *Claudio, cap. 17.* Et apud Hesychium in *verb.* κιννάβαρι, ἀληθινὸν χρῶμα *de Coccino. Holoueri* mentio frequens apud Anastasium *de vitis Pontificum.* Isidorus *Origin. lib. 19. c. 22. olouera tota ex purpura. Alethina* vestis eodem sensu, quæ veram purpuram habebat: cuius *Alethinæ* mentio, apud veterem Orbis periegetem, quem edidi; & apud *Anastasium:* Cui opposita *pseudoaletina*, cuius meminit Auctor *libri de Cœna Domini*, qui vulg. Cypriano adscribitur, vbi Iosepho *pseudoaletinam* vestem tribuit, eo quod is falso creditus fuit pater Saluatoris nostri. Ergo *pseudoaletinæ*, quæ alio colore purpuram imitabantur, nihil veræ purpuræ habentes. Sic igitur hæc distinguenda venirent; Vel vestis veram & meram purpuram habebat, & hæc dicta *Holouera*, item *Alethina*: Vel non veram, sed colore alio fucatam, qui purpuram imitabatur, & hæc *pseudoaletina*: vel non meram, quia scil. aliquid tantum coloris purpurei alii colori immixtum erat, & hæc *Crusta* dicebatur. Ergo *holouera* seu *alethina* vera meraque ad distinctionem, tum *Pseudoaletinæ*, quæ vera non erat, sed falsa; tum *Crustæ*, quæ mera non erat, sed mixta.

Sexto obseruetur, (quod nondum ab aliis notatum) *Holouera* vestimenta trium generum hic memorari. Nempe non ea tantum Holouera vestis hic dicitur, quæ tota, seu omnibus sui partibus purpurea est, seu purpureo colore mvriceque tincta, verum etiam ea, quæ parte aliqua sua integrali vera meraque purpura tincta erat: siue inquam, stamen tantum, siue subtegmen tantum, quæ & trama, purpura tincta esset: Non eo minus holouera, quia vera meraque purpura in suo lumine suspici poterat, quacunque eius parte: Quod non tantum ex *Rubrica huius tituli*, cum *hac leg.* comparata discimus, verum expressissime ex *huius l.* contextu: vbi videl. distincte tres holoueræ vestis species exprimuntur: mox post eas enumeratas, generalis *olouerorum* vestimentorum appellatio subiicitur, qua superiores species omnes comprehenduntur. Ecce enim, *Nec pallia*, inquit, *tunicasque domi quis serica contexat aut faciat, quæ tincta conchylio nullius alterius permixtione subtexta sunt: proferantur ex ædibus tradanturque tunicæ & pallia* EX OMNI PARTE TEXTVRÆ *cruore infecta conchylii.* En primam holoueræ vestis speciem, & potissimam: cum videlicet & stamen & subtegmen, seu trama purpura 23.
tincta sunt. Iam sequitur secunda: *Nulla* STAMINA *subtexantur tincta conchylio:* Nempe holouera vestis est & illa, cuius vel stamen purpura tinctum. Tertia tandem exprimitur: *Nec eiusdem* [conchylii] *infectione, arguto* PECTINE *solidanda* FILA *decurrant.* Nempe & hæc holoueræ vestis species est, vbi vel subtegmen, seu trama purpura tincta est: *fila* scil. quæ *decurrunt*, & *arguto pectine solidantur*, subtegmen seu tramam significant: vbi obiter notanda imitatio Virgiliana, I. *Georgicon v. 294.*

Arguto coniux percurrit pectine telas.

& *lib. 7. v. 14. Æneid.*

Arguto tenues percurrens pectine telas:

& Ouidius eodem sensu 6. *Metamorph. v. 56.*

Inseritur medium radiis subtegmen acutis.

Fila alioquin proprie serica: vt in illo Aureliani; *Absit vt auro fila pensentur:* sicut apud recentiores Græcos πήνη, quod alias quoduis filum significat, pro sericeo, vt ostendit Doct. Salmasius *in* Iulii Capitolini *Pertinacem c. 8.* & in Vopisci *Aurelianum c. 45. 46.* Tandem igitur post tres has species ita expressas subiicit hæc Theodosius Iun. quæ eas omnes complectitur: *Reddenda Ærario* OLOVERA *vestimenta protinus offerantur.* Sic igitur liquet, quænam olouera vestimenta fuerint, & quotuplici sensu. Quibus addi potest & quarta species purpureæ vestis, non quidem si ipsam vestem spectes, verum ratione ornamenti: vbi videl. clauus purpureus erat: seu quæ clauis purpuræ oculata. Nullo modo tamen olouera.

Quæ cum ita sint, de variis iam erroribus hac parte admissis liquere potest. Primus est eorum, qui holouera cum *holosericis* commiscent, veluti

Turnebus

Turnebus in his 1. *Aduerſ. 13.* a quo neque Cuiacius abit, quaſi holouerae ita dictae fuerint, quod tota eſſent birri, qui toti ſerici erant, & toti conchyliati, arg. *canonis 13. Gangrenſis:* vbi & Balſamon & Zonaras βήρεις, σηρικὰς ἐσθῆτας, interpretantur, σηρικὰ ὑφάσματα. Verum praeterquam quod birri non omnes ſerici fuere, & holouerae vt iam oſtenſum eſt, ab holoſericis plane diuerſae erant: & vſus diuerſus: Harum ſcilicet vſus licitus erat, vt oſtendit *lex 1. infr. de ſcaenicis*, at non etiam holouerarum, quae ſoli Principi eiuſque Domui dedicatae erant. Nempe rectius nuper Ferrarius *de re veſtiaria. lib. 2.* qui putat, holouera dicta pura voce Graeca, quaſi ὁλοπόρφυρα: vnde per corruptionem *Holophora*, *Holoſera*, *Holobera*, *Holouera* dicta fuerint; quomodo Papias, *Holophora*, *veſtis tota ex purpura.* Iam enim oſtenſum quando *veri* appellatio proprie *Purpurae* conueniet. Vnde hybrida vox *Holoueri* facta: cui & *Alethini* vox Graeca reſpondet: ad differentiam *Cruſtae*, in quibus non vera purpura, non mera erat, verum in quibus alii admixtus colori puri muricis rubor inardeſcebat.

Imo tertius quoque error eſt eorum, qui *Cruſtas*, de quibus modo, eaſdem faciunt cum iis quarum trama purpurea erat, ſtamen vero alio colore infectum. Nam imo, vt modo oſtendimus, haec inter holoueras veſtes *hac l.* cenſentur, vbi videlicet conchylii ſeu purpurae infectionis arguto pectine ſolidanda fila decurrunt. At in cruſtis, purpura alii colori tantum admixta, non holouera. Quartus error eſt eorum, qui exiſtimant, holouera illa tantum veſtimenta dici, quae tota ex Purpura conſtabant ab omni parte, quomodo Iſidorus ipſe, *Olouera tota ex purpura*, interpretatur: Haec enim *lex*, vti dixi, clare oſtendit holouera dici, etiam ea quae in parte al qua integrali olouera ſunt: ſiue ſtamen, ſiue ſubtegmen purpureum ſit, etſi non ex omni parte oloueron.

Vnde illud quoque iam diſcimus, ex filo vel ſtamine iam tincto purpura pannos ſericos quandoque contexi ſolitos: & ſic tramam & ſtamen iam tincta fuiſſe, priuſquam ex his veſtimenta contexerentur, vbi videl. non tota veſtis purpura erat. Sed tamen non inde ſequitur, (qui quintus quorundam error eſt) ipſos pannos iam contextos, purpura non tingi ſolitos: Quid enim vetabat, ex illa forte, purpuream tingi?

Nunc ad ſententiam *legis* redeundum eſt. Ergo Theodoſius Iun. *hac l.* ita purpureae veſtis ſeu olouerae vſu priuatis interdicit, vt ſi quas priuati habeant, proferre, tradere, reddere, offerre Aerario Principis iubeat: Sub quatuor Ampliationibus, quarum duas iam ſupra expendimus, tum ratione perſonarum, cuiuſcunque videlicet ſexus ſint d gnitatis, artis, profeſſionis: tum ratione veſtis: ſiue inquam ex omni parte texturae holouerae ſint, ſiue ſtamine, ſiue ſubtegmine tantum purpureae.

Sequuntur duae aliae ampliationes. Tertia igitur Ampliatio haec eſt; quod ita veſtes oloueras domi contextas vel factas aedibus proferri, Aerarioque tradi iubeat, vt *Pretium* earum praeſtari nolit: contra *pretium abiurari* velit: addita ratione, *quod ſufficiat calcatae legis impunitas: neque vacare debeat illi curare de quaeſtu, cui ſalus eſſe debet inpretio*: ita enim legendum ſublata negatiua, *non*, in poſtremis hiſce verbis. Nempe ſat habet, quo ſibi gratuletur, ſeu quaeſtum hunc magnum putare debet, quod non poena merita afficiatur. Denique ſaluum ſeſe eſſe ſalutemque adeo ſuam in pretio ſeu loco pretii habere debet. Impunitatem ſalutemque ſibi conſtare poſt violatam legem, pretium ingens eſt.

Poſtrema Ampliatio eſt, quod ſupprimentibus ſeu retinentibus apud ſe huiuſmodi veſtes holoueras, poenam Maieſtatis minitetur: de quo *initio* dixi.

P. 524

DE FABRICENSIBVS.

TITVLVS XXII.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. IX.

Adde Nouellam *Theodoſii 13. de bonis Fabricenſium.*

PARATITLON.

FABRICAE *l. 2. 3. 4. h. t.* & *l. 37. 81. infr de Decurionib.* & *l. 8. ſupr. de metatis: l. 10. ſupr. de veteranis* [armorum ſcil. de qua armorum fabricatione agitur & *l. 15.* & *18. infr. de extraord ſiue ſord. mun.*] variae per Orbem Romanum fuere: per Orientem: quo pertinet *lex 2 4. 5. 6. h t.* veluti Antiochiae, *d. l. 8. ſup. de Metatis:* & in aliis ciuitatibus, *d. l. 8.* item per Occidentem: quo ſpectat *lex 3. h. tit.* & *l. 10. ſupr. de Veteranis.* Ad has armorum fabricas, ſpecies metalli veluti materia ferri praebebatur a prouincialibus, *l. 2. hoc tit.* & *l. 15. 18. infr. de extraord.* item carbones *d. l. 15.* & *18.*

In his qui arma fabricarent erant, qui ideo FABRICENSES dicebantur: *Rubr. l. 4. 5. 6. hoc tit.* & *l. 37. 81. infr. de Decurionib. l. 8. ſupr de metatis:* qui ſcil. muneribus ciuilibus obligati eſſent, non vero Curiali genere ſeu nexu, *l. vlt. hoc tit.* & *d. l. 37. 81. inf. de Decurion.* Hi ab hac conditione recedere non poterant, *l. 5. 6. hoc tit.* Et vt, ſi quando fugitiui facti latitanteſque dignoſci poſſent, ſtigmata his, id eſt, nota publica horum brachiis exemplo Tyronum infligebatur, *l. 4. hoc tit.*

Harum fabricarum & fabricenſium Praepoſiti fuere: quorum mentio *l. 10. ſupr. de Veteranis:* & inter caeteros, Primicerius fabricae, *l. 3. hoc tit.* Erantque fabricae & fabricenſes ſub Magiſtri Officiorum diſpoſitione *l. 3. 4. 5. hoc tit. l. 8. ſupr. de metatis:* Nouella Theodoſii *de bonis Fabricenſ. 13.*

Priuilegia eorum quoque certa fuerunt, veluti vt a metati onere immunes essent, *d. l. 8. supr. de Metatis.* Non etiam Curialem a Curia liberat fabricensium consortium, *leg. 37. in. de Decurion.*

Barbaricarii quoque in his fabricis erant, de quibus *l. 1. h. tit.* & *l. 2. infr. de excus. artificum:* veluti Antiochiæ & Constantinopoli, *d. l. 1. h. t.* qui cassides & bucculas tegerent ære, argento, vel auro, decorarent, denique auro argentoque condecorarent: *l. 1. hoc tit.* quæ quidem sub Comite S. L. fuerunt, *d. l. 1. h. t.*

I. (a) Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. Tatiano Com. S. L. (b)

Cum senæ per tricenos dies ex ære, tam apud Antiochiam, (c) quam apud Constantinopolim a singulis Barbaricariis cassides, sed & bucculæ, (d) tegerentur: octo vero apud Antiochiam cassides totidemque bucculas per dies triginta, & tegerent (e) argento & deaurarent, apud Constantinop. autem tres solas: Statuimus, vt Constantinopoli quoque, non octonas (f) singuli cassides per tricenos dies, sed senas si, (g) pari numero buccularum, auro argentoque condecorent. Dat. V. Id. Mar. Antiochiæ, (h) Grat. A. III. & Equitio Coss. [374]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* tanquam historica. GOTHOFRED.

(b) *Tatianus* Comes S. L. sub Valente: & sic per Orientem: cui inscribitur & hoc ipso Anno *lex* 8. *supr. de murilegulis:* & *l.* 8. *de falsa moneta:* Imo & sine die & Cos. *lex* 2. *Cod. Iust. de commerciis.* ID.

(c) Cœle-Syriæ, Orientis apicem & verticem. ID.

(d) *Senæ* videlicet: quod repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. Quare nil hic mutandum, quod tamen faciunt qui reponendum hic putant, & *sex bucculæ.* ID.

P. 525 (e) Barbaricarii scil. ID.

(f) Non octonas quidem, vt Antiochiæ. ID.

(g) An *pari numero*, sublata voce, *si*? an *impari* vel *dispari*. An, *Sed senas cassides, pari numero* &c. ID

(h) Valens Antiochiæ hoc tempore constitit: vbi data etiam paulo ante ad eundem Tatianum Com. S. L. *d. lex* 8. *supr. de murilegulis*, & paulo post: *d. lex* 8. *sup. de falsa mon.* quæ vtraque eidem *Tatiano Comiti S. L.* inscribitur. IDEM.

COMMENTARIVS.

Operis menstrui modum Barbaricariis fabricensibus *h. l.* præfinit Valens Imperator, & nominatim Antiochenis, & Constantinopolitanis, ipsemet Antiochiæ hoc tempore positus. In qua notanda sunt plura. Primo, loca seu vrbes quarum hic mentio fit, & per hoc fabricarum armorum per eas, *Antiochia* scilicet, Cœle Syriæ ciuitate, totiusque Orientis apice & vertice armorum fabricæ & fabricenses erant: quorum mentio fit quoque in Arcadii *l. 8. sup. de metatis*, seu *lex 4. Cod. Iust. eod. tit.* & in *Notitia Imperii* sub Theodosio Iun. Arcadii filio, vbi duæ fabricæ fuisse memorantur *fol. 42. Scutaria & armorum Antiochia: clibanaria Antiochiæ: Constantinopoli* item, armorum fabricas, & fabricenses fuisse hæc *lex* ostendit, quarum tamen nulla mentio fit in *Notitia Imperii*. De harum igitur duarum Principum ciuitatum fabricensibus Barbaricariis est hæc *lex*. Et quidem ita vt *Antiochia* hic præmittatur, quæ an hoc adhuc tempore τὰ πρωτεῖα ante Constantinopolim habuerit alibi disquiro, etiam disquisiui ad *Veterem orbis descriptorem sub Constantio*, *cap.* 23. De aliis per Orientem fabricis & fabricensibus videnda est *Notitia Imperii*, in quibus & Cæsarea Cappadociæ. Quorum meminit quoque Greg. Nazianzenus oratione funebri in laudem Basilii 20, *pag.* 354. *edit. Lips. siu. Colon. apud Weidman.* sub Valente huius constitutionis authore οἱ περὶ τὴν ὁπλοποιητικὴν inquit.

Secundo de *Barbaricariis* videndum est; quorum mentio fit quoque *l. 2. infr. de excus. artif.* & in *Notitia Imperii* tum *Orientalis*, tum *Occidentalis*. In Notitia Orientali his verbis *fol. 42. Officium Illustris viri, Magistri officiorum de schola agentium in rebus est ita: adiutor, subadiuuæ Adiutoris duo: Fabricarum tres: Barbariorum* (*vel. Barbaricariorum*) *tres.* In Notitia Occidentis ita, sub Comite S. L. *fol.* 141. *Sub dispositione V. I. Comitis S. L. Præpositi Brambaricariorum* (ibique rescribendum *Barbaricariorum*) *siue Argentariorum. Præpositus Brambaricariorum siue Argentariorum Arelatensium. Præpositus Brambaricariorum siue Argentariorum Rhemensium, Præpositus Brambaricariorum siue Argentariorum Triberorum.* Fit etiam scrinii horum Barbaricariorum mentio in *Nouella Theodosii Iun. tit.* 29. *de scholaribus*, vbi perperam scrinium *Barbarorum* editum. Fuerunt vero Barbaricarii isti, vt vel ex *hac leg.* patet, qui arma, veluti cassides, bucculas ære tegebant, vel argento, vel etiam auro condecorabant: Hinc & generali *fabricensium* nomine & titulo, *huius tituli Rubrica* continentur: hinc & in Notitia Orientali, *Adiutores fabricarum*, & *Barbaricariorum* proxime iunguntur. Quomodo & Fabricenses & Argentarii (qui iidem sunt cum Barbaricariis mox vt ostendam) iunguntur *l. 37. inf. de Decurionib.* Barbaricarii igitur erant, qui vt Poeta *Æn. VII. v.* 633.

- - thoracas ahenos,
Aut leueis ocreas lento ducunt argento.

Donatus eos ita describit: *Barbaricarii dicuntur, qui ex auro coloratis filis exprimunt hominum formas, animalium, & aliarum specierum imitantur subtilitate*

te veritatem: Barbaricarii scil. a Barbarico opere & ornamento. Glossæ veteres: *Barbarica, ornamenta ex auro.* Barbaricarii igitur omnes, qui Barbarico opere formas & species alias imitata veritate, opere suo, id est, auro vel argento exprimebant, vt in aliis rebus ita exerte in *Armorum* ornamentis. Quæ caussa est cur Barbaricarii isti, modo sub Officio Magistri officiorum fuerint, modo sub dispositione Comitis S. L. Sane *hac l.* quæ inscribitur *Tatiano Comiti S. L.* docemur, eos sub Comite S. L. fuisse in Oriente sub Valente: quomodo & in Occidente fuerunt sub Valentiniano Tertio, vt docet *Notitia Imperii.* Atenim in Oriente sub dispositione Magistri officiorum fuisse Barbaricarios postea sub Theodosio Iun. docet *Notitia Imperii*, & *d. Nouella Theodosii 29. de scholaribus.* Nempe Barbaricarii, quia circa *arma* versarentur sub Magistro officiorum aliquando fuere: rursum quia *exornatores* erant *specierum fiscalium*, armorum, ideo aliquando sub Comite S. L. fuerunt.

Cæterum, quod tertio loco hic notandum, ornamenti Barbaricarii genera tria hic memorantur, *ex ære, argento, auro:* Nempe arma, quæ ferrea erant, olim ex ære aliquando, vid. Liuium *lib. 1. cap. 43.* vt docet quoque *lex 2. prox. inf.* & *l. 15. 18. inf. de extraord.* hoc triplici ornatu condecorabantur, tegebantur, vel *Ære* inquam, vel *Argento*, vnde *Argentarii* iidem dicti, *lex 37. inf. de Decurionib.* etiam nominatim in Gallia sub Valentiniano Tertio, vt docet *Notitia Imperii;* vel denique *Auro.* Iam olim Arma auro & argento decorata, testis Suetonius *in Iulio c. 67.* Iuuenalis *Satyr. XI. v. 108.*

Argenti, quod erat solis fulgebat in Armis.

Plutarchus in *Bruto*, & in *Lucullo:* Ioseph. *de bell. Iud. lib. 5.* Ac nominatim Cassides & Bucculæ.

Bucculæ, inquam, quod Quarto loco hic notandum, id est, buccarum tegmina de Casside pendentia: Liuius: *Alii galeas bucculasque tegere.* Iuuenal. *Satyra X. v. 134.*

- - *fracta de Casside buccula pendens.*

Capitolinus *Maximino Iun. cap. 3. Fecit & spathas argenteas, fecit etiam aureas; fecit & galeas gemmatas, fecit & bucculas.* In Glossis, *buccula*, παραγναθὶς Nempe a *buccula*, id est, maxilla, vt in illo Suetonii *in Galba cap. 4. Augustum puero adhuc salutanti se inter æquales apprehensa buccula, dixisse*, &c. Quo loco mos tangitur, quo blandientes solent maxillam puerorum tangere & apprehendere: de quo locus est Seruii ad 1. *Æneid. v. 260.*

Oscula libauit nata - - - -

Germani vocem retinent bäckel haube. Nos *boucle* vocamus, vinculum alicui rei adstringendæ. Quicquid Græcæ Glossæ νομικοί, quicquid Constantinus *them. Orient 6.* scribant, *buccellarios* quoque ab his bucculis dictos putem: buccellarii enim sunt Armigeri: hinc in veteribus Chronicis legitur, *Valentinianum interfectum fuisse ab Ætii buccellario*, quod Marcellinus ait, *a satellitibus*, Idacius *a familiaribus.* Sane & *Buccularum structores*, apud Paternum *lib. 1. militarium*, in *leg. vlt. D. de Iur. immunitat.* qui bucculas parant conficiuntque. Has Bucculas Sidonius, *lib. 3. ep. 3.* flexiles laminas P.526
vocat. *Alii de concauo tibi Cassidis exituro, flexilium laminarum vincula diffibulant.* Et Silius *lib. 14. v. 164.* de his

Cassidis a mento malefida vincula rupit.

Vincula buccularum, seu lora, ὀχεῖς Suidæ. (a)

Nunc de ipsamet *huius leg.* sententia. Igitur Valens Imp. Operis menstrui modum fabricensibus, Barbaricariis singulis Constantinopoli & Antiochiæ partim memorat, partim præfinit. Nempe memorat in tegendis ære cassidibus & bucculis congruisse, seu conuenire & Antiochenos & Constantinopolitanos Barbaricarios: singulos enim ex his per tricenos dies ex ære sex cassides, totidem bucculas texisse: Atenim in tegendis, seu condecorandis auro, argento, cassidibus & bucculis: eos non congruisse: illos enim octo cassidas totidemque bucculas texisse argento, & deaurasse per dies triginta, hos vero tres tantum. Atenim Valens, priore illo numero circa tegendas ex ære cassidas & bucculas, qui inter illarum ciuitatum barbaricarios congruebat, hunc posteriorem ad æqualitatem & æquitatem quandam *hac leg.* reducit. Nempe enim, Constantinopoli quoque non quidem octo Cassidas, & bucculas, per tricenos dies a Barbaricariis auro argentoque condecorari voluit, vt Antiochiæ; verum sex: cuius disparis numeri, seu disproportionis rationem comminisci licet: Cur inquam congruerent vtriusque vrbis Barbaricarii in tegendis ex ære cassidibus & bucculis, non congruerint vero in tegendis auro & argento.

(a) Adi CL. DV FRESNE *in Gloss.* voc. *buccula*, qui refutat eos, qui statuunt post TVRNEBVM *IX. Aduersar. 16.* bucculam esse partem cassidis, quæ demissa *buccam* tegat: quam sententiam etiam defendit supra Gothofredus.

II. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Tatiano P. P. (b)

OMNIBVS Fabricis non pecunias pro speciebus, (c) sed ipsas species sine dilatione inferri, in (d) perpetuum seruanda hac forma, præcipimus, vt venæ nobiles, (e) & quæ facile deducatur (f) ignibus seu liquescat, ferri materies, præbeatur, quo promptius adempta fraudibus facultate commodo publico consulatur. Dat. XV. Kalend. Nou. Theod. A. II. & Cynegio Coss. [388.]

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Tatianus* PP. & quidem Orientis, sub Theodosio M. V. *Prosopogr.* ID.

(c) Ferri. IDEM.

(d) Absunt hæc a C. Iust. *in perpetuum obseruanda hac forma.* ID.

(e) Veteri scriptura pro *nobilis*, vt recte habent scripti Iustinianei *Vena nobilis.* Cassiod. *III. V. 6. foculis suis producit nobilis* vena

vena primarios &c. Passiua obseruatio de venis lapidum & metallorum ac nominatim ferri, de quibus *supr. tit. de metallis*, & in *Gloss.* *IDEM.*

(f) *Deduci* ignibus, est liquescere: λύεσθαι καὶ χωνεύεσθαι, vt Græci hic exponunt; vnde παραλλάξιμος hic, *quæ facile deducatur ignibus seu liquescat.* Iuuenalis *Satyra VII. v.53.54.* allusit:

> *Sed vatem egregium, cui non sit publica vena*
> *Qui nil expositum soleat deducere* - -

Vid. plura in *Gloss.* *ID.*

COMMENTARIVS.

FERRI materiam ad armorum fabricam prouinciales alicubi contulere; quod præter *banc l.* docet *lex vlt. infr. de collat. donat.* vbi *ferraria* hæc *præstatio* vocatur. Imo docere puto duas præterea *hoc Cod.* puta *legem 15. & 18. infr. de extraord.* Pariter vt æs quoque alibi collatum, de quo *infr. tit. de collat. æris:* & *l. 23. infr. de annon. & trib. l. vlt. infr. de collat. donatar.* Extat & de ea ferri collatione locus Basilii Cæsareæ Cappadociæ Episcopi *ep. 277.* siu. *110. edit. Benedictin.* vbi is Modestum PP. Orientis (decimo ferme & si quid excurrit ante *h. l.* anno) rogat, vt Taurum montem incolentibus ferri tributum tolerabile imperet, ne confecti penitus fatiscant, sed seruire publicis vsibus vlterius possint, eamque scribendi sibi caussam esse. ὁμοῦ δὲ καὶ χρεία τῶν καταπονουμένων ἐξεβιάσατό με πρὸς τὸ θαρσεῖν. εἰ τις οὖν καὶ παρὰ τῶν μικρῶν ἐπὶ τοῖς μεγίστοις ἱκετηρίας ἰσχὺς, παρακλήθητι θαυμασιώτατε φιλανθρώπῳ νεύματι, ἐλεεινῇ ἀγροικίᾳ τὴν σωτηρίαν χαρίσασθαι, καὶ τοῖς τὸν Ταῦρον οἰκοῦσι τὸν σιδηροφόρον φορητὴν προστάξαι γενέσθαι τὴν τοῦ σιδήρου συντέλειαν· ὡς μὴ εἰς ἅπαξ αὐτοὺς ἐκτριβῆναι, ἀλλὰ διαρκῆ αὐτῶν εἶναι τὴν ὑπηρεσίαν τοῖς δημοσίοις. *Simul & necessaria res hominum afflictorum confidere coegit. Si quid igitur tenuissimorum preces apud viros potentissimos valuerint: fine te, vir inprimis admirande, hoc exorem, vt pro tua benigna voluntate, rusticitati miserandæ Salutem largiaris; ac iubeas vt ferri tributum iis, qui Taurum ferriferacem incolunt, fiat tolerabile, ne statim obruantur, sed publicis vsibus diu inseruiant.* Quo etiam Basilii Cæsareæ Cappadociæ Episcopi loco obseruandum, quod ait, ferrum istud collatum a Tauri Montis accolis in Cappadocia scil. De quo Cappadociæ ferro Plinius quoque *lib. 34. cap. 14.* Est & de hoc ferri vectigali, Claudiani locus de *Bello Getico* a *v. 538.*

Cæterum iam alicubi in Oriente non ipsa species seu materia ferri fabricis præbebatur, verum pecunia pro speciebus, & sic *adærabatur* (quæ vox hac in re propria) Vnde fraudibus locus factus, commodumque publicum destitutum. Nempe fabricensibus pecunia sibi data venæ ignobilis materiam quæque non facile ignibus *deduceretur*, id est, liquesceret, sed fragile & ærosum comparantibus, atque exinde arma conficientibus. Igitur *h. l.* Theodosius M. speciem ipsam ferri fabricis inferri iubet: eamque venæ nobilis, & quæ facile igne diduci posset seu liquescere: vt ita deinceps commodo publico consulatur, & fraudibus facultas adimatur. Qua ipsa ratione & cæteroquin ferme tributa in ipsis speciebus inferri, non etiam adærari Imperatores voluerunt: de quo *titul. infr. Tributa in ipsis speciebus inferri.*

Tandem & illud ex *hac l.* obseruetur, ideo *hanc l.* quæ alioquin de Fabricis Armorum est, inscribi *Præfecto Prætorio:* quia agatur de collatione ferri: cujus collationis tributariæ summa ad Præfectum P. pertinebat: Quæ & ipsa caussa est cur Basilius superiorem epistolam ad *Modestum PP.* dederit. Cum alias (excepta *l. vlt*) huius tituli *leges*, quæ de Fabricensibus sunt, *Magistris officiorum* (vt pote sub quorum dispositione erant) inscribantur.

Auctarii loco, de fabricis & fabricensibus præterea, quæ hoc Codice occurrunt, videnda *Imperii Notitia*, quæ fabricas Armorum sigillatim enume- P.527. rat, tum in Oriente tum in Occidente: Videndus & Ammianus Marcellinus, qui fabricarum non vno loco meminit; sub Constantio, *lib. 14. cap. 7. & 9. lib. 15. cap. 5.* sub Valentiniano Sen. *lib. 29. cap. 3.* Et quidem fabricæ Cremonensis (cuius etiam mentio in *Notitia fol. 138.* & *d. c. 5.* nam ad Antiochenam pertinet locus *d. cap. 7. & 9.* ad Treuericam locus *lib. 29. cap. 3.*

III. (a) Idem AAA. Rufino (b) Magistro Officiorum. (c)

PRIMICERIVM Fabricæ post biennium non solum vacatione, verum etiam honore donari præcipimus; ita vt inter Protectores (d) adoraturus æternitatem nostram suo quisque tempore dirigatur. Dat. VIII. Id. Mar. Med. Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.]

NOTAE.

(a) *L. 2. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Rufini* huius Magistri officiorum, meminit & Zosimus, *lib. 4. cap. 51.* Ambrosius *ep. 53. ad Tatianum:* Theodoretus *lib. 4. c. 17.* *ID.*

(c) *Magistro officiorum* hæc lex, & duæ sequentes pariter vt Nouella Iustiniani *de armis* 85. ideo inscribuntur, quia sub eius dispositione fuerunt fabricæ & fabricenses, vt docet *Notitia Imperii fol. 42.* Sed & locus Ammiani Marcellini *lib. 15. cap. 5. & l. 6. Cod. l. eod. tit.* *ID.*

(d) *Eiusdem fabricæ post biennium:* hæc addita vulgo *Cod. Iustin.* quæ tamen ipsa absunt a veterib. Codicibus quibusdam: & vero abesse debent, mox vt ostendam. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE PRIMICERIO Fabricæ est hæc Theodosii Magni constitutio. *Primicerius* fabricæ, qui *hac leg.* dicitur, an idem est cum eo, qui sub Constantio ab Ammiano Marcellino *Tribunus fabricæ* vocatur *lib. 14. cap. 7. & 9. lib. 15. cap. 5.* ab eodem & *l. 10. supr. de veteranis?* Sub Valentiniano Sen.

Prapo-

Præpositus fabricæ, lib. 29. cap. 3. Subadiuua Fabricæ sub Theodosio Iun. & Valentiniano *III. in Notitia Imperii fol. 41. 42.* Qui scil. fabricæ Præpositus, & in ea primus erat, Primicerius: Quo sensu & Primicerius Notariorum, de quo suo *tit. sup.* & alii similes. Denique Primicerius fabricæ, qui fabricæ Præpositus eam administrabat, quia etiam *administrationis* voce hac in re vtitur *d. l. 10. sup. de veteranis.*

Eius porro administratio *hac l.* biennalis constituitur: cum alia atque alia temporis præscriptio aliorum Corporum & Collegiorum seu scholarum Palatinarum primiceriis posita fuerit, modo biennalis modo triennalis.

Rursum vt administratione functis aliis suo tempore non tantum vacatio dabatur, verum etiam cum honore aliquo & *προνομίω* dimittebantur: ita & *hac l.* Primicerium dimitti iubet Theodosius eo nempe, vt inter Protestatores ad Principis Purpuram adorandam admittatur. De purpuræ adorandæ honore dixi semel plena manu ad *l. vn. supr. de præpos. S. Cubiculi.* Eo inter alios mactati *Protectores* (de quibus *suo titulo supr. lib. 6.*) & domestici Principes: vt docet præter hanc leg. *lex 3. supr. de domesticis: lex 9. supr. de diu. officiis.* Hunc itaque honorem Protectoris, & sic adorandi Principis, multi ambiuere, & pro præmio is multis collatus: quod præter *hanc l.* & *l. 4. 5. 8. supr. de Veteranis*, & *l. 12. supr. de testimoniali: l. 2. 3. supr. de diu. offic. lex 7. 14. infr. de lustrali collat. lex 153. infr. de Decurionibus*, docet Symmachus *lib. 4. ep. 67.* Paulinus Nolanus Ep. *ad Militem Religiosum:* de quo dixi ad *d. l. 5. supr. de Veteranis.* Inter alios vero, Veteranis hic honos delatus, de quo pleraque illa loca sunt. Delatus & aliis: velut Primicerio, *hac l.* vt inquam inter Protectores ad Principem adorandum admitteretur: non quasi Veteranus, seu non vt Veterani, sed pariter vt Veterani, cum eadem Protectoris dignitate dimissi: Ita quoque in *Notitia Imperii Orientalis* sæpe initio facto a Duce Scythiæ, *Principes officiorum completa militia inter Protectores adorare dicuntur*, vbi tamen hactenus pessime vbique *adorat protectorem*, loco *adorat inter protectores.* Nam & in Proconsule Achaiæ & Comite Orientis, Præf. Augustali, Vicario Asiæ, Ponticæ, Comite limitis dicitur *Princeps officii adorata Clementia Principali cum insignibus exire.* Hæc cum ita sint, liquido apparet, quam inane Glossema sit, quod *Codice* Iustinianeo *huic l.* vulgo additur, quod tamen ipsum a veteribus libris melioribus abest: nulli quippe Protectores fabricæ neque per biennium tantum hic adorandi Principis honos alicui delatus stetit; verum delatus semel, perpetuus extitit.

IV. (a) Impp. Arcad. & Honor. AA. Osio (b) Magistro Officiorum. (c)

Stigmata, hoc est nota publica, Fabricensium brachiis, ad imitationem tironum, infligatur, vt hoc modo saltem possint latitantes agnosci: his qui eos susceperint, vel eorum liberos, (d) sine dubio fabricæ vindicandis, & qui subreptione quadam declinandi operis, (e) ad publicæ cuiuslibet sacramenta militiæ transierunt. Dat. XVIII. Kal. Ian. Constp. Honor. A. IV. & Eutychiano Coss. [388]

P. 528. NOTAE.

(a) *L. 3. Cod. Iust. eod tit.* GOTHOFR.

(b) *Osius* Magister officiorum sub Arcadio: cui inscribitur hoc ipso Anno 388. *lex 5. supr. de metatis*: A. 395. *lex 7. supr. de Agentib. in reb.* An. 396. *lex 8. 9. d. t. de agentibus*, & *lex 6. supr. de Proximis.* De eodem est & hic locus Claudiani *lib. 2. in Eutropium a v. 345.* quem scripsit Anno prox. 399. vbi ostendit, eum secunda potestate ab Eutropio in Orientali aula fuisse, quæ sane secunda potestas est *Magisteria officiorum*; Item, eum Hispanum fuisse, & seruili conditione, & coquum.

- - - - - - - - sed prima potestas
Eutropium præfert, Hosio subnixa secundo:
Dulcior hic sane cunctis, prudensque nouandi
Iuris. & admoto, qui temperat omnia, fumo
Feruidus, accensam sed qui bene decoquat iram.
Considunt apices gemini ditionis Eoæ:
Hic coquus, hic leno, defossi verbere terga,
Seruitio, non arte pares: hic sæpius emptus,
Alter ad Hispanos nutritus verna penates. ID.

(c) Cur Magistro officiorum hæc *lex* inscribatur iam dictum ad *l. 3. supr.* ID.

(d) Ita omnes editiones *huius Codicis* excepta postrema, vbi editum *liberis*: vt in *Cod. Iust.* male. ID.

(e) Fabricationis, seu fabricandorum Armorum. ID.

COMMENTARIVS.

Stigmata fabricensium brachiis infligi, exemplo tironum, iubet *hac l.* Arcadius Imp. vt hac saltem ratione fugitiui dignosci possent. Nunc de singulis.

Stigmata, id est, *nota publica*, vt *hac ipsa leg.* explicat Arcadius: de stigmatis pœnæ causa vel seruis stigmatis non est hic locus: de quibus dictum *l. 2. supr. de pœnis*: verum de stigmatis notæ, seu notitiæ ergo, non in pœnam, vt hoc scil. indicio fugitiui interposci possent, atque adeo a fuga retrahi. De *Tironibus* seu *militibus* stigmate notari solitis præter *hanc leg.* nota sunt Vegetii duo loca, *lib. 1. cap. 8. Non statim*, inquit, *punctis signorum scribendus Tiro*: & *lib. 2. cap. 5. victuris in cute punctis milites scripti*: Est & Aetii Amideni Medici *Tetrabibl. II. serm. 4. c. 12.* στίγματα καλοῦσι τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου, ἢ ἄλλου τινὸς μέρους τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα, οἷά ἐστι τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσί.

χεϱσί. *Stigmata vocant, quæ in facie, vel in alia parte corporis inscribuntur, qualia sunt militum in manibus.* Gregorius *epistol. 2.* vbi mentio fit constitutionis Mauritii. *Ne quis manu signatus ante expletam militiam ad monasteria migret*; quam dicit priorem tulisse Iulianum Parabatam. Hæc inquam loca iam nota sunt. Verum addantur sequentia. Ambrosii, de obitu Valentiniani, *Tom. III. Opp. pag. 12. Charactere domini inscribuntur & serui, & nomine Imperatoris signantur milites.* Chrysostomus in *poster. ad Corinthios, hom. 3. in fin.* καθάπεϱ γὰϱ στϱατιώταις σφϱαγὶς, οὕτω καὶ τοῖς πιστοῖς τὸ πνεῦμα ἐπιτίθεται· κἂν λειποτακτήσῃς, κατάδηλος γίνῃ πᾶσιν, *quemadmodum enim nota quædam militibus, ita fidelibus quoque spiritus imponitur: quo fit, vt si ordinem deserueris, perspicuus omnibus fias.* Vbi vides rationem expressam horum stigmatum, vt scil. hoc modo latitantes & militiæ refugæ agnosci possent. Idem in *c. 3. ad Galat. edit. Comel. p. 1000.* vbi de eo qui se regradari pateretur in militia, ὥσπεϱ ἄν εἴ τις ἀπὸ στϱατηγῶν, καὶ ἀϱιστέων μετὰ μυϱία τϱόπαια καὶ νίκας εἰς τὴν τῶν λειποτακτῶν δὲ ἑαυτὸν ἀτιμίαν, καταστίζειν παϱέχει τοῖς βουλομένοις τὸ σῶμα, *perinde ac si quis e ducibus ac fortibus viris, post innumera trophæa victoriasque seipsum in desertorum infamiam tradat, corpus suum exhibeat volentibus inprimere notas.* Nisi locus hic ad desertores pertinet. Augustinus quoque *epistol. 1. Regium Characterem* vocat: *Sic error corrigendus est ouis, vt in ea non corrumpatur signaculum Redemptoris; Neque enim si quisquam Regio charactere a signato desertore signetur, & accipiat indulgentiam, atque ille redeat ad militiam, ille autem esse in militia in qua nondum erat, incipiat, in aliquo eorum character ille rescinditur, ac non potius in ambobus agnoscitur, & honore debito quoniam Regius est approbatus?* In sacra quoque *Scriptura*, & Apostoli Pauli *epistolis* eo sæpe allusum. Et hæc de Militibus seu Tironibus.

Aquarii pariter ita signati: testis constitutio Zenonis *l. 10. Cod. Iust. de aquæduct. Aquarios singulis manibus nomine Pietatis nostræ impresso signari decernimus, vt huiusmodi annotatione manifestati sint omnibus.* Vbi vides rursum caussam horum stigmatum. Simili igitur exemplo & *fabricenses* notari *hac l.* iubentur: quod non factum: Non quasi militiæ genus id esset, verum nouo instituto, & exemplo tantum petito a Tironibus: Ne alioquin nouum & insolens cui videri posset, liberos homines, minimeque reos notis compungi. Ideo, inquam, tironum exemplum hic aduocare libuit Arcadio, Imp. vel potius Hosio Magistro officiorum: qui, vt Claudianus, *2. in Eutropium v. 348.* ait, *prudens nouandi iuris* fuit, cuius versus iam *supra* protuli. Scilicet ad extremum eo confugiendum putauit noui iuris morisque repertor, *vt hoc modo saltem possent latitantes agnosci*; cum passim Fabricenses opus suum defugerent, neque adeo facile peruestigari possent. Ac maxime, quod hac tempestate, Armorum vsus cum maxime necessarius esset propter Tribigildi in Phrygia, mox tota Asia tumultum, incentore Gaina, de quo V. Zosimum *lib. 5.* & Socratem, *lib. 6. c. 6.*

Cæterum cum aliis, & Tironibus inquam, & Aquariis in manu stigmata infligi solita sint, fabricensibus in *brachiis* infligi *hac l.* iubet Arcadius. Hactenus igitur Tironum exemplum non omnino huc quadrauerit, quod in summam quoad stigmatis inquam vsum, quadrat.

Denique varie stigmati locus seu pars corporis varia destinata: in fronte aliquando seu facie, in manibus, in suris: quod etiam indicatur in specie *d. l. 2. sup. de pœnis*: denique in Brachiis *hac l.* Puto, quia hoc membro potissimum vsus in fabrica Armorum. Sane & ita olim Dacorum origo notæque; de quibus Aristoteles, Plinius: in brachio, Aristo. στίγμα ἐν βϱαχίονι: Plinius: *quarto partu Dacorum Originis nota in brachio redditur.* Quomodo autem hæc stigmata impressa, ex *hac l.* discere non licet: simpliciter ait, *notam publicam infligendam.*

Sententia tandem *huius l.* apertissima, & Receptatores fugitiuorum fabricensium, & ipsos vna cum liberis ad fabricam Armorum vocandos, vindicandos. Nempe liberi quoque fabricensium, fabricæ tenebantur, vt cæteroquin Conditionalium aliorum liberi: quod etiam docet *lex 5. 6. Cod. Iust. eod. tit.*

P. 529

V. (a) Idem AA. Anthemio (b) Magistro Officiorum. (c)

SI quis posthac Fabricensem admiserit Procuratorem, vel cultorem sui prædii detinuerit, Conductoremue susceperit, rei (d) quam contra vetitum Fabricensi crediderit iniungendam, proprietate priuetur. ea videlicet fiscalibus calculis (e) socianda: Ipse vero Fabricensis qui contraxerit legis offensam, multa duarum librarum auri feriatur. Dat. III. Kal. August. Constantinop. Honor. A. VI. & Aristeneto Coss. [404.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* prælata Leonis & Anthemii *l. 7. eod. tit.* quæ eodem pertinet. GOTHOFR.

(b) *Anthemius* Magister Officiorum sub Arcadio: eidem Anthemio Mag. officior. inscribuntur præterea hoc ipso Anno *lex 4. infr. de his, qui sup. rel. & l. 14. supr. de agentibus.* V. *Prosopogr.* ID.

(c) *Magistro officiorum* cur inscribitur hæc *lex*, iam dictum *ad duas superiores leges.* ID.

(d) Fundi. IDEM.

(e) *Calculis* fiscalibus, id est, Rationibus, viribus: Sic & Theodosius *Nouella 12. de patrimonialibus rei dominicæ, leg. 3. fisci calculis dependant.* ID.

COMMENTARIVS.

PROCVRATOR, COLONVS, CONDVCTOR rei seu fundi alieni fabricensis esse prohibetur, *hac leg.* Arcadii pariter vt Leonis, *l. 7. Cod. Iust. eod. tit.* Pœna confiscationis fundi proposita, & fabricensi multæ duarum librarum auri: non ea ratione qua militibus procuratione, colonatu, conductione prædii alieni interdictum fuit, scilicet ne militiam desererent; verum alia, ne rationes fiscales, fabricæ, inquam armorum conturbarent, ferrique materiem ad Armorum vsum destinatam in vsus suos deriuarent.

VI. (a)

VI. (a) Imp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF. P. (b)

SI quis consortium Fabricensium crediderit eligendum in ea Vrbe qua natus est, vel in qua domicilium conlocauit, his quorum interest conuocatis, primitus acta conficiat; *Sese* doceat, *non auo*, *non patre*, *Curiali progenitum*. *nihil Ordinis Ciuitatis debere*, *nulli se ciuico muneri obnoxium*, atque ita demum gestis confectis, vel apud Moderatorem prouinciæ, vel, si is absit, apud Defensorem ciuitatis, ad militiam (c) quam optauerit suscipiatur. Quod si absque hac cautione quispiam ad Fabricensium consortium obrepserit, sciat se ad Ordinis cui debetur, patriæque suæ, munera esse reuocandum (d) ita vt nulla eum nec temporis, nec stipendiorum prærogatiua defendat. Dat. XV. Kal. Iun. Constantinop. Honor. IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

NOTÆ.

(a) *L. 4. Cod. Iust. eod. tit.* Et iungenda huic est, *lex 175. infr. de Decurionib.* Concordat etiam ex eo titulo, *lex 37. 81. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Anthemius* PP. sub Theodosio Iun. & quidem Orientis: V. *Prosopogr.* *ID.*

(c) Fabricensium. *ID.*

(d) *Deducendum*, C. Iust. male. *ID.*

COMMENTARIVS.

CVRIÆ ciuitatum, & ciuilia munera ne per Orientem obtentu cuiusquam alterius militiæ desererentur, hac tempestate summo studio cauendum credidit Theodosius Iunior: Nempe quod Curiæ passim exhaurirentur, confugientibus quamplurimis Curialium ad aliam militiam. *Cuiusquam*, inquam, *militiæ* obtentu: siue officiali Magistri militum, quo pertinet *lex 175. infra, de Decurionibus*, quæ *huic* nostræ iungenda est, (etsi pro subiecti argumenti ratione alii inscripta sit, quam *hæc* nostra, nempe *Lupiciano Comiti & Magistro militum per Orientem*) siue Fabricensium, quo spectat hæc *lex* nostra: Etiam armorum & militiæ armatæ fauorem Curiarum vtilitati hac parte cedere voluit. Quare in hanc partem & in præteritum & in futurum consultum iuit Theodosius Iunior: in præteritum, reuocari iussis per *Rectorem prouincialibus*, ad Curiam, qui officiales Magistri militum facti antea fuerant, quæ sententia est *dict. legis 175.* In futurum *hac* quoque *leg.* vetito scilicet quoquam in Fabricensium corpus allegi, nisi prius apud acta *Rectoris prouinciæ*, vel eo absente *Defensoris Ciuitatis* (cuius cæteroquin sollicitudini Curiarum & Corporum commoda incubuisse, docet quoque *lex 3. infr. de his qui conditionem propr.*) probauerit, se a Curiali nexu & ciuilibus muneribus immunem esse: Alioquin nulla temporis præscriptione obstante, aut diuturnitate fabricensis militiæ ad Curiam reuocandum. Quæ & ipsa omnino senten- P.530. tia fuit de his fabricensibus Constantii, *l. 37. infr. de Decurionibus*: & Theodosii Magn. *l. 81. d. tit.*

Ex quibus tribus legibus id discimus, frequenter Curialium nonnullos, desertis Curiis fabricenses factos: quasi hoc obtentu fabricensis inquam militiæ, Reipubl. seu publicis vsibus adeo necessariæ facillime defendendos. Quod tamen Principes respuerunt; Quamlibet scilicet *Fabricensium corpus subueniat necessitatibus & curæ bellorum, vel subuenerit necessitas & cura bellorum, eoque ceu quodam immortalitatis genere Principum vita custodiatur, armetque & ornet exercitum.* Contra, *quamlibet eo deficiente successus degeneres habeantur*, vt eleganter hæc omnia idem Theod. Iun. *Nouella 13. de bonis fabricensium*, attamen suum ideo ius per hos Curiis muniisque publicis detrahi non oportet.

DE CLASSICIS.

TITVLVS XXIII.

LIB. XI. COD. IVST. III. XII.

I. (a) Impp. Valentinianus & Valens AA. Auxonio PF. P. (b)

CLASSEM Seleucenam, aliasque vniuersas, (c) ad Officium (d) quod Magnitudini Tuæ obsequitur volumus pertinere: vt (e) Classicorum numerus ex incensetis (f), vel adcrescentibus (g) conpleatur; & Seleucena, ad auxilium purgandi Orontis, aliasque necessitates, Orientis Comiti deputetur. (h) Data Indictione (i) XII.

NOTAE

(a) *L. vn. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Auxonius* PP. Orientis sub Valente, V. *Prosopogr.* Meminit eius Eunapius, *in V. Maximi p. 109. edit. Commelin.* Zosimus *lib. 4. c. 10.* Philostorg. *lib. 9. c. 8. 11.* ID.

(c) *Orientis*, an *Orontis*? Illud puto. ID.

(d) Officium Præfecti Præt. Orientis nota. ID.

(e) An potius *&*? Non; *vt*, pro, *ita vt.* ID.

(f) Pro *incensitis*, vt *Cod. Iust.* de his dixi, ad *l. 6. 7. supr. de Tironibus.* ID.

(g) De his *Adcrescentibus* dixi ad *d. l. 6. 7.* ID.

(h) Sic & in *Notitia Imperii* sub Duce Moesiæ 2. memorantur Præfecturæ nauium amnicarum & militum ibidem deputatorum: & sub Duce Retiæ Præfectus Legionis 3. Italicæ partis superioris *deputatæ* Ripæ primæ submontorio: Præfectus Legionis 3. Italicæ transuectionis specierum *deputatæ* Foetibus. Denique Præfectus Legionis 3. Italicæ transuectioni specierum *deputatæ* Teriolis. ID.

(i) Id est, Ann. D. 369. in hunc quippe annum liquido incidit Indictio 12. Valentiaca: de quo peculiari *cap. de Indictionibus*: Et sane Auxonius PP. (cui hæc *lex* inscribitur) PP. fuit A. 368. 369. 370. quo ei Modestus suffectus est: vt docent complures *hoc Codice* constitutiones: & Zosimus *lib. 4. cap. 11.*

COMMENTARIVS.

CLASSES, id est, naues armatæ seu militibus (qui inde CLASSICI *hac ipsa* quoque *leg.* vocantur) instructæ, per orbem Romanum variæ fuere, ad *varias necessitates*, vt hæc ipsa *lex* docet: partim ad defensionem limitis & ad occurrendum hosti, si qua perrumperet (cuiusmodi naues *lusoriæ* fuerunt in Rheno & Danubio: de quibus postremis fuit *supra*, titulus peculiaris *lib. 7.*) partim ad alias necessitates: veluti ad σιτοπομπίαν, id est, annonæ militaris, aliarumque specierum fiscalium transmissionem per flumina veluti per Rhenum ad σιτοπομπίαν ex Britannia V. Eunapium *Excerptis Legationum* & Zosimum: Tum ad purganda flumina Imperii Romani maxima, per quæ commeari subinde necesse erat: *Purganda*, inquam, id est, vt Veteres recte hic acceperunt, malis hominibus & pyratis: ita enim malo hic accipere, quam quo sensu alias repurgandi fluminis, Nili scilicet, onus vocatur, *leg. 2. infr. de Alex. plebis primatibus*: ibi enim certe *repurgandi* vox accipitur proprie de sordibus euerrendis: quibus Nilus (eo enim pertinet *lex* illa) oblimabatur: notum enim, Nilum magna copia limum secum traxisse, eumque nigricantem: qua etiam caussa *schichor* Hebræis, hoc est *Niger* vocatus; a Græcis, μέλας, quare & priscis Romanis, teste Festo, *Melo*: Inde & Gymnosophistis, teste Philostrato, *lib. 6.* Nilus, aqua & terra: Poëtis, Oceani & Terræ filius.

Ad rem. Ergo CLASSES huiusmodi variæ fuere per flumina Imperii Romani, pro Reipubl. statu, modo hic, modo alibi; modo in hunc modo in alium vsum. Sane hinc videmus in Notitia Imperii Occidentalis, quæ scripta est sub Theodosio Iun. & Valentiniano III. A. D. 427. in Italia, & Gallia, varias classes memorari, quæ proculdubio eo loci prætendebant, qua Barbari iam sedes pedemque in Imperio Rom. fixerant, cohibendis eorum progressibus. Quod alibi plenius ostendo.

Huiusmodi quoque classes per Orientis Imperium
P. 531. variæ fuere, & quidem (quod *hac l.* docemur) sub Valente Imper. Quo sane tempore Valenti cum *Gothis*, ad huncannum vsque 369. qui hæc *lex* conuenit, & cum Persis deinceps res fuit. Inter alias porro fuit & classis *Seleucena*, quod *hac l.* docemur: id est, quæ in litore maris Syriaci Seleuciæ ad montem posita erat; idque & ad auxilium purgandi Orontis, & ad *alias necessitates*, veluti ad subuectionem frumenti vectigalique fiscalium.

Hæc vero, mea quidem sententia, *classis Seleucena* est, quæ a Constantio Imp. instituta fuit, posteaquam is Antiochiæ Imperii sede constituta, (quod vetus orbis descriptor sub Constantio, quem ipse edidi, tradit *cap. 17.* & Libanius *legat. ad Iulianum Imperatorem pro Antiochenis pag. 154. edit. Morell.* quoque etiam Valens Imp. huius constitutionis author, finito bello Gothico concessit, sedemque fixit: teste Zosimo *lib. 4. c. 13.* & Ammiano Marcellino, *initio lib. 29.*) portum Seleucenum in litore maris Syriaci magna vi auri excitauit, sibi & exercitui Vrbique Antiochenæ oportunissimum, viginti quatuor ferme annis ante *hanc leg.* De quo vetus ille orbis Descriptor *d. c. 17.* Libanius, *in Antiochico*, duobus locis, *p. 363. & 386. & Orat. 13. ad Theodosium, p. 410. 411. 412. edit. cit. & epistola ad Anatolium 301. in Codice Regio*, triennio ferme post eum extructum: Hieronimus, *Chronico*: Cedrenus *p. 236. edit. Venet. int. Script. R. B.* Theodoretus *in Philotheo*, *in Macedonio cap. 13. pag. 839. Tom. III. Oper. Parif. 1642.* De cuius portus excitandi auctore, caussisque, dixi iam ad veterem illam orbis descriptionem *p. 16. 17.* Cum hac vero classe Seleucena Syriæ non est commiscenda illa, cuius meminit Ammian. Marcellinus *lib. 14. cap. 2.* pertinet enim illa ad Seleuciam Syriæ Coeles ad Orontem.

De hac igitur classe Seleucena nominatim, & Classicorum supplemento, deque classis Seleucenæ istius vsu est hæc Valentis Imp. constitutio: Ac nominatim ad cuius curam ea pertineret: nempe quod Præfectus Prætorio Orientis, & Comes Orientis de eo inter se dissiderent: illico scilicet classem sibi classicosque vindicante, velut ad quem summa rerum pertineret: isto vero, quod & Antiochiæ causa classis illa instituta esset, cui ipse præsidebat, & rei militari præesset per Orientis dioecesim, cuius prouinciæ decem numerantur a Marcellino, *lib. 14.* & Auctore *veteris Notitiæ prouinciarum*, qui sub Theodosio M. scripsit subdiuisis deinceps prouinciis quindecim, in *Notitia Imperii* Theodosii Iun. Igitur de eo relationem proculdubio Auxonius PP. ad Valentem instituerat: de quo alioquin diserte Zosimus scribit, *lib. 4. cap. 10.* in huius ipsius Anni 369. gestis, eum onerariarum nauium magna copia militarem annonam per pontum Euxinum ad Istri ostia procurasse, fluuialibusque inde nauigiis per oppida ad omnem sita, ea recondisse, sic vt sufficiens militaris annona suppeteret.

Quare *hac l.* iam definit Valens *Vniuersas* Classes, etiam Seleucenam ad Officium Auxonii Præfecti Pr. Orientis pertinere, ita vt supplementum Classicorum ad id officium pertineat; verum Seleucenam illam ad auxilium purgandi Orontis, aliasque necessitates Orientis Comiti deputandam.

Vbi & illud additur, vnde Classicorum numerus a Præfecto Prætorio supplendus sit, *Ex Incensitis*, inquit,

inquit, *& Adcrescentibus*: Quomodo pariter Tyrones ex Incensitis & Adcrescentibus suppleri voluit idem Valens Imp. Anno proximo 370. *l.6. supr. de Tironibus*: & rursum Anno 365. *l.9. d. tit.* Incensiti vocantur & *d.l.7. in fin. Incenses*: sunt autem non (quod Cuiacius putabat) colonariæ conditioni non adscripti, verum qui non sunt censibus adfixi: *Adscriptitii* item *scil.* & *d.l.6.* & *7.* non sunt, qui ex classicis nascuntur, quod rursum Cuiacius putabat, verum supernumerarii, superabundantes, qui interim non militabant, verum in pacato velut habebantur, vt in locum legitimorum amissorum supplerentur. Cuiusmodi Adcrescentes fuere in militia armata, de quo *l.11. supr. de re militari* & in Palatina, & in prouinciis: hi scil. nondum censibus tenebantur, sed in locum deficientium si quando subrogandi, *l.3. supr. de priuil. eorum qui S. Palatio.* Ergo cum de supplendo aliquo corpore agebatur, ne iis qui iam censu tenebantur, censualibus tabulis exemptis, res tributaria concideret, supplementum fieri voluerunt Imperatores ex Incensitis illis & Adcrescentibus. Quod politicum σκέμμα notetur.

P.532. DE HIS, QVI CVM DISPENSATORE † CONTRAXERVNT.

TITVLVS XXIV.

LIB. X. COD. IVST. TIT. VI.

De his qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt. Confer & titulum 9. *infr. lib. 12.* de his, quæ ex publica conlatione illata sunt, non vsurpandis.

† Id est, fiscalem pecuniam administrante: cui *fiscalium thesaurorum tutela mandata est: l. 1. hoc tit.*

PARATITLON.

CONTRAHENS cum dispensatore *Rubr.* cum Exactore, Tabulario, Arcariis, Officio Rationum, vel alio cui fiscalium thesaurorum tutela mandata est, *l. 1. hoc tit.* id est, fœnebrem ab his pecuniam sumens, *d.l.1. h.t.* mutuo accipiens aurum ex sacris largitionibus, *l.2. h.t.* in quadruplum tenetur; ex *dict. leg. 1. h.t.* ablatis omnibus bonis perpetuæ deportationis exilio subditur, ex *dict. l.2. h.t.* Dispensator vero mutuam pecuniam ex sacris Largitionibus dans, (de quo erit quoque *Titulus 9. lib. 12. de his quæ ex publ. collat. illata sunt non vsurpandis*,) capitali pœna adficitur, *l.2. in fin. h.t.*

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Probum PF. P. (b)

SI quis ab exactoribus, Tabulariis, Arcariis, Officiisue rationum, vel (c) alio cui fiscalium thesaurorum tutela mandetur, fenebrem pecuniam sumpserit, detectus in eodem ad quadrupli pœnam ex hac auctoritate (d) teneatur. Dat. IV. Id. Mar. Treu. Valentiniano & Valente AA. (e) Coss.

NOTAE.

(a) *L. 1. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) *Probus* PP. sub Valentiniano Italiæ, in locum Rufini. V. Ammianum Marcellinum *lib. 27. cap. 11.* & plene in *Prosopogr.* IDEM.

(c) Deest hæc sententia in *Cod. Iust.* ID.

(d) *Auctoritas*, id est, constitutio, lex: V. *Gloss.* ID.

(e) *II.* id est, Ann. 368. ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. hæc constitutio est, aduersus eos qui fœnebrem pecuniam, ab his quibus fiscalium thesaurorum tutela mandata, accipiunt ex fisci thesauris seu rationibus, qua quadrupli pœnam iis minitatur. Quæ ipsa pœna Iudici imponitur, canonem frum. V.R. vsurpanti, *leg. vltim. infr. de Canone frum. V.R.* vt & omni Iudici interuersori *leg. 19. supr. de iure fisci.*

Velim & huc arcessi Valentiniani eiusdem iudicium quod ex Ammiano Marcellino profero *ad leg. vlt.*

ult. De illis quibus fiscalium thesaurorum tutela mandata erat, videndum. 1. de *Exactoribus*, 2. & *Tabulariis* suis iam *titulus* dictum est, 3. de *Arcariis* quoque dixi ad *l.* 14. *infr. de susceptor.* 4. *Rationum Officia*, sunt Officiales Rationalium.

Additur, *vel alio cui fiscalium thesaurorum tutela mandetur.* Quæ verba Tribonianum induxisse P.533. putat Cuiacius, propter *leg.* 2. *infr.* quasi ea *lex* 2. ad Comitem thesaurorum, scripsit, & ad thesauros pertineat: hæc vero ad arcam Præfectoriam: & ita quidem conciliandas duas illas *leges* inter se censet. Verum, neque ita conciliandæ sunt illæ *leges*, neque hæc verba, ea, quam putat Cuiacius, de causa a Triboniano expuncta. De conciliatione videmus ad *l. prox.* Expuncta vero ideo sunt a Tribon. quia aliis, quibus fiscalium thesaurorum tutela mandata erat, quam qui hic speciatim memorantur, aliis *legibus*, aliæ & grauiores pœnæ positæ sunt; veluti Iudicibus, de quibus *l. vlt. infr.* & *tit. de his q. publ. coll.* &c. Hac vero clausula generali hic comprehenduntur supra nominati omnes, puta Exactores, Tabularii, Arcarii, Rationalium officiales, & præterea similes alii: nam & quatuor illis, fiscalium thesaurorum cura mandata erat: *vel ALIO*, inquit lex, *cui &c.*

II. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Palladio Com. S. L. (b)

SCIANT omnes, neque (c) dandi neque accipiendi mutuo ex largitionibus sacris auri patere cuiquam facultatem. Quod si quis aurum ex nostro ærario, priuatis commodis profuturum, occulte, aut cautionis (d) aut sponsionis (e) fide, vt debitor redditurus, (f) acceperit, ablatis bonis omnibus perpetuæ deportationis subdetur exilio. Is etiam qui ex memoratis thesauris sub specie publici creditoris aurum cuiquam commodarit, ac (g) dederit, capitali sententia subiugetur. Dat. XII. Kal. Aug. Heracleæ, Eucherio & Syagrio CONS. [381.]

NOTÆ.

(a) *L.* 2. *Cod. Iustin. eod. tit.* Iungendæ *huic* videntur *lex* 8. 9. *Cod. Iust. de Vectigalibus*: eidem Palladio Comiti S. L. inscriptæ. GOTHOFREDVS.

(b) *Palladius* Comes S. L. sub Theodosio M. cui duæ quoque *Leges* illæ inscribuntur. *ID.*

(c) *Neque dandi neque*, resecata hæc *Cod. Iust.* IDEM.

(d) Id est, chirographi. IDEM.

(e) Id est, Fideiussionis, vel promissionis. *ID.*

(f) *Sine nostra, auctoritate*, hoc additum *Cod. Iustin.* *ID.*

(g) *Et, vel.* In Cod. Iust. *aut tradiderit.* *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Magni hæc constitutio est aduersus eos, qui mutuam pecuniam ex thesauris seu sacris Largitionibus siue accipiunt, siue dant: Qua accipientibus deportationis & bonorum proscriptionis pœnam imponit; dantibus vero capitalem. Et sic seuerior hæc iam Theodosii Magni constitutio est, quam superior Valentiniani Senioris: vt proinde hæc *lex* superiori hac parte contraria sit: neque de conciliandis iis adlaborandum sit, non magis quam de tot aliis inter se dissidentibus, quæ *hoc Codice* occurrunt: Huius quippe Codicis Conditoribus non id propositum fuit, ne quid *contrarii* hic occurreret, verum illud tantum, vt sparsas Principum constitutiones in titulos suos compellerent, reuelarent, & in Corpus certum redigerent.

Atenim de conciliandis iis in *Codice Iustinianeo* iure laboratur, quandoquidem Iustinianus αὐτονομίαν omnem abesse, abfuturamque præfatione sua perquiritatur. Cuiacii igitur mens est, *hanc legem* 2. ex Triboniani mente ad Thesauros Principis proprie pertinere: Superiorem, ad Arcam Præfecti P. & ideo quoque Tribonianum ex *leg.* 1. *supra*, illa expunxisse, *Vel alio cui fiscalium thesaurorum tutela mandetur.* Verum vt hæc verba, alia de *causa expuncta* a Tribon. ad *l. super.* ostendi: ita inanis est Cuiacii conciliatio: aperte enim *lex* superior, vt hodie adhuc posita est in *Codice Iustinian.* ad Thesauros Principis non minus quam hæc pertinet. Quid enim? non Exactores, Tabularii, Arcarii, officia rationum, ad Thesauros Principis pertinebant? de Tabulariis fidem facit vel *lex* 9. *tt.* 17. *supra, de annona.* Putet quis Tribonianum ita *Leges* has distinxisse, vt *legem* 1. accipi voluerit de accipiente fœnebrem pecuniam, id est, fœnus eo nomine soluente: quem ideo minore pœna plecti velit: legem vero 2. de mutuam accipiente gratis, quod longe grauius sit. Quæ tamen Triboniani cogitatio, si Triboniani fuit, inanis est. Et eo quidem speciatim nomine, quod *hac leg.* non minus quam *superiore leg.* fœnebris pecunia comprehendatur: nam & *mutuo accipere*, & vt *debitor redditurus accipere*, & retro *commodare*, ac *dare*, non minus dicitur cum fœnori pecunia datur vel accipitur, quam cum gratis. Nam etsi proprie fœnebris pecunia a Mutuo & Commodato distinguatur, ἔκτοκος illa, hæc ἄτοκα; tamen & ipsa fœnebris pecunia Mutui species est: & Mutuum, vt & Commodatum de fœnebri quoque pecunia hoc æuo passim accipitur: de quo vid. *Gloss. Theod.*

Putet quis *hanc legem*, cum *superiore* ita conciliari posse, quasi hæc Theodosii Magni *lex* sit de his qui *aurum* ex sacris Largitonibus siue mutuum, siue fœnebre accipiunt, dantue: cuius vtique auri pecuiliaris sæpe ratio fuit: de quo ad *leg.* 21. *supr. de petitionibus*, lex vero *Valentiniani* 1. *supr.* de alia pecunia. Verum neque id recte. *Pecuniæ* enim appellatione in *dict. leg.* 1. Aurum quoque comprehenditur: quod & Thesauris ferme fiscalibus, seu Largitionibus sacris inferebatur. Igitur non alia conciliandi ratio est, quam quod hac in re Imperatores illi dissenserunt.

Supersunt duo explicanda. Primo, verba ista, si quis &c. aurum occulte, aut cautionis, aut sponsionis fide acceperit: quibus duplex Mutui accipiendi ratio indicatur: Nempe Mutua seu fœnebris pecunia, cum inter solum creditorem, & mutuantem, res transigitur, accipitur, vel *Cautionis*, vel *Sponsionis* fide: id est, vel instrumento interposito, chirographo inquam, (id enim *Cautionis* voce passim intelligitur) vel interposita tantum *promissione*; id enim hic *sponsio* dicitur, pariter vt

l. vn.

l. vn. supr. de fideiussor. dotium. de eo scilicet, qui suo nomine quid promittit, non vero de eo qui pro alio, vel *de alio*, quo sensu alioquin sponsio, & sponsor quis dicitur. Et sane hoc ipsum Mutui & negotii genus, de quo hic, hos postremos sponsores respuit, cum OCCVLTE id fieret, vt *hac leg.* dicitur: mera igitur *fide* inter dispensatorem seu administratorem pecuniæ fiscalis, & mutuantem transactum: sed vel *sponsionis* fide, vel *Cautionis*. Ergo etsi *Cautio* intercesserit, nihilominus pœnæ *hac leg.* propositæ locus est: quamuis mutuum dans, vt publicus Creditor; accipiens, vt *debitor*, considerari possit; *vt debitor redditurus*, inquit *lex*.

Secundo, notanda hic pœna deportationis; quæ & ipsa in simili posita *tit. de his qui ex publ. ration. ill. sunt.*

Inscribitur autem hæc lex, quæ est *de auro in sacris Largitionibus retinendo*, non vero *per Mutuum distrahendo*, Palladio Comiti S. L. pariter vt duæ aliæ in *Cod. Iust.* puta *lex 8. & 9. Cod. de vectigal.* in quibus dies & Coss. omissi: & forte *huic* iungendæ sunt: nam & eæ ad Largitiones sacras pertinent, in quas certe suscepta ex vectigalibus referri solita: de quorum vectigalium modo ibi agitur. Eadem proinde constitutione sua ad Palladium Com. S. L. Theodosius, & iustæ vectigalium exactioni cauerit, & exacti auri custodiæ.

III. (a) Idem AAA. Palladio (b) Magistro Officiorum.

AVRVM, quod a prouincialibus sine cunctatione persoluitur, nundinatione (c) consumitur: Pœnis itaque se vltimis, quicunque harum machinatores prædarum detegi prodique potuerint, se nouerint subiugandos, nisi, dimenso itineris spatio, susceptum a Prouinciali Officio aurum, traditum sacris largitionibus nunciarint (d). Insuper, si decem vltra diebus aurum, quod percurso itinere potuerit inferri, detentum vel a Prosecutoribus vel a Palatinis fuerit deprehensum, binarum ex toto centesimarum illationi se sentiant obligatos. PP. Prid. Kal. Decembr. Byrito, (e) Eucherio & Syagrio Coss. [381]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) Palladio Magistro Officiorum sub Theodosio M. inscribitur Anno prox. 382. *lex* 14. *supr. de Agentibus*, & *Ann.* 384. *lex* 3. *supr. de metatis.* Et tamen procul dubio in inscriptione *huius l.* reponendum, vt *l. supr. Palladio Com. S. L.* id enim argumentum *huius leg.* omnino deposcit: Quanquam vtroque forte munere idem defungi potuit. Ad hunc Palladium extant quatuor Gregorii Nazianzeni *Epistolæ* 128. 229. 230. 231. ex quarum priore 228. apparet, eum in summo aliquo Magistratu constitutum fuisse: ex *ep.* 229. eum Constantinopoli fuisse. *ID.*

(c) De *Nundinationis* voce dixi iam supra ad *leg. vlt. de Murilegul.* & mox aliquid dicam. *ID.*

(d) Rectores Prouinciarum. *IDEM.*

(e) *Byriti* hæc *lex* proposita, vt multæ aliæ; de cuius rei causa dixi *alibi*. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Magni hæc altera *hoc tit.* constitutio est: cuius duo sunt capita: Prius aduersus Interuerſores, & ne aurum a prouincialibus collatum solutum, per contractum & nundinationem interuertatur: posito vltimo supplicio si id factum fuerit, & non dimenso itineris spatio, susceptum a prouinciali officio aurum, sacris largitionibus seu thesauris illatum nunciatum fuerit. Quod quidem caput respicit Iudices, seu Rectores prouinciarum, quorum Officio aurum primum tradebatur, atque inde sacris largitionibus per Prosecutores scilicet auri, vel Palatinos Sacrarum Largitionum inferebatur: vbi multæ res multaque vocabula expendenda veniunt. Primum notentur illa. *Aurum quod a prouincialibus sine cunctatione persoluitur, nundinatione consumitur.* Quod ab Imperator. præmittitur ad augendam facti seu nundinationis atrocitatem: ac si diceret, miseros prouinciales modis omnibus cogi & quidem sine mora ad solutionem, pro vsibus & necessitatibus publicis, & tamen sæpe nil vel parum inde ad fiscum redire.

Secundo ait lex, *per nundinationem consumi. Nundinatio* in genere est conuersatio, commercatio rerum, πραγματεία: atque inde lucri captatio. Glossæ Nomicæ: Nundinatio, κυρίως μὲν τῶν λαμβανομένων προφάσει ἐμπορίας: ἐνίοτε δὲ τὸ καθόλου κέρδος: speciatim vero ea vox (vt & *nundinarum leg. vltim. supr. de murilegulis*) vsurpata, de fœdo lucro omni prædaque, quæ capitur occasione Reipublicæ, vt *hac leg.* & *leg. 10. supr. de cohortalibus l. 3. sup. de exhib. reis l. 5. de iis quæ administr.* Vnde & *machinatores prædarum*, qui id facerent, *hac leg.* vocantur. Hac ipsa voce in hac ipsa re vtitur Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 1. Hymetius cum Africam Proconsule regeret, Carthaginiensibus victus inopia iam lassatis, ex horreis Romano populo destinatis frumentum dedit: pauloque postea cum prouenisset segetum copia, integre sine vlla restituit mora: verum quoniam denis modiis singulis solidis indigentibus venundatis, emerat ipse tricenos, interpretii compendium ad Principis ærarium misit. Ideoque Valentinianus per nundinationem suspicatus parum quam oportuerat missum, eum bonorum parte multauit.* p. 538. Vide & quæ notaui alia, ad *leg. vltim. supr. de murilegulis.*

Tertio, ait lex *diuerso itineris spatio*, & mox, quod *percurso itinere potuerit inferri*. Nempe ad illationem specierum, vt in cæteris, certa dimensa spatia fuerunt, de quo ad *leg. 9. infr. de annon. & trib.*

Quarto ait lex, *nisi susceptum a prouinciali Officio aurum traditum sacris largitionibus nunciarint.* Quibus duo hæc indicantur. Primo, ab Officialibus Rectorum prouinciarum aurum susceptum; de quo *v. Parat. tit. de susceptoribus, lib. 12.* Secundo ad Iudicum seu Rectorum curam spectasse, vt traditum sacris largitionibus aurum nunciarent. Est enim hæc huius loci sententia, aduersus Iudices harum *prædarum machinatores*, nundinatores. Et hæc de primo huius leg. capite. Quod huic titulo conuenit, etsi minus plene conceptus videatur.

Secundum caput hoc titulo fugitiuum est in *Prosecutores & Palatinos*, differentes suo tempore aurum inferre sacris largitionibus. De quibus vtrisque peculiares sunt hoc Codice tituli: *lib. 6. de Palatinis, & lib. 12. infr. de Prosecutorib. auri publici.* Et quidem aduersus hanc illorum moram & dilationem præter hanc leg. sunt duæ aliæ Theodosii Iunioris leges: puta *lex vnic. dicto titulo de auri prosecutoribus*, imo & aduersus nauiculariorum fraudes, *lex 33. de nauiculariis*, quæ ex eadem constitutione desumptæ inter se coassandæ veniunt. Hoc vero capite duo singularia notanda sunt. Primo *decem dies* præter id tempus, quod percurrendo

rendo seu perficiendo itineri sufficit, datum ad aurum inferendum, nempe propter incerta casuum & itineris cuiusdam *προσθήκης* seu auctarii vice. Secundo, notanda pœna seu multa quæ his imponitur, nempe binarum ex toto, seu totius auri, centesimarum. Hæc inquam nudis moratoribus pœna hic imponitur; atenim primo capite, interuersoribus, prædatoribus, pœnæ vltimæ indicuntur.

Quinto ait lex, *susceptum a prouinciali officio.* Nempe hac tempestate Officiales Rectorum prouinciarum aurum exegere: de quo ad *leg. supr. de exactoribus.* Ait lex *a Prosecutoribus*, de quibus *infr. suo tit. de auri publ. prosecutorib.* Ait lex, *vel a Palatinis*, id est, officialibus Comitis S. L. de quibus suo *tit. supr.* Ait lex *binarum ex toto centesimarum.* Quod binæ centesimæ exemplum pœnæ loco impositæ, est notandum.

DE PRIVILEGIIS DOMVS AVGVSTÆ.

TITVLVS XXV.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. LXXIV.

De priuilegiis Domus Augustæ, vel rei priuatæ, & quarum collationum excusationem habent.

I. (a) Imppp. ARCADIVS, Honorius & THEODOSIVS AAA. Anthemio PF.P. (b)

AD omnem fraudem amputandam, Procuratores per singulas quasque prouincias Nobilissimarum puellarum Filiarum (c) mearum aput fidem gestorum præsentibus Censualibus (d) ac Principalibus, (e) quos huius imminutionis (f) oneribus premi non dubium est, exponant numerum iugorum ad memoratarum domus (g) pertinentium, & pro eo tantum Inlustribus priuilegiis ac debitis (h) potiantur, ita vt ex veri fide breuibus (i) præbitis, & a Rectoribus prouinciæ mox relatis: quæ eos excusare (k) debere conueniat, conlatis rationibus cognoscant. Dat. Kal. Decembr. Constantinop. Arcad. A. VI. & Probo V.C. Coss. [406.]

N O T A E.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFR.
(b) *Anthemius* PP. Orientis sub Arcadio v. *Prosopogr.* ID.
(c) Trium, natarum ex Eudoxia; *Pulcheriæ, Arcadiæ, Marinæ*: de quibus mox. ID.
(d) *Censuales*, de his *supr. lib.* 8. *tit.* 2. ID.
(e) *Principales* de his ad *tit. de Decurionibus.* ID.
P. 536 (f) Non est hæc vox immutanda, in *immunitionis*, de quo mox. ID.
(g) Recte: neque istud mutandum in *domuum ius*: *Domus*, id est, domus. ID.
(h) γρ. *A debitis. Priuilegia a debitis*, sunt immunitates a tributis: *Priuilegia* pro immunitatibus *l.* 1. *infr. de immunitate.* *Debita* sunt tributa: de quo ad *l.* 6. *supr. de diu. rescript.* & in *Gloss.* ID.
(i) *Breues*, de hac voce v. *Gloss.* ID.
(k) *Excusare*, id est, immunia præstare, relinquere. IDEM.

COMMENTARIVS.

VT DOMVS Augustæ seu Principis patrimonium, ita & eiusque filiarum, ac proinde & earum domorum seu fundorum Actores, conductores, Procuratores priuilegiis quibusdam olim potiti. Sane ab itineribus muniendis immunes non fuisse docet *lex* 4. & *lex vlt. infr. de itinere mun.* Atenim immunes fuere a censibus, seu annona & tributis: de quo dixi ad *leg.* 2. *supr. de actorib. procur. & cond. rei priu.* Quod recte trahitur ad immunitatem officialium domesticorum, Regiæ stirpis in Gallia liberorum. De quo vid. Bretii *orat.* 21. *pag.* 122. *b.* & ad Reginæ viduæ domesticorum immunitatem, v. eiusdem *orat.* [illegible]

Cæterum, vt alias priuilegii alicuius sæpe obtentu publica vtilitas eluditur: ita Arcad. *h. l.* ne obtentu priuilegiorum domus Augustæ eluderetur, satagendum putauit: Et quidem ne obtentu Nobilissimarum filiarum suarum in specie huius leg. vbi De *Nobilissimi* titulo dicam semel ad *leg. vlt. infr. de lustrali collat.* *Filiæ* vero, quas hic indicat Arcadius, sunt tres eius filiæ, quas ex Eudoxia suscepit: puta *Pulcheria*, quæ nata ann. 399. *Arcadia*, anno 400. *Marina*, anno 403. vt ex Chronico Alexandrino discere est, *pag.* 712. 713. *edit. Raderi*, quarum mater Eudoxia obiit anno 404. In veteri vrbis Constantinopolitanæ descriptione, quæ præfixa est *Notit. Imp.* memorantur domus harum: nempe regione 1. *Domus Nobilissimæ Marinæ*: regione 3. & 11. *Domus Pulcheriæ Augustæ*: regione 9. & 10. *Domus Nobilissimæ Arcadiæ.*

Et hæc quidem Constantinopoli: Atenim per diuersas prouincias domos seu fundos eædem sparsos habuere: & in his Procuratores suos. Igitur vt fraus amputetur, iubet hac leg. Arcadius numerum iugorum ad eas pertinentium exponi, 1. *Apud fidem gestorum*, id est, coram Rectore prouinciæ, gestis super eo factis 2. Præsentibus Censualibus ac principalibus: Nempe illi adscriptiones faciebant: Ideo distributionum forma ab his procedere dicitur. *l.* 5. *supr. de his quæ admin.* & Symmachus *lib.* 9. *Epist.* 10. *Principalibus & tabulariis liberum est alios a dispendio vindicare, aliis indebitum munus imponere:* de quo ad *l.* 117. *de Decurionib.* paulo plenius: hi vero Exactores fuere, vt docet *lex* 12. *infr. de appellat.* *lex* 8. *infr. de Decurionibus*, *lex* 12. 16. *infr. de exactoribus*, & Libanii locus περὶ προστασιῶν; Quare ratio etiam hic additur: quia scilicet huius imminutionis fraudulentæ oneribus ii premerentur: scilicet periculum rei tributariæ Censuales & principales spectabat, si quid ex modo legitimo

tributo-

tributorum detraheretur seu abesset; Quod de principalibus seu Curialibus docet quoque Libanius *insigni illo loco orat.* περὶ προστασιῶν, *p. 8. 9. ed. Gothofred.* & *pag. 363. 364. Oper. minor. Gothofred. Ed. Cl. Trotz.* ad quem iam notaui, & Nouella Maioriani *de Curialib. 1. vers. compulsor.* Idque rursum indicat idem Libanius in *orat. in Tisamenem ad Theodosium pag. 453. ed. Morell. 3.* Numerum igitur iugerum ad filias suas pertinentium exponi ita iubet.

4. Mox breues istos Censualibus & Principalibus præberi: vt ita cognoscant conlatis rationibus, quænam iuga excusare debeant.

Superest tantum vindicanda hæc lex ab emendatione. Sunt qui loco *imminutionis* reponendum putant vocem *immunitionis*; quæ immunitatem significat. Male omnino: *Imminutio* hic est tributorum imminutio, quæ fiebat pro iugis velut immunibus. Ergo retinenda hic vox *imminutionis*, non substituenda *immunitionis*. Quomodo & apud Lampridium *Commodo c. 14.* substitui hanc vocem non fero: vbi ait, *Commodum vendidisse etiam suppliciorum diuersitates & sepulturas & immunitates malorum, & alios pro aliis occidisse.* Rectum enim ibi est, *immunitates malorum:* Immunitates malorum, siue hominum siue criminum: vt immunitates tributorum. Sic & apud Suetonium *in Galba c. 15.* dicuntur *impunitates noxiorum*: quæ ibi a vectigalium immunitatibus distinguuntur.

P. 537. # DE CONDVCTORIBVS ET HOMINIBVS DOMVS AVGVSTÆ.

TITVLVS XXVI.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. LXXI.

De Conductoribus & Procuratoribus siue Actorib. prædiorum fiscalium & domus Augustæ. Huic titulo concordant duo *supr. hoc ipso libro, tit. 4. de Actoribus procurator. & conductor. rei priuatæ:* & *tit. 5. prox. qui conductores rei priuatæ.*

I. (a) Impp. Theod. & VALENTINIANVS AA. Basso PF. P. (b)

CONDVCTORES homines ue Augustissimæ domus nostræ (c) nullum cuiuslibet nomen militiæ vsurpent, nullius cingulo dignitatis vtantur, ne ex hoc sibi erigendi supercilii fastus (d) Sacro Nomini nostræ Pietatis oriatur inuidia: sed quotiens de causa ad domum Regiam pertinente aliquid quæstionis emergit, (e) non aliter quam ex *Legum* ordine, *Quibus similiter omne hominum genus tenetur*, vel excipiant vel inferant actionem: (f) Nec aliorum litigatorum negotio intercedant, nec sententiam iudicantum, aut (g) inlicito patrocinii sui fomite iura conturbent: Nullique (h) executionis suæ turbulentum ministerium audeant commodare: Non priuatis se negotiis, non publicis misceant: Nec quiescentem domum delatio vlla sollicitet, ne eos inconsultæ pertinaciæ sero pœniteat. (i) Dat. Prid. Non. Mart. Rau. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. Coss. [426.]

NOTÆ.

(a) *L. 1. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.
(b) *Bassus* PP. sub Valentiniano III. cui inscribuntur & aliæ quatuor leges, *v. Prosopogr.* ID.
(c) Sequentia omnia, quæ elegantissima sunt recisa, vsque ad *quotiens*, a *Cod. Iust.* ID.
(d) *γρ. Fanu.* IDEM.
(e) *Emerserit* Cod. Iust. ID.
(f) *Actiones*, Cod. Iust. RITTER.
(g) Ita hæc construenda, *Nec sententiam iudicantum, aut iura inlicito* &c. GOTHOFR.
(h) *Nullius*, Cod. Iust. ID.
(i) Assuta hic a τρίβον sententia ex Constantini M. *l. 1. supr. de actorib. procurat. & conductorib. rei priuatæ: Grauior enim pœna constituenda est in hos, qui nostri iuris sunt, & nostra debent custodire mandata.* ID.

II. (a) Idem AA. ad Senatum Vrb. Romæ. Post alia.

CONDVCTORES Domus nostræ ab omni militiæ priuilegio submouemus: Viuant æqua sorte cum ceteris: nec vnquam, si ratio poscat, examinis seueritatem iudiciariam vllo cinguli frustabuntur obiectu, sed potius pari disceptationis euentu in omnibus causis *Legibus* seruiant, *quibus tenentur & Principes.* Dat. III. Non. Ian. Rom. DD. NN. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. Coss. [426.]

NOTAE.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* Nempe contentus fuit τρίβον. superiorem eo referre, cuius eadem est sententia. Iungenda autem huic legi omnino videatur *lex 14. supr. de Senatoribus & gleb. collat. lex 33 supr. de petitionib.* etsi in die & mense nonnulla sit diuersitas, vbi tamen placet potius ex hac illas emendari. Tandem πρωθύστερον hic admissum a Codicis huius conditoribus: hæc enim superiori anteferri debuit: vt video, annorum illi tantum rationem habuere in disponendis constitutionibus: at non etiam & mensium aut dierum; de quo in *Prolegomenis.* GOTHOFR.
P. 538.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Tertii Placidiæ filii, hæ duæ leges sunt, in eandem vtraque sententiam: quibus Imperator hic Conductorum & hominum domus Augustæ supercilio fastuique, & impotentiæ occurrendum, eosque ad communem matellam reuocandos putauit. Tam enixo studio, tam eleganti stilo, vt nihil enixius, nihil elegantius hoc Cod. occurrat. Quanquam ab eadem mente est non minus elegans quoque Constantini *l. 1. supr. de actoribus, procurator*, &c. Constantii *lex 1. supr. de iurisdict.* & Honorii *l. 11. d. tit. de iurisdict.* De ipsis primum legibus videndum est, tum deinde de earum sententia. Igitur data vtraque hæc lex a Valentiniano Tertio eodem pene tempore, sed tamen prælata, quæ secunda hic ordine est: statim postquam Ioanne Tyranno cæso Roma & Italia Augustus potiri cœpit. Et sane secunda illa lex pars est prolixioris orationis ad Senatum; cuius pariter partes videntur *lex 14. supr. de senatoribus, & glebali collat.* & *l. 33. supr. de petitionibus*, ac proinde illi coniungendæ, quam etiam recitari fecit in Senatu Romæ per Theodosium Primicerium Notariorum, vt docet *d. lex 14.* Eo scilicet tempore, quo Ioanne Tyranno cæso Vrbem Romam ingressus fine anni 425. initio adhuc anni huius 426. ibidem constitit, vt docet præter Olympiodorum apud Photium, etiam subscriptio legis 6. *supr. de legit. hæred.* vt proinde ex huius *l. 2.* subscriptione illarum duarum subscriptio emendanda veniat: de quo ad *d. l. 33.* vnde etiam Historia de Ioanne Tyranno cæso, & Valentiniani processu huc arcessi potest. Igitur Valentinian. iam Imp. iam Roma, Italiaque potitus, malis, queis tum Respub. premebatur, & quorum pars occasione Tyrannidis inuecta fuerat, vel etiam increuerat, occurrendum enixe putauit, statumque tum vrbis, tum orbis Romani restituendum. Vnde elogium illud, quod veteri vrbis Romæ descriptioni permissum: *Vrbs quæ aliquando desolata nunc gloriosior piissimo Imperio restaurata.* Inter cætera porro mala erant Delatores, & Bonorum competitores: quibus ideo occurrit *d. l. 33.* & fine *legis 1. hoc titul.* Priuilegiorum Ecclesiarum imminutio, quæ Ioannes Tyrannus inuiderat, quæque ideo statim reuocauit seu stabiliuit *l. vlt. infr. de Episcopis.* Erat & Seruorum audacia, qui in dominos sese erexerant: qua parte quoque cauetur *d. l. 33.* Patricii quoque fori priuilegia, id est, Senatorum imminuta trabeataque quies turbata fuerant, quæ & ipsa reuocat *d. l. 33.* Erat denique & Conductorum hominumque domus Augustæ supercilium, fastusque qui omnia turbabant. His proinde occurrendum putauit, duabus his legibus: & quidem enixiore adhuc studio, quam alii cuicunque malo: iis rationibus de quibus postea.

Primo quidem Malum hoc quam varium & multiplex, quam late hoc incendium sparsum fuerit, hæ ipsæ leges cumulate ostendunt. Nempe quinque hæc mala ab his admittebantur. Primum *Militiæ* alicuius nomen, vel *dignitatis* alicuius cingulum vsurpabant, supercilium & fastum ita erigentes, sic vt nemo quicquam aduersus hos hiscere auderet. Secundo, orta quæstione de causa ad domum Augustam pertinente, non consueto legum ordine actiones excipiebant vel inferebant. Tertio, alienis negotiis & litibus intercedebant, & patrocinium præbebant, iudiciorum ordinem ita interturbantes: Quarto, Executionis suæ ministerium concordabant, Denique, Delationibus famosi erant.

Igitur Valentinianus Tertius, his duabus legibus tam multiplici horum audaciæ & supercilio occursum iuit: vt enixo studio, ita & elegantissimis Ciuilitatis suæ, & modestiæ structuris additis; his nempe: Primo *metum* suum prodit, ne sibi exinde inuidia generetur: gnarus vtique, famam Principum stare, prout sese homines eorum gererent: Deinde Legum reuerentia duobus locis prodita. Non tantum priore lege in genere, cum ait, conductorum & hominum respectu, *legib. similiter omne hominum genus teneri:* verum diserte etiam posteriore professus, *Legibus teneri & Principes:* Quam in sententiam iam multa multi *ad l. digna vox*, & *ad legem, Princeps.* Nos etiam Libanii super eo locum eduximus, *περὶ ἀγγαρειῶν pag. 40. edit. Gothofred, & pag. 387. Oper. minor. Gothofred. Edit. CL. Troiz.* ad ipsum Imp. Theodosium loquentis. Et effusa manu in *Oration.* nostra, cui Vlpiani titulum fecimus: & inter Indices, in *Imperatore Romano.* Itaque hæc de Valentiniani moribus & ciuilitate.

Nunc de ipsamet sanctione: vbi Valentinianus in summam, Conductores & homines domus Augustæ æqua cum aliis sorte viuere iubet: pariter vt Constantius *d. l. 1. sup. de iurisd.* Eo fine igitur vetiti ii vllo dignitatis cingulo vti: iussi item ex legum ordine actiones excipere & inferre: vetiti rursum patrocinii sui fomite iura aliena turbare, aut executionem suam tribuere; priuatisque vel publicis negotiis sese miscere: delationibus tandem domos sollicitare, inquietare.

Tandem notandus hic orationis character, qui hic elegantissimus: Qualia illa, *Ne ex hoc sibi erigendi supercilii fastu, sacro nomini nostræ pietatis oriatur inuidia.* Item: *Nec inlicito patrocinii sui fomite iura conturbent.* Rursum: *Nec quiescentem domum delatio vlla sollicitet.* Tandem: *Ne eos inconsultæ pertinaciæ sero pœniteat:* Et similia, quæ aliis adornanda relinquo.

Finis Tomi Tertii.

EMENDANDA ET ADDENDA.

Pag. 13. in Commentar. leg. 7. lin. 22. colum. 1. lege, Ἀποκλήρωσις.
Pag. 64. not. 4. lin. 1. scribe, χρονικῶν διαταγμάτων.
Pag. 70. lin. 42. colum. 1. scribe: *Amphilochius, seu Gregorius Nazianzenus in Iambo ad Seleucum Carmin. 3. vers. 93. 94. pag. 191. Tom. II. Operum edit. Colon. seu. Lips. apud Weidm.* adde versionem vulgatam:

Simul sunt fœminæ, & simul mares:
Non masculi, non fœminæ, falsa haud loquor.

Pag. 105. colum. 1. lin. 20. scribe, φευγόντων.
Pag. 126. colum. 1. lin. 39. in Comment. scribe, *Lucianus in Alexandro, seu ψευδομάντ.*
Pag. 141. in Comment. leg. 10. colum. 2. lin. 5. lege, *circa hos.*
Pag. 148. in Comment. col. [illegible] lin. 26. lege, *Cardinal. de Monte Alto.*
Pag. 155. col. 1. lin. 56. scribe, *Act.* 4 *v.* 743. & dele, 043.
Pag. 159. col. 1. lin. 32. scribe περιπάτους θαυματάς.
Pag. 164. col. 1. lin. 12. scribe, ἀνεμάκλητον.
Pag. 210. in not. e. legis 1. scribe, *Poeta quoque Ausonius Ephemer. v. 62. ait.*
Pag. 231. col. 2. lin. 74. lege, *C. Silano PC. Asiæ.*
Pag. 300. not. g. lin. 5. adde, *Silius lib. 8. v. 20.*
Pag. 441. col. 2. lin. vlt. lege, διότι προσεταίων.
Pag. 461. in Comment. col. 1. lin. 31. lege. *Firmicum Matern.*
Pag. 472. in not. e. ad leg. 17. lin. 3. lege, *Italiam, Lybias,* ex mox, lin. sequent. *& ipse Cluverius.*
Pag. 516. col. 2. lin. 35. lege, θεοῦ δῶρον.
Pag. 520. in Comment. col. 2. lin. 3. lege: *a voce scil.* χρῆσαι, χρήσιμος.